
REVEREND. ET ILLVSTR. D.

D. IOSEPH
DE
LA ZERDA
BENEDICTINI,

Maria Effigies.



REVEREND. ET ILLVSTR. D.

D. IOSEPH DE LA ZERDA

BENEDICTINI,

OLIM IN SALMANTICENSI ACADEMIA PRIMVM CATHEDRÆ S. THOMÆ, DEINDE Primariæ Theologiæ Moderatoris, postea Almeriensis Episcopi, nunc Pacensis,

MARIA EFFIGIES,

Reuelatióque Trinitatis, & attributorum Dei.

Qua ex omnigena Patrum eruditione, qua ex candidæ Theologiæ disciplina, qua ex Sapientiæ subtilitatibus, tota Maria elucidatur mysterium Incarnationis in illa per actum, & Trinitatis in illa depictum perpetua elucubratione tractatur. Vbi & de S. IOSEPH, *& de vtroque* IOANNE.

NVNC SECVNDVM IN GALLIIS PRODIT.







LVGDVNI,


Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXII.

CVM PRIVILEGIO.







MARIÆ, ALMÆ VIRGINI, MATRI

VITÆ, VIVENTIVM EVÆ.

Ex radice Ieſſe Virgæ abſque ficulneæ nodoſitate rectæ, abſque adhærente frutice, fertili Floris è Nazareth,
Viri Dei, Orientis ex Alto.
Spiranti Triados Imagini, Notioni, Speculo, Triclinio, Complemento, Venæ.

Prophetarum ſupplemento, Scopo, Scripturarum Epilogo, Symbolorum ſummæ, prædictionum Exercitio, Vmbrarum Corpori, Oraculorum abſque cortina Tripodi, erga Triadem Sole, Arbore, fonte, lucidiori, viridiori, clariori Picturæ.

Altiſſimi Patris compendioſæ definitioni, Ingenitæ Hypoſtaſis limitatrici, Filiæ, Sponſæ, naturalis Vnigeniti Matri, Matrifamilias adoptiuorum, genitalis ex vtero ante Luciferum, Virtutis, Cognitionis, Compræhenſionis, Impatibilitatis, Puritatis, Fœcunditatis Adumbratici, Omnipotentiæ, Immenſitatis, Æternitatis, Immaterialitatis Delineatrici.

Dei energiæ, & inoperationum actuoſæ Reuelatrici, Sophiæ ſummæ Adiutrici, Generationis æternæ, & S. Spiritus Proceſſionis Indici, Vindici.

Quæ in Dei Filio eſt, Diuinitatis, Filiationis, Verbi, formæ, figuræ, ſplendoris, Characteriſticæ Hypoſtaſeos Aſſertrici Spiritus ſancti Vnicæ, Columbæ, Sponſæ, Thalamo, Apothecæ.

Serpentini Cherub ouanti crepida Victrici Paradiſiaci erroris Correctrici, Prauitatis Hæreticæ Deſolatrici, Sæculorum Negotio, Incarnationis Officinæ, Opifici, Venerabilis œconomiæ Auctrici, Redemptionis Primiceriæ, Redemptorum ſtanti pro columitate Aduocatæ.

Humilis, deſpicabilis IOSEPH, *gratiâ Epiſcopus, vitâ peccator. profeſſione Benedictinus, ſtudio Theologus, ſtigmate ſeruus,*
Hoc Opus ad Sanctiſsimi tui Nominis gloriam, Arcanorúmque & diuitiarum æternæ ſapientiæ famam celebritatem dicit, dicat, conſecrat.



AD LECTOREM.



IRABERIS, cur, qui inter ſcholaſtica enutritus, non primùm cum typis ſcholaſticè agam, Salmanticóſque labores, quos ſudaui, prælo retardem? Impulit Maria. Quis hic meliori Cereri primas vel agelli fruges in animi deuoramentum inuideat? Ergo horreis cæleſtibus hanc meſſem paro; breui quidem ſpatiò & ſatam, & natã, & lectam; forſan ſemina, quibus vnus annus pro ortu, pro interitúque tota ætas eſt, celeritate ſationis, vindemiaque, & typographici præli ſuperauit: non mirum ſtudioſo, niſi Paſtoralis officij cura in longa, claſsicíſque ex vicinia maris continuis incurſibus expoſita prouincia, ſpecioſiora temporis ſibi vendicaret ſpatia. Vtinam nocturnum labor oleat lucernam; ſed, quod oleum ſancti Spiritus, magis concupio, vt redundans vnguentum, fidelium corda delibuta, in Mariam, incarnatúmque Dei verbum emolliat, & (vt Paulin. epiſt. ad Seuer. *Paulinus dicebat) de varij gratiarum floribus & ſuccis odora congeries multimodas ſuauitates Deo ſpiret velútque aromata pateris incenſa fragrantibus, ſpiritu veritatis exhalet, vt talium florum odoribus ſponſus ipſe gratetur. Dices: Quis non in Maria obſequium aliquale linguæ tributum impendit? Incarnatio totum ſacrorum tractatorum negotium eſt. Quid igitur poſt pelagus guttas ſtillas? Certè delebamus; more pelagi, abſque lege & cenſura temperati aluei, Virginea fluere præconia nouum alueum antiquis, ſed confuſis aquis, vt placidè, vitréque noſtri animi propiùs regiones allueret conſtruximus; & ſub duplicis voluminis carcere prendimus, cui aquas, quæ ſupra cælos ſunt, Virgine nube irrorante, conduximus. Selegimus quidquid nobile, quidquid acutum Patres cogitarunt; quos omnes in ſuis originibus euoluimus, & lectitauimus, vt ſecuriſſimè fidas in hoc opere (non tumultuariò, ſed ordinatè) congeſtum eſſe quidquid ſubtile apud Maiores noſtros ſparſum eſt. Nec breuem vndam extraneæ irrigationis admiſimus: quæque charta, quæque litera, quæque Doctorum auctoritas Mariam ſpirat,* Plin. 5. epiſt. ad Scaurum. *Incarnationiſque Sacramentum:* Materiam ex titulo cognoſces; cætera liber explicabit, quem iam nunc oportet ibi conſueſcere, vt ſine præfatione intelligatur. *Titulus eſt:* Mariæ effigies, reuelatióque Trinitatis, & attributorum Dei. *Ego quidquid ſanctæ Trinitatis arcanũ, quidquid in Deitatis latebris ſanctum, quidquid ex Incarnationis Sacramento recluſum, ad ſimulacrum Virginis pangendum eruimus. Secundum Tomum non tardè dabimus, in quo omnem Incarnati Verbi Dei ſeriem, amorúmque prodigia paramus & forſitan huic inſtituto nihil poſſe accreſcere iudicabis. Plura, quæ Catholicæ Religioni inſeruiant, excudere deſtinamus: non autem in tempeſtiuè iuuat excudenda, præcoci ambitione prædicere, ne de expectatione ſpectationem captemus inanem. Stylum qui alienum non habuimus, dedimus noſtrum. Erubeſcimus, cùm peccatores, & imperiti præ omnibus hominibus ſimus, tam diuini operis, & manu & pectore ſarcinâ criminum pollutis, tractauiſſe myſteria. Parcat nobis Deus, ſaltem quia eius & Mariæ amore peccauimus. Oramus te, Lector Chriſtiane, nobis veniam depreceris.*

Cenſura

Censura Reuerendiss. & illustriss. D. D. Fr. Petri à S. Iacobo, Philippi IV. Declamatoris, Generalis Inquisitionis Censoris, Ordinis Eremitarum excalçiatorum S. Augustini Vicarij Generalis, nunc in Episcopatum Celsonensem nuncupati.

EX præscripto perillustris Domini Licentiati Laurentij de Iturrizara Vicarij Generalis Matriti, Diœcesis Toletanę, Opus hoc, *Maria Reuelatio Trinitatis, & Attributorum Dei*, nuncupatum, à Reuerendissimo, Illustrique admodum D.D. Iosepho de la Zerda nunc Episcopo Almeriensi, olim Primatiæ Theologiæ Professore in orbe terrarum clarissima Salmanticensi Academia, magna cum voluptate legi & perlegi. Tanta ingenij dexteritate elaboratum est, tam incomparabili, incredibiliqua eruditione, tum in eruendis germanis & cohærentibus Sacræ Scripturæ sensibus, tum in Theologicis quæstionibus difficillimis decidendis, vt in primo alterum Hieronymum, in secundo alterum Augustinum, in moribus reformandis Gregorium, in eloquentia Cyprianum, Chrysostomum, in Maria elucidanda Bernardum, Anselmum, Germanum, & quamplures alios me conspexisse crediderim: & cùm in singulis singularis sit, in quo excellentior existat, prorsus ignoro.

Talis in sua Trinitatis, & attributorum Dei Apocalypsi noster elucet Auctor. Præclarum sanè opus tanto dignum Auctore, apprimè sapientissimo, insigni, modesto, vbique celebri. Quapropter (me Iudice) ad communem omnium vtilitatem imprimi, & publicè ferri sentio. Quia præter doctrinam, quam haber, Catholicæ Ecclesiæ Romanæ consentaneam, nullius erroris suspectam, solidam, veram, Apostolicum spiritum vbique redolentem, miram sanctorum Patrum eruditionem habet. Et ideò magna cum laude, & verbi Dei Concionatorum congratulatione suscipi debere: quia profert de thesauro suo noua & vetera, quibus facilè quisque sapientiam omnium antiquorum exquiret, in Prophetis vacabit, enarrationem virorum nominatorum conseruabit, in versutiis Parabolarum introibit, occulta Prouerbiorum exquiret, & in abscondiris Sanctorum conuersabitur. Datis Matriti in Conuentu Discalceatorum S.P.N. Augustini, anno Domini 1638. die verò 20. mensis Septembris.

FR. PETR. A S. IACOBO.

Censura R.P. Hieronymi de Gueuara è Societate IESV, *Sacrorum sapientissimi Interpretis, & Scriptoris profundissimi.*

IVSSV Regij supremique Senatus hoc Opus euolui, cuius nūcupatio, *Maria reuelatio Trinitatis, & Attributorum Dei*, Auctore D.D. Fr. Iosepho de la Zerda Episcopo Almeriensi, quondā in alma Salmāticensi Academia Primatiā Theologiæ sedem obtinente. Verè Reuelatio. Quid enim non afflat excelsum numen, cœlestis rorat sapientia? Et quidem cùm tot, tātaque volumina Deiparæ laus compleuerit, incredibile videbatur tertò scriptis tantùm accedere cumulum; sed hactenus dicta verè cumulauit, & super altitudines montium sublatum diuinæ particulā auræ ebibisse, diuiniora, terrenaque vno iunxisse fœdere credas; scilicet in se perfectoria congessit. De quo, vt de S. Cypriano loquutus videtur Nazianzenus: *Elaboratum natura opus, doctrina principatum, tam philosophica, quam cuiusuis alterius generis disciplina, idque quacumque eum parte censere volueris, adeò vt in eo & variarum artium cognitio mirabilior esset, quàm singularū exacta & perfecta scientia: & rursus singularum exquisita, & modis omnibus absoluta perceptio plus admirationis haberet, quàm variarum artium collecta scientia: vel, vt apertiori distinctione hac explicem; alios multiplici rerum cognitione, alios quòd summū scientiæ gradū attigisset, alios vtraque laude, omnes autem omnibus nominibus superaret.* Hue mixta gloriā nomina sinunt, & quæ diuisa beatum scriptorem solent efficere, collecta fœlicitant; amœnæ literaturæ iucunditas, sedula Philosophia, Theologia subtilis, solers diuini eloquij interpretatio, stylus comptus, medullatus sensus, obstrūsaque mysteria, sententiārum sermonisque sine deceptione sublimitas, elegantia sine affectatione morum instructio sine molestia. Comparabit lector exiguo labore multam doctrinam obstupescet tactum de cœlo calamum fulmine acuminis, luminum splendore, vt orbi radiet. Fides Catholica, moribúsque optimis fouendis, typis detur Matriti in Collegio Imperiali Societatis IESV die 24. Septembris, anno 1638. Orat. de functo Cypr.

HIERONYMVS DE GVEVARA.

Approbatio Theologorum.

NOs infraſcripti in ſacra Theologiæ Facultate Pariſienſi Magiſtri: Fidem facimus perlegiſſe librum, cui titulus eſt, *Reuerend. & Illuſt. D. Ioſephi de la Zerda, Maria Effigies,* nihilque in eo fidei Orthodoxæ aut bonis moribus contrarium animaduertiſſe. Lugduni 12. Ianuarij 1651.

FR. CLAVDIVS COCHET, Ord. Prædicatorum.

FR. MICHAEL MICARD, Minor.

Licentia Ordinarij.

LVdouicus de Ville, in ſacra Theologia Magiſter, in Eccleſia S. Crucis Cuſtos, & D D. ALPHONSI LVDOVICI DV PLESSIS DE RICHELIEV Eminentiſſimi Cardinalis, ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis Prouicarius Generalis: Librum, cui titulus eſt *Reuerend. & Illuſtriſſ. D. Ioſephi de la Zerda, Maria Effigies,* à Theologis approbatum, in lucem edi facultatem concedimus Lugduni 13. Ianuarij 1651.

DE VILLE.

CONSENSVS.

LIbrum inſcriptum, *Reuerend. & Illuſtriſſ. D. D. Ioſephi de la Zerda, Maria Effigies,* typis mandari, & in lucem edi, Sumptibus LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunenſis. Ego Regis Conſiliarius & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, non impedio. Lugduni die 14. Ianuarij 1651.

LORIN.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu, Librum hunc Typis mandari à LAVRENTIO ANISSON, Bibliopola Lugdunenſi, concedimus; & ne quis vltra conceſſam facultatem denuò excudat prohibemus. Datum Lugduni, die 14. Ianuarij 1651.

SEVE.

SCRIPTI



SCRIPTI HVIVS INSTITVTVM EST OSTENDERE MARIAM A DIVINA fuisse Sapientia constructam, vt in ea, tanquam in viuido, spirantéque simulacro Deus Opt. Max. cùm his, quæ S. Trinitatis sunt, & ad *intra* nuncupantur, tum in communibus attributis, hominum interim reuelaretur obtutibus.

Cuius vt illicò gustum prælibes, in hac fronte prospicias cælatum compendio, quid hoc Volumen elucidet.

ACADEMIA I.

Mariæ attributa in reuelationem Trinitatis.

PVBLICA & solennis manifestatio Trinitatis non nisi in Maria auspicatur. Sect. 1.

Spiritus sancti nomen in auribus Virginis primùm insonuit, ob summam cum Virgine similitudinem. Sect. 2.

Filius Dei, signaculum Deitatis, se in Maria imprimens imaginem Trinitatis excudit Sect. 3.

Maria ex venusta analogia NOTIO, & disciplina Trinitatis. Sect. 4.

Maria SPECVLVM Trinitatis. Sect. 5.

Maria Triclinium Trinitatis. Sect. 6.

Maria complementum Trinitatis, quo ingenio? Sect. 7.

Maria vena Trinitatis. Sect. 8.

Punctum Christi latus sanguinem perpluens incorruptum, Mariani in concipiendo pudoris index est. Subsect. vnica.

ACADEMIA II.

Scriptura vetus, in qua Trinitas adumbratur, in Mariam collimat.

MAria clarissimum supplementum Prophetiæ, quæ de Trinitate est. Sect. 1.

Discutitur ex Hebraico fonte Genesis exordium, *In principio creauit Deus.* Sect. 2.

In primo Scripturarum epilogo ordo est ad Christum, & Mariam. Sect. 3.

Apud Abraham sub vmbra tentorij Trinitas hospitatur, vt postea ad Mariæ lucem appareat. Sect. 4.

Mariæ sanctitas trisagium, quod canunt Seraphim, manifestat. Sect. 5.

ACADEMIA III.

Maria arbor est in Trinitatis symbolum, cuius truncus ab originali noxa vindicatur immunis.

IN arbore virginea Trinitas viret. Sect. 1.

Ex arte agraria *insitio virtutis Altissimi* Mariam Diuini Patris *arborem*, seu *Coniugem* reddit Sect. 2.

Maria arbor est, vt arborem deponat homo, qui post arboris esum arbor fit. Sect. 3.

Maria intellectualis arbor est absque traduce noxa, in arboris *Ficus* excidium. Sect. 4.

Arbor Virginea immunis est à traduce vitio, cui ex arbore Malo malus surculus non insitus: non malum audit, sed omne bonum. Sect. 5.

Filius quà fructus Virginis, ab originario piaculo Matrem adstruit immunem. Sect. 6.

Regia radix, & fructus diuinus virgam virgineam sine vitio originis fuisse euincunt. Sect. 7.

Maria virga *gratiæ* virgam *furoris* triumphans originarias spinas obtundit. Sect. 8.

Fons symbolum Trinitatis est, ad cuius cognitionem in Maria lucem pro laticibus fundit. Sect. 9.

ACADEMIA IV.

Lux trium diuinarum personarum sub Solis symbolo in Maria resplendet.

MAria *electa vt Sol*, æternam Verbi generationem elucidat. Sect. 1.

Maria ex quo assumpta in cœlum, *electa vt Sol*, vt diuini Solis functiones obear. Subsect. 1.

Maria nubes, quà caro; leuis, quà virgo, quam Sol diuinus ascendit, non quasi altiorem, sed quasi aptiorem, vt per virgineæ carnis puritatem luminosus appareat. Subsect. 2.

Virginis caro corporum glorificandorum auspicium fuit. Subsect. 3.

In Mariani vteri virgineo circulo circulus Deitatis innotescit. Maria circumeuntem Luciferum triumphauit. Sect. 2.

Verbum Dei radius in Maria, & eius puritatem, & suam à Patre originem illustrat. Sect. 3.

Maria lumen est, quæ concepit ex lumine lumen. Sect. 4.

Maria *Iris* Trinitatem versicolore dignitate depingit. Sect. 5.

ACADEMIA V.

Sanctum Mariæ nomen, quà ex Deitatis arcanis euolutum.

MAriæ nomen impositum, vt perpetuum cum Deitate iniret consortium. Sect. 1.

Nomen

ACADEMIA VI.

Maria nomen Dei genitrix.

ACADEMIA VII.

Mariæ prædestinata similitudo cum Persona Patris constitutiua.

ACADEMIA VIII.

Maria quo iure Filia Diuini Patris asseratur?

ACADEMIA IX.

Sponsalia & connubium inter Patrem supernum & Virginem, vt Pater Virgini communicet attributa.

ACADEMIA X.

An virtus genitrix in vtero Mariano, Patri superno valeat appropriari?

ACADEMIA XI.

Superna virtus, qua concipit Maria, adumbrat virtutem, qua pater generat Vnigenitum.

ACADEMIA XII.

Quod Pater per cognitionem sui generet Filium, Maria concipiens ostendit.

ACADEMIA XIII.

Pater ex spiritali comprehensione Deitatis Deum gignit, Maria singulari carnea comprehensionis prodigio gignit eumdem.

ACADEMIA XIV.

Incarnatio ex Maria non stultitia, non phantasia; summa sapientia, & ratio *est, sicut in generatione ex Patre* Ratio, *& Sapientia.*

ACADEMIA XV.

Maria ex amore gignit Filium Dei, quem Pater gignit ex cognitione, qua in Deo natura est.

Index Academiarum.

Adhuc



ACADEMIA PRIMA, MARIÆ ATTRIBVTA IN REVELATIONEM TRINITATIS.

Publica, & solennis manifestatio Trinitatis, non nisi in Maria auspicatur.

SECTIO I.

1. 
Absconditvm à sæculis Sanctissimæ Trinitatis sacramentum, auspice Trinitate, dispalescat: hinc illinc lucis, quam incolit, inaccessibile pelagus sese subrigentibus flammarum globis, sceutis obrutibus præbeat ingressum; ne mentis oculus
Exod.15. caliget, & à gloriæ pondere contusus tabescat.
Exod.3. Adest Maria, non illa soror Aaron, quæ per euectos vndarum montes sicco vestigio præcessit in cantico: sed virgo Mater, rubus ab ardore vernior, vegetior ab igne, quæ diuinis flammis assueta, igneos scopulos, quibus mortalium oculi à prospectu supernæ maiestatis arcentur, amputat, & extenuat: vt interritia, & incombustis pupillis humana mens lumen suspiciat increatum. Maria Apocalypsis Trinitatis est, arcanorum diuini penetralis reuelatio; spirans Triados imago; crystallus limpida, in qua species desilit maiestatis; operationum ad intra speculum; animatum sacri ternarij simulacrum; characteristica hypostaseon cælatura; diuinarum originum reuibratus splendor; in cælesti prælo excusa geniti Sermonis membrana; iugis emanationis, quæ in Deitatis scaturigine ebullit, irriguum; cœlestium personarum penicillo ad repræsentandam Trinitatem ducta pictura. Accedat mens, accedat sapientiæ lumen, versóque poplite Numen vnum in tribus personis adoret: Maria reuelat amictum, dúmque se exhibet, adumbratis liniamentis in abstrusum mysterium manuducit. Non Thesiaco filamento ad inextricabile secretum opus est; Maria fert ducatum: in hoc nata, in hoc data, vt palantes mortalium oculos ad agnitionem traheret Trinitatis, vtpote in qua ipsamet Trias sese, quantum potuit capere metalli creati soliditas, excudit. Hic operosi nostri laboris scopus est.

Zerda, Mariæ effigies.

2. Igitur vt fundamentum iaciamus ad superstruendam huius operis molem, vestigare oportet, an vt manifestaretur hominibus Trinitas solemni ritu, non iam, vt antea raptim, & perfunctorio stylo, Mariæ expectauerit existentiam? Si enim ex hac fœmina sacra, tanti sacramenti plena, & plana auspicata sit declaratio; facilis sternitur via, vt addiscamus in hunc scopum super benedictam Dei nostri collimauisse sapientiam, quando hanc Virginem detornauit, animosisque imbuens spiritibus, perposuit: vt tanquam in elaborato, cæltéque inciso metallo, diuinitatis adumbratam formam haberent homines, quam suspicerent, & ad agnitionem occultæ veritatis venirent. Itaque hæc thesis omnem tractationem præeat. Auspice, auctrice, & opitulatrice Maria, Sancta Trinitas solenniter, & serià exhibitione hominibus innotescit. Priscis Patribus iam olim irradiauerat, verum sub secreti sigillo.

3. Thesim hanc inferiores sectiones accitis acuminibus illustrabunt: probet nunc auctoritas.
Thaumaturgus serm 2. de Annuntiat. in fine: *Tu in summis spiritalibus regnis, lucis splendore coruscas, vbi glorificatur Pater, omnis principij expers, cuius abumbrantem habuisti potentiam: adoratur Filius, quem secundum carnem peperisti: celebratur Spiritus sanctus, qui in tuo vtero natiuitatem magni regis peregit. Per te, ô gratia plena, Trinitas sancta, & consubstantialis in mundo cognoscitur.* Thaumat.
In Actibus Concil. Ephes. cap. 6. *Salue lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum recta doctrinæ, Templum indissolubile. Salue Mater & Virgo, per quam is benedictus in Euangelijs nominatur, qui venit in nomine Domini. Salue Virgo, per quam Sancta Trinitas in vniuerso orbe glorificatur, & adoratur.* Conc. Eph.
Carthusianus de dignitat. Mariæ, lib. 4. art. 6. *Constat autem, quòd tu Dei Patris vnica Sponsa; tu vnigeniti eius Mater electa; tu Spiritus sancti triclinium, & totius supersanctæ Trinitatis splendidissimum reclinatorium.* Carthus.
Et paruo interstitio: *Præterea per te tota superfœlix Trinitas gloriam adepta est: nempe per te fides eius mundo innotuit.* Ambrosius lib. 1. de Virginib. columo. 4. *Qualis est hæc Virgo, quæ Trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt vbera, mella funduntur? Petra autem est, iuxta Apostolum, Christus: ergo à Christo non deficiunt verba, claritas à Deo, flumen à Spi-* Ambros.

Andreas. Hierosol.

ritæ. Hæc est Trinitas, quæ Ecclesiam suam irrigat, Pater, Christus, & Spiritus. Andreas Hierosol. in salutat. S. Mariæ: *Benedictus fructus ventris tui, quem sanctum omnis lingua celebrat, cælestium, terrestrium, & infernorum in triplicitate sacrosanctæ, quæ in Trinitate est, Deitatis.* Non præstat alios congerere: quoquouersus legas, hoc opus similibus patronis frequentatur.

4. Examinanda causa est, quid nouum sit, quod in Maria diuinitas patrauerit, ex quo tam non per cancellos, & quasi personatâ facie, sub noctemque obscuritatis captans effugia, Trinitas sese suspicato prodiderit. Et quidem certum, statúmque est Christum Trinitatis indidisse lucem, inspirauisse disciplinam, retexisse velamen: id vni, vel alteri ex pristinis amicis Deus quondam suggesserat, adhuc sub caliginis vectibus, sub seris maiestatis. Hæc facilis via est, vt nouerimus per Mariam orbi Triadem illuxisse, vtpote quæ Filium nobis edidit, tam abditi instituti magistrum. Promptum est id cogitanti. Verùm hoc non nostræ lucubrationis lucernam nutrit: signatè disquirimus de Maria, quam sistimus in iudicio, vt scrutemur, quid in hac superbenedictâ puellâ deliteat, ex quo Trinitatis sonus intonet mundo. Imò quòd Christus Dominus Trinitatem euulgauerit, videtur ex vtero Matris traxisse. Adi Damascenum, quo pluries vtemur, in Cantic. Ecclesiast. sono 2.

Damascen.

——————O Virgo,
Incarnatum ex tuo
Vtero Verbum Dei
Benignè ortum est,
Trilucemque Deitatem
Mysticè nos edocuit.

En quis ex Maria ortus, edocet nos Triadem. Et Od. 6.

Lucidissima Dei, ô Genitrix,
Eximio in mari bonitatis,
Incomprehensibilis elampseos tuæ,
Trilucisque Deitatis,
Lucis auctorem radium mihi dona.

Radius expetitur à Maria, quo trilux Deitas mentes splendore pingat, & illustret: ergo lampas hæc virginea benè alita à luce, Deitatisque pabulo saginata, hunc ex se radium eructat, quo Trinitatis agnitio fidelibus oculis adridet: vbi autem radius est, iam exulat obscuritas, vmbrarumque densitudo rarescit, & disparet. Dum Mariæ radius micat, palàm Trinitas sese dat.

5. Expendere cupio S. Epiphanium Episcopum Constantiæ, de laudibus B. Mariæ: *Ioachim porrò, Anna, & Maria: hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant.* Quid est hoc *palam*? Mysterium Triados à seculis absconditum tacito ænigmate, cancellato inuolucro persæpius Patribus celebratur. Attamen Ioachim, Maria, & Anna palàm Trinitati sacrificium offerebant, quasi iam Trinitas eluceret in tribus illis personis enuntiata. Sed cur reseratum, quod tot pessulis antea custoditum? Quia genitâ Mariâ velamen incepit vlteriori tractu aperiri. Cur ita? Vnde, rogo, Trinitas in diuinis? Nempe quia Verbum est. Si semel Filium cognoscas, Trinitatem fatebcris, vel mentis inops desipies. Nam si Verbum genitum; ergò & Pater generans; ergò & productus amor, qui ab vtroque profluit. Sic dum concepta extitit Maria, adumbrata fuit Trinitas in Ioachimo, Maria, & Anna; quia Mariæ in Triados cognitionem euexit. Quare id:

Epiphan. Episcopum Constant.

Namque à sene concepta fuit, emortuo iam illecebræ prurit; & sic concepta, vt produceret diuinam personam. Ecce iam effigies Trinitatis per Mariam: nam & Verbum diuinum conceptum est ab antiquo dierum: & vt personam diuinam, nempe Spiritum sanctum, simul cum Patre produceret. En ab exordio conceptionis Mariæ Trinitas scintillans. En imago Trinitatis etiam dum in vulua concipitur. Disce ab originaria labe asserere immunem, vendicare insontem: cùm terminos ipsos implicet, & excedat, in vno, eodémque instanti imaginem Trinitatis depingi, & eradi; siquidem esse, & non esse vno momento nequeunt illigari. Tradux autem macula imaginem polluit, quippe quæ peccatum dissimilitudinis soleat appellari.

En palàm Trinitas, ex quo Maria est. Quondam, etiam dum Patribus sese prodebat, adhuc caliginis seras torquebat: ne publicis obtutibus mandaretur, vsque ad in Virgineo suggesto sapientissimus Princeps inter tres, supersubstantialem ternarium homines edoceret. S. Gregorius Magnus lib. 2. in Ezechielem, homil. 16. *Hebræorum populus mandata Decalogi seruare conatus est, sed tamen de cognitione sanctæ Trinitatis eruditus non est: & quamuis hanc spiritales Patres perfectè cognouissent; multitudo tamen Synagogæ, nec inuenire mysterium Trinitatis potuit, nec quærere sciuit. Superueniente autem gratiâ per Testamentum Nouum, omnis fidelis populus vnum Deum Trinitatem esse cognouit.* Qualis, rogo, gratia primitùs superuenit, à qua ortum nouum instrumentum? Aptissimè quidem. Spiritus sanctus superuenit in Virginem: exinde in medium prodiit Trinitas, se in confertissimam dedit multitudinem, vt Euangelicâ tubâ tonante, iam quod antiquitus in aure sensim audiebatur, prædicaretur super tecta. Ideo *superueniente gratiâ*, dixit Gregorius, intuens Virginem à Spiritu superueniente conclusam. Inibi Trinitatis manifestatio cum omnibus suis lineis inscripta est: nec Euangelista sensum ausus est vernaculo stylo diuertere; sed ipsamet Angeli verba deuotissimâ religione transcripsit è nuntio, vt solennem & potissimam tanti mysterij reuelationem extitisse indicaret. Cui si forsan aliquales pristinæ accedant, quasi præludia quædam, & anteloquia censeas, siue venturæ radiationis antelucana pignora, donec superueniret Spiritus in Virginem. Sapiens auspicium, totiusque Theologiæ prologus, & proscenia fœlicia. Si cupis strenuum præfixæ thesis Patronum, qui apertè confirmet publicam Trinitatis exhibitionem ortam fuisse in Virgine: do tibi Rupertum lib. 5. in Genes. cap. 37. *Vbi Christus nascitur ex semine Abrahæ, eiusdem Christi Filij Dei incarnationem præsentiâ suæ maiestatis tota Trinitas in hospitio Virginei ventris operatur: & exinde nomen eiusdem Trinitatis, nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti toto mundo publicâ prædicatione declaratur. Nam Pater est, qui Virginem impregnat: Filius, qui naturâ induitur humanâ; Spiritus sanctus, cuius operatione concepit Virgo, quæ virum non nouerat.* Sic ille. Huius in hac publica manifestatione primatus iam subiicimus argumenta. 6.

S. Greg. M.

Rupert.

Spiritus

Spiritus sancti nomen in auribus Virginis primùm insonuit, ob summam cum Virgine similitudinem.

SECTIO II.

7. QVOD ex Maria palàm illucescere cœperit Trinitatis iubar, promptam nobis suggerit rationem Spiritus sanctus, qui ita hanc Virginem deperiuit, quòd primùm eius auribus insonuerit: & vt sibi raperet puellam, sacráque & venerabili concertatione à duabus aliis personis, licèt non auferret, præferret, & præoccuparet; in medium prodiuit, nomenque nondum adhuc enunciatum, apertumve deprompsit. Cœlestis Angelus fœtum Virgini nunciat; ast illa virgineo se armat pudore. Tunc ille: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Et illicò Ambrosius in c. 1. Luc. *Hodiè primùm auditur: Spiritus sanctus superueniet in te: & auditur, & creditur.* Cur sic Spiritus sancti nomen tam inopinâ sorte euulgatur. Si iam plena vsque ad scaturiginem oleo sancto Virgo sancta redundat; vt quid superuenit Spiritus, quasi supererogans splendidiori lautitiâ charismata, si quæ superfuerunt? Iam Dominus est in Virgine, gratia ditat, Altissimi virtus impinguat, & artifex in vtero amor est. Vt quid persona Spiritus verborum dispendio recensita? Adeò Spiritus Mariam adamat, sicut pignus sui, vt quasi sacrâ contentione Patri & Filio præoccupare velit: sic superuenit, quasi rapturus. Petrus Damianus in serm. de Annunciat. *A Deo electam, & prælectam totam eam rapturus erat sibi Spiritus sanctus.* Festinus noster sacer purpuratus, sed multum audet. An æmulus, zelotypusve, quam Pater elegerat, rapuerit sibi? An procorum adinstar ambiat Virginem, vt nuptias ineat? Non benè. Subtilius. Nil sancto Spiritui similius inuenio, quam Mariam. Meditabar, quòd licèt triplex persona diuina virgo sit; nescio, quid virginitatis splendidiùs scintillat in sancto Spiritu. Nam quæcunque vox de illo profertur, virginea est, nec madet aliquâ generationis nota. Pater est virgo, sed tamen Pater est: Patrem audis, genitorem discis; & licet, si Theologicè noueris, non impingas in voce, quæ apud creaturas supponit concubitum; tamen ruralis auris hæret, nec lustrare tentat quod abstrusum didicit à fide. Filius Diuinus, licet non genitor sit, genitus est: nec vocem genituræ subterfugit. Spiritus sanctus, nec genitor est, nec genitus: verbum pudicum est, nec rusticantem ferit aurem, nec eget Theologo, qui virginem esse doceat. Oritur Maria Virgo Virginum, virginitatis paradigma, collegium sanctitatis (sic vocat Chrysologus aliàs) & vix Pater eligit in Filij genitricem, cùm iam Spiritus sanctus sibi simillimam intuetur: quamuis enim genitrix erat futura, tamen & dum concipitur, primipilam virginitatis creatæ prospectat, similemque sibi, qui in increatis etiam in voce virgo est. Maria enim adeò sibi omnem virginitatis thesaurum addixit, quòd auditâ voce *Virgo*, absque alia nota confestim intelligimus Mariam. Sic intelligo Damianum, cum ait *totam sibi rapuisse Spiritum sanctum*, id est, quòd statim, ac prævisa fuit in decretis Dei, ipsius similitudo in Spiritu sancto apparuit. Vt hoc fulciam, vtor Claudiano de nuptiis Honorij, & Mariæ Describit Venerem comentem cæsariem, nectaris imbribus irrigatam, & in triclinio, illecebroso mundi muliebris lenocinio se ornantem. Vndique parietes limpidis tegebantur crystallis; vitrum crederes pauimentum, cæruleum tectum: hinc illinc tremulæ lymphæ per fontium labra, speculum Veneri ministrabant; quare speculo vultus non egebat: quocumque vertebat lumina suam effigiem in tecto, in strato, in parietibus, in fontibus intuebatur: quod verbo *Rapi* animosus exprimit Poëta. Claud.

——Speculi nec vultus egebat
Iudicio, similis tecto monstratur in omni;
Et rapitur, quocumque videt. Dum singula cernit,
Seque probat, nati venientis conspicit vmbram.

Video legi *& rapitur quodcumque videt*, quod approbat Clauerius: quasi Veneris amore quodcumque ipsa videret, raperetur. Ast Scaliger: *Et rapitur quodcumque videt*, legendum esse defensat, cui suffragor; neruosior etenim redditur sententia, & clarior stylus. Sic raptam à Spiritu sancto Virginem autumo, quasi similis in ipso monstraretur. Si ergo similis Spiritui sancto, qui eius rapuit, & reddidit vultum, cùm electa, & cùm prælecta sancta semper fuit, etiam in conceptu: nec enim exprimeretur in Spiritu sancto species mancipij Dæmonis. Clauerius. Scalig.

Ergo rapitur Virgo à Spiritu sancto: quia inuicem similitudo, repræsentatioque reuibratur; & in natura illa spirituum apice, & culmine, quæ virgo est (virgineáque proprietate, ex suapte origine sigillatur) Maria Virgo singulari repercussione, & lineamento, quasi species in speculo subsilire videtur. Quid hoc Mariano elogio sublimius? Hinc Spiritus sanctus sese prodit ex nomine, dum virginitatis lilia Maria explicat, eo nobilissimo pudoris prodigio, ob cuius amorem non æstimat maternitatis Dei regali ostro, purpuraque insigniri; si virginitas in aliam veniat, iacturamque subeat candoris. Ex hoc euincimus Mariæ ita manifestatum esse sanctæ Trinitatis mysterium solemniter, & maturè, vt iam exinde scala sacris Theologis aperiretur, & mentibus hominum mysterij sublimitas inderetur, non iam symbolis, non glyphis, curtáve scintillatione lucis per vmbras, & ænigmata. Probo. Anne ante Virginem auditus vnquam Spiritus sanctus? Spiritus quidem Dei, Spiritus Domini, vel in vndis, vel in flamine, per cœli, tellurisque plagas passim dictitabatur; ast Spiritus sancti nomen neutiquam insueuerat, antequam Gabriel auribus suggessit virgineis, vt sacris charismatibus aulam vteri imbueret, & diuinis redderet officiis mancipatam. Id perbellè Rupertus in cap. 1. Math. *In cæteris scripturis legalibus, & in propheticis nusquam absolutè Spiritus sanctus, sed relatiuè scribitur Spiritus Dei, siue Spiritus Domini. Ab hoc loco primum insonuit in auribus nostris hoc reuerendum insigne vocabulum, proprium, & absolutum, Spiritus sanctus, vbi Angelus ad Mariam, Spiritus sanctus, ait, superueniet in te; & ad Ioseph, Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ex Ambrosio Rupertus mutuauit. In quo is me ferit stimulus, quòd Spiritus sancti nomen iam ante exaudiuerat Zacharias, cùm Sacerdotem ageret, incensique suffitus offerret: Angelus enim pollicens Ioannem,

Ambr. Luc. 1.

Damianus.

8.

Rupert.

[Luc. 1.] Ioannem, inquit Luc. 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero Matris suæ.* Iterum alibi liberabimus Rupertum. Sat nunc sit iam ex Ioanne, Verbi Dei metatore, & nuncio, antelucanique iubaris auspicio, incarnationis incepisse scintillare mysterium; ac proinde iam inibi ordo ad Mariam, quæ Spiritu sancto, per organum vocis salutans matrem, infantem irrigauit.

9. Itaque Spiritus sancti vocabulum nondum ex diuinitatis promptuario in typis mortalium excusum fuerat, donec extitit Virgo, quæ è prototypo, autographoque transcripsit nomen, virgineâque in chartâ exarauit. Quare nec Trinitatis antea potuisse innotescere arcanum, sic deoperta apocalypsi, & publica reuelatione, compertum est: vocabula enim specimina sunt conceptum, rerumque significatarum natura exponunt. Si autem Spiritus sancti cognitio deficiebat: quî Trinitatis potuit elucere fastigium? Cyrill. Alex. Sanè Cyrillus Alexandr. lib. 14. Thesau. cap. 3. *Sancta Trinitatis*, inquit, *Spiritus sanctus complementum est.* Quomodò absque complemento Trias? Dices non opus vocabulo sanctitatis, si saltim Spiritus Domini, Deive proferebatur. Non bene discutis tertiæ personæ sacramentum. Si non profertur vt sanctus? vtique nec vt Trinitatis persona aperto profertur stylo: sicut, si non credideris, vt sanctum, fides Triadis tibi deperit sic ignaro. Nazianzen. Do pulchrum. S. Gregorij Nazianzeni locum: is ora. 37. col. 2. sic ait: *Si vnum deijcis (audax hoc dicam) ne duo quidem superiori loco colloces. Quæ enim imperfecta Deitatis vtilitas? Imo quæ Deitas, si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideratur? Desideratur enim, si sanctitate careat. Hanc porrò quomodò habere queat, nisi Spiritum habeat?* En Nazianzenus ex sanctitate Spiritum arguit. Non facilis quidem enodatio. Nonne sanctitas essentialis in Genitore, & Genito quantumuis mente præscindas Spiritum ab vtroque manantem? Cur sic curtatur diuinitas, & quasi Spiritum emendicato præscribitur, vt sanctitate polleat, quæ est essentiæ venâ iugiter scaturi? Equidem per bellè. Nazianzenus dum Spiritum tertiam personam intra diuinitatis aulam adstruit in hæreticum, ex sanctitate probat, argutè edocens, quòd, ni agnoscatur vt sanctus, vt diuina persona ignoratur. Ratio est. Nam proprium nomen tertiæ personæ Spiritus sanctus est, illique sanctitas conclamata processionem eius exprimit, vtpote qui procedat per amorem, in quo sanctitas viget. Ambr. Hinc Ambrosius in symb. Apostolo capit. 1. *Genitoris, Genitique sanctitas, Spiritusque*, Cyrill. Alex. Cyrillus Alexand. lib. 3. Thesau. c. 4. in medio: *Sanctus Spiritus dicitur, quia sanctus essentialiter est. Naturalis enim, & viua, & subsistens Dei operatio est, quæ creaturas per suam participationem sanctificabo perficit.* Augustin. Et Augustinus libr. 10. de Ciuit. cap. 29. *Spiritus sanctus est sanctitas amborum.* Igitur si hoc venerabile vocabulum primùm reseratum Mariæ, Trinitatis manifestatio ab illa sumpsit exordium, quæ Trinitatis aula pòst futura, vbi mysterium illud magisterio incarnati Verbi edoceretur. Cyprianus. Quod euoluens Cyprianus lib. de Cardinal. operibus in prologo: *ad hanc rerum adeò profundarum indaginem, nisi incarnati Verbi magisterium accessisset humana decessissent ingenia.*

10. Id fulcitur obuium est. Nam prima sancti Spiritus modulamina concrepuerunt in Maria, Spiritus sancti sacratio, à qua orsa Euangelia hanc suauissimam recinunt cantilenam. Pristinis enim ex Vatibus licèt duæ personæ per sacrorum velaminum cortinam aliquali lucis respersione prodebantur; tertiæ tamen diuinitas vsque ad Virginem publicè ignorata. Vnde & Trinitas densâ caliginis nube tegebatur, donec euangelica Virgo elucesceret. Præclarè Epiphanius in Anchorat. Epiph. *Vna Deitas à Moyse præcipuè annuntiata est: personarum dualitas vehementer à Prophetis prædicata: Trinitas vero personarum in Euangeliis manifesta facta est.* Sed qua voce? Sanè primum solùm cum ordine ad Mariam. Semel ab Angelo: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Deinde ab Euangelista: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Tertiò à Cælite rursus: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* En quàm consonè trifariam exprimitur Spiritus sanctus, vt Trinitas patefacta resplendeat. Ergone Trinitatis reseratio per triplicem Spiritus sancti enuntiationem in Virgine? Meditabar, quod Isaias Isai. 40. cecinit: *Quis mensus est pugillo aquas, & cælum palmo ponderauit? Quis adpendit tribus digitis molem terræ?* Cur ne, si palmum priùs dixeras, tres tantùm digitos appingis? Inhonestam, obtruncatamque manum ad vmbras Deitatis? Equidem pulchrè Trinitatem edocuit, trinoque digito sacramenti abstrusa velamina retexit. Apprimè Isidor. Hispal. lib. contra Iudæos ad Florent. c. 4. Hispal. *Totam Trinitatem in digitorum numerum comprehendens sic prædicat Isaias: Quis mensus est pugillo aquas, & cælum palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ? In tribus quippè digitis Propheta trinam diuinæ Omnipotentiæ æqualitatem sub quadam mysterij lance librauit, & paralitate virtutis cooperationem potentiæ, & vnitatem substantiæ in tribus digitis declarauit.* Sed vide Doctor, quod Spiritus sanctus digitus Dei perhibetur. Huius nomenclaturæ Luc. 11. rationem alibi damus, ex Augustino, & Exod. 8. Ambrosio. Ergone per Spiritus Sancti vocem Trinitatis reseratur arcanum? Sanè Sed Spiritus sanctus non tres digiti, sed vnus est. Verum est. Ast per vnum illum tres reuelantur. An tres digiti per Spiritum sanctum in Maria? Congratulor ingenio Ruperti: sic libr. de operibus Spiritus Rupert. sanct. cap. 15. *Non horruit vterum Spiritus Dei, Spiritus Deus, quia admotis omnibus digitis suis, corporis humani vasculum de illa substantia studiosus figulus perficeret.* Fige tibi illud: *quin admotis omnibus digitis suis.* Vide, Pater quòd Spiritui sancto solùm vnus digitus est, tres totius Trinitatis; quomodò pluralitatem digitorum in Marianum honorem illi præscribis? Graphicè quidem: quippe per Spiritus sancti opificium tota Trinitas in auia virginei ventris resedit: vnde tres digitos admouit, dum pandit Trinitatem. Quia virum non nouit. Spiritus sanctus superuenit pro marito, officium coniugis in vulua sacro spiramine non detrectant. Quæ virum non nouerat, nouit Spiritum: quare opus fuit totam agnouisse Trinitatem.

11. Plenius. Nam Spiritus sanctus, licèt tertius sit ordine originis; quia tamen per amorem procedit, medius inter genitorem, & genitum perhibetur sic gluten dicitur à Bernardo serm. 8. in Can- Bernardus. tic. *Vtpote qui Patris & Filij impetitur habilis pax* August. *sit, gluten firmum, indiuiduus amor.* Sic & *complexus.* Augustinus lib. 6. de Trinitat. cap. 10. August. *Ille ineffabilis quidem complexus Patris, imaginis non*

non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio. Sic *medium*: Epiphanius in Anchorat.col.2. *Spiritus sanctus in medio Patris & Filij, ex Patre & Filio tertius nomenclatura.* Si igitur gluten, complexus, & medium, fibulaque sancta Trinitatis in Virginea illabitur viscera: opus est, vt concatenata, & constricta, secumque ex vnionis indole adhærentia extrema conglutinet in Maria quæ à Spiritu sancto fœcundata omnem sibi deuinxit Trinitatem. In hoc forsan ingeniũ fuit superuentionis Spiritus ad conceptum: vt quamuis à tota Trinitate infans efformãdus esset in vulua, Spiritui sancto officium irrogaretur, qui ex sui processione secum vtramque personam, necessariò trahit. Hinc puto, quod Spiritus sanctus in hac sancta genitura spiritale dicitur semen: seminis enim proprium est secum quasi trahere Patrẽ, cuius est, fœmineoque ventri adglutinare, vt à fœtu, qui gignitur, & à Patre, à quo deciditur, non dissitum censeatur. Vnde per Spiritum sanctũ, qui spiritale semen fuit, Trinitatis nobis contigit cõiunctio. Sic capio S. Damascenum orat.1. de Natiuitat. Mariæ. *Omnis quippe mulieris caput Pater extitit, vt qui filium suum, ac prepotens Verbum, tanquam diuinum, ad spirituale semen emiserit. Propensâ quippè Patris voluntate, ac non ex naturali congressu; verùm ex Spiritu sancto, & Maria Virgine Verbum caro factum est. Etenim Dei cum hominibus coniunctio per Spiritum sanctum efficitur.* Omnem in verbis Damasceni perpende texturam: præcipuè illa: *Præpotens Verbum, tanquam diuinum, ad spirituale semen emiserit.* Id est, non potuit non emittere Verbum, qui spiritale semen emittebat; secum enim traxit & Patris virtutem, & Filium eius ille, qui complexus & gluten vtriusque est. Vlteriùs. Spiritus sanctus Patris, & Filij cognatus perhibetur: quippe qui, licèt non natus, amor est, & vinculum vtriusque. Vnde ad incarnationem missus, vt ad sanctam Trinitatem cognationem necteret cum Maria, Patrisque, & Filij voluntatem Virgini castæ præfigeret in accubitu. Iterum pulchrè Damascenus orat.2. de Natiuit. Mariæ: *Cùm extremis temporibus summus ille Deus præfinitum à se ante sæcula consilium, iuxta arcanam, atque omnis sermonis facultatem superantem Patris, cognatique Spiritus voluntatem, in opus perducere cupiens, ex Virgine, carnali modo prodijt.* Versa illud: *Patris, cognatique Spiritus voluntatem*, videas Spiritum sanctum cognatum appellari. Quomodo Spiritus sanctus cognatus, qui non natus? An quia ex Mariæ vtero, cuius sponsus, cognationem cum Patre & Filio contraxit? Discas mysterium in Maria iam per Spiritum cognatã Trinitati. Vnde quem pater progignit, vtpote Patris Filius, ex Spiritu sancto per Patrem ipsum dicitur efformatus in Virgine. S. Andreas Hierosol. serm. de Deipar. *Qui ex sancto Spiritu per sanctum Patrem inscrutabiliter, dum ante sæcula esset, formatus est infans.* Si per sanctum Patrem formatus perhibetur; vt quid de sancto Spiritu, nisi quia seminis vicem obiit, & Patrem & Filium ad opus suum copulauit? De quo plura infrà.

12. Igitur Trinitas pleno apparatu reserata est Virgini, quæ Spiritui sancto roseum vteri thalamũ, spirantibus virginitatis liliis ornauit. Id fulcio ex Nazianzeno orat.37. audi sic fantem: *Vetus testamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obscuriùs; nouum autem nobis Filium perspicuè ostendit, & Spiritus diuinitatem subobscurè quodammodò indicauit. Nunc verò Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertius declarat*: Contexit rationem: *Nec enim tutum erat, Patris diuinitate nondum confessâ, Filium apertè prædicari: nec Filij diuinitate nondum admissâ, Spiritum sanctum velut grauiorem quandam (si ita loqui fas est) sarcinam nobis ingeri, ne alioqui velut cibis vltra vires grauati, ac Solis radijs hebetes oculos adijcientes, ijs quoque, quibus prædit eramus, viribus periclitaremur.* Mirè Nazianzenus cuiusuis personæ diuinæ agnitioni taxata tempora distribuit, & dispensat: maturius sæculum appingit Spiritus sancti diuinitatis fidei, & collustrationi, quasi cæcutientes oculi, lippientesq; mortalium pupillæ difficilioribus palpebris nequeant illud igniti luminis pelagus intueri: cum totius Trinitatis complementum sit, & vtpote terminus amotis, interioris claustri sinu condatur. Sed vide, quàm retrogado cognitionis stylo Maria processerit in Trinitatis abyssum. Priùs illi Spiritus sancti inspiratur notitia; & quidquid diuinum perstrepit in cœlesti nuntio, totum Spiritus sanctus est. Nonne audis: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Luc.1. Quæ verba plures ex Patribus de Spiritu sancto accipiunt, vt infra probo. Quam spatiosa, quam sapiens mentis, sicut ventris, aula nostræ Virginis est, in qua à difficilioribus doctrina ordinatur, vt Trinitatem velociori capiat intuitu, per Trinitatis complementum incipit informari! Cæteri mortales, imbelles, & ignari, tardiùs Spiritus sancti hauriant agnitionem, quibus ignea lampas tenebra est, monsque fulgurans, scaturientibusque concrepans fulminibus, sicut nigra nox intuitus conturbat commercium. Ast Maria aquileo obtutu radios metitur; ipsi Spiritus sanctus, etiam quà ardor est, vmbra est, & obumbratio: imò, vt Verbum validæ substantiæ fœmina tenella sustineat, priùs Spiritus sanctus penitiori imbuit illapsu, totamque contegit, & obumbrat. Acumen est Ruperti, quod alibi expendo de Operibus Spirit. sanct. lib.1. cap.9. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Vt fortitudinem sustinere posset conceptus sui, virtus Altissimi, id est, idem ipse Spiritus sanctus, spiritus amoris obumbrabit ei.* En quàm dissimilis Mariæ, & aliorum status: in reliquis, ne fatiscant à põdere priùs agnitio Patris & Filij insedit: deinde Spiritus sancti diuinitas habilibus iam mentibus irradiat; Mariæ Spiritus sancti iubar primùm coruscat, vt ocyori lumine illicò pertranseat Trinitatem. Hinc Richardus à S. Laurent. libro 3. de laudibus Mariæ: *Mira illa obumbratio Spiritus sancti, quæ sub vno momento detersit, & exterminauit à Virgine ignorantiam boni.*

Hinc, vt diximus, sensere nobiles ex Patribus quos suo loco aduocabimus, illa verba: *Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, etiam de Spiritu sancto capessenda: sufficiat nunc Eusebius Emissenus in cap. 1. Luc. *Quod autem ait: Spiritus sanctus superueniet in te, hoc exposuit dicens: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hæc enim virtus communis est totius Trinitatis.* Quid est, quod ter geminet Spiritus sancti vocabula, & functiones? Si superueniet, ergo iam veneat: ecce iam semel; imò eccè bis: *Virtus Altissimi*; ecce tertiò: quasi non aliâ periodo velit manifestari. Virgini se Trinitas, nisi Spiritus sancti vocibus constructa. Id Mariæ priuilegium est, non datur alij: guttatim, & stillæ more agnitio Trinitatis contigerat; aliis

[Margin notes: Epiphan. — Damascen. — Damascen. — Andreas Hierosol. — Nazianzen. — Rupert. — Richard. à S. Laurent. — 13. — Eusebius Emissen.]

aliis Pater, aliis Filius ad cognitionem se exhibuerat, vt in Mariam totum pelagus quasi ruptis carceribus exundaret. Stagnum superius, nempè Spiritus sanctus, quod è Patre, & Filio fluenta capit, sese pleno gurgite dat, vt totam Trinitatem vno haustu in pectoris altam abyssum infundat. Pro summa Trinitate Spiritus sanctus Virgini adest. Id suboluit Petro Cellensi de panib. c.21. *A nobis est Virgo, à summa Trinitate Spiritus sancti obumbratio: ab vtraque partium, tam Patris scilicet, quam Virginis Filij Generatio.* Pende illud *A summa Trinitate Spiritus sancti obumbratio:* Quasi Spiritus sanctus, qui finis & complementum Trinitatis est, totius Trinitatis ageret officia. (Petr. Cellens.)

14. Nec tamen ex his coniectare licet solùm tunc in Trinitatis agnitionem processisse Mariam, Spiritus Sancti vocabulum auscultatam: imò iam dudum diutinâ manifestatione se Trinitas Virgini patefecerat. Prona probatio est. Cur ad Spiritus sancti vocem non hæret Virgo, insuetoque stylo anxia significatum non percontatur? Cur non pauet ad insolitum nomen; Sanè Paulus Actor.19. Ephesi discipulis degentibus dixit: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* illi verò, qui Spiritus sancti nomen nondum didicerant, dixerunt: *Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus.* In causa fuit, quod scribit Augustinus lib 2. contra literas Petil. c.32. *Ioannes dedit aquam sine nomine Trinitatis, sicut ipse professus est dicens: Ego baptizo vos in aqua.* Quid, quòd Spiritus sancti nomen latuisset eos, si ex Spiritu sancto nomen Trinitatis inclaret? Ast Maria non quasi ad inusitatum pauet impulsum, sonituque Spiritus sancti perculsa, sciscitatur: imò Angelus cogitantem ex salutationis vestibulo, disquirentemque de conceptu, Spiritus sancti voce & erigit, & solatur, & instruit. Ergo iam nouerat sapiens Virgo Spiritum sanctum: nec nuperâ disciplinâ in Trinitatis mysterium ingressa est. Vernaculus illi stylus, familiarisque dialectus ex Trinitatis vocibus inoluerat, quæ Trinitatis tessellata signaculo ad eius manifestationem formata fuerat. Id cogitabat Cartusianus lib.2. de dignit. Mariæ, artic. 14. vbi fusiùs rem tractat: hæc accipe: *Si de Spiritu sancto veram Maria fidem sortita non fuisset, quod vtique Gabrielem nequaquam latuisset; erat enim in primis de Spiritus sancti fide erudienda ab Angelo, aut certè ipsa quæsiisse debuit, quid de Spiritu sancto sentiendum existeret. Quoniam itaque Maria de Spiritu sancto nec sciscitata est Angelum, nec pro tunc erudita ab eo, elucescit, quod ipsius, imò totius Trinitatis notionem habuerit.* (Actor.19. — August. — Cartus.)

Filius Dei, signaculum Deitatis, se in Maria imprimens, imaginem Trinitatis excudit.

SECTIO III.

15. OB Spiritus sancti sacram opitulationem, vmbram, & complexum Mariam in Trinitatis scholam funditus esse erectam præcedens sectio monstrauit. Nó ignobilior probatio suppetit è Filio, quem viscera virginea genuerunt; & ex compressione, seu impressione illius, qui figura, id est, character, sicut vetus Græcus, substantiæ Patris est, effecta est imago, & sigillum Mater Virgo, à qua genitus, & vectus. En typus Trinitatis Maria ancipiti Filij stylo cælata: habes inscriptam membranam, quæ mysterium edocet, vt addiscas; lege.

Itaque Filius sigillum est, & character Patris Diuini, totam in se exprimens Deitatem, & vt limpida crystallus nullis turbata volutabris, intraneas operationes referens intuenti. Id ex suæ processionis indole habet. Vnde Ambrosius lib.2. de fide ad Gratian. *Imago, & splendor, & character dicitur Dei Filius, quia hæc incomprehensibilem, & inuestigabilem Paternæ diuinitatem maiestatis in filio, & expressam similitudinem reuelarunt.* Equidem à vero tramite discesserunt illi qui docuerunt hominem ad solius Filij diuini similitudinem figulatum, cum & *ad imaginem nostram* dixerit Deus: & Augustinus lib. de Genes. ad lit. Imperfect. cap. vlt. *Non ait, Faciamus hominem ad imaginem tuam, aut imaginem meam; sed pluraliter.* Et S.Zeno: *Non ait ad tuam; sed faciamus ad nostram.* Attamen aliquali luce, singulari attributione, ad imaginem Filij non incongruè efformatus homo dignoscetur, si, vt præmisimus, didiceris in Filio, tanquam in speculo, omnem diuinitatis plenitudinem, Trinitatisque elucere thesaurum. Quare eò quòd imago Filij insculpta fuerit à primordio in homine, non à Trinitatis ablegatur similitudine; sed potiùs pulchro penicillo depicta resplendet, cùm Filius imago sit, & character, forma, seu species, sicut à Patribus passim dictitatur. Pulchrè vtrumque coniunxit S. Cyrillus Alexand. lib.3. de Trinit. *Ad vnam quandam summam simul currunt pulchritudinem, ad quam & nos configuramur secundum scripturas: obsignemur autem per Filium ad filiationem in spiritu. Sic enim imago Filij quidem filiatio, Patris autem paternitas. Vndè Filij per Filium, imago autem Dei, & similitudo. Manifestum autem, quòd nos ad totam principio formati naturam, nempe ad summam.* Difficilis visa est textura verborum Cyrilli. Attamen pro nostro instituto facilis euenit enodatio. Intendit Cyrillus hominem à primordio in totius diuinitatis similitudinem constructum; ac proinde peculiarem cum Filio diuino, qui est imago, & similitudo Dei, affinitatem, & cognationem habuisse; quatenus totius diuinæ similitudinis Filius Altissimi exemplar est. Vnde homo per Filium & Filij imago est, & totius Dei imago, & similitudo. Sic construe illa quæ difficultatem ingerebant: *Vndè filij per Filium, imago autem Dei, & similitudo.* Id est: Si per Filium ad Filij similitudinem obsignamur, qui Dei imago est, consequenter in imaginem, & similitudinem Dei conformabimur. Iam suspicaris, quò tendo. Diuinitatis viuidus character Mariæ visceribus impressus est nouo, & ineffabili cælaturæ modo: ergo omnis diuinitatis imago viuidiori similitudine totam Virginem à Trinitatis lineis reddidit exaratam: & quatenus signaculum, id est, Filium Dei, corporatum possidebat, diuiniori stylo exculta͂ præferebat Trinitatem. Igitur cognitionis illius obtinuit principatum. Præcipuè: nam primigenius Adam, dum ad Dei imaginem constructus, ad Christi, id est, hominis Dei ex Virgine nati, decoratus, & effictus circumfertur. Sic Tertullianus lib. contra Praxeam, cap.12. *Erat, ad cuius imaginem faciebat, ad filij scilicet, qui homo futurus certior, & verior imaginem* (16. — Ambros. — August. — S. Zeno. — Cyrillus. Alex. — Tertull.)

nem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habeat; imago verò Dei, & similitudo. Vtquid circuitus iste: Scopus est Trinitatis imaginem sculpere in homine: cur penicillus ad hominem detorquetur, declinique colorum lapsu hominis imaginem homini appingit: nam si Tertulliano adstipuleris, ad imaginem hominis ex Maria construendi Primigenius eius fit? Equidem sapiens circuitus. Vt firmiùs Dei sculperetur imago, hominis Christi repraesentata natura est, in quo & diuinitatis thesauri, & Trinitatis

Clem Alex. plenitudo renidet. Hinc Clemens Alex. orat. ad hort. ad Gent. *Est Dei imago eius Verbum, & Filius: Verbi autem imago est homo.*

17. An ne ante Mariam hoc supersubstantiali Verbo grauidam, in scopum suum omnipotentia Creatoris collimauit, qui ad imaginem, & similitudinem hominem effingi parauit? Neruosa quidem, sed difficilia sunt praefata Tertulliani verba: *Qui tunc de limo formari habeat, imago verè, & similitudo.* Cur priùs imaginem solam commemorat, deinde adiicit imaginem, & similitudinem? Equidem ad imaginem Dei constructus

Genes. 1. homo perhibetur; *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum.* Curta quidem, & resecta creationis huiusmodi apparet operatio. Dixerat enim Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: non solùm in imaginem, tersam sculpere spoponderat; sed & halare similitudinem, spirantesque lineas appingere destinauerat. Cur sic, dum figulum agit, similitudinem subticet Historiographus, quam Trinitas plasmati suo fuerat meditata? Proh dolor! Vix leuauerat manum opifex à luto, cum similitudinem, qua imbuerat hominem, halitu faeculento, virulentoque toxico serpens desaedauit. Ergo ne verbum Domini non in aeternum manebit? Decipi poterat diuina Sapientia? Si similitudinem promisit: non eludetur. Stabilis mansit intentio decernentis Dei, qui ideò ad similitudinem construere praeparauerat, non solùm ad imaginem, quia homo futurus erat, qui similitudinem illam inconcussâ stabilitate seruaret, & dum repararet imaginem, similitudinem inderet aeternam: homo, inquam, è Virgine natus, in Virgine satus ab ipsomet opifice, qui in primo luto manus illuerat potentes. Similitudo quidem addit super imaginem, quod rectitudo supra rationem. Homo à primordio imago, vtpote rationis, & aeternus: sed per Filium Dei hominem factum similitudo, vtpote iam rectus sectando iustitiam Dei; quod illi per Christum euenit, & in quo Trinitatis operatio reserata clarescit.

Rupert. Id pulchrè Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 3. *Quid tandem est, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, nisi faciamus hominem, qui trinae operationis nostrae in semetipso habeat euidentiam? Ad imaginem videlicet, vt sit rationalis; ad similitudinem nostram, vt sic rectus sectando iustitiam Dei. Seductus perdidit honorem similitudinis; sed facultas rationis in eo remansit.*

18. Ex quo iam liquet Tertulliani acumen in illis verbis, *Ad filij scilicet, qui homo futurus certior, & verior imaginem suam fecerat, dici hominem, qui tunc de limo formare habeat; imago verè, & similitudo.* Eadem fermè lego in Cyrillo Alexand. lib. 3. dialog. de Trinitate. *Sic enim imago*

Cyril. Alex. *Filij quidem filiatio, Patris autem paternitas: vnde filij per Filium, imago autem Dei, & similitudo.* Igitur completa Trinitatis manifestatio, quae praeter imaginem, similitudinem expetit, vsque ad conceptum Virginis protelata est. Vnde euidentiam illam trinae operationis, id est, sanctae Trinitatis, quam stylo suo sic appellauit Rupertus, non tutò, & firmiter vsque ad Virginem emicuisse dignosces, quando in eius vuluâ character, & imago Altissimi, id est, Filius, consitus est, vt statam similitudinem redonaret. Iuuat auscultare Rupertum lib. 2. in Genes. cap. 6. *Erant sancti, erant homines*

Rupert. *iusti, quorum ex praecipuis erat hic ipse Moyses; sed non nisi ex fide, & spe venturi hominis, qui sic ad imaginem Dei, & similitudinem fieret nascendo de Virgine, vt in filios Adae perditam Dei similitudinem refunderet. Proinde ergo cùm scripsisset, dixisse Deum: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, hoc solummodo subscripsit: Creauit Deus ad imaginem suam, vt subaudias, recreaturus aliquando ad similitudinem suam.* Quid pulchriùs, & doctius?

Subtilia omnia sunt haec, attamen si à primordio imago Dei indita fuit homini, negari non potest absque ordine ad Christum Trinitatis specimen enituisse: cùm imago illa duplicis operationis, spiritualisque originis protulerit paradigma. Sed non patiar absque Filio Virginis Trinitatis vmbras: imò sic construo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, id est, iuxta imaginem, vt sic euadat similitudo nostra. Non enim dixit: Faciamus imaginem, sed ad imaginem, nempe iuxta prototypum, iuxta characterem, & figuram substantiae Dei, quae Filius est Patris. Cur sic circuit? Nullus sanè similitudinem cum imagine sortiri conatur, sed cum eo, cuius est imago: imago enim similis est Caesari, non Caesar imagini. Id sapienter Dionysius de diuin. 19.

Dionys. nominib. cap. 9. *Ne homo quidem similis est sua imagini: nam ea, quae sunt eiusdem ordinis, fieri potest, vt inter se similia sint: in causa autem, & effectis non approbabimus reciprocationem.* Metaphysica nimis, & abscondita ratio est ista, qua ductus docet Dionysius, neminem esse similem imagini reciprocâ similitudine, quamuis imago similis picturato sit.

S. Thom. Caiet. Explicat eam S. Thomas 1 part. quaest. 4. art. 4. ad 2. vbi ingeniosus Caietanus. Sat nobis est peritorum vsus, qui, etsi imaginem similem perhibeant: hominem tamen imagini similem neutiquam proferunt. Cur ergo ad imaginem, id est, ad imaginis similitudinem homo effingitur? Sanè quia imago illa substantia est, non fluidis coloribus ducta, non stylo fodicata; sed prototypus semper viuens, totiusque vitae fons, & principium in quo diuinitatis plenitudo ex originis indole refulget. Sed nisi haec imago homo sit, non vtique amussim ad similitudinem huius imaginis attingit homo, si & corporea lineamenta, & rationalia fila non inessent prototypo. Igitur ad imaginis similitudinem viuidus limus construitur, scilicet ad similitudinem Virginei Filij, Dei & hominis, ab exordio inter humectatas glebas Trinitati obiecti, vt Trinitas imprimeretur in limo. Nonne hùc omnis praedestinatio nostra tendebat? Consule Paulum ad Rom. 8 versic. 29.

Rom. 8. *Quos praesciuit, & praedestinauit conformes fieri imagini Filij sui.* Hùc aduoco Origenem homil. 1.

Origen. in capit. 1. Genes. *Quae est ergo alia imago Dei, ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, nisi Saluator noster, qui est imago Dei, & misericordia motus pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat, imagine hominis assumptâ venit ad*

eum? Assumpsit à Virgine. Igitur in Maria & similitudo, & imago, imaginisque similitudo & obuisuerunt sibi: & quidquid ad Trinitatem explicandam conducere poterat, fœcunda vulua copulauit. Sed de hac imagine, & similitudine, & de præfato Pauli loco infrà plenius disseremus.

20. Cant. 1. Hinc lucem venatur vestibulum illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino.* Quid ex labiorum suauio concitauit Amasiam, vt festinà amoris vi perrexerit ad vbera? Ex ore graditur ad vberum pondus, lacteumque nectar sugere gestit? & tamen os ori Sponsi figit, osculumque ambiens, mammulatum irrigari succo desiderat. Noueris amoris ingenium. Non rogat sponsum, quod labris, oreve osculetur; sed quod osculetur osculo oris sui. Insolitum suauiũ exquirit, scilicèt, quòd osculum ab ipso osculo imprimatur: vel cupidine madida, amorisque inebriata vino desipuit in voce; vel grande mysterium præsignauit. O sapiens Sponsa! O terque, quaterque sapiens Maria! Huic te deuoues sapori; non iam vt sopotata recubes sub dextera Sponsi; sed intra thalamum, omnem tibi Trinitatem inducere solicitas. Tria ingeniosè experit, tria memorat, os, osculum, & cuius os est: quin & quòd osculetur, non ore, sed osculo. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*: ex quo illicò descendit ad vbera, quasi iam lacte turgeant post pressi osculi commercium. Igitur Spiritu sancto foueri, attrectari, quasique stringi, & irrigari, tanquam ab impresso expostulat suauio, vt sic cum ore Patris, nempe Filio, in vna carne cognationis gaudeat contubernio. Quæ in osculo exigit osculum, supponit osculum esse quid subsistens; dumque ab ore figitur, non fluido impulsu transire, sed personæ stabilitate manere: ergo Spiritum sanctum exoptat, qui osculum Patris, & Filij est sicut & communio, coniunctioque. Augustinus (August.) serm. 38. de temp. *Spiritus sanctus communio est Patris, & Filij*, quem nuncupat Epiphanius (Epiphan.) hæres. 62. *vinculum Trinitatis, & signaculum confessionis*: ideò osculum non insciè potest appellari; quippe suauium, complexus quidam est cum fruitione, charitate, & gaudio: totum autem hoc Spiritui sancto conuenire docet Augustinus (August.) l. 6. de Trinit. cap. 10. *Ille ineffabilis quidam complexus Patris, & imaginis, non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio.* Quòd autem ab ore Patris per Verbum Filium eius hoc osculum sit, & maneat, scitum est ex illo Psalmi 32. (Psalm. 32.) *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Itaque oris insinuationem ad carnem concupiebat Amasia, Verbi scilicet Dei incarnationem, quum osculo id est, Spiritu sancto, contrectari, insuperque imbui gliscebat. Ex quo statim complens desiderium, factamque sortita fortunam, audiuit à Sponso: *Meliora sunt vbera tua vino*: iam vterus tumet, iam sinus granidatur: ex celeritate fœtus ad vbera lacteus fons ascendere meditatur. Ergo ex vtero fœto è Filio Dei osculum, os, Paterque, à quo os, & osculum procedit, in Maria imprimitur, & æterna expressione cuditur; vtpote in qua ad imaginem consequendam, quæ Filius Dei est, similitudo, quæ in Spiritu sancto iuxta Rupertum elucet, consedit: ac proinde toti Trinitati adsimilata resplendet. Hùc compello Gersonem (Gerson.) tract. 2. super Magnificat col. 9. *Hæc est species, & imago pulcherrima, & conformata, & adsimilata diuinæ Trinitati, quæ per gratiam est ipsum, quod Deus per naturam. Exultabat ad hanc adsimilationem pertingere spiritus Mariæ, & æstuans assiduè desiderio Sponsi sui: Osculetur me osculo oris sui. Quid quæris, ô Beata? Quid osculum Sponsi petis, ô Benedicta? Quid est illud osculum, nisi Spiritus sanctus, qui vtique superuenit in te, quando virtus Altissimi obumbrauit tibi; imò iam præierat; nec postmodùm recessit à te, quia Dominus semper tecum?*

Ideò forsan Filius Dei carnem assumpsit? non Pater, non Spiritus sanctus. Quid in hunc delectum supernam Sapientiam arripuit. Nonne creationis opus Patri diuino attribuitur, qui testam contrectans, animosoque spiritu imbuens, Trinitatem ad figulinam aduocauit, vt humanæ structuræ opifex adesset, imaginémque indueret, quam posteà spiraret limus? Si liturnæ imaginis pernicies reparatorem expetebat: cur non plasmator totus descendit, cui plasmatis irrogatur molimen. Profectò si Trinitatis effigies recreanda, & instauranda erat, omnis Trias carnem sumptura videbatur: vt apriori stylo sculperetur imago. O sapientię inæstimabile sacramentũ! Cõfusionis periculũ imminebat, si Trinitas hominẽ adsumeret. Deligitur persona illa, quæ omnẽ exprimit Trinitatẽ, quę character, & imago Patris est, & ex cognitione Trinitatis procedit: vt & imaginẽ Triados homini rederet, & omne confusionis periculũ arceretur. Hęc Verbum Dei est. Sinũ subit Virgineũ, moreque Verbi possidet incorruptum, illique characteres adfigit, quibus ex impressione sui Trinitatis imago redonetur, & incommutabili securitate perseueret. Hæc energia est in S. Fulgentio (S. Fulgent.) de fide ad Petrum lib. vnico c. 2. in fine: *Trinitas enim nos sibi reconciliauit per hoc, quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit. In quo sic veritas incommutabilis manet humana, diuinaque natura, vt sicut vera est semper eius diuinitas, quã de Patre incommutabilem habet, ita vera semper, atque incommutabilis sit eius humanitas, quam sibi vnitam summa diuinitas gerit.* Expende illud: *Per hoc quòd solum Verbum*, vtpote quia solum Verbum ex suæ processionis indole omnem exprimit Trinitatem, Si per Verbum Dei è Maria genitum tota Trinitas reconciliat hominem, in vtero Mariano vestiga imaginem, quam perdidisti? in hac nube quasi vestigium hominis inueniens, effigiem pristinam venaberis Trinitatis. Nec Pater, nec Spiritus Sanctus ab hoc vtero procedit vt proles; sed quia virgineus est: quia sibi Verbum conciliauit, omnis inibi resplendet imago. Mira Mariæ dignitas! vt illam tota Trinitas incoleret, Verbum vterum implet, quod omnem diuinitatem repræsentat: vt Pater, & Spiritus sanctus, si non susceptione, saltem impleret maiestate. Comprè Damian. (Damian.) serm 43. de S. Victore col. 2. *Pater enim, & Spiritus impleuerunt quidem Virginem; sed maiestate, non susceptione.* Quid est *maiestate impleuisse?* Meditor, originem hac voce significari Verbi Dei, quod in splendoribus sanctorum gignit Pater, quodque splendor innascitur gloriæ, omniaque portans verbo virtutis suæ, speculum est sine macula *Dei maiestatis*. id est vt volunt plures, nosque infrà discutiemus, *Dei inoperationis* scilicet operationis ad intra, & geminæ emanationis, quæ ad constituendam Trinitatem in Deo est. Igitur quòd Pater, & Spiritus impleuerint vterum maiestate, id innuit, quòd Verbum ex vtero hoc gignitur, in

illo

filio exhibens & Patrem, à quo procedit, & Spiritum sanctum, qui ab vtroque dimanat.

22. Hinc omnis Trinitas spondetur solum Filium Virgini concepturæ. Quàm fabrefacta Gabrielis oratio! Mariam allicere tentat ad assensum, Filium promittit Dei, & Deum esse pronunciat; & tamen quasi inopinata parenthesi totam ad eloquium accersit Trinitatem. (Luc. 1.) Non te mouit circuitus iste: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* (Andr. Hierosol.) Andreas Hierusol. de laudib. Mariæ col. 10. *Vide, qualiter Trinitatis manifestetur mysterium: Spiritum enim sanctum dicens, non alium, quam Paracletum dicit; per virtutem verò Altissimi, apertè Filium innuit: nam voce hac Altissimi, Patris infertur persona.* (Tit. Bostr.) Titus Bostrensis in cap. 1. Luc. *Obseruare autem hic licet, quomodò, dum Spiritum sanctum, virtutemque, & Altissimum nominat, totam sacratissimam Trinitatem Virgini patefaciat.* Id & alij adnotarunt Patres. Sanè si nuntium medullitùs introspicias, casu, & solùm occasione nactâ, dixeris hæc verba Angelum protulisse: non illa ante nuntium meditatus est, cùm præsagire nequiret, quid Virgo esset responsura. En syncerè è vestigio, legationis causam proposuit. *Ecce concipies in vtero, & paries Filium & vocabis nomen eius Iesum, &c.* Ergo quòd inopinò longam texerit seriem Trinitatis, Mariæ responsio in causa fuit. Illa pudicâ luce perfusa, vota retegit virginitatis, seque puritati deditiam conclamat. Ille tunc à sæculis absconditum sacramentum, nempe Trinitatis arcanum, non nuntium agens; sed expositorem, ostendit, eo artificio, quòd & Virgini satisfaceret, & euulgaret mysterium. Ea ratiocinatio est. Te Virginem conclamas, dum fœtum tibi polliceor; ecce in Filio hoc omnis tibi panditur Trias ergo Filius Dei est, diuinique intellectus incommutabile Verbum: eo ipso quòd oritur, exprimit Trinitatem Mihi crede, Verbum Dei est, quod vt concipias, totam ante oculos tibi Trinitatem objicio, & auribus indo: ergo gignes virgineè: hic mos generationis Verbi est. Quanta Marianæ virginitatis celsitudo, quæ in supremam Theologiam impulit Gabrielem! Quanta cum sanctâ Trinitate cognatio hæc? Nisi sese obiectet Trinitas, virgineasque suas emanatione proponat, generare recusat. Meditor, quòd exinde nunquam Christus se Filium Dei manifestat, quin sanctæ Trinitatis maiestate circumdatus. Consule Iordanem, cuius aquas ad Baptismatis gratiam lauaturus, (Matth. 3.) sese lauandum subdidit Baptistæ. Columba subsidet in vertice, vox Patris tonat è nube: (Matth. 17.) nulla defuit apparatui persona. Verticem Thaboris ascende; tactos à luce scopulos interroga: nubes lucida ambit Christum, reboat vox Genitoris: vtrobique in ore trium stat Verbum Dei nostri, testimonioque Trinitatis Christus censetur. Quid causæ? Forsan, quia sic ab exordio in Matris vtero incarnationem fuerat auspicatus, vbi Trinitatis manifestationem Mariæ Virginitas promeruit: quare primam, quam in generatione Christus indolem hausit, in vtraque regenerationis exhibet specie, scilicet in baptismate, & gloriâ. Nunquam absque Trinitate Christus, quem ex Trinitatis voce incarnatum Virgo concepit (Anselmus.) Anselmus in Matth. cap. 17. *In Baptismate Christi operatio totius Trinitatis ostensa est. Fuit enim ibi Filius incarnatus: apparuit in specie columbæ Spiritus sanctus, & Pater in voce fuit ibi declaratus. In Transfiguratione enim, quæ sacramentum fuit secundæ regenerationis, similiter tota Trinitas apparuit: quia in voce Pater, in nube Spiritus, in carne Filius. Benè conuenit mysterium secundæ regenerationis cum mysterio primæ* Cui non & cum generationis mysterio, in qua Trinitatis insonuit maiestas? Regeneratio in spiritu à Dominica generatione in carne sumpsit exordium: exinde cœpit homo nasci noua creatura, nouum figmentum, Ideò in Iordane, & in Thabor per visibiles species Trinitatis inclaret disciplina: quia inibi regenerationis vtriusque auspicia formabantur, & appositâ consonantiâ ad carnem ex Maria generationem respiciebatur, in qua per vocales species ab Angelo constructas se Trinitas virgineis auribus explicuit.

Maria, ex venusta analogia, Notio & *disciplina Trinitatis.*

SECTIO IV.

CHARACTER, insigne, & nota, quâ vna persona ex diuinis ab alia discernitur, NOTIO à primis Theologorum luminibus nuncupatur: est enim propria ratio cognoscendi diuinam personam, sicut definit S. Thom. 1 p. q. 32. art. 1. Nec vox noua est, blaterant Transiluani apud Bellarminum lib. 2. de Christo cap. 2. nota enim fuit à Basilio lib. 2. contra Eunomium. 23. (D. Thom. Bellarm. Basil.) *Proprietates*, inquit, *declaratione* NOTIONUM *tanquam lucem animis nostris imponentes, ad comprehensibilem mentibus intelligentiam ducunt. Nam cùm vna Deitas sit, impossibile est propriam* NOTIONEM *Patris, vel Filij capere; nisi proprietatum accessione cogitatio nostra confirmata sit.* A Gregorio Nysseno lib. de different. essent. & Epiph. hæres. 73. Cyrill. Alexand. lib. 1. Thes. cap. 5. Iustinio in exposit. Fidei de Trinit. (Nyssen. Epiph. Cyril. Alex. Iustin.) Necessitas impulit his mentem rationibus manudici, vt in vna Deitate, personarum discrimina introspiciat. Radix huius vocabuli in Scriptura est, Ioann. 8. *Ego autem noui eum*, Matth. 11. (Ioan. 8. Matth. 11.) *Nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Si Maria gignens Filium Dei, Spiritus sancti superuenientis flamine circumfusa, virtute Altissima obumbrata, insignia nobis, & notas diuinarum inspirat hypostaseon, lucémque animis nostris imponens, ad comprehensibilem mentibus intelligentiam ducit; nonne absque iniuria quinque notionum, quæ solent à Theologis circumferri, stratâque ex Maioribus nostris sanctione firmantur, poterit aliquali analogiâ, esto non rigorosâ, censoriâque fronte, NOTIONIS similitudine nuncupari, quæ vna cùm sit, totam nobis exhibet Trinitatem? Profectò apud Cyrillum Alexand. suprà cap. 6. NOTIO *perfectionis fœcunditas est.* En in Virgine nostra fœcunditas erga Filium Dei generandum, generationem propalat æternam; genitorem, genitumque vtero virgineo commendans? dumque absque viro concipit, soboles illa genita Patrem in cœlestibus habere manifestat: quare NOTIO Patris statim mentibus arridet. Sic pulchrè Epiphanius suprà: *Etiamsi solum Patrem nominemus, habemus in*

nomine

nomine subintellectam NOTIONEM *Filij: Pater enim, Filij Pater dicitur. Et si Filium solùm nominauerimus, habemus* NOTIONEM *Patris: quia Filius, Patris Filius dicitur.* O Virgo Virginum arcanæ Trinitatis speculare iubar, per quod abdita reuerberant personarum signacula, & proprietates!

24. Filius Altissimi in vtero Mariæ consitus absque extero, humanoque sodalitio, thalamique iugali consortio, originem à Patre superno præsignat; Verbique Dei notam, & insigne, vtpote more Verbi, incorruptam intrans, & linquens vuluam genitricis. Annè & in vtero Spiritum sanctum spirat? Equidem omnis operatio ad intra, quæ in originibus sita est, officiosâ diuinitate intra Mariæ sinum exercetur, vt ibi notas quæras, personarúmque signacula ex diuinitatis beneficio in Virginis almæ officinâ reposita. Præclarè

Bern. Sen. S. Bernardinus Senens. tom. 1. serm. 61. cap. 8. *Reperio in Rege nostro Iesu duas dignissimas dignitates, videlicet quod sit æternus Deus genitus ab æterno, & æternum Deum producat, eò quod Spiritum sanctum spiret, & ipse clausus in Virgineo vtero in æternitate à Deo Patre Deus generabatur æternus, & in eadem æternitate idem ipse puer in ventre Matris Deum spirabat, & producebat.* Alibi fruar hoc loco, qui illustris est: nunc solùm vtor. Energia subtilis est in Bernardino. Si Deus est à Patre superno vnigenitus, infans, qui in vtero virgineo baiulatur, quid nouitatis nobis offert Seraphicus hic, quòd Spiritum sanctum etiam in vtero Matris spiret? Pulchrè quidem ponderauit pro Virgine. Spirat sanè, vbicúmque Filius est, Spiritum sanctum; attamen in eo quòd singulariter in vtero spiret, quasi iugem Spiritus sancti missionem ad Virginem denotat, qui iteratò absque intercapedine insidebat in vtero. Imò, quia semel missus, nunquam amissus, Virginem incoluit: inibi dicitur spirari ob scaturientes charismatum fontes, qui in viscera sacra influebant: ne si ab extra spiratus accederet, diuinæ innasionis continuitas aliquando intercipi putaretur. Meliùs. Ideo in vtero Virginis Filius Dei, humanus pusio, Spiritum sanctum datâ operâ spirat, vt vterus diuinarum processionum aula fiat, & officina, & per vtriusque procedentis emanationem Maria sacrarum hypostaseon NOTIO videatur. Igitur dum Mariam suspicis notionem Dei intueris, quæ eruditus rimaberis sacramentum.

25. Iam teneo Augustinum, cùm FORMAM DEI Virginem appellabat. A voce literarij vulgi hanc vocem mutuemus, nouáque redonemus luce. Tritus locus est Augustini sermo 83. in Assumpt. *Si*

August. *cælum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis: si formam Dei appellem, digna existis.* Torquet non ignobiles animos, quid est, quòd forma Dei sit Maria? Imò cùm in forma Dei esset Filius Dei, formam serui accepit in Virgine satus. Ex præfatis mirè hoc discutitur attributum, veritásque admodum irridet nouitati. Forma in hoc, quod versamus, instituto apud Theologiæ primores NOTIO est, seu proprietas personæ: sic vo-

Tertull. cat Tertull. lib. contra Prax. cap. 2. *Tres sunt non substantiâ, sed formâ: nec potestate, sed specie. Quia vnus Deus, ex quo & gradus isti, & forma, & species, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus*

Basil. *sancti deputantur.* Basilius lib. 2. contra Eunom. *Proprietates, & notæ, quasi characteres quidam, ac formæ in substantia inspectæ distinguunt, quod commune est appropriatis characteribus.* Quin &

apud Ciceronem forma NOTIO est: sic lib. 3. de officiis: *Explica, & excute intelligentiam tuam,* Cicero.
vt videas quæ sit in ea species, & forma, & notio boni viri. Igitur dum Maria FORMA Dei appellatur, id nobis intelligendum suggerit, quòd NOTIO sit, seu ratio cognoscendi personas, quæ in Deitate subsistunt. Et quidem appositè, & non absimili stylo sic dignoscitur appellanda. quæ ex virginitate obiectâ occasionem dedit Deitati exprimendi venerabile Spiritus sancti vocabulum, virtutisque Altissimi, & Filij Dei. Et sanè, si ipsam formam carne vestiuit, vtero adiciuit, implicuit visceribus, quid quòd ex contrectatione, & adhæsione sigilli, formæque Dei, quæ Filius est, eadem forma redderetur, quæ omnem exprimeret Trinitatem? Certè Basilius epist. 45. ad Gregorium Basil.
Nyssenum sic de Filio fatur: *Filium formam esse dicit Apostolus hypostaseos, non in proprijs, sed in Patris indicijs, ac* NOTIONIBUS *designatū.* Sensus est, quòd Filius forma Patris, & notio sit, non solùm sui: quatenus in cognitionem Patris, mentea prospectantes Filium, immittit, omniaque Patris indicia, & notiones ab hac forma, quæ Filius est, dispalescunt. Ergo si hæc forma intimiori, penitiorique impulsu sese Mariæ ingessit, & quasi ferruminauit, qualis, putas, agnitio superni Genitoris, sanctique Spiritus pios oculos Virginem inspicientes illustrabit?

Forma differt à formato, sicut simplex à com- 26.
posito. Gen. 2. *Formauit igitur Deus hominem de li-* Gen. 2.
mo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Si spiraculum hoc anima rationalis est, eademque forma, qua informis limus animosis spiritibus insurrexit; quomodò ante spiraculum vitæ formatus præmittitur homo? An quia peiùs exanime simulacrum, decoratumque figmentum, ad hominis formam, & figuram effictum præcessit, formatus homo ante vitæ spiraculum perhibetur? Ne homo forma ipsa putaretur, tot formæ ad hominem compingendum præcessere: forma aquæ, argillæ, limi, figmenti, denique rationalis forma infusa per artus in animam viuentem concitauit; & quasi parum id esset, ad formam, imaginem, & similitudinem Trinitatis sic homo constructus euasit. Ast paruo interstitio à forma decessit, deformis periit, infraque formæ altas cælaturas auulsit. O tot formis perpolite lime, quàm subitò sub nigro squalore vilescis! Qualisne medela? Ipsamet forma non formata descendit, simplex in compositionem subintrat, Verbum Dei homo fit: & quia compositus homo, fatiscente limo, in puluerem confractus fuit: ne compositionem causaretur, forma simplex, subsistensque diuinè, formationem subiit in Maria, vt speciosus formâ præ filiis hominum perseueret, & ad imaginem cælestis Trinitatis terrenum reducat Adamum. Iam forma, & formatus vnus est in Maria; iam stabili securitate imago Trinitatis elucet in homine, siquidem forma carni impressa virgineæ, nunquam deleri potest, aut infringi.
Rupertus de operibus Spirit. sanct. lib. 1. cap. 15. Rupert.
Hoc ergo formatum, & forma differt, quod forma simplex solus Deus est; formata verò cætera: quorum sine dubio potissimum homo est. Igitur primus ille Adam homo tantùm, formatus tantùm; hic autem formatus, & ipsa forma: vnde & formosus dicitur. Pulcherrimum hoc huius Spiritus sancti opus est, formam Domini formato coniunxit homini coniunctione sempiterna, coniunctione indissolubili, ita vt forma & formatus, vnus sit formosus.

Quid

Quid formosius, & floridius? Ab Spiritu sancto superueniente in Mariam, in vtero sacro formā, & formatus, Deus & homo, vnus formosus est Christus Iesus. En cur Maria forma Dei: bis quidem forma, & quia formatum edidit in forma serui, & quia Filium, qui forma Dei est, in sinu corporauit, virgineéque enixa, formam Deitatis ostendit in puerperio.

27. Chrysol. Formam, siue notionem Dei habes, agnosce. Communis locus ille Chrysologi nos solicitat serm. 140. *Quantus sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Nunquam satis energia Chrysologi expensa est. In Deo non quantitas molis, sed virtutis est. Virtus generatiua Patris nondum quasi experimento publico innotuerat, quousque virtus Altissimi Virginem obumbrauit. Igitur quantitatem illam virtutis Paternæ nemo præualet prægustare, satisque introspicere, nisi propiùs accedat ad Virginem, hac virtute fœcundatam, quæ Deum, & hominem paritura, priùs concepit mente, quàm corpore. Itaque, qui animum huius Virginis non stupet: stupidus, & ignarus, à cognitione genitoris & geniti sequestrari necessum est. Vlteriùs *quantus* in sua significatione apud Latinos refertur ad numerum, ad pondus, & ad mensuram, sicut apud Græcos Πόσον, quam vocem pluries ad numerum sciscitandum vsus deligit, frequénsque est inter emptores, & conductores: nam *Quanti* pro quanto pretio frequens est, vt apud Terentium, *Quanti emis? Viginti minis.* Xenophon. Pæd. 3. Πόσου ἂν πρίαιο ὥστε τὴν γυναῖκα ἀπολαβεῖν. *Quanti redimeres uxorem?* Imò Πόσον, etiam absque verbo adiuncto, sic solet efferri, vt interroget de numero nummorum. Sic apud Athenæum lib. 6. Πόσου ὁ λαβράξ, respódet piscator δεκ᾽ ὀβολῶν. Quin Πόσος significat *quot*. En igitur mentem Chrysologi: non inquit, *quis sit Deus* satis ignorat; sed *quantus sit Deus*, id est, quot personæ in diuinitate sint, qualis numerus intra vnam Deitatem? Quòd enim numerus personarum in sancta Trinitate sit, communis censio Patrum est; vnde Damascenus lib. 3. de fide, c. 5. *Tres hypostases superna Trinitatis inconfusè vniuntur, & indiuisibiliter discernuntur, & numerantur, & numerus diuisionem, distantiam, alterationem, aut sectionem non inducit.* Quòd autem hic numerus quantitatem significet, discretam scilicet ex distinctione personarum, subdit idem Damascenus inibi: *Numerus non diuisionis, aut vnionis causa est; sed eorum, quæ discreta sunt, quantitatis significatiuus, siue vnita, siue diuisa sint.* Quare *numerum Trinitatis* dixit Tertullian. lib. contra Prax. c. 12. Anastasius Synaita lib. 1. de rect. fid. dogm. Theodoretus in Genes. q. 19. Quin numerus cum non multiplicet Deitatem, sed personas; perbellè dixit Chrysologus: *Quantus sit Deus satis ignorat*; quot sint in vna Deitate hypostases non callet. Quisquis sanctam Virginem attonito stupore suspicit, vterum eius pudicum consulat, ibique genitum à sæculis adorans, Genitorem obuiâ luce vestiget, & ab vtroque subsistentem amorem intraneâ reciprocatione eiaculatum rimetur. Quòd numero Deus impare gaudeat: quòd Trinitatis numerositas in Deo subsistat, Mariana Trinitatis schola docet.

Terent.
Xenoph.
Athen.
Damasc.
Tertullian.
Synait.
Theodor.

28. Luc. 1. In idem fermè recidit, quod meditor ad illa verba virginei cantici: *Magnificat anima mea Dominum.* Tritum est illud Origenis, & per compita sonat, quòd Virginis animus virtutibus excultus, sanctis operibus saginatus, adeò excreuit, quòd quasi excrescere in sua similitudine fecerit Deum, vtpote quia amplior Deitatis species debuit ex grandiori animo, in quo diuinitatis imago causa est. Alibi strictiùs premimus hoc. Mariam magnificare Deum intellige, quia illam magnitudinem, quæ iuxta numerum Trinitatis indiuise in tribus personis inclaret, explicuit ita, quòd quisquis curtum, solitarium, infœcundum, nec intra se fertili numerositate locupletem censuerit ignarè, & insipidè Deum; si Mariam vsquequaque medullitus contempletur: quasi excrescet porrigetque se illi diuinitas, exhibens magnitudinis thesaurum, vberémque numeri quantitatem, quæ illibatâ Deitatis vnitate dicat Deum, & impinguat. Ideò igitur magnificat Maria Dominum, quia magnus Dominus in ciuitate Dei nostri, vtpote in qua gloria emicat Trinitatis, & Deus qui vnius subsistentiæ putabatur, exæstuans, & exuberans erga cognitionem mortalium per tres subsistentias exundat, & emarginat littus illud, metámque, quam mortalium cognitio præscripserat accepta à creatione rerum, quæ, vt solet proferri, non Deum vt trinum; sed vt vnum spectat. Richard. à S. Laurent. aliquid odoratur lib. 2. de laud. Virg. partic. 1. explicans, cur Deus magnus in Maria: *Quarta*, inquit, *quia per ipsam, & in ipsa & ex ipsa augetur gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Vnde Magnus Dominus licèt in omni creatura sit, tamen nominatim dicitur magnus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, quæ est Maria.* Ideò forsan dicitur *magnus nimis*, quia magnus declaratur in Virgine iuxta numerum personarum, qui ex nimiâ fœcunditatis exuberantiâ, & erumpente plenitudine Deitati inest. Ex quo Verbum Dei à corde Patris dicitur eructatum, ea emphasi, quòd quasi ab infimo, æstuantique per nimiam plenitudinem ructetur Patre; sic ex vasta voragine gurges æstuans omnem eructare arenam dicitur apud Poëtam lib. 6. Æneid. Ex eo venit apud Theologos paræmia illa, quòd Deus non ex necessitate, sed ex fœcunditate Verbum progignit. Hæc igitur omnia magnitudo, poténsque vbertas Deitatis, in ciuitate Dei nostri, quæ est Maria, apparet. Ideò *magnificat* Deum, vtpote in hoc granditate, & affluentiâ cognitionem eius hominibus manifestans, dum carnem Deo exhibuit, molémque quantitatis dedit, ob quam quantitas virtutis, quæ in diuinis personis est, innotesceret. Id fermè suboluit August. tom. 10. serm. 81. in Assumpt. *Quærendum est, quid sit magnificare Dominum: nec enim magnus fit à creatura Creator. Sed sciendum nobis est, duobus modis dici magnificare; id est, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnum admirari. Magnificatur enim Deus à nobis, cum magnificari dignatur à nobis. Sed nunquid sic in nobis, sicut in B. Maria eandem carnem assumpsit pro nobis? Aue, inquit ad eam Angelus, gratia plena, &c. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* En apud Angelum pro magnitudinis argumento applogitur filiationis diuinæ innocatio, & agnitio. En apud August. ideò magnificat Maria Dominum, quia magnus Dominus fit in illa, vtpote quia cognoscitur vt Altissimi Filius. Ad eandem lineam versauit eadem verba Euseb. Emiss. in cap. 1. Luc. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Ipse enim, qui secundùm se semper magnus est, tunc apud homines magnus factus est, quando ab hominibus est cognitus, quem Petrus Apostolus in persona totius Ecclesiæ, Altissimi Filium vocauit dicens: Tu es*

Richard. à S. Laur.
Virgil.
August.
Euseb. Emiss.

Filius

Filius Dei vini. Ergo quia Filius Dei noscitur ex Maria, ex quo prompta succrescit cognitio in genitorem? ideò quasi pressa illa, & complicata Deitatis magnitudo, quæ in vna tantùm putabatur hypostasi, euoluitur, & laxatur: ac proinde subtili stylo magnificari dicitur, sicut magnificatur anguis, qui se protendit, & explicat absque vllo incremento sui, diluitque gyrum, orbemque diluit, in quem antea se contraxerat, & collegerat.

29. Itaque facilè coniectabis in Maria aliqualem cum sacris diuinarum personarum notionibus similitudinem enitêre. Id altiùs nobis infigatur. Scire non tædeat, quòd notiones istæ, proprietatumque rationes in abstracto significentur, vt S. Thomas. aduersus Præpositiuum apud S Thom. 1. p. q. 32. Hilar. artic. 2. solet disceptari. Hinc Hilarius lib. 9. de Trinit. in med. *Vnigenitus Deus ex perfecta, atque inenarrabili natiuitate subsistens Deus est, & vera progenies innascibilis Dei est, & incorporalis naturæ generatio incorporalis.* Ex quo liquet notiones ipsas obiectiuas, esse veluti proprias formas personas constituentes, & distinguentes. Quale, rogo, huius mysterij illustrius indicium, & lucidior adumbratio, quàm Maria; in qua abstracta loco concretorum efferuntur in re omnino simili, scilicet in generatione diuinæ personæ? Suffragium ferant Patres, qui è diuinis originibus, characteristicisque proprietatibus stylum in Virgine nostra Fulgent. mutuarunt. S. Fulgent. in serm. de Epiphania *Moritur ergo sicut vnus, & quidem quem Deum hominem concepit fides Virginis, & Deum hominem* S. Leo. *peperit fœcunditas virginalis.* S. Leo serm. 8. de Natiuit. *Vt in vno Dei, atque hominis Filio, & sine Matre Deitas, & sine Patre esset humanitas: simul enim per Spiritum sanctum fœcundata virginitas sine corruptionis vestigio edidit, & sui generis sobolem,* Damian. *& suæ stirpis auctorem.* Petrus Damianus opusc. 33. c. 4 *Flecte rebellem, suspice contumacem; nec tua pietas respuat delinquentem, cuius intemerata virginitas peperit vitæ pietatis auctorem.* Alibi consectam alia: nunc sat sunt hæc, vt didiceris stylum sacratum proprietatum, atque notionum ad cognatam Trinitatis Mariam accersitum; ne oculos à maiestatis inconcusso lumine perstringas, sed tuæ Virginis suffultus obiecto, humili pupillâ audeas in obtutum.

30. Mariana Virginitas in abstracto significata, vt vidisti, diuinarum proprietatum, & hypostaseon gaudet idiomate: illi enim generatio, & natiuitas attribuitur parili stylo, ac in notionibus circumfertur, licèt non pari causâ, cum compositio creaturæ obsistat. Imò dum ipsamet Maria hanc virginitatem nouit, ante oculosque obuersantem intenita est, in Trinitatis mysterium oculos eius arripuit Angelus, quasi notio virginitatis fœcundæ, diuinarum personarum notio fieret. Equidem Dionys. S. Dionysius de diuin. nominibus cap. 13. sic fatur: *Nulla monas, aut trias, nec numerus, nec vnitas, aut fœcunditas, nec quidquam aliud eorum, quæ aut sunt, aut cognita sunt; arcanum illud summa, omniáque superantis diuinitatis, quod rationem omnem, mentemque vincit, enuntiat.* Dionysius omnem abigit creatæ cognitionis intuitum, naturalibus suffultæ subsidiis. Illud me acuit; *nec vnitas, aut fœcunditas.* Ergone nulla fœcunditas supernam virgineæ Triados fœcunditatem ostendit? En noua fœcunditas Mariæ inest, quæ & Vnigenitum à sinu Patris rapuit, & arcanum sæculorum euulgauit. Agnouit, & obiicit suam virginitatem Gabrieli astill e reciproco nixu, & conatu Trinitatem Virgini obiectat: vt in ea virginitate fœcunditatem perscrutaretur, ex cuius contemplationis ope in sinum Patris sese proueheret, Verbumque sibi deprædaretur. Ergo ex notione sui in Trinitatis notionem assurgit Virgo. Fruere S. Bernardino Senens. tom. 3. serm. 5. de con- S Bernard. Senens. sensu virginali, artic. 2. cap. 1. *Per noctem contemplationis super splendentem caliginem intellige, in qua nocte hæc Virgo surrexit, & apice affectionis in æterna se sustulit, Verbum de sinu Patris rapuit, omnique creaturæ suum auctorem, & Principem restituit.* Mira pennarum velocitas. Nonne audis ex contemplatione, intraneæque diuinitatis intuitu, quasi practico, & effectrici, in Trinitatis solium euectam rapuisse verbum, in molli recubans culcitrâ Parentis, sinuique corporandum, hominibus agnoscendum dedit? Consimilis fœcunditas edocuit mysterium. Iam Dionysius fœcunditatem habet, quæ adigat ad intuitum, & Trinitatem sæculis præsentet. Rapuit fœcunditas Virginis, omnique creaturæ suum auctorem, & Principem restituit.

Maria Speculum *Trinitatis.*

SECTIO V.

OMNIS in hac sectione instituti nostri proditur destinatio. Maria diuinæ Tria- 31. dos SPECVLVM est. Hic illi scopus, hoc officium vitalis vsuram lucis præordinauit. Sacramentum à sæculis sub nebulis abditæ maiestatis culatebat, donec Virgo Mater elucerct, quæ & sacras tenebras abigeret, & cacumen flammeis horroribus cinctum, ægris hominum oculis, præuio tramite, præsentaret. Subnigra lux latibulum Trinitatis abscondebat, & luminum scopulis maiestatis pelagus intuentibus naufragium minabatur. Quid causæ, cùm potiùs lux subseruiat obtutibus, oculorumque indulgeat officiis: cùm & pingat medium, & obiecta prætendat? Sanè lux candida, & niuea, luminum vsibus ancillatur: ast ignea, flammea, & præpondere grauis, commercium ad obiecta conturbat. Vt igitur sub tot ignitis globis delitens diuinitas hominibus apparêret, quæ lucem habitat inaccessibilem, quid ageret prouidentia? Fœminam meditatur, quæ illius lucis candor sit, & ex fulua, subnigráque præ ignis tempestate, candidam, lacteamque reddat, quæ & possit ab oculis tranari fragilibus, & extenuatis, candidatisque fulgoribus in inaccessibilem lucem tribuat commeatum. Hæc Maria est. Miraris? *Candor est lucis æterna, speculum* Sapien. 7. *sine macula Dei maiestatis.* Ast id proprium est Filij Dei, qui quà Verbum, lux est; quà luminosi Patris claram, albidamque ex originis proprietate ebibit cognitionem, candor ipsius lucis, non sine subtili acumine nuncupatur. Petis causam? Reddam. Quò maior est ignis, densioribusque flammis saturatur, difficiliorem exhibet sui agnitionem? vtpote subfuluo, & obstructo flammarum impetu arcens intuitum. Cùm igitur Filius Dei ex intellectu Patris procedens, clarissimâ cognitione totam Paternæ maiestatis flagrantissimam substantiam contineat; appositè illius cumulatissimæ lucis dicitur candor: illi enim

candida

candida lux eſt, quæ creaturis præ ignita abundantia inacceſſibilis, & ſubnigra. Hinc quia Filius lucis candor eſt, candorem illum Virgini Matri conciliauit. In Matre enim lux illa genita tenidet; ideò generationem æternam Mater exprimit, candorque lucis efficitur, dum in virginea Verbi Dei generatione, & Verbum, & Verbi Patrem demonſtrat, & conſpicuam Trinitatis exponit maieſtatem. Hic ſapor eſt in Philippo Abbate ſuper Cantic. *Tues ergo omni claritate, & ſplendore Solis clarior, & ſplendidior, omni lapide pretioſo longè incomparabiliter pretioſior. Tu ſemper omnem ſtellarum fulgorem, vtpotè ſtella Maris, fulgentior inueniris. Candor quippe es æternæ claritatis, & ſpeculum ſine naeuo diuinæ maieſtatis. Tu es hæreditas Domini: in te monatus eſt Filius Dei.* En candorem lucis Virginem eſſe detineit, eo argumento, quòd in illa mocatus fuerit Filius Dei. Quæ ratio non in eo ſolùm nititur, quòd attributa Filij, facili commercio Matri Virgini conciliantur, ſtemmataque diuinæ ſobolis in Deiparæ decus aſſurgunt; ſed quia ex generatione Filij Dei, quem ſinu baiulauit pudico, lucem Trinitatis inacceſſibilem, excuſſiſque fulminibus arduam, candore ſparſit, nigricantemque caliginem diuini arcani, nempe generationis æternæ, clarâ luce ſuffudit, deditque hominibus conſpicabilem; quippe Virgo fœcunda, prole Dei fœta in agnitionem Dei Patris adlectat.

Philipp. Abb.

32\. Sed quid hæc cum epigraphe ſectionis, quæ non candorem; ſed Trinitatis ſpeculum Mariam promittit? Certè ſi noueris vtrumque copulatum in præfatis verbis Sapient. 7. è candore lucis ad ſpeculum viciſſi adinem, tramitemque dignoſces. Quia Verbum Dei candor lucis eſt, ideò cryſtallum audit, vtriuſque ſpeculi nomenclaturam venatur. Ratio proclivis eſt: quoniam dum lux non nimiâ ſplendoris exuberat redundantiâ, igneiſque fulgoris abyſſi, abſorbet obiecta; ſed candida, ſed lactea eſt, amicâque benignitate coloribus blanditur; quos tenebræ fuſcauerant, reuelat obtutibus, formaſque rerum è latibulis noctis manifeſtat. Id autem ſpeculi munus eſt, ex refractis ſpeciebus formas prodere; & quæ diſſita ſunt oculis, ponèque tergum poſita, reuelare. Ideo ſimul cum candore lucis, ſpeculi nectitur attributum: vtrumque etenim Verbum Dei habet, & lucem haurire Genitoris, & characteriſtico ſpeculo imaginem Altiſſimi præſentare. Sciè ſcholiat Berchorius in Dictionario, verbo *Lux. Solet lux candida ſe monſtrare, candor, inquit, lucis. Semper perſeuerare; ideo dicitur æterna. Cuncta manifeſtare; ideò dicitur ſpeculum. Face non ſordidari; ideo dicitur ſine macula. Formas repræſentare; ideo dicitur imago.* Id ipſum in Virgine Matre promptum eſt conſicere, è candoreque ad ſpeculum facili ſemitâ peragrare: quia nimirum Diuinitatis igneum ſplendorem temperauit, flammeumque pelagus Inſcrutabilis Maieſtatis remiſit: vt perniam hominibus prætenderet agnitionem. Ideò, poſtquam lucis æternæ nuncupaſti candorem, ſpeculum iure dixeris: quippe quæ & onus ſplendidum lucis lenius reddiderit, & generatione Virgineâ æternam prodiderit genituram.

Berch.

33\. Nec cùm ſpeculum Maieſtatis, Deitatis ſolùm, non perſonarum, proceſſionumque ſpeculum cenſeas. Scitieris enim Græcè legi ſpeculum τῆς ἐνεργείας; Quæ verba ad proceſſiones ad intra non ſine ſuaui acumine ſolent vrgeri, quaſi ἐνεργὴς inoperatio ſit, ſeu operatio interanea. Non diffiteor, cùm ἐνεργεῖν de Dæmonum vexatione circumferatur ex Areopagita; apud quem Dæmones ἐνεργοῦντες appellantur: quòd & ea Areta liquet in in Apocal. cap. 6. quaſi intùs agant, & corpora cieant, agitentque. Cæterùm ſi proprietatem amas, ſignificatuſque venam exquiras, ἐνεργὸς ille dicitur, qui iugi ſolertiâ, acrique ſtrenuitate in opere eſt, quaſi actuoſus, ſtrenuus, & acer, vt ex Polybio, Plutarcho, Thucydide & Xenophonte probat Henricus Stephanus in Theſauro linguæ Græcæ. Et quidem nulla operatio iugis eſt, niſi quæ cum æternitate menſuratur; qualis eſt diuina geminæ perſonæ proceſſio, in qua vis efficax, actuoſa, ſtrenua, perenni ſedulitate Patrem egerit in Filium, & vtrumque in Spiritum. Hinc pulchrè ſpeculum τῆς ἐνεργείας ſpeculum eſt diuinarum proceſſionum. Quare ſi Virgo Mater hac nomenclaturâ potitur, non fracto ſignaculo pudoris, nec percuſſâ ſpecie honeſtatis, gignens Filium Dei, æternas proceſſiones, ceu limpida cryſtallus enunciat.

Areopag. Aretas. Polyb. Plutar. Thucy. Xenoph. Henric.

34\. Iam calleo, quid ſibi voluerit Sanctus Andreas Hieroſolym. in ſalut. S. Mariæ, colum. 7. *Salue contemplatiuæ cognitionis intellectuale ſpeculum, per quod celebres Spiritu Prophetæ incredibilem Dei ad nos deſcenſionem myſticè adumbrarunt.* Græcè ſic: χαίροις τὸ νοερὸν τῆς θεωρη-τικῆς. Mirus eſt Andreas: cum ſpeculum intellectuale ſolùm Filius ſit; intellectuale quidem ex originis proprietate, quatenus per intellectum diuinum, vt Patrem repræſentet, procedit. Adi Clementem Romanum epiſtol. 1. ad Iacobum Fratrem Domini, & Euariſtum epiſt. 1. ad Epiſcopos Africanos. Perbellè quidem parili charactere nomen intellectualis ſpeculi Virgineæ Genitrici irrogatur; vtpote quæ ea ſanguinis purpuriſſo, & ſancti Spiritus vmbris, non humano penicillo exaratas lineas hauſit, reddiditque ſpecies quibus adinſtar intellectus, imago operationum ad intra pingeretur; dumque Verbum ſub humanitatis colore edidit conſpicabile, quid apud Patrem abdita illa emanatio ſortitur, oſtendit. Sed quid eſt illud: *Per quod celebres Spiritu Prophetæ incredibilem Dei ad nos deſcenſionem myſticè adumbrarunt?* Elogium hoc ſenſus prætervolat; imò & mentem. Delibatur lumen à Verbo Dei, vt ignito ſpiritu incaleſcens Propheta ſæcula perluſtret, antevolet tempora, & tarda ſæcula ad præſentem ſtringat intuitum. Sic & Beatus in Diuinæ Maieſtatis ſpeculo grandioribus characteribus exarata cernit, quæ ſub ſeræ futuritionis procraſtinatione nondum inuenere lucem. Nondum igitur concepta Maria, quomodò ſpeculum referens futurum incarnationis deſcenſum, præbere potuit atauis Patribus, elapſis ſæculis? Quaſi non aliter adumbretur Deus homo, niſi ex Virgine. Quaſi facilius ſit, etiam nondum conceptam Mariam priſtina præcucurriſſe tempora virgineo ſpeculo, quàm Filium Dei abſque Virgine adumbrari. Quaſi Virgo ſpeculum ſit Verbi hominis, cùm Verbum ſpeculum ſit Dei inoperationis. Bene quidem, & ſanctè de Maria cogitabat Cretenſis. Hinc Sanctus Germanus in encom. de S. Deip. apud Biblioth. tom. 8. *Hic adeſt declaratio ipſius Sacramentorum: hic adeſt ſpeculum omnium Prophetarum.*

Andr. Hieroſol. Clement. Roman. Euariſ.

35. Areopagit. Nobilitatem Angeli verborum purpuris extulit Theologus Areopagita de diuin. nominibus, cap. 4. circa medium sic: *Imago Dei est Angelus, manifestatio occulti luminis speculum purum, clarissimum, incontaminatum, inceinquinatum, immaculatum, suscipiens totam (si est conueniens dicere) pulchritudinem boniformis Deiformitatis; & mundè resplendere faciens in seipso, quemadmodum possibile est, bonitatem silentij, quod est in abditis.* Quàm strenuus Scholiastes Angelicæ naturæ! Si tam vitreum speculum Diuinæ naturæ Angelus est, quomodò exuperari valet à speculo Mariano? Si pulchritudinem inaccessi luminis exprimit; quomodò pullâ notâ ferrendum? Quid comptius? Quid magis virgineum hac pellucidâ crystallo, in qua se conspicit increata pulchritudo? Attamen si compares cum Maris, Angeli speculum minùs clarum est: solùm enim refert pulchritudinem boniformis Deiformitatis, Obserua Theologicè verbum: non dixit; pulchritudinem Deitatis, sed *Deiformitatis*, quasi adumbrata sit imago, non splendida totam ebibens Deitatis similitudinem. S. Thomas. Sanctus Thomas Scholiastes Dionysij: *Considerandum est, quòd non dicit, quòd suscipiat totam pulchritudinem Deitatis, sed Deiformitatis; quia impossibile est, quòd in aliquo creato speculo recipiatur perfectè tota pulchritudo Dei: sed in aliquo creato speculo propter suam puritatem, & claritatem recipitur perfectè tota pulchritudo, quæ est possibilis esse in creatura per assimilationem ad Deum.* Maris speculum est, non Deiformitatis, sed formæ. Hinc suprà S. August. expensus Sanctus Augustinus in serm. de Natiuitat. *Si formam Dei te appellem; digna existis.* Quid est, quod formam Dei nuncupet tam claro processu! Quia dixerat immediatè: *Si Dominam Angelorum te vocem; verè esse comprobaris.* Præclara deductio! Angelus Deiformitatis est speculum; Maria in se formam habet, cuius ille speculum: sitior ergo Angelo Virgo Mater est. Enucleo penitiùs. Vt quid altior? Quia Virgo Mater. Angelus apud Dionysium: *Mundè resplendere facit in seipso, quemadmodum possibile est, bonitatem silentij, quod est in abditis.* Contra pro Maria. Ipsa non bonitatem silentij, sed bonitatem locutionis, quæ est in abditis, in se resplendescere facit, Deus per Verbum loquitur, per alia Diuina silet. Maria Verbum illud concipit, ipsâ Patris fatur locutione, dum generat vnde non est speculum silentij; sed Dei Maiestatis, secundùm quod transtulit Græcus suprà ἐν ἐνεργείαις, id est, *operationis ad intra.* Illa dum gignit, loquitur, quia gignit Verbum: sic supernus Pater, cui lingua est vterus, filius Verbum. Igitur in Mariano speculo non bonitas silentij tacitis splendoribus micat, non Deiformitas sola resonat: sed cùm in Virgine ipsamet forma, nempe Verbum Dei, insit; specu- Albet. Mag. lum intraneæ locutionis, Diuinæque conuersationis inlatet. Adsit Albertus Magnus in Mariali cap. 185. Tractat, quòd Deus Virgini Matri quatuor genera causarum in omnigenam recreationem impendit: & tandem fatur. *Item causa formalis ipsa recreatio: quia omnibus luce sua Deiformissima conuersationis fuit speculum, & exemplum reuersionis à tenebris, & conuersionis ad conuentum primæ lucis.* Sic ille, quibus strenuè præfata fulciuntur.

36. Altiori indagine rem vestigemus. Quid quòd Angelum Virginea crystallus exuperet, dumque virginitati feracem Dei fœcunditatem conciliat, silentij vectes abrumpat, diuinique eloquij speculum efformet? ipsummet Dei Verbum, quod spiritib. cœlestibus speculũ erat, & ex propria hypostasi character, & imago; hominibus neutiquam ad sui agnitionem inseruiret, nisi gigneos Maria specularibus vsibus opem ferret. Petis rationem? Diu meditabar, quòd in speculo, si vlla macula terga non illiniat, & ponè perstringat, nequit facies vlla, repercussâ in vitro specie, refractâque formâ, apparêre intuenti. Differt enim speculum à crystallo, quia speculũ addit supra vitrum, aut crystallum chalybem. plumbum, stannum, aut argentum: quoniam nisi spisset densus obex vitrea terga; liberæ species per pellucidum vitrum permeabunt, sicut radius permeat, & ardore feruido stupam adurit. Sanè Filius, Verbumque Dei speculum sine macula erat Parenti, in quo spiritalem naturæ faciem prospectabat: nec maculâ vllâ obstipante posteriora indigebat, vtpote non speciem refractam emendicans, non figuræ similitudinem prospiciens, sed eiusdem naturæ, & Maiestatis ex- Basil. pressionem. Sic Basilius libr. 1. contra Eunom. *Filius imago viuens, imò verò ipsa vita, non figura similitudine; sed in ipsa substantia identitatem retinens.* Ideò seriò, & sapienter speculum sine macula perhibetur. Sed rogo: Speculum hoc excultum, & nitidum, candoreque lucis æternæ scintillans, hominum induigere valeret obtutibus, si absque macula, id est, sine limo, aut chalybe duraret? Anne Paternus vultus, sanctique Spiritus radios hominum patesceret oculis, nisi crystalli posteriora limosâ compage densarentur? Absit. Verbum carne tegitur, Patris speculum adumbratur, adombrante Virginem virtute Altissimi: & ex Maria superstructa caro posteriora suffundit, qualia mandantur Moysi faciem expetenti. Iam faciem Patris, totiusque Trinitatis plenitudinem homo videt in speculo, quia caro substernitur pro plumbo, pro chalybe mortalitas solidatur. Sic nouiter accipio tritum ab aliis, ad alia dictum illud Drogonis: Drogo. *Fecisti Domine de corpore tuo speculum animæ meæ.* Vbi corpus, statim lucis candor: qui speculum erat Patri, iam homini speculum est. Obuium necnon est illud Franconij: *Diuinitas* Franc. *in luce tanquam imago in speculo refulget, & lutum in Deum solidatum est.* Quod quidem acutè nimis id soggerit, quòd Filius, & non alia ex Diuinis personis, carnem assumpserit. Cupis rationem? Do. Trinitatis imaginem homo deturpauerat: illi ob pœnam Trinitatis intuitio denegatur, in qua vita æterna est. Qui poterit reduce fortunâ in illam imaginem, & intuitum homo reformari? Descendat imago ipsa, quæ Filius Dei est. Sed lucis ardor nequibit fœculentis suspici luminibus. Ideò carne posteriora tegat; commercium patescet obtutui, & in carneo speculo Diuinitatis plenitudo refulgebit. Athanasius pulchrè libro de humani- Athan. tate Verbi: *Quid par erat, vt fieret, nisi vt exemplar imaginis renouaret; vt per id denuò ipsum cognoscere possent? Id autem quomodò confici posset; nisi ipsa imago Dei Saluator noster Christus superueniret?* Sapienter dixit *Christus*, id est, *Deus homo*, quippe ex corpore Virgineo speculum effingitur sine macula maculosum; vtpote cum limosa natura, non culpa. Speculum habes, intuere.

Vitri

37. Vitri illitum, conſtipatumque limo tergum
ſpeciem pulchritudinis reſplendere facit, fa-
ciemque deſilire, quæ opacitatem deſiderat, vt
appareat. Nonnè vides? Expetit Moyſes fa-
Exod. 33. ciem: aſt Dominus: *Cùmque tranſibit gloria mea,
ponam te in foramine petra.* Et ſtatim: *Et videbis
poſteriora mea.* Exorat lumina: & tandem poſt
ſcapulas vota mittuntur? Vultum deprecatur,
& poſterioribus redonatur? Peroptimè diui-
nitatis candidato conſultum fuit. A faciei pro-
ſpectu oculi Prophetici opprimerentur, ſi,
antequam tergum & poſteriora immenſitas Dei-
tatis indueret, aciem viſus iacere tentauiſſent.
En quot exuberantis ſplendoris ſiſtunt abun-
dantiam: *Ponam te in foramine petra, & pro-
tegam dexterâ meâ, & videbis poſteriora mea.*
Petræ cauitas, vmbraculumque manus adunat
obtutum, vmbræque temperat pallore: & ta-
men, vt deſiderij conſequatur euentum, viden-
da illi poſteriora promittit. Quid cauſæ? Niſi
caro Virginea accedat, quæ poſteriora ſuffun-
dat, non homini diuina facies retegitur: tergi
denſitudo opus eſt. ſubſtratuſque limus; qui, qua
terrenus, obſcurus ſit & ſolidus; qua ſumptus
ex Virgine, mitè aptus, vt diuinitati adgluti-
netur, & adhæreat. Hinc Augnſtinus lib. 2. de
August. Trinitat. cap. 17. *Non incongruenter ex perſo-
na Domini noſtri Ieſu Chriſti præfiguratum ſo-
let intelligi, vt poſteriora eius accipiatur caro
eius, in qua de Virgine natus eſt: facies autem
eius illa Dei forma, in qua non arbitratur rapi-
nam eſſe æqualis Deo Patri.* Quid autem faciem
Dominus auerſatur, & ablegat ad intuenda po-
Exod. 33. ſteriora? Nonnè dicitur pauloantè: *Et loquutus
eſt Dominus ad Moyſem facie ad faciem?* Imò
quia facie ad faciem loquebatur, nondumque
poſteriora, id eſt, incarnationem, proſpectabat:
indè quidem non faciem intuebatur; vtpote cui
facies ipſa, obſcuritas erat, & inter vtrumque
fuſca caligo interiecta commercium impediebat
obtutus: nondum caro ſubſternebatur in ter-
go; ideò, licèt coram facie Domini aderat, fa-
ciem Domini non videbat. Annè faciem Do-
mini pugil Iacob potuit penitiùs intueri? Quid,
quòd athletam ſuum victricibus conſtringeret
lacertis, ſi nox erat, nondumque aſcenderat
aurora? Licèt coram facie ſit vterque Propheta,
faciem non videt: alter loquitur, alter collu-
ctatur; neuter intuetur. Solùm Virginea caro
poſteriora extendens, viſum confortat: Ma-
ria oculos abſtergit, temperat obiectum; ideò
Gen. 32. videri ſe recuſans colluctator ille *Dimitte me,*
inquit, *iam enim aſcendit aurora.* A Virgi-
nis typo timet, ne abſconditum Domini rete-
gat vultum: Virginea caro, quæ opaca mole
obſcurare potiùs videbatur, lux & aurora eſt.
Oleaſt. Prodeſt Oleaſter in Exod. 33. *Neque putes eum
vidiſſe Deum clarè; quoniam, vt textus habet, no-
cte luctabatur Angelus cum eo; vnde faciem eius
videre nequiuit, & cum Angelo, non cum Do-
mino luctabatur: & eo modo vidit Angelum facie
ad faciem, quo Moſeh loquebatur, & videbat
Deum facie ad faciem, ſcilicèt in obſcuritate:
hoc tamen interfuit, quòd Moſeh vidit reuerâ
Deum, in tenebris tamen, aut potiùs cum eo loqu-
tus eſt: Iacob verò Angelum, qui Dei vicarius
erat, cum quo luctabatur. In hoc etiam exceſſit
Moſeh, quòd vidit poſteriora Dei clarè, quòd nul-
lus patrum veteris teſtamenti vidit.* Expende illud:
Vidit reuerâ Deum, in tenebris tamen. Tene-
Zerda, Mariæ effigies,

breſcit ipſa Dei facies humano obtutui, niſi
poſteriora ſint, quæ ſplendorem obducant; ni-
ſi incarnatio tergum obſtruat. Adhuc in latet,
quid eruamus. Petierat Moyſes faciem: denega-
uit Deus: aſt ille aliter interpellat verſiculo 18.
Oſtende mihi gloriam tuam: tunc Dominus & om-
ne bonum pollicetur, & conſpectum poſterio-
rum. Quid ſibi vult varietas iſta? Certè, quia
gloria in carne Dominica retegitur, quam &
nubes Patris obumbrans, & clamans vox con-
teſtatur; hominem ſe illi oſtendere promittit
gloriâ circumfuſum, quaſi Vnigeniti à Patre.
Quare cum gloria vſitato more beatitudo ſit,
Qua diuinitas conſpicitur: vt intelligeret Moy-
ſes intuitum Dei hominibus eſſe denegandum,
quouſque carnem Deum ipſe ſubiret: ideò pol-
licetur gloriam, cùm ſpondet poſteriora, & ad
Thaboris verticem eius deſideria deducit. Præ- Tertullian.
clarè Tertullianus libro 4. aduerſ. Marc. cap. 22.
*Cùm enim deſideraſſet conſpectum Domini Moy-
ſes, eum conſpectum deſiderans, in quo homi-
nem eſſet acturus, quod Propheta ſciebat: cæte-
rùm Dei faciem iam audierat: Nemo homo vide-
bit me, & viuet. Et rurſus Moyſes: oſtende mihi
gloriam tuam. Et Dominus ſimiliter de futuro:
Ego præcedam in gloria mea, & tunc videbis
poſteriora mea. Non lumbos, nec ſuras: ſed
quam deſiderauerat gloriam in poſterioribus tem-
poribus reuelandam, in qua facie ad faciem viſi-
bilem ſei ei repromittit: in ſpecie vtique hominis
quam erat geſtaturus, non in ænigmate.* Quid
vltra? Poſteriora, per quæ cognoſcitur Domi-
nus, incarnatio ex Maria eſt. Quid cauſæ?
Nam Deus à viatoribus ſolùm per effectus co-
gnoſcitur: cognitio autem, quæ per effectum fit, *à
poſteriori* dicitur: quòd autem Virgo Deum ho-
minem genuerit, ſupremus omnipotentiæ effectus
eſt. Benè Lippomanus. *Poſteriora eius dicun-* Lippoman.
*tur manifeſta & viſibilia opera Dei. Vnde &
vulgus cognitionem ab effectibus vocat cognitio-
nem à poſteriori. Spectrum itaque aliquod, &
ſimulacrum præſentiæ diuinæ tunc promiſit Do-
minus ſeruo ſuo, non ſine tamen Chriſti myſterio
oſtenſo, & intellecto.* Ingenuè. Poſterius Dei,
Deus homo eſt. qui primus & nouiſſimus. *Po-
ſteriora*, inquit, *mea videbis.* Ergo & poſterius
eſt, & tuum eſt: ſi tuum, & tu; quomodò poſte-
rius qui indiuiſus es? Quia Deus & homo duplex
natura, licèt vna perſona. O quàm altè! Ergo
abſque medio vllo id, quod ſecundum eſt poſt di-
uinitatem poſterius dicitur: quippe finis vltimus
eſt, in quem vis amoris potuit extendi. Diuini-
tas, & humanitas duo fines ſunt. Quis poſterius
cum priori colligauit? Mulier fortis: de vltimis fi-
nibus pretium eius: quippe omnis gloria eius ab
intus eſt in vltimorum finium Virgineo nexu.
Albert. Magn. Marial. pag. 8. *Illa mulier fortis eſt* Albert.
beatiſſima Virgo, quæ vltimos fines, diuinitatem ſcil. Mag.
*& humanitatem in vnam perſonam coniunxit, gi-
gnendo ſapientiam, quæ attingit à fine diuinitatis
vſque ad finem humanitatis fortiter.* Hæc poſte-
riora Dei noſtri ſunt. Cur enim non dixit: *Poſte-
rius meũ videbis*, ſed *poſteriora mea?* Quia vtrum-
que finem illi promittit, quem illigatura erat in-
carnatio. Greg. Nazianz. orat. 2 de Theol. *Vt Dei* Nazianzen.
*poſteriora cernerem, idq; petrâ, hoc eſt Verbo noſtra
ſalutis cauſa incarnato contectus.*

Itaque vitra non reddunt formas: niſi auerſâ 38.
parte illitum plumbum, aliudve denſum cor-
pus, hauſtas facilè ſiſtat ſpecies. Quare oculi

specula sunt ab art.fice ingenio naturæ: quippe in quibus humori crystallino nigror à tergo substernitur, vt imago resiliat, vibrataque forma resultet. Hinc verbum Dei nobis ob Mariam speculum Triados est: ex carne etenim Virgineâ crystallum Deitatis sacra Mater nobis temperauit, dum densauit sanguinibus, solidauit membris; & quod apud Patrem maculâ post tergum ad agnitionem non egebat, sicque speculum sine macula appellabatur; iam immaculatâ macula illinitur, vt homo pupillam aud ns obiiciat, & caro pel ucidam spiritus sistat claritatem. In quo no lla Deitatis iniuria; sed amoris emicat sacram nrum. Sic expendere cupio Nazianzenum

Naziànz. orat. 49. *Sic eius incarnatio accipiatur, vt alicuius conspicabilis materiæ dispositio assumpta videretur, saluâ sci icet inuisibilitate eius, quam à co spectu omni m Maiestas interfusa seposuit. No. enim sic humanis aspectibus reuelatus est, vt t a in il o Deitas appareret, sed ad vicem speculi cum conceptos infra lucem suam vultus, quasi ad plen m effigiem hominis includit: ita M iestatis eius praeunte fulgore infra id, quod est, vt imaginem veritati non ipsum Deum propriè demonstraret. Sic & cum hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit, vt spiritus se mutaret in carnem, sed vt susceptio hominis immortalitatem, atque æternitatem cœlestis vitæ praestaret.* En diuini Numinis inuisibilitas ex visibili materie substrata, quam è Virgine decerpsit, conspicabilis euasit; non in inuisibilitatis iacturam, sed in humanitatis honorem quæ sub diuinitatis crystallo plumbi lliri vicissitudinem obiuit: vt velut in speculo imago Dei prospectibus inlaberetur humanis.

39. Naziànz. Illud diffi ile in Nazianzeno: *Non enim sic humanis aspectibus reuelatus est, vt tota illa Deitas appareret; sed ad vicem speculi cum conceptos infra lucem suam vu'tus quasi ad plenam effigiem hominis inclu it; ita Maiestatis eius praeunte fulgore infra id, quod est, vt imaginem veritatis, non ipsum Deum propriè demonstraret.* Quibus verbis curam, & ænigmaticam Diuinitatis agnitionem in Christo prætendere videtur Nazianzenus; ita vt non ipse Deus, sed imago Dei conspiceretur. Absit, eò tetendisse censeas, quòd in Christo non diuinitatis plenitudo subsida: ; sed delibatio solùm, imago, & participium: id absonum à fideli, nedum à Theologo. Mens ergo est, quòd licet Deitas, insit, non tamen sub humanis glebis, quasi retecto reuelaretur amictu; cum Christus non Deum, ad cuius intuitum oculus caligat humanus; sed hominem terrigenis exhiberet. Cæterum in ipsamet humanitate à Maria decisâ, imaginem Deitatis, velut in speculo, micuisse perhibet. Nobilis Virgineæ carnis splendor, qui, licèt non totam Deitatem manifestet, Deitatis scintillas eructat; & adeò ignitam temperat Diuinitatis abyssum, vt quasi corpus opacum sub vitro, imaginem Dei faciat desilire. Quæ Nazianzeni subtilitas in lepidam nos euocat quæstionem: an in speculo imago rei; an verò ipsa res repræsentata inspiciatur? Differunt Perspectiui. Imaginem simul, & rem prospici, docet S. Thomas de veritate, quæst.8. artic.5. & 15. Auerroës libro de sensu & sens. cap.1. Scotus in 2. distinct. 13. quæst. 1. Cælius lib.15. cap. 1. Ioannes Gandauens. quæst.9. de sensu & sens. Caietanus 1. part. quæst.56. art.3. Thimon.3. Meteor. quæst.4.

S.Thom. Auerr. Scotus. Cælius. Io.Gandau. Caiet. Thim.

Non imaginem, sed solam rem, cuius imago in speculo renidet, videri, defendunt Vitellius libro 5. Richard. in 4. distinct. 11. quæst. 1. in 6. principali. Toler. in 2. lib. de anima, quæst. vltim. Palatius in 2. sentent. distinct.3. disput.5. Appollinar. in lib.2. de anima, quæst.17. Vtraque sententia non inopibus momentis fulcitur. Non otium est litem sedare. Imaginem simul, & rem prospici, faciliori semitâ censeo; nempe quòd obiectum speciem sui immittat in speculum, è speculoque resiliat in oculum species vna, quæ & speciem ab obiecto immissam, & obiectum ipsum repræsentet. Moueor singulariter; ne si solum obiectum videatur; non abstractiua, sed intuitiua cognitio sit: ni etenim obiecti species aliquo extero speciei inuolucro tegatur; sed ipsamet nuda in oculum resiliat: quòd ex speculo refracta resultet non intuitiuæ agnitioni derogaret. Nimium esset materiale, quòd in alieno species reciperetur subiecto, vt abstractiuam cognitionem conficeret; sicut non obest, quòd in aëre medio decurrat; vt intuitionis sors contingat.

Vitell. Richard. Tolet. Palat. Apoll.

Igitur in homine Deo, ex Virgine virgineo, 40.
imago Deitatis, & Deitas ipsa residebat; id quà homo; hoc quà Deus; cum tamen per speciem humanitatis Deitatis vmbra, scintillaque excuteretur, vtrumque prospectabatur: sed humanitas intuitiuè, abstractiuè Diuinitas: & tamen in Christo sicut vera humanitas, sic vera Diuinitas inscrutabili nexu illigabatur. In Maria obuiâ enodatione vtrumque edisces. Speculum est, obiectum, & imaginem repræsentat. Meditare Deo fœtam, vteroque superâ maiestate tumentem. En non species extera, elaborataque forma à Virgineo speculo ex obiecti habetur distantiâ; sed ipsemet Deus, quem obiectum nuncupo, in Maria est, qui splendor, qui character, qui imago, non cælaturis caua, non tracta coloribus, non stylis deducta; verùm, vt dicebat suprà Basilius, non figuræ similitudine, sed in ipsâ substantiâ retinens identitatem. Quid vltra? Nonne etiam & imaginem Deitatis in Virgine nostra prospectas? Imò ex Mariâ humanitas Christi desumpta imaginem illam, quam dixit Nazianzenus, describit, quæ Diuinitatis vmbras, lineasque præsentat. Vis probem? *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, spondet Angelus. Quidne obumbret? An ex vmbraculo, luci contingere valet natiuitas? An ex vmbra gelidâ splendor igneus erumpet? Verbum Dei lux est; cur vmbram spondes pro pignore geniture? Adsonè quidem. Verbum Dei imago est, non exterâ figurâ, sed substantiâ. Opus est, quòd sit homo, quòd in homine resculpat imaginem; nec solùm quâ Deus, sed quâ hominibus contribulis vibratam reuerberet imaginis affluentiam. En ingenium. Vt in humanitate vmbra Dei, id est, imago elucêret; Virtus Altissimi ipsomet generationis Virgineæ tempore vmbram suæ similitudinis in Virgine, tanquam in speculò reliquit: vt exinde in sobole, quâ homo, vmbra & imago Deitatis cuderetur. Quia in Christo, quà homo ex Virgine, est imago diuinitatis; ideò priùs Altissimi vmbra Virginem inuasit. Nec in patuulo ingentem diffitearis, posse conspici dignitatem. Te docet speculum, cùm in tantillo vitro procera Gigantis moles statis lineamentis appareat. Maria speculum albido virginitatis vitro totam vmbram superi Genito-

Basil.

Luc.1.

ris

tis excepit; didicit exinde caro ſupernam delineare Deitatem. Lubet totum acumen, ne geminata verba ſtomachum acore perfundant, dare illico ex Alberto, qui ab Origene mutuò accepit. Præter morem plena verba tranſcribo, vt amœ-
Albert. oeris: ſic ille in cap. 1. Lucæ: *Vmbra habet etiam eius, cuius eſt vmbra, figuram, & ſimulacrum. Et ſe undum hoc image, qua reſultat in ſpeculo, dicitur vmbra. Sicut etiam ſumitur vmbra Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum: non ipſam imaginem rerum: vmbram enim vocat configuratam ſimilitudinem. Et quantum ad hanc vmbra proprietatem dicit Origenes, quòd infiniti pelagi diuina Maieſtatis vmbra perfecta adſimilatum eſt verbum abbreuiatum, incarnatum. Sicut ſi infinitæ quantitatis Gigantem (qui longitudine pedum excederet abyſſum, & altitudine capitis excederet polum, & extenſione brachiorum in infinitum extenderetur per ortum, & occaſum) imaginari velimus, opponamus ei ſpeculum paruum in quo quidquid ipſe eſt, reſultat totum: vel dicamus eum generare paruiſſimum filium, qui ad ſimilitudinem eius totam configuraret: in vmbra enim illa exigua cognoſceremus quidquid in Gigante totum. Et ſic Maieſtas Dei infinita in puriſſime Virginis, tanquam in ſpeculo ſibi obiecto refulſit, & vmbram in ea ſua ſimilitudinis reliquit, qua conceptum Diuinum perfecit, quòd nulla vmbra alterius rei facere potuit.* Hæc ille. Qui abſque verborum phaleris, criſpatiſque cincinnis eloquij ſupra miraculum, ingenij pennas explicuit, Marianumque ſpeculum nobilibus acuminibus cumulauit. Ergo vmbra imago eſt, ſpeculum Virgo; Gigaſque ardous, qui exultauerat à vertice cæli, vt viam decurreret, priùs in pudico vitro virtutem ſui deſcripſit, vt, qui naſceretur, Filius appareret Altiſſimi. Quibus non inſuauiter addideris; non ſolùm vmbram, id eſt imaginem Deitatis inditam in Mariano ſpeculo, in vtero limpiditatis fonte, vt oculi, obiectaretur humanis; verùm ex vmbra, & vitro virgineo ſpeculum eſſe efformatum: vitra enim ſubſtratis vmbris, ſicut ſubiecto plumbo, reddunt effigies. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Id eſt, vmbram & imaginem tibi defiget, imprimet in cryſtallo: verùm vt reddas, emittaſque, obumbrabit ex carne, qua ex vmbroſo ſpecierum excurſu, refluxuque, oculi diuinitatem adumbratam proſpiciant. Virtus Altiſſimi vmbra eſt, vt ex vitro virgineo deſiliret imago.

41. Hinc virginea Dei Verbi in vtero Mariano conceptio, vt illibata pangatur, dignaque Diuinæ ſoboli, quæ ſpeculum æternæ lucis eſt, ſpeculo, ſeu vitro à radio Solis percuſſo, concinnâ ſimilitudine comparatur. Richar. à S. Laurent. libro 4.
Richard. à S. Laur. de laudibus Virgin. col. 32. *A Deo Trinitate in virginitate confirmata. Vnde ipſa dicit: In Sion firmata ſum. Sion interpretatur ſpeculum: quia virginitas ſicut vitrum. Sicut enim vitrum abſque ſui diſſipatione Solarem radium ſuſcipit & emittit; ſic Maria virginitas illibata Filium Dei concepit, & peperit.* Confirmatam in virginitate à Deo Trinitate arguit Richardus; quia Maria ſpeculum eſt, quod nec ſplendoris verbere turbatur, nec radij cuſpide feritur; ſed innocuo tramite præbet fulgori commeatum. Pulchra deductio! Quid eſt, quòd à Deo Trinitate confirmatam in virginitate dixerit Mariam, vt probet ſpeculum eſſe, radium Solarem excipiens? Id ideò,

Zerda, Maria effigies.

quia virginitas fœcunda non eſſentiæ, ſed hypoſtaſis eſt. Fœcundus, & virgo Pater ſupernus nitidà parturit luce; & quoniam Filius, qui gignitur, ſpeculum eſt, radioque & ſplendore diuini concipitur intellectus, pudica, limpidaque conceptio Altiſſimi peragitur. Id cum in Virgine noſtra contingat, radioque cœleſti fœta, ſicut ſpeculum lumen emittat; ſcitè virginitas hæc ferax ſanctæ appingitur Trinitati. Eandem ſimilitudinem amat Amadeus homil. 3. de laud. Virgin. *Vt* Amad.
claritas Solis vitrum abſque læſione penetrat, & vt radius oculorum tranquillo, & claro liquori ſine ſciſſione & diuiſione immergitur, vt vſque ad fundum vniuerſa rimetur, ſic Dei verbum adijt virgineum habitaculum, & inde prodijt clauſo Virginis vtero. Auguſtinus ſerm. 1. in Dominic ante feſtum August.
Natiuitatis: *Solis radius ſpecular penetrat, & ſoliditatem eius inſenſibili ſubtilitate pertraycit, & talis videtur intrinſecus, qualis extra & extrinſecus. Itaque Fratres mei, nec cùm ingreditur, violat, nec cùm egreditur, diſſipat: quia ad ingreſſum & regreſſum eius, ſpecular integrum perſeuerat. Specular ergo non rumpit radius Solis: integritatem Virginis ingreſſus, aut egreſſus nunquid vitiare potuit Deitatis?* Ex Auguſtino ſe accepiſſe fatetur Alcuinus lib. de diuinis officiis, c. 41. col. 2. Alcuin.
Eſt ſpeculum in aliqua domo: intrat aliquis in illam: vmbra eius apparens in ſpeculo, quando ingreditur, & egreditur, non frangit illud ſpeculum. Similiter in Domino in eunde & redeundo vterus Virginalis integer permanſit. Athanaſ. in quæſt. Athan.
quæſt. 19. *Illa enim ter caſtiſſima, vt domus quædam circumſepta eſt. Filius & Sermo Dei eſt, vt radius Diuinus ex Sole iuſtitia patre deſcendens, qui per vitream feneſtellam aurium illius ingreſſus, domum eius illuſtrauit, & rurſus exiuit non fœdatâ virginitate.* Impenſiùs obſerues, velim, non ſegniter, & ignauè è ſpeculo, & radio ſimilitudinem à Patribus ad Mariæ virgineam Verbi Dei conceptionem acceſſi; ſed eo ingenio, quòd in proprietate genitæ ſobolis, ſacræque Genitricis innititur. Id ideo attigi; ſed mordicus teneas. Verbum enim ex ſua ratione ſplendor eſt, radius, & lux, quâ ex intellectu ſpirituali procedit. Maria ex vitreo pudoris decore, virgineaque feracitate prolis, quæ imago Dei eſt, ſpeculi rationem nanciſcitur. Quare, ſicut Sol ſpeculo per radium maritatur, dumque traiicit, ſplendore non temerat, ſed infracti pellucidi callis commercio decurrit; ſic Marianum ſpeculum, Verbi Dei nec violatur ingreſſu, nec egreſſu temeratur.

Verùm non tutò quieſcimus. Præfatam ſpeculi, & radij ſimilitudinem ſcrupulo frangi timeo. 42.
Sanè me ferit, quòd radius nunquam per ſpeculum traiicitur, ſeu permeat: ſi enim ſtatum ſit quod ſupra inter ſpeculum, & quodlibet pellucidum, & ſimplex vitrum dedimus diſcrimen, ſcilicet ad ſpeculi rationem plumbum, corpuſve opacum pro fundo deſiderari, quòd ſiſtat ſpecies, refractaſque reuerberet, & excutiat: radius denſo obice obſtructus reduce ſplendore reſiliet; nec penetrare valebit, quod cœca denſitas obturauit. Cur igitur vt Marianum ſpeculum, diuini radij ad ingreſſum, ad egreſſumque infractum recinant Patres, hac ſibi compoſitione blandiuntur? Si ſic inſultas malè diſcutis virginei ſpeculi ingenium. Hanc ſibi indolem ipſamet ratio ſpeculi conciliauit. Cùm enim ideo ſpeculum ſit, quoniam Diuinæ generationis imaginem hauſit; in Filio autem ſuperno generatio & natiuitas, nec qualitate,

nec intercapidine diffideat: sic in Maria adeò generatio cum partus securitate connectitur; vt

Luc. 1. & Angelus vtrumque copulauerit: *Ecce concipies, & paries filium.* Et Elizabeth matrem ante

Luc. 1. puerperium compellet. *Vnde mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Igitur id in speculo Mariano singulare, quòd radium, quem suscipit Genitrix, puerpera reddat, stabilique vitro fulgor exeat. Ratio est, quia licèt caro Virginea subseruiat, vt imago Diuinitatis ex hoc speculo desiliat (vnde iure cum plumbo confertur) quæ tamen Virginea est, minùs rudis, obesæque materiæ pondere prægrauatur; sed quasi defæcatum diaphanum, radium securo commercio dispensat.

Franco Ab. Franco Abbas de grat. noui Testam. tit. 6. *Quæsitum est vitrum mundissimum, atque solidissimum, per quod igneos radios transmitteret Sol iustitiæ ad effugandas tenebras gentium: ex quibus puritas vitri & claritatis augmentum conciperet, & integritatis detrimentum non sustineret. Vbinam terrarum tam speciosa Virgo inueniri posset?* En vitrum solidum, vt resiliat forma. En mundissimum, vt transeat radius. En speciosa Virgo, vt speciem diuinæ pulchritudinis reddens, integrum speculum constituat. Nil nobis proficeret Virgo, si radius, quem in vteri latebris excepit, ad Patris Diuini resiliret sphæram. Ergo & prodiit, vt luceret; & speculum mansit, vt Trinitatis imaginem præsentaret. Imò radius ab vtero egrediens, traducis vitri colorem mutuauit. Percutiat Sol vel vitreas lymphas, vel purpureum vitrum: radius, qui excutitur, vel albidus, vel purpureus est: iam luteus, iam puniceus, iam cæruleus affulget, coloribusque variegatur, quales à vitreâ semitâ vestiuit. Colorem è Virgine traxit radius, quem Pater ab ignito corde eructauerat; ideò carneus est, ideo humanus. Hanc illi naturam Virgo Mater indidit, dum concepit. Pulchrè S. Bonauent.

Bonauent. serm. 1. in Natiuit. Domini: *Sicut autem splendor per vitrum integrum transit: ita Christus per Mariam integram, & incorruptam est egressus. Splendor autem non solùm per integrum vitrum transit; sed etiam colorem inter pertranseundum induit: sic Dei Filius purissimam carnem, & pulcherrimum colorem de Virgine traxit, superantem omnes mundi colores.*

43. Ambr. Cingat Ambrosius, vt in Mariano speculo, perfectę vitę polias venustatem. Sic obuio loco lib. 2. de Virginib. *Sit igitur vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitáque Beatæ Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis.* Ne iners discedam ab Ambrosio, obseruo stylum. Virginitatis Marianæ decus præconatur: hanc speculum nuncupat, in quo perhibet, splendere speciem castitatis, & formam virtutis. Certè philosophicè speciem, formamque speculo affigit, cum speculi munus sit, in speciebus, formisque negotiari. Sed quid est, quòd hæc duo singulari sedulitate ad Mariæ virginitati plaudendum accersat? Meditor Doctorem virginitatem fœcundam præconari: in qua duo sunt, & castitas ad pudorem, & virtus ad prolem: feracitas virtus est, castitas pudor. *Quoniam virum non cog-*

Luc. 1. *nosco.* Ecce castitas. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* En pro feracitate genitrice virtus. Hæc duo diuinum Patrem circumstant; & ex virtute concipit, & ex virginitate claret. Ergo summi Genitoris speculum est Maria, ac proinde Trinitatis; siquidem in ea obuiauerunt sibi & species castitatis, & forma virtutis. Hinc statim thesim illam firmauit Ambrosius illis verbis subductis: *Quid splendidius eâ, quam splendor elegit? Quid castius* Ambros. *eâ, quæ corpus sine corporis contagione generauit?* In quibus nullo negotio liquet, castitatem simul, virtutemque fœcundam prædicare, siquidem castitatem ex generatione commendat nouo quidem, creatæ virginitatis stylo; sed in Maria charactere increatæ castitatis vtendum, quæ ex fœcunditatis sorte beatur. Nec desinas trutinam verborum: *In speculo fulget species castitatis, & forma virtutis.* Duo quidem in speculo sunt, species quæ refractâ semitâ in oculum influit, cuius ope visio peragitur, ipsa non videtur: & forma obiecti, quæ in speculi fundo tractis vmbris conspicitur. Ergo castitas in Maria species est, quæ adigit ad cognitionem virtutis, quâ Diuina persona generatur. Castitas hæc diuinâ pro sobole experet personam, quæ ex suapte origine vt forma innascitur ex virtute superni Genitoris. Quod in virgineo speculo affulget, virtus est Dei ferax; in quo suspicitur, castitas. Vt tutò sidas Mariam Trinitatis speculum nuncupandam.

Maria Triclinium Trinitatis.

SECTIO VI.

HOC Attributum ab ore literarij vulgi accipiamus, vt momenta, quæ continet, enucleemus. Maria triclinium Trinitatis 44.
sacrâ censione Patrum nuncupatur. Hugo Victorinus libr. 4. de Proprietatibus & Epithet. cap. 2. Hugo Vict. S. Bonau. D Thom. Richard. à S. Laurent. Bern. Sen. Gerson.
Hortus conclusus, fons signatus, triclinium Trinitatis. S. Bonauent. tom. 2. Opusc. in Psalt. Virgin. *Tu Templum, & sacrarium Spiritus sancti, totius beatissimæ Trinitatis nobile triclinium.* S. Thom. opusc. 8. Richard. à S Laurent. lib. 3. de laudib. Virg. capite 1. col. 17. *Ipsa erat triclinium Trinitatis.* S. Bernardin. Senens. tom. 2. serm. 51. artic. 1. c. 3. *Sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & speciosissimum Filij Dei reclinatorium.* Gerson tom. 3. tractat. sup. Magnificat col. 5. *Triclinium fuit Maria, quam Ecclesia sic salutat. Salue Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium; Verbi tamen incarnati speciale maiestati præparas hospitium. Primum spectat ad mentem; alterum ad carnem, ex qua Verbum caro factum est, triplex in natura; vnum in persona.* Anonymus in Rythmo de laudibus Virginitat. apud Biblioth. Vet. Patr. tom. 13.

Non corrumpit Rosæ florem; imò reddit pulchriorem roris stillicidium.

Sic Messiæ genitura saluum fecit à læsura Mariæ triclinium.

Carthusianum infrà subiiciam de dignit. Mariæ Carthus.
lib. 4. art. 6. S. Bernardus quodam sermone ex paruulis. *Trinitas enim in ipsa inhabitans, atq; ipsam replens, præcipuas illius dotes ternario mensus est. Vnde totius Trinitatis triclinium non immeritò appellatur.* Ex quo loci obsenio, attributum hoc Virgini cecinisse Bernardum antiquiorem Alberto? cui tamen solet arrogari. Bernardus.

De Triclinio Romano plura dixêre literati. 45.
Integrum librum scripsit Ciaconius, Horatius 1. serm. satyr. 4. Iuuenal. satyr. 5. Cicer. lib. 3. de orat. Ciac. Horat. Iuuen. Cicero.
Ne prophanis maculemur; sciuetis, triclinium cœnaculum à tribus lectis in eo stratis appellari. Tria præcipuè in triclinio notantur, vsus luminum,

num, mensa conuiualis, & lectuli. Hæc duo scita sunt. Primum probat mihi Vitruuius lib. 4.

Vitruu.

In tricliniis, cæterisque conclauibus maximus est vsus luminum. Cur ergo triclinium Maria? Crediderim, quia triplex hoc munus sanctæ exhibuerit Trinitati, lectulum, mensam, candelabrum.

B. Thom. à Vill.

Suffragetur B. Thomas à Villanoua conc. 1. de Assump. *Excepit illum in domum suam; in vterum suum, intra viscera sua, & in virgineo thalamo peregrinantem in terris Regem gloriæ hospitauit; & mensam, candelabrum, lectulumque parauit: lectulum in vtero, mensam in pectore, candelabrum in intellectu. In vtero illum quieuit, in pectore pastus est, in intellectu illius creditus est.* Comprè quidem Valentinus Præsul ternarium metitur; & quantumuis non meminerit triclinij, vestigia recensuit. En triplex sinus; intellectus, pectus, vterus. Vterus pro lectulo, in quem inclinauit cælos, & descendit. Annè inclinauisse cœlos perhibetur, quia quasi curuis poplitibus, decliuibusque obsequiis, ad ingressum Verbi Dei in virgineum sinum cæli maiestatem adorarunt. Imò, ne deseruisse cœlum crederetur, cùm in visceribus decubuit pudicis, ipsusmet cœlos reclinatos in vtero præmisit

Psalm. 17.

Vates: vt in aureo reclinatorio decumberet, stratâque charitate, dum descendit, ascensum purpureum auspicaretur. Pectus fuit pro mensa dapsilibus lautitiis onustâ; intellectus pro lampade, totum cœnaculum excusso lumine illustrante. Sed quomodò triclinium apud Valentinum: si solùm vnus conuiua ad mensam, vnusque recumbit ad thalamum? Meditor; quia Verbum Deus, homo in Virgine, ternario in sancta Triade assuetus, ternarium adamauit, ac tria copulauit: Deitatem enim, animam, & carnem ineffabili sacramento

Bonau.

deuinxit. Sanctus Bonauent. libr. 4. de Christi humanit. cap. 8. *Sicut in vnitate vna est essentia, & tres personæ, ita in Christo est è conuerso vna persona, & tres essentiæ; scilicet Deitas, anima, & caro. Hoc est æternum, nouum, & antiquum: quia Deitas est æterna, anima est noua, quia in assumptione carnis creata: caro verò antiqua, quia ab Adam propagata. Et Christus secundùm naturam diuinitatis est genitus; secundùm animam verò creatus, & secundùm carnem factus.* Trinitatis vmbræ, quoquouersum cogites; nequeunt à sinu abscedere Mariano. Siue personæ in vna essentia; Siue tres essentiæ in vna persona, hoc in triclinio recumbunt. Si è Maria Trinitas non gignitur, non oritur, saltem sacer Ternarius nouâ temperaturâ procedat. Trilia numerus in Virgine non perditur; sed sacratur. Id saporis est in Gersone, qui Mariam triclinium appellari suprà indicabat in d. tra. 7. quia ex ea *Verbum caro factum est triplex in natura, vnum in persona.*

46. Imò hinc crediderim, ideò Trinitatis specimen in Maria enitêre, vt, etsi ad vnam solùm Triados personam referas, triclinium debeas nuncupare. Fausta fuisset huius cogitatus pro-

Carth.

batio. Suffragetur Carthusiani phrasis de dignit. Mariæ lib. 4. art. 6. *Constat, quia in Dei Patris vnica Sponsa: tu Vnigeniti eius Mater electa: tu Spiritus sancti triclinium, & totius supersanctæ Trinitatis splendidissimum reclinatorium.* Curnè, dum sacra diuidit officia, stemmataque ex quaque persona recenset, diuisimque partitur; erga Spiritum sanctum triclinium applicuit, cùm potiùs id toti Trinitati debuerit apponi? Annè, quia Spiritus sanctus ternarium implet, extimâque processione numerum sistit, fœcunditatisque vbertatem sedat, ne excurrat? ideò sicut vltima vnitas, iuxta quorundam placitum, formam numero impendit; sic Spiritui sancto ternarius ille sacer quasi coronidi irrogetur, & exinde Maria erga Spiritum sanctum triclinium sit? Id non sine acumine cogitaueris. Verum ad Mariæ indolem calamus it. Nescit nisi triclinium audire, licet cum vna persona seorsim componatur. Adeò Triadem sibi resculpsit, vt quâ prospicias, Trias clareat, & totius numeri agnitionem inspiret. Ideò apud Valentinum triclinium Filij, apud Carthusianum triclinium Spiritus sancti decantatur.

47. Cur Angelus præpostero situ à Spiritu sancto

Luc. 1.

orditur, dum conceptionis virgineæ pandis rationem: *Spiritus sanctus superueniet in te?* Satius à Patre Altissimo auspicaretur, vt sanctæ Triadis ordinem sectaretur. Ast in Maria non sic scrupuloso metro agendum: siue istac, siue illac progrediaris, omnis Trinitas propalatur; triclinium est, ternarium spirat: licèt ab extrema persona exordium sumas, aliæ duæ delitent sub voce.

Ibid.

Quàm illicò: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi:* queis verbis *Virtus* pro Filio Dei; *Altissimus* pro Patre superno describitur. Quantumuis à tertia persona primordium, omnis Trias facili argumento deducitur, cùm virgineum triclinium arguat Trinitatem. Paulinus Aquileiens. contra

Paul. Aquil.

Elipand. col. 4. *Spiritus sanctus superueniet in te; habes Spiritus sancti tertiam de Trinitate personam. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. In virtute namque Altissimi Filij persona demonstratur: quia ipse est Dei virtus, Deique sapientia. In Altissimi nomine, Patris nihilominus persona accipienda est. Dicant ergo, si valent, hæretici; quòd si nequeunt, catholicis se humiliter salubribus subdant documentis: Quæ de his tribus personis illum adoptauerit, cùm tota eum Trinitas in vtero immaculatæ operata sit Virginis?*

48. Rem actiùs vrgeo. Non solùm quæ ad ternarium attinent personarum, in Virgine nostra sub sacro numero affulgent, verùm quæ vnitatis, & essentiæ sunt, vt impensiùs in Maria Trinitas elucear, quasi sub eiusdem numeri auctario proferuntur. Si hoc firmauerimus: oleum auspicatò erogabimus. Præmisi: in triclinio candelabrum perpetuis ardêre luminibus. His conuiuantium mensæ, decumbentium lectuli illustrabantur. Non obscuratur triclinium Marianum, non noctis nocatur iniuria, quin extera lampade indigeat, quæ lectulus est, quæ mensa Trinitatis, ipsa sibi candelabrum micat. Hùc aduoco Epiphanium serm.

Epiph.

de laud. Virg. *Ipsa est fidei mensa intellectualis, quæ vitæ panem mundo suppeditauit. Locuples est, charissima, & virtutibus plena mensa virginea, omnis quibusque cibis abundans, quibus terra fruatur. O candelabrum virgineum!* En concito gradu è mensa ad candelabrum tetendit Epiphanius. Cuius non alia ratio comparet, quàm tripudis, tricliniique vsus, & indoles. Non sat est candelabrum istud, quippe si triclinium Trinitatis est, tribus opus est luminibus enitêre, (in nobilioribus enim tricliniis lumina ingeminata audisti ex Vitruuio) triplici lumine illustretur, sicut triplici personâ redimitur. Sanè Verbum à Patre lumen de lumine recinitur. Annè Spiritus sanctus lumen audit? Audit quidem. Id peculiariter obseruo apud

Iustin.

Iustinum in exposit. Fidei: *Alter lumen è lumine, non tamen genitiuè, sed processiuè prouenit; videlicet Spiritus sanctus.* Suffragetur Concilium Ni-

Conc. Nic.

cænum libr. 2. §. illud: *Lumen est Filius ex Patre*

lumine, lumen etiam Spiritus sanctus ex eodem lumine. Si igitur vsus luminis in hoc triclinio est? in lumine vidit lumen, & præpropera visione tanto collustrata fulgore, Trinitatis intuebatur abyssum. Vera sunt ista. Sed lumen, vtpote ad essentiam attinens, numerum non suffert. Sanè tres personæ diuinæ (si proprietati Theologicæ incubes) non tria lumina, sed vnum lumen sunt; quippe lumen non originem præsignat, nec pertinet ad notiones. Id videre est apud Athanasium orat. 4. contra Arrianos. August. 7. de Trin. c. 3. & c. 4. & lib. 3. contra Maximin. c. 13.

Athanasius. August.

49. Ergo ex lumine, quod Marianum nobilitat triclinium, non coniectura Trinitatis eruitur, vtpote non geminato lucis numero, ne essentiæ vnitati derogetur. Benè. Id supra prodigium Virginem nostram extollit, in qua Trinitatis sacramentum securo fulcro stabilitur; nec à numeri, vnitatisve timet iniuria; licèt numeri subcrescat stylus, ternariusque de lumine proferatur; vt vndequaque triclinium hoc Trinitatem halet; inconcussa veritas vnitatis, & numeri perseuerat. Vis probem? Ex Virgine Verbum, quod lumen est, trilucem edocuisse dicitur Deitatem. Iam suprà dedimus Damascenum: iterum dare, & addere iuuat in Cantic. Ecclesiast. Sono 2. Ode 6.

Damascen.

Lucidissima Dei ô Genitrix,
Eximio in mari bonitatis
Incomprehensibilem ellampseos tuæ,
Trilucisque Deitatis,
Lucis auctorem radium mihi dona.

Vbi trilucem Deitatem, quasi propriam Virginis vocat, & quasi iam ab ipsa Trinitas mentibus nostris illustrata resplendeat. Canit iterum in Sono 1. Ode 5.

Virgo intacta, omnes
Tuum Vates prædixerunt
Partum mysticum, & qui sit
Prorsus ineffabilis:
Quem nos certò nouimus
Mystagogum esse vnius
E trisolari Deitate.

Vide, quàm suauiter consonent ista cum triclinio tergeminis lucibus splendenti. Vtquid tam concinno carmine sic Damascenus in numero lucis excurrit, quòd trilucem, & trisolarem Deitatem nuncupet, cùm solùm vna lux sit, vtpote pertinens ad essentiam; Forsan sic audet: quia Mariam canit, in qua secura est Trinitas; nec timet ab additamento multitudinis: stabilis in suo Triclinio persistit. Præcipuè quia etsi lumen ad essentialia referatur attributa, iuxta Fortunatum in vita S. Martini lib. 1. c. 9.

Fortunat.

Rem Patris, ac Geniti æqualem, vel Spiritus almi,
Vim, genus, ac speciem, virtutem, lumen, honorem,
Vnum velle trium sua per tormenta fatetur.

Attamen tria lumina solent efferri iuxta aliqualem significationem originis, quod Theologus Nazianzenus edocuit in serm. de Epiph. dum ait: *Omnino vno lumine illustramur simul, & tribus; tribus quidem secundùm vniuscuiusque proprietates, siue substantias, sicut placet aliquibus dicere; siue personas.* Trilucem Deitatem apud Hymnographum Metrophanem inuenio.

Nazianzen.

Metroph.

Vt hominibus vnicam.
Trilucem tuam monstrares Deitatem,
Hominem creauisti,
Et mentem, Verbum,
Spiritumque dans: & benignus
In tribus thearchicis hypostasibus
Principium dixisti.

Trilux ergo, & trisolaris Deitas è Mariæ triclinio exponitur; non quia numerus auctarium recipiat; sed vt hoc stylo aliquantùm demisso personarum Trias adumbretur. Forsan trilux dicitur ostendi Deitas ex Maria: quia adeò ob Virginem hominibus abundè innotuit, vt non iam vna lux; verùm & triplex enituisse videatur, vtpote agnito Personarum ternario. In Maria tuta graditur Trinitas ab incremento, à decrementoque: Triclinium est; non persona subcrescit, non curtatur. 50.

Quartus in hoc triclinio non recubat, non suffert, quod canebat Horatius de triclinio 1. ser. satyr. 4. 51. Horat.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos:
E quibus vnus auet, quauis aspergere cunctis,
Præter eum, qui præbet aquam.

Hùc copiæ ciendæ sunt, vt probemus, adeò Marianum triclinium esse Trinitati commensum, vt quaternitatis monstrum, quod hæretici inducere blaterabant, obtruncet iuguletque, ne numerus excurrat; sed ternarij sacramentum subsistat.

Censeo quaternitatem in Deo primùm instillauisse Serpentem, concupiisse Adamum, debellauisse Mariam. Genes. 3. post deprænsam ficum, inuerecundamque nuditatem: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Ex quo Trinitatem euincunt Patres. Basil lib. 5. contra Eunom. Nyssenus lib. de Trinit. & alij. Et quidem contradicentia videntur, *quasi vnus ex nobis*, & tamen *factus*; cùm nulla ex personis facta fuerit. Filius non factus; sed genitus: Spiritus sanctus non factus, neque genitus, sed procedens. Vlteriùs: cur vnus ex nobis; non verò vnum ex nobis? Saliente supercilio, superbique appetitus pruritu, Diuinitatem sibi Adamus concupierat ad dæmonis dolum. Diuinitas in tribus personis, vnum est; vnus verò ex tribus, vnaquæque. Igitur vnum illud ex ficu male pransa, si veritas esset piaculo, contigisse debebat Primigenio; nempe Deitas. Certè licèt ironiam sonet, in ipsamet incarnationis auspicium ingenioso præludio prælibatur, & dirum hominis flagitium ostenditur. Retegitur Trinitas: nam qui, *vnus ex nobis*, dixit, singularitatem personæ diuino Numini denegauit. Ast hominem aduersus personarum numerum sacrilegos spiritus inuexisse, subtili dictione monstratur: si etenim quasi *vnus ex diuinis personis*; & non *quasi vnum*, addere personam Triadi gliscebat, & quaternitatem ex Trinitate efformare. Proh nefas! Proh numerosum scelus, nouum numerum in Diuinitatem meditari; & qui ad staturam suam nec hilum addere potuisset, Numinis vlteriorem machinari personam! Ingenium est Ruperti lib. 3. in Genes. c. 8. *Adam ergo, inquit Dominus Deus, quasi vnus ex nobis factus est, vt iam non simus nos Trinitas, sed quaternitas, quanquam non cum Deo Deus, sed contra Deum affectauerit esse Deus.* Ecce Trinitas reuelata Ecce in Trinitatem scelus; Sublatetnè ad Filium Virginis respectus? Sanè nequibat absque hoc charactere Trias exprimi. *Quasi vnus,* inquit, *ex nobis factus.* 52. Genes. Basil. Nyssen. Rupert.

Ac si diceret: Adami piaculum in id Trinitatem adigit, vt Adam, vnus ex nobis factus sit; & qui adhuc non erat factus; sed genitus, iam fiat homo: & per incarnationis œconomiam mittat Deus Filium suum factum ex muliere, natum sub lege. Quaternitatem cupiebat Nebulo ille; qui

Primige

Primigenio, versuto spiritu, inspirauit piaculum similitudinis ad sapiens Numen: quaternitatem amabat Adamus vt iam non simus nos Trinitas, sed quaternitas: igitur homo factus est vnus ex nobis qui etsi homo sit, non quaternitatem inducat, cum personæ numerus non subcrescat.

53. Filius Dei Filius Virginis fuit; adeò tamen, vt Primigenij aboleat flagitium, Trinitatem in virginea carne ostendere curat, vt non quaternitatem inducat, nec auctarium creet: cùm potiùs Virgo, ex qua carnem assumit, Trinitatis aula

Athanasius. sit. S. Athanasius epist. ad Epictet. Episcop. *Trinitas autem, Verbo corpus ex Maria assumente, in suo ternario permansit, nullum in se recipiens auctarium, aut diminutionem; sed perfecta semper est, & in vna Deitate Trinitas agnoscitur.* Quam sententiam vt percipias, scias extitisse quosdam hæreticos blaterantes, quòd si Verbum Dei corpus accepisset ex Maria; non iam Trinitas, sed quaternitas obtigisset Deitati. Feritur hæreticus ab Athanasio; vtpote quia in Virgine non diuini Numinis additamentum aliquod fuerit cogitatum, sed potiùs retecta Trinitas: nec ob id caro ex Maria eiusdem est substantiæ Trinitatis, vt & ipsi allucinabantur; (vide quàm cognata cum Trinitate Virgo) sed vtrumque scitè, & fideliter connectitur, & quòd caro ex Maria sit, & quòd Trinitas inuariata perduret. Sic Athana-

Idem. sius in eius fermè epistolæ initio. *Quis istam nefariam excogitauit impietatem, vt asserant, eum, qui dicit ex Maria editum esse Dominicum corpus, non iam Trinitatem, sed quaternitatem in Deitate constituere; ac proinde eos, qui ita sentiunt, eosdem & carnem dicere, quam ex Maria induit Saluator, esse substantiæ Trinitatis.* Id multis prosequitur Athanasius.

54. Gen. 3. En quàm Trinitati addicta Virginis caro, quæ in illa Trinitatis sententia delitebat: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Similitudinem Filio tentauit arripere, diuinamque constitui personam, inducta quaternitate, vt cogitabat Rupertus; & tamen medela est, & reparatio, quòd vnus ex nobis, id est, ex Trinitate, fiat Adam, id est, ex humo homo, qui Trinitatis numerum non extorqueas; quamuis ex aliena natura, quam gerit, quartus aliquomodò nuncupetur, non personarum incremento, sed originis nouitate. O sapiens, ô pium inuentum! Quia quaternitatē adamabat scelestus ille, apparet quartus pro medicamine: quia Trinitatem respuebat, in Trinitate perfecta ipsemet, qui apparet, perseuerat. Annè quartus nuncupa-

Dan. 3. tur? Sanè. Daniel. 3. *Species quarti similis filio*

Tertull. *Dei*, quod de Deo homine solet accipi. Tertullian. lib. 4. aduersus Marcionem. *Hic erat visus Babylonico Regi in fornace cum martyribus suis quar-*

Iren. *tus.* Irenæus: *Patris Verbum non in vna figura olim videbatur, sicut in Daniele scriptum est, adsistens tribus pueris in fornace ignis, & liberans eos.*

Arnob. Conflictus Arnobij & Serapionis: *Si non deserti sunt tres pueri in camino ignis; sed ipse, qui semper fuit Filius Dei, vbi inter tres quartus apparuit: quantò magis non dereliquit sanctum suum, cùm cœpit in vulua Virginis concipi.* Curnè quartus, cum vox ipsa forsan ausum præbeat erroris, hæreticoque suffragari delirio timeatur? Censeo ideò *Quartum* absque lapsus periculo, aliquali styli phrasi proferri; quia, vt dicebat Arnobius in verbis elapsis *Cœpit in vulua Virginis concipi*; & dum Virginis caro intercedit, tuta fit Trinitas; non à quaternitate timet? cùm potius collyrio oculos hæretici detergat.



Quartus est ob naturam humanam; non ob personam, An ob naturam nudè? Meditor ob naturam virgineè à Virgine conceptam. Ob Virginem *Quartus*; ast quia ob Virginem, secura est Trinitas, ternarij non periclitatur fides. Probo. *Quartum* nuncupari, quia ex Virgine ortus. Triplex productionis modus extiterat; absque viro & fœmina in Adamo; absque fœmina ex viro in Eua; ex masculo & fœmina in Abel. *Quartus*, ex fœmina absque viro, nouo prodigio obtigit in Maria: quia tres perierant, *Quartus* reparat ex Matris virginitate: *Quartus*, qui secundus ex Patre est. S. Augustinus serm. 20. ad Fratres in eremo. *Tres enim perierant, & subsequutus est quartus, Redemptor eorum Deus. Primus sine masculo & sine fœmina, vt Adam: secundus de masculo sine fœmina, vt Eua de Adam: tertius de masculo & fœmina, vt Abel: Quartus de fœmina sine masculo; vt Saluator mundi, qui de Beata Maria Virgine hodie pro nobis nasci dignatus est.* Hugo Victorinus in Allegor. de Verbo incarnato collatio. 3. eundem sensum amat, communisque Patrum censio est. Bonauent. tom. 3. opusc. 4. p. Breuiloq. cap. 3. Damian. serm. 11. de Annunt. col. 5. Honorius in Sigil. B. Mariæ c. 1. Chrysopolitus lib. 1. in vnum ex quatuor c. 5. apud Biblioth. tom. 12. ad illa verba: *Christi autem generatio sic erat.* Guitmundus de verit. Eucharist. libr. 1. c. 12. Qui vno agmine censent quartum generationis modum completum in Virgine. Cur generationem increatam non memorant! An, ne in numerum creaturarum subintret, quæ omnium generationum exemplar est? Bene. Meditor non fuisse opus diuinam memorare generationem: quippe in virginea Mariæ genitura, eius sacra memoria fidelibus mentibus ingeritur; vtpote in qua & superbenedicta Trinitas inclaret, & fœcunda virginitas ad diuinam personam generandam. 55.

August.

Hugo Vict.

Bonau. Damianus. Honor. Chrysolog. Guitmund.

Genes. 15. ad Abraham Trinitas spondet, *Quarta generatione reuertentur hic.* Ergonè Trinitas Quaternitatem amat, hunc numerum optat, aduentumque ad quartam generationem protelat? Qualis hæc generatio, quæ non [illegible]at Trinitatem nec temerat numerum; sed Trinitatem quarta tutatur? Certè generatio ex Virgine. Adsit Richard. à S. Laurentio de laudib. Virg. lib. 1. cap. 6. col. 5. *Quòd virginalis conceptio Redemptorem deceret, dictum est Abraham Genes. 15. Cùm reuersio seminis sui prædiceretur ei pro hoc verbo: quartâ generatione reuertentur hic. Prima generatio fuit in Adam sine viro & fœmina: secunda in Eua de viro sine fœmina: tertia in nobis de viro & fœmina: quarta, scilicet Christi, sine viro de fœmina. Et hæc singularis: nec alia poterat inueniri, quæ posset succurrere tribus primis: sed ista tres alias ad patriam de captiuitate deduxit.* Idipsum Albertus Magnus in cap. 1. Luc. verbo *Desponsatam.* 56.

Genes. 15.

Richard. à S. Laur.

Alb. Mag.

Ideò forsan, *Beatam me dicent*, inquit, *omnes Generationes.* Cur omnes distributiuâ voce? Vt censeretur quadruplex iste generationis modus, qui in Virginea completur, quæ à triplici, quæ perierat, ob reparationem beatur. Succedat ipse Richardus lib. 4. col. 6. *Beatam eam dicunt omnes Generationes, quæ perierant: prima sine patre & matre, vt in Adam: secunda de Patre sine Matre, vt in Eua: tertia de Patre & Matre, vt in Noë, Abraham, & cæteris omnibus: quartâ autem generatio de Matre sine Patre, quæ fuit in Christo,* 57.

Luc. 1.

Richard.

libe

liberauit tres prædictas. Nunquid in quadruplici generatione sacro Triados numero derogatur? Imò quia vltima è Virgine nostra procedit, Trinitas conspicua eulgatur. Aduoco S. Leonem, homil. 3. in Natali Domini: *Si feliciter perscruteris; præter hunc legitimum humanæ conceptionis vsum, tres valdè mirabiles nascendi species operatam reperies Trinitatem. Et prima est quidem, quòd Adam figuratus ex limo est: secunda, quòd mulier formata de masculo: tertia, quæ & cœlestis est, quòd Christus processit ex Virgine.* Vt quid Trinitati ternarium hunc generationum adscribit, quasi communem generationis modum sub consuetudinis vulgo contemnens; cùm suppar in vnaquaque Trinitas concentrat? Equidem triplicem elegit, omnipotentiæ & virtutis ergo, quæ creaturarum curtis non eget officiis; sed in prodigium vsque heroli Maiestate procedit. Dum ad Virginem peruenitur, Trinitas elatet: quantumuis quadruplex generationis indoles sit, trifariam deligit Trias, vt in numero propaletur. Impensiùs meditor, ideò à Leone Trinitatem ad opus accersi, quia tertia ex Virgine id exigebat. Audi. *Tertia quæ & cœlestis est, quòd Christus processit ex Virgine.* Quid cœlestem nuncupat, cùm in cœlo solus Pater absque matre progignat? Imò quia generatio ex Virgine superni Patris generationi similis affulget, idcòque cœlestis iure perhibetur, opus fuit præcauisse, cœlestem hanc generationem à tota Trinitate prolifico operatam illapsu; ne putares à summo solùm Genitore patratam, nec dissidere ab æterna. Nec potest in Trinitatem quaternitatem inducere, quæ Trinitatis est opus.

58\. Et in quaternitatis generationum coronida Maria, idepque *Quartus* Christus sapientissimus Princeps inter tres: & tamen semper triclinium, tribus tantùm discumbentibus, tribus conuiuantibus, stato ternario congaudet. Maria excrescentem numerum sistit. Hæreticum iugulat, qui in Diuinitatem meditatur augmentum. Quid causæ? Quoniam finns Marianus Verbum Dei sibi vendicat pro sobole. Verbum Dei suopte munere totum intellectus Paterni fontem exhaurit, potentisque virtuti [illegible]nam absumit; nec in vlteriorem sobolem laxat facultatem: quâ Pater intellectu pollet, omnem impleuit fortem, genito Verbo. Verùm quia supeiest amor, in infinitam personam amoris exuberat; nec excursui locus manet: Trinitas iam est. Ast insurges: Cur genitus à Virgine, dispar à Verbo persona non fit, personisque non suggerat incrementum? Quia caro Virginis ex singularis puritatis dote in spiritalem Verbi functionem assumpta, Verbi sibi personam exigebat; ex eo quòd proprium Verbi est etiam carnea, materialiaque spiritali, immaterialiaque nobilitate vestire: sic intelliguntur obiecta immateriali, defœcatàque sorte. Verbo Dei, & Mariæ consonum consortium est, quæ etiam in carne per virginitatem modum imitata est verbi mentalis in denudatione materialis sarcinæ, malignæque molis, & in subiectione ad spiritum. Vnde quæ carnem Filio datura erat, priùs Spiritum sanctum accepit, nobilissimo quidem fœnore, vt illa caro multum spiritalis dignitatis habere censeretur, cuius pretium Spiritus sanctus erat. Ergo non alius nasci debebat ex Maria, nisi Verbum Dei. Hinc Christus non alia persona à Verbo Dei est. Quod si ex Maria Virgine non oritur nisi Deus; (nec enim alium fœtum eius virginitas admittit) si alius Filius Virginis, & alius esset Dei Verbum, quaternitas induceretur, & Trinitatis debellaretur mysterium. O quantum Mariæ præconium! Nouens, si in triclinio tuta sit Trinitas. Suppetias ferat S. proclus in serm. de Natiuit. tom. 1. Concil. in Actib. Ephesin. c. 7. *O Manichæe, nisi me induisset, me non saluasset: verùm quia ex Virgine prodiit, ille me condemnationi obnoxium assumpsit. Quo fit, vt admiranda quadam commutatio hic interuenerit: dato namque Spiritu, accepit carnem, idem cum Virgine. Et hic quidem ipsam obumbrauit; ille verò ex illa carnem induit. Si alius est Christus, & alius item Dei Verbum; iam non Trinitas: nam & Christus quoque Deitatis expers non est.* Expenite Procli rationem, quæ mirè pro Mariæ inuigilat dignitate: *Dato namque Spiritu, accepit carnem, & hic quidem ipsam adumbrauit*, quasi Spiritus sanctus pro carne Mariana pretium fuit. Maria carnem erogat; Deus Spiritum diuitéque fœnore, dum caro assurgit in Deum, Spiritus sanctus pro sacro pignore rependitur; quasi non alius mune is redonatio contractum ex carne debitum lueret, cuius alia nequit esse ratio, nisi quòd caro illa sigillata fuit ad Verbum Dei; Verbi autem velutì portitor, siue vehiculum est Spiritus, vt alibi edisseremus. Vlterius, obserua illud: *Si alius est Christus & alius item Dei Verbum; iam non Trinitas in diuinis erit; sed quaternitas: nam & Christus quoque Deitatis expers non est.* Quæ verba hanc rationem parant: Si Christus Verbum non est, quaternitas Deitati adsciscitur, nam Verbum cum Patre, & Spiritu Trinitatem efformat: quod si seorsim Christum acceperis, aliam personam diuinam ariolaris; quippe nescit nasci Christus à diuinitate extorris, nequit è Maria Filius cogitari, quin Deus sit. Quæ ratiocinatio supra omnem excellentiæ sortem Virginem nostram extollit: cùm omnino eneruis sit, & inualida: nisi Proclus supponat Mariam iuxta Virginitatis subsignatum sigillum, non vllam personam parere potuisse, aut voluisse, nisi diuinam. O quanta cum diuinitate necessitudo!

Hinc illud animum vellicat. In Christo duplicia sunt cætera: cur non persona geminatur? Duplex natura, duplex generatio, duplex voluntas, actioque duplex; cur sic in hypostasi curtatur, cùm duplum ament cætera? Auscultate Cyrillum Hierosolymitanum catech. 15. de Christo incarnato: *Nam vt plurimum duplicia sunt omnia apud Dominum Iesum Christum: duplex generatio, vna de Deo ante sæcula, & altera de Virgine: duplex aduentus, vnus occultus, qui est sicut pluuia in vellus; & alter illustris, qui est futurus.* Sanè, quia si personam geminaret, quaternitatem inueheret, Trinitatem extorqueret: nec ex Virgine Christus valet oriri, quin Trinitas perseueret. Verùm qualis obea hic: siquidem, vt altera natura, generatio, actio, voluntas, in Christo humana est, nec diuinitati notam inurit: sic & altera personalitas non diuina, numerum Trinitatis non euerteret? Absit. Imò diuinam personam in Trinitatis stabilitate subsistere necessum est; nec è Maria persona oritur, quin diuina. Expende rationem Ildephonsi lib. contra eos, qui disputant de perpetua Virginit. Mariæ. *Nunquam ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut cæteri nascuntur infantes, vt ei ex adoptionis gratia prærogatiua Filij præstaretur; sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, vt totus esset Christus proprius* 59.

Dei

S. Leo. Procl. Cyrill. Hierosol. Ildeph.

Dei Filius, non ex dono gratia renascendo, vt cæteri; sed salua proprietate vtriusque natura. Personam verò hominis ideò non assumpsit, sed tantum hominem; quia ipse persona tertia cum Patre, & Spiritu sancto in Trinitate Deus vnus semper fuit. Idcircò iure, quod habuit in æternitate, personam non assumpsit; sed hominem in tempore, ante quem non habuit. Ne quaternitas subreperet, personam non sumpsisse docetur. Quæ ratio inops est, nisi superioribus locupletes. Pulchrè Ildephonsus tem calluit pro Virginis excellentia, cui non solùm Filius Dei vtcumque, sed totus Filius Dei per naturam adest pro pignore. Quod si personam crearet, aut assumeret; licèt per gratiam Filius Dei esset idem, qui Virginis; attamen non totus, sicut ex Virgine, esset & Dei; vtpote cùm noua personalitas, exteraque hypostasis sectionem induceret, & contubernium laceraret. Hic nucleus est in illis. *Sine persona hominis, vt totus esset Christus proprius Dei Filius.* Imò Christus, Verbumque Dei, tertiæ personæ subit vocabulum, cùm tamen secunda sit; quasi armato milite ternarium custodiat, & in tertia statione defendat; vt quamuis excrescat numerus in natura; personarum tamen inconcussus subsistat. Non te pupugit illud insolitum in Ildephonso: *Quia ipse persona tertia cum Patre, & Spiritu sancto in Trinitate Deus vnus semper fuit?* Cur sic stylum inuertis, situm immutas tertiamque personam appellas, quæ ex iure originis secunda est? Certè Spiritus sanctus, qui tertia persona est, aliquâ luce secundæ rationem obit, qua nexus, mediaque Patris & Filij illigatio sit S. Tho. 3. p. q. 37. art. 2. ad 3. *Secundùm originem Spiritus sanctus non est medius, sed tertia in Trinitate persona, secundùm verò prædictam habitudinem est medius nexus duorum ab vtroque procedens.* Cæterùm Filius quàque prospexeris, ordinem processionis inconcussa stabilitate custodit. Verum est, nec diffitetur Ildephonsus: tertiam nuncupat personam, non vt deroget originis ordini; sed potius quia Verbum, etiam caro ex Virgine factum, ternarium illum, quasi in extremo situ stans, custodiat, munúsque præripiat Spiritus sancti, qui, vt infrà dicemus, complementum, finisque Trinitatis nuncupatur. Igitur adeò à quaternitate, nouæque personæ sodalitio Verbum incarnatum dissidet, quòd imò pro tertia persona sit, vt stabilis Trinitas perseueret.

S. Thom.

60. Didicisti naturam in Christo geminari, non personam; ne Trinitas inductâ recenti hypostasi læderetur. Adhuc tamen pro Virgine noua vestigatio sit. Imò ideò duplex natura in Filio Virginis fuit innexa; ne in illo persona subsisteret, à Filij Dei persona distincta. Nescit Maria gignere disparem personam à Verbo. Ideò opus fuit, quòd in eius vtero duplex natura vinciretur, humanitas scilicet, & diuinitas, vt & Deus Pater hominis, & Maria Dei mater efferretur. Si enim sola humanitas expers coaluisset Deitatis, noua personalitate indigeret: & quia ex Maria persona orta haud patitur diuinitate non pollêre; inopinò quaternitas maligno subintraret errore. Expedit frui acumine Fausti Rhegiens. epist. ad G. Diacon. contra Nestor apud Biblioth. tom. 5. p. 3. *Nos, inquam, ita Deum, Patrem hominis sub personæ vnitate testamur, sicut sub eiusdem vnitatis amplexu Matrem Dei hominem confitemur, iuxta Symboli auctoritatem, (vt alia prætermittamus) quia dicimus: Credo & in Filium Dei Iesum Christum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Quod si talis error est, in Domino Saluatore vnam, & simplicem credidisse substantiam: qualis error est duplicem asseruisse personam: Nam si in societate carnis assumpta formam famuli Deus induit: duæ substantiæ non fuerunt: Ergo in homine Deus non fuit, & separata à Deo persona hominis fuit; ac sic sub tali sensu videbis subitò quartam, nescio vnde, accreuisse personam, & in hunc intellectum prauitatis consequentia præcipitaberis, vt iam non Trinitatem necesse sit confiteri.* Vide quàm arctum inter Patrem supernum, Matremque Virgineam commercium. Ideò duplex substantia in Christo est, vt Deus, Pater hominis: Maria, Mater Dei existat: ideò duplex, ne persona noua auspicaretur esse, quæ, inducta Quaternitate, in Trinitatis irrumperet sacramentum. Quod argumentum Rhegiensis admodum videtur imbelle. Quid enim, rogo contra Trinitatem inuehitur, cur illi quaternitatem incutiat, qui hæretico dixerit errore, in Filio Virginis non personam diuinam humanitatem terminasse? Sanè aduersus incarnationis sacramentum sacrilego impeteret ore sic impudens hæreticus. Verùm quid illi cum auctario Trinitatis? Ingenium pro Virgine est. En sensus: Ex Maria nulla persona nascitur, quin diuina: quisquis dixeris non esse personam Filij Dei Filium Virginis; pronum est, quaternitatem inducat: siquidem quæque ex tribus diuinis personis, in eo errore, à Filio Virginis distinguitur; & tamen ex Maria non nisi diuina persona generatur.

Faust. Rhegi.

Sed forsan vrgeas: Etsi personæ numerus in Christo non sit, sed hypostasis Verbi vtramque sibi naturam deuinxerit; sat est ad Quaternitatem, corpus ex Virgine assumptum alius naturæ, alius substantiæ, degenerique à Diuinitate qualitate compactum. Si corpus ex Maria est, peregrinum est, exteræque, & declinis substantiæ; quare numerum agit, & auget. Abeant quotquot sic effutiebant corpus Christi eiusdem substantiæ cum Verbo blaterantes, ne quaternitas insolesceret. Ferit hæreticos Maria. Potius quidquid ex Maria est, custodiæ inuigilat Trinitatis. Magnum Virgini est, tantum cum Diuinitate habuisse contubernium, vt caro, quam dedit Filio Dei, ob Virgineam nobilitatem, ita Deitati censeatur contribulis, vt decipiatur hæreticus, & ex huius carnis in Filio Dei additamento, stupidè quaternitatem aduersus diuinum ternarium inducat. Perfidus errat; imò Maria vindex Trinitatis est. Quod creatur, incrementum diuinitati non addit. Athanasius epist. ad Epictet. col. 7. *Πάλιν γὰρ καὶ ἐν τῷ ἑτέρῳ αὐτῶν σοφίσματι, πολλὴν τὴν ἀφροσύνην ἔξεστιν ὁρᾶν, ἐν οἷς διὰ τὸ εἶναι καὶ λέγεσθαι ἐν ταῖς γραφαῖς ἐκ μαρίας εἶναι καὶ ἀνθρώπινον τὸ σῶμα τοῦ σωτῆρος νομίζουσιν ἀντὶ τριάδος τετράδα λέγεσθαι ὡς προσθήκης γενομένης διὰ τὸ σῶμα. Πολὺ πλανῶνται τὸ ποίημα συνεξισοῦντες τῷ ποιητῇ. Est autem vnde magis horum stultitiam ex altera cauillatione deprehendas; siquidem ex eo, quia narrant in scripturis ex Maria genitum esse humanum corpus Saluatoris, ariolantur, & somniant ex Trinitate quaternitatem reddi, & quasi addidamentum aliquod, & appendicem Trinitati accedere. Multùm allucinantur, qui creaturam creatori exæquant, arbitranturque Deitatem auctarium aliquod accipere posse.* Sic ille. 61.

Maria

Maria Complementum Trinitatis quo ingenio.

SECTIO VI'.

62. AT DEO vulgus elogium hoc adamauit; adeò excudunt typi ; adeò sugg. sta sonant ; vt iam illepidum stupidumque videatur illud iterum voluere. Verùm nescio si aliûs instituti magis proprium sit, quàm nostri, quo Virginem Matrem ex sanctæ Trinitatis sacris laudibus honoramus , attributaque argumentosâ operatione , veluti in florido calatho, componimus. Fertur, Mariam ab Hesychio nuncupatam Trinitatis complementum Durum erit euincere nunquam hanc mentem Hesychio insedisse: altè etenim sibi id infigunt, etiam sacræ literaturæ Proceres. Verùm quia Mariæ laus veritas est,nec simulatis amat obsequiis perorari;non sufferr animus subticere,neutiquàm in hunc sensum Hesychium iuisse. Si totam periodum percurras,luculenter concludes,alium esse Hesychij saporem. Auscultate orat. 2. de laudibus Virgin. *Arca Noë tres contignationes habebat ; hæc autem vniuersum Trinitatis complementum ; quandoquidem & Spiritus sanctus adueniebat , atque hospitabatur , & Pater adumbrabat , & Filius in vtero gestatus inhabitabat.* Construe syncerè , illico argues lapsum : adhuc enim *complementum* in nominandi casu accipitur , cùm tamen in accusandi casu sit : fefellit patilis terminatio.Quòd autem sit accusatiuus ; priora & sequentia manifestò conuincunt. Priora ; nam ecce comparatio: Arca Noë tres habebat contignationes , Maria autem (quam arcam ex similitudine compellat) vniuersum habebat Trinitatis complementum. Nisi sic illigaueris , hiulca oratio est. Quo enim alio verbo nectitur ly *Complementum* , si à ly *habebat* , seiungas ? Posteriora satiùs probant; vtpote quæ thesis ab Hesychio propositæ dant rationem. Ductilis constructio est: *Maria autem habebat vniuersum Trinitatis complementum ; quandoquidem & Spiritus sanctus adueniebat , atque hospitabatur , & Pater adumbrabat , & Filius in vtero gestatus inhabitabat.* Græca , si desideras , hæc sunt : Αὐτὴ δὲ τοῦ Νῶε τὸν κοιτῶν ἰβάςεσιν ἔχειν διώροφα, καὶ τριώροφα ἐκέκτητο· αὐτὴ δὲ ὅλον τῆς τριάδος τὸ πλήρωμα, ἐπειδήπερ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐπεδήμει, καὶ ὁ πατὴρ ἐπεσκίασε, καὶ ὁ υἱὸς ἐνοικῶν κυοφορούμενος. Equidem eadem deceptionis occasio in terminatione Græca est:nam quod Latinè complementum,Græce est Πλήρωμα. Cæterùm,vt diximus,perspicua mens Hesychij est. Verùm lubenter annuimus , & conniuentibus oculis , communi acceptioni subsignamus. Iam elogium istud religiosa deuotione literatorum chorus decantat.Ergo & nos denegabimus neruos , nec pari celebritate, cum tot bene sonantibus linguis recinere despiciemus ? Imò datâ operâ,momenta huius elogij discutere,in animo est, eiusque nouas v. stigare rationes.

Hesych.

63. Ordiamur ab Hesychij ratione , quàm subdit: quare Trinitatis nuncupauerit complementum : *Quandoquidem & Spiritus sanctus adueniebat, & hospitabatur , & Pater obumbrabat , & Filius in vtero gestatus inhabitabat.* Expende causam nomenclaturæ , & attributi. Completur ne Trinitas,dum Spiritus superuenit, Pater obumbrat, Filius in vtero gestatur ? Acumen in eo subodoror , quòd Filius Diuinus è mente Patris nascitur, qua Verbum, mentisque terminus, qui totam cognitionis rationem coronat. Verbum autem seu mentis sermo duplici generatione potitur, & à mente, & ab ore : ab illa interiùs oritur : ab hoc exteriùs personat : ab illa subobscurus latitat ; ab hoc lucidus clarescit : ab vtroque autem non discedit. etiamsi auribus donetur alienis. Verbum Patris Diuini quondam vnâ tantùm generatione potiebatur , solùm è mentis vuluâ, indefessâ parturitione , prodibat : inde subobscurum , caligineque septum sinum incolebat : omnino spiritale, quasi auaro secessu lucem inaccessibilem habitabat. Nonne alteram cuperet generationem, quâ sermo ille & sonaret in auribus, & elucesceret sub conuexis , & carneus prodiret ex ore ; nec iam necessitate solùm parturiretur, sed amore , sed libertate , sed affectu ? Id sanè complementum in Virgine , in qua diuini Sermonis secunda quasi à carneis labris generatio: vnde iam homo Verbi imaginem non subobscuro potret limo , quasi per imaginem terreni ; sed reuelato velamine totam pandat Trinitatis effigiem. Fruere ingenio Sancti Athanasij tom. 2. in quæstionibus , quæst. 4. Libet præter morem, etsi longiora , verba transcribere , vt amœneris: *Quemadmodum sermo hominis duas habet generationes, vnam ex anima , & alteram ex labiis : ita etiam Dei Sermo duas generationes habet , vnam quidem ex Deo & Patre , quæ & prima generatio dicitur ; alteram ex carne , quæ & secunda generatio dicitur. Et quemadmodum sermo noster, quando natus est secundum primam generationem ab anima, obscurus est , & non aperitur : ita Dei sermo , quamuis ante secula à Deo & Patre natus est, non tamen manifestabatur hominibus. Et quemadmodum sermo noster , quando volumus , nascitur ex labiis nostris ; ita & Dei Sermo , quando ei visum fuit , natus est ex labiis Prophetarum ; & ex ter castissima Maria & tunc manifestus factus est.* Mirè distinxit ex labiis , & ex vtero : & tamen cùm ex labiis Prophetarum editum prodidit,nondum manifestum extitisse proclamauit. Vix ex ter castissima Maria natum perhibuit,cùm absque vlla intercapedine subdit : *Et tunc manifestus factus est.* Cur rogo,ter castissimam Mariam appellauit? Sanè vt Trinitatem panderet,tunc ex Virgine manifestam.

Athan.

En igitur tibi complementum Trinitatis Virgo est. Nam Sermonis innata indoles , licèt intraneâ , è mente , generatione contenta sit ; attamen carneam ex labris generationem eò impensè amat , quò ex ore oriri , voluntatis & arbitrij est, (vt scitè Athanasius vidit ;) & sic amoris. Nondum ergo in sinu Patris vtramque generationem tetigerat Verbum, & ideò quasi clausis cancellis tenebatur, adhuc non exprimens omnem , quæ sermoni potest contingere , genituram : quod licèt non derogâret primæuæ illius generationis plenitudini , diuinique Verbi perfectioni; tamen inficiabitur nemo, secundam generationem, quâ prima manifesta clarescit ; quasi complementum esse prioris. Prodest huic cogitatui Sanctus Ambrosius de Benedictionibus Patriarchar. cap. 11. *Sicut illam ex Patre , generationem intelligimus ; ita etiam ad consummationem fidei generationem Mariæ intelligamus , quando benedicitur vulua Matris , illa vtique Mariæ virginalis , quæ nobis edidit Dominum Iesum. De quo partu dicit Dominus per Hieremiam : Priusquàm te formarem* 64.

S.Ambros.

in

in vtero ; noui te. Geminam igitur Propheta in Christo substantiam declarauit, diuinitatis & carnis; alteram ex Patre, alteram ex Virgine; ita tamen, vt non exors sua esset diuinitatis, cùm ex Virgine nasceretur, & esset in corpore. Ergo, iudice Ambrosio, post intellectam generationem ex Patre, vt consummatio fidei contingat, generatio ex Maria debet intelligi. Consummationem autem, complementum dixeris. Si consummatur fides, completur vtique: quasi adhuc mediocris, adhuc curta, & expers termini sit, quæ generationem ex Patre attingens, medio in itinere fessa, ad generationem ea Matre non graditur. Quid causæ? Certè quia vtraque generatio cùm Verbi sit; parili sibi, perniâque deductione sociatur, & amico gaudet fœdere; quale commercium inter generationem Verbi, quod intellectus rationali parturit puerperio, & partum oris, quo ex labris soluitur, intercedit. Quare datâ

Hier. 1. vers. 2. operâ Ambrosius locum Hieremiæ accersit: *Priusquàm te formarem in vtero, noui te:* quo loci prima generatio irrogatur notitiæ, adscribitur scientiæ, spiritalique Paterni secreti vuluæ attribuitur: secunda verò, quæ carnea, quæ corporea est, ex vtero Virgineo perhibetur; quasi quæ primam consummet, & compleat: non vt incrementum, auctariúmque subiiciat; sed vt priorem euulget; quale Verbum, quod ore profertur, intraneam mentis depromit cognitionem: nec deserit animam, nec per auras, & aures ventilatum

Athan. disparet. Id subdidit datus Athanasius supra: *Et quemadmodum sermo noster, quando à labiis generatur, non relinquit animam, nec labia propria, nec aures audientium; sed est etiam in anima & in labiis nostris, & in auribus audientium, & non minuitur vnquam, ita & Dei sermo.* Quæ mirè scholiant illa extrema Ambrosij: *Ita tamen, vt non exors sua esset diuinitatis, cum ex Virgine nasceretur, & esset in corpore.*

65. Verum est ad generationem Verbi complendam, nullam posse opitulari creaturam; illa sibi suppetit, sibique satis: nec stipem opis emendicat alienæ, nec temporaneis valet adiuuari suffragiis, omnis enim consummationis vidit finem, quæ intra diuinitatis conceptaculum interminatâ infinitudine pollet. Ast id ita, si solam diuinitatem suspicias: cæterùm si benignam adiungas prouidentiam, pietatísque viscera timeris, quâ Sermo ille genitus nostras ad aures personare delegit; aptum, appositissimúmque inter vtramque processionem fateberis beatum, nempe quâ à Patre gignitur in latibulo, à Matréque parturitur in biuio; quasi secunda natiuitas, etsi verè noua, non noua appareret; sed pristinæ declaratio: sicut in sermone, quem labra resignant, contingit. Subdo

Cyril. Alex. Cyrillum Alexandrinum, homil. 17. de festiuit. Paschali: *Nam ipsa quidem Verbi Diuinitas, si sola consideretur, ac seorsim, eâ, quam habet ex Deo Patre, generatione contenta est. Postquàm vero prouidentiæ consilio nostram sibi similitudinem adiunxit, seque carni, hoc est, humanæ naturæ secundùm propriam rationem perfectæ implicuit; tunc illa sanè citra omnem reprehensionis notam, suique status perfectione nullatenus imminutâ, nostram quoque generationem admisit, non quasi nouum aliquod nascendi initium aliunde accipiens: fuit enim semper, est, eritque, habétque antiquissimam ante omnia tempora subsistentiam; verùm humanam naturam suis legibus, ac rationibus ferri sapienter permittens.* Illico ferit illud in Cyrillo; *Non quasi nouum aliquod nascendi initium aliunde accipiens.* Cùm statum sit, quòd ex Virgine ortus fuerit nouâ natiuitate, nouo puerperio, & dispari cunabulo exceptus, obstetricante omnipotentiâ, prodierit, cœperítque temporaneum ortum metiri, qui ante luciferum genitus emicabat. Ea tamen mens est: Verbum Dei non initium è Virgine sumpsisse; licèt nouam generationem subierit ab vtero: verùm quòd hæc generationis ex Patre quasi appendix fuerit, & intra eiusdem sermonis seriem, cuius proprium est gigni à mente, & ab ore; inde non noua natiuitas, aliqualis luce, videtur: quod enim aliquantulum prioris complementum est; non sine coniectura, quasi indistinctum perhibebis.

Habes iam aliquale Diuini Filij, vtpote Sermonis, ob Virginem Matrem in carnea generatione complementum. Annè eâdem semitâ, Patris, & cognati Spiritus complementum euinces? 66.
Fortunatò sanè. Quippe sermo conceptus in mente, ab ore ipsius concipientis iuxta Athanasij ingenium profertur: quare ab vna, eademque personâ vtraque sibi generatio contingit. Ast Pater Altissimus non vlteriori poterat sui ipsius ore proferre Verbum suum, nec secundam genituram ordiri intra semetipsum, vtpote per infinitam, qua protulit, exhaustâ generatrice potentiâ. Loquatur per Prophetas. Non sat erit ad secundam generationem; quippe in Sermone nostro generatio à mente, & ab ore simillima est; vtpote vtraque accidens, non substantia. Igitur vt Verbi Diuini duplex generatio parilitate gauderet; debuit vtraque, licèt dispariliter, esse substantialis; quod, nisi ad Patris diuini sodalitium sacra Virgo adsumatur, è cuius visceribus sacrum Verbum substantialiter prodeat, mens non poterit adipisci. Apostolus ad Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.* Annè Pater loquebatur Heb. 1.
per Prophetas, quod nouissimè loquutus in Filio? Si idipsum vtraque protulit loquela; quid quod disparilis vox, aërisque verbet absimile? Eadem profectò sors eueniet, si semel quæque vox exierit Patris. Rimare sacramentum. Imò omnia loquutionum genera collegerat Deus, vt intraneam reconditi mysterij mentem euulgaret. Ideò scholiat Glossa: *In omni genere loquendi,* Glossa.
vt figuris, visionibus, loquutionibus Angelorum. Verùm nondum complementum sortiebatur, nondum ad præordinatum à sæculis collimabat scopum. Loquutus est semel in Filio, & ecce quàm concito gradu completa, quæ tardâ procrastinatione in Propheticis protelabantur loquelis. Quid causæ? Quoniam loquela in Filio è Virgine genita, substantia fuit, è Vatibus accidens. Generatio Verbi ex Matre Paternæ generationi suppar, & acclinis; cæteræ è Vatibus non vltra metaphoram generationis abibant. Nec te prætereat acumen in stylo Pauli. Cùm agit de Prophetis, præsens deligit, scilicet *loquens*: cùm de Filio præteritum, nempe *loquutus*: & tamen olim loquutus per Vates, nouissimè loquitur in Filio. Quàm cum neruo tempora transuerterit! Adeò in Filio promissiones antiquæ complementum inuenere, vt censeres prætcritis sæculis iam diu in Filio Patrem loquutum. Adeò segniter è Vatibus promissa complebantur, vt semper in illis sponsionis initium cogitares.
D. Augustinum, Psalm. 37. *Quod loquens &* Augustin.

loquutus, præsens de præterito, præteritum de præsenti: posuit significat ipse loqui per Filium, quod locutus est per Prophetas: nisi quod in Prophetis occulta tenebatur, & adhuc implenda; in Filio aperta, & completa. Ergo si completa in Filio, non quà apud Patrem croceis splendoribus est enutritus? sed quà apud Matrem nouiter genitus: non diffiteberis complementum esse Mariam; non solùm quia per eam adimplentur, quæ in prædestinatione Trinitas meditabatur; sed formaliùs, quatenus substantiali eo eius vtero generato Verbo substantiali Dei aptissima fuit & æternæ generationi consimilis; imò assecla, & appendix, qualis generatio ex ore mentis generationi succedit. Ex his nullo negotio edisces Mariam, vtpote generationis fecundæ officinam & auctricem, Patris & Verbi meritò complementum nuncupari. Annè aliquomodò & Spiritus sancti? Id subterfugere nequibis, quia vtriusque nexus, & complexus est; cuius & incarnatione quasi impensior sedulitas, & officium perstrepit, vt ex Gabrielis verbis apparet: incarnatio enim amoris fuit ostentum, & totius bonitatis liberale prodigium.

67. Imò hîc altera nobilis ratio huius elucet attributi. Infrà non segni labore edisseremus, Mariam ex voluntate, & amore concepisse; necnon & Patrem, quem naturâ per intellectum conceperat, tum in Virgine ex arbitrio, voluntatisque fœcundâ benignitate condidisse. Adi locum. En igitur, quo iure Maria Trinitatis audit complementum. Nondum forsan videbatur completa diuinæ fœcunditatis feracitas ad filium progignendum, vsquequò voluntas ipsa diuina, prole diuinâ gauderet. Sanè omnis exhausta naturæ vis, egestaque fuerat in Filium, intellectus conceptione, & puerperio. Non vlterior Filius possibilis erat: voluntas enim, etsi fœcunditate ad personam producendam polleat; non tamen ad Filium: cùm nec assueta penicillis sit, nec similitudinis in natura delineatio ingenium sit eius & officium. Ergo oè voluntas sacra, superbenedicta, & amoris, & pulchræ dilectionis fons, non sepulchra prole iactabit onustam? Creaturis delectetur constipata, non fœtu. Deus gignere non præualet per voluntatem, creare præualet, etsi educat ex amore filios; non id naturæ, sed adoptionis, sed gratiæ puerperium est. Adest Virgo Trinitatis complementum apud Hesychium. Quidne complet? Quòd ex voluntate Patris Filius diuinus in vtero gignatur virgineo, Filiúsque voluntatis, & dilectionis sit, idemmet, qui ex intellectu, & naturâ Filius. Ideò voluntas diuina, repetitis excursibus, geminatis periodis in incarnatione se prodit, vt prolem sibi vendicet, quam coagmentat. Audi ex voluntate

Ambros. Patris genitum in Maria. Ambrosius in Psalm. 1. versic. 3. *Imitator erit Domini Iesu, qui est lignum vitæ, lignum sapientiæ plantatum in vtero Virgineo voluntate Patris.* En vtrumque, & ex sapientia, & ex voluntate. Vt quid ex voluntate Patris curiosâ cautione Ambrosius protulit plantatum? Anne cui tota Trinitas ad insitionem indiuisâ adfuit opitulatione, voluntas Patris defuisse crederetur? Non itiatur Ambrosius, sed arcanum elatebrat nucleum. Vt panderet ex voluntate Patris genitum in Virgine, qui ex sapientia diuina genitus est; voluntatem feruens sapientiæ adiecit, vt & pignus fateretur amoris, nec mentis prolem diffiteretur æternam.

Non sat est ebullientis voluntatis in prolem affectui, ex voluntate Patris plantatum Filium ostendisse; prodeat iterum eadem voluntas in thalamum; & ne inanis repetitio censeatur, iam non tam Patri, quàm ipsi Filio voluntas adscribatur. Hesychius homil. de laudibus Virginis, ἡ δὲ παροῦσα νῦν ἡμέρα τῆς ἑορτῆς ὑπερενδοξος. Παρθένου γὰρ περιέχει πανήγυριν ἥ τις τοσοῦτον ὑπερβάλλει πάσας, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν λόγον θέλοντα ὑποδέξασθαι χωρηθέντα παρ' αὐτῆς ἀστενοχωρήτως. Id est; *Hic autem dies festus, qui nunc agitur, omnem gloriam superat, vtpote qui contineat solemnitatem Virginis, quæ vsque adeò omnibus antecellit, vt ipsum Deum Verbum volentem susceperit, quem ipsa citra vllam loci angustiam comprehendit.* Obserua illud: *Vt ipsum Deum Verbum volentem susceperit.* Vt quid sedulâ lucubratione volentem protulit, quasi ne suspicaremur inuitum? Profectò duabus vocibus subtiliter innexis vsus est, quæ nostro mire adstipulantur cogitatui. Verbum volens Filius Patris, & Virginis est: quà Verbum, Patris; quà volens Virginis: sed non alius volens, nisi & qui Verbum, vt vtraque generatio ex intellectu, animóque splendeat. 68. Hesych.

69. Ergo ferax illa voluntatis diuinæ fœcunditas, quæ intra Deum sobolem progignere nequibat, vtpote ab intellectus exundante vbertate præuenta; in Maria inextricabili fertilitate pullulauit, germénque sortita est, id ipsum, quod in superis parturit ab intellectu Genitor supernus. En nouus in diuina voluntate excursus. En noua feracitas, quæ amoris exatiat appetitum, & prolem, quæ solùm intellectus erat Paterni, ad voluntatis, & amoris officium extendens, omnem Trinitatem compleuit. Quippe cùm intra diuinitatem non alias potentias, seu virtutes cogitemus, nisi intellectum, & voluntatem; si amor ad Verbum gignendum attigit; nil iam superest germinandum; omnis consummationis vidit finem. Id luculento suffragio apprimè firmat, quòd Spiritus sanctus, qui licèt non tanquam Filius; tanquam terminus, & impulsus è diuina voluntate procedit, complementum dicitur Trinitatis. Si hoc elucubratio nostra præstiterit, fortunatus labor. Quatuor aduoco testes. Anastasius Synaita libro 1. de rectis fidei dogmat. *Spiritus sanctus complet sanctam Trinitatem.* Sanctus Basilius libro vnico de Spiritu sancto, capite 8. *Per seipsum complet super omnia glorificandam, ac beatam Trinitatem.* Isidorus Pelusiota Εἰ ὁ θεὸς καὶ σωτὴρ ἡμῶν, ἐνανθρωπήσας παρέδωκε συμπληρωτικὸν τῆς θείας τριάδος τὸ παναγιον πνεῦμα, καὶ ἐν τῇ ἐπικλήσει τοῦ ἁγίου βαπτίσματος σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ ὡς ἀπαλλάττον τῶν ἁμαρτιῶν ἀριθμούμενον. *Cum Deus Saluator noster Spiritum sanctum Diuinam Trinitatem complere tradiderit, atque in sancti Baptismi inuocatione, vnà cum Patre, & Filio, tanquam à peccatis liberans, numeretur,* &c. Cyrillus libro 14. Thesauri, capite 3. *Ecce rursus hic complementum sanctæ Trinitatis Spiritus sanctus ostenditur.* Si Trinitatem complet Spiritus sanctus, vtique complementum est. Cuius non alia viget ratio, nisi quam subodorati sumus: voluntas enim ordine originis posterior est, cuius opima infinito Spiritu sancto producto cohibetur; nec vltra gradi valet, nec filium

Anast. Synait. S.Basil. Pelusi. Cyrill.

in

in diuinis gignere, eius indoles fert. Quare coronis, Triadosque consummatio Spiritus sanctus vlteriorem temperat emanationem. Quantumuis incumbat amor, ignitáque cupidine ad personam progignendam inuigilet, in diuinis nunquam potitur: Spiritus sanctus complementum est; iam metam adhibuit, & quasi carcere pressit. Igitur cùm in Matia voluntas diuina, amorque benignus æternam illam sobolem produxerit, quasi productiorem, laxiorémque sibi terminum fixit, omnique feracitate complerâ, in prole generata quieuit: discretissima consequutione Maria complementum nuncupatur.

70. Imò si semel (vt alteram enodationem subdam) Spiritus sanctus hâc nomenclaturâ gaudet; quid quòd Virgo Mater non solùm quasi gentilitio stemmate, verùm & quasi proprio vocabulo potiatur? Quæ Spiritus sancti dotes sunt, in Virginem Matrem vxorio iure transierunt; non solùm quâ sponsus Virginis, sed quâ Spiritus sanctus ipsamet arrha Virginis perhibetur. Sanctus Epiphanius de laudibus Beatæ Mariæ: *Dominus tecum, subiunxit Gabriel, & Pater arrhabonem misit Spiritum sanctum: praeparauit Virginem Vnigenito Filio, cælesti sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit.* Lepidâ litteraturâ arrhabonem vocauit Spiritum sanctum erga Virginem. Arrhabo, Varrone teste, pecunia est sic data, vt reliquum reddatur: totius promissi, debitique ex sponsione ante nuptias contracti, non solùm pignus, sed quasi portitor, & attractio est. Quale Diuinitatis ingenium; dum sibi Virginem meditabatur ad thalamum, arrhabonem mittere Spiritum sanctum? Sanè quia totam Trinitatem sponsalitio fœdere in Virginem egerere parabat, in arrhabonem Spiritum sanctum præmisit; quippe qui, cùm Trinitatis complementum sit, totam secum Trinitatem trahit. Ideò forsan à Spiritu sancto orsus est Gabriel, vt sanctam alliceret Trinitatem. Prende ab extremitate catenam: quia in ea annulus annulum capit; omnem tibi vno tractu annulum mouisti. Acumen est Athanasij in Epistol. ad Serapion. *Equidem,* ait, *sicut qui caput catenæ trahit, medium & aliam extremitatem trahit; sic & qui in Spiritum blasphemat, scilicet tertiam personam, & in Filium medium, & in Patrem extremum, id est, principium, caput catenæ, inconfusi ordinis diuini, blasphemat: sicut & è conuerso, qui Spiritum credit, & recipit Deum, recipit & Filium eius, à quo est; sicut qui tenet vnum caput catenæ ad se trahens, medium eius tenet, & per medium aliud caput apprehendit.* Itaque si Mariæ dos Spiritus sanctus sit, Spiritus sancti possidet attributum. Sed ne otiemur. Adeò Mariam Sanctus decoxit, ignitoque feruore traduxit; vt, qualiter ferrum, quod flammarum ardor inuasit, in ignis credas iuisse naturam; Virgo Mater in Spiritum sanctum, sacra flammâ absorbente, transfusa sit. Nec otiosè Angelus superuenturum Spiritum prædixit. Cur vocis huius accuratus delectus? Quoniam igneus Spiritus totam superambiens, & includens; non iam aliud oculis exhibet prospectandum, nisi flammam, amorem, & Spiritum. S. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. Virgin. *Vnde, quaeso vos, ô Filij, imitamini signaculum fidei vestræ, Beatam Mariam, quam, velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit; ita vt in ea Spiritus sanctus flamma videatur; nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris Dei.* Quid pulchrius? Quàm viuida, quàm Zerda, Mariæ effigies.

Epiph.

Varro.

Athanas.

Ildeph.

bibens flamma totam Virginem absorbet, vt transiisse dixeris in ignem, commeasse in Spiritum! Quare Spiritus sancti characteres non diffiteaeris in Virgine Matre excusos; ac proinde si Spiritum sanctum complementum appelles Trinitatis, idem Mariæ elogium modulari.

Vlteriùs idipsum fulcitur: quoniam solemne est apud Patres omnem diuinitatis plenitudinem laxo gurgite inundauisse Mariam, dum illam Spiritus sanctus repleuit. Causa est: quia cùm Spiritus sanctus (vt præmisimus) complementum sit, è Patréque, & Filio omnem scaturiginem hauriat, totumque se egesserit, & effuderit in Virginem: plenam, & superplenam reddidit, exindéque Trinitatis complementum effecit, cùm quasi Trinitatem in illam euacuauit: velut si ab vrceo in vrceum totam aquam refundas, vnius complementum, alterius euacuatio est. Dispar tamen comparatio hæc: quoniam sicut Spiritus sanctus plenitudinem ebibens à Patre, & Filio, Patrem, & Filium à plenitudine non orbat, non exiccat, sed iugis refluxus perseuerat: sic Spiritus sanctus, dum stagnum in Virginem laxauit, non exinaniuit Trinitatem, sed explicuit. Sequenti Acad. mâ Richardum à S. Laurent. expendo: non suffert animus locum subticere, libro 9. de laudibus Virgin. *Pater ei fons est, Filius riuus procedens ab vtroque, dici potest stagnum superius, quia continet plenitudinem gratiarum; Maria quasi stagnum inferius per humilitatem, quæ omnia charismata, & dona gratiarum, quæ procedunt à Patre & Filio suscepit, Spiritu sancto descendente in eam.* Hinc Iordanem intelligibilem vocat Beda in cap. 1. Matth. sic expendens numerum quadraginta duarum generationum: *Per tot, inquit, viros, quasi eiusdem numeri mansiones ad intelligibilem Iordanem, id est, Virginem Mariam, Sancti Spiritus gurgite plenam, duce Iesu Christo, ventum est.* Fauet Damianus serm. 21. in Natiuitat. Sanct. Ioann. B. pt. *Longè quippe aliter, & dissimili modo conceptus est, Spiritu sancto totâ maiestate Virginem inundante, atque mundante.* Et post pauca: *Ineffabiliori autem modo superuenit in Virginem, quam tota Diuinitatis plenitudo, sine mensura discretione perfudit; vt totam caperet, qui fecit totum.* Ne prætereas ista: *vt totam caperet, qui fecit totum.* Enucleat, me iudice, tacito scholio, verbum Angeli: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Qui stylus superplenam indicat Virginem: vt iam non locus sit Spiritus sancti, quippe locus ambit, & finit locatum; sed potiùs per excrescentem affluentiam, Spiritus sanctus locus Mariæ sit, qui totam capiat, compleat, amplexetur, & contineat. *Nam,* (verba sunt Diui Thomæ in capite 25. Matth.) *quod est in aliquo, continetur ab illo, & continens maius est.* Dum ergo superuenturus Spiritus promittitur, semper super Virginem, non raptim, & perfunctoriè mansurus innuitur; sicut complementum super rem complectam in extremitate subsidet, & locus ambiens super locatum circundat. Mirus est Amadeus homil. 3. de laudibus Virgin. *Spiritus sanctus superueniet in te. Superueniet in vbertate, in affluentia, in plenitudine, & in effusione carnis & animæ. Cúmque repleuerit te, erit adhuc super te, & super aquas tuas feretur.* Quàm apposité: *Erit adhuc super te!* Spiritus sancti super Virgine mansio æternatur; imò circuitio & ambitus, vt tota sub amplexu Spiritus subsideat Maria, & à

71.

Richard. à S. Laur.

Beda.

Damianus.

S. Thom.

Amad.

complemento Trinitatis completa, in ipsius complementi assurgat attributum.

72. Aliud tamen altius in animo verso: Ideò complementum Trinitatis Virginem appellari, vt à fidelibus mentibus periculum aboleatur erroris. Sectione elapsâ probamus in Mariæ triclinio tutam decumbere Trinitatem; nec à personarum auctario, quod Hæretici obiiciebant, potuisse timere, cùm Virgo illibatum numeri exhibeat sacramentum. Id quidem, quoniam Filio noua personalitas cauillis hæreticis fingebatur. Iam nonum errorem præcauere opus est: nempe Mariam non incrementum inducere Trinitati, nec numerum personarum augere. Adeo ex maternitatis excellentia ad diuinitatis solium assurgit, hypostaticumque circuit ordinem; vt ne personam ambitioso elogio dixeris Trinitatis, potiùs Trinitatis complementum debeas nuncupare; quasi semper completum Triadis afferat, & vendicet numerum, nec maiestatem subintret, licèt delibet dignitatem. Nondum productâ Virgine, Trinitas arduum incolebat suggestum; procul prophanum creaturarum vulgus in conualle ignobilitatis reptabat. Ab extero sodalitio altior Diuinitas eminebat. Producitur: Mater Dei est, compar in sobole cum Altissimo; Genitricis iure, hypostatici gradus vestigia prætentat. Intrà Trinitatis vehitur aulam, Hierarchicum calcat fastigium, sacramque incolumi visu penetrat abyssum. Id Patres recinunt. Damian. serm. 4. de Assumption. colum 1. *Sublimis ista dies, & splendidior Sole refulgens, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris euehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita naturam etiam Angelicam solicitat ad videndum.* S. Bernardus serm. de Aquæductu. *In supernis planè, & vltra Angelos, quà Verbum ex ipso Patris corde suscepit, vt scriptum est: Dies diei eructat Verbum: vtique dies Pater, siquidem dies ex die salutare Dei. Annon etiam Virgo dies? Et præclara. Intuere igitur, quemadmodum vsque ad Angelos plenitudine gratiæ; supra Angelos, superueniente Spiritu sancto, peruenit.* S. Bernardin. Senens. tom. 1. serm. 61. art. 3. cap. 2. *Veni dilectissima Sponsa, Mater, & Filia: ingredere in hortum deliciarum ad inaccessibile secretum, & ad delectamentum diuinarum personarum, in medio Trinitatis beatissimæ introducta.* Quid opus erogare calamum? Luculenta Patrum in hoc instituto seges est. Ergo si ad contubernium Trinitatis, ad sodalitium, ad medium euecta Virgo resplendet: ne impingat animus, ne fides aberret, dum in albo Diuinitatis recenseat; & quam in medio præconatur, obuio, sed declini decursu, personam diuinam intorto præconetur obsequio; ex quo iam non Trinitas, sed quaternitas immineat: nouerit iure Mariam complementum vocari Trinitatis. Cuius attributi ratio iam procliuis. Esto cum Patre supero, sobole gaudeat cœlesti: esto in hypostaticum ordinem affinitatem Matris induxerit: esto in Trinitatis sede, medioque reposita micet; adeò Trinitatem ab incremento nefario incolumen adstruit, quòd imò complementum sit. Quo sensu? Vtique sicut vltima vnitas, quæ numerum complet, & formam numero impertiri perhibetur, quia in sua specie, & quantitate persistentem numerum continet, & defensat: sic Maria adeò sartumtectum, constantemque sacrum illum ternarium custodit, vt munus obeat vltimæ vnitatis; non quâ numerum subintret, quod nefas esset asserere; sed quâ exterum aliunde sistat incrementum. Quare forma Dei ab Augustino nuncupatur, Trinitatis complementum ab Hesychio.

Damian.

Bern.

Senens.

Et sanè, si rem deuotiùs introspicias, cum nullâ ex personis Diuinis numerum agit Maria. Id excellentiæ pignus, id Maiestatis Marianæ suadet miraculum. Non quidem cum Patre: vtpote quæ ad communem sobolem generandam, non tam vna cum Patre cœlesti caro; sed vnus spiritus, tacito glutino, fœdereque maritalis immixtionis euasisse censetur. Solùm libabo loca alibi pensanda maturiùs. Amadeus homil. 6. de laud. b. Virgin. *Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhæsit corde latissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo in illum tota efferebatur.* Appositè, *Patri spirituum*, addidit, vt in vnum spiritum conglutinata prodiret; iure quidem thalami, quòd duo transfundit in vnum, & geminum carnis pondus in vnius fermè suppositi sortem ducit & stringit: nec numerum agit cum Filio. Audisti non semel ex Arnoldo, naturam Matris, & Filij non tam communem esse, quàm eandem. Quare, licèt in medio Trinitatis, ex Senensi, collocetur; non auctarium suggerit, sed ad sonum sibi situm promeruit. Quid causæ? Quoniam medium Trinitatis Filius est: si medium perdurat, etiam subintrante Maria; ternarius inconcussâ stabilitate persistit S. Tho. opusc. 1. c. 32. tit. 31. *Medium extremitatum ordinis veraciter tenet Filius inter Patrem, & Spiritum sanctum.* Et statim: *Pater à se principio trini ordinis diuini per medium Filium genitum terminat ipsius ordinis finem, naturali proprietate in tertio spirat Spiritu.* Situm rependit Genitrici Filius: Genitrix medium terræ, vterum nempe dederat incarnato: Filius medium Trinitatis, id est, semet pro sede persoluit. De Spiritus sancti & Mariæ vnitate illepidum esset, vlteriora contexere; cum plura suprà decoxerimus. Trinitatis quidem terminus est, vt ex Cyrillo probat S. Thomas nupero loco. 73.

Amad.

Arnol.

S.Thomas.

Psalm. 73. vers. 12.

74. Imò, quia terminus Trinitatis Spiritus sanctus inexistit; non prætereunda est alia præfati attributi expeditio, quæ ipsius termini, nempe Spiritus sancti, quasi complementum Virginem cupit. Scias conceptionem Dei hominis in vtero Virgineo, indiuisâ virtute totam patrauisse Trinitatem, secundùm illud Augustini, 1. de Trinit. *Indiuisa sunt opera Trinitatis, sicut & indiuisa est Trinitatis essentia.* Attamen quasi auidiore nixu quælibet Triados persona munus obiisse videtur, rescribens in vtero, quod ex personalibus sibi competit attributis. Nam virtus Dei, Dei est Filius: ecce processionem à Patre Spiritus sanctus, Filij est Spiritus; ecce processionem à Filio. Sic virtus Patris per Spiritum sanctum efformauit corpus in vtero. Vt quid autem Spiritui sancto generatio in vtero irrogatur? Quia Spiritus sanctus seminis obiuit officium. Id ex vernaculæ indolis ratione: nam virtus animæ per spiritum, qui viget in semine, corpus efformet. Iuuat non procrastinare tibi S. Thomam 3. part. quæst. 32. articul. 1. ad 1. *Nam ipse Spiritus sanctus (ait) est Spiritus Filij, secundùm illud Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui. Sicut autem virtus animæ, quæ est in semine, per Spiritum, qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum: ita virtus Dei, quæ est ipse Filius, secundùm illud 1. ad Corinth. 1. Christum Dei virtutem; per Spiritum sanctum corpus formauit, quod assumpsit.* Graphicè, & Theologicè Doctor sanctus! Sed acuit animum: cur in incarnationis opificio

August.

S.Thom.

opificio seminis vices agat Spiritus sanctus, cùm potiùs ipse infœcundus sit in Diuinis: nullam ab ipso agnoscimus personam: Triados terminus est; adeò è prole alienus, vt non solùm prolem non gignat, sed neque sit? Ecce iterum complementum Trinitatis Maria. Dum diuina persona generatur in vtero Virgineo; ipse, qui ad intra in superis infertilis est, ita sibi in diuinam personam fœcunditatem conciliauit, vt non solùm se fœcundum prodiderit, sed illum non puduerit feminis vox, quippe in ea fœcunditatis explicatur excursus. Completur Trinitas, cùm iam qualibet persona fœcunda appareat. Peri Lucifer, peri sulphureis damnatus abyssis: Trinitatem obtruncare appetieras, blaterauerat abolere mysterium. O Cherub protegens! Ecce in Virgine non solùm non curtatur Trinitas; sed quasi extenditur immutata: dum ferax est personæ diuinæ, Filij cœlestis, persona ipsa, quæ è Filio procedens, vlterioris in cœlestibus Filij est expers. Repta coluber sibilaute versutiâ mulctatus. Pollicebaris homini Trinitatem ementitam iam in hominis filia rutilat Trinitas, & Spiritus sanctus columba ferax est.

Tertull. Tertullianus aduersus Valentinian. *Christum columba demonstrare solita est, serpens tentare: illa à primordio Diuinæ imaginis præd*o. Difficilis est semper Afer iste. Semel in vertice Christi insedit columba, vt Vnigenitum demonstraret. Vox *solita* morem præsignat, quasi adsueuisset columba Christum indicare; & tamen euanuit illicò, dum Christus è flumine regressus. Luctam adumbrat columbæ & serpentis. Si Spiritus in columba; in serpente Lucifer. Hic à primordio diuinæ imaginis prædo insultauerat Trinitati, carpens virulento morsu sibi similitudinem, quæ Filij est. Quare Spiritus sanctus, qui columba, ipsum demonstrat Filium Dei, & sibi fœcunditatem columbæ parat, vt ipsemet diuinus Filius gignatur à Virgine: mansuetæ æternitati Filij studet, & quòd repetitâ productione gignatur, qui semper idem ipse est.

75. Si calamum laxaremus in huius attributi explicatu, in immensum iter. Totus hic liber nouas elucidationes spirat. Antequam abscedam; non sustinet animus subticere: ideò Trinitatis complementum dici Mariam, quia Trinitatis, quâ Trinitas est, est opus. Multorum sententia fert; creaturas non à Deo, vt trino; sed vt vno, prodire. Quare ex cognitione rei creatæ nequit intellectus in Trinitatis euehi cognitionem S. Thomas 1. par. quæst. 32. artic. 1. *Virtus creatiua Dei est communis toti Trinitati: vnde pertinet ad vnitatem essentiæ; non ad distinctionem personarum.* Inde quantum ad id, quod exigit creatura, sat esset, si vnica tantùm in diuinis (sicut Ethnici aberrant) esset persona. Solum Maria qualis Mater est, vlterioris eget hypostasi: nam Mater Diuini Filij neutiquàm audiretur; ni Filius in Diuinis in distinctam iret personam. Id nunc perfunctoriè; infrà maturiùs rem tractabimus. Hinc in Maria se explicat Trinitas, vt Trinitas est; & opus in vtero Virgineo patratum, complementum perhibet Trinitatis; quasi non compleatur, nisi pluralitas sit in diuinis. Si Maria, quâ sic perpolita excellentiis, dignitatibus sigillata, maternitate Filij Dei conspicua, experit, quòd Filius sit in Diuinis, ac proinde quòd sit ex Patre & Filio amor hincinde eiaculatus; complere meritò dixeris Trinitatem: cùm Diuinitatem solùm in vna subsistentia exigat alia creatura: cuius pro-

S. Thom.

ductio ad vnitatem essentiæ, non ad distinctionem attinet personarum. Certè actus secundus, seu virtutis exercitium complementum solet esse prioris. Agens completur per suam operationem. Maria, quà in maternitatem destinata, exigit esse Trinitatem, eamque in se operatam euincit: iure ergo complementum nuncupa Trinitatis. Virgo Mater cuiusque personæ Diuinæ opus ad intra, quod commune cæterarum non est, adumbrat: reliquæ creaturæ non illis emanationibus intraneis (si semel præfata sententia vera sit) indigent. Nonne vides? Angelus illicò Trinitatem à sæculis absconditam Virgini reuelat, texegit amictum; sacramentum euulgat: *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Luc. 1. Qualis hæc intempestiua lux? Quia vniuscuiusque ex personis diuinis characteres in Virgine cælabantur, opusque fuit vocabulis exhibere, quæ sacrâ operatione cudebantur. Si Filius Altissimi vterum Virgineum auspicatur implere: si Pater è corde Verbum eructat; in viscera transfigit: si Spiritus sanctus feruidi amoris explicat ignes: si Maria cuiusque personæ vernaculas proprietates resculpit: cur non illicò Trinitatis vocibus imbuatur? S. Titus Bostrens. in Annuntiat. Titus Bostrens. *Obseruare hîc licet, quomodò, dum Spiritum sanctum, virtutémque, & Altissimum nominat, totam sanctissimam Trinitatem Virgini patefaciat.* Hic explicatus adeò mihi plausibilior, quò Hesychio Hesych. affinior apparet: quippe qui attributi rationem subiiciens, inquit: *Quandoquidem & Spiritus sanctus adueniebat, atque hospitabatur; & Pater adumbrabat, & Filius vtero gestatus inhabitabat.*

Maria vena Trinitatis.

SECTIO VIII.

DECANTATA satis Mariæ attributa erga sanctam Trinitatem adhuc libræ deximus. Expedit nouum procoronide elogium modulari. Vena Trinitatis Maria est. 76. Miraris attributum? Cuspis venam percutit, quam stringit vitta, vt feruentiore scaturigine liquor erumpat: quem putas prodire, nisi sanguinem, qui intra conceptacula, & oscula delitebat? Ad lanceolæ pulsum humorem, quo turgebant, venæ effundunt. Si vena Trinitatis Virgo probetur, quocumque tactu ferias, Trinitatis scaturiet fons: nec poterit non purpurascere præconium tam sancto, & Regio rore madidatum. Quidquid creaturis in beneficium à sancta Trinitate ex benigna largitate dimanat: quidquid vitæ, quidquid spiritus, per Mariam dispensatur: ergo vena est, quam vita imbuit, spiritalisque fauor impinguat. Richardus à S. Laurent. lib. 9. de laudibus Virg. Richard à S. Laur. *Quidquid beatitudinis ab illa infinita bonitate Dei Trinitatis ad genus humanum peruenit, totum per hanc venam refluxit.* Curne vena, quæ Sanguine scatet, Inflatur humore, fluidóque succo tumet, spiritus tamen expers est? Sanè vena apud Gelium Gellius. lib. 18. cap. 10. *Conceptaculum sanguinis est, plus sanguinis, minùs spiritus habens.* Quî vena Trinitatis Maria, cùm Deus Trinitas spiritus

fit? Imò noua vena, cui liquor Spiritus est; cuius sanguis Verbum Dei sibi allicit, vt caro fiat; super quam superuenit Spiritus, irrigans flumine charismatum; sub qua inlatet Filius Dei. Ambrosius lib. 1. de Virginib. *Qualis est hæc Virgo, quæ Trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aqua, non deficiunt vbera, mella funduntur? Petra autem est, iuxta Apostolum, Christus. Ergo à Christo non deficiunt vbera, claritas à Deo, flumen à Spiritu.* Cur Trinitatis fontibus irrigatam Virginem præmisit Ambrosius; & tamen solum Christum memorat, & Spiritum è Maria, & in Mariam influentes; Patrem verò subticet supernum?

Ambros.

77. Perbellè veramque personam, quæ iugi scaturigine procedit, fontes nuncupauit, vtpote quarum origo ex perenni decursu emanatio vocatur. Et quidem Pater fons Deitatis est, à quo geminus ille fons, Filius scilicet, & Spiritus stagnante intra Diuinitatem plenitudine corriuatur. Sed quia Pater non mittitur, vtpote ingenitus, & improductus: ideò Christi, & Spiritus sancti fontibus irriguam Virginem appellauit Ambrosius. Verùm sacer Doctor nec Patrem omisit, haud patiens aliquam Diuinitatis personam virgineis excellentiis non famulari; En Trinitas tota. *Ergo à Christo non deficiunt vbera, claritas à Deo, flumen à Spiritu.* Patrem sub *Dei* voce adnotauit. Sed obseruare libet, grandi profluuio totam Trinitatem in Virginem Matrem influxisse, erga quam quælibet Deitatis persona *fons* dicitur ab Ambrosio. Fige tibi illud: *Qualis est hæc Virgo, quæ Trinitatis fontibus irrigatur?* Actis energia est. Communiore Patrum stylo diuinus Pater nuncupatur *fons Filij, & Spiritus sancti*; vtpote à quo duæ sacræ origines scaturiunt. Dionysius Areopag. cap. 2. de diuin. nominib. inquit, *Solum Patrem esse fontem cælestis diuinitatis.* Athanas. orat. contra Gregal. Sabel. *Solus fons Deitatis.* Et posteà: *Pater radix, & fons Filij, & Spiritus sancti*, Concil. Vvormaciens. in profess. fidei: *Pater fons, & origo ipse est totius Trinitatis.* Quid est ergo, quòd pluraliter, & effuso calamo fontes Trinitatis Virginem irrigauisse protulit Ambrosius? Certè eò exundauit Diuinitatis profluuium in Mariam, eò duæ emanationes personarum procedentium, explicatis abyssis, in eius vterum, & animum ingruerunt, vt Trinitatis internas ostenderent processiones; quòd appositâ dialecto fontes dicantur. Præcipue, quia etiam Filius, & Spiritus sanctus fontis nomine efferuntur, ob indiuisam cum Patre Deitatis abundantiam. Athanasius libr. de communi essentia. *Vides ne patrem fontem vocari, necnon & Filium; itidem & Spiritum sanctum?* Adhuc tamen non plures fontes sunt, sed vnus. August. lib. 3. contra Maxim. cap. 23. *Fons de fonte Filius de Patre, & simul ambo fons vnus.* Cur *fontes* dixit Ambrosius? Quia Maria in vbertatis stylum addixit.

Areopag.
Athanasius.
Concil. Vvormac.
Athanas.
August.

78. Igitur Trinitatis fontibus irrigata Virgo, vena Trinitatis est. Quocumque percutias, opus est, prodeat vna, vel altera Trinitatis persona. Ne periodus vna in elogio Mariano linguam locupletet oraneis, nisi inter effluentia verba spiritalis sanctæ Trinitatis latex erumpat. Arescit ingenij vena pro Virgine nostra elucubrantis; nisi Trinitatis specialia attributa in eius pangat oratione Laus Virginis ab vtero est, diuini Verbi conceptaculo: in Verbo autem omnia Trinitatis opulentia ex originis proprietate, vtpote per intellectum, repræsentatur: in quibúsque ergo intercadentibus syllabis Virgineæ laudationis, Triados inlatet sacramentum. Quare non aliud aptius Virgini innoxius addicta mens, piâ potest veneratione dicare, quàm verbum, & sermonem: Verbi enim mater est; & quasi in Verbi naturam iure maternitatis traiecta, verbi sibi omnem vendicat excellentiam. Verbum enim ab ore prolatum mentis conceptionem enunciat quæ statim nobis suggerit diuinam Verbi generationem, quà à Patris mente, quà à Matris vtero. Inde quæcumque verba sancta sunt, suapte impetu in sancti Verbi Matrem decurrunt. Præclarè Damascenus orat. 2. de Assumpt. Virg. *Quid enim Verbi Matri aptius, quàm sermonem offeremus? Simile enim simili gaudet.* Quid est, quòd verbo, laudísque sermone Virgo Mater delineatur! Quia Verbi Mater est, & simile simili congaudet. Si Verbi Mater est, verbum, & sermo non similis est Matri, sed Filio: vt quid ergo ad Matrem similitudo refertur? Probè quidem: nam Maria tota in diuini Verbi functiones traducta, in laude cum Filio communicat; nec potest audire præconium, quin respectus aliquis ad Verbum Dei Filium eius subsit in eo. Si ora laxentur in Virginem prædicandam, in Verbum tendit panegyris, ac si Maria tota fuerit in Verbum transfusa; quare illi deuota blandiuntur eloquia per similitudinis consonantiam, vtpote diuini eloquij Parenti.

Damasc.

79. Ex quo venam iure dicimus Trinitatis, quam Dei Verbum intimâ inclusione complexit. Annè sanguis huius venæ Verbum est? Sanè. Quis enim, putas sanguis perfluat, nisi Christus? Christus per hanc venam decurrit & ex Patris superni penetrali ad humani acuminis pulsum è Maria prodit. Richardus à S. Laurentio suprà: *Sicut enim sanguis, qui est vita carnis, occultè decurrit per venam: sic Christus, qui vita est animarum nostrarum, occultè venit ad nos per Mariam.* Ingenium est in Richardo. Quidam Christo cum sanguine, qui non ex sanguinibus sed ex Deo natus? Perbellè quidem quia in sanguine vita persistit Christus Verbum Dei est. Si cum Physiologis sacris, Verbi calleas proprietatem, in Verbo vita est; quippe quòd viuidæ operationis primus est index, agentisque intellectiui inofficiosa mentis aula exercitium. Igitur quia Verbum Dei, dum Virgineum vterum incoluit, se Verbum virginei Patris edocuit, scitè vitalis sanguis nuncupatur. In ipso vita erat, cùm erat in principio apud Deum: nouam vitam meditatus est, quam ex Virginis vtero per vitæ primordium, scilicet per generationem acciperet; vt omnis vita in Virgine esset, nempè Verbum, & Verbi generatio. Quare si in Virgine vita est, meritò vena nuncupatur. Hùc aduoco Alcuini carmen in proœmio 90.

Richard. à S. Laur.
Ioan. 1.
Ibid.
Alcuin.

Tu Regina poli, campi flos, lilia mundi,
Hortus conclusus, vita fons, vena salutis.

En venam cum vita copulauit, quippe vita in sanguine, sanguis in vena est.

80. Hinc è propriæ imaginis indole Verbum in vtero, sicut sanguis in vena vita fuit. Iam capio difficilem Clementem Alexand. lib. 1. Pædag. c. 6. col. 11. *Carnem nobis allegoricè sanctus significat Spiritus: ab ipso enim caro fabricata est. Sanguis Verbum nobis designat: tanquam enim diues sanguis Verbum vita infusum est; amborum autem est temperatura Dominus.* En caro, vita, sanguis, Verbum amico nexu apud Alexandrinum sociantur, & quæ aduersâ videntur inter se statione collidere, in

Clem. Alex.

vnam

vnam coëunt temperaturam. Quid magis contrarium carni, quàm spiritus? Quid Verbo, quàm sanguis? Quid tam hostilium extremorum naturas in amicum fœdus coëgit? Sanè Marianus vterus, qui, licèt carneus, Spiritus sancti flamine in spiritus officia cucurrit: licèt sanguineus; in Dei Verbum compingendum surrexit: adeóque Verbi, & spiritus saporèm hausit, in diuinæque naturæ commercium iniit; vt ipsi pro sanguine Verbum sit, pro carne Spiritus. Ecce vena, quæ ex carne, & sanguine coagmentata liquet intùs, extrà solidatur. *Amborum autem est temperatura Dominus.* Quæ verba enodationem optant. Censeo, quòd Dominus hîc Christus sit, in quo humanitas carnis, diuinitasque personæ, nexu temperante, vnitis, non confusis dotibus, conuenerunt. Sed cur sanguis diuinitati Christi, id est, Verbo, à Clemente irrogatur, cùm etsi caro Spiritus sancti elaborata viguerit ingenio, sanguis tamen ex Maria fuerit? Ex innocuis enim, defæcatisque sanguinibus (vt alibi discutiemus) Christus formatus euasit. O nobile Mariæ elogium! Adeò virgineus vteri sanguis, ex supera fœcunditate feruidus, Verbo Dei aptus visus est, vt in ipsius sanguinis nomen Verbum transierit, sicut ex Dominicæ carnis opificio, carnis nomen Spiritus sanctus apud Alexandrinum mutuauit. Ergo si Verbum sanguis est post Mariam: cur non venam Virginem fatearis, vt si deuotæ mentis apice tangas, Verbum effluat, in Matrisque panegyrim, omnem laudationis campum inundet?

81. Quòd si Verbum Dei in vena Virginea pro sanguine est, totâ ibi potiri poteris Trinitate: quippe, vt diximus, ideò in Verbo omnis plenitudo diuinitatis renidere perhibetur, quoniam Verbum ex suâ processione, quidquid in diuinitate est, continet, & exprimit. Forsan ideò communi phrasi non ex sanguine, sed ex sanguinibus Virginis compactam Christi carnem aduersus Grammaticorum ferulas dixêre Patres, (quos alibi congerimus) vt pluralitati personarum, quæ in Virginis officina, incarnationis opus, quasi ambitioso nixu moliebantur, sanguinis pluralitas responderet, & quasi geminatus liquor, obediente scaturigine, Trinitatis officiis deseruiret. Pluraliter fontibus Trinitatis irrigatam Virginem suprà dicebat Ambrosius; cùm tamen vnus fons sit: sic sanguines Virginis dicuntur, cùm sit vnus; vt ipsa tependat, totamque se Trinitati det, vt Verbum Dei caro fiat. Hinc Bessario de Sacrament. Eucharist. col. 7. sanctam Trinitatem cum sanguinibus Virginis coniunxit. Audi. *Quemadmodùm enim beneplacito Patris, & Spiritus sancti voluntate vnus in Trinitate natura Dei, & Patris Filius ex sanctis, & immaculatis Virginis sanguinibus corpus assumpsit: ita & hoc corpus Altaris ipsa Trinitas creat. Ipse Spiritus sanctus potentia sua in substantiam, hoc est, ex pane in corpus transmutat.* Non aliter ex sanguinibus Virginis corpus assumpsisse Filium Dei scribit Bessario, nisi ex totius concursu Trinitatis. Certè assumptio, sicut incarnatio, si Scholam consulas, soli Filio Dei adscitur, vtpote qui solus carnis œconomiam subiuit. Theodorus Abucara epistol. 9. *Æternus Filius corpus Adameum assumpsit, id est, ipse sibi ex sanguinibus purissimis sanctissimæ Virginis Mariæ corpus purum,* &c. En ipse Bessarionis stylus in Theodoro. Cur igitur ad assumptionem solius Filij totam aduocauit Trinitatem? Impulit Trinitatis amor ad

Bessar.

Theodor. Abucara.

Virginem, cuius immaculatos sanguines percupiuit, vt assumptio quidem solius esset Filij amor verò totius Trinitatis.

Verbum Dei pronâ indole sibi corpus ex Virgineis sanguinibus coëgit, vt & propterea Verbi ex Virgine panderetur, & sanguinem viuidum incoleret, quod vita est apud Patrem. Velim enodare Damascenum orat. 1. de Natiuit. Virg. Sic Mariam alloquitur: *Arx Sinâ sanctior, quam non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis contegit: verùm illuminandi vim habens Spiritus sancti splendor. Illic enim Dei Verbum, tanquam Dei spiritu legem saxeis tabulis inscribebat. Hic autem ex Spiritu sancto, ac Virginis sanguine Verbum ipsummet incarnatum est, seque natura nostra concessit.* Obserua illud: *Ex Spiritu sancto, ac Virginis sanguine.* Noua locutio est ista, vbi sanguis Virginis pro tota Virgine ponitur. Quis adhùc non nouerat Verbum Dei conceptum ex Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine prædicari? Vt quid stylus ad Virginis sanguinem nouo tramite diuertit, sanguinem cum Spiritu sancto illigans: *Ex Spiritu sancto, ac Virginis sanguine Verbum ipsummet incarnatum est?* Sanè Verbum incarnatum protulit Damascenus: ideò ex Verbi Dei, Virgineique sanguinis congrua similitudine sanguinem ad incarnationem delegit, & Spiritui sancto copulauit; vt ex altero tanquam artifice, ex altero tanquam materie Christus integer, Deus & homo prodiret. Ergo tota Virgo vena est, cùm sanguis pro tota Virgine profertur. Non auerseris. Nam si Verbum in Virgine, vita in Virgine est; vitalis sanguinis, dum generationem subit, subit officium: ille enim character est Verbi Dei, qui vitam halat, qui lucem spirat. Quare Damascenus splendorem cum Verbo in sanguine Virginis incarnato, Theologicâ solertiâ copulauit, vt duo specialia Verbi depingeret attributa, vitam, scilicet, & lucem. Didicisti illud Ioan. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* En vtrumque Verbi Dei quasi gentilitium stemma, quod viuidum lumen est, lucensque vita. Thophyl. inibi. *Dixerat: In ipso vita erat: ne putares, quòd absque vita sit Verbum, sed vita erat spiritalis, & lux rationabilis cunctis.*

82.

Damascen.

Ioan. 1.

Theophyl.

Purpurascit Verbi caro ex Virginis sanguine: En vita simul, & lux. Vt quid caro ex Virgine *purpura* nominatur? Id obuium apud Patres, quos alibi do: interim Damascen. orat. 1. de Natiuit. Virg. *Ex qua Rex gloriæ, carnis purpurâ conuestitus, ad captiuos se conferens, remissionem, ac veniam prædicauit.* Censeo, quia Christus ex colliquentibus Virginis sanguinibus coagmentatus fuit; ideò mundissima caro purpura nuncupatur, admodùm appositè ad Verbi Dei attributa: nam in purpureo sanguine, quâ purpureus est, lux; quâ sanguis, vita monstratur. In sanguine fulgorem, & in purpura lucem canunt Silius lib. 3. 83.

Damascen.

Silius.

——Humeroque refulget
Sanguinei patrium saguli decus.

Catullus de nupt. Pel. Catull.

Purpureaque procul nantes à luce refulgent.

Seneca in Hercule Oet. Seneca.

——Quaque purpureus dies
Vtrumque clara spectat Oceanum rota.

Hinc purpuream animam vomere dixit Virgil. 9. Æneid. Virgil.

Purpuream vomit ille animam, & cum sanguine mista
Vina refert moriens.

Quo loci Cerdensis scholiat: *Id est, purpurantis coloris sanguinem, in quo posita vita.* Et firmat ex Lazio lib. 8. part. 8. qui *purpuream animam* vult *igneam, & ardentem.* Velim *purpuream animam* pro *rationali* accipere, quæ à vegetatiuâ dissidet, & sensitiuâ, quia super vitam, quæ in sanguine est, igneum lumen, nitidamque lucem rationis addit. Virgineus ergo sanguis solidatus in Verbum Dei, vitam, lucemque Verbi declarat.

84. Igitur si ex sanguinibus totus Christus erupit, venam iure dixeris Mariam, venosumque Christi corpus, non solùm rudi lingua, vt venas, succum, sanguinem, neruos, aliaque corporeæ structuræ organa censeas; sed quia quidquid ex Virgine in Christo est, quasi ex vena Trinitatis viuida Trinitatis indicia manifestat? dumque Verbum Dei ex sanguinibus hominem compactum esse monstrat, facili argumento diuinum Patrem, sanctamque Triadem ostendit. Ascendit in cælum Dominus rediuiuus è lapide, infractoque saxo conspicuus lucem spargit. Cælites attoniti stupore percontantur: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Isai. 63. Obserua consequentiam illam: *Quare ergo.* Innituntur cœlestes spiritus in eo, quod mentes diuexauerat beatas, à quo & auspicari, scilicet: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Quidnè rapuit cœlicolas in stuporem? Certè sanguinea vulnera, quæ adhuc corpus gloriosum sparso stigmate tingebant. Sic passim locus hic enodatur. Sed velim non tam sanguineam carnem, multâque plaga cruentam admiratos Angelos? quàm carnem ipsam, corpúsque super cælos tractum, spiritibusque insertum, quippe quod ex sanguinibus Virginis compactum exstiterit. Itaque sic scholio. Quis carneus iste est, corporeisque vestitus membris, qui cælum facili remigio transauit, carnemque cœlestibus inuexit, qualem nunquam nouerat Empyreum? Dumque de carne sciscitantur, meritò rubram, purpuream, & splendenti murice tinctam proclamant, vt virgineos sanguines commemorent, ex quibus densata viguerit. Hùc aduoco B. Thomam à Villanoua conc. 1. de Assump. quo loci expendens illud Prouerb. 31. *Syndonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo,* sic fatur: *Syndonem, hoc est, mundissimam texuit telam, nitidissimam, purissimam, sacrosanctam illam carnem quam sapientissimus ille artifex Spiritus ex Virgineis sanguinibus, veluti ex staminibus in visceribus illius, vt in textorio, sine virili opera intexuit. Illam telam quasi propriam, & ex carne eius intextam sapiens mulier vendidit Deo Patri, vt inde talarem tunicam, & polymitam Filio suo faciat.* Prou. 31. B. Th. à Vill. En tela ex sanguinibus texta vestis Christi est, quæ statim Trinitatem prodit, nempe Spiritum sanctum artificem, diuinumque Patrem facto commercio in Filij vestimentum emptorem: quippe cùm apta vestis Verbo sit, illicò ad trium personarum allicit agnitionem.

85. Quàm diues vena, quantis diuinitatis onusta thesauris Maria est! Non laxo, segnique succo turget; non vago, inanique protuberat humore, nec ex licentia diuagandi sanguis ab osculis per corporis spatia secedit: sed vittâ premitur, & stringitur, vt stagnans quasi ad summi vnguis tactum, ad breuis puncti fundatur impulsum, diuitiasque Trinitatis pleno fonte demittat. Vitam adhùc in sanguine Virgineo didicisti: vis vittam, quæ venam stringat, vt cruor stagnet? Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce.* Cant. 4. v. 3. Non te rapuit, quòd duo labia Sponsæ, vni vittæ Sponsus comparauerit? Nonnè labra, quæ amicâ societate ad oris venusti compositionem iunguntur, duo potiùs fila sunt, sparso rubore rosea? Perbellè districtionem oris, silentijque censuram explicuit. Si enim duo labia ita silentij vectibus obsignentur, vt ex immobilitate constanti, otiosaque quiete coaluisse videantur in vnum, quippe assiduâ adhæsio ex duobus vnum reddiderit, benè duo labia vni vittæ comparantur. Sic intelligerem Guilhelmum apud Delrium: Guilhelm. *Ab ore eius nec verbum quidem sonuerit otiosum. Nec enim vel leniter Verbi Mater verbo poterat offendere.* Et statim: *Habitans inter peccatores tam perfectam ori suo posuit custodiam, vt nec leniter delinqueret in lingua sua. Nonnè labia hæc sunt vitta similia?* Verùm demiror, quòd postquam vittæ coccineæ labia comparauit Sponsus, illicò attexit; *Et eloquium tuum dulce.* Mira contrariorum connexio! Si ob silentij rigorem in vnam vittam transierint labia: qualis cum eloquio poterit successio contingere? Et tamen ad vittam confestim succedit eloquium. Scitè quidem sub vittæ ænigmate explicuit Sponsus Matris sacramentum. Maria Mater Verbi est, & gestat in vtero, & habet in ore; nam quidquid spirat, quidquid effundit, eloquium dulce est, quod à Patre diuino suscepit: nec tamen auara recondit, sed pientissimâ largitate dispensat: adeóque fluida scaturigine ab eius ore diuitiæ Verbi, quod ex sanguinibus vteri concepit, dimanant, vt videatur sanguis effluere ab incisa scalpello vena, quam priùs vitta ligauit, vt effunderet liberaliùs. Ne vitta deficiat à vena, sed iugiter stringatur, vt vberiorem sanguinem emittat, labia Virginis vitta sunt. Quæ plenitudinem diuinitatis nouem mensibus in vtero corporaliter habitantem continuit, quam posteà per eloquij dulcis profluuium eructaret, & facili emitteret abundantiâ: vt homines ab illa in agnitionem Trinitatis venirent. Nec discrepat, quòd vittam coccineam nuncupauerit, id est, purpuream, & sanguineam, qualis solet esse, quæ venis illigandis inseruit: à sanguinis enim effusione rubet.

Cui cogitatui vt fidas, consule Sponsum, qui eodem capite sic affatur vers. 11. *Fauus distillans labia tua, Sponsa. Mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* 86. Cant. 4. v. 11. Labia quæ vittam coccineam anteà nuncupauerat, iam fauum appellat; nec inertem, & parcum sed distillantem, & roridum. Non ergo vitta illa occludit, exsiccarve melleum labiorum fontem, sed potiùs quasi venam vrgens adigit ad imbrem: qualem si putas, nisi qui Trinitatis ferat opes, fundatque diuitias. Nonnè vides. Tria commemorat, labia, linguam, odorem. Dum Pater loquitur, Verbum gignit: quasi os, Patris sit: lingua, Verbi. Spiritus sanctus omnium charismatum, odoramentorumque largitor, facilè per odorem cognoscitur. Ergo virgineus labiorum fauus totam spirat Trinitatem. Hugo Victor. ser. in Cant. Hugo Vict. *Fauus distillans labia tua; mel & lac*

sub

sub lingua tua , & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata,labia tua, lingua tua:vnguenta tua , omnia suauia, omnia laude digna. Labia tua , lingua tua , vnguenta tua : tria commendantur , labia , lingua , vnguenta , In labijs osculum, in lingua alloquium , in vnguentis odor, atque fragrantia. Tota ergo Trinitas venit ad Virginem, Susceperat enim in labijs ab ore Patris osculum; susceperat in lingua Patris Verbum ; Susceperat in vnguentis, Patris , & Verbi Spiritum. Quid pulchrius ? En labra in Trinitatis forte ebullientia. Nec diffiteatis , labia hoc venæ nomine dicenda venire. Non te ferit illud : *Mel & lac sub lingua tua* ? Lac non genitricis linguam ; sed infantuli pusionis mulcet palatum : ab vbere sugitur; non à lingua ; mamillam implet nutricis; non os. Sed si noueris , quòd lac ex sanguine est ; imò sanguis multo feruore in candorem despumans:non miraberis sub lingua Virginis situm adamasse , vbi vitta , vbi vena ; vt quidquid loqueretur, lacteum fuerit, viuidum , sanguineum, & ex vtero ad ora ascendens. Vt sciasergo, quanto sacri liquoris pelago exundauerit Virgo nostra ad vitæ , Verbique profundendam cognitionem , & dona ; sanguis lacteus, qui in vberibus solet premi, ne transiliat fines suos , vsque ad linguam libero excursu refluit;& qui in vtero fuit genitus , ascendit ad linguam. Labia sunt vbera. Suge.

87. Igitur eadem labra, quæ coccinum vittæ purpureo murice colligauerat , iam fauus distillans perhibentur , quia vitta non restringit venam, sed pleniori sanguine infarcit. Qualis hic liquor? Lac sub lingua. Annè Verbum esse dixeris lac ex mamilla Patris, quod à Patre sub lingua sugit Maria ? Certè illud Verbum . quod sanguineo vtero corporauerat , quod corde ebiberat , in ore renidet, parilique consortio vtrumque sinum & organum incolit, vt ex abundantia cordis labra loquantur. Huc adsit Ruperti acumen lib. 3. in Cantic. cap. 4. ad fin. *Parum erat , quod dixi suprà : Sicut vitta coccinea labia tua , & eloquium tuum dulce : quia nimis parum est dulcedinem esse in eloquio , nisi dulce sit etiam cor. Tu dulcis in ore , dulcis in corde. Fauus tuus ego sum. Mel tuum , & lac tuum ego sum : quia Deus tuus , & Filius tuus ego sum. Hoc tua sentit anima : hoc tua sonant labia. Aliud loqui non potes , quàm id, quod in pectore habes. Ex abundantia cordis os loquitur.* Benè rem subodoratus Rupertus , quasi ab vtero ad vbera, ab vbere ad os fœcundus sanguis assurgeret, & qui virgineus , prolificusque sanguis in vtero fuerat , in mammis lac, in labris Verbum sit : & ductili commercio per totam Mariam erat diuini Patris inæstimabile proloquium.

Rupert.

88. Curnè fœminæ laudatricis præconium Ecclesiastes inter turbas Dominus reprehendit ? *Beatus venter hui te portauit , & vbera , quæ suxisti.* Ast ille ab vberibus transiuit ad verbum : nec lac beari sinit, sed verbi custodiam præconatur: *Quinimò Beati qui audiunt verbum Dei , & custodiunt illud.* Certè è lacte ad verbum facilis commeatus fuit in Maria : facilis transcursus in Virgine , in qua lac non incarceratur vbere ; sed sub lingua sidit, despumat in labra. Loquitur Virgo lacteum Patris Verbum , quod Pater priùs perpluerat in sinum , quod edulium, potusque est, postquàm in vtero Virginis recoctum : subseruit ad duo munera linguæ , nempe & ad pabulum vt esca , & ad eloquium vt Verbum. Iam spiritale alimentum est , postquam in Virgine caro fuit. Stat Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 6. col. 11. *Cæterùm mulieres quidem prægnantes , cùm matres factæ fuerint , lac emittunt : Dominus autem Christus fructus Virginis non beata duxit vbera fœminea , nec ea ad nutrimentum delegit ; sed cùm amans , & benignus Pater Verbum impluisset : ipsum iam spiritale alimentum factum est bonis , & moderatis hominibus.* Quid est , quòd insolito ausu Clemens lactatum ab vbere Dominum negauerit inibi : *Non beata duxit vbera fœminea , nec ea ad nutrimentum delegit* : Cùm certum sit , vbere de cœlo pleno Mariam Dominum lactauisse ? Absit ab Alexandrino probrum hoc. Non inficiatur lactei nectaris blanditias, quas pusio Dominus à puerpera suxit. Ea mens est. Lac infantulis natura coquit,& infantilibus buccis instillat : vt quod animale est, his guttarum stillicidijs nutriatur. Cæterùm,cùm Pater supernus Verbum iam Virgini impluisset : in spiritum vult hominem erigi, animale deponere, spiritalique liquoris alimento nutriri. Quod, quia mentis terminus est , linguam quæcit , animumque solicitat. Non ergo iam Dominus deligit hominibus niuea vberum pondera , quæ labra pueri deponant ad succum ; sed Verbum ipsum Pater pluit. quod vt lac vegetet, animet vt sapientia : sicut in Virgine, sub cuius vbere, sub cuius lingua lac emanat.

Luc. 11.

Clem. Alex.

Punctum Christi latus sanguinem perpluens incorruptum , Mariani in concipiendo pudoris index est.

Subsectio Vnica.

Ne à Virginea Trinitatis vena aridus abscedas : abscindas prece , rogo : diuinæ largitates emanabunt. En costa dito mucrone feritur : ora mone , vitam bibas in sanguine. Nouus lanceæ stylus : *Et vnus militum lanceâ latus eius aperuit.* Non de lancea, sed de lanceola *aperire* dicitur. Cùm venam percutit phleborotomus , Hispanè *arbrir la vena* dicimus. Ergonè in exangui cadauere ferreum acumen vitales latebras exquirit? Enecto corpore venæ euanescunt , depositumque cruoris inani simulant tumore. Manent ossa; caro,licèt sugillata luridaque mortis pallore , persistit: solus sanguis , spiritibus abeuntibus , exiccatus disparet ; thecæ cruoris sub pœna vacuitatis oriantur, Quid quæris sanguinem , stupide miles , venasque experiris inanes? Venam exquirebat , qui latus non percutere , sed aperire perhibetur. En vena sanguinem emittit , post sanguinem aquam : forsan vt profluuium sanguinis , quod pleno gurgite parabat amor , aqua sedaret. Vidisti non semel in phlebotomia , postquam incisâ venâ taxatus sanguis erupit , aquâ vulnus humectari , vt intùs stagnans absistat. O quot riuos sanguinis latus effunderet, ni lympha cohibuisset! Quid causæ? Quia venam aperuit mucro, non qualemcumque, sed corporis ex Maria sanguinibus compacti. Quod ex Virgineis sanguinibus , vitæ hominis sumpsisset initium , viuidus iste cruor ex latere puncto 89.

Ioan. 19.

puncto declarat. Quo ingenio? Dicam. E vitâ functo sanguis iste vitalibus indicijs dimanans, securum resurrectionis pignus est; iam redux vita ordiri videtur: iam noua genesis incipere Dominici corporis. Percussit cuspis, & vitæ ostium, annuente Augustino, apertum est: sic tract. 120. in Ioann. *Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret: Latus eius percussit, aut vulnerauit, sed aperuit; vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur.* Ecce vita à mortis spolio. Si manubiæ feralis lethi pendent è ligno; si nunc spiritum afflauit Dominus tot ictus vulneribus, tot tormentorum telis confossus: quomodò vitæ ostium latus est, dum potiùs mors irrupit? Et quidem ostium vitæ generatio, seu natiuitas est. Quid contrarium magis recenti morti, quàm vitæ primordium? Ergonè sanguis iste calens, adeóque feruidus, vt aquæ indiguerit refrigerio, quæ ignitum æstum temperaret, vitam non solùm præsagit, sed orditur? Certè sanguis iste, qui nouæ regenerationis index est, assonat nimium cum sanguine Virgineo, quo Dominus in vtero fuit conceptus. Si inibi ex innocuo cruore vita orsa fuit huic corpori è cruce pendulo; quid quòd eodem signo redux vita rubricetur, eisdemque sanguineis rescribatur notis? Admodùm conduxit id, in quo nititur Augustinus, quòd vigilanti verbo vsus fuerit Euangelista, dum *aperiendi*, non percutiendi verbo, diti mucronis explicauit iniuriam. In quo subtilis Doctor negotium facessit. Vt quid enim ex verbo *aperiendi* vitam coniectat? Sanè Domini conceptum, & ortum ex Virgine: hoc stylo expetebant fluxis desiderijs, anhelisque clamoribus prisci fideles apud Isaiam. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, Cur ne aperiatur, si Virgineus pudor puerperæ inconcussâ subsignatione rigebit? Id non iniuriâ castitatis, sed vernantis vitæ stylo dictum est. Aperitur annus, cùm brumali laxatâ compede germinat terra, inque vitalia pignora erumpit? gleba resoluitur, & ex vtero feraci varijs vitæ prouentibus redimitur. Ideò *Aprilis* dicitur, de quo pulchrè Sancius in Isaiam. Ergo aperuit lancea latus Dominicum, vt vitæ ostium aperiretur, & in vitalia laxaretur officia: nouæque regenerationis germina produceret, qualiter in conceptione, & puerperio Virginis Matris *aperire* terram dictum fuerat ob vberem fæcunditatem, vernamque nouæ vitæ sortem: siquidem nascebatur Verbum Dei, in quo vita erat.

Augustin. (margin); Isai. 45. (margin); Sancius. (margin)

90. Ideò vterque sanguis, & qui fluxit ex latere, & qui in Virginis vtero corpus Dominicum coagmentauit, in ascendente Domino post mortis triumphum vitam spirans, in stuporem Cælites arripuit. Notauistinè, quòd bis sanguineum nuncupant vestimentum? *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Et iterùm: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Diximus sectione antecedenti beatos Spiritus attonito stupore percussos fuisse, quia corpus inuehi in cælùm prospectabant: quòd sanguineum vocant, quia ex Virgineis sanguinibus coaluerat. Idipsum nunc adstruimus, addentes admirationem excreuisse ex noua respersione sanguinis, qui ex percusso latere manauit. Ideo tot sanguineis fluminibus saturam carnem mirantur, quæ sanguinis amans, quem pro hominibus effunderet, geminum vitæ auspicium ex sanguine orsa est, primum intra Matris vuluam, secundum ob resurrectionis præsagium ex latere in cruce. Pulchrè vtrumque sanguinem immiscuerit Damascenus huic instituto: orat. 2. de Natiuit. Virg. sic fatur: *Vestem verè diuinitùs contextam, hoc est carnem nostram induit, quam ex immaculatis, ac Virgineis sanguinibus tinctam in spiritu, Regio modo, tanquam in conchylium efformauit, ac velut Regiam purpuram subiens, massam nostram induit. Atque hæc tunica cuiusdam instar, cruore tincta est, distillante scilicet tunc in eam cruoris latice, qui ex ipsius latere, quod vitam dedit, profluit. Testis est Isaias, circumstantes ipsum virtutes ad hunc modum percontantes inducens. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Et iterum: Quare ergo rubrum est vestimentum tuum?* En ardenti murice flagrat purpura, quæ trabea est, quam sibi maiestatis Dominus induit, & ex Virgineo conchylio madidauit, dum se in sacros vteri sanguines dedit, quos constipatos in carne inuexit in cælum.

Isai. 63. (margin); Damasc. (margin)

Verùm quid est, quòd Damascenus sanguinem ex latere manantem, singulari delectu, cum Virgineis sanguinibus immisceat, ex quibus pepigit corpus ipsemet Dominus, qui regnauit à ligno? Cur potiùs rube iste cruor, quem mucro crudelis excussit, vità functum latus impetens, Cælitesque in stuporem lacessit? Nonne ex flagris suggillata caro, stigmatibus vndique sanguineis distillat, cruentaque ab intortis clauis foraminę purpurascunt? Cur signarè tinctam vestem ex latice cruoris, quem latus effudit, apud Damascenum Cælites suspiciunt, & cum immaculatis Virginis sanguinibus commiscent; Vel desipio; vel eximium inlatet sacramentum. Attende. Sanguis, qui miro fonte ex cæso enecti corporis latere fluxit, adsono concentu ad immaculatum sanguinem, ex quo compactum fuerat Domini corpus, alludit, Marianique pudoris fontem virgineo signaculo sigillatum fuisse, demonstrat. Sanguis iste post extremam vitæ metam effusus primo sanguini vitalis originis, siue initij vitæ in vtero Virgineo respondet: quia vterque illibatus, mundus vterque, & innocuæ virginitatis index est. Seruauerat in latebris sanguineos latices, quos in vteri fornace igneus Spiritus decoxerat, è Matreque Virgine libauerat: reddit ex latere post mortem Materni pudoris signum, quod in vitæ limine hauserat à gignente. Meditare: quidnè munditiem, puritatemque sanguinis inficit! Certè sanguinem, quem virginitas dœcatis sordibus polit, polluit Venus, defœdat luxuries, sparsâque rabe concubitus venenat. Estnè aliud, quòd sanguinem corrumpat? Sanè infestior sanguinis inimicus mors est, quæ non solùm purpuram deformat, sed exhaurit, & absumit liquorem. Igitur libido, & mors Virgineum sanguinis commaculat decus. Si sanguis post mortem nitidus, feruens, & fluidus ad cuspidi pulsum ebullit. Virgineam prodit incorruptionem. Si sanguis fœmineus fœtui subseruit in corpus absque vllius viri contagio, virginitatem genitricis proclamat. En ergo vtrumque. Viuidus sanguis emanat è mortuo corpore, quod suis sanguinibus ignara viri Mater genuerat. Hæc liquoris vnda ex virginitatis fonte continuatur, Maternique pudoris sigillum decantat. Non temeratum sanguinem in conceptu demonstrat, quem sanguinea mors non corrupit: munditiem ostendit, quam ex immaculatis Mariæ visceribus 91.

in

in facto conceptaculo biberat. Ideò ab vtroque sanguine tingitur vestis, quam in ascendente Domino Cœlites mirantur. Patronus sit huic co-
Pasch. Rans. gitatui Paschasius Ransbert. libr. 2. in Matth volutens illa verba: *Hortus conclusus Soror mea, hortus conclusus: fons signatus.* Si fatur: *Hortus conclusus: quia vterus Virginis modis omnibus integer, atque incorruptus fuit: & signatus est venter pudoris, vbi fons emicuit nostra redemptionis. Signatus, inquam, quia incontaminatus, atque incorruptus extitit sanguis, ex quo manauit vnda liquoris.* Subtilius nihil potuit cogitari. Paschasius nitidam sanguinis virginei puritatem ex duobus extremis solerti confirmat ingenio; scilicet & ex initio vitæ sacri fœtus in vtero, & ex cadauere percussi in ligno. Venustè probat primum ex vltimo. Quia incorrupto sanguinis fonte manauit vnda liquoris: scitè arguit fontem illum signatum in vtero fuisse, ne iniuriosis sordibus vitiaretur. Si mors sanguinem
91. non corrupit, qui potuit illecebra corrupisse? Ex Matris signato fonte hæc vnda parabatur in pudoris indicium. *Ex quo manauit*, inquit, *vnda liquoris.* Qualis hæc, si annectis, vnda, nisi quæ ex percusso latere prodiuit? Sic canitur: *Vt nos lauares criminibus, manauit vnda, & sanguine.* Sanguineus, æqueusque latex ex exangui corpore manans, virginea Dominici corporis primordia præsignat, & ex exuuiis mortis pudico ingressui vitæ parantur obsequia. Ergo vena Filij Maria est: siquidem excussus sanguis etiam post lethum, fonti Mariani pudoris irrogatur. Nonnè & vena Trinitatis? quandoquidem ex vnda illa fluxit baptisma, in quo Trinitatis vox efformat sacramentum, vitæque semina subsunt: veræ, inquam, vitæ, quæ in Trinitatis agnitio-
Ioan. 17. ne est? *Hæc est* enim *vita æterna, vt cognoscant te Deum Patrem, & quem misisti, Iesum Christum.* Quòd autem in hac vnda vita manabat,
August. obuius inclamat Aug. suprà: *Vt illic quodammodò vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur.*

92. Vt ista solidentur, scias nihil aptius potuisse parari ad virginitatem Virginei sanguinis pangendam, quàm sanguinem ex iniuria lateris decidentem. Quidnam virginitati cum latere? Post Euæ lapsum, quæ à latere viri auulsa omnem posteritatem vitiauit, libidinis contagium thalamos polluit, nuptiarumque pura temerat sacramenta. Quid causæ? Quia ex primæua labe hæc fœtida peccati vestigia in sementinis corporum lateribus remansère: dum enim malesuada fœmina per inhibitam semitam perrexit ad pomum; semitam per fœminam serpens exarauit, lateraque infecit, sparsitque veneno: vt concubitus ad prolé luxurianti cupidine inquinaretur.
Ambr. Mirus est S. Ambros. *Serpens, id est, diabolus in auribus Euæ semitam fecit: fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem: fecit & in manibus, quibus contracta sunt poma: fecit & in lateribus, dum ab eis, non vt fuerunt concessa, celebrata sunt nuptia.* Qualis sapor in his vltimis Ambrosij verbis sit, infrà dabimus. Sat sit, scias ex melleo Doctore latus vtriusque coniugis post Primigeniæ noxam è castitatis flore defecisse, thorosque libidine maculari, quia serpens per latera peragrauit. Ergo cùm virginis nostræ latus, dum vterus conciperet sanguine mundissimo: illibatum decus custodiuit, scitè in huius virginitatis indicium ex vitali latere Christi sanguis incorruptionis sorte manauit. Ex latere igitur vita profunditur; virgineaque regeneratio per geminum laticem è vulnere manantem, sine sordibus in baptismate esse monstratur; vt omnia mirè consonent: & quod Virgo Mater immaculatum sanguinem ministrauerit in conceptu, quando fœculentum, & impurum ex libidinis lue Euæ filiæ fœtibus induunt: & quòd ex latere formata fœmina originem maculauit: & denique quòd ex Christi latere pudicæ genituræ manent sacramenta, & ædificetur Ecclesia non habens maculam, neque rugam: qualem ex sanguinibus Mariæ Dominicum corpus non habuit. Rem totam det Epiph. libro 3 hæres. 78. Epiph.
De Adam quidem dixit: Formauit: de Eua verò non formatam esse, sed ædificatam. Accepit enim, inquit, vnam ex costis eius, & ædificauit ipsi in vxorem. Quo ostendat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa verè costa ædificatam esse Ecclesiam, in eo quod punctum, & apertum est ipsi latus, & mysteria sanguinis, & aqua, pretia redemptionis facta sunt.

Ideò forsan sub cruce querula Mater adstat; 93.
vt puncti lateris ebullientes fontes exciperet, quasi gestiuissent in Virgineum vterum redire, è quo innocuam traxêre puritatem. Nazianzenus sic inducit sanctum Ioannem Euangelistam post percussum latus, in carm. de Christo patiente col. 23. Nazianz.

At latere fixo fluxit illicò insolens,
Non temperatus sanguis, & mirabilis
Aqua, vt flueret è fonte duplici liquor.

Et statim:

At ipsa Mater misera comminus cruci
Adstans, profundumque ingemens, curuo genu
Procumbit, & se lignum ad erectum applicat.
Triste eiulans, miserumque in amplexum pedum.
Fertur, & vtrâque haurit manu, qui profluens
Geminus ab vno fonte manabat latex.

En apud Nazianzenum sese gemino latice Virgo Maria ingurgitat, hauritque manu fontem, quem virgineum latus effundit liberaliter. Vt quid, cùm facta est velut mare contritio Virginis, in his doloris salebris innatat, & aquâ, & sanguine è Filio scaturiente, funditus madere solicitat? Certè quia Matrem agebat, vulnusque, quod percussum corpus non sentiebat, pia Mater dolens experiebatur. Cùm autem Mater non sit, quin Virgo; in Matris officio virgineæ generationis prætendebat insignia: ideò geminum laticem hauriebat, qui incorruptum fuisse conceptum vteri declarabat; vtpote qui incorruptâ puritate è mortis profundebatur arcanis. Explicuit vtrumque, & quòd mater esset, & quod Virgo permansit.

* *
*

ACADE



ACADEMIA II.

Scriptura vetus, in qua Trinitas adumbratur in Mariam collimat,

Maria clarissimum Supplementum Prophetiæ, quæ de Trinitate est.

SECTIO I.

1. NON Satis instituto consultum videretur, si nunnulla saltim veteris Instrumenti loca, in quibus Sanctæ Trinitatis eliqua lux est, licèt sub ænigmatum vimbris, non exploremus: vt discutiatur, an in illis aliquis ad Mariam sublateat ordo, ex qua liberâ luce hominibus resplenduit mysterium. In eo sublimis Mariæ vertitur excellentia: si adeò quesi sanctæ Trinitatis notio, & forma sit, in hoc instituta, & nata, vt homines ed agnitionem tam ebditi prouehat sacramenti; vt nec in sacrorum velaminum literis adumbretur, nisi typus, vel vmbra Mariæ inibi subsit. Ergo non iniutie husua operis erit, aliquali saltem lucubratione examinare: sit ne aliquid in Hebraico veteria Testamenti textu, vnde adigi possint Hebræi ad assetendum sanctissimæ Trinitatis mysterium? Sedulam edhuc sacrarum literarum tractatorum torsit mentem disceptatio ista Et rebellem qnidem Saducæum nihil de rerum diuinarum supernaturali captu cogitantem, quid quòd non dinoueas, miretia; quippe qui verborum, sensuumque celsitudinem non extrahet extra mortalia vitæ curriculum?

2. Cui instituto ducatum fert Maria, & opitulettice dexterâ, se magistram exhibet, inlatenteíq; sensus è symbolis diuinitus inspiratis euoluens, in regnum veritatia sectatores sui inmittit; vtpote cui omnis Scriptura, quæ de Filio Dei est, facili negotio edsciscatur. Si etenim in Scripture Verbum exaratur; qualis huius Verbi disciplinæ aptior scholiastea, & interpres Virgine, quæ illudmet Verbum in vteri membrane descripsit, & ad hominis stylum contraxit Deum superno semine fœcundata? Theodoret libro 2. ad Theodor.
Græc. de Princ. *Trinitatis dogmata ne tunc quidem venturis id posterum penitùs occultanit. In antiquis enim Scripturis, Theologia materiam, quasi semina quadam dispersit.* Qualis stylus hic? Semen ego, non chartæ spargitur: non seritur litera, sed granum. Perbeilè semina Trinitatis Scripturis veteribus, quasi sub glebis insita delitebant; vt spicæ è Marie essurgerent, & fœtus prodiret ex vulua, quæ, vtpote cui semen est Verbum, Scriptura est, ac proinde totius Scriptu-
German. ræ summa, & recapitulatio. Hùc aduoco S. Germanum in Natiu. Virg. *Salue, totius Prophetia clarissimum supplementum, summa diuinitùs inspirata veritas Scriptura: in qua sine voce, & Scriptura ipse inscripsit Deus, & Verbum per diem legitur.* Si Prophetiarum elenchus est, & viuida Scripturatum Scriptura; nuda clementa cogita: quæ præcesserunt, viuunt in Virgine. Quid est, quòd totius Prophetiæ Maria supplementum fit? Militum, & remigum propriè *supplementa* dicuntur, quæ ad iustum numerum supplendum succenturiantur iuxta illud 3. Virgil.
Æneid. *Remigium supplea, socios simul instruit armis.* In Prophetarum vaticinij non clarè S. Triniteris numerus pandebatur, nondum iustus numerus insonabat: adest Maria, quæ supplementum est, ternariumque exhibet absolutum, Deique Filium in sinu pudico corporant, sanctique Spiritus flamine, & amicta obumbrata, trium personarum cognitionem complevit, iuxta illud Epiphan. in Anchor. *Personarum* Epiphan.
dualitas vehementer à Prophetis prædicata: Trinitas verò personarum in Euangelijs manifestata est.

Huic de Trinitate cognitionis incomplemento 3.
applicat Orig. hom. 3. in Iosue cap. 1. id, quod de Origen.
Iosue ibi refertur: *Rubenitis quoque, & Gaditis,* Iosue 1. 12.
& dimidia tribus Manasse ait: Mementota sermonis, quem præcepit vobis Moyses. Sic fatur: *Mihi neque otiosum videtur, quòd non tres integra tribus sunt ista, qua per Moysem dispensantur; sed dua & semis, & ista vna tribus diuiditur in duas partes, per quam nec hic tertius numerus integer adimpletur. In quo arbitror illud indicare, quòd & illi priores, qui per legem habebantur, contigerint quidem scientiam Trinitatis; non tamen integrè, & perfectè, sed ex parte: deerat enim illis in Trinitata etiam de Vnigeniti incarnatione cognascere.* Elumbis, quidem, nedum intorta nimia primo haustu videtur ratio ista: siquidem ex eo firmat incompletum esse numerum Trinitatis, quoad cognitionem pristini sæculi; quoniem in Trinitate deerat illis Vnigeniti incarnationem callere. Commiscêre dixeris mysteria: si etenim semel fatetur, Trinitatem cognouisse priores; vt quid cognitionem illam decurtat, eo solùm capite, quòd incarnationis non ettigêre sacramentum. Scitè quidem Trinitatis arcenum ægrè introspicitur, nisi Verbi incarnati lux affulgeat; & ex Vigineo Mariæ vtero Filius progenitus simili methodo, ac innascitur apud Patrem, diuinum genitorem obuio ergumento pronuntie, & ex mysterio in terris perpetrato ad mystérium in cœlestibus arduum arripiat. Ergo Maria, in que incarnatio hæc peracta, probè *supplementum* dicta est à Germano: quippè in ea Beatæ Trinitatis sacramentum impletam agnitionem eccepit. Subdit Orig. *Erat enim fides* Origen.
illorum non integra, pro eo quòd nondum in Christa fuerat dispensatio carnis impleta. Propterea tribus illa neque dua sunt, ne Patres extra fidem, & salutem sint Trinitatis; nec tres integra, & perfecta, ne Beata Trinitatis in illis tam sacramentum videretur impletum. Quare abnuendum non est, quòd Maria scopus sit omnium Scripturatum: cùm omnia suum appetant complementum, defectumque supplere festinent, nec curtia gaudeant, claudicantibusque numeris detentari. Inde vtrumque copulauia Germanus: nam post præfata ver- German.
ba addit? *Gaude, qua ab initio nostra figurationis finis es eorum, qua ad nos sunt, diuinorum oraculorum, ac prædictionum.*

Quin & *supplere* pro *adæquare* dicitur. Auctor 4.
est Seruius in illud Virgil. Eclog. 7. Seruius.

Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

Vnde

Vnde supplementum totius Scripturæ non iniu-
stâ censetur Maria; vtpote in qua impletum est,
quidquid sacræ cortinæ personabant, ariolabantur
vaticinia, concrepabant responsa, præludebant
vmbræ. Hinc finis testamentorum Christus, &
Amad. Maria. Amadeus homil. 1. de laud. Virg. *Vt igitur
red amus ad prædictos calathos, & flores lena, fru-
ctusque dextra perpendamus (quia quod lex promisit
in flore, hoc gratia exhibuit in operatione: ibi prophe-
tatur, quod futurum est, hic veritas consummata lau-
datur: illic sacramentum, hic res sacramenti est.) At-
tendamus eosdem calathos Christi gloriam, & partum
Virginis praeferentes, hae enim summa, hic finis testa-
mentorum, Christum proloqui, Christum annuntiare,
& Virginem Mariam.* Audisti, quòd res sacra-
menti apud Amadeum sit Christus, & Maria, ob
quos pristina sacrarum literarum monumenta,
sacramenta compellat? Non apriori phrasi, à Theo-
logo mutuatâ, potest decerni in Maria omnem
Scripturarum suspexisse conatum: cùm quidquid
sacramentum est, totum ad rem sacramenti præsi-
gnandam incumbat, & in inlatentem gratiam men-
tes prospectantium impellat. Quare nudum, &
exanime veteris instrumenti monumentum exti-
tisse necesse est, donec venit ille, qui ex Virgine
natus adimpleuit omnia: sicut si rem sacramenti à
sacramento diripias, emedullas virtutem, & indu-
ctâ carie interiora ligni corrodis.

5. Ergo vbique scribitur de Maria? Præstò sit S.
S. Bonau. Bonau. in serm. in Hexem. *In allegorico sensu sunt
quatuor, scilicet humanitas assumpta quantum ad
natiuitatem, & passionem, quæ sunt principales alle-
gori. Secunda est Mater Dei Maria, quia mira
dicuntur de ipsa in Scripturis, quia in omnibus
Scripturis refertur relatione ad Filium. Et quod
dicunt aliqui: quare ita pauca dicuntur de B. Vir-
gine? Nihil est: quia multa dicuntur de ea, quia
vbique de ipsa, & plus dicitur de ipsa, quàm si vnus
tractatus fieret.* Fige tibi illud, *Quia vbique de
ipsa.* Cur ita? Quia Verbum Dei interim Scriptu-
ræ mandabatur, multifariamque olim loqueba-
tur Pater in Prophetis: vt quasi assuesceret
exarari in volumine, corticeque, qui postea in
charta Virginea, viuente stylo, inscribendus erat.
Isai, 11. Ideò forsan ex radice, virgáque florente, vt flos
perhiberur ascendere, quoniam ex radicibus arbo-
rum decorticatis, librisque ramorum volumen in-
scriptorium confici solebat, & ex arboris trunco
codex ad tabulas ceratas, in quibus animi concepta
scribebantur: ad quod respexisse Christum circum-
Psalm 39. fertur apud Vatem. *In capite libri scriptum est de me*
nam Hebraicè est *in volumine libri*, de quo infrà.
Ergo flos iste, quà Verbum est, hunc truncum ra-
dicis Iesse, hanc virgam Marianam delêgit, vt in
tenuissima eius philyra inscriberetur. Quia hic
scopus fuit, ideò omnes scripturæ in Mariam respi-
Ildeph. ciunt. Sic versa S. Ildephonsum ser. 1. de Assump.
Virg *Ipsa est virga de radice Iesse, de cuius nimirum
rursus radice ascendit Christus. Ecce ad quam con-
currunt omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia
ænigmata concurrunt scripturarum.* Cur autem flos
ascendere dicitur è virga? An quia conceptus
mentis, qui apud Patrem Verbum Dei est, in pa-
gina inscriptus ad legentis mentem ascendit, &
ascensus ille Scripturæ finis est? Bene. Ideò etiam
fons de paradiso ascendere dicebatur, Verbum Dei
in Virgine adumbrans, ex qua ad excolendam Ec-
clesiam, omnibusque Scripturarum laticibus irri-
gandam in quatuor Euangeliorum capita disten-
Rupert. ditur. Sic cogitabat Rupert. lib. 4. in Cant. *Flos ille
Zerda, Maria effigies.*

*ascendit de radice Iesse, non principium habens ex ea,
sed de corde Patris per occultas vias cum omnibus
aquis viuentibus, id est, cum omnibus scripturis veri-
tatis veniens in te, & æternum sapientiæ fontem, siue
puteum faciens in te, atque hoc modo ascendens ex
te. Ad quid ascendit? Vtique ad irrigandam superfi-
ciem terræ, ad instruendam, siue excolendam Eccle-
siam.* Sic ille.

---

*In Sacræ Scripturæ vestibulo lampas
S. Trinitatis affulget, & in
limine lumen.*

Discutitur ex Hebraico fonte Genesis exordium,

In principio creauit Deus.

SECTIO II.

GRAVE esset omnia veteris Testamenti 6.
loca, in quibus S. Trinitatis lux spargi-
tur, aduocare in nostræ Virginis laudem.
Adest pro omnibus vestibulum ipsum, in quo tan-
quam in compendio sacra series inuoluitur. Quòd
si in hoc Genesis exordio, in quo Trinitatem indi-
cari probabimus, nostræ Virginis adumbratio sub-
lateat: facilè totum debitum soluemus; nec opus
erit alia oracula perscrutari. Censeo igitur veteris
Testamenti testimonia, quæ hùc possunt accersi,
esse eiusdem rationis, vel facili negotio reduci ad
tria illa, quæ in ipso diuinarum literarum atrio:
nempe c. 1. Genes. insunt, quorum primum est He-
braicè בראשית *Beresith*, Græcè ἐν ἀρχῇ, in prin-
cipio. Alterum Hebraicè ברא אלהים, *Bara Ele-
him*, ἐποίησεν ὁ Θεός creauit Deus. Tertium נעשה אדם בצלמנו כדמותנו
Id est, *Naase adam bezal-
menu kidmutenu*, Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα, καὶ
κατ' ὁμοίωσιν. *Faciamus hominem ad imaginem, &
similitudinem nostram.*

Totis neruis in præfatis duobus primis locis .7.
Trinitatis mysterium nec aperiri, nec operiri con- Abulens.
tendunt Abul. in tr. de Trin. Caiet. Gen. 1. Perer. Caiet.
ibi disp. 17. Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Christo c. 9. Perer.
P. Vasq. 1. p. disp. 108. c. 1. Suar. lib. 4. de Trin. c. 12. Bellarm.
Didac. Ruiz de Trin. disp. 87. sect. 5. n. 3. Contra- Vazquez.
rium docent Lyran. & Paul. Burg Gen. 1. Caterin. Suar.
contra Caiet. Magist. Sent. in 1. dist. 1. Carthus. ibi Ruiz.
dist. 2. q. 8. Galat. lib. 2. de arcan. c. 9. Eugubin. Gen. Lyran.
1. verb. Deus, & Gen. 20. prope fin. Corn. à Lapide, P. Burg.
& Honçala ibid. Alensis 1. p. q. 50. membr. 2. ad 2. Caiet.
D. Bonau. in 1. dist. 4 art. vnic. q. 3. & pro omnibus M. Sent.
vnus S. Thom. 1. p. q. 39 art. 3. ad 2. Carthus. Galat. Eugub. Cornel.

Sic iudico: licèt ex singulis seorsim dictioni- 8.
bus cuiusque loci ex prædictis peritum linguæ Honc.
sanctæ Iudæum non coëgeris ad Trinitatis agni- Alens.
tionem: vnum alteri, & omnia simul nectens, ipsos Bonauent.
dictis ad assensum illigabis. D. Thom.

Plures ex Patribus *in principio* intellexêre pro 9.
in Filio. Si Stencho credimus, priùs id innuit
Mercurius Trismegistus, dum Deum *Verbo* vni- Mer. Trism.
uersa condidisse asseruit. Tertull. aduers. Hermog. Tertull.
c. 20. Origen. homil. 1. supr. Genes. Ambros. lib. 1. Origen.
c. 4 Hexem. Odo Camerac. Episc. in Sacri Canon. Ambros.
expos. Clemens Alex. lib. 7. Strom. *In principio,* Od. Camer.
ait, *vt dictus est sapientia ab omnibus Prophetis: is* Clem. Alex.
*est Magister omnium, quæ orta sunt, Dei consilia-
rius, qui præsciuit omnia.* Eucher. in Gen. lib. 1. c. 1.

Synaita. Cyrillus. Auguſt. Albinus. Beda. Alex. Alb. Magn.

Hic ſenſus duobus modis ſine offenſione accipitur, id eſt, aut primum omnium fecit, aut in principio, quod eſt ſapientia, id eſt, in verbo ſuo fecit. Anaſt. Synaita ſimilia perhibet in Hexamer. lib. 1. Cyril. lib. 1. in Gen. pluries S. Auguſt. de Geneſi contra Manich. lib. 1. c. 2. de Ciu. Dei, lib. 11. c. 32. 12. Cōfeſſ. c. 19. lib. 1. contra aduerſ. legis c. 2. de Geneſ. ad lit. lib. 1. c. 2. Albin. q. 27. in Geneſ. Beda de ſex dier. creat. Et ex Scholaſticis Alexand 2 p q. 45. membr 1. Albertus Magnus 1. p. ſum. de quatuor coæuis. S. Thom. 1. p. q. 47. art. 3.

Steuc. Septuag. Symach. Theodot. Pagnin. Philo. Ioſeph. Aſcan. Martineng. Aquil. Baſil. Ambr. Nyſſen. Oleaſter. Hieron. Hilar.

10. Sed ſi literæ vim premamus, præfatos Patres non ſecundùm literalem, ſed ſecundùm myſticū, & allegoricum ſenſum *Filium* intellexiſſe dignoſcitur. Primò, quia Chaldaica lectio pro *Bereſith* habet *C.admin.* quod apud Chaldæos *temporis exordium* ſignificat. Vnde ait Steuchus in adnot. in Geneſ. *Hebræi maiores, veteresque ſuos appellant Cadmonin.* Secundò, quia Septuag. Interpr. legunt ſyncerè ἐν ἀρχῇ, id eſt, *in principio*, & nullatenus *in Filio*, ſeu *ſapientia*, Cui lectioni ſuffragium ferunt Symmach Theodot. Pagnin. & editio noſtra ex Romanæ Eccleſiæ ſacro delectū; Philo, & Ioſephus, Græci, & Latini interpretes, vt eruditè diſſerit Aſcanius Martinengus tom. 1. gloſſæ magnæ, ibidem. Tertiò, quia Aquila tranſuertit, *in principio*, id eſt, *in capitulo*: & probat Baſil. homil. 1. in Hexemer. Ambroſ lib. 1. Hexemer. c. 4. Nyſſen. de hiſtor. ſex dier. & Oleaſter. Quartò ex Patribus: nam Hieronymus lib. 3. Hebr. quæſt. *Falſum*, inquit, *eſſe, ipſius rei veritas comprobat. Nam & Septuaginta Interpretes, & Symmachus, & Theodotion in principio tranſtulerunt: & in Hebræo ſcriptum eſt Bereſith, quod Aquila interpretatur in capitulo, & non heben, quod interpretatur in Filio.* Hilarius in Pſalm. 2. *Tranſlatores Septuaginta, in principio, ediderunt, cæteris diuersè transferentibus: & ſecundum hanc ambiguitatem hæc ab illis facta eſt confuſio. Sed perfecta horum Septuaginta Interpretum auctoritas manet. Primum quòd ante aduentum corporalem Domini tranſtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori, arguitur, tantò anteriores interpretationis ætate. Dehinc quòd illi ipſi Principes, Doctoreſque Synagogæ & præter ſcientiam legis, per Moſem quoque doctrinâ ſecretiori perfecti, non potuerunt non probabiles eſſe arbitri interpretandi qui certiſſimi, & grauiſſimi erāt auctores dicēdi.* Hæc ille: tuū acumine ſanè, & neruo ſoli cōmuni lectioni ſuffragatur.

Beda. Rupert. Ambroſ.

11. Patres ipſi litem ſiſtant, qui non ſecundùm vocis innatam ſignificationem, ſed ſecundùm ſenſum, de Filio intellexiſſe fatentur. Verba fermè ſunt Bedæ in quæſt. in Geneſ. Adi Rupert. lib. 1. in Geneſ. cap. 3. *Non quidem natiua ſcriptura huius lingua, ſcilicet Hebraica, Filium, & principium eadem voce ſignificat: Filius quippe Ben; principium vero Bereſith dicitur in illa lingua: ſed & hoc dicimus, quòd, etſi non voce, ſenſu tamen Filius principium eſt.* Ambroſ. ſupr. *Eſt initium myſticum, vt eſt illud: Ego ſum primus, & nouiſſimus.*

Hamerus.

12. Hamerus comment. in Geneſ in his primæuis Geneſeos dictionibus literarum momenta, concinno anagrammate, perſcrutanti, Trinitatis myſterium obuium fieri cenſet. Aſſerit lectionem hanc *in principio*, vſque ad *& vidit Deus*, ex centum & tribus elementis coagmentari, quæ, ſi conflentur vocibus reſolutis, ex Rabbinorum doctrina, ſecreta myſteria reſerant. *Huius traditionis guſtus in prima dictione Bereſith videri poteſt. Si geminata prima ſecundam addamus, fit Bechar in Filio, & per Filium: vtrumque enim ſignificat Be præpoſitio. Si tertiam primæ coniungamus, fit Aph, vel Ab Pater. Si tres primas, quo iacent ordine, ſtatuamus, fit Bara, creauit. Hoc ergo modo ordinatis literis, & mutatis, legi poteſt, in Filio Pater creauit.* Hinc etiam Picus Mirandulanus, & ex eo Sixtus Senenſ. ex ipſius dictionis anagrammate, rerum vniuerſitatis complexionem, naturæ Deum auctorem, triplicem Deitatis ſubſiſtentiam, incarnati Verbi myſterium, rationaliſque creaturæ immortalitatem collegeretur, variâ, & alicubi anxiâ literarum tranſpoſitione. Sed his non aſſentior: licet enim piis mentibus conſonas meditationes his texturis excudant, non ſic viriles ſunt, & fortes, vt Hebraici rigoris tenacem ad aſſenſum myſteriorum alliciant: cum diſſolutio vocum, & iterita, ac iterata concatenatio magis ingenij habeat, quàm roboris, & ſucci.

Pic. Mirād. Sixt. Senenſ.

Hæc ita, ſi ditionem hanc בראשית *Bereſith*, ſeorſim perſcruteris: ſi tamen cum ſequenti, ſcilicet ברא *Bara, creauit*, illiges, myſterium Trinitatis miro velamine amiciri dignoſces. Et ſanè potiſſima cuiuſque rei pars eſt principium, cui accurata nimis introſpectio debetur. 13.

Principio magni refert primordia apud ſe, Lucret.
Cum quibus æquali poſiturâ contineantur,
Et quos inter ſe dent motus, accipiantque.

Quare mirum eſſe debet nemini, quòd tam ſedulò Patres ad agnoſcendum ſui, & ſacræ Scripturæ auctorem Deum, primam Geneſeos dictionem introſpexerint, eius nempe libri, quem poſt exantlatos cuiuſlibet Philoſophiæ labores tota ſtudiorum quæſiuit, ſe legit, & ſuſpexit antiquitas. Hinc ſyncerus Hebraicæ veritatis cultor nobiſcum accedat ad huius principij altiorem indaginem, & ex eius primæuis elementis videat, an aliquid, quod Trinitatem vnius eſſentiæ indicet, facili, & peruiâ interpretatione colligamus.

Arbitror, primæuam illam dictionem בראשית *Bereſith* cognatam eſſe cum ſequenti ברא *Bara*: 14.
vtriuſque ſunt eædem tres literæ primordiales, vt intuenti Hebræum characterem clarum fiet, quibus per id quòd Hebræi vocant *Raſe tebot*, id eſt, *initia dictionum*, ſiue capitales aut initiales literas, ſeu ſiglas dixeris, intelliguntur. Sicut enim Romani per initiales literas totam rem ſcribebant (id obuium, *S. P. Q. R. Senatus, populuſque Romanus,*) ſic & in Hebræis ſolenne, myſteria ſub primis literis abſcondere. Ex quo lucem habent plura Scripturæ loca, quæ darem, ſi otium. Igitur in vtraque dictione ſunt eædem tres primordiales literæ *Ab, Ben, Ruahh, Pater, Filius, Spiritus*: & licèt litera, quæ ſignificat *Spiritum*, ſit non in tertio loco, ſed in medio, nihil derogat myſterio; imò apprimè extollit, cùm vtriuſque nexum indicet. Hinc S. Thom. 1. p. q. 37. art. 1. ad 3. & opuſc 1. c. 10. ait, quòd Spiritus ſanctus, vt amor, & vt nexus, eſt media perſona, ſed tertia ſecundùm ordinem numeri, & originis. Ecce miram ſanctæ Trinitatis in tam aperto velamine lucem: non diſſoluimus dictiones, non iterum compaginamus, nec ordinem directæ ſucceſſionis inuertimus, ſicut Hamarus, Picus, & Sixtus, quos à Moſe quodam Raccino Ægyptio hauſiſſe liquet; ſed literæ poſt literam pondus eruimus, & nucleū. Adi textū Hebraicū, compara literas cū literis in vtraq; ditione; in illa ſcilicet בראשית *Bereſith*, quæ ſolet media in fronte folij pro rubro, & inſcriptione grandioribus excudi typis; & illa videlicet ברא *Bara*, quæ ſubſequitur ſtatim, eaſdē numero proſpices: & ſi

S. Thom.

Hebraicè

Hebraicè ſcias, & abſque vocalibus ſignificationem calleas, in laudem ſanctæ Trinitatis attonitus ſapientis, quæ, cùm lucem habitet inacceſſibilem, tam cita in Scripturæ limine ſe prodidit, & (ſi fas ſit) lumen fecit è limine. Quam obſeruationem debeo Primario in noſtra Salmanticēſi Academia ſacrarum literarum, linguarum, & Bibliorum interpreti, vtriuſque eruditionis viro, in ſacris, & prophanis Muſis eximio, Patri Magiſtro Fratri Antonio Deſcaulea ex noſtra Benedictina familia, & Congregatione: quem nomino vt ob viri famam, nominiſque obſequium, noſtræ obſeruationi magis fidas.

15. Pſalm. 131. Vt autem hæc veritas clarius eniteat, fulcio ſignificationem harum vocū ex Pſal. 131. è gradualibus cāticis præcipuo: vbi Vulgatā editione dicitur *Deo Iacob*, & Græcè Τῷ Θεῷ Ἰακώβ. Hebraicè eſt לאביר יעקב, *Laabir Iacob*. In quo quidquid extra myſticam interpretationem excogitatum fuit, læuum omnino viſum eſt. Nec enim illud אבר *Abar*, quod interpretamur *Deus*, ſeriem habet inter vulgatiſſima apud Hebraicam veritatem, Dei nomina. Aſt myſterium attingenti, & in tribus his literis *Abar*, quid per initiales ſcribitur, diſquirenti, & exponenti Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, facilis eſt, & obuius intellectus. Adſcribitur itaque Deo nomen myſterio ſanctæ Trinitatis fœcundum, ſub ænigmate literarum prioribus ſæculis opertum. Id iterum adſtruo ex pulchro loco Pſalm. 77. Nam quamuis Vulgata editio præferat, *Panem Angelorum manducauit homo*, iuxta interpretationem Græcam, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος; non oſtendit primigenium diuini myſterij ſaporem, qualem Hebraicus fons propinat. Cùm enim ſuapte loquutione, quod proprium eſt, nequirent explicare; ad id, quod proximè appropriatum eſt, acceſſerunt, & panem Angelorum dixerunt, qui panis diuinitatis, atque adeò trium diuinæ eſſentiæ perſonarum primitus fuerat nuncupatus. Nam Hebraicè dicitur אכל איש לחם אבירים, *Lehem abirim, axalis*, & nomine *abirim*, myſticè intelligitur Pater, Filius, & Spiritus, ſingulis dictionem facientibus literis, additâ pluralitatis terminatione, idque propter diuinitatis, & eſſentiæ concomitantiam. Quòd autem myſticè intelligi oporteat, innuitur ex eo, quòd paulo ante dictum fuit דגן שמים נתן למו, *Degan Samaim natan lamo*, Græcè ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, *Panem cæli dedit eis*, Nam ſi vulgariter tantùm intelligendus eſſet locus, dici oportebat *labem*, & non peculiariter *lamo*, cum illa tam graui, & emphatica loquutione quâ pluſquam cœleſtis panis ſignificatur, ſecundùm altiloquium Hebræorum ſtylum, cùm de magnis, & ſuperioribus agebant, vt iam dicam.

Pſalm 77. Vulgat.

16. Succedat ergo altera dictio, *Creauit Deus*. Habet Hebraica ברא אלהים, *Bara Elohim* in plurali, quaſi dicat, *Creauit Dij*. Diſſidium non modicum eſt, in aliquid miſterij latitet in diſcrepantia? Nagant ex Rabbinorum ſententia, & ex propria Oleaſter, Abulenſis, Caietanus, Pererius, & alij, quos ſuprà dedimus. Mouentur præcipuè ex ſententia Hieronymi: *Scire debemus, quòd Elohim communis numeri ſit, quòd & vnus Deus ſic vocetur, & plures: ad quam ſimilitudinem cœlum quoque appellatur, & cæli, id eſt, Samaim. Vnde & ſæpè interpretes variant. Cuius rei exemplum nos in lingua noſtra habere poſſumus: Athenas, Thebas, Salonas.* Quibus addiderim. Deum vocari Hiſpanicè, *Dios*, quaſi terminatione plurali Quare plu-

Oleaſter. Abulenſ. Caiet. Peter. Hieron.

Zerda, Mariæ effigies.

tes exteri ſolidè cenſent, nos plures Deos iſtâc nomenclaturâ proferre.

Vt meam ſententiam ſubiiciam: obſeruo, quòd apud pleraſque illarum nationum, quibus cura fuit accurata, & exacta loquutio, viguerit quidam loquendi modus, quem Græci σεμνολογίαν appellitant, quaſi dixeris grauem, & veneratione dignam loquutionem. Hanc Halicarnaſſeus attribuit Iſocriti, dèque eadem Pauſanias in Corinthiacis, quòd Ἀθηναῖοι πρῶτοι τὴν Ἀττικὴν ἐσεμνολόγησαν. Id eſt, *Athenienſes primi ſuam Atticam magnificis, & veneratione dignis verbis extulerunt.* Sic apud Poëtam deſcribitur quidam Dux militum pretioſè, & ſupra vulgarem veſtiendi conſuetudinem mitè indutus. 17.

Halicarn. Pauſan.

Diues equum, diues pictai veſtis, & auri. Virgil.

Alibi verò idem, vt animi conditionem admiratione dignam ſignificet, ipſam exquiſitâ dictione vocat.

Æthereum ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.

Illam igitur præ vulgari nobilem loquendi rationem, quæque in diuinis præcipuè rebus denotat aliquid non tantùm veneratione dignum, ſed vltra naturæ vires præcelſum, exprimunt Hebræi; tum prouectis nominibus à ſingulari ad pluralem numerum; tum etiam productâ, & exteosâ verborum prolatione. Ita Michæas c. 5. poſtquam egiſſet de temporali generatione Chriſti ex Maria, æternam eiuſdem ex æterno Patre proceſſionem pluraliter expreſſit, cùm dixit, ומוצאתם מקדם מימי עולם *Vmozaotam mikedem mime olam*, Græcè καὶ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος. *Et egreſſus eius* (in plurali) *ab initio, à diebus æternitatis.* Sic Prouerb. 1. de diuina Sapientia dicitur, חכמות בחוץ תרנה *hhocmot bahhuz torona*: Σοφία ἐν ἐξόδοις ὑμνεῖται, *Sapientia in egreſſibus prædicat.* Et in Pſalm. 5 in tit. *Proea, quæ hæreditatem conſequitur*, id eſt, Eccleſia. In quibus locis ad ſapientiam, & hæreditatem conſequuta nomina, celſitudinis ergo pluraliter efferuntur; cùm μίχρι τῆς σεμνολογίας, id eſt, citra loquendi magnificentiam, ſingulariter efferri potuiſſent: quæ ipſorum eſt ſignificatio, vt ex Græca, vulgataque ſignificatione conſtat.

Mich. 5.

Prou. 1.

Pſalm. 5.

Non diſſimiliter inicio Canticorum coniugale illud oſculum, vt non corporaliter, ſed ſpiritualiter, & myſticè intelligendum eſſe innuatur, viamque ſternat ad ſic accipiendum, quidquid amoris eſt in cætero contextu: pluraliter dicitur נשיקות, *Neſicot*. Et quamuis Græcus interpres, quia ſuæ loquutioni nihil officiebat, reddiderit φιλήματα. Vulgatus tamen myſterium reſerare maluit, & indicauit pluralem numerum eò dumtaxat Hebraicâ conſuetudine adhiberi, vt ad myſticam interpretationem attendatur. 18. Cant. 1.

Cùm igitur ex quamplurибus Dei nominibus, quibus vti ſolet Hebraica lingua, delectum fuerit nomen אלהים, *Heloim*, quod eſt pluralis terminationis, verbo ſingulari coniunctum, eo dicendi lapore, quo nihil aliud ſpecioſius viſum eſt; non erit difficile, vt ſacrorum Hebraicæ linguę myſteriorum, eorumque, quæ iam tetigimus, conſcius alliciatur ad alicuius myſtici, & excelſi ſenſus cognitionem. Maximè verò propter adiuncti verbi vocalitatem, & productiorem pronuntiationē; quæ non ſolet adhiberi extra clauſulā, ſiue terminationem ſententiæ, niſi in rebus ad diuinitatis arcana ſpectātibus Vti pręcipuè doceri ſolet, cùm explicatur, quid ſit מלך יהוה, *Iehouah Malach*, *Dominus regnauit*: idcirco enim duplici *camez*, 19. Pſalm. 109.

ſiue a longo verbum illud notatur, & profertur, vt innoteſcat ſupremæ diuinæ dominationis maieſtas. Quod, quia in verbo ברא *bara*, quod eſt *creauit*, diligenter, ſedulò, ac deditâ operâ inditum fuit, & proferendi vſu, ſiue in literis vocalibus, ſiue ante puncta, ſiue etiam adhibitis punctis, conſeruatum fuit; non poteſt non adigere peritum Hebraiſmi mentem ad reconditi cuiuſdam ſenſus intelligentiam.

20. Quod quidem valdè videtur inſtigare præſtantiſſimus ille Pſalmi 46. epilogus.

Pſal 46. אלהים מגני ארץ מאד נעלה.

Ei hin maghine erez meod naalah.

Proinde enim eſt, ac ſi diceres: *Dy clypeantes, ſiue defendentes terram, aut defenſores terræ, vehementer eleuatus eſt.* Vbi præterquàm quòd nomini *Elohim*, verum Deum ſignificanti, præponitur articulus emphaticus *Ce*, ſubnectitur epitheton plurale nomenque ſic pluraliter explicatum verbo coniungitur ſingulari. Quæ quidem omnia, ſi primordiali noſtro verſui conferuntur, multum magnumque eſt quod reuelant.

21. Solent aliqui præfatam verborum celſitudinem deturbare, nihil in illis nouum eſſe dicentes; ex eo quòd ſolenne ſit apud Hebræos, Iſmaëlitas, Italos, & alias exculta linguæ nationes, Principes, Primores, & Optimates ſuos nomine plurali ſalutare: nec alium eſſe ſaporem in hac plurali dictione, ſicut nec in aliis Dei nominibus, velut *Adonai* אדני, *Domini*. Cui obiectioni ſolet reſponderi: id verum; ſed tamen nec vſus coniungit plurale nomen cum verbo ſingulari: non enim Rex ait: *Nos iubeo*; ſed *Nos iubemus*. Nec qui de Principe hiſtoriam texit, ſic loquitur: *Principes vult, Reges fecit*, ſicut Moyſes ait, *Creauit dij*. Sed contra eſt. Nam plurale coniunctum cum ſingulari pluries inuenio & apud Græcos, & apud noſtros.

Brut. Apud Græcos paſſim: ſic Brutus apud Plutarch. loquens cum vno Caſca: Τί ἐν ἐμὲ παρακαλεῖτε Κάσκα; *Quid me rogatis Caſca?*

Homil. Homil. 17. Iliad.

Κρίσις [illegible] πάλλετο μαρναμένοιιν.

Manuſque, oculique fœdabatur pugnantium.

Euſtr. Demoſth. Ariſtoph. Plura adnotauit ſcholiaſtes Sophoclis, Euſtracius in Homer. & conſtat ex Demoſthene apud Plutarch ex Ariſtophane, & ex lib. 5. Antholog. epigr. 94. & lib. 6. cap. 8. epigr. 3. Sic & apud Latinos Tibullus:

Tibull. *Perfida, nec meritò nobis inimica merenti.*

Catull. Et Catullus:

Inſperantique ipſa refferes te nobis.

Scalig. Vide Scalig. in Tibull. Igitur reſpondeo: Deum pluries in ſacris literis in ſingulari nuncupari; & tamen eadem maieſtas eamdem pluralitatem ſibi in ſermone vendicaret. Aliquid ergo ſupremum latet, cùm plurale aſſumitur, præcipuè cũ ſingulari conſtructum. Nam cùm Poëtæ ad generis loquutionem, laxi metri habenis ſibi adſciſcant, vt carmen compleant; nihil vrget pro ſacro Hiſtoriographo verborum pondera, & momenta librare. Crede ergo primæuis iſtis totius Teſtamenti dictionibus, myſterium è ſæculo reconditum teregentibus, non tamen adhuc ſine cortice, & amictu.

22. Ex quibus, quid cenſeamus, apparet: ſcilicet radium ſanctiſſimæ Trinitatis in his dictionibus *Bereſit*, & *Bara* adfulgere, ſi dictio dictioni connectatur, & Hebraicè nouerit, qui huic profundæ meditationi incumbat. Nec noſtri inſtituti eſt, obiectiones ſeſe ſubrigentes diluere: facilè cadunt, nec opus habent oppugnatore. De tertio loco: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, plurimus agemus infrà.

In primo Scripturarum epilogo ordò eſt ad Chriſtum, & Mariam.

SECTIO III.

Primas adhuc Geneſeos verſauimus dictiones: in quibus altè conſideranti notas ſanctæ Trinitatis mirâ ſapientiæ texturâ præfigi docuimus. Qualis in his reſpectus ad Mariam? Certè qualis ad Filium Dei in vtero Mariano conceptum. Diximus, per literas primordiales, primaque elementa dictionum ſolenne fuiſſe Hebræis, plena myſteria circumuoluere: ideoq; in veſtibulo ipſo Bibliorum tres literas primordiales ad modum inſcriptionis, & tituli, in duabus primis dictionibus ineſſe, quæ compendij more tres diuinas perſonas ſignificant. Notæ huiuſmodi compendiariæ *ſiglæ* vocantur: quin & apud Plutarchum dicuntur, σημεῖα: Σημεῖα ἐν βραχίστοις τόποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. Ex his primis literis epigraphe Geneſis componitur, vt oſtendatur: argumentum, ſummam, & indicem Bibliorum ſacrorum inibi recapitulationis compendio contineri. 23.

Hoc ſi tibi figas, facilè ordinem ad Filium Virginis agnoſces. Ille etenim in ipſo conceptionis inſtanti ex vtero Virgineo in ea verba prorupit, 24.
Pſalm. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam.* Quæ expreſsè de Chriſto accipit Paul. ad Hebr. 10. Diſſidium eſt non modicum, quid denotet illud, *in capite libri*. Plura dixêre plures: non vacat congerere, digereréque tot placita. Cenſeo aptiſſimè *in capite libri* ſignificare, in argumento, in indice, librique themate, & rubrica. Id ſubodorati ſunt, in alium licèt ſenſum, peritiores. Nam Genebrar. *In ſumma*, inquit, *Scripturarum: ſumma enim Moſis, & Prophetarum eſt Chriſtus.* Corn. à Lapide: *Sicut argumentum libri in eius capite, & indice ſcribitur; ita in capite, & indice ſanctæ Scripturæ eſt Chriſtus.* Idipſum tenet Caietanus, & Matthæus Galenus. Et clarè liquet ex c. 8. ad Hebr. vbi enim Latinè legis: *Capitulum autem ſuper ea, quæ dicuntur*; Græcè eſt κεφάλαιον, non κεφαλή. Id eſt, non *caput*; ſed *capitulum*, recapitulatio; ſeu argumentorum compendioſis ſyllabis confectum; vt in fronte, & veſtibulo appareat, qualis ſit ſcopus, in quem totus liber collimat. Igitur cum in capite libri ſcriptum de ſe eſſe, perhibuerit Chriſtus; promptum eſt, quod intelligatur, in illis notis compendiariis, ſiglisve, quæ in initio libri ad epigraphem conſtituendam, more tituli, & argumen præſcriptæ ſunt, ſcriptum eſſe de Chriſto, ſeu Filio Dei, vt totius Trinitatis impleret voluntatem, per incarnationis ſcilicet œconomiam. Ergo in illis tribus literis primordialibus in quibus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus per initia dictionum, vt ſectione præcedenti diximus, ſignificantur; Filium Dei incarnatum contineri, pronum eſt aſſerere: nihil enim aptius conficere ſummam, argumentum ve compendiarium his primis literis, perſpicuè liquet: quare Septuag. legũt: *In capitulum libri ſcriptum eſt de me.* Et quidem omnes lectiones conſpirant. Solet enim verti, *In volumine libri*, in *vertebra*, in *complicationes*, quod ad Hebræorum, imò exterarum gentium morem adludit, quæ in membranis, tenuibusve corticibus

Pſal. 39. Ad Heb. 10. Genebr. Corn. à Lap. Caiet. Matth. Gal. Ad Hebr. 8.

bus arborum, seu philyris scribebant, quas complicabant in cylindrum, ex quo initium libri ordiebatur. Quæ omnia in idem initium libri tendunt, in quo Christus perhibetur scriptus: nam Cornel. (vt nouauit Corn.) Hebræum מגלה *megilla* significat conuolutionē circa initium, & argumentum libri. Quòd autem Christus alludat ad libri Genesis initium, nobiles habet Patronos, Hieronym. Hieron. Ambros. August. init. tradit. Hebraic. ex Gen. Ambr. in Ps. 39. Aug. in Psalm. 150.

25. Et sanè hic aptior explicatus est: mirè enim in his verbis, *In principio creauit*, duo innuuntur: scilicet & sanctæ Trinitatis vocabula per initiales literas *Beresith*; & quòd idipsum, quod dicitur *in principio*, licet ex proprietate vocis non significet Filium, sed principiū, primordiumq; alicuius rei; tamen quia Filius Dei principiū est, nō solùm rerum, sed & primogenitus ante omnē creaturam, in hac dictione emblema Filij præfigitur. Quam sententiam plures Patres amplexantur. August. de August. Beda. D. Thom. Rupert. Albinus. Cyrillus. Genes. ad lit. lib. 1. c. 4. Beda expos. in Genes. D. Thom. 1. p. q. 74. art. 3. Rupert. in Genes. libr. 1. c. 3. Albinus q. 26. Cirill. lib. 1. in Genes. & alij innumeri. Ne autem ad libitum dicamus, in his notis primordialibus præuio calamo vestigia Filij Dei incarnati exarata præcessisse; aptissimè id asseuerari dignoscitur, si opificium ipsum cæli, & terræ consideretur per Christum Dominum restauratum. In ipso limine instauratoris notitia præmonetur? dumq; cælum, & terram Deum in principio creauisse præscribitur, inibi in ipso principio ille præsignatur qui, tum quæ in cælo sunt, tū quæ in terra, in pleni tēporis dispēsatione recolligeret, ac veluti compendio ad caput illud reuocaret; scil. ad argumentum ipsum libri, in quo per compendiosas notas, & literas sancta Trinitas Ad Ephes. 1. exhibetur. Insignis textus est in Paulo ad Ephes. c. 1. vers. 10. *In dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt in ipso.* Quo loci, vt miteris, pro instaurare Græcè est ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est, recapitulare, ad summumque, & compēdium reducere: sic enim interpretatur Hieronymus, quasi sub breui nota, indiceque, & argumento libri omnia recolligere: quod mirè quadrat illis: *In capite libri scriptum est de me*, cùm eadem ferme vox Græca sit. Quare Christus apud Paulum compendium abbreuiatum est; in quo, quidquid speciosum in cælo, & in terra elucet, continetur. Id sub vno verbo stringitur in Christo, qui Verbum Dei est. Theophyl. Bene Theophylactus: *Christus enim est Verbum consummans, & abbreuians in iustitia.*

26. Ergo nota cōpendiaria, capitulumq, libri Verbum Dei in carne venturum, quasi digito monstrabat, in quo collecta sunt, quæ in vtriusque sphæræ plagis decus habent. Nonnè per siglas, & literas Apoc. 1. 8. compendio eius nomen scribitur. *Ego sum α & ω, Alpha, & Omega*, in quibus recapitulatio, & reciprocatio est omniū, quæ sunt in cælo, & in terra. Tertull. Tertul. sic expendit Paulum lib. de Monogam. c. 5. *Dicit & Apostolus, Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis tēporum, ad caput, id est, ad initium reciprocare vniuersa in Christo, quæ sunt super cælos, & super terras in ipso. Sic & duas Græciæ literas summam, & vltimam sibi induit Dominus, initij, & finis concurrentium in se figuras: vti quemadmodum α ad ω vsque voluitur, & rursus ω ad α replicatur; ita vt extenderet in se esse & initij recursum ad finem, & finis recursum ad initium: vt omnis dispositio in eum desinens, per quē*

Zerda, Mariæ effigies,

cœpta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde designat, quemadmodum & cœpit. Quid hoc Tertulliani acumine fœlicius ad ea, quæ adhuc discussimus fulcienda? En Sermo in carne, Verbum ab vtero Mariæ progenitum, notas sibi induit, siue literas cōpendiarias, in quibus recapituler omnia, quæ in cælo, & in terra sunt, reciprocetq; à fine vsq; ad initiū, ab initio vsq; ad finē, alterno excursu, & recursu. Nec absq; piptere dixit: *Literas summam, & vltimam induit Dominus:* agit enim de Sermone in carne, in cuius habitu inuentus vt homo est; quasi idem fuisset carnem induere, & has literas sibi assumere, in signum quòd ex Maria genitus recapitularet, & reciprocaret omnia, quæ sunt in cælo, & in terra, & reduceret ad compendium illud, seu argumentum initij libri creationis ipsius cæli & terræ: in quo (vt suprà probauimus) Pater, Filius, & Spiritus S. iuxta initia dictionum præfiguntur.

Ne autem putes, duriusculè cohærere ista cum eo, quod intendimus, longéq; auocari ad Mariam: 27. scias, vulgare esse elogium illud, quod ex Epiph. Epiphan. circūfertur ser. de laud. Virg in quo *Cæli, terræque mysteriū* appellat, quasi dixerit cōpendium, & recapitulationē esse, in quo recollegit Deus, & breui charactere restrinxit, quæ in cælis, & quę in terra sunt: vtpote in qua Verbū abbreuiatū fuit in dispensatione plenitudinis temporum, vt instauraret omnia seu recapitularet; qualiter ex Apostolo audijsti. Iuuat illud etiā cōmune Arnoldi Carnotensis: Arnol. *Maria creaturis constat omnibus: quidquid enim creator singulis distributor iustus contulit Mariæ ardornanda congessit.* Ergo cum in summa, & argumento libri cæli, & terræ, Sermo in carne, Filius Dei illas literas primordiales induit; iniuriosè nimis aliquis auersabitur, si ab hoc compendio, in quo Sancta Trinitas incarnatioq; præhabetur, ablegauerit Mariā: quæ non solùm cōpendiū creaturarū, sed summa Scripturarū, Filij geniti beneficio effecta est. S. German. in Natiu. Mariæ, quē dedimus suprà: *Salue legis, atq; gratiæ mediatrix, veteris, nouiq; testamēti sigillū, totius prophetiæ clarissimū supplementū, summa diuinitus inspirata veritas Scripturæ.* S. German. Andr. Cretens. serm. de Assumpt. Andr. Cretens. Bernard. *Sūma diuinorū oraculorum.* Obuia sunt Bernard. verba ser. in Salue: *De hac, & ob hanc, & propter hanc omnis scriptura facta est; propter hanc totus mūdus factus est, & hæc gratiâ Dei plena est, Verbum Dei caro factū est.* Quòd Maria reparatrix, instauratrixq; sit rerum conditarum, plenum desiderat institutum: in hoc plura Patrū suffragia sunt. Damasc. orat. 1. Natiuit. Mariæ. Anselm. de excell. Damascen. Anselmus. Andreas. Hierosol. Virg. cap. 10. Andr. Hierosol. in serm. de Annunt. Quòd instauratio hęc recapitulatio sit, & recollectio, seu reciprocatio ad initium; Mariaque, summa, signaculum, & argumentum totius ab omnipotentia patrati opificij, perbellè S. Germanus innuit in encomio de sancta Deipara, quam sic sub S. German. persona Zachariæ alloquitur: *Ingredere hùc plenitudo mea prophetiæ: hùc ades perfectio diuinarum ordinationum: hùc ades signaculum testamenti ipsius: hùc ades finis ipsius consiliorum: hùc ades declaratio ipsius sacramentorum: hùc ades speculum omnium Prophetarum: hùc ades collectrix malè consonantium: hùc ades coniunctrix iam olim disiunctorum: hùc ades firmamentum in terra demissorum: hùc ades renouatio rerum antiquarum.*

Quòd autem illa reciprocatio sit in Virgine, 28. qualis in notis illis compendiariis per initij recursum ad finem, & finis recursum ad initium, à

Tertulliano expensa est suprà; suadetur: nam vt mundus in principio conditus ad iuuentutem sui redeat exordij, senectamque deponat, & longam inueterati corporis renouet ætatem; summus opifex Mariam decreuit: vt ex ipsa, & per ipsam, & cum ipsa totum, quod factum est, reficiatur. Hùc adsit Andreas Hierosol. in serm. de Annuntiat. *Hodiè summa vniuersi opifex potentia conceptum apud se iam dudum de rerum creatione consilium ad finem perducit. Quia prior nostra effigies nouam figuram consequitur, & senio quasi confectus mundus peccatorum senectam exuit.* Quid est, *prior nostra effigies nouam figuram consequitur?* Sanè effigies hæc similitudo, seu imago est, qualiter homo ad similitudinem, & ad imaginem Dei in principio effictus, effigiatusque est. Ergonè illa effigies deponitur, nouaque figura contingit ob Mariam? Sanè effigiem illam deturpauit serpens, reptanteque caudâ, sulcorum cauitate corrupit: ideò nouâ figurâ opus fuit, scilicet quòd descenderet ille, qui splendor est Patris, & figura substãtiæ eius, in quo renouatus vetus ille Adam, nouam figuram sortiretur. Ideò senectam exuere mundus dicitur: quia ex vetere Adamo omne, quod in mundo erat, rugis sulcisque crebris senuerat: quare veterem hominem deponere iubemur, Christum induentes. Si ergo per Mariam senectam exuit mundus, reciproco recursu redit ad initium, & ex vtero Virgineo cum Christo iteratum ortum capessit.

Andr. Hierosol.

29. Quòd verò in illis primis Geneseos verbis, quę versamus, Maria prægustterit, & in sanctæ Trinitatis literis eius cum filio significatio libetur, probat ex Rabbinis Galatinus lib. 7. c. 2. *Nisi pactum meum esset, id est, si amore mei Iesu & Mariæ diem, & noctem, leges cœlo, & terræ non posuissem, id est, minimè mundum creassem.* Hæc ex Rabbi Haccodos. Et Rabbi Ankelos in glossa Chaldaica in istis verbis: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, vult legi: *Propter sapientiam creauit Deus cœlum, & terram.* Quod sic scholiat: *Propter sapientiam, hoc est amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi sapientia, creauit Deus hunc mundum, & amore Messiæ filij sui, cui in diuinis sapientia tribuitur.* Quæ, cum iam aliis nota sint, libens desero: satis dixi non subticuisse.

Galat.

Apud Abraham sub vmbra tentorij Trinitas hospitatur, vt postea ad Mariæ lucem appareat.

SECTIO IV.

30. Sat Est in primo Scripturarum vestibulo in quo sanctæ Trinitatis lampas adfulget, vtcunque probauisse, non tenues excuti scintillas, quæ Virginis nostræ luminosa præludia, vmbrasque lucidas efforment. Longum esset omnia sacrorum loca discutere, in quibus Trinitatis non segnia vestigia ineiduntur: nimium excresceret paginæ, & qui cingulum amamus stylo, profusus excursibus laxaremur. Superiori Acad. sect. 6. n. 52. expendimus locũ Gen. 3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* In quo Trinitatis capiunt saporem nobiles ex Patribus. Inibi ad Filium Virginis ingenioso acumine respici adstruximus: recognosce. Par est vnum, vel alterum breuiter enodare locũ, qui in Virginis Matris obsequium, sanctæ Triadis mysterium acu pingat.

Genes. 3.

31. Te aduoco ad Abraham, nobilem Parentem. Genes. 18. *Apparuerunt ei tres viri stantes propè eum. Quos cùm vidisset, cucurrit in occursũ eorum & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Hic odorantur Trinitatem Chrysostomus tom. 3. serm. ad illud 1. Corinth. 15. *Cùm autem subiecta fuerint illi omnia, &c.* col. penult. Alexãd. Papa primus epist. 1. Cyril. Alex. lib. 1. contra Iulian. circa med. Athanas. dial. 3. de S. Trinit. contra Macedon. Greg. Nyssen. lib. de Trinit. & Aduent. Domini contra Iud. col. 2. Hilar. lib. 4. de Trinit. August. lib. 15. de Ciuit. Dei c. 12. & lib. 2. de Trin. c. 11. & 12. ser. 70. de temp. & lib. 2. contra Maximiam cap. 26. col. 3. & sequentibus Putasnè locum hunc, in quo, numero impari, Angelica se dederunt specimina, Trinitatis recectæ sacramentum Patrem gentium Abraham edocentia, Virgine nostrâ vacuum? Imò ob nasciturum Isaac, sic terna spectra comparent, risumque faciunt nasciture prolis in forma hospitalitatis vrbanæ. Quando, rogo, Trinitatis expressum est arcanum? Sanè quando Abraham tantæ visionis blanditur largitati; dum tres intuebatur, vnũ adorauit, in illaq; erubit verba: *Domine, si inueni gratiã coram oculis tuis, ne transeas seruum tuũ.* Quid est, quòd sub cõditione inuentæ gratiæ trepidas sanctus senex ad hospitium inuitat? Perconratur ille: an gratiã inuenirei? Subticent Angeli, nec interrogationi respõdent. Quid causæ? Protelauit Angelus responsum, quousque Abrahæmi Virginea filia adesset: cui vtpote gratiæ & benedictionis inuentrici, quasi suspensâ tot sæculis cõditione, quam adiecerat Parens, respõdet Angelus eodem verborum filo, quo ille sciscitatus fuerat: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Vide, quàm consonent interrogatio, & responsio: *Domine, si inueni gratiam coram oculis tuis: Inuenisti gratiam apud Deum.* Ne autem Deus hic alius censeretur à Domino, quem suspicit, & suscipit Abraham, è vestigio orditur nuntium cœlestis Interpres ab illis verbis: *Gratia plena, Dominus tecum.* Ad progenitoris quæstionem Virgini respondetur, quippe cui fidelis atauí adimpletur sponsio, quæ in eius semine benedictionem omnium gentium pollicita fuerat. Ideò in Maria nõ Angelorum ministeria, quasi preuiis eruditionibus, Trinitatis numerum efformant; sed nuntiat Angelus, & statim Trinitas ipso, non iam adumbratè, intra roseum sinum sublabitur: nec solum, vt antè, promittitur, sed datur. Id strenuè cogitabat Rupertus lib. 5. in Genes. c. 37. *Vbi nascituris Isaac non iam solum, vt antè, promittitur, sed datur; Trinitatis mysterium in forma trium Angelorum se homini manifestare dignoscitur. Quia videlicet, vbi Christus nascitur ex semine Abrahæ, eiusdem Christi Filij Dei incarnationem præsentia suæ maiestatis tota Trinitas in hospicio Virginei ventris operatur. Et exinde nomen eiusdem Trinitatis, nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti toto mundo, publica prædicatione declaratur. Nam Pater est, qui Virginem impregnat; Filius, qui naturâ induitur humanâ; Spiritus sanctus, cuius operatione concipit Virgo, quæ virum non nouerat.* Igitur hospitium impar numerus, & procumbente corpore adoratio in vnius Domini maiestatem, Trinitatis præferebat indicia; vt post in Virginea vulua Filius Dei sereretur, ex quo, tanquam manipulus, agnitio trium personarum fertili prouentu eueniret in Virgine.

Genes. 18.
Chrysost.
Alex. Papa.
Cyril. Alex.
Athanas.
Nyssen.
Hilar.
August.
Luc. 1.
Rupert.

Nonnè

32. Nonnè animaduertis totius ſtyli patilitatem ſeruatam? *Domine ſi inueni gratiam coram te, ne transeas ſeruum tuum.* Cupis ſimilia? En dominatus, gratia, & ancillatus in confabulatione Virginis, & Angeli ſonant: *Dominus tecum: Inueniſti gratiam: Ecce ancilla Domini.* Nec Angelus deficit, nec hoſpitium: vt figura fidelibus vmbris venturam vaticinaretur veritatem, nec abſque Virgine Trinitas cortinam retegeret. Ideò ſub Abrahami tentorio interim hoſpitabatur: vt facto tabernaculi velamine amiciret ſacramentum, quod poſtea in Virginis palatio, ſpatioſaque aula reuelare parabat: vbi omnia eleuatâ voce canunt, & in ſonoram naſcente Domino manifeſtationem laxantur. Reſpexit huc S.Fulgentius hom. in Natiuit. Chriſti: *Nuntius clarus, ſuauis cantus, mitis Dominus natus, paſtoribus virtus, pecoribus paſtus, Angelis cantus. Pater Abraham deſiderat in veritate ſuſcipere Trinitatem, quam ſuſceperat in imagine ſub tentorio conuelante.* Naſcente Dominò veritatem Trinitatis deoperiri, quæ ſub velaminum latebris ſe ſe Abrahamo exhibuerat, cenſet Fulgẽtius. Quid Trinitatis luci cum Virgineæ puellæ puerperio? Quid cum tenelli infantis vagitu? Sanè luculentior, & nitidior oſtẽſio videtur, quæ in Angelico ternario ſub Abrahami cõſpectu coruſcum iubar explicuit. Inibi tres viri apparuerunt; hìc infans vnus: inibi ſub hominum habitu; hìc habitu inuentus vt homo: non tres perſonæ naſcuntur ex Virgine; ſolius Filij œconomia eſt: quî igitur hìc Trinitatis veritas, illìc vmbraculum? Certè quia illic ſolùm viſus in homine Deus; hìc & viſus, & natus, & homo eſt. Natiuitas reuelat ſecretum. Ex Virgine naſcitur Verbum, cuius proprietas naſci eſt: non ſolidata caro, non conſtipata veſtis ex ſanguine abſcondere ſufficiunt myſterium. Naſcentis origo ex Maria, originem prodit ex Patre: ſpecies ſuſcipit veritatem, & viſio naturam. Peteximiè Hilarius lib.5 de Trinit. *Cùm lex vmbra ſit futurorum, veritatem corporis vmbræ ſpecies expreſſit. Et Deus in homine videtur, & creditur, & adoratur, qui ſecundùm plenitudinem tẽporis eſſet in homine gignendus. Namque ad viſum ſpecies præfigurata veritatis aſſumitur. Viſus eſt autem tunc tantùm Deus in homine; non natus eſt; mox etiam hoc eſt, quòd & viſus, & natus eſt. Illic homo per Deum ſecundùm naturæ noſtræ infirmitatem videndus aſſumitur: hic pro naturæ noſtræ infirmitate naſcitur, quod erat viſum. Accipit vmbra corpus, & ſpecies veritatem, & viſio naturam. Non tamen Deus à ſede mutatur, cùm in homine nobis aut conſpicitur, aut naſcitur, familiari inter ſe proprietate & natiuitatis, & viſus, vt quod natum eſt, viſum ſit, & quod viſum eſt, naſceretur.* Quid illuſtrius? Preme illa; *familiari inter ſe proprietate & natiuitatis, & viſus.* In quibus ſubtilis mihi ſubolet ratio, quare Trinitas, quæ ſub nubilo in ternarij virilis ſpecie ſe ſuggeſſerat Abrahamo, naſcente ex Maria Domino reſerata præfulgeat? Proprietas Verbi Dei eſt germanâ ſibi familiaritate coniuncta, natiuitas, & viſus: ſolus ille naſcitur in diuinis; æternáque generatione procedit, illique natiuitas lumen eſt, vtpote per intellectum; lumen autem viſui ſubſeruit: quare in Verbo Dei peculiari attributione Beatos videre circumfertur, qui in eius lumine vident lumen. Viſus ergo, & natiuitas inſtruunt, Filium è Patre luminum exoriri. Igitur quòd Deus in homine viſus fuerit Abrahamo, non veritatem, ſed vmbram prætulit Trinitatis, quaſi reſectâ, & amputatâ Filij diuini proprietate, quæ non ſolùm in viſu, ſed in natiuitate eſt. Naſcitur è Virgine puritatis non temerans lucem: en completa proprietas: quid quòd Triadem euulget, & ſpecies ſortiatur veritatem?

Incarnationem hanc præſagiebat Parens ille, qui ad tres viros acclinis, & deuotus alloquitur: *Domine, ſi inueni gratiam coram oculis tuis, ne transeas ſeruum tuum.* Ad hoſpitalem largitatem inuitas & tamen non munus dare, ſed accipere innuit: veſtigiis parat lauacrum, ſub arbore componit quietem, tria ſata ſimilæ commiſcet, iugulat vitulum, con uiuiſque ſuis beneuolum decoquit pectus: & tamen id ſibi grande munus eſſe cognoſcit, quòd hoſpites ſui à ſe munerari permittant. Suimet beneficij vinculis illigatur, ſeque nuncupat debitorem, cùm dat; quaſi in largitate tependeret. Id admiratur Chryſoſtomus apud Lippom. *Dicere enim, Domine, eſt captantium beneuolentiam: dicere autem, Si inueni gratiam in oculis tuis, hoc eſt admirabile. Beneficium, inquit, das, non accipis.* Non eſt cur admiretur Chryſoſtomus. Quale etenim hoſpitium potuit eſſe, quod non recipientis, ſed hoſpitantis gratia parauerit? Certè hoſpitium Mariæ filiæ Abrahami, quod ipſius hoſpitis, nempe Dei, gratia perfudit. Hoc hoſpitale donum Abrahum expetebat: ideò ex inuenta gratia Dominum vrget, vt intra tabernaculum recipiatur. Hoſpitium hoc non abſque promiſſione ſobolis eſt, quia typus erat Virginalis hoſpitij, in quo ipſemet hoſpes generandus erat. Ideò qui hoſpitatur, beneficiorum dat blandimenta; qui recipit, non numerat nouum beneficij pignus, ſed pro accepto rependit. Hinc Chryſologus hoc inter beneficia Abrahamo facta commemorat, ſapienterque cum generandi germinis ſponſione coniungit ſerm.147. *Hinc eſt, quod Abraham vocat de gentibus; auget nomine, Patrem fidei facit, comitatur in via, inter exteros ſeruat, honorat triumphis, promiſſis oppignorat, hoſpitalitati blanditur, mirificat germine deſperato.* En hoſpitium, quod hoſpitis gratia aſſumpſit, cum germine nectitur, cumque filij promiſſione: vt ſacra Virgo notetur, quam gratia & fœcundam fecit, & hoſpitium. 33.

S.Fulgent.

Chryſoſt.

Chryſolog.

Mariæ Sanctitas Triſagium, quod canunt Seraphin, manifeſtat.

SECTIO V.

NON fert animus, principem illum locũ ſubticere, in quo Triſagium alternis modulis Seraphin cantabant Iſai.6. *Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* De hoc lata ſeges apud Patres. Baſilius lib.3. contra Eunom. Origen. hom.4. in Iſai. Nazianz. orat.38. Iſidor. lib. de Natiuit. Dom. cap.4. Damaſc. in epiſt. de Triſag. Quid plures? Si non triplex ſanctitas, cur tergeminant ſanctitatem? Tres perſonæ in ſanctitate vnum ſunt: quomodò ex ternario ſanctitatis, perſonarum numerus euulgatur? Sed qui ſanctum ter Dominum cecinerunt, non ſanctitatem multiplicant, ſed perſonam: quippe vnaquæque ſancta, licèt in tribus vnum ſanctum ſit. Igitur ſicut vnum in tribus eſt, nempe 34.

Iſai. 6.

Baſil. Origen. Nazianzen. Iſidor Damaſc.

Deitas in personis; sic in tribus sanctis sanctum ob relationum numerum, non ob sanctitatis incrementum. Id Theologicè percalluit Ambrosius (Ambr.) lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 4. *Si vna sanctitas cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sanctitate vnum sunt?* Sed vide Doctor: Si quia sanctitate vnum sunt, cur ex sanctitate trifariam repetitâ tres apparent? Peroptimè. Sanctitas conciuitur singularis & cùm tribus affigitur vnius substantiæ Trinitas decantatur: non enim sanctum illud quid vniuersale est, quod sub se sectiones patiatur; sed potiùs singulare & indiuisum, intimè permeans Trinitatem. An ob id Virgineæ vuluæ adumbratio? Accerso te ad Gabrielem Mariæ loquentem (Luc. 1.): *Proptereà quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Notauisti stylum? Cur sic indefinitum apposuit, *quod nascetur ex te sanctum?* Censeo vt alluderet ad Trisagium, in quo vnum sanctum in neutro, licèt tres personæ ex illa singularitate sanctæ sint. Adstipulatur huic cogitatui Chrysolog. (Chrysolog.) serm. 142. *Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Nemo hic communiter accipiat sanctum; sed illa singularitate, qua clamatur in cœlestibus Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Quid tu ais ô Auree! Si sanctum hic ex Maria nascendum ad Trisagium refertur, quod canitur in cœlestibus: ergo Trisagium nascetur ex Maria? Absit Totus incumbit Damascen. (Damascen.) in epist. de Trisag. vt probet vnamquamque personam ex diuinis neutiquam posse sigillatim Trisagium nuncupari. Sanè non dissidet Chrysologus, nec Christum ex Virgine genitum, Trisagium appellat; sed subtiliter suggerit, quòd sanctum illud, quod nascitur ex Virgine, ex sanctitatis singularitate sit, quæ in Trisagio personat in Excelsis. Vt noueris Mariam, etiam in puerperio, dum vnam ex personis diuinis odit, sanctum modulari Trisagium. Tympanistria sacra, dum sanctum parturit, Trinitatis est Magistra.

35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Cur non, *Quod nascetur ex te, sanctus vocabitur Filius Dei?* Anna quia sanctitatem delibat à Matre, qui Filius Altissimi vocabitur? Imò Mater sanctitatem accipit à Filio. Attamen ob honoris Materni reuerentiam, Marianæque puritatis fastigium sanctum natiuitati appingitur, quasi vtero adscriberetur. Quanta Virginis excellentia! Si illud sanctum ex illa singularitate est apud Chrysologum, qua Trisagium in Excelsis conclamatur; cense de Virginia sublimitate, nec aliud elogium speres adipisci, quod eius sublimiùs extollat maiestatem, quippe sanctum illud natiuitati ex Virgine adrogatur. Ideò indefinitè protulit sanctum, vt ex indefinito panderet infinitum: ne si aliquid adderet, minueret sanctitatem. Do Bernardum (Bern.) homil. 4. super Missus est: *Attende, quæso, quam reuerenter dixerit: Quod nascetur ex te sanctum Vt quid enim ita simpliciter sanctum, & absque additamento? Credo, quia non habuit, quid propriè, dignéque nominaret illud eximium, illud magnificum, illud venerandum, quod de purissima Virginis carne cum sua anima vnico Patris erat vniendum. Posuit ergo indefinitè sanctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum proculdubio, ac singulariter sanctum fuit.* Illustria sunt supra miraculum ista. Ergone, etiamsi nondum nouerim id, quod ex Virgine nascitur, Filium Dei esse; sat est quòd sciuerim nasci ex Virgine, vt quidquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum proculdubio & singulariter sanctum credam? Vide mellite Abbas, quòd si singulariter sanctum est, singularitas sanctitatis ex Trisagio erit, docente Chrysologo: *Illa singularitate, qua clamatur in cœlestibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Eò igitur, quòd nascitur ex Maria, ex Trisagio sibi sanctitatem deuincit, quidquid illud sit, quod Virgo genuit. O Trinitatis cognata Maria!

Miraberis, cur Trisagium indefesso concrepet concentu: nec ab vna quiescant cantilenâ, siue animalia sancta, siue Angelicos cytharœdos auscultetis. 36. Apocal. 4. *Requiem non habebant die ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.* (Apoc. 4.) Ergone semper sanctitas insonat, nec nectuis aliud melos fidendum? Nonno aures tam irrequieto eiusdem vocis sono fatigantur? Insonet semel omnipotens, misericors semel: cur alto sopore subticetur sapientia, infinitas, æternitas, fortitudo? Sed omnia elogia, sanctitatis cedunt præconio. Nil doctiùs Dei prodit naturam, quàm sanctitas: prædicare sanctum, est enunciare Deum; cætera quasi lineæ, hæc centrum est. Ambrosius (Ambros.) lib. 3. de Spiritu sancto: *Hoc enim dicunt, Deum prædicant. Nos quoque nihil pretiosius inuenimus, quo Deum prædicare possimus, nisi vt sanctum appellemus. Quodlibet aliud inferius Deo, inferius est Domino. Ergo hinc quoque considerate; vtrum aliquid sancto Spiritui derogandum sit, cuius nomen, Dei laus est. Sic enim laudatur Pater; sic laudatur & Filius, quemadmodum Spiritus nominatur, & laudatur.* Præclarè S. Doctor diuinitatem sancti Spiritus aduersùs digladiantes hæreticos, pulchro epicheremate, ex sanctitate conuincit. Nempe quia Spiritus sancti nomen, primarium Dei præconium euulgat. Hinc nunquam Angelica intermittitur panegyris: iugiter ter sanctum percussâ tibiâ responsat, & vt quamlibet ex tribus personis Deum demonstret, quamlibet sigillatim sanctam appellat. Cur additur: *Dominus Deus omnipotens?* Quam subtilis decursus! Nisi aliquid adderent Trisagio, non alia vox audiretur, quàm *Sanctus Sanctus*, centies, millies, infinities: nec sacrum ternarium panderent personarum. Interponunt alia verba, postea intercalatem hymnum resumunt, & dum semel vnicuique personæ sanctitatem decantant, non sanctitatis terminum, non numerum inueniri posse, sed tantùm hypostaseon, pronuntiant. Quam Theologicè, & verè aduersùs asserentes Trisagium de sola vna persona dici, arguit Damascenus (Damascen.) in epist. de Trisag. *Absurdum est ter sanctum hymnum, cùm tres diuinitatis personas declaret, ad vnam duntaxat diuinitatis personam referre: cùm enim trium personarum numerum designet, de vna hoc vocabulum vsurpare incommodum fuerit: ne alioqui nonnes sanctam Trinitatem esse pronuntiemus. Quid igitur? ter sanctus duntaxat Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus? Absit. Imò infinities infinitè sanctus.* Adeò puritate, & mundiciæ ab omni labe defæcatâ sibi blanditur diuina natura, vt ab Angelorum creatione vsque nunc coronam sanctitatis laudem sibi vendicet, & Trias per ternum sanctitatis accentum innotescat.

Verùm, vt Trisagij huius dialogismus, seu drama, quod auscultatus est Isaias, Trinitatem hominum mentis exhiberet, qualisne ex tribus 37. persona Prophetæ mentem in tam gloriosum astipuit spectaculum: *Vidi Dominum sedentem?* (Isai. 6.)

Non

Non desunt Patres, qui Patrem fuisse affirment.
Damascen. Consule Damascenum in epist. de Trisag. Basil.
Basil. serm. 4. contra Eunom. Ast adest pro Filio perillu-
Ioan 12. stris patronus. Annè pro Filio in diuinitate? Imò
pro Filio Virginis, nempe Christo. Ioan. cap. 12.
agens de Christo sic fatur: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo.* Annè
Ioan. 1. quia post Trisagium Seraphin addiderunt: *Plena est omnis terra gloria eius*; Vidit quidem Ioannes gloriam eius, *gloriam quasi Vnigeniti à Patre:* gloria igitur hæc, iam in terris effusa, sedentem super solium Dominum admonet esse Filium Virginis, in cuius vtero, ceu terræ medio, salutem operatus, Seraphicam, edocuit cantilenam, & in Triadis Trisagium instruit discentes.

38. Iam te conduco ad Mariam: vt exploremus, an tergeminæ sanctitatis in illa personuit accentus? Certè assuetus Angelus Trisagio superno, cùm nuntius adest ad Virginem, vix triplici verbo, fermè tersanctam salutauit.
Luc. 1. *Aue gratiâ plena:* en semel: nam gratia sanctitatis fons est: *Dominus tecum*; iam iteratò: nam qui per immensitatem est in creatura, cum creatura adest per gratiam: similitudo & amicitia præstat contubernium: *Inuenisti gratiam*; ecce iam tertiò. Vide cœlestis Ales, quod cœlum deseruisti, nec laudationis tuæ assumptiuo Trinitas est, sed Virgo. Annè assueta vox Trisagio te in Trisagium admonuit? Non inscius Gabriel, sed deuotus, sanctitate in Virginis demiratus, ab omni labe mundam contemplans, per Trisagij modos, quos recinere supernùs consueuerat, eius puritatem explicuit. Ternarius numerus eximiam indicat amplitudinem, præclaramque exaggerat perfectionem, de quo plura suppetunt & apud nostros, & apud exteros testimonia. *Tergeminus* nuncupatur honor, qui supereminet, *tersanctum* Hebraica phrasi *sanctissimum* est. Mariæ sanctitas ternario gaudet: quia supernum sanctitatis verticem coronat; adeoque superlatiuum amat stylum, vt Filius Dei, qui apud Patrem sanctus concinitur in Excelsis, è Virgine natus *sanctissimus* efficitur. Sic insolito
Alb. Mag. progressu audet Albertus Mag. in cap. 1. Luc. ad illud: *Quod nascetur ex te sanctum. Sic igitur quod nascetur, multas & differentes habet rationes sanctitatis. Est enim vt Deus, sanctum essentialiter; vt homo autem, sanctum sanctorum; & vt sumptum de Virgine, sanctissimum.* Singularis processus est iste. Ergonè omne tulit punctum sanctitas, cùm vterum tetigit Virgineum: & qui sanctitatis superbis opibus ditissimus est per diuinitatem, superadcrescentem audiat stylum, quando eius ex Maria natalitia panguntur? Nequit sanè inexhausto perfectionum pelago ex creaturarum stillis superaddi: auctarium non sustinet plena diuinitas: attamen sanctitas, quæ intra diuinitatis sublatebat arcanum, quia manifestationis lucem effudit ex Virgineo puerperio, gradum quemdam sibi adsciuisse visa est: sicut & quod nouiter apparet, nouiter incipere dici consueuit apud sacra. Explicuit abditam Deitatis puritatem Virgineus vterus absque masculo grauidus, absque inquinamento fœtus, edocens interiorem ortus Verbi Dei in vtero Patris, in splendoribus sanctorum: ideò qui sanctus in aula paterna Angelorum metro recinitur, sanctissimus ex aula Matris prædicatur. Plures non indocti in Trisagio plenitudinem diuinæ sanctitatis volunt decerni, Hebræo more, qui *tersanctum* pro *san-*
Sanctius. *ctissimo* accipit; vt videre est apud Sanctium Isai. 6. Ergo cùm Angelus ternam protulit Virginis sanctitatem; & Trisagij morem resumpsit, & sanctissimam declarauit.

Aliud tamen non insubtile in hoc nouo Mariæ 39.
Trisagio meditari fas sit. Ternarius numerus, me iudice, quamdam præsignat æternitatem: æternitas enim triplici differentia temporis altior est, patuloque sinu temporaneum fluxum immobili statione concludit: cui nec euanent præterita, nec præsentia labuntur, nec futurorum segnities expectationis vicissitudine offendit. Deus tersanctus est: quia tota simul, & perfecta sanctitatis possessio, opus est, Numini adsit. Quamobrem in præfixo loco Isaiæ, Trisagium per æternitatis vocem explicuit Chaldæus, *Sanctus in* Chaldæus.
sæcula, & in sæcula sæculorum Dominus exercituum. Vltimum epithetum Trisagij Græci, quod in Parasceue canitur, & ex Angelo acceptum dicitur sub Theodosione Iuniore apud Nicepho- Niceph.
rum lib. 14. cap. 46. est ἅγιος ἀθάνατος, *sanctus immortalis*. Clarius æternitas suadetur in Trisagio apud Ioannem Apocal. 4. vers. 8. nam confestim addirunt: *Qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Ergo ternarius ex Trisagio cœlesti ad Mariam ab Angelo decantatus, dum trifariam ex gratiæ charismatibus salutauit, conspicuæ sanctitatis eius non solùm perfectionem, sed & cuiusdam æternitatis expressit participium. Explico. Nullum tempus à sanctitate sequestratum fuisse innuit; sed à primordio, dum gigneretur, gratiam hausisse, nec tenebris pependisse sub originaria noxa tributum, vtpote cui intercedens parabatur, qui Trisagium audit; nec pati decebat, aliquod intercipi spatium sanctitatis eius, quæ genitrix futura. Ideò Gabriel vocabulum æternitatis ex cœlesti syllabo transcribit ad Virginem, melosque illi canit, quod resonis nexuis superi Spiritus modulantur: vt quam sanctitas à generationis inuasetat diluculo: diuinæ sanctitatis præconaretur stylus. Præstat frui S. Bernard. Sen. tom. 2. serm. 51. Senens.
art. 1. cap. 1. *Tertia fuit sanctificatio maternalis: & hæc remouet culpam originalem, & confert gratiam. Hæc fuit in beata Virgine. Sanè Deus ipse æternus sic illam benedictam Matrem suam talem condidit, & sanctificauit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua æternitate: & talem tam nobilitate naturæ, quàm perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam maiestatem: quia in ea & de ea debebat sumere, quod in æternum sibi esset vnitum vnitate personæ.* Non te ferit illud: *Sanè Deus æternus talem sanctificauit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua æternitate?* Quid nouitatis affert hæc Virginea laudatio: siquidem quidquid in tempore fit, præordinationis æternæ diuinis obtemperat institutis? Venustè Bernardinus sanctitatem, quæ originis vitium excludit, adstruens in Virgine, tertio quoque verbo æternitatem assumit: quasi in sanctitate participium æternitatis habuerit, nec vllum tempus absque gratiæ transegerit ornamento. Maria semper in æternitate sancta fuit, vtpote nunquam præcognitâ, quin sanctitate perfusa, si hæreditaria labe sorduisset, in diuinâ æternitate non vndequaque semper sancta apparuisset: turpis caligo defœdaret obiectum. En igitur Bernardini mens: Ab originario censu Mariana sanctitas immunis est: quia æternitatis modum delibauit, in qua non est vicissitudinis obumbratio; sed quod semel est, æternum manet. Aliter & subtiliùs. Certum est, post præuisam

Mariæ

Mariæ Sanctitatem, maternitatem illi fuisse dedecretam: nec etenim noxa fœdata, antequam sanctitas abstergeret sordes, potuit in genitricem definiri: ergo nisi desipiat mens, fateri debet Mariam electam fuisse in puerperam in eximiæ sanctitatis statu. En itaque acumen: In ea sanctitate, qua in æternitate electa est in Matrem, condita fuit, & concepta: nunquam ergo potuit subteper Primigenij delictum, siquidem Matris sanctitas iam illi inerat, cùm concipiebatur.

40. Nondum satis. Addiscas, opto, qualem cum Trisagio cognationem habuerit sanctitas Mariæ, quâ Genitrix Dei, quam tersanctam Gabriel salutauit. Diximus sic forsan in nuncio processisse quia supernæ cantilenæ modos adhuc mutiebat in labris, & cœleste Trisagium submurmurans, externa sanctitate Virginem collaudauit: quasi non mutauisset locum, nec cœlestem deseruisset aulam, dum se obiiciebat Virginis conspectui, quam tota diuinitatis opplebat maiestas. Annè idem fuit, sic salutauisse Mariam, quod iugis ternatij cecinisse modulamen? Virginea sanctitas ex supero Trisagio delibata fuit: vt Trinitas hominibus innotesceret, & ad mortalium aures Trisagij harmonia deueniret. Salutatio hæc: *Aue gratiâ plenâ, Dominus tecum*, Seraphicam cantilenam non intermittit: hymni huius similitudo quasi cum Trisagio continua est. Hoc Angeli canunt, etiamsi irrequietè intonent Trisagium. Cœlestis chorus hoc melos ingeminat; lac, vterum, fructum: & quidquid ad genitricem Virginem spectat, Superorum consonantia est. Læ-

Athanas. taberis audiuisse Athanasium in serm. de Annunt. Mariæ: *Benedictus fructus ventris tui. Istiusmodi benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis constat. Beatus vterus tuus Dei gestator & vbera, quæ ille adhuc infantulus suxit. Secunda verò Hierarchia, quæ in se Dominationes, Virtutes, Potestatesque complectitur, ad te respectans clamat: Benedictus venter tuus, qui Deum concepit, & mamillæ, quæ Deum educauerunt puerum factum. Iam tertia ex Principibus, Angelis & Archangelis acies edit splendidissimum hymnum: Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Ab istis nos Hierarchiæ terrestres Aue gratiosa, Hera, & Domina; quoniam ex te carnigerus Deus.* Vide Angelorum officia. Sed

Apoc.4. vbi est illa iugis Trisagij repetitio? Profectò Apocal.4.vers.8. *Et requiem non habebant die, ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens*: ex quo Ecclesia, *Incessabili*, inquit,

Procop. *voce proclamant, Sanctus*, &c. Quare Procopius: *Seraphini sanctus laudes non semel tantùm, sed sæ-*

Ambros. *pè, imò etiam infinitis vicibus iterant*, Ambrosius inibi: *Sancti requiem non habent, quia à laudibus Dei & orationibus non cessant.* Si sic irrequietis numeris diuinam cœlestis chorus incessanter recinit sanctitatem; qui fieri potest, canticum intermittant, elogijsque Marianis se deuoueant? Vide qualis in eorum neruis laus Mariæ sit, vt difficultatem hanc diluas. Quidquid tesonat, concelebrat vterum Verbo Dei grauidum: quidquid concrepat, salutatio est, quam cœlestis edidit nuncius: in salutatione autem, & in vtero, sanctum illud intonnit, quod est *ex singularitate, qua clamatur in cœlestibus Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sicut suprà dedimus ex Chrysologo. Non ergo intermittitur Chrysolog.
hymnus, nec interquiescit Trisagium, licèt interseratur elogium Mariæ, quæ Triadis communionem subintrat. Itaque scitè apud Athanasium per supremos Spiritus Cherubin, & Seraphin vsque ad tertiam Hierarchiam irriguâ collustratione, illuminationisque commercio hymnus demittitur Virgineus; vt infractâ repetant voce *Aue gratiâ plena, Dominus tecum*: sic etenim per nobiliores Spiritus Trisagium ad extremos vsque deuolui, docet Dionysius de cœlest. Hierarchia cap.7. in Dionys.
fine vbi postquàm canticum hoc attigit, subdit asserendum esse: *Primum ordinem pro captu suo ab hac diuina bonitate illustratum, tanquam Hierarchiam bonitatis speciem gerentem, scientiæ de Deo differendi, etiam eos ordines, qui ipsum deinceps sequuntur, participes fecisse.*

Ex quo videris, quantùm cœlestes Spiritus 41.
Virgo Mater excedat, quæ Trinitatis præconiis collaudatur. Nam Seraphin ad Trisagij vocem tremuli pauent: Maria tersanctam, etiam ab Archangelo, audit, nec lubricis procumbit vestigiis; sed impercussa stat: vtpote cui Maternitatis honos diuini stemmatis communionem effecit. Id puto sublatere apud S. Proclum in Encom. B. Virg. *Ni-* S.Proclus.
hil igitur in mundo cum Dei Genitrice Maria comparandum est. Res omnes conditas, ò homo, cogitatione peragra, ac perspice, an quidquam sit, quod sanctam Dei Genitricem æquet, ac superet. Vide, an in omnibus rebus conditis sit vllum eiusmodi miraculum. Etenim cœli quidem enarrant gloriam Dei, Angeli cum metu inseruiunt, Archangeli cum tremore adorant, Cherubini gloriæ magnitudinem minimè ferentes cohorrescunt, Seraphini circumuolantes propiùs accedere non audent, verùm cum tremore clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hæc ille. Expende rationem; quare super omnes creaturas primatum obtineat Maria: quia Seraphim, qui viciniori ad diuinitatem flagrant situ, cum tremore Trisagium clamant. Dixeris: quid hoc iuuat ad Virginis celsitudinem? Maximopere. Nam Maria & tergeminam sanctitatem ab Angelo auscultata est, & sanctum peperit, quod ex Trisagio singulariter est.

SYM



SYMBOLA, ET SIMILITVDINES TRINITATIS MARIAM ADVMBRANT, ET EIVS EXCELLENTIAS PRÆCONANTVR.



NON nimis allegoriis, & symbolis delector, quando suppetit elucubranti propria, & vernacula pro Virgine nostra suppellex ad laudationis eruditæ mysterium. Attamen non insuauia fercula ex Trinitatis similitudinibus mihi condiuntur, quæ Dominæ meæ, Trinitatis triclinio, sedulus pincerna ministrem: vt vndequaque appareat, quàm viuidis spiritibus Trinitatem fidelibus mentibus repræsentet, quantis coloribus imbuat animos ad reconditi sacramenti cognitionem. Certum est nullam increatis similitudinem sanctæ Triados inueniri: ast, vt dicebat Hilarius lib. 1. de Trinitate: *Infirmitas nostra intelligentiæ cogit, species quasdam ex inferioribus, tanquam superiorum indices quærere; vt rerum familiarium consuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur.* Sanè quotquot similia poliuntur, quasi odori flosculi halantes Trinitatem, infantiis animi oblectamenta sunt: qui, dum fidei fortis affigitur, vir est: dum experimentis hilaratur, pusio tenellus nuncupandus, vtpote crepundiis delinitus. Verùm interim non deserendæ vmbræ, quousque congregentur aquilæ ad corpus. Sic tamen, vt edocet Augustinus: *Assuescat in corporibus ita spiritualium reperire vestigia, vt cum inde sursum versus duce ratione ascendere cœperit, ad ipsam incommutabilem veritatem, per quam sunt facta ista, perueniat; non secum ad summa pertrahat, quod contemnit in infimis.* Sic ille lib. 12. de Trinit. c. 5.

Hilarius.

August.

Igitur ad Trinitatis ænigmaticam cognitionem, quæ in similitudinibus adumbratur, Maria nostris specimina præbeat ob turibus: in qua, velut in recapitulatione, omnes adhuc inuentæ similitudines coaluerunt. Immensum esset ire per singula, & instituto nostro iniuriosum nimis: firmiora libabimus mentis nostræ ad adumbratam in Trinitatis mysterio suauitatem subsidia, quæ à Patribus communiori calamo circumferuntur: & Mariæ absque vllo negotio probabimus conuenire, vtpote Trinitatis sponsæ; quæ iure hymenæi obtinet, quidquid Trinitas.

* *
*



ACADEMIA III.

Maria Arbor est in Trinitatis symbolum: cuius truncus ab originali noxa vindicatur immunis.

Sedulò expenditur Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.*

In arbore virginea Trinitas viret.

SECTIO I.



1\. SANCTVS Ephræm Syrus de Margarita pretiosa sic fatur: *Fuit igitur Maria Patri arbor, Filio Mater, hominibus fons Spiritus æterni, & pudicitiæ, atque incorruptionis præceptum.* En Trinitas, vtpote Patri, Filio, Spiritui; arbor, Mater fons. Vt quid arbor & fons Trinitatis Virgo decantatur? Sapienter, vt meditor: in his enim, si Patres consulas, perpulchræ similitudines Triados efferuntur. Nonnè arbor ad hoc virescit institutum? Audi Augustinum lib. vnico de fide & symbolo c. 9. *Sicut in arbore radix non est, nisi radix; nec robur nisi robur; nec ramos, nisi ramos possumus dicere. Non enim quod dicitur radix, potest dici robur & rami; nec lignum, quod pertinet ad radicem, potest alio etiam transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nec in ramis; sed tantùm in radice: cùm illa regula nominis maneat, vt radix lignum sit, & robur lignum & rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed vnum.* Tertullianus libro aduers. Praxeam cap. 8. *Protulit enim Deus Sermonem, sicut radix fruticem, & fons fluuium, & Sol radium. Nam & istæ species parabolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitauerim; Filium dicere & radicis fruticem, & fontis fluuium, & Solis radium.* En arbor, en fons, qualis apud Ephræm in Trinitatis mysterio.

S. Ephræm.

August.

Tertull.

Annè Virgo arbor? Sanè virga suffragante chara

Petr.Blef. charactere, facilique commeatu. Petrus Blesens. serm.1.in Aduent.Domini apud Biblioth. to.12. part.2. *Virgo enim mutato o in e fit virga; in hunc modum facta est virga secundùm illud: Virgo Dei Genitrix virga est.* Nonnè Blesensis lepiditatem notauisti? Quia Virgo literæ cognatione, calamique, seu vocis vicino lapsu virga est: *In hunc modum*, inquit, *facta est Virga*. Profectò non mediocre acumen. Ea mens est: Virga ferax, frugifera, imbribus maritata, baccis, opimisque fructibus grauidatur. Id virgini contingere nequit, cui incultus vterus pignus non fert. Verùm Maria, quæ Virgo est, eiusdem fermè literæ protractione, & incremento Virga pullulans euasit & fœcunda. Ideò & vocabulorum subseruiuit stylus, & nominum obtemperauêre commercia: nempe quòd *Virgo* & *Virga* absque vllo calami, linguæ dispendio, vt Virginem Matrem monstrent, effetuntur. Vt ex Virgine transiret in virgam, ex inculta turgeret in prolem; non vlla vocabuli prioris intercessit mutatio, sed tantùm dexteræ Excelsi, qui fecit potentiam in brachio suo, germenque inseruit, vt & gemmasceret, ceu frondens virga, & Virgo maneret æterna. Vnde subdit: *Iuxta illud: Virgo Dei Genitrix virga est.* Quasi non aliter virga nuncupanda, nisi quà pullulans, quà florulento germine turgens, quà Dei Genitrix, quàque Virgo alternâ vicissitudine perhibetur. Nec virgam profari fas sit, nisi fœcunditatem attexueris radicis.

3. Isai.11. Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quem locum communis sententia fert, Virginis Matris auspiciis applaudere. Annè in hac Virga, Trinitatis adumbratio, quam rimabatur in arbore Augustinus? Eadem fermè; quippe radix, virga, flos; quæ idem sunt cum radice, robore ramo. Illicò admiror nouitatem. Flos non de radice pullulat, sed de ramo: virga non de stipite solet egredi, sed è media arbore ramus est. Cur igitur sic naturæ inuersus stylus, vt virga de radice prodeat, & flos ascendat de radice? Sic stuper Richardus à Sanctus Laurentius lib. 12. de Natiuitatem Virginem. *Cum Virga habeat egredi de ramo, & non de stipite; & flos similiter de ramo, non de radice: quare Propheta posuit huiuscemodi verba?* Censeo, ob symbolum Trinitatis, quæ in vmbra Virginis adumbratur: in qua per circumsessionem & Pater in Filio, & Filius in Patre, & reciprocâ quiete Spiritus in vtroque recumbit: quare flos in radice, virga in stipite, cùm de Virgine sermo est, peruiâ & transcendenti statione profertur. Hinc Tertullianus dicto cap. 8. *Secundum horum formam profiteor, me duos dicere, Deum & Sermonem eius, Patrem & filium ipsius: nam & radix, & frutex dua res sunt, sed coniunctæ.* Quasi naturâ non dissideat, sed origine flos à radice, & virga; ideo velut germinatione communi à radice ascendere dicitur, sicut & virga. Vnde huius virgæ flos etiam lignum viride nuncupatur, sicut & mater, arbor: quod dicto libro lib.12. obseruauit Richardus: *Sæpius in Scriptura dicitur lignum viride, sicut Christus dicit de seipso: Si in viridi ligno hæc faciunt. Maria igitur lignum, & arbor.* Igitur si flos, & radix lignum est, quid deficit similitudini, quam præscripsit Augustinus: *Vt radix lignum sit, & robur lignum, & rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed vnum?* Quippe dum flos è virginea ascendebat radice, non tam communem diceres naturam, quàm eamdem ex Arnoldo Carnotensi: quod in Trinitatis speciem dixit Dionysius Alexandr. & habetur in Athanasio in epist. de sentent. Dionysij: *Planta ex radice succrescens alia quidem est ab eo, vnde pullulauerit, & tamen cum eo eiusdem naturæ manet.*

Margin: Richard. à S.Laur. — Tertull. — Richard. — Arnoldo. Carnotens. Dionys. Alex. Athan.

Cui cogitatui non insuauiter suffragatur, virgã in præfixo loco iam pro Maria, iam pro Christo, diuiso agmine, à Patribus exponi. Mariam significari vult Ambrosius libro de Benedict. Patriarch. cap.4. Tertullian. lib.4. aduers. Marcion. S. Leo serm.4. de Natiuit. Domini. Ephræm. in orat. de laudibus Virgin. Rupertus in Esai. libro 1. cap.6. Hieronym. in cap.11. Isai. Damian. serm. 46. de Natiuitat. Virgin. colum. 6. Chrysost. tom.1. in Psalm. 22. homil. 116. Augustin. tom.10. serm.3. de temp. Amad. homil.7. de laudibus Virgin. Pro Christo scholiant plures ex præfatis. Chrysostom. tom.2. homil. 30. in cap.12. Matth. Ambros. serm.54. & lib.5. officior. cap.14. Clemens Alexandrin. lib.1. Pædag. cap.7. Origenes in Hierem. cap.2. & in cap.17. Numer. homil.17. Quid hæc mutua vicissitudo protendit; nisi præfatæ thesis explicatum: nempe radicis, virgæ, & floris eamdem esse naturam, viridemque ternarium eodem essentiæ florere virore? Arbor igitur Maria est: inibi Trinitatis symbolum addiscat Augustinus, Tertullianus, Dionysius, Alexandr. & Athanas. qui ab arbore similitudinem non dissimili texunt ingenio. Igitur quòd virga Virginem simul & Christum adumbret, Matris, & Filij eamdem naturam esse pronuntiat; non solùm quà caro vna est; sed quà perfecta similitudo in sacræ identitatis sortem assurgit. Nonnè vides? *Et flos de radice eius ascendet.* Curnè flos? Imò fructus ventris Mariani Christus præcinitur. Equidem quia ex flore fructus est, imò flos in fructum eruditur, viciniorque, & præcocior flos erumpit è virga, quæque indolem sui, succique naturam traduce flore fructui communicat, proprietatemque, quæ virgæ inest, traiicit in fructum: ideò Christus, qui fructus Virginis est, vt Mariæ propinquior, & intimior appareat, linius virgæ flos perhibetur. Infrà Septimij Tertulliani locum pleniùs expendam? sat sit, in hoc institutum auscultaris, de carne Christi cap.21. *Benedictus fructus ventri tui. Et qui vtique fructus vteri? Christus. An quia ipse est flos de virga profectâ ex radice Iesse; radix autem Iesse genus Dauid, virga ex radice, Maria ex Dauid; flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Iesus Christus, ipse erit & fructus? Flos enim fructus, quia per florem, & ex flore omnis fructus eruditur in fructum. Quid ergo? Negant & fructui suum florem, & flori suam virgam, & virga suam radicem, quominus suam radix sibi vendicet per virgam proprietatem eius, quod ex virga floris est; & fructus.* Ergo flos Christus dicitur, non in fructus dispendium; sed ob maiorem cum Matre propinquitatem: qui quasi vsque ad radicem per succi, & virtutis commercium recurrit, & refluit; vt & vnitas præsignetur, & adhæsionis cum sua virga stabilitas asseratur: fructus enim ex arbore pendulus non sic cum arbore assuitur, vt flos.

Qux adhuc contexuimus, solùm Patris, & Filij vnitatem simul, & originem, ex Mariæ, & Filij origine, & vnitate, aliquali vestigio signarunt. Nondum Spiritus sancti fragrantiam hæc florida

floruit la virga, virgineusque flos spirauit. Et tamen Maria, quæ Spiritus sancti fragrantiæ pratum est, sicut virga, seu virgula fumi Spiritus sancti vaporat odore. Itaque in præfato Isaiæ loco persistent, opus est, Spiritus sancti odoramenta, vt in virga virginea Spiritus sancti haurias agnitionem. (Isai. 11.) *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Animum pungit; cur radicis vocabulum geminetur? Virga à radice, & radice flos propagari describitur. Desipere credidisses stylum, si ignarus mysterij torperes. Et quidem perspicua Trinitatis iuxta Augustini acumen parabola est. Radix, virga, flos ternarium constituunt, quæ in vnam coëunt naturam. Verùm nec flos à virga, quin à radice, pullulat; nec virga à radice, quin floris vbertate gemmascat: *Et flos à radice eius ascendet.* Si à radice eius; ergo simul à radice & virga, quæ radicis succum fugit in florem. Habes Spiritus sancti originis symbolum. Quamuis certum sit, in ascendente flore Filium intelligi; tamé quia conceptus de Spiritu sancto est ex Virgine, Spiritus sancti Sponsa, eius etiam diuinam originem non absurdè hoc symbolo declarari dicetur. Non aliter à virga, nempe à Filio procedit, nisi quà & à radice, nempe à Patre: vnicum enim Pater & Filius constant principium: de quo Anselmus in Monolog. cap. 52. Isidorus lib. 1. sentent. cap. 15. Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 13. (Anselm. Isidor. August.) Id non satis etenim ingeniosiùs rimeris; immediatè quidem à Patre & Filio Spiritus sanctus procedit. Verùm quia medius Trinitatis Filius est, immediatè simul, & mediatè Spiritum sanctum à Patre prodire, Scholasticorum mens est. S. Th. 1. p. q. 36. art. 3. ad 1. Richardus Victorin. lib. 5. de Trinitate c. 8. & 9. (S. Thom. Rich. Vict.) Id nullâ potuit dialecto distinctiùs explicari, quàm præfato virgæ ænigmate: *Et flos de radice eius ascendet.* Vtrumque habes: & quòd à virga & radice communi prodeat egressu; & quòd à radice per virgam: vt immediata, & mediata indicetur processio.

6. Nescit arbor virginea ab odore fragranti Spiritus sancti orbari. Quamuis Spiritus sanctus à Maria non pullulet, vt fructus; vt vnguentum, vaporat. Non incarnatus vterum impleuit; sed in virgineam virgam superueniens, suæ originis halauit fragrantiam. Ideò enim superuenturus in Mariam forsan prædicitur: vt processionis à Patre, & Filio indicetur vestigium. Cùm enim terminus sit Trinitatis, & ad Patrem, & Filium superadditus: meritò superueniens describitur, quatenus super Spiritum sanctum aliam personam superesse non credas. Quare superascendens flos ex radice, & virgâ profertur. Si id ex Virgine nostra addiscimus: iure in odorâ hac arbore, quæ suauitatem dedit odoris, fragrantiam Spiritus sancti captamus. (Chrysipp.) Ex quo iam capies Chrysippum de laudibus Virginis, col. 2. *Aue, quæ es hortus Patris: aue, quæ es pratum totius fragrantiæ sancti Spiritus.* Cur pratum totius fragrantiæ Spiritus sancti, & non pratum Spiritus sancti appellat? Compté quidem. Nam Spiritum sanctum non germinat, vt fructum; siquidem ab ipsa non ortum capessit: attamen fragrantiam eius spirat, vtpote in odorem vnguentorum eius ex Virgine, scilicet in sancti Spiritus percurrimus agnitionem. Arbor hæc agriculturæ Spiritus sancti pignus est; non ipse est huius arboris fructus, sed qui in arbore fructum inseuit. Putares Spiritum sanctum in Virgine corporatum; quandoquidem Anselmus (alibi expendendus) corporaliter in illam venisse pronunciat; ac proinde huius arboris fructum censuisses. (Anselm.) Absit. Non Spiritus sanctus Virginis fructus: sed quia Maria Spiritus sancti agricultura est; Spiritus sanctus in virginea virga Dominum fructum seminauit. Hic sapor in Areopagita ex Menæis Græcis in principio: (Areopag.) *Virgo agricultura cuncta facientis Spiritus sancti, omnium Domini corpus pro fructu protulisti.* Ergo vt ex Mariâ virga Christus fructus pullularet, Spiritus sanctus in florem excoluit: hortum vernis prouentibus animauit. Hinc flos ascendens & Filium Patris præsignauit in fructum, & Spiritum sanctum superuenientem, tertiam Trinitatis personam, exhibuit. Accerso Hesychium serm. 2. de laudibus Virgin. (Hesych.) *Vocauit te hortum conclusum, & fontem signatum is, qui ex te ortus est Sponsus. Hortum conclusum ob id, quòd falx corruptionis, aut vindemia non te attigit: florem autem, qui ex radice Iesse hominum generi purè exhibetur, excoluit tibi à puro intemerato Spiritu.*

Ex arte agraria Insitio Virtutis Altissimi *Mariam diuini Patris* Arborem, *seu* Coniugem *reddit.*

SECTIO II.

2. CONSPICVA sunt ista. Verùm nondum sfatim seu sanctum Ephræm, seu Isaiæ mentem enucleauimus, nec medullitùs rem introspeximus. Arbor hæc non in aliud florere institutorum, quàm vt Patris diuini floridam, vernamque fœcunditatem enunciet. Nutriuntur arbores, vel stillantibus, irriguisque ad truncum cæspitibus; seu roscidis, vegetisque venis per terræ penetralia serpentibus; vel imbribus cœli; vel temperatis, tepidisque & apricis Solis clementiis; seu leuibus flaminibus Zephyrorum. Cæterùm Maria ipsâmet Patris diuini virtute innutrita fouetur, generatricemque potentiam ex supero Genitore delibans, diuinæ sobolis Genitorem enunciat, ac proinde Trinitatis exprimit arcanum. Cogitatum hunc infrà integrâ Academiâ pluribus locupletamus. Præcoci munere interim hæc sublicimus, quæ & Esaiæ locus, & Ephræm acumen ad sui enodationem exoptat. Igitur fœcunditas illa Patris, quæ prole redimitur æternâ: radicem virgineæ huius arboris imbuit, & maritauit, vt eadem soboles fructificaretur pro germine. Patrem diuinum agricolam meditare, timam in arbore virginea inuenientem, vt insitionis arte feracem virtutem, filiumque suum inderet, & insereret. Iam capies Esaiam: (Isai. 11.) *Et flos de radice eius ascendet.* Flos quidem non erumpit è radice; sed ramum venustat, & picturat. Qualis ergo flos hic, qui è trunco assurgit, & virgæ se mandat, vt vernet? Apud Leonem Castrensem (Leo Castr.) obseruant Rabbini: Hebraicè pro radice apponi גזע *Geza.* (Aquila, Symmachus, & Theodotio κορμὸν interpretati sunt:) (Aquil. Symach. Theodot.) quod truncum arboris, resectum significat, cuius radix adhuc in terra manet, nondum orbata succo, nondum humoris expers. Laudat Hieronymus, sequitur Procopius inibi. (Hieron. Procop.) His vestigiis inhærens, dixerim ad insitionem prospexisse Prophetam? quasi radicem, seu

truncum virgineum Pater Altissimus, ceu agricola, resecuerit, id est, per gratiam, quod naturalis corruptionis erat, amputauerit:vt immitteret florem illum, aut feracem virtutem, quæ ascendens è trunco in virgam, nempe in Mariam, ad diuinam prolem efficeret fœcundam, & opimam. Inde resectus truncus, inde in trunco ascendens flos à

S. Ephræm. Propheta describitur. Audi Ephræm in Margarit. pretios. *Inseruit natura diuinitatem, ac tanquam in rimam quamdam, & scissuram suum inclusit Filium: vt qualitatem participans, naturam redderet communem in assumptione hominis. Fuit igitur Maria Patri arbor, Filio Mater hominibus fons Spiritus æterni.*

8. Vt Ephræm percalleas, agricolam age; agrorumque arte sedulus prospectator euolue. Feraces surculi in sterilis arboris rimam inseruntur; vt ex insitionis fortunâ truncus ille nouis frondibus, pomisque non suis onustus hilarescat. Rem totam describit Poëta lib. 2. Georgic. Do, vt amœneris, quia omnino instituto præsiao, sanctiq; Ephræm capiti prodest:

Virgil.

Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex:
Nam quà se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, vdoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, & altè
Finditur in solidum cuneis via; deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exijt ad cœlum ramis fœlicibus arbos,
Miratúrque nouas frondes, & non sua poma.

In quibus, vt vides, insitionis ars edocetur, vocabulaque ipsa ad rem Virgineam, de qua agimus, plusculum inseruiunt; videlicet nodus, gemma, oculus, germen, sinus, liber. Synonyma sunt nodus, gemma oculus: germen, surculumque significant. Instructióque Poëtæ hæc est ex Cerdens. ibi:

Cerdens.

Quà gemmæ erumpunt ea cortice, ruptis tuniculis (quæ tunicula eadem cum libro est) in ipsomet nodo, id est vbi est ipsamet gemma, debere fieri sinum, & cauitatem in modum scutuli, aut oculi: vt pateret domicilium aduenienti germini alterius arboris. In eam vtique includatur germen alterum: nam hoc debet succedere, vt vnà insutum, & insertum coalescat cum libro vetere. De

Clem Alex. modis insitionis pulchrè Clem. Alexand. lib. 6. Stromat. Iuuat quartum audire: *Quartus modus insitionis est, qui dicitur inoculatio: à generoso enim trunco circumciditur oculus; ita vt cum eo in orbem cortex circumscribatur, vnius palmi magnitudine. Deinde æqualiter cum oculo circumscriptus eraditur truncus, & sic immittitur circumligatus, & luto circumlitus, integro seruato & illæso oculo, & minimè inquinato.* Quam pulchrum in hac insitione diuinæ incarnationis specimen obiicitur intuenti! Ecce lutum: ecce absque inquinamento Virgineus oculus illæsus: ecce ea generoso trunco in sinum Virgineum insitus circulus. Et quidem sterilis arbos hac arte gemmascit in fruticem, turgescit in florem, pubescit in fructum, & ea alieno semine, illæso sinu, frondosâ gaudet prole. Id antea

Idem. diaerat Clemens Alexandrinus suprà: *Insitio enim eas, quæ erant inutiles, facit generosas; & quæ erant steriles, cogit esse fertiles arte agricultura, & scientiâ, quæ est ex cognitione.* Quæ mirè accinunt his, quæ adhuc pro Virgine nostra elaborauimus, quæ apud Ephræm arbor est, & in rimam eius insita diuinitas ex cognitione, quæ fœcunditas in Patre est, feracem reddidit, & pro fructifera Deiferam. Fœlix insitionis sors, cunctis fructuosior arbos! *Insita enim* (verba sunt Columellæ de arbor. cap. 8.) *est fructuosior, quàm quæ insita non est; quam quæ cum ramis, radicibusque seritur.* Columel.

9. Id tamen nouum in hac sacra, & superbenedicta insitione, quam S. Ephræm exponit: quod non opus est nouam in arbore Virginea aperitionem, sinum, cauitatemque facere, vt diuina gemma, oculusque assuatur, & suggeratur: *Inseruit*, inquit, *natura diuinitatem, & tanquam in rimam quamdam, & scissuram, suum inclusit Filium.* Ergonè si agricolæ cultum, artisque ruralis disciplina Patri superno erga Virginem irrogatur, non priùs inserendo germini conceptaculum paratur, truncus: quod cauebat ille.

——— Angustus in ipso Virgil.
Fit nodo sinus. ———

Et statim:

Aut rursum enodes trunci resecantur, & altè
Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
Plantæ immittuntur.

Clemens Alexandrinus dicto lib. 6. Stromatum: Clem Alex. *Quando ligno fisso, in ipso plantam generosam immiserint.* Columel. de arbor. cap. 8. *Vitem, quam insiturus es, resecato, & plagam leuato, atque ita findito, & paratos surculos in fissura demittito.* Columel. Ecce præuiè paratur sinus, finditur, resecatur, foditur arbor, cui germen assuendum. Sed ô Virginis cum Dei germine cognatio! Non opus fuit, sinum efformare, decorticare truncum, vulnerare arborem. Sinus inerat veterus virgineus, qui à primordio sacræ gemmæ parabatur: gratia aptauerat absque iniuria: ab origine idoneus erat sacer truncus, vt ebiberet oculum, surculumque Patris cœlestis. Adeò etenim virginitas Mariæ huic fœcunditati addicta, sigillataque extiterat: adeò huic se insitioni deuouerat, vt quasi indita per gratiam affectione, Patris sibi vendicaret Filium, vt suum illi germen inderet, cœlestique fœcunditate maritaret. Nec defuit tamen expolientis Spiritus sancti fala: non vt inofficiosa, luxuriantiaque, agrestiave, & fera resecaret; sed vt creata natura ad increatæ susceptionem priùs ipsamet diuinitate erudiretur ascendere, in diuinumque ordinem per fidem assumeretur, & virtutes. Pergit S. Ephræm: *Habet porrò pro vinculis hæc insitio Prophetarum testimonia; & oculus, sine rimula pro spatio habet naturæ distinctionem. Agricola falcem habet, qua mundat, & expolit, Virginis animo priùs, & corpore præparato, ac virtutem in se continet Spiritus sancti: arborque ad melioris naturæ susceptionem facta, sancta mulieris fidem habet.* S. Ephræm. Illa verba non intelliges: *Habet porrò pro vinculis hæc insitio Prophetarum testimonia*, nisi memineris quarti modi insitionis apud Clementem Alexandrinum suprà. *Deinde æqualiter cum oculo circumscriptus eradicatur truncus, & sic immittitur circumligatus.* Clem. Alex. Vides ligamina, siue vincula; ne discordi secessu non ebibat nutrimentum.

10. Hinc illud: *Arborque ad melioris naturæ susceptionem facta.* Quod enim ex parte agricolæ insitio dicitur, susceptio ea parte arboris nuncupatur: suscipiens namque cum germine virtutem, fœlici fructuum corollâ redimitur. Bi igitur inseuit

Auguſt.

ſeuit Pater, ſuſcepit Virgo; Patris virtus, ſicut germen fuit, & pro humano marito diuina virtus dignoſcitur adueniſſe. Auguſt. ſerm. 14. de tempore, *Talis eligitur Virgo de toto ſcilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, vt Dei Filium in ſemetipſam ſuſciperet, & poſt partum omnimodò Virgo permaneret.* Et poſt pauca: *Tanta eſt enim illa diuina potentia, vt & Matrem reddat fœcundam, & virginitatem ſeruet illæſam. Ideò benedicta inter mulieres, quæ ex Spiritu ſancto concipiet, vbi non eſt carnalis maritus, ſed diuina dignoſcitur virtus.* En agit de potentia, quæ virginitatem cum fœcunditate ad diuinam perſonam generandam connectit, & adſuit: & ſi Theologicè noueris Patriſque cœleſtis ſinum verſaueris; illam, qua concipit prolem æternam, coniectabis.

11. Iacob. 1.

Ex quibus facilis iam enodatio eſt decantato loco ex epiſt. canon. B. Iacobi, cap. 1. verſic. 1. *Suſcipite inſitum verbum, quod poſſit ſaluare animas veſtras,* Græcè ἔμφυτον λόγον. Id ad artis agrariæ metaphoram ſolet deduci: non tamen omnium conſentiens mens eſt. Nam Œcumenius vim rationis intelligit. Thomas Anglic. accipit de fide Verbi Dei. Hugo de verbo per prædicationem inſito. Alij de Chriſto quidem, quatenus Verbum Patris inſitum fuit humanæ naturæ; vel potiùs natura humana inſita diuinæ hypoſtaſi: cui ſuffragari dicunt Concil. Viennenſ. Si præfata benè tibi infixeris, ſatius duxeris explicare de Verbo Dei inſito in Virginea vulua: vt ex illa Deus & homo prodiret germen nouum: de qua metaphora plena ſunt Sacra, vt liquet Ezechiel. 34. verſ. 29. Iſai. 4. verſ. 2. Ierem 25. verſ. 5.

Œcumen. Th. Angel. Hugo. Conc. Vien. Ezech. 34. Iſai. 34. Hierem. 25.

12. Itaque ſiue vitem pubeſcentem, ſiue ficum geminantem, ſiue oliuam turgidam, diuitem hanc arborem appelles: medulla & virtus ex inſitione ſupernæ feracitatis incubuit in eâ, & ad prolem diuinam, qua Patris feracitas coronatur, grauidatam reddidit & imbutam. Cur nè Angelus, vt virginitatis negaret diſpendium, fœcunditatiſque pignus ſponderet, *Virtus*, inquit, *Altiſſimi obumbrabit tibi?* Quidnam germini, frugalique prouentui cum vmbra? Si crinitos, patuloſque ramos procera arbor extendat, denſam vmbram reddentes; nonne frugibus nocet obſcuritas, vmbratiliſque amictus lædit largitatem? Imò quia arbor virginea, virtute, & medûlla Altiſſimi, inſitionis ope, promittitur imbuenda; ideò vocabulum ex generoſa, comataque, & foliis diffuſa arbore mutuauit. Quaſi dicat: adhuc quâ Virgo, virga informis, & inculta iaces; nec animatis in florem, nec pubeſcis in fructum; ſed omnem ad feracitatem reſpuis impulſum. Inſita tibi arborea virtutis Altiſſimi medulla germinandi vigorem conciliabit: ſinum nodo, ſurculove Pater inſarciet, dum in tua viſcera pignus abſconditum immittet. Ideò arboris ſtylo obumbrat Altiſſimus. Mirus aſſonat huic cogitatui locus ex ſermone, quem Angelus ſacer S. Brigittæ inſcripſit, & habetur in eius operibus, ſerm. de Excellent. Virgin. cap. 11. *Hæc etiam Virgo virga illa extitit, quam Iſaias de radice Ieſſe egreſſuram præcinuit, floremque ex ea debere aſcendere, ſuper quem Spiritus Domini requieſceret, prophetauit. O virgam ineffabilem, quæ dum in Annæ vtero creſcebat, medulla eius in cœlo glorioſius permanebat! Non enim valuit virga florem proferre, antequam medulla per ſuum introitum ſibi virtutem germinandi conferret: nec etiam virtus medullæ manifeſtè apparuit, antequam virga ſuum humorem medullæ addidit. Hæc denique medulla perſona erat Filij Dei, quem licèt Pater ante Luciferum genuit; in flore tamen, id eſt, in humano corpore non apparuit, donec de conſenſu Virginis, quæ per virgam deſignatur, huius floris materiam ex eius puriſſimo ſanguine in eius virginali vtero accepit.* Quid nobilius pro hac arbore flotulentâ, generoſâ, feraci, quæ & cœlos comâ tangit, & terram frondoſâ, frugiferâque pompâ coronat? Ergo deſuper medulla, ſuccuſque roſcidus perpluit in arborem virgineam, & viſcera humectans in vigorem fœcundum animauit. Inſitionis quidem ars inualuit, dum Virgineo trunco Virtus Altiſſimi pro ſurculo medullitus aſſuta in cœleſte germen inſtruxit.

Luc. 1. S. Brigit.

13. En in ſinu pudico nodus cœleſtis, idemmet, qui in Altiſſimo æternum vernat. Ergonè medulla Diuinitas? Imò carnem dixero Marianam? Adeò ſuperi Genitoris diuina Virtus ſeſe in carnem Virgineam immiſcuit, & immerſit; vt cenſueris (ni ſedulus diſcernere calleas) carnem hanc in Virtutem illam tranſiiſſe; & strictâ inſitionis ſorte vtramque in alterutrum tranſmutatum coaluiſſe, ex intimaque penetratione medullam in carnem, carnemque in medullam conuerſam. O quantum Mariæ cum diuinitate commercium! Philippus Abbas in Cantic. Cantic lib. 6. capite 5. euoluens illud Ezechielis ænigma, capite 7. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri;* ſic enucleat: *Iſta igitur Aquila venit ad Cedrum, quæ erat in Libano, & de medulla eius ſibi aſſumpſit, quando Verbum de corde Patris eructatum venit ad Beatam Mariam, & de Virginea eius carne ſacroſanctum, & intemeratum corpus ſibi accepit, Et ſicut de illa Aquila dicit Propheta, quòd medullam illam, quam de Cedro tulerat, in monte ſancto, & excelſo collocauit: ſic nimirum Dei Filius, videlicet Verbum Patris carnem noſtram, quam de Beata Virgine aſſumpſit, in ſede Maieſtatis ſuæ ſecum ad dexteram ſui Patris ſublimauit.* Quid ais, ô Beate? Si Cedrus Libani Maria eſt, quæ de Libano ad coronam allicitur: virtus, qua fœcundatur, è ſuperis inlatuir in ſinu, cortice ſecuro, caſtoque libro permanente. Non ergo medulla caro eſt, ſed Diuina virtus. Bene. Sed vtrumque nobilitas Virginea coëgit. Caro non ſolùm rore humectata cœleſti, ſed inſuccata, ſed bibulo imprægnata ſinu, in illammet Virtutem abſumpta, conuerſaque videtur: vt; licet medulla ſit, quæ extrinſecus è cœlo delapſa arboris cauitatem impleuit, vt carne tegeretur; iam caro transfuſionis ope medulla fiat, alternoque fœnore medullam in carnem, carnem in medullam iuiſſe cogitaueris.

Phil. Abb. Ezech. 17. Cant. 4.

14. Hinc Carnem Virgineam ad ſuperum cacumen euectam prodidit Philippus: *Carnem noſtram, quam de Beata Virgine Maria aſſumpſit, in ſede Maieſtatis ſuæ ſecum ad dexteram ſui Patris ſublimauit.* Id quidem innatâ conſecutione attextum eſt, & ex inſitionis arte non inſuauiter delibatum. Arbor enim ex inſito ſurculo opima, & procera, altitudinis, & vbertatis non aliam habet cauſam, niſi quia ex inſerta plantula truncus reſectus ebibens virtutem in

illam proceritatem tendit, quam altera arbos, ex qua surculus ille mutuatus, ingenitâ quantitate sortiretur, iuxta illa:

Virgil. *Exiit ad cœlum ramis fœlicibus arbos,*
Miraturque nouas frondes,& non sua poma.

Cùm ergo medulla, seu nodus insertus Virtus Altissimi sit, ipsaque soboles æterna, cuius sedes sublimitas, cuius locus immensitas est: quid quòd arbor Maria in cælorum fastigia sublimetur, sphæramque, & solium Virtutis, qua animatur, Amad. adtingat? Amadeus homil. de laudib. Virgin. *Feramus animos in sublime intuentes diligentissimè, quòd virga elegantissima orta de radice Iesse, ramorum suorum mirabili extensione sese vbique terrarum expandit, vt dispersos filios Adæ, ab æstu, à turbine, & à pluuia, vmbrâ desiderabili protegegeret, fructuque saluberrimo aleret esurientes. Sublimatur itaque super omnia ligna Parasi:& super altissimorum montium præcelsos vertices exaltata, ipsos cœlos inæstimabili magnitudine penetrauit, cœlestium ordinum stipata choris,& Virginum choreis adornata.* Qualis est arboris humor per irriguas venas reptans in radice; talis in arboris corpore indoles assurgit: nec ab origine trunco procerum degenerat lignum; sed per tensos musculos formam, quam addiscat, exugit. Si arbor Mariana super altissimorum montium vertices it, cœlestiumque ordinum fastigia transcendit: qualis radicem, putas, animauit medulla, nisi vmbra eius, quæ in Patre superno & imbuit ad germen, & fœcundat ad Filium?

15. Hieron. Rupert. Hinc quod legimus apud Hieronymum,& repetit Rupertus in Esaiam lib. 1. cap. 6. *Virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligimus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qua & suprà leg mus: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium,& florem Dominum Saluatorem*: sciò Plin. delectu id dictum est: frutex enim, si Plinio lib. Valla. 16. c. 36. Vallæ lib. 4 credis, arbustum humile est, nunquam collum erigens; sed inter curtos calamos tardâ segnitie subcrescent. Sensus est, Virgineæ arbori nullus maritatus est frutex, nullus cæspes adhæsit: non ignobilibus plantulis, surculisque caducis imbuta, sed tantum cacumen ascendit, vt è corde Patris fructum pulchritudine ramorum ambiret. Non humana insitio est; ipsamet Altissimi virtus adumbrauit. Non vlla arbor creata sic poterat in montem excrescere, vt virgineam hanc virgam subtùs virentem, vmbrâ posset desuper fouere. Si semel adumbratur, superi Numinis fatebere virtutem, qui datâ operâ *Altissimus* nuncupatur: ni enim supremam incoleret altitudinem, vmbram in proceram virgineam arborem iacere nequiuisset.

16. Psalm. 109. Saporem hunc forsan Vates propinat Psalm. 109. si nexum inter illa rimeris: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Et statim: *Tecum principium in di virtutis tuæ: ex vtero ante luciferum genui te.* Vt quid de virtute in virtutem it, de virga ad generationis æternæ verticem sustollitur, croceaque diuini puerperij cunabula prætentat; cùm in virga innitebatur virtutis? Ego sic censeo. Ex homine Deo in vterum Virgineum insito, obuiâ deductione ad Patris vterum Propheta transiuit: similitudo adegit ad volatum. E Matre ad superum Genitorem facilis est commeatus. *Virga Virtutis* Virgo est, nempe virga ex Virtute Altissimi grauidata. Virtus hæc (vtpote adumbrata ex Virtute, qua Filius gignitur in cœlestibus) statim ad generationem diuinam pangendam incitauit. Igitur vt nobilitas Incarnati lucêret, nec iacturam ab vtero Mariano perpessum fuisse monstraretur, ab vtero transiliuit in vterum Propheta, à virtute perrexit in virtutem: vt dum similis virtus in vtraque generatione appareat, compar aduersus inimicos gloria corusect. Cupis in *Virga virtutis* Virginem nostram intelligi? Adsit Augustinus tom. 10. serm. 3. de tempore, *Virga illa* S. August.
Aaron Virgo Maria fuit, quæ nobis Christum verum Sacerdotem ostendit & peperit, de quo Dauid: Tu es Sacerdos in æternum: superiore namque versu dixerat: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion;& Esaias: Exiet virga de radice Iesse. Texuit vtrumque locum concinnè Augustinus: quippe virga virtutis, virgaque radicis. Virgo est; vtpote in qua virginitas & fœcunditas obuiauerunt sibi. Id alibi expendimus ex Ildephonso 2. de Virgin. S. Ildeph.
Mariæ: *In vna persona, in vna ætate, in vno corpore, in vna conditione alternat honor Matris & Virginis; alternat in generante virginitas, alternat in Virgine generandi facultas, & neutrum cedit vlli, & vtrumque in alterutrum deriuatur.* Adeo Virginitas Mariana sigillata turget ad maternitatem; adeò ad virginitatem maternitas illa virescit, vt ex transcendenti qualitate vtrumque in alterutrum deriuetur. Quare nullum aptius huic arbori nomen & insigne, quàm *Virga virtutis, Virga radicis.* Ideò forsan inter geminatum *radicis* vocabulum apud Esaiam consita floret: *Egredietur virga de radice* Isai. 8.
Iesse, & flos de radice eius ascendet; vt ex stipante radice virga hæc ferax, diuinoque germine monstraretur opima. *Virgam virtutis* appellauit Augustinus. Optas appellari *Virgam radicis*? Aldhelmus lib. de laudibus Virginit. cap. 22. apud Aldhelm.
Biblioth. tom. 8. *Beata Maria Virgo perpetua, hortus conclusus, virgula radicis, gemmula floris.* Auscultare Petrum Blesensem serm. 1. in aduentu Domini: Petr. Bless.
Natus enim Saluator tres habuit virgas: virgam sustentationis, qua vtuntur Doctores in gymnasiis suis: & virgam Dominationis, qua vtuntur Reges. In hunc modum tres virgas habuit Saluator, carnem Virginis, clamorem prædicationis, calicem passionis. Prima fuit radicis, Egredietur virga de radice Iesse. Per primam, in similitudinem hominum factus. Et statim: *Fuit ergo Virgo virga sustentationis in hunc modum. Senex ille antiquus dierum* (amputo aliqua) *in lingua sua loqui non poterat, neque ambulare, sitire non poterat, aut esurire, neque cætera nostri defectus argumenta poterat prosequi. Innixus autem huic virgæ defectus nostros persequutus est, quos oportuit & decuit.* Obserua illud: *Prima fuit radicis.* Deuio stylo detorsit, quam spoponderat, diuisionem Blesensis. Pariter præmiserat virgam sustentationis, virgam eruditionis, virgam dominationis: & tamen quasi vocabuli pœnitens, quam *sustentationis* præfatus fuerat, virgam *radicis* nuncupauit. Fœlix error, nobilis obliuio! Virga Virgo non nisi radicis est, non nisi fœcunditatis, & virtutis ad germen: imò quia radicis, ideò & sustentationis vocatur: portans enim, à quo portabatur, & virgæ germinantis symbolum describit, & baculi, seu scipionis sustentantis qui portat,& sustinet portantem se.

Quid quòd virga radicis, virga virtutis nuncupetur Maria? Imò ex eodem fonte *virga oris* 17.
Domini asserenda. Os Domini loquutum est, & Verbum bonum in Virginem eructauit. In ore Patris

Patris virtus fœcunda ad Filij generationem residebat: quippe Filius Verbum est, & quà Verbum, virtutem oris, scilicet cognitionem exoptat. Intellectio est illi pro semine. Cùm igitur in hanc virgam Pater virtutem genitricem immiserit, quam Verbum in sinu gignendum exigebat; inde apprimè Virga oris appellanda: quasi dixeris: Virga radicis, & virtutis ad Verbum pro propagine germinandum. Mysterium inlatet in Isaia. Postquam in præfixo loco florem, nempe Christum, ex radice virgæ protulit ascendentem, subdit
Isai.11. non longè: *Et percutiet terram virgâ oris sui.* Si nuper è virga pullulauit, quali virgâ ex ore districtâ terram vulnerabit? Tantusne amor virgæ, à qua traxerat ortum, vt adhuc in ore ferat, pro verboque vibret, & verset? Equidem in hac formula loquutionis à generatione in vtero materno innatam indolem manifestat. Quia in virga virginea ex virtute Altissimi imprægnatâ nouam generationem, similem æternæ, subiuit; (ideo similem, quoniam virgineè, nitidéque genitus prodiuit, sicut Verbum ex ore Altissimi progignitur:) ideò eamdemmet virtutem, ex qua genitus, dum ore loquitur, manifestat: & quasi Maria in virtutem illam transiisset; *Virga* ponitur pro *Virtute*, quam in vtero suxit materno: velut si quidquid loquitur, vt Verbum Dei, ex Virtute, quæ fœcundam virgam reddidit, deriuetur. Id ex vicinitate vtriusque clausulæ in Esaia dignosces.
Rupert. Rupertus in Esai. lib. 1. cap. 7. ad ea verba: *Et percutiet terram virga oris sui*, sic fatur: *Ex quo flos iste de virga, vel radice Iesse egressus est, iugiter terram virga oris sui percutit. Vnus enim Magister noster ipse est, & discipulatui eius subiectos sermone suo percutit, & à terrenarum amore compescit.* En quia ex virga radicis Iesse exortus, terram percutit virgâ oris sui.

18\. Maneat igitur inconcussum: Virginem nostram virgam esse radicis, virgamve Virtutis. Id virgæ nomenclatura fert: quamuis etenim virgæ nomen auulsa ligna, dissectósque ramos, ab originéque trunco viduatos, & absque vdo humore aridos significare soleat; tamen dum Virgo nostra, parumper literâ flexâ, virga est; frugiferæ arboris strictum significatum subit: nec arente virginitate contenta est; sed vberi vernans spiritu, feracem sibi fœcunditatem allectat. Id saporis
Philip. Abb. to Philippo Abbate sit, cap. 16. in Cant. col. vlt. *Ipsa etiam Virgo in Scripturis ob hoc Virga, vt arbitror, appellatur, cùm sermone in eis mystico figuratur; vt virga nomine intelligatur non solùm florida virginis pulchritudo, sed & eius munda, & fœcunda nihilominus rectitudo.* En virgæ acceptionem ad arctum arboris contraxit vocabulum Abbas iste. Sed imò, si Latinè noueris, virga vimen est, bacillumve tenue, vel quiduis aliud, quo ad ligandum, verberandumve vtimur. Hinc rarò inuenies virgam pro frugifero, tellurique inhærente ligno, quod in fructus sugat humorem. Cur ergo ideo in virga adumbratam Virginem adstruit Philippus, vt fœcunditas innotescat? Sanè quia, quà Virgo, dissecta virga videbatur, non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, non fœcundata seminario: vtpote cui thalami solitudo, virentis sobolis denegabat prouentum: attamen, quà hæc Virgo Maria est, adeò radici, genitricibusque venis adfixa videtur, vt virga radicis è gentilitio stemmate nominetur; quasi secum radicem ferat, nesciatque orbari vi, germinanteque naturâ. Vnde siccum, segnemque virgæ explicatum ad arboris frugiferæ sensum expendit.

Verùm bis obsistere videtur S. Bruno de ornatu 19.
Eccles. c. 5. *Per hanc igitur pulcherrimam, humilemque arborem Beatam Virginem Mariam intelligimus. Qui arborem intelligit, de fructu non ambigit. Nos eam arborem vocamus; sed Scriptura lignum appellat. Quia enim Virgo peperit, non arbor, sed lignum dicitur.* Difficilis sanè subtilitas! Quid arbori deficit virgineum, quod Mariæ nesciat subire famulatum? Non exteri secus brachiis vincitur, non semine turpatur alieno, nec quasi vago concubitu, arboris exteræ sordibus maculatur. Imò si lignum promiscuum non est, rudibus mancipatur officiis: vel ignem alit, vel tecta fulcit; cur Mariæ minister obsequium? Censeo in eo acumen. Adeò virginitas in Virgine nostra perpolitur, vt vel à seminis voce turbetur; nec generationis vtcumque vocabulum videatur sustinere, ne stolidis auribus periculum immineat erroris: dumque arborem audiant, generantis seminis ignobiles, assuetasque functiones opinentur, quæ ad humanam fœminam contractæ, non nisi ex maculato thoro proueniunt? Ligni autem vox securam vndequaque, virgineamque solitudinem statim euulgat; quæ tamen, si Mariæ applicetur, secum continuò vberem feracitatem conciliat; nec infœcunditatis notâ inuritur: quippe, etsi ei species, virgineaque forma ligni est, virtus est arboris. Arbor ob signum virtutis, lignum ob signum pudoris Virgo Mater est.

S. Bruno.

Maria arbor est, vt arborem deponat homo, qui post arboris esum arbor fit.

SECTIO III.

PVTAS segniter elucubratio ista Mariam arborem esse admonere solicitat? 20.
Non oriatur calamus, non euanet. Maria arbor est, vt arborem deponat homo. Hæc à pristino inualescentis errati medêla est. Ab arbore fici disce parabolam. Petiit priscus Adam, bis periit; & quia vestiuit intus stomachum, & quia cinctoria texit in leuamen. Qui antea homo immortalitatis candidatus, cœlitibusque suppar incedebat; iam arbor est, iam truncus riget, arborem depastus, ignem post bipennem expectat. Quàm dira arboris cupido! Cui inbibita arbor ad escam, non solùm non frænat manum à ficu; sed vt per omnia corporis membra ficulnea serpat, traducit in ventrem. Hoc penu est, è quo in omnem cæteræ carnis regionem nundinantur nutrimenta. Ergo arboris fructum in se homo insinuat, & decoquit; vt quidquid sensus est, alatur à ligno. Vt totus homo arbor fieret, arborem inseruit in ventre. Annè sat? Nondum plenè totus homo arbor est. Expecta. Mandit: illicò membra denudat esca; quem intus infarciuit ad flagitium, extrà spoliauit ad pudorem. Ille rependit iniuriam, vlciscentéque præda arborem, à qua nudatus, denudat, & pro fructus mercede, foliorum decorticat amictum. Genes. 3. *Cúmque cognouissent se esse* Genes. 3.
nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Quid agis, scelestе Parens? Non sat fuit fructus, sed & folium ambis? Cur è paradisi florido, locupleteque verè non picturata stromata texis, aliaque syrmata componis, siue de lilia

candida, siue de rosis purpurea? Folia ficus asperitate hirsuta pungunt:nec suaue olent,nec leniter blandiuntur; sed nigricante virore, incultâque planitie fastidium incutiunt tangenti. Angustæ mentis homo hoc deligit inter tot aulæa vestimentum,quod,dum tegere videtur turpitudinem, solicitat ad pruritum. Verùm eò procacitas noxæ tetendit post fructum folia carpit:ficus in stomacho, folium in carne, vt ex fructu & fronde totus homo in totam arborem euaderet. Intus & extrâ ficus est Adam. Hæ cinctorij frondes fructum in ventre indigitant sublatête. Quàm petulans ambitionis ingenium! Deus arborem vetat, inhibet esum: Adam adeò præceps irruit in præceptum, vt non solùm non abstineat ab arbore, sed arbor fiat. Vt satiùs stolidæ cupidini indulgeret, noua metamorphosi in arborem ficum conuertitur, totumque lignum sibi corporat,& traducit,iam campestris. Scitè legit August. *Et fecerunt sibi campestria*,loco eius:*Et fecerunt sibi perizomata.*Ergonè iam campestris,&arboreus homo?Proh dira fames! Iam campi,memorisque lignum Adam est. Concinnè rem modulatur Alcimus Auitus in Gen.lib. 3.de sent.Dei. S.August. Alcim.

Vmbrosis propter stabat ficulnea ramis,
Frondentes defusa comas,quas protinus Adam
Humentem capiens rasum de cortice librum,
Assuit,& viridi solatur veste ruborem.
Induitur simili mulier lachrymabilis arte:
Quosque alius misero falla insania pomo,
Vestiuit folio:& quos saua ex arbore nudos
Reddidit,hos grauius tenui de cortice texit.

Expende ista: *Hos grauius tenui de cortice texit.* Ergonè grauius fuit folio tegi, quam fico pasci; Sanè id obturata nequitia suggessit. Impœnitens cor obstringit in peccato, & quasi lætatum, cùm male fecerit, exornauit delictum; post fructum frondem accumulat vt in negatam arborem transiret. O quale serpit per membra lignum, cui insederat serpens, halituque vitiarat inimico! Vide homo, quòd homo desinis, dum incipis arbor: non è tellure satus prodiisti; manus Domini te detornauit. Quid tibi cum sylua? Quid tibi cum nemore?

21. Vis agnoscere quantum in foliorum veste periculum? Accedit ad ficulneam Dominus,& cùm non esset tempus ficorum, arefecit Marc. 11. *Cúmque vidisset longè ficum habentem folia, venit, si quid fortè inueniret in ea. Et cum venisset ad eam nihil inuenit præter folia. Non erat enim tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Iam non ampliùs in æternum ex te quisquam fructus manducet.* Quid acorem in ficum concitauit? Si tempestas frugifera nondum aderat,vtquid insons plectitur arbos? Sanè folia pellexerunt ad pœnam. Fructus aberat, nam ab initio manducauerat noxius homo: ne folia carpat, sibique arborem induat, & arbos integra sit ex fronde & fructu? arefecit Dominus foliorum amictum. Iam ficum post originariam labem Dominico sanguine decoxit: ne sint vllæ frondes, queis corpus regat, malignaque arbor euadat, ad nutum Domini folia marcescunt,arenteque succo sterilitate puniuntur. Pulchrè Athanasius in quæstionibus quæst. 58. *Quia post transgressionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit suæ turpitudinis peccatum, Dominus arefecit operculum peccati, id est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem.* Non iam arbore induendus homo: Christum induat. Quid quòd ficos non inuenerit Dominus, si Matt.11. Athan.

quisque dum concipitur, carpit, & manducat? Ille non inuenit ficum, qui è Maria absque peccato conceptus. Quid quòd ficum non inuenerit, si originaria labes Christo accedente detergitur? Verùm folia exiccat; ne operculum sumat homo, quod magis illum denudat, quàm vestit; quod non velat,sed stimulat pudorem.Chrysolog. ser.106. *Ad ficulneam venit Christus,ad quam legitur Adam nudus fuisse post culpam.Venit ergo ad ficum Christus,vt inueniret Adam,vt nudum tegeret pro sui corporis indumento:cuius ficus ista non velabat,sed stimulabat pudorem.* Sic ille. Chrysol.

Imò forsan culpa adegit ad pœnam;& qui manducauerat scelesta auiditate peccatum, ipsomet impellente euulgauit. Folia hæc ambientia carnem, intus inesse fructum demonstrant;accusant de crimine frondes,& quem ficus aluerat,de inobedientia folia compellant. Non potuit latere delictum: ipsamet manus assuens publicauit, quæ carpens deliquit. Respue à carne folia, ab intus fructum produnt. Quid ad folia concitus aduolas, vt noxam obtegas, nuditatem operias?Quis securior index fructus,quàm folium?Si ab arbore præuaricatus,ab ipsa tegumentum mutuaris;dum nudas arborem,denudas culpam.Frondes forsan adhuc subesse ficum in arbore simulabunt: si operculum ab arbore auellis, pandis rapinam. Totam in te arborem traducis, & latere confidis? Sic irridet Basilius Seleuciens. *Ab arbore præuaricati, ab ipsa tegumentum mutuantur: ipsi nudati denudant arbores.* Compte quidem, & sapienter.Vtrobique nuditas; & in arbore absque fronde, & in Adamo frondibus virente. Nam arbor peruia iam oculis ex nuditate, fructu se pandit orbatam; homo foliis iam hirsutus, & vernans, inibi delitere fructum enuntiat: è foliis manifestum nescientibus suggeritur, quod palatum antea tegebat. Procax denudas peccatum, dum peccati reliquiis vestiris.Rem scitè dedit August. lib. 11. de Genes.ad lit.cap.32. *Non arbitror cogitasse eos aliquid in illis foliis ficus, quòd talibus congrueret contegi iam membra prurientia; sed occulto instinctu ad hoc compulsi in illa perturbatione, vt etiam talis pœna sua significatio à nescientibus fieret, quæ peccatorem factum conuinceret, & doceret scriptura lectorem.* Legunt oculi in cinctorio piaculum, quod foliorum calamo exarauit homo. Subtilia sunt illa: *Et doceret scriptura lectorem.* Qualisnè scriptura dudum in Adam? Sic explicatem Augustinum: Adam ex arboris libro tegumentum contexit. Memineris, id Alcimum Auitum cecinisse: 22. Basil. Sel. August. Alcim.

Humentem capiens raso de cortice librum
Assuit,& viridi solatur veste ruborem.

Liber, si proprietatem & originem amamus, corticis genus est tenuius, quod in philyras plures diuiditur, ex quo papyrus veteribus in scripturæ commodum inoleuit.Plinius lib.13.cap.11. *Palmarum foliis primò scriptitatum, deinde quarumdã arborum libris.* Ab his vsus chartarum. Igitur dum libro è ficu se circumligauit Adam, quasi in papyro crimen scripsit, litterisque exaratis delicti notitiam exhibuit:*vt peccatorem factum conuinceret,& doceret scriptura lectorem.*Si cortex,liberve contegit Adamum en arbor est,ab arbore vestitus, nedum depastus. In procaci facie peccatoris liber est peccati:lege. Plin.

Ideò forsan post mulctatum hominem statim subditur: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* 23. Genes.3.

Excla

Rupert. Exclamat Rupertus in Genes. lib. 3. cap. 37. *Nunquid Dominus sutor, aut pellifex erat, & impensa artis opera tunicas fecit pelliceas?* Vt quid satagit hominem excutere ficum, arborem deponere, animaliumque pellibus operiri? An vt arboris memoria sopiretur, nec cortea speciem concupiti ligni oculis præsentaret, ne assiduitate indumenti in amatam ficum animus allicere- tur peccatoris. Si te refricas in peccato, truncus es. Benè; sed meliùs: ne iam syluesceret homo, ne stolidus, agrestiave in arborum morem solùm vegetaret cum plantis; saltem cum brutis sensum sortiatur, opus est, qui obtusus, hebesque cum truncis de duritie contendit. Deus sutor fit, ne arboreus homo. Vlterius: vt exinde post mulctam operiretur peccatum, iamque pietate Domini deletum, non vltrà recrudesceret, folia Dominus amandat à corpore? ne ficum, iam pœnitentiæ calore digestum, in posterum indicarent. Si frondes perseuerarent pro veste, nudus adhuc incederet Adamus: nam indice vitore, arborum flagitium panderetur. Vis procem? Genes. 3. accit Dominus in iudicium Adamum. *Et dixit ei: Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Expende latibuli rationem. Si carnis nuda foliorum perizomate contexit; cur se nudum eiulat, fugæque causam ob cauta membra prætendit? Nuper consuetat; exuerat nondum: quid de nuditate conqueritur? Bene cogitauit de noxa. Ideò fugit, quia piaculum noscit ex deprensa ficu: assuta folia ficum intraneum euulgant: tali operculo manifestiùs delictum denudatur. Inde fugit, quia nudus est: nec oculos Domini auersaretur ob corporis, sed ob criminis nuditatem. Quòd nudus esset, ficus indicauit. Nemo nudior, quàm qui à peccati portione vestitur. Nonne audis, quid subinferat Dominus: *Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* Id scholiat Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 15. *Ac si diceret: Hæc ipsa scientia, qua nudum te esse prospexisti, culpa est, quia rapina est.* Curnè rapina? Quia dum totam arborem deprædatus est, spolians non solùm fructu, sed & fronde; scientia, quam de nuditate capessit, ab arbore furatus, culpa fuit, quia rapina fuit. Non dominus es rei, quæ te adigit ad noxam: rapis, si vteris.

Genes. 3.

Genes. 3. Rupert.

24. En originaria noxa hominem in arborem commutauit. O quanta mortalium sylua ab hoc trunco pergrassata processit? Ideo forsan, quia in generatione illud traducitur ab arbore flagitium, generationum series *arbor* nominatur. Primæuum vitium ebibit stirps, agrestibusque, & feris vsibus mancipatus homo syluescit. Aduoco te ad cæcum illum in Bethsaida curatum, Marc. 8. Sciscitatur Dominus, si aliquid videret: ast ille inquit: *Video homines velut arbores ambulantes.* Si arbores ambularent, non miraret sic cæcutienti homines apparuisse. Verum si fixis stipitibus, inconcussâque stabilitate in terra subsistunt: qualis cum motu cænum similitudo delusit? Si forsan legeretur: *Video homines ambulantes, ficus arbores;* ita vt deambulatio non arboribus, sed hominibus appingeretur; sustinerem vtique: verum ambulatio arboribus irrogatur. Proh! Visus vitium cum vitio hominum fœdus iniuit. Ni sanis luminibus maturè, serióque homin m contempleris iuxta ingenitæ naturæ propri m, quam in Dei similitudinem

Marc. 8.

hausit; si ægris, & parumper caligantibus oculis prospicias, etsi ambulet, etsi motus agat, arborem credes, campestrem iudicabis. Id ab arbore noxia malum deuenit. Si mores hominum consulas, & ingenia; ex agro victitare dignosces etsi incedant, etsi loca mutent, terræ defixi, vt stipites rigent. Licet arbor stet, ambulet homo; arbor ambulans homo est: etiam arbores mouerentur, si infracto fulcro, secum, quibus prenduntur, radices ferrent. Homo, arbor ambulans est; arbor, homo stans. Facilè sibi censuit cæcus, arbores ambulare potuisse, dum homines suspiceret deambulantes. Hæc inter homines & arbores cognatio est: si longè aspicias; arbor, an homo sit, dignoscere nescis. Beda in Marc. c. 35. *Formam quidem corporum inter vmbras aspiciens, sed nulla membrorum lineamenta, visu adhuc caligante, discernere valens, quales condensa arbores à longè spectantibus, vel in luce nocturna solent apparere, ita vt non facilè arbor, an homo sit, possit dignosci.* Hinc fortassis delusi quotquot inesse plantis passiones existimarunt. plures enim motus adnotarunt Prisci in arboribus reperiri, qui hominum, animantiumque proprij sunt. Si otium est, consule Theophr. lib. 4. hist. plant. cap. 3. Plinium lib. 24. cap. 17. Scaliger. exercit. 181. num. 28. Claudium Duterum in Hist. plant. cap. 25. & seqq. Aiunt esse arborem *aglaophitim*, quæ contactum refugit, nec manus sustinet prendentis; imo si homo, anima, vt accedit, stringit ramos, folia reducit. Non dissimilia componunt de herba, quam *impatientem* appellant, & aliâ, quæ *herba viua* dictitatur. Quin & amores, & odia inter plantulas comminiscuntur; inter quercum & oleam; inter vitem & brassicam. Pluscula exempla videbis apud Mattheolum præfation. in Dioscor. sub fin. Imò, quod miror, Theophilus Rainaudus in disciplina mortali dist. 3. q. 1. n. 27. hæc arbusta sentit supra vegetantem animam sentiente pollere, quare *Plantanimalia* vocari, & à Nemesio lib. de homine cap. 1. *arbores sentientes.* Verùm abeant ista. & simili fabulæ attexamus, quam ad mores accersit S. Greg. Nazianzen. orat. 38. de quadam arbore, sic: Θανὼν τῷ ζῇ, καὶ τομῇ φύεται, καὶ αὔξεται δαπανώμενον. *Morte viuit, sectione pullulat, consumpta crescit.* Amica prorsus inter hominem & arborem sodalitas in hæc deliramenta conduxit. Mutum parilitas, alternaque post deleratam arborem, quam Protoplastus adamauit, similitudo; quæ hominis sunt, arbori impendit; quæ arboris, homini. Homo arbor sentiens est, depexâque superbiæ comâ cœlum lambere gliscit è terrenis tamen meatibus haurire satagit humorem, immotoque cupiditatum stipite, terræ affigi. Inter hominem & arborem familiaris stylus est.

Beda.

Theophr. Plinius. Scalig. Claudius Duret.

Mattheol. Theophyl. Rainaud.

Nazianz.

Ex hac noxiæ arboris amicitia, in hominemque translatione, censeo homines apud Priscos filios arborum putatos fuisse: vnde illud Lycophronis in Casan. 25.

Lycoph.

Terrigena conuiua nepotum quercus.

Et Statius lib. 4. Theb.

Statius.

Arcades huic veteres astris, lunaque priores
Agmina fida datis nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos, cum prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit: nondum arua, domusque, nec
vrbes,
Connubijsque modus; quercus, laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos vmbrosa creauit.

Fraxinus, & feta viridis puer excidit orno
Cerd. Virgil. Plura congerit Cerdensis lib.4. Æneid. ad illud Virgil.

Gensque virûm truncis, & duro robore nata.
Stendet Author ille cumulare rationes, cur sic garrutiebant veteres, ab arboribus humanam sobolem ortam existimantes. Ego absque puluere, absque arena facilius iudico post depransam ficum genus illud hominibus obuenisse, filiosque arborum esse putatos, quia per generationum series arbor illa teterè successione serpit, maternisque latebris fata in rediuiuas propagines erumpit. Nonnè vides? prima generatio post deceptum, deglutitumque pomum euenit. Satur statum ad illecebram it. Adbuc forsan in vtero ficus, cum vix à Paradiso exotis Adam, cognouit vxorem suam, Genes.4. Quàm velox ad concubitum, qui nuper pulueri addictus, cum sæculi dota damnatus, & stragi traditus malorum concurrit Adamus! Nondum decoxit fructum: iam per generationis semitam egerere nititur, vt arboreo semine fata progenies ficulneæ vitium hæreditaret. Obserua illud: *Adam verò cognouit vxorem suam, quæ concepit, & peperit Cain.* Quasi admiratus Moyses celerem pruritum ad thalamum, adiecit, puto, illud *Verò*: ac si diceret: dum hæc agerentur, bomo vix pransus, mulctatus, exul, vxoris amplexum inhians requirit, vt insitionis arte in Euæ vtero surculum ficus inderet. Quid quòd sata proles vitium pristini biberet erroris, & per hæreditarios calliculos mortalis sapor mandaretur? Quisnè è tali concubitu natus? Annè ex arboris semine arbor? Annè agrestis homo? Certè Cain, qui agricola, & campestris, quasi gentilitiâ origine, euasit: *Quæ concepit, & peperit Cain. Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Miraret, nisi sic euenisset. Sedulâ operâ primam sobolem agricolam fuisse, Scriptura commemorat. Quæque sapiunt genus; & mores à radice fugunt, quotquot surculi germinantur. Cain agricola, campestris, & ferox, rusticali ingenio, syluestri indole; quâ per ficus semen didicit in vtero, mortem fratri crudelis incussit.

Gen.4.

Genes.4.

Maria intellectualis Arbor est absque traduce noxa, in arboris Ficus *excidium.*

SECTIO IV.

26. Ergo si ob traducis peccati successionem homo arbor est; pristinorum recapitulatio vetera restauret in melius, fracta consolidet, vitiata repurget. Adest Maria, arbos noua, innocua, salubris, quæ priscam arborem non nouit, nec ficum carpsit, nec concepit ex ficu; sed, vt concinnè texit Richard. à S. Laurent. libr.12. de laudib. Virg. *Arbor est Maria propter virorem virginitatis, humorem gratiæ medullam pietatis, folia sacrorum verborum, frondes bonorum operum, flores sanctorum desideriorum, fructum Vnigeniti Dei, vmbram protectionis, refrigerium illorum, qui malè exæstuant, radicem humilitatis, fidei, & charitatis, celsitudinem spei, & eminentiam contemplationis.* Diuinæ

Richard. à S.Laur.

sapientiæ mos est, ipsismet ruinis, quibus reciderat homo, in pristinam structuram emoliri, lineasque priùs ductas, & ob creaturæ piaculum euacuatas nouis colorare picturis, veteribusque recentia substituere; vt eadem forma reformata vigeat, nec species, sed qualitas mutetur. Obuius est Nazianzenus orat.1. *Ob hanc causam veteri nouum substitutum est, & per passionem is, qui passus fuerat, in pristinum statum reuocatus, ac pro vnaquaque rerum nostrarum, vnaquaque res eius qui nobis sublimior est, repensa: nouumque mysterium factum est illa, quæ circa eum, pro ob inobedientiam cecidit, per benignitatem contigit, dispensatio. Idcirco generatio & virgo: idcirco præsepium & Bethleem: generatio propter effictionem, virgo propter mulierem: Bethleem propter Eden, præsepium propter paradisum.* Igitur non à recto tramite deuiabit, quisquis sentiat Mariam in noxiæ arboris medelam fuisse subrogatam, vt amaricantis ligni morbidum saporem dulcoraret; & in florem, fructumque gemmasceret, qui dum aboleret piaculum, scientiam mortalibus restitueret. Et quidem pristina arbor non virgam Regiam; sed furoris virgam ferebat in hominum mastigem, ferreaque verber, postquam ignobili stigmate inustus homo, addictus ad ligonem rusticalibusque officiis mancipatus, in sudore frontis mancipij vilis portabat iudicium. Ecce ex radice Iesse virga Regia pullulauit, quæ Regali stemmate nobilis, hæreditariæ seruitutis infamiam abigeret, & deriuatum scelus benedicto fructu purgaret. Vt qui enim, dum à longo Virgo promittitur, sub arboris excuditur vmbra, nisi pro arbore pristina subrogatio innouum virgam diuinitatis alliceret? *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Cur arboris vox subticetur, virgæque deligitur? Sanè vt Regnum ab hac virga auspicatur, & iam arboris oblitus homo iugum excuteret seruitutis. Virga enim maiestatis prætendit indicium, & censorij regiminis fastigium parat. Maria dum gignitur, virga imperij est, non seruit. Id forsan subolui Ambrosio de Benedict. Patriarch. cap.4. *Exeat virga de radice Iesse, &c. Radix familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus. Rectè virga, quia Regalis est generis de domo & patria Dauid, cuius flos Christus est, qui fœtorem humanæ colluuionis aboleuit, & vitæ æternæ odorem infudit.* Qualisnè humana colluuies, nisi quæ ex accretione originariæ labis contrahitur? Colluuies quidem sordes, ac immunditias significat, quæ ex concursu, & attactu spurcitiarum contrahitur, & aggeritur. Sic Cicero pro Sest. *Ille nefarius ex omnium scelerum colluuione natus.* Id apprime conuenit traduci piaculo: quod ad generationis transcursum in animæ creatione ex carnis concretione adhærescit. Ex quo ab hac spurcitiarum colluuie expiatam vendicabis Mariam; siquidem Regia virga mancipiorum non subit imperium; nec aliud poterit emaculare, si sordescat; nec verberare, si vapulet.

Naziänz.

Isai.11.

Ambr.

Cicero.

Quod autem hæc virga nec infaustæ arboris vitium ebiberit, nec serpentis in radice nouerit attactum; id luculenter inspirat, quod subditur in præfato loco Isaiæ: *Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis.* Demiror: cur quæ ad intellectum pertinent, trifariam geminauit, cùm cætera semel 27.

Isai.11.

mel apposuerit? Scientiam, sapientiam, & intellectum ternario descripsit. Vt quid Vates superrogat voces, vtque virgam flore suspicit vernatem, cùm ter scientiâ venustat intellectusque dotibus coronat? Certe id opus fuit quippe ob arborem scientiæ boni, & mali virga hæc è radice emergit, adhuc in flore, cum sciantia, sapientia, & intellectu. Instillabat vafer ille coluber per arboris venas scientiæ promissum Primigenio: manducauit ille; & illicò cùm in honore esset, non intellexit, iumentisque insipientibus in consortium allegatus occubuit. En idem ternarius: scientia. *Eritis sicut Dij scientes*: intellectus: *Cùm in honore esset, non intellexit*: sapientia: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quin ab intellectu extorris, arboremque depastus homo, brutoremque sensum participans, iam *arbor sentiens* euasit: quales arbores sentientes sectione præcedenti diximus ex Nemesio. Ideò pullulat virgo, virgaque prudens, & statim, intellectualibus dotibus locupletata virescit; ne si in radice scientiæ, sapientiæ, & intellectus pignora defuissent, ex arbore prisca surculus videretur insertus, qui per generationum nemus grassatur Homo arbor sentiens est per peccatum; Maria arbor sentiens, & intelligens. Id pronum est addiscere, si noueris, qualis flos ille sit, qui illicò è virgæ radice ascendit: nam si filius Dei est; ex vernacula proprietate, originisque rigore characteristicam notionem in his, quæ ad Verbum attinent, sortitur; nempe in sapientia, sciantia, & intellectu. Hæc cuncta sunt, quæ mentis sobolem circundant. Iam capio Andream Hierosolym. in orat. S. Mariæ: *Verè tu benedicta, sensu, intellectuque prædita, viuidi salutis nostræ ligni paradisus, quæ ipsum horti Eden colonum, Christum, inquam, Dominum intra te habes figuris in te adumbratum: qui ineffabili quadam potentiâ, fluminis instar vini purum vterum tuum egressus, quatuor velut instis per euangelium suum orbis faciem irrigauit.* Obserua illud: *sensu, intellectuque prædita paradisus.* Quasi diceret: Homo post arboris esum non intellexit; solùm sensu addulcem vtens, arbor sentiens effectus est: tu verò non arbor vna, sed paradisiaco vireto paradisus venustior, supra sensum intellectu polles ab exordio; vtpote à qua ille egressus, qui in ipsomet egressu sic Verbum Dei propalauit, scilicet Euangelium ordiens, quod bonum verbum, nuntiumque est.

Psalm 48. cap 21.

Andreas. Hierosol.

28. Id canorè modulabatur illa: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Qualis hæc arbor, quæ sedenti ad truncum patulos immittens ramos, crinitamque comam depectens, pendulo fructu lenocinatur? Mira res! Nondum palatum tentanisse videtur, & iam guttur dulcore perfundit. Quo tramite peruenit ad collum? Si labra non gustauêre prandentis; quomodò impertransito spatio guttur delitiatur Amasiæ? Sedebat illa: nec manum leuauerat, nec labra explicuerat; & iam post oris tenuitum condita officia peregerat fructus. Sanè fructus iste Filius est Sponsæ, superiq; Patris Verbū: Verbum autē non ab ore transit ad guttur, sed à gutture venit ad os: prius efformatur in mente, quàm explicetur in labro. Si fructus hic scientiæ est, quid stupes antè dulcescere in gutture, quam ad ora permeare? Verbum Dei est, quod cor Patris in cor Virginis eructauit; vt malus ille fructus, quem momordit Adam, & à quo morsus, perderetur. Maria semper sub vmbra sedit; nec scientiam nouit à labris immittere in guttur: intorta via illa est. Id à palato lacessitus cogitauit Adam, ore scientiam prandere in ficu, indeteque in ventrem, Dæmone propinante; cùm tamen scientiæ verbum è mente fœcunda, per organum gutturis eructetur. Ideò Mariæ fructus ligni vetiti correxit erratum; primamque præuaricationem euacuans, se in Matris guttur immisit, quam à conceptione primæua, sub vmbra ipsius sedentem inuenit. Rupertus lib. 1. in Cant. sic præfixa verba enucleat: *Non steti ad horam sub vmbra, vt interdum paterer carnis æstum, interdum haberem refrigerium, sed continuè sedi, quia semper pacem habui, iugiter sub vmbra illius quieui. Et fructus eius dulcis gutturi meo, id est, cordi meo. Quis vestrum nescit, quòd sit fructus eius dulcis: Expulit enim à nobis amaritudinem mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indidit. Malus fructus, imò malus morsus, quando Adam per Euam vitam perdidit, & vitam inuenit. Hic est fructus eius. Ad quid enim venit? ad quid succreuit inter ligna syluarum; nisi vt faceret huiusmodi fructum, qui euacuaret primæ præuaricationis reatum, ligni vetiti morsum?*

Cant.

Rupert.

Ecce fructus, quem Virgo nostra edit à primordio, ipsemet est, qui ab ipsa, ceu virgâ, ascendit. Vterque locus sibi obsistere videtur. Si enim fructus hic ascendit è virga, quæ virgo est; quomodò ad Virginis guttur descendit in esum? Si memineris virgam esse intellectu præditam, nodum extricabis. Intellectus quidem ipsomet verbo alitur, quod gignit, oreque sapienti masticat germen, quod in agro mentis producit: priùs gignit, quàm comedat; ne si comedere gestiat, quod nondum intelligit; intempestiua cupidine stolidus rigeat, & hebes. Id vitium subrepit Adamo. In esu scientia promittitur, quam dentes molant, quam guttur deglutiat, quam digerat venter. O extremæ fatuitatis excidium! Scientia cibus spiritualis est; sed priùs è mente gignitur, quàm comeditur. Maria intellectuali more, ipsomet Verbo pascitur, quod gignit. Errauisti miser; mordere gliscis, quod nondum intellexisti. Antequàm comedas, suspira; conceptum parturi, intellectu enitere, mentisque verbo saturaberis; obedi Deo tuo: si tempestiuè sumas, arbor hæc scientiæ est, diuinæque contemplationis auspicium. Sic cogitabat Gregorius Nazianz. orat. 38. *Ea porrò erat scientiæ arbor; non illa quidem aut malè à principio consita, aut per inuidiam interdicta; sed bona quidem, tempestiuè percepta: contemplationis enim, vt ipse contemplando assequor, hæc arbor erat, ad quam ijs solis tutus est ascensus, qui animi habitu perfectiori sunt.* Igitur intempestiui cibi morsus homini toxicum inspersit. Præposterus ordo, & turpiter commutatus. Scientiam priùs comedere gestiuit, quàm ab vbere intellectus glebâ spiritualem cibum germinaret. Id non intellectualis, sed corporei cibi proprium est; quem non germinat, qui manducat: pullulat ab arbore; sed ab animali comeditur. Secus scientia; à quo prandetur, generatur. Spiritalis arbor Maria gignit fructum, quem manducet Flos, fructusque, qui de virga ascendit, ab vtero, generationis campo subcrescens, tempestiuâ, & assonâ maturitate, suaui dulcore virgineum guttur depascit: Maria Primigeniorum correctio, 29.

Nazianz.

rectio, quomodò scientiæ pomum edendum, instruxit: nempe intellectuali methodo; priùs genitrix, dein conuiua. Ex quo calleo, cur intellectualis, spiritalisq; paradisus nuncupetur. Sic in actib. Concil. Ephes. tom. 6. cap. 7. *Maria in vnum nos coëgit. Hæc impollutus, & purus ille impollutæ virginitatis thesaurus, decusque, & ornamentum: hæc spiritalis secundi Adami paradisus.* Siccinè spiritalis paradisus nuncupanda, quæ colonum Deum aulâ corporeâ suscepit? Si carnem induit, si membra suffudit, si sanguinem in membrorum organa coëgit; cur non carnea paradisus dicatur: potius quàm è mentis officijs spiritalis ministra? Comptè quidem, & argutè nimis. Quia arbor hæc paradisiaca intempestivæ arboris correxit errorem, & ad intellectus modulum fructum genuit, quem prandit: nec nouit scientiam ficulneæ carpere manu, terere dente, in ventremque per os diuinitatis phantasiam immittere; sed intraneâ generatione scientiam superni Patris concipiens, fructum eius viuido sapore manducabat.

Concil. Ephes.

30. Hinc imago Dei, quæ spiritalis est veneno colubri conspurcata maligno, sparsoque liuitata nigrore, in Maria ad spiritales lineas reuocatur subductisq; coloribus Spiritus sancti penicillo splendescit, totaque in intellectuales colorata functiones, nec ficulneæ succo, nec serpentis humore madescit, sed etrosi lintei reparat vetustatem. Quodcumque arboris vitium repurgatur ob Virginem. Damascen. orat. 2. de assumpt. Virg. *Hodierno die Eden spiritualem noui Adami paradisum suscipit, in quo condemnatio abrogata, in quo vitæ lignum cõsitum, in quo nuditas nostra coniecta est. Nec enim nos iam nudi sumus, atque indumentis caremus, diuinæ videlicet imaginis splendorem minimè ferentes, vberrimáque spiritus gratiâ spoliati. Etenim ad hanc paradisum serpens aditum non habuit, vbi falsa diuinitatis cupiditate flagrantes, iumentis cõparati sumus.* Profundè collegit Damascenus, quidquid ex maligna arboris cupiditate ob intortum diuinitatis desiderium, & corporei cibi, ad spiritalem scientiam, manducationem perpetratum fuit, & quidquid ob Virginem nostram vulneri medêlam induxit. En spiritalem paradisum appellat; en serpentis aditum & halitum occludit; en splendentem adstruit imaginem: nec vnquam fallæ diuinitatis charactere superscriptam enunciat; vt vndequaque veræ scientiæ paradisum asserat, in qua vitæ lignum consitum ad immortalitatis instruit sodalitium.

Damascen.

31. An in hac paradiso arbor illa, cui serpens adhæsit, vnquam egit radicem? Absit. Arbor quidem illa virginea fuit absque semine sata, non sarculo fossa, non irriguo humore saginata; sed pudicè è voce Domini repentè germinauit: cur non in virginea Mariæ paradiso vernet? Sanè quia serpens truncum maculauit, prostitutamque radicem lasciuiente malignitate infudit; vt deinde depranso pomo per generationes reptaret contagium. Vt quid enim in trunco subsedit, nisi vt vitiaret originem, & quasi semine deciso, vipereos fructus generaret, & ex arbore, & è Dæmone quasi vnum efficeretur? Vnde, quasi ipsemet arbor fieret, à qua pranderent miseri mortales, sub arbore Dæmon incubuit. Certè Aponius arborem *Malum* intelligit Dæmonem, dum illa verba, *Sub arbore malo suscitaui te*, scholiat paraphrasi: *Sub potestate diaboli te dormientem excitaui*: Ecce qualis fructus arboris: Malus arbor mala à maligno. Hinc censerem cùm rogamus: *Sed libera nos à malo*, sub vna dictione vtrumque malum copulari: nemqe *malum*, id est, arborem, à qua omnium peccatorum semino in carnis propagines sparguntur; & malum, id est, Dæmonem, qui cum arbore malo agglutinatus, & per succorum calliculos inlatens, quasi ipsam arborem transformatus euasit. Ergo arbor hæc, licet anteà virginea, iam Dæmoni succubans, iam tabifico luxui prostituta, in Mariano paradiso non prendit. Maria ex opposito, pro fructu germinat Saluatorem: ex quia, & virtute Altissimi, cui adhæsit ad Verbum Dei in carne gignendum, vna arbor fit. Sic enuclearem Theodotum Ancirorum Episcop. de Natiuit. Domini, apud tom. 6. Concil. cap. 2. *O terra sine semine, & fructum germinans salutarem! O Virgo, quæ ipsum vicisti deliciarum paradisum! Illa namque sine semine omne plantationis genus protulit, ex Virgine terra, exortis plantationibus: hæc autem Virgo illâ terrâ melior est. Non enim pomorum protulit arborem, sed virgam Iesse fructum Saluatorem hominibus afferentem. Et illa terra Virgo erat, & ista Virgo: sed illius quidem arborem nasci præcepit Deus; huius autem Virginis ipse Creator secundùm carnem factus est germen. Nec illa terra ante arboris frondes suscipit; nec hæc ex partu virginitatem læsit. Virgo gloriosior paradiso facta est: ille enim Dei cultura factus est: hæc autem secundùm carnem Deum coluit, eligentem hominis copulari natura.* Quid amœnius? Selige illud: *Hæc autem virgo illâ terrâ melior est, non enim pomorum protulit arborem.* Cur non arbores inquit, sed arborem? Censeo, quia arborem innuit illam, quæ paradisum dedecore læsit, & constuprata à serpente infamem reddidit tellurem, cui erat infixa. Hæc in Mariano paradiso non seritur: æternùm Virgo est; nescitque lasciuo veneno conspurcari, quale Dæmon in arborem euomuit: ideò enim intortam scientiam promisit lasciuiens spiritali luxurie: quippè cùm animus hominis, & Dæmon spiritales sint, non aliâ luxuriâ sordescere possunt, quam spiritali, quæ ad scientiam, & amorem malè in creaturis prostitutum spectat. Quin & idololatria fornicatio dicitur apud Sacra: primus autem idolorum inuentor serpens fuit, Deorum numerum sacrilego piaculo inuehens in orbem.

Apon.

Theod.

Sed quid est illud: *Virgo paradiso gloriosior facta est: ille enim Dei cultura factus est; hæc autem secundùm carnem Deum coluit eligentem hominis copulari natura?* Appositè æquiuoco vocabulo Theodotus dedit grande mysterium Paradisus quidem terrestris, Deo iubente, viruit: primus ille colonus fuit, qui à turgentibus terræ venis illicò in pomorum maturam segetem absque hyemis, vetisque moris explicuit: ideò Dei cultura factus est. Sed Maria ipsummet Deum coluit, id est, hominem egit: sicut colitur ager ab agricola, subque coloni disciplina instruitur hortus. Verùm nondum affatim. In ipsa voce inlatet acumen. Colere propriè significat adorare, cultumque, quo vero Deo litatur, exhibere. Virgilius lib. 9. Æneid. 32.

Virgil.

Summa Deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem colimus,

Sensus igitur est: Maria paradiso extitit gloriosior: paradisus cultura Dei fuit; tamen lignum, idololatriæ inseruiuit, ob multiplicitatem Deorũ,

quam

quam serpens sub radice indixit? verumque cultum diuino Numini denegauit. Virgineus autem paradisus & coluit Deum, id est, genuit; & coluit, id est, adorauit, vt merito canat Ecclesia: *Ipsum quem genuit, adorauit.* O arboris Virgineæ prodigium! Quem coluit fructum vt genitrix, coluit vt ancilla: vixque se diuini fructus agricolam audit, quem in vtero ferat, & germinet; cùm se præconatur ancillam, demonstrans se non cognoscere virum illum, qui cùm inductus in paradisum fuisset, vt coleret illum, Deum suum non coluit; sed pro ementitæ Diuinitatis numismate vendidit eum, fictiliaque Numina inuenit, queis submisso poplite thura adoleret.

33. Et quidem hoc periculum præcauere curauerat sedula Omnipotentia ab exordio. Cur protelauit Solis creationem, plantarumque impulit hortos, humilesque myricas, herbasque tenellas Solis splendoribus præfecit? Tertia die terram relaxari fecit in arbores; fœcundoque calore venas imbuens, & absque irriguis liquoribus humectans, versicolori stromate picturauit. Luminaria cœli, nitidosque choros, & exercitus stellarum in quartam diem remisit: quasi nobiliora fuissent arbusta, primatum in origine ante Solis ortum fuit impertitus. Sanè non tam honos agri, quàm diuini Numinis honos in tam præcocem plantarum creationem adegit. Si Sol, syderaque præirent; mens hominum addicta flagitiis, ortus plantarum feruidis, benignisque solis officiis irrogaret; & ardentis luminaris fotus excipere terram censeret, vt in lingua pomifera laxaretur. Virescunt arbores absque creaturæ splendentis auxilio, è glebaque deserta fructus prorumpunt; vt Dei vnitas secura maneret, nec Sole Deo putato multiplicitas in diuinitatem inueheretur. Ea communis censio Patrum est. Iuuat D. Ambrosij eloquentiâ frui in Hexemer. lib. 3. capit. 6. *Solent plerique dicere nisi clementior Solis calor tepefecerit terras, & quodammodò radijs suis fouerit, non posse germinare terra: & propterea Gentes diuinum honorem deputant Soli; quod virtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foueat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Antequam Solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior eius sit prærogatiua, quam Solis. Ne error hominum conualescat, germinet priùs terra, quàm fotus Solis excipiat. Sciant omnes Solem auctorem non esse nascentium. Iunior est herbis, iunior fœno.* Quid illustrius, & vernantius? Hæc ab initio cautio fuit; ne ab arbore honos diuinitatis læderetur, quæ, si crearetur post Solem, ad idololatriam occasionem præberet erroris. Et tamen in arbore impegit homo, perfidiæque vitio collisus, multitudinem Deorum sub vna ficu subesse putauit. Colonus paradisi, ob paradisi fructum, cultum Numini denegare gestiuit; & cuius vnitatem colere debebat, in diuinitatem contubernium induxit. Hinc arborem paradisumque nouum sapientia Dei conseuit, Mariam scilicet, quæ, vt inquit Theodotus, secundùm carnem Deum coluit: nec ex carnis, naturæque humanæ numero adaucto, numerum in diuinitatem inuexit. Miseri mortales à primordio cæcutientes, Primigenij mordicus bibere piaculum. Sic apud Gentes arborum increbuit religio; nec absque arbore Deitas est. Nam Herculi populus, Apollini laurus, Veneri myrtus, olea Mineruæ, esculus Ioui dicabantur. Vnde

Ambros.

Plinius lib. 12. capit. 1. *Hæ fuerunt numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant.* Si tanta arborum religio est, en, in arbore virginea diuinitas secura, virescit. In Maria arboris primæ vena non serpit. Virga ex radice Iesse multitudinem cædit Deorum, editque florem, qui Deus est; vt malignitas arboris reparetur, è cuius ligno per inobedientiam concupito, idola prodierunt. Plinius.

34. Quin arbor Mariana in triduana luce non caligat, & quæ vnum Deum edocet adorari, Trinitatis luminosam abyssum inconcusso virore intuetur. Quæstio non illepida est, cur arbores, & plantæ non solùm ante Solem, sed & ante animalia productæ viruerunt? Id opportuna ratio suasit. Triduana adhuc lux non sedatis, constrictisque splendoribus coruscabat: nodum luminis pelagus ripis vllis coercebatur, nec in Solem, syderaque dissectum, & distributum lucis riuulos temperatè fundebat. Si tunc animalia crearentur, luminis onere obtusi oculi caligarent, & quasi in tenebrarum latibulis cæcutirent, cùm clarissimi iubaris impetum pupillæ sustinere nequirent. Arbores oculos non habent; licet viridantia capita attollerent, tempestatem lucis placidâ salubritate perferrent. Athanasius quæst. 85. in Genes. *Quare plantas quidem ante luminaria creauit Deus, animalia verò post? Propterea quod plantæ sunt inanimatæ, & non habent oculos, suntque ante luminaria creatæ: splendorem enim lucis portabant; post luminaria verò tandem animalia creata sunt.* Quarta dies lucem dispersam, & vagam contraxit ad globum, compescuit in sydere, in qua Sol creatus splenduit. Ergo triplex dies prodigalitate lucis exarsit, laxisque splendoris habenis absque methodo, & temperantia claruit. In honorem quidem Sanctissimæ Trinitatis, quæ trilucæ maiestate in vnitate diuinitatis irradiat. Id infrà ex Sinaita firmabimus. Quidni arbores triduanâ luce poterentur, si virgineam arborem adumbrabant, ex qua trilux Deitas hominibus enituit, iuxta Damascen. alibi datum in Cant. Eccles. son. 2. Athan. Damasce.

Arbor Virginea immunis est à traduce vitio, cui ex arbore Malo malus surculus non insitus: non malum *audit, sed omne bonum.*

SECTIO V.

35. AB Arbore ficu ad arborem *malum* transeamus. Vocabulum ipsum suffragatur, vt ab originata labe Mariam asseramus immunem. Iudith. 8. *Non erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Fœlix fœmina, cui non contigit defœdatus næuus, qui vel per formosiores pulchritudines hæreditario casu pergrassatur. Nonnè fuit, qui malum loqueretur? Qualenè malum? Liceat frui voce. Arborem *malum*, si verbum aduoco ad Mariam: nulla conuentio huius fœminæ, & arboris *mali*. Nullus sit, qui malum loquatur, dum ore gestat Virginem ab arbore *malo* suscitatam. Cantic. 8. *Quæ est ista:* Iudith. 8. Cant. 8.

quæ

quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genetrix tua. Sed bone Deus! si sub arbole *malo* suscitata, vbi feralis vmbra genus hominum sepeliuit ad mortem: quomodò de deserto ascendit, quasi sola, absque assecla, solùm sociata viro? Virus pomi toxica diffudit communi semitâ per omnem hæreditariam Adami sobolem. Si è puluere, si è gleba: vbi malum arbor sata est, surrexit Virgo: communi lue perijt, tabificam sensit vulgaris mortis labem? Non ergo de deserto ascendat; sed de communi surgat rediuiuorum strage. Quàm benè! Sub arbore *malo* suscitata est, & ascendit de deserto. Suscitata apud Septuaginta idem ast, ac *excongregata, diuisa, separata*, ex verbo ἐξεγείρω. Sic igitur Sponsus. Ex funesta malo vbi sub pomo propinata est mors, te, Sponsa, Amasia pulchra excongregaui, & selegi, vt de te non loqueretur quis malum, nec sub communi colluuie patereris. Ideò de deserto ascendit, & interrogationi illi, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* apposita responsio est: *Quæ sub arbore malo excongregata.* De deserto quidem ascendit, vbi solùm Sponsus, & Sponsa morabantur; non exteris plaga illa habitatur colonis, non rusticalibus aliis incolebatur. Ipsa latens erat in Sponso, vbi vita non vllius pomi temerata veneno fuit. Hûc aduoco Rupertum in Cantic.cap.7. *Quæ est ista de deserto, id est, de agro, quò vos, ò Dilecte, & Dilecta, egredi, atque commorari voluistis? Quæ est ista? Vbi erat? Vbi latebat? Mira res! Nobis nulla erat, nusquam erat; sed illi erat, in illo erat, de quo dictum est: Quod factum est in ipso, vita erat. Quomodò autem, vel ad quid innixa super Dilectum suum? Nimirum, vt non teneat timorem hominum.* Parce metui, Virgo Mater: paueant quotquot sub arbore *malo* incolunt, & pereunt: tu sola disgregata: vir tuus te ambit: innixa super Dilectum ascendis; singularis tibi contigit sphæra vbi vita erat æternitatis nobilitata consortio, nec vllius instantis passa iacturam.

Rupert.

36. Indidem sub arbore *malo* excitata Mater Dei Iesu, quæ stabat inconcussa iuxta crucem, Ioan. 19. *Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius, & soror Matris eius.* Cur stat Mater? Cur stantem peculiari voce exhibet Discipulus? Concutitur cœlum, tremulâ vertigine deuoluitur terra, dehiscunt scopuli & dum arbor crucis erigitur, cadit lux Soli, obnubitur pullâ veste dies, mors per cadauera solicitâ discussione peterrat: cuncta casum fatentur; sola Mater stat. Decebat tunc temporis talis Matris status. Id scitè annotauit Ambrosius in Epist. *Maria Mater Domini ante crucem stabat Filij. Mundum alij concussum in passione Domini conscripserunt, cœlum tenebris obductum, refugisse Solem; Ioannes docuit, quod alij non docuerunt.* Sed quid opus fuit Virgineæ nobilitati sub cruce stare; cùm officium pietatis esset dolore concuti, lachrymis suffundi, flebilisque pondere gemitus sterni, & quassari. Ideò stat, ne sub arbore *malo* caderet, quæ sub arbore *malo* semper suscitata immobili statione fulcitur. Concusso mundo stat Maria: non sentit noxam. Arbor crucis ex arbore *malo*, vbi vetus fœmina ferali sapore delinita occubuit, compacta fuit, si Hebræis fidas: sub trunco cranium latebat Adami: stet ergo Mater, communisque casus non sentiat ruinam. Suffragetur Anselmus. *Sub arbore malo excitaui te* (agi cum anima iusti) *id est, sub peccato facto per arborem: malo, id est in peccato primi parentis, vel languidam sub peccato crucis, quæ item fuit de arbore hac, id est, malo. Legitur enim in libris Græcorum, quòd de eadem arbore, in qua peccauit Adam, ramus quidam allatus fuit Hierosolymam, & ibi plantatus excreuit in magnam arborem, de qua posteà facta sit Crux Domini: vt ex quo mors venerat, eodem vita repararetur. Dicitur quoque Adam in eodem loco sepultus, in quo postea fixa fuit crux Domini.* Cur ergo Mater Domini non staret, vbi pristini casus arbor pristina vmbram tenderat? Sed nonnè & cæteræ mulieres stabant? *Et soror* (inquit) *Matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Equidem Lucas, & Matthæus non iuxta crucem illas perhibent: *Stabant autem* (Luc. 24.) *omnes noti eius à longè, & mulieres, quæ sequuta eum erant à Galilæa, hæc videntes.* Conciliat loca Augustinus de consensu Euangelist. *Possumus intelligere, quod illæ, quæ simul aderant cum Matre Domini, postquàm eam Discipulo commendauit, abire iam cœperant vt à densitate turbæ se eruerent, & cætera, quæ facta sunt, longiùs intuerentur, vt cæteri Euangelistæ qui post mortem Domini eas commemorant.* Mater igitur propinquior fuit cruci, quasi truncus ab illa pullularet, brachia componeret ad brachia. Nonnè vides? Filius ait: *Mulier ecce Filius tuus.* Si tres stant mulieres, si manus affixa cruci non præualet indicare, quam sentit: si sanguine innatat frons, dum vepribus punctum caput perpluit in sacra lumina cruorem, nec oculorum versis palpebris potest indigitare, quam ex tribus mulieribus alloquitur: cur communi voce compellat mulierem, vt hæreat Ioannes ambigens, quam sortitur Matrem? Sanè Virgo Mater propior erat cruci, vicinior arbori stabat: sic signata vox, dum mulierem protulit, Matrem indicauit. Id suboluit Chrysostomo homil.84. in Ioann. *Et cùm aliæ mulieres astarent, nullius alterius meminit, nisi Matris.* Cur Matris, compellat mulierem? Quia vox ad illam delata est, quæ viciniam crucis ambibat. Maria dum propinquior *malo*, absque malo stat. Disce igitur, dum arborem *malum* contemplaris, semper stantem intueri Mariam; ne male loquaris de fœmina, quæ stat, dum cuncti cadunt.

Ioa.c.19. — Ambr. — Anselmus. — Ioan.19. — Luc 24. — S.August. — Chrysost.

Væ fœminæ priscæ, væ Primigeniæ: sola malum audit, etiam ante impransum pomum ante arboris gustum. Vafer ille coluber sciscitatur; illa respondet imperterrita. Genes. 2. *De fructu ligni, quod est in medio Paradisi, dixit Deus: Non manducabitis ex eo, neque tangetis ex eo, vt non moriamini.* Quid ais, sciola? Quid verba diuina supplantas, & irreligiosa sacris audes imponere mandatis? Annè tactum prohibuit Deus? Sic in mulierem irrumpit Rupertus: *Hæc verba iam vitiatæ mentis indicia sunt. Nam quantum in se erat, deprauauit mulier verba præceptoris Domini tribus modis; appositione, diminutione, mutatione.* Sed quid in misellam fœminam omnis culparum iactatur incursus? Cur accusatur de noxa, antequam palatum illecebram pomi sentiret? Ipsa nondum erat constructa, cum mandatum accepit Adamus. Vir retulit: ipse igitur auctor erroris, dum præcepti verba non ad amussim, sed intorto perbibuit stylo. Forsan Adamus, *Neque tangetis* addidit, vt 37.

Genes.2. — Rupert.

fœminam

fœminam faceret cautiorem. Dubia mens est, quis auctor extitit; attamen suspecta fœmina est, quæ prodidit incautum: in illum omnis ligni malitia deuoluitur: quidquid ad arboris attinet flagitium, imbellis sexui irrogatur. Non est malum, quod de Primigenia non sentias, quæ *malum* obtulit marito, vt comederet. Præclarè Ambros. de Paradiso capit. 13. *Plerique putant hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse: ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, vt adderet mandasse Deum; Neque tangetis ex eo. Habemus enim, quia Adam, non Eua mandatum acceperit à Deo. Nondum enim mulier formata fuerat. Mihi tamen videtur à muliere cœpisse vitium, inchoasse mendacium. Nam etsi de duobus videatur incertum; tamen sexus prodit, qui priùs potuerit errare. Ad te, quia præiudicio illa præstringitur, cuius & posteà prior error inuentus est.* Sed fœmina noua nunquam malum audit, nec vitium noscit, à quo mandatum pristinum audient. Non mutat in verbis, non vacillat in eloquio; solùm sciscitatur, quomodò illibata virginitate fœtus gignetur in vtero? Ideò benedicta est, quæ non fluctuauit in dicto: ideò quidquid bonum est, audit; plenitudinéque bonitatis, quæ in Spiritus sancti subsidet charismatibus, repletur. Pristina auctrix fuit erroris, quia in primis verbis nutabunda hæsitat. Prodest auscultari Idiotam de Virgin. Maria capite 4. (Ambros.) (Idiot.) *Per te, ô benedicta Virgo Maria, vita Angelica reducitur. Corrupta erant omnes, & peccato vacillauerant, ideò te gloriosam Virginem Mariam ædificauit in domum solidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare possit: ideò excidit columnas septem, ad te fortiter, & sublimiter sustentandam. Septem columnæ, quibus firma semper stetisti, sunt septem dona Spiritus sancti, quæ requieuerunt in te, & nunquam te deseruerunt: per quæ stetisti firmiter, & perseueranter in omni gratia.* Ecce gratiam omnem, etiam originariam: ecce semper stantem: ecce quidquid bonum est, nouæ mulieri subiicitur; si pristinæ quidquid malum, irrogatur. Cur enim ait: *Sed quia corrupta erant omnes*, de sexu muliebri signatè; cùm potiùs per viri noxam perierit genus? Vt omnis mali fons priscæ fœminæ imputetur, quæ super arbore *malo* in verbis, in manu, in palato deliquit, & oculis: vt nullius sensus malignitatis esset immunis. Ideò septem dona sancti Spiritus quidquid in Maria est, gratiis fluentibus imbuunt, vt quidquid sit, bonum sit. Eua per omnes sensus *Malum* hausit; Maria bonum.

38. Quot mala sub arbore *malo* in Primigenia! Mendax, malesuada, infida, superbiens, garrula perit. Quot toxica in dimidio pomo! Gratiæ, in qua condita fuit, virtutes ad palati lenocinium, quà data porta, ruerunt, & iners mansit, & inanis vsque ad præcordia cortosâ fortitudine, arente amne. Sed ecce in fœmina noua eodem impetu scaturientes fontium venæ: nam ad ipsam concito gradu, collisis vendis ab Eua lancinatæ grandiori pelago virtutes effluxere. Mendax illa, quæ à veritate deflexit, mendacij serpentis amica, Dæmonis comes, qui mendax est, & pater eius. Qualis veritatis plenitudò in Maria, à qua veritas orta est! Cur desponsata, quæ absque sponso fœta, absque viro grauidanda? Cur nupta Ioseph, si virum nescit? Marcenti lilia pudoris vel ad mariti vmbram. Vox coniugis florem maculat verecundiæ. Si Filius Altissimi vocandus est fœtus, offendet in fabro opinio vulgi, cùm sponsum cernat, & sa-

, Zerda, Mariæ effigies.

cramentum ignoret. Mauult Deus iniuriam degeneris originis in hominum captu pati, quàm teneram mendacij suspicionem in Virginem subrepere. Si turgeret venter, quisne suspicaretur absque viri amplexu? Tumens venter mariti officia loquaci silentio manifestat. Ast pudor vindex assereret pro Maria; ipsa virum non cognouisse testaretur. Sed potuit non credi, & se mendacem audire. Ne igitur de veracitatis iniuria in alicuius assensu accusaretur, viro nubit absque viro Mater. Ambrosius lib. 2. in Luc. *Cur autem non antequam desponsaretur, impleta est?* Et post plura: *Quid quòd etiam fides Mariæ verbis maior adsciscitur, & mendacij causa remouetur? Videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio innupta prægnans. Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit: cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum partus sit fœminarum.* Vide, in quod collimauit inuentum, decretum Dei: virum Virgini parat, ne vox mendacij vel à mendaci lingua illi irrogetur. A mendaci diabolo secernere curabat, quam Matrem elegerat. (Ambros.)

Serpentis sibilo cita credit, non obturans aures, facilis in paradiso fœmina, dum infida Deo mortem sub arbore non credit. Numini tenuit fidem, quam prodigit Dæmoni: in vtroque nequam; quia nimis fisa, & quia parcè. Vtrumque temperat Maria, & opposito ordine totam se oppignorat fidei Dei; at Angelo non exemplo fidem dat; sed priùs metitur, & librat. *Quomodo fiet istud*, respondit Gabrieli? Cur sic nutas, fœmina sacra? Si Angelum noscis aulicum cæli, gloriæ incolam, cur hæres ad nutum? Lumine cinctus splendet Gabriel hæc lux cæli est, da fidem totidem te cupit captiua natura. Vide conflictum ex agmine aduerso: si credit Angelo, nec trutinat matura nuntium; Primigeniam sapit, quæ facilis Angelo nequam, cum auribus subdidit assensum: si non illico credit, sed sera riget; se incredulam audiet, diuina temnit, excutit sacramentum. Vsurpat diuina, si protinus sibi blanditur assentiens nuntio; diffidit Angelo Dei, si moratur. Quid faceret ingeniosa fides? Ars nimium fœlix! In ipsis quasi incredulis verbis velox assentitur Deo; non velox fidit Angelo. *Quomodo fiet istud?* inquit. Ergo iam de negotio tractat, non dubitat. Angelum vrget, vt pluties repetat virum, quasi Deo fidem exhibere soliciter, non Angelo. Secus Zacharias. *Vnde hoc sciam?* ait. Quàm dissitus à fide, qui scientiam cupit! Longior ab opere, qui nondum nouit. Maria non scientiæ incumbit; sed saltem quodam iam de opere agit. Mariæ fides in manu ad opus. Iam est Ambrosius lib. 2 in Luc. *Videtur hic non credidisse Maria, nisi diligenter aduertas. Sed neque non credere Maria, neque tamen temerè debuit vsurpare, non credere Angelo, vsurpare diuina. Et tamen non fidem renuit, non officium refutauit, sed spopondit obsequium. Quantò temperantior ista responsio, quàm verba sunt Sacerdotis? Hæc ait: Quomodò fiet istud? Ille respondit: Vnde hoc sciam? Hæc iam de negotio tractat; ille adhuc de nuntio dubitat: negat ille se credere, quod negat se scire, & quasi fidei adhuc alium quærit auctorem; ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, sed quomodò fieri possit, inquirit.* Fabrè quidem; & perpolitè Ambrosius. Et, vt Eua discat tricare debuisse assensum Dæmoni, docet Maria moras trahendas esse cum Angelo, non temero assensu. Accinit Cyprianus lib. (39.) (Luc. 1.) (Luc. 1.) (Ambros.) (Cyprian.)

 de

de testim.aduers.Iudæos cap. 19. *Suscitabo mulierem, quæ repudiatâ facilitate credendi, non solùm te non audiat; sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat bonitate.* Rursus expendo. Zachar.inquit: *Vnde hoc sciam?* Et statim ob mulctam muta hæret lingua; *Eris tacens, quia non credidisti.* Et tamen postquam videbatur dubitasse Maria, Spiritus sanctus promittitur. Non te tangit concinnitas vtriusque, & præmij, & pœnæ? Vox eripitur Zachariæ; scientia
Luc.1.
vocis Mariæ spondetur. Adeò in verbis, quæ respondit Virgo, prudens est; vt non solùm Verbum, quod est Filius Patris, eius vtero corporandum promittatur, sed & Verbi vox, nempe Spiritus sanctus, qui scientiam habet vocis. Vox Zachariæ eripitur, Mariæ datur, dum quærit vterque.
Ambros. Ambrosius suprà: *Nec enim fas est, vt electa ad generandum Vnigenitum Dei Filium fuisse censeatur incredula. Quo ergo modo fieri posset, vt Zacharias, qui non crediderat, silentio condemnaretur? Maria autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur?* Infunditur Spiritus, cùm solùm agebatur de Verbo: & adeò se ingeminant Dei gratiæ ad vota Mariæ, vt qui incarnandi Verbi legatus aduenerat, dum fœminam adloquitur, Spiritum sanctum promeruisse spectans, Spiritum sanctum spopondeit.

40. Sed nonne primipila humilitas inter virtutes Marianas caput extulit, non quidem elatum, sed sublime? Quid superbis telluris neptis; ex osse, quod priùs limus prognata mulier? Quid turrito capite stellas tangere gliscis, superba Virago? Expecta parumper: te puluerem audies, te menstruis sanguinibus conspurcandam, te in partubus fatiscentem, te ærumnis agmine denso lacessitam. Sed adstet pro superba humilis Virgo. Illa ex superbiæ prurigine Deum esse concupiuit; sed quia intorto tramite, deuio calle pertingere Numinis culmen tentauerat, barathrum inuenit Maria doctâ semitâ per humilitatem, ipsam diuinitatem vel ventri addixit, sicut illa pomum. An fœta fuit ex fide; an ex humilitate? Elizabeth pro fide suffragatur:
Luc.1. *Beata*, ait, *quæ credidisti.* Suffragium ferunt, quotquot aure concepisse perhibent. Sed audi modulantem Virginem: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quídne saporis habet verbum illud: *Ecce enim ex hoc?* Cum quo loqueris Heroina? Respexit, credo, ad Elizabeth. Dixerat illa: *Beata, quæ credidisti*, laurum maternitatis fidei dans; sed intercedit pro humilitate Virgo: imò *quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim*, ô Elizabeth, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Cur ita? Quia beatam ex maternitate. Quando mater? Ad vocem *Ecce ancilla*: ergo ex ancillæ humilitate beatitas prædicanda. *Ex virginitate placuit* (dixit
Bernard. Bernardus) *sed ex humilitate concepit.* Communis locus est, scio; sed acumen inuenio in particula illa *ex*, quasi semen, ex quo filius, humilitas esset. Vox quidem est maritalis. Vt quid dum se mox genitricem audit, ancillam dicit, depascens in humilitata linguam, vocem, mentem, pectus; imò & aures Angeli! Quia Verbum Deus humilis apparere parauerat, vt creaturarum principatum securiori dominatione obtineret. Grauiter meus Ru-
Rupert. pertus: *Nouerat Deus principatum creaturarum non posse humiliter sustineri, nisi à Verbo incarnato.* O Principum paradigma! Ergo vt mitis, & humilis corde filius nasceretur, in ipso conceptus instanti cum Reginæ trabeis, cum maiestatis ostro, sagum humilitatis assumit Maria; vt se humilem cogitans, humilem gigneret: nam species filij similis euadit illi conceptui, quem in generationis tempore cogitabat Mater, vt aliàs multis probat Hie- Hieron.
ronymus alibi dandus: iam Ambrosium do: *An-* Ambros.
cillam se dicit Domini, quæ mater eligitur. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, qua faceret, quod iuberetur. Mitem enim, humilémque paritura, humilitatem etiam debuit ipsa preferre. Ecce ancilla Domini. Ergo, quià humilem paritura, voce concipit humilitatis. Non meditatur fastum, quæ Dei genitrix mox futura.

Suge igitur ab hac plenitudine gratiæ fidem in- 41.
concussam plenæ puritatis Virginis. Ne pudore suffundas Mariam, quasi in muliere pristina aberrantem: nam ei, quam bonitatis plenitudo inundauit, Euæ malum officere non præsumit. Id scitè collegit Chrysost. in festo Adnuntiat. apud Meta- Chrysost.
phrast. *Vbi priùs hostis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum: vnde mors ingressus principium habuit, inde vita sibi aditum patefacit: per mulierem mala fluxerunt; per mulierem emanant bona. Aue gratia plena. Ne te pudeat, quòd mulier causa damnationis extiterit.* Pulchra antithesis! Fluxêre mala à veteri fœmina; sed fluitant, sed transeunt; non quiescunt: emanant à noua bona; sed manent, nec fluxu pereunt: quia plenitudo exuberantis pelagi ariditatem non timet, nec siccus alueus gratiarum est, quando plena gratiâ Mater.

En Euæ venenis antidotum theriacum Maria est. Sed nondum de garrula fœmina egi, cùm tamen à lingua virus, antequam à pomo: nam vt luculenter Alcim. Viennens. Alcim.

Annuit insidiis, & pomum morsa momordit:
Dulce subit virus, capitur mens horrida pastu.

Quomodò momordit morsa? Doluisti aliquando, cùm auidiori dente manderes panem, te incautam momordisse linguam; & expertus, quanta in dente acies, quæ sic palatum vulnerauit. Proh fœmina loquax! Etiam dum morderet pomum, inflixit linguæ vulnus, imò priùs inflixit, quàm carperet: sauciauit etenim linguam, dum garrit. Cur siles ad maritum? Cur loqueris cum riuali? Prima vox fœminæ cum aspide fuit: acuit sicut serpens linguam suam, & ideo venenum aspidis illicò sub labiis eius. Stttuitur ex latere, velatur, nubit, audit à spon- Psalm.139.
so mellita verba, nec tamen amasiam agit, nec labra Psalm.13.
mouet grata Creatori, lateri inimica. Ast nec ad colubrum pauet, quæ paueret ad murem; fabellam serit cum Dæmone, iam inde pudicitiâ prostituens. Perit triplici verbo, & quod loquuta, & quod audiuit; & quia dum loquitur, dum audit, Verbo Dei inuidet: siquidem similitudinem Dei, & scientiam, quæ est propria Verbi, sibi sperat. Mariam nunquam audisti loquutam cum viro, aut fœminâ, priusquã cum Angelo, & Deo. Emendauit erratum, & silens, & loquens. Hinc verbo Verbum concipit, & quod audit, & quod loquitur. *Verbo concepit Filium*, canit Ecclesia: ecce quod loquitur Verbo credidit, cùm ait: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: ecce quod audit: & tamen quod fit in vtero, Verbum Dei est.
Chrysolog. serm.142. *Fiat mihi secundùm verbum* Luc.1.
tuum. Quæ credidit verbo, meritò concipit Verbum. Chrysolog.
In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et ad totam rem peruenit, quæ secretum fidei consentit auditu. Quæ energia

quæ energia Chrysol. Vtquid commemorat triplicem vocem Verbi apud Ioannem? Sentio, quia triplici verbo ad totam rem peruenit Maria; & Dei, quod concipit; & sui, quo assentit; & nuntij, quod audit: sicut ex triplici verbo periit Eua. Vides Medêlam tot verbis, quod vulnus.

Filius, quà fructus Virginis, ab originario piaculo Matrem adstruit immunem.

SECTIO VI.

43. VT ab arbore mala dissitam credideris Mariam, explora ex fructu, examina prouentum: nuclei experieris saporem, si germinis indolem meditetis. Nonnè arbor mala malos fructus facit, fructus Mariani ventris benedictus, ab arbore *malo* disgregat Matrem. A fructu ventris vindico, & absque labe originis assero. Matth 7.

44. *Benedictus fructus ventris tui*, visâ & inuisente Maria, dixit Elizabet. Benè benedictus, si *beatus venter*, à quo portatus. Noscas, quomodò decantatrices fœminæ & Christum ab vtero Matris, & Matris vterum à Christo concelebrent. Qualisnè stylus iste, Cur Christus ex Maria nomine *fructus* nuncupetur? Non sic cætera proles humana ratione prædita. Equidem vox hæc virgulti est, fruticis, germinis, & cuiusque, quod vbere sinu, imbre maritante, parturit terra. Fructus non dicitur *Filius*, nec arbor *Parens*. Richardus de S. Victore lib. 6. de Trinit. cap. 16. *Arbor ramum gignere dicitur, non tamen arbor parens, nec ramus proles illius nominatur: ramus florem gignit: nec tamen ille pater, hic filius dici consueuit.* Scio, quò? Æschylus in Persis dixit: *filios terræ fertilis.* Catullus in carmin. nuptial. educationem præbuit floribus, quæ filiorum propria: Luc. 1. Luc. 11. Rich de S. Vict. Æsch. Carull.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro:
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.

Sed id de Poëtico fonte, & fronte. Si ergo telluris germen non est filius; curnè filius fructus dicitetur, cùm agitur de Mariæ Filio? Nam iterum legis: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet:* quod communi calculo de Christo ex Maria censent Patres. Scita quidem, & benè de Mariæ absque originaria labe puritate merens est phrasis ista apud Sacra. Videas arborem, priùs intra telluris viscera, reptantibus radicibus viuidum succum cortice clausum ex ipsa tellure sugentibus, serpere per ima. Assurgit inde in virgultum, & singulis lucibus adeò excrescit, vt myricæ & gramina, quæ anteà quasi cum paruulo ludebant, iam gigantem demirentur. Hinc inde emittit frutices, egerit surculos, & vt traducem nucleum magis custoditum constringat, indiès exasperatur; nec bipenni cedit, nec Aquiloni. Vere nouo virescit, lasciuienteque fronde vestitur: florent rami, poma maturescunt. Curuatur denique baccarum grauidante pondere, vt ad telluram matrem redire credas; submittens verticem illi, quæ generationis dederat sortem. Vnde nùm fructus ille viuit, alitur saturatur, excrescit? Equidem ex radice per meatus per venas arboris vitam cum succo ministrante. Pendula poma, si corrumpas radicem, marescunt illicò, & exhausto spiritu, quem lambebant ab origine trunco, desipiunt, & putrescunt. Ergo quidquid fructus est, ex arboris radice est. Filius Mariæ fructus eius perhibetur: vt noueris ex succido Virginis vtero hausisse vigorem Radix huius fructus vterus est; radix vteri prima Mariæ conceptio. Fructus iste absque peccato viret, semper viuens, benedictionis medicamento sanans vulnus, quod nos mortis subiugauit imperio. Igitur si fructus ex flore, si flos ex ramo, si ramus ex virgula, si virgula ex trunco, si truncus ex radice, continuâ successione recensetur; fructus tandem ex radice erit. Ne primæuam radicem conceptionis Mariæ ab arboris *mali* insitione fatiges: nam ab illa fructus est, qui benedictus maledictionem antiquam profligauit. Richardus à S. Laurent. lib. 1. c. 7. *Congruè appellatur Christus fructus, quia sicut fructus bonus arborem, vel terram, de qua nascitur, commendabilem reddit; sic & Christus Virginem gloriosam, de qua tota benedicta totus est natus benedictus. Vnde & ei dicitur: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: quia fructus facit cognosci, qualis sit terra, aut arbos, vnde oritur; sic Christus Virginem. Vnde Matth. 7. A fructibus eorum agnoscetis eos.* Pondera illud: *De qua tota benedicta totus est natus benedictus.* Richard. à S. Laurent.

Diceres, superrogatam vocem, *tota*, & *totus*, quam nec Angelus protulit, nec Elizabeth; cùm benedictio à genesis exordio totum, super quod incidit, includat. Affabrè Richardus. Ne pars maledictionis obrepsisse censeatur, qualis in generationis limine fœtum infamat; totam protulit benedictam. In id impulit benedictio fructus, qui ob eandem causam totus benedictus profertur etiam in instanti, quo gignebatur à Matre. Generatio prolis ad generationem, qua genitrix generata fuit, habitudinem præsefert; quippe matri gignendi virtus tunc inditur, cùm concipitur. Si Mariæ conceptio sub maledictione fuit, limis oculis à conceptione Filij cerneretur, sorderet respectus generationis Filij ad generationem, qua genita fuit Mater: nec totus diceretur benedictus exhabitudine ad totam benedictam, cùm fructus nobilitas ex arboris radice stemmata generosa deducat. Amad. hom. de laud. Virg. *Ecce dum benedictam in mulieribus prædicare cupimus, fructum ventris eius benedictum attollimus: & dum quærimus laudare speciem arboris, fructus nimia dulcedine detinemur. Omnis enim arbor ex fructu suo dignoscitur, & ex propria vbertate pensatur, vt palma ex dactylorum suauitate, vitis ex vini liquore, oleaster ex oliua pinguedine; ita nimirum laus nati genitrici exuberat, & ad honorem puerperæ partus diuinus accumulat.* 45. Amad.

Corpus Deo homini fructificauit Maria: ergo peccatum orbis non nouit. Accipe Thephanem in Salutat. ad Virgin. Γεωργία καρδίας τοῦ παντουργοῦ πνεύματος μῆτερ ἡ δέσποινα, τὸ ὅλον ἐκκαρποφορήσασα ἐν ᾧ κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, καὶ ζωὴν ἐπήγασε τὴν αἰωνίζουσαν. *O Virgo omnipotentis artificis Spiritus agricultura, quo corpus Domino vniuersorum fructificasti, in qua condemnauit peccatum orbis, & vitam fontificauit perennem.* Quæ fructificat Deum, peccatum orbis nescit. Mirabile est, quod dixerit Theophane *in qua*; cùm potiùs *in quo* statim se offerebat dicendum; cùm & vicinitas compulisset, & suggessisset, veritas: in corpore enim Domini condemnatum est peccatum orbis, annuente Apostolo: *Damnauit peccatum in carne.* Ergo in corpore Domini 46. Theophan. Rom. 8.

condemnatum peccatum orbis, dicere Theophanes deberet: & tamen *in qua* protulit, id est, in Virgine, in agricultura. Strenuus vindex Marianæ immunitatis! Breui literæ transmutatione originariam adstruit innocentiam. Procliuis deductio. Fructificauit corpus, in quo damnatum est peccatum orbis: ergo in ea, quæ corpus illud fructificauit, Dominus peccatum damnauit: nam virtus fructus priùs in radice: ex qua pullulat, per traduces fibras distendi necesse est. Eleganter transuertit
Tertull. Tertull. lib. de carne Christi, c. 16. *Euacuauit peccatum in carne.* Nam, vt obseruauit eius Scholiastes, verbū Græcum καταργεῖν, quod est apud Apostolum, significat, damno ad mortem, aboleo, perdo. Euacuatio peccati metaphora est; ab exinanito vase: quòd caro sit Adami, non autem Adami peccatum.
Ambr. l. Hinc Ambrosius: *Expiata est à Spiritu sancto caro Domini vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Id attribuit Theophanes Virgineæ carni, à vitio decisi spermatis non purgatæ sed immuni, vtpote exinanitæ, cui nunquam sordium colluuio accessit. Ideò, me indice, peccatum orbis dixit, vt ad originarium alluderet. Sic
Ioan. 1. 29. Græci codices & plures ex Latinis legunt, Ioan. 1.
Beda 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Expendit Beda apud Glossam: *Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi: quod quidem peccatum originale, & singulo-*
Theop. *rum Christus per gratiam relaxat.* licèt Theophi-
Mald. lactus omne genus peccati, Hebraica phrasi, intelligi contendat, cui mordicùs Maldonatus affigitur. Si Græcum consulas, originarij criminis non segne indicium reteges: nam cum articulo præuio effertur, quod singulare quid indigitare solet: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ac si diceret: *Ille qui tollit illud peccatum mundi.*

47. Id impensius vrgent sæpius discussa illa Euan-
Isai. 11. gelici Vatis auspicia. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Eius. Cuius? An radicis Iesse, an radicis virgæ? Virgæ sanè, cui propinquiùs floris ascensus attexitur. Quomodò flos de radice tam celeri assurgit vestigio; si priùs de radice virga est, cuius ille flos? Quia vix virga Virgo, & in prima radice sui flori germinando paratur; & virens vita floris à radice sumit exordium. Qualis flos? Christus. Ast Christus fructus est: semper enim cum Mariano ventre compositus, non floris spatium, moresque intercapedinis floris suffert; sed maturans cursum, iam
Psalm. 131. maturus fructus nuncupatur: *De fructu ventris*
Luc. 1. *tui,* apud Dauidem: *Fructus ventris tui,* apud Elizabeth. Idemmet flos, qui & fructus, perhibetur; quia per florem fructus eruditur in fructum; & dum è flore commercium virtutis habet, flos & fructus in vna virtute coëunt. Absque iniuria florem fructum dixeris, alternaque vicissitudine fructum florem. Hinc flos; etsi à virga, non à radice pullulet, per liquidos tamen calliculos viuidum è radice sugit humorem. Meritò è radice ascendit, licèt virga mediet: siquidem à radice viuit, & ad stipitem generis omnis progenies recensetur. Ne Virgineæ virgæ inquines radicem, à fæcibus erudera, primum conceptionis truncum vindica virentem, nam flos Christus à radice ascendit; iam exinde floris meditabatur disciplinam.
Tertullian. Saporem do Tertulliani de carne Christi cap. 21. *Et qui vtique fructus vteri? Christus. An quia ipse est flos de virga profectà ex radice Iesse? Virga ex radice, Maria ex Dauid, flos ex virga, Filius Mariæ ipse erit & fructus; flos enim fructus: quia per florem, & ex flore omnis fructus eruditur in fructum. Quid ergo? Negent & fructui suum florem & flori suam virgam, & virgæ suam radicem, quominus sua radix sibi vendicet per virgam proprietatem eius, quod ex virga est floris & fructus, siquidem omnis gradus generis ab vltimo ad principalem recensetur.* In alium scopum eiaculatur sagittam Tertullianus; nempe in Valentinianos, qui negabant carnem Christi ex Maria. Sed nostram thesim apprimè fulciunt sales isti, & sacri lepores. Si radix sibi vendicat per virgam proprietatem eius, qui ex virga est, floris & fructus, & proprietas fructus, qui ex Maria, est euacuatio ab originaria labe: quomodo non erit euacuata radix, quæ est Maria simul & virga? Si negant & fructui suum florem, & flori suam virgam, & virgæ suam radicem, quotquot fructum Christum inficiantur ex Maria; quotquot radicem hanc, id est, virgæ huius exordium, putrescentem dicunt, videntur negare & fructui sui floris vernum spiritum, & flori suæ virgæ vegetam vitam, & virgæ suæ radicis viuidum succum. Si flos fructus est, quia per florem, & ex flore? etiam flos & virga erit radix; etiamque fructus radix, quia per radicem, & ex radice. Si flos est fructus, quia ex flore omnis fructus eruditur in fructum, nam omnis disciplina fructificandi quasi à flore illi inditur, & virtus vegeti fructu priùs debeat in flore residere; sic virtus floris in virga præest, sic virtus virgæ in radice: ergo fructus eruditur ex radice: siquidem omnis gradus generis ab vltimo ad principalem recensetur. Benedictus fructus ventris Mariæ non accepit benedictionem à Mariæ radice, sed potiùs dedit; attamen vt consonu sit fructui radix, debuit præexistere benedicta, vt inter fructum & radicem iret, rediretque tramite securo impolluta virtus.

Hæc vt penitiùs percalleas, & fœliciùs elate- 48.
bres, cur flos è radice ascendisse dicatur in Virginis nostræ vindicem clientelam? Scias non solum fœtum in vtero radicem agere, fruticique: & plantulæ assimilari: verùm ex radice, origineque vulua victitare. Per vmbilicalem neruum vescitur infans, adhuc in ergastulo ventris detentus. Vmbilicus autem radix dicitur: quippe ex gemina venula conflatur, quæ è corde matris distenditur, & deriuatur: venæ illæ *radices* nuncupantur. Præ-
stat audire Aristotelem lib. 2. de generat. Anima, Aristot.
capite 4. *Quocirca ex corde primùm venas illas duas natura descripsit, de quibus venulæ dependent in vterum, ex quibus, qui vmbilicus vocatur, constat. Vmbilicus enim vena in aliis simplex; in aliis multiplex est: quam venam putamen cuticulare ambit, quod vmbilicus vocatur: quoniam venarum imbecillitas tutelam, operimentumque desideret. Venæ autem quasi radices contingunt ad vterum, per quas alimentum haurit fœtus.* His accinit Tertullianus suggillans Valentinianos. Astruit Afer ille, Christum verè genitum ex Maria libro de carne Christi cap. 20. sic fatur: *Si non adhæsit vtero, quomodò auulsus est? Si adhæsit, qui auulsus est; quomodò adhæsisset, nisi dum ex vtero est per illum neruum vmbilicalem, quasi folliculi sui traducem annexas origini vuluæ?* Vult ingeniosè
nimis nuperus Scholiastes Tertulliani, verbum Tertull.
est exponere pro vescitur, comest, alitur; vt dixerit: nisi *dum ex vtero est*, id est, *vescitur per illum neruum*, &c. Pulchram hoc acumine nobis suggerit disciplinam. Christus ex radice virgineæ virgæ,

id

id est, ex venis è corde ad vterum repentibus dum fœtus inerat in Maria, alebatur, & ab origine vulua genitus, statim è radicibus, scilicet cordis venis, ad augendam corpusculi molem, nutrimentum hauriebat. Ideò forsan flos è radice ascendere, id est, excrescere dicitur, quippe qui & in vtero radicem egit, & ex venis *radicibus* excreuit. Quare Tertulianus c.21. *Quis hic fructus vteri, qui non ex vtero germinauit, qui non in vtero radicem egit, qui non eius est, cuius est vterus* E Mariæ corde mox dum est, *est*, seu comest Christus; & siquidem in generationis instanti perfectus fuit, iam exinde edere incepit. Cibus Christi Maria & Pater esse dignoscitur. Sic dum gignitur in corde Patris, vescitur à corde, sapientique cibatur alimona, & ex intellectuali obsonio omnem scientiam Patris manducat. Vnde dicebat Augustinus in Psalm.33. *Quod mater manducat, manducat infans, & per humiditatem mammillæ, & lactis succum de ipso pane pascit infantem. Quomodò ergo de suo pane pascit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est.* Eodem explicatu accipio illud Ioann.1. *Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Eo sensu fruerer: Qui *est* in sinu Patris, id est, qui *comest*, qui alitur, vtpote per intellectum procedens. Sic visio Patris *cibus* dicitur à Raphaele, Tob.12.v.19. *Sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Quæ mirè illustrant illud: *Deum nemo vidit vnquam*, nempe comprehensiuè, solùm Vnigenitus, qui in sinu Patris cibatur, & est. Eo sensu scripsit Poëta: *Est mollis flamma medullas.* Et Horatius epist.1. ad Lolium:

Quæ lædunt oculos, festinas demere si quod
Est animum, differs curandi tempus in annum.

Tertull. — August. — Ioann.1. — Tob.12.19. — Virgil. — Horat.

49. Et compar stylus in Mariani vteri fructu, & in fructu superi Patris: vtrobique, dum gignitur, inutritur, & victitat à radice. Si radix ad alimentum in Christi infantis primordio cor Mariæ est; & ex corde, vtpote quod primùm formatur in humano & animastico fœtu, *exeunt prauæ cogitationes*, & primæ peccatorum faces exardent, quasi in quod priùs originariæ noxæ impetus inuasit, veluti vitæ fontem, corporisque originem: quomodò Mariæ cor potuit vsquam traduce noxâ tabescere è qua radix & origo pollueretur, & in generationis exordio insalubri toxico madesceret: Christus in suæ generationis initio ab hoc corde, radicibusq; venis innocuum hausit alimentum, eo forsan respectu, quòd cor Matris priùs omnibus membris fuerat constructum, nec serpente labe vitiatum: ideò prior Christi nuper geniti cibus succus est, qui è puro Mariæ corde dispenditur. Quàm citò excreuit hic fructus tali humoris pluuiâ saginatus! Flos statim *è radice ascendere* dicitur: cur non tenerescit virgultum, solidatur in ramum, virescit in folia statimque successionibus eruditur in florem? Virginei vteri feracitas pigræ tarditatis pepulit segnitiem, intercapedinis expunxit spatia. Priùs debebat præire radix, deinde virga pòst flos, denique fructus: sed abolitis intermediis otiis flos statim à radice pullulauit, & non è flore fructus; sed ipse fructus flos, vt præcocem & celerem natiuitatem ostenderet in Maria. Andræas Hierosol. in salutat. S. Mariæ: *Benedictus fructus ille, qui ex incorrupto virginalis vteri surculo, velut perfectus mirabiliter maturescens, botrus enatus est.* Curne benedictum fructum compellat ex eo, quòd ocyssimè botrus erupit, qui vix genitus in vtero germinabat? Meditor, respexit ad tertiam Genesis diem, in qua protulit terra herbam virentem, subitò vernis prouentibus onusta, & versicolori picturâ venustata; ac lignum edidit pomiferum, non ex stipite ad comam segnibus studiis subcrescens, tepidisque ventorũ afflatibus innutritum; sed extemporanea magnitudine, maturitateque perfectum. Vox Domini in causa fuit. Eructauit Deus Verbum bonum: quâ Verbum, indispositas & inanes telluris fibras laxauit in fructus, solidauit in ligna, & in totius veris supellectilem concitauit; quâ bonum, benedictio subitis prouentibus fuit: quare simul & benedictus, & fructus erupit: nam eodem tractu legitur Gen.1. *Germinet terra herbam virentem: Et factum est ita. Et vidit Deus, quòd esset bonum.* Chrysostom. homil.5. in Genes. *Quis non obstupesceret, cogitans, quomodò Verbum Domini, quod dicit: Germinet terra herbam fœni, in ipsa olera terra descendat, & quasi admirabili quodam peplo terræ faciem varijs floribus adornet; ita vt & opifex in laudem eius prorumperet. Etenim ait: Vidit Deus, quòd esset bonum.* Vndene tam præcox, vberque feracitas? à Verbo, & à terra. Abulensis in Postil. complexioni terræ id attribuit. *Sicut creatæ fuerunt arbores, ita plena fuerunt fructibus, & credendum puto, quòd nunquam arbores tantùm de fructu, & tam bonæ complexionis produxerunt. Ratio, quia semper operatio, quæ à solo Deo est, perfectior est, quàm perfectio naturalis: & quia tunc complexio terræ erat in optimo gradu.* Verbo Dei irrogat Alcimus Auitus, & Claudius Marius Victor: vterque lib.1. in Genes. Sic canit Auitus:

Matt.15. — Andr. Hierosol. — Gen.1. — Chrysost. — Abulens. — Alcim.

Pulchra repentino vestita est gramine tellus:
Accepere genus sine germine iussa creari.
Et semen voluisse fuit: sic vbere Verbi,
Frondescunt syluæ: teneris radicibus arbos
Durauit vastos paruo sub tempore ramos.

Claudius sic:

Arida tunc primum mundi pars ima retectam
Ostendit faciem, tremefactaque numine Verbi,
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras,
Quas vario raptim iussas fructescere fœtu,
Luxuriosa nouo texerunt germina limo.

Claudius Marius.

50. Igitur quia terra in suo exordio ad perfecti temperamenti, optimique status attigit gradum; ideò non pedetentim, & sensim in germina erupit; sed illicò concurrerunt arbores, consurrexêre syluæ, festinarunt campi, non commissam sibi frugem edere. Scis, quò pergam. Christus in Mariæ vtero statim perfectus, statisque corporis lineamentis subitò cõcreuit. Quid causæ? Et quia Verbum Dei erat, & quia Maria terra fuit; terra, inquam (vt alias præmisimus ex Abul.) in sui exordio cum gratiæ perfectæ complexionis concepta, vt inter fructum & terram facta in celeritate gratiæ similitudine sit, sicut inter vterum Virgineum Matris, & Verbum Dei, quod *Ratio* dicitur. Do Rupertum lib.1. de Operib. Spirit. sanct. c.11. *Non melior, aut sapientior est artifex Spiritus sanctus, quàm Deus Pater, licet iste nouus Adam, qui de Spiritus sancti operatione conceptus est, melior ac dignior illo sit vetere Adam, quem fecit Pater: sed melior terra, melior & diuinæ Rationi vicinior, à Spiritu sancto materia sumpta est.* Ruperti nucleum alibi eruimus, qui mirus est: sat sit, si discas maturam sacri fructus perfectionem, frugis terræ qualitati, nempe Mariæ, attribuisse Rupertum, quo nihil potest de Virgine nostra concipi nobilius.

Rupert.

51. Nec tergiuersationi locus est; cùm ideò Deus humani ventris fructus extiterit, quia pluuia, Verbumque Dei deciderit in Mariam. Cur Verbi descensus placidæ pluuiæ comparatur? Moyses:
Duter. 32. Psalm 71 *Descendat sicut pluuia eloquium meum.* Dauid: *Descendat sicut pluuia in vellus.* Simplex aquæ ingenium inuitauit. Vtquid descendere dicitur vt pluuia? Quoniam Mariæ formam adamauit. Aqua omnium florum imbibit formas, in illis imbibita; imbri maritatus cæspes imbrem deducit in florem: per telluris calliculos serpit latex, & qui fuit lympha, in lilio fit lilium & albicat; viret in herbis, ardet in rosa & in omnibus vna dilecatur,
Cyril. Hier. multiplex vnitur. Cyrillus Hierosol. Catechesi. 16. *Nam & paradisum totum fons vnus irrigat, & vna pluuia in vniuersum descendit mundum: quæ alba quidem fit in spinis, rubea autem in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in diuersis speciebus diuersa: & in omnibus fit omnia.* Verbum Dei pluuia est, vt Mariam humectans, in Mariæ formam transeat, fructusque Mariæ sit Filius Patris, qui descendit vt humor. Tantus amor sacræ fœminæ impulit, vt pudico illapsu in eius vterum velut aurea pluuia decideret; non vt de Elicio Ioue impudici Prisci fabulantur; sed vt in Mariæ genus, speciemque aqua diuina deueniret, & ex humana Virgine nasceretur homo Deus; cùm pluuia illam sibi vendicet formam, quam irrigida tellus exponit. Acu-
Epiph. men est Epiphanij hæresi. 74. *Pluuia cum arboribus & Plantis in eamdem naturam transiens, corpus efficit, & singulos fructus iuxta similitudinem: & in olea quidem oleum pingue fit, assumpta ab ipsa essentia: in vite verò vinum dulce incorporatur: in fico autem ficus dulcescit: & in singulis seminibus ad speciem ipsorum naturam auget. Sic arbitror Dei Verbum in Maria caro factum est; & in semine Abrahæ homo inuentus est; de quo scriptum: Descendet sicut pluuia in vellus.* Et post nonnulla: *Maria quidem haurit sermonem ad conceptionem, veluti pluuiam terra: seipsum verò fructum ostendit Verbum Dei, assumens mortalis naturam. Sic igitur ex ipsa hauriente, velut terra & vellus, vera spei fructus, & Sanctorum expectatio; velut Elizabeth dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Sic ille.

Regia radix, & fructus Diuinus Virgam Virgineam sine vitio originis fuisse euincunt.

SECTIO VII.

52. QVIA Christus fructus Mariani ventris perhibetur, præcedens sectio Virginem nostram ab originaria nota expiabat: ne si maledictio in radicem ingrueret, fructus ex vitiata origine turparetur. Adhuc elucubratio superest. Solet doctas pulsare mentes, cur in arbore genealogica Domini ex Maria, pro radice & trunco appingatur Dauid, deinde superstruatur Abraham
Matth. 1. apud Matth. cap. 1. *Filij Dauid, Filij Abraham;* cùm iunior Dauid ex Abraham stirpe post deuoluta sæcula viderit lucem? Plura texuere Patres, vt generationis seriem texant. Velim ideò Abrahamum à radice exulem, ne illicò in trunco insereretur circumcisionis querula memoria, quæ fædis lachrymis ob labem originariam perpluentibus miserè irrigaretur. Cùm Abrahamo primùm circumcisionis initum fœdus fuit, Genes. 17. Circumcisio hæreditariam cum sanguine noxam in Genes. 17.
sanguine præputij suffocabat. Ne ergo in radice, à qua virga Maria, fructus Christus, dedecoris nucleus latitaret; prudens à Dauid exordium traxit Euangelista, cuius regni purpura murice sacro, seruitutis impote totam arborem saturaret. Audiatur priùs vox throni: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, quæ promissio facta Dauid, 2. Regum 2. Reg. 7.
7. 12. quàm vox illa Genes. 17. *Dixit iterum Deus* Genes. 17.
ad Abraham: Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Cupio huius meditationis patronum. Interim Tertullianum Tertull.
accerso de carne Christi, cap. 21. sic ait: *Siquidem omnis gradus generis ab vltimo ad principalem recensetur, vt iam nunc carnem Christi non tantùm Mariæ, sed & Dauid per Mariam, & Iesse per Dauid, sciant adhærere. Ideò hunc fructum ex lumbis Dauid, id est, ex posteritate carnis eius iurat illi Deus concessurum in throno ipsius.* Facessit aliquid pro præfatis Tertullianus, licèt sub vmbra: nam cùm ad Abrahamum debuisset ascendere, vtpote ab vltimo ad principalem totius Dominicæ Geneseos auctorem; sistit in Dauid, vt thronum per hæreditarios à fonte riuulos deducat. Fauet non inuitus Ambrosius, similem quæstionem enodans: cur ex radice Iesse, non ex radice Booz, arbor Dominica trahere dicatur exordium. Sic in epist. ad Ambros.
Rom. cap. 15. edisserit: *Quare tamen Christus ex radice Iesse, & non ex radice Booz viri iusti, aut ex radice Obed? Sed cùm Dauid filius dicatur propter regnum, vt sicut ex Deo natus in Regem est, ita & ex Dauid Rege ortum haberet: ideò radix Iesse arbor Dauid, quæ fructum facit per ramum, qui est Maria Virgo, quæ genuit Christum.* Ergo maiestatis coccinum virgæ radicem saturauit: ergo à primordio regnum auspicabatur in trunco; non seruilis noxæ dedecus insultabat. Quæ eò tendunt, vt fidissimus Marianæ immunitatis assertor sit fructus Iesus: qui ideò ex radice virgineæ virgæ ascendere perhibetur, vt & Dauidicam stirpem, è qua thronus regalis constructus fuit, denotet; & Mariam, dum à radice pullulauit, in virgæ, id est, imperij symbolum egressam decantet, nullis seruitutis stigmatibus inustam, nec voce circumcisionis turbatam; sed dominante primæ innocentiæ libertate gradientem.

Mariæ conceptionis memoria nusquam absque 53.
throno fit. Ad Principem generis fructus, qui ex Maria est, deuoluitur, vt quidquid in Maria est, regium esse denotetur: tunc eius ordiatur memoria, ex quo throni pangitur fœdus, promissio celebratur: *De fructu ventris tui ponam super sedem* Psalm. 131.
tuam. Quasi vterum ferret, vterus appingitur viro, & fœmineæ vuluæ indicitur participium. Quis iste Dauid sic ferax, cui ventris soboles præcinitur? Si Christus fructus est, cuius, nisi Mariæ ventris? Verùm vt quid Dauidis ventri irrogatur germen, quod ex Mariæ vtero effloruit? Meditor, quòd idem est fructus ventris, quod Christus; idemque sacri fructus venter, quod Maria; eam sibi nomenclaturam vterque deuouit, & ex feracitate ventris virginei, qui Deum germinauit; & ex incarnationis scopo, qui Deum hominem, hominum prouentui destinauit in fructum. Ergo,

de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, id significat: Mariæ Filius purpurâ Maiestatis in solio tui regni flagrabit. Cur autem venter hic Dauidi apponitur, vt Dauidis proprius efferatur, cùm comptus stylus potius lumbos viri, renesve, quàm ventrem ad prolem describere soleat? Equidem, quia Mariæ venter nullius viri erat, nec thalamum nouerat, nec connubij experiebatur licentias; sed pudicus, dominansque sui, Mariæ patri deputatur, qui marito deputari nequibat: vt & patris infulis vestiretur, &, dum croco pudicitiæ tuberet, sub throni purpura, eius nomen sortiretur auspicium: quippe non dicitur vtcumque Dauidis, sed quatenus Dauid Rex erat, thronoque leuatus: vt Maria nunquam aliûs esse intelligeretur etiam in generationis exordio (generatio enim sub vocabulo *ventris* innuitur) nisi patris, quâ Regis. Huc accerso Tertullianus lib. 3. aduers. Marcion. cap. 20.

Tertull. *Quis iste venter est? Ipsius Dauid? Vtique non: nec enim pariturus esset Dauid. Sed neque vxoris eius; non enim dixisset: Ex fructu ventris tui; sed potius ex ventre vxoris tuæ. Ipsius ergo dicendo ventrem, superest, vt aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus caro Christi, quæ ex vtero Mariæ floruit. Ideoque & fructum ventris tantum nominauit, vt propriè ventris, quasi solius ventris, non etiam viri: & ipsum ventrem ad Dauid redegit, ad principem generis & familiæ patrem: nam quia viro deputare non poterat Virginis eum ventrem, Patri deputauit.*

54. Sic Tertullianus cum neruo & acumine. Nec patior, risum illi incuti apud Lorinum, qui ad cachinnum vsque notat Africanum; quia solenne apud Scripturam sit, vterum, ventremque patribus irrogari: quæ vocabula instrumenta generationis, intraneaque exta significant. Sic Deuteronom. 7. *Benedicet fructui ventris tui*. Et Genes. 15. ad Abraham promittitur, quòd filius, qui de eius vtero egredietur, erit hæres. Et Salomon 2. Regum. 7. dicitur, *semen egressum de vtero David*, Quin & Absalon, *egressus de vtero suo*, à Dauid profertur. 2. Regum 16. Spicula ista se facilè obtundunt, nec Tertulliani cutem degustant. Acris ingenij vir, styli Scripturæ nusquam oblitus; sed acuminatè illius rationem rimatus, & Mariæ virginitatem fœcundam sub illa phrasi delitescere inuenit, & præcipuè in Dauide mysterium prodidit; quippe qui & primus in arbore Dominica censetur; ac proinde Dominus vt fructus deputatur, & ipsi vt plurimum, sicut in præfatis locis dignoscitur, vterus adscribitur. Præcipuè quia Spiritus sanctus, Scripturæ author, eâ translatitia loquutione forsan ad hoc respexit sacramentum, dum progenitoribus Virginis vterum applicuit feracem; iam exinde innuens Mariam ex eorum progenie prodituram; cuius vterus, si aliûs esset, non coniugis, sed parentum, à quibus progenita, censeretur. Quare Augustinus sapienter dialectum hanc huc respexisse pronuntiat inibi: *Poterat dici ex fructu femoris tui. Quare ex fructu ventris voluit dicere? Et illud quidem si diceret, verum diceret; sed significantiùs dicere voluit: Ex fructu ventris, quia de fœmina natus est Christus quò vir non accessit.* Alibi dabo Irenæum: sed præstat audire Titum Bostrens. in Luc. 1. ad illa verba: *Et benedictus fructus ventris tui. Ad promissionem Dauidi factam alludens, Christum Dominum fructum ventris appellat: scriptum extabat enim: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Appositè autem Elizabeth *Christum Iesum vteri virginei fructum vocat: quandoquidem non prodijt ille ex viro, sed ex sola sacrosancta Virgine Maria. Nam qui à parentibus proseminantur, illorum fructus sunt, & nominantur. Quamobrem tam ipsa sacratissima Deipara, quàm eiusdem aui & atani, quòd ex viris orti essent, Dauidici ventris fructus appellantur.* En vtrumque: & quòd fructus paterni ventris soboles asseratur, & quòd in Marianæ virginitatis obsequium, id scriptura in vaticinio Dauidici throni obseruauerit.

S. August. — Tit. Bostr.

55. *Fructus ventris*, Christus Mariæ est: & quia totus eius, vtpote cui procul abstitit vir; & quia, dum ex vtero Matris pullulauit, mater fruebatur. Libeat scripturæ momenta verborum. Habet Spiritus linguam suam, qui habet & scientiam vocis. Quoties fructum ventris apposuit, Mariæ Filium præsagiuit. Quàm affabrè S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ: *Nouit sermonem suum Spiritus sanctus, nec vnquam obliuiscitur. Et prophetia non solùm rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille, de quo dictum est: Ecce hæreditas Domini filij merces, fructus ventris: hoc est, hæreditas Domini filij sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre processit.* Cui succinit S. Bruno in Psal. 126. expendens eadem verba: *Filij dico, fructus ventris virginalis existentis, scilicet qui Filius de Beatissima Maria virginali ventre progrediens, ipsius Virginis, & totius generis humani fructus, id est, vtilitas extitit.* En Spiritus sanctus vocabulum eliquauit in Mariæ vaticinium: & quia Mariæ proprium fecit, ideò suum, id est, Spiritus sancti est. Non excipuit illa Ambrosij sublimitas: *Nouit sermonem suum Spiritus sanctus, nec vnquam obliuiscitur* Imò Mariæ sermo est, ô Auree, si vteri est. Sponsalitio iure Spiritus sanctus possidet, quidquid Mariæ; cui sub virtutis Altissimi nube fuit oppignorata, cùm gigneretur, & gigneret.

Ambros. — S. Bruno. Psalm. 126.

56. Eruet ex præfatis duo ad primam Virginis innocentiam adstruendam. Primum est, quòd hæreditas Domini, quæ ex mortis sopore dilectis dormientibus promissa gloria, seu gratia consummata est, merces dicitur, fructus ventris Mariæ apud Vatem, scholiante Ambrosio: non alia, si non desipio, ratione, nisi quia hæreditas illa fruitio est, ac proinde fructus; scilicet Deus intentus & possessus à Beato, vt totum ambiat, & perfundet. Quare illius hæreditatis, seu fruitionis nequit aliud exemplar, & prototypus præhaberi, nisi *fructus ventris*, qui antonomasticè *Filius Mariæ* est, vtpote cui Deus intimè vsque ad penetralia vteri defixus, tentus, & possessus à Virgine Matre fuit; ita strictim quâ Matre, ita totus quâ Virgine, vt omnis Maria à Verbo pertransita, insuccataque videretur: ac proinde nulla portio, nullum instans ab hac diuinitatis inuasione sequestratum agnoscitur; sed cùm ad hoc prædestinaretur, vt fieret, iam Filius fructus obibat officium, & fruitionis stylus à Matre tenebatur futurâ. Ab hoc cogitatu adsit Richardus à S. Laurent. libro 1. de laudibus Virgin. ad illa verba: *Benedictus fructus ventris tui: Fructus dicitur à frauor frueris, & est frui, amore inhærere alicui rei, tantum propter semetipsam: Christus autem, qui in Sacramento nostra refectio est in via, fruitio erit in patria, cuius fruitio facit beatum, & hanc fruitionem meretur, qui Christum ponit finem gaudij sui. Ideò dicitur in Psalm. 126. Cùm dederit dilectis suis somnum; ecce hæreditas Domini filij merces, fructus ventris.*

Richard à S. Laur.

En fructus fruitio est: quòd si fructus ventris, non reluctabetis fruitionem ventris Virginei asserendum. Quod si fruitio, hilarisque, & maiestatis opulentia diues diuinitatis tentio est, iam tùc Mariana gratia, etsi non omnis consummationis vidit finem, saltem vidisse videtur, quam gratiæ plenitudo toto inuasit Oceano. Sic igitur arguo. Tam cita adhuc in matrice fruitionis est vmbra, tam velox diuinitatis fors, consummataque gratiæ præcentio: ergo iam diu Mariana gratia cucurrerat viam suam. Priùs in Maria, quam in alio viatore incepisse opus est: siquidem iam ad gratiæ attigit plenitudinem, ventrique pudico fructum inseruit, ex quo fruitio est. Non saliit gratia, non per interiacens volauit spatium, vt tam citò perueniret ad metam: id iniuria Mariæ fuisset, quasi gratiâ intercalari perfundi. Igitur citiot ad plenitudinem, & fruitionem accessus ex eo contigit, quòd citiùs incepit. A conceptionis itaque limine non diffitebetis orsam: ne si moras texuetis, initiumque non matures; etsi præpeti cucurrerit gressu, ad plenitudinem, fruitionisque lineamentum pertingere non valuisset. Ne dubites in fructu ventris cœlitum fruitionem, beatitatisque duci colores, consule Bonauenturam de septem donis Spiritus sancti, capite 5. verba ex Alexandro Nechan refert: *Isto fructu ciues superni recreantur, isto fructu delectantur, isto fructu satiantur. Ideò, ô Virgo Virginum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ora, quòd & nos reficiamur, licèt aliquali labore dulcis masticationis.* S. Bonau.

57. Alterum, quo immunitas Virginis inspiratur, est vteri Virginei in fructu germinando solitudo, & possessio. Ideò Christus vteri fructus censetur, quia non ab alio satus, non alius censu quæsitus, non barbarus hanc segetem conseuit. Sola Mater sibi par, sibimet & gleba extitit, & colonus; Altissimique virtute absque vomere, sarculoque elaborata protupit in germen. Perbellè Richardus à S. Laurent. *Sicut granum madefactum ex propria substantia germen emittit, à quo totus fructus est, sine contactu alterius grani, sic Maria madefacta gratia Spiritus sancti, sine contactu virili ex se sola germinauit Christum. Nemo autem alius dici potest propriè fructus ventris, imò ventris & renum, quia & à matre concipitur & generatur à Patre.* Sic libro 1. cap. 7. Iam idipsum audiisti ex Tito Bostrensi: *Appositè Elizabeth Christum Iesum vteri virginei fructum vocat: quandoquidem non prodijt ille ex viro, sed ex sola sacrosancta Virgine Maria; etsi istud non absque peculiari Spiritus sancti allapsu.* Vterus spatiosa incircumscripti Regis aula fuit, cui nec connexa suppetunt, nec infera: cui immensitas locus est, nec spatiis cingitur vllis. Totus Mariæ est, qui pro nobis natus tulit esse suus. Ideò circumdedit virum; & quia circumdedit, & possedit, tota circumdata & possessa ab illo est: nec vnquam Dæmonis potuit subire famulatum. Id iam probo. Richard. à S. Laur. Tit. Bostr.

58. Ecce nouitas à Ieremia decantata: *Nouum creauit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* Laborant Hebræi in rimanda nouitate. R. Haccados, & R. Iosue, de quibus Galatinus de arcanis libro 7. cap. 14. *Nouum est*, inquiunt, *quòd virgo circumdet masculum.* R. Hunna & R. Iichosuas dixerunt, quòd *hic vir est Rex Messias, de quo dictum est, Psalm. 2. Ego hodie genui te. Et hoc est, quod Scriptura dicit*, Indic. 5. Ierem 31. Hebræi.

Eliget Deus nouitates, vel nouos, & tunc expugnabit portas. Hæc illi. Sed si nouum vnum Vates enuntiat: cur nouitates & nouos intelligunt Rabbini? Nouitas quidem est in fœmina circumdante virum, nouitas in viro circumdante fœminam. Mulier maritata viro, ex cuius concipit semine, prolem non circumdat: licèt in vtero infantulum claudat, iam virum effectum, imò & teneram lucem haurientem, non circumdat. Quid est circumdare? Quasi sepire & cingere: vt discriminetur inter rurales hæc area à vicina; hortus alter ab altero; vinea à vinea, sepe circumdatur, vel aggere structo. Quare ipsæ sepes pro hortis accipiuntur. Virgil. 8. Eclog. Virgil.

Sepibus in nostris vidi te roscida mala.

Dux ego vester eram, vidi cum matre legentem,

Sic dominia rusticorum prædiorum distinguuntur; imò & vrbanorum: nam quòd sepes in noualibus, id efficiunt mœnia, valla, fossæ, & castella. Vnde Cicero epist. 15. *Vallo, & fossa circumdedi, sex castellis, castrisque maximis sepsi.* Nulla mater ex viro fœta natum filium circumdat, siquidem non ipsius solum, sed & Patris est: imò ad Patrem ius potestatis iura deuoluunt. Sepire filium dominij circumdato aggere mulier, quæ peperit ex masculo, non præsumat: ab vtroque consitus parente, vtriusque est. Ecce nouitas in fœmina Hieremiæ: circumdat virum, qui pro nobis natus tulit insolidum esse suus. Quomodo hoc? Quoniam virum non cognouit. Totus Patris, qui sine matre in cœlestibus; totus Matris, qui sine patre sub conuexis. Nullum hîc agricola semen oppignorauit: totus fructus ipsius areæ est. Hûc aduoco Euseb. Emissen. homil. 2. de natiuit. *Ecce vtique absque vllius seminis incremento, de intacta, ac rudi terra secundum germen ascendit, & de radice mortali vita arbor effloruit.* Suffragantur lectiones: nam Chaldæus legit: *Custodiet quasi vallum virum:* licet ibi accipiatur de lege & populo Israel. Septuaginta vertunt: *Creauit te Dominus salutem plantationem nouam.* Ideò vir fructus Mariæ est. Cicero. Euseb. Emissen. Chaldæus. Septuag.

Totus igitur Matris est vir oriens ex alto, & 59. non solùm in vtero, sed & post vterum circumdatus à fœmina. Estne dedecus homini Deo sic à fœmina in potestatis ritum sepiri? Imò ex nouitate miraculi ipsius diuinitas splendescit: nam priùs ipse circumdedit, à qua circumdatus. Quare priùs? Audiisti sæpius ex Damasceno orat. 1. de Natiuitate: *Quod natura gratia cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens Quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est. Verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* En Maria dicitur *fructus* gratiæ; sicut Christus *fructus* Mariæ: ideò enim eodem vocabulo appositè vtitur, *dum gratia fructum suum produxisset.* Ergo generatio Mariæ gratiæ irrogatur, & ipsi quem Maria genuit. Hinc canit Ecclesia: *Tu, qua genuisti, natura mirante, tuum sanctum genitorem.* Iam tenes, quo pergo. Quia Maria absque viro peperi filium, totum circumdat: nec aliquid, vel tantillum exteri est, ob quod Christus Mariæ fructus perhibetur. Si igitur Maria gignetur à gratia, seu à filio singulariter, quatenus ob Filij merita: si quâ sic genita, fructus nuncupatur, circumdatam à Filio generante fatebere: ac proinde nullam eius portionem ad extraneum pertinere potuisse. Non timulæ interiectæ manent ad aditum furis, Damascen.

vel

vel reptantis colubri; quomodò potuit vnquam
ad Dæmonis rusticale prædium attinuiſſe? Acci-
Amad. pe nunc S. Amadeum homil.2. de laudibus Vir-
gin. *Vide homo & obstupeſce ad tantam nouita-
tem, cùm Hieremias dicat: Nouam faciet Domi-
nus ſuper terram: mulier ſola circumdabit virum-
eadem, quæ circumdedit, circumdata eſt: circum-
dans carcem, circumdata eſt à Spiritu: circum-
dans virum nouum, circumdata eſt ab homine no-
uo: circumdans & generans, circumdata eſt & re-
generata; generans in forma humanitatis, & re-
generata in forma nouitatis.* Bellè ſatis! Nouè &
mirè nouitatem hanc expendit Amadeus. Ecce
circumdatam à Filio Matrem: cur non totam Fi-
lij fateberis, qui circumdatum à Matre Filium,
Matris totum eſſe aſſentiris? Barbarus has ſegetes
deuaſtaret, quas inſeuit Spiritus, quas ſepiuit Do-
minus, & innocentiæ peſſula cuſtodiuit? Ne cre-
das. Maximè conducit præfatus locus iuxta ver-
Corn. à Lap. ſionem aliorum apud Cornelium à Lapide ibi:
מסובב *Teſobeb* etenim vertunt, non actiuè *cir-
cumdabit*, ſed *fœmina circumdabitur à viro*. Eſt
enim *poel*, quod tam paſſiuum, quàm actiuum eſt.
Rurſus in Hebræo lepida antithesis eſt: nam vbi
Vulgat. Vulgata vertit, *Vſquequo deliciis diſſolueris filia
vaga*, eſt שובבה *ſcobeba*, quaſi auerſatrix, rebellis,
vaga: veluti ſi cum Eua alloqueretur, diſſoluta à
viro, vaga per paradiſum, rebellis per culpam. Fœ-
mina circumdabit, & circumdabitur à viro: vt non
vaga ſit miſcens cum aſpide ſabellam, non auer-
ſatrix, non rebellis.

60. Ergo totus Chriſtus Mariæ eſt, totaque Ma-
ria Chriſti: genuit illa abſque ſectione dominij,
abſque coniugis portione; creauit ille ſuis vſibus,
abſque Principis ſeculi, id eſt, Dæmonis tyranni-
de pergraſſante. Ideò non originaria lues ingruit
in Mariam; totam poſſedit Filius, quæ, vt totum
Filium poſſideret, à Filio genita eſt. Id diſcas ab
Num.17. Aaronis virga. Quia dixerit vllius fuiſſe, qua flo-
ruit? Non agricola ſeuit, non ruſticale præceſſit
miniſterium, nullum colonus impendit officium:
ſubitò floridas depexit comas, amygdaliſque al-
bicans, rurales exteri domini curas deſpexit, cui
non humanum ſemen, ſed diuina manus profuit
ad cultum: ideò virga Sacerdotis effecta eſt;
quippe Sacerdos portio Dei eſt, Dominicæque
hæreditatis pars. In virga Virgo noſtra florebat:
tota Dei eſt, cùm ideò creata, vt abſque alicuius
Vigil. exteri ope floreret. Vigilius lib.3. contra Eutych,
apud Biblioth. tom.5. part.3. *In cuius inclyti ſa-
cramenti myſterium Sacerdotis Aaron virga abſ-
que opere, & ſubſidio terreni cultus, abſque con-
ſuetis, & legitimis ruralis miniſterij alimentis, in
tabernaculo fœderis poſita germinauit, manifeſtè
ſatis & aperto deſignans indicio, Mariam Virgi-
nem abſque terreni, id eſt, humani ſeminis officio,
Chriſtum Dominum parituram.* Curnè abſque
terreni ſeminis officio? Quia priùs virga illa abſ-
que nemore fuit, id eſt, non è nemoris, commu-
niſque mortalium ſyluæ vitiatis glebis auulſa;
ſed licèt terrena, non in terreſtri ſemine vitium
hauſit, quale cæteræ virgæ, quæ in denſitate ne-
moris humani naſcuntur, hæreditariâ ſorte epo-
tant. Sic acciperem Bedam noſtrum in Numer.
Beda. cap.17. vbi de Aaronis virga: *Alij virgam hanc,
quæ ſine nemore florem protulit, Mariam putant,
quæ ſine coitu virili protulit Filium Dei.* Pulchrè
ſine nemore dixit: quaſi nequiret, ſi eum cætero
nemore, vulgoque ſyluarum cenſeretur, turgenti-
bus gemmis ſubitò in florea aperiri. Abſque ne-
more fuit, quæ Adami non ſenſit excidium, quod
omnis ſylua lachrymatur. Ideò in domo Leui
virga illa: Numer.17.v.8. *Sequenti die regreſſus* Num.17.
inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui:
quia Leuitica tribus diuinis vſibus mancipata, à
cætero ſegregabatur populo: nec alicuius domi-
nium ſubibat; ſed Domini hæreditas erat & ſu-
pellex. Non ius alicuius noxæ in virga, quaſi in
ſcirpo nodum: quicquid virga eſt, Dei eſt. Imò
nec natura ius habet, totam gratia poſſidet ab ini-
tio. Hinc Auguſtinus ſuffragium ferat, ſerm.1. in
Dominic. ante feſtum Natiuit. Domini: *Virga ecce* Auguſt.
*protulit, quod antea non habuit, non radicata
plantatione, non defoſſa ſarculo, non animata ſuc-
co, non fœcundata ſeminarie: & tamen cùm ibi
deeſſent vniuerſa iura naturæ, protulit virga, quod
nec ſemine ſuggeri potuit, nec radice. Virga ergo
potuit contra naturam nuces edere, virgo non po-
tuit contra naturæ iura Deum Filium generare?*
Pondera illud, *tamen cùm ibi deeſſent vniuerſa iu-
ra naturæ.* Nec in Virginis typo vel ipſa natura
ius habeat: quæ ex gratia genita, gratiæ poſſeſſio
eſt. Leges naturæ non ſentit, cui natura non ſup-
peditat, quòd floreat: cui communis prouidentia
non dedit, vt eſſet: ſed ſingulari Chriſti venturi
gratiâ prædeſtinatio decreuit. Si abſque nemore
virginea virga eſt, à reliquo creaturarum vulgo,
vaſtaque filiorum Adam denſitate ſecernitur. Si
in illam ius naturæ non habet: quid cum multi-
tudine, quid cum nemore miſces, vt vectigal, com-
monemque pendat cenſum? Quid ius naturæ re-
quiris, ſeu natiuitatis tributum, quod principi te-
nebrarum harum, ceu portitori vecturam, penſi-
tant filij Adam? Virga gratiæ eſt: floris, quem ger-
minat, ſolius vſibus & dominio inſeruit.

Maria Virga Gratiæ *Virgam* furoris
*triumphat: originarias ſpinas
obtundit.*

SECTIO VIII.

Is probem, virgam eſſe gratiæ, quam à 61.
Dæmonis iure flos ipſe, quem genuit, exe-
mit? Obſerua conſecutionè texturæ apud
Iſaiam c.10. *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus* Iſai.10.
*ipſe eſt: in manu eorum indignatio mea. Contra popu-
lum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, &
diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem,
quaſi lutum platearum.* Quis eſt iſte Aſſur, furen-
tis Domini virga, & flagrum? Dæmon quidem.
Eum ſignat produnt: aufer ſpolia, expilat homi-
nem, diripit prædam, calcaneo inſidiatur, redigit
in lutum: quæ omnia originariam labem, qua
homo, dum gignitur, prenditur, manifeſtant. Nam
ex arboris noxiæ virgâ homo nudus, luteus, in
Dæmoniſque conculcationem, & prædam à para-
diſo exortis exulauit. Hinc Aſſur Dæmon eſt
apud Nazianzenum orat. de plaga grandinis. Ori- Nazianz.
genem homil.12. in Numer. Euſebium lib.4. de- Origen.
monſt. cap.9. Hilarium in Pſalm.118. Rupertum Euſeb. Hilarius.
in Iſai. lib.2. cap.5. *Malorum omnium*, inquit, *in-* Rupert.
*ventiuum; idemque pœnale flagellum eſt diabolus,
cui tandem contradicitur ſub ſpecie Aſſur.* Si Aſſur
virga furoris Domini eſt; annè alia inuenitur *vir-
ga gratiæ*, quæ alteram Domini manum demul-
ceat, virgæque Aſſur ex aduerſo opponatur? Eſt
ſanè.

sanè. Post strepitum iræ Domini, dirumque flagellum, & Assur virgæ tumultum, quem toto cap.10. expressit Isaias; illico cap.11. à virginea
Isai.11. virga orditur: *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Expende, quòd insolito nexu caput à coniunctione & incipit; cùm tamen periodus iam perfecta in calce præcedentis maneret, nec aliqua ligula vincire posse videatur vtrámque virgam: furoris scilicet ex Assur, & radicis Iesse. Perbella profectò antithesis! Ex opposito virga requiei, vitæ Assur adscribitur, virgaque gratiæ in virgæ furoris aduerso sistitur; vt Mariã Dæmoni aduersari credas, quæ virga requiei Domini est: quasi sola requies super hanc virgam dominetur: sicut furor Domini super virgam Assur: nec requiescere consueuit Dominus, nisi benedictionis gratiam rependat, ex quo diei septimæ, in qua requieuit, ab exordio benedixit. Stat
Rupert. Rupertus in Isai. lib 1.c.6. *Quàm pulchra oppositio! Suprà ostendebatur ille spiritalis Assur, virga furoris Domini, & in manu eius baculus indignationis eius. Ecce autem virga gratia, virga requiei Domini, & in illa flos, in qua habitet, super quem requiescat omnis plenitudo diuinitatis.* Si dispar virga est, ex oppositaque positione in alterutrum aduersatrix; quis virgam virgæ inserat, in manipulumque liget, vt virium contrahat furoris, quæ virga gratiæ est? Si requieuit Spiritus in flore, qui in virga inerat, in virga requieuisse opus fuit; quippe subtùs virga Spiritum in flore quiescentem sustinet. Igitur æterna Spiritus statio, medio flore, super virgam est, vtpote qui in omni sylua virgam aliam non inuenerit, quam Assur virga ad radicem aliisa non vitiauerit. Pergit Rupertus: *Igitur Spiritus Domini, qui hactenus in magna sylua generis requiem non inuenerat; tandem super hunc florem requiescit, in quo æterna statione permanens, nullam alicuius vitij aliquando repulsam pertulit.* Si super florem iugiter requieuit: ergo & super virgam ipsius floris baiulam, & fulcrum: quare alternâ vicissitudine etiam in virga Dominus habitauisse profertur in præfatis verbis, in quibus mendum irrepsisse typographo videtur: *Virga gratiæ, virga requiei Domini & in illa flos, in qua habitet, super quem requiescat omnis plenitudo diuinitatis.* Non *in qua*, sed *in quo* fastidiosus censor dixeris legendum, vt vicino flori adnexas, & cõueniat sequentibus *super quem.* Abeat hæc nota. Inter virgam, & florem concors communio litteras inuertit; vt in ipsa, & in ipso, alterna locutione, Spiritus requieuisse perhibeatur: nam si flos super virgam est, qui in flore habitat, habitat in virga.

62. Ex quo Maria virga gratiosa nuncupatur. Au-
Amad. scultate Amadeum homil.1.de laud.Virgin. *Virga dicitur vtpote gratiosa, & recta, subtilis, & porrecta. Gratiosa per verecundiam, & formositatem; recta per indicium, & æquitatem; subtilis per contemplationis ingenium; porrecta per vita meritum. Effloruit autem de Spiritu sancto.* Scitè gratiosam rectitudini attexuit; quia plana absque eminente nodo, rectaque virga esse non potest, si à radice, cùm pullulat, intorto egreditur vestigio: si aliquã inflectitur obliquitate, quò plùs excrescat, obliquior it. Rectitudo autem hæc in Virginea virgã suaderi non poterat, nisi virga gratiæ fuisset. Quare *rectæ* attributum apud Amadeum ad *gratiosæ* subsequitur elogium. Adeò *recta* prominuit, vt ne aliqua parte deflecteret, nodo exasperari passa non sit: qualis humani nemoris omnem virgam ex nodositate trunci deturpat. Damian. serm.46. de Nat. Damian.
Virg.col.6. *Et benè hæc incomparabilis Virgo virga dicitur, quæ & per intentionem desiderij ad superna eminuit, & per sinceritatem boni operis, distoria nodositatis vitium non incurrit.*

Aduersus præfata insurges. Si nodositas hæc 63.
omnia ligna syluarum durauit in trunco; ergo & radicem Iesse: quod si radix traduce nodo obriguit; vitium ad virgam è radice egredientem fuisse, necesse est. Absit. Id verum, si virga hæc illius radicis esset: licèt ex radice sit, non radicis propria, sed floris est. Ex radice quidem Iesse virga pullulauit: id si communem naturæ germinationem spectes: verùm illicò gratia segregauit, nouamque subintulit radicem: vt ex ea flos diuinus ascendere quiret. Examina contextum: *Egredietur* Isai.11.
virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. En geminam radicem, & ex qua virga, & ex qua flos: licèt ex radice Iesse virga; tamen non radix hæc huius virgæ dicitur propria, & singularis; sed innuitur alia, quæ ratione floris ascendentis, insolito more subinducta fuit: quippe *de radice eius* ascendere profertur. Quod si super florem sic ascendentem Spiritus requiescit: qualis, putas radix virgæ subducta, nisi spiritus & gratiæ? Sic, ergo rem compone. Dum ex radice Iesse vitio pristino consputcatâ per naturalem originem virga hæc egrediebatur, simul gratia supernaturalem, & immunem rectitudinis subindidit radicem; vt eodem instanti ex alterâ illi conderetur natura; ex alterâ largiter gratia præberetur. Sic communiter prima gratia *radix* nuncupatur. Id oportuit; ne flos, scilicet Christus, ex radice Iesse inquinatâ prodiret; sed potiùs ex gratiosa *radice* virgæ *ascenderet*; quando cætera Adami progenies, dum gignitur, non *ascendit*, sed *cadit*. Ergo radix, ex qua ascendit flos, radix propria virgæ est, *& flos de radice eius ascendet.* Fige tibi omninò ly *eius*. Radix autem Iesse non dicitur huius virgæ peculiaris, & propria; sed solum quòd virga ex radice Iesse sit, quod aliis omnibus Dauidici stipitis egressis virgis; & geminibus commune est.

Hinc iam calleo, cur flos iste de virga ascen- 64.
dens, lilium vocetur: *Ego flos campi, & lilium con-* Cant.2.
uallium. Et virga etiam lilium nuncupetur: nam illico rependit Sponsus: *Sicut lilium inter spinas,* Ibid.
sic Amica mea inter filias. Cur, dum se Sponsus lilium appellat, non spinas memorat, nec sentibus sepiri profatur; Sponsam autem non lilium vocat, quin vepribus implicet, & circumdet, licèt incolumi libertate absque cruento vulnere candidam; vtpote non à spinis sauciam, inter spinas tamen? Si flos virgæ est, nequit inter spinas sistere virga, quin & flos. In eo ingenium. Hæc virga liliata, & ex lucis æternæ candore albida, inter spinosam filiarum propaginem ex spinea radice Iesse egressa est: lilium tamen, quod ex virga ascendit, non è spinis venit: quia spinetum illud primæuum nec sentes traduxit in virgam, nec aculeis sauciauit originem: cùm iam virga illa florem paritura, aliam sibi radicem non spinis obsitam, sed gratiâ vernantem delegerat. Maria ergo lilium ex spinis; non Filius, qui ex Mariâ, quæ tota absque Spinis est. Subridet his Damianus serm. Damian.
46. de Natiuit. Virgin. col.6. postquam dixerat: *De qua virga Redemptor noster quasi flos ascendit, statim subdit: Lilium vocatur Christus, lilium dicitur & Mater Christi, sicut in eodem Cantico subinfertur: Sicut lilium inter spinas, sic Amica*

Amica mea inter filias. Sicut lilium inter spinas, sic Beatissima Virgo Maria enituit inter filias, quæ de spinosa propagine Iudæorum nata candescebat, &c. Et quidem ad originariam labem respexisse Sponsum, id monet, quod adnotauit Rupertus; *Filiæ cum absolutè dicuntur, ferè nunquam bonam significationem habent, vt in illis: Filiæ discurrerunt super murum; sed exasperauerunt. Genes. 49. vers. 22. & alibi: Multæ filiæ congregauerunt diuitias. Prouerb. vlt. vers. 29.* Quare Alanus ibi *filias* intelligit diaboli, quia patris similes. Hinc non lilium spinarum, sed lilium inter spinas dicitur: quia nec lilium suffocarunt ex veteri noxâ spinæ; nec Mariam pupugerunt, sicut omnes filias ex Eua genitas. Guilelmus apud Delrium super Cantic. cap. 2. dici vult, *Non lilium spinarum, sed lilium inter spinas, quia ex eo spinæ nec mollescunt, nec candescunt: sed magis horrescunt, & tamen simul exortæ non suffocant lilium.* Subtus spinosa erat radix; Maria, dum egreditur, *gloria* est, nedum *gratia.* Appositè cecinit Adam Victorinus in Prosa de Assumpt. Virg.

Rupert. Alanus. Guilielm. Adam. Victor.

Salue Verbi sacra Parans,
Flos de spinis spinâ carens,
Flos spineti Gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati;
Sed tu spinæ nescia.
Tu candoris, & decoris,
Tu dulcoris, & odoris
Habes plenitudinem.
Palmam præfers singularem;
Nec in terris habes parem,
Nec in cœli curia.

65. Flos de spinis Maria est, & tamen spinâ caret; quia spineti flos est, id est, apex, vertex, & gloria, *Flos spineti gloria.* Quæ verba statim me rapiunt ad rubum, quam ignis corripuit, nec teneram tamen eripuit vrticam. Flamma quasi conus, & coma erat spineti; & tamen gloria fuit dumo, non calamitas. GLORIAM apud Victorinum pro flamma micante accipio. Nam Exod. 34. vbi Vulgata habet de Moyse, *Ignorabat quod cornuta*, id est, flammea & radians, *esset facies sua*, Septuaginta vertunt, καὶ Μωϋσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ προσώπου αὐτοῦ τοῦ χρωτὸς *Et Moyses non sciebat, quod glorificatus fuerat aspectus cutis faciei suæ.* Vbi & Chaldaica: *Moyses autem nesciebat, quòd multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui.* Ergo flamma spineti lambens cacumen, non verò depascens, gloria spineti fuit, ardensque flamma, decusque. Respicit igitur Victorinus ad ignitum rubum; sed non vstam; imò à flammeâ pluuiâ vernantem, eo metro: *Flos spineti gloria*, id est, flamma in spineto nec à sentibus prensa, nec à sentibus pransa, & exinde prorsus spinæ nescia: quasi spinetum subtus sit, & in vertice flamma gloriosa, quæ nunquam vicinas spinas comedit. Sic enim legit ex Hebraico fonte Oleaster: *Et videbat, quod rubus arderet, & rubus non comedebatur.* Pulchra allusio! Flamma hæc non comedit tribulos, & spinas; vtpote quæ non comedit pomum, è cuius acore, acerbitateque irrigua tellus perfusa, spinas, & tribulos homini germinauit. Hinc adtexit Victorinus: *Nos spinetum, nos peccati spinâ sumus cruentati; sed tu spinæ nescia.* Spinam nesciuit, quæ scire, sicut Dij scientes, non adamauit.

Exod. 3. Vulgat. Septuag. Chaldæus. Oleaster. Gen. 3. Ibid.

Cur autem flammam rubi dicimus Mariam, cùm imò rubus virens ab igne, frutex eius, & symbolum est? Sat id scio. Non tamen eò deducor, quòd censeam senticosum arbutum præsignare Mariam; nisi quà Virgo peperit, nec ab igne passa est excidium. Hûc solùm respiciunt Patres, quotquot in rubo Mariam adumbratam volunt, Gregorius Nyssenus orat. de Christi natiuit. *Vt frutex incendit ignem, & non crematur; itidem etiam Virgo, & lumen parit, & non corrumpitur.* Satiùs, quem iam subiicio, me cogitatus delectat: tria inibi enumeranda esse, rubum, flammam, Deum; ita quòd Deus non immediatè in rubo, sed in flamma, quæ rubum ambibat, inesset. Sic legis: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Hebraicè בלבת אש *belabbath*, quod Hebræi volunt significare *cor*, id est, de corde ignis. Ex quo Oleaster: *Dicit autem de corde, seu medio ignis, & de medio rubi: quia ignis erat in medio rubi, & in medio ignis Angelus, qui loquebatur.* Consonat venustè Philo: *Erat ibi rubus, plantula videlicet spinosa, ac debilissima, atque ea à nemine admoto igne, repentè tota accendi visa est. In media verò flamma forma præstantissima visa est, quæ nulli harum rerum, quæ videntur, esset similis, diuinissimum simulacrum.* Igitur flamma super rubum, Deus super flammam miro contextu insidebat; quasi super radicem Iesse virga, super virgam flos. Igitur forma illa præstantissima Verbum Dei erat: ideò forma, ideò simulacrum, & imago, scitè à Philone profertur; quoniam Verbum splendor est Patris, & figura substantiæ eius. Et accinunt Patres. Theodoretus, inibi. Tertullianus, libro 2. contra Marcion. Hilarius lib. 4. de Trinitat. Chrysostom. in 7. Actorum. Ambrosius libro 1. de fide. Quare pronum est, quòd flamma illa, in cuius corde, & vtero Deus incubuerat, Maria sit, subtus autem senticosa arbos, Iudaica stirps originariæ noxæ tribulis horrida, & hirsuta, quæ nec flammam aculeis pungebat, nec comedebatur à flamma; non ob rubi beneficium, sed ob flammæ priuilegium: quæ cùm Filium Dei in medio veheret; indecens erat, spinis innutriri, & ex virtute alimenti spinetum in suam naturam transuertere. Radix Iesse, dumetum est, virga è radice egrediens, flamma è dumeto pullulans: flos ascendens, Verbum Dei factus homo: per intermediam flammam in qua sedet, dissidet à rubo; nec flamma rubi experitur aculeos. Quidquid traducis peccati, vrticosæque malignitatis est, subtùs est; nec virgam vulnerat, nec florem. Quòd rubus Iudaicam gentem, ex qua Maria traxit originem, præsignaret, concors sensus est Caietani inibi, Lippomani, Philonis, & Theodor.

66. Nyssen. Exod. 3. Oleaster. Philo. Theod. Tertull. Hilar. Chrysost. Ambros.

Mirares! Strictè flamma cum spineto illigatur: & tamen nec vrticæ soluuntur in cineres, nec ex cinereæ corruptionis contagio flamma turpatur. Vnum crederes esse flammam & rubum, vnum radicem & Mariam spineæque successionis carnem ex infectis parentibus tractam; & tamen quos natura continuauit, gratia discreuit: nec ex vrtica ad flammam aliquid adhæsit corruptulæ; quamuis, quà caro erat, vitium originis trahere videretur. Difficilis est (& præfatis testagari timebis) Gregorius Nyssen. orat. 2. de natal. Dom. *Quemadmodum enim illic est rubus, & accendit ignem, & non comburitur: ita hic est Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur. Quod autem per rubum Virginis corpus, quod Deum peperit,* 67.

Nyssen.

perit, intelligatur, ne te similitudinis pudeat. Nam *omnis caro propter peccati susceptionem, & ob idipsum tantum,quod est caro,peccatum est:peccatum autem in Scriptura vocatur spina.* Quibus Nyssenus disturbare videtur, quidquid cogitauimos, & in peccati censum carnem referre Virgineam, cuius ob peccati susceptionem typus fuerit spinetum. Absit tamen hoc à Nysseni tuenre. Attende illa: *Ob idipsum tantum, quod est caro, peccatum est.* Quæ, si conuincunt; non solùm Mariæ carnem, sed etiam Christi probant esse peccatum:quo nihil turpius. Sensus ergo sit, quòd si originem,& propagationem peccati spectes, per carnem inuenies deriuari, ex cuius corruptela anima in ingressu fœdatur: quare caro vocabulum peccati subit. Verùm contractaad Christum traducis vitij sentire nequiuit contagium: & à Virginea Mariæ carne decerpta est; quæ quidem in suis progenitoribus, etsi fuisset caro peccati, ad eam per gratiam perueniet immunis. Ideò autem per spinetum apud Nyssenum significatur: quia sic caro communiter cognoscitur;non quia in Virgine vnquam peccati aculeo puncta fuit. Quare præmonet, *ne te similitudinis pudeat.* Qua cautione liquidò noscitur etiam vmbram peccati in Virgine nostra subterfugisse Nyssenum, suspicantem piis mentibus incuti pudorem, si vel à longè spinæ, id est, peccati vocem in typo Virginis auscultentur.

68. En in arbore, & symbolum Trinitatis, & elogium cecinimus Mariæ. Proclus in Mariæ fructu,sanctæ Trinitatis & laus,& agnitio est. Cingat S.Andreas Hierosol.in salutar. Virg. *Benedictus fructus ventris tui, quem sanctum omnis lingua celebrat,calestium,terrestrium,& infernorum: in triplicitate Sacrosancta, qua in Trinitate est, Deitatis vnum & idem, quoad essentiam consitentes; proprietate verò eorum,qua peculiariter sibi quisque habet,in personas segregantes.* Andr. Hierosol.

Fons symbolum Trinitatis est, ad cuius cognitionem in Maria lucem pro laticibus fundit.

SECTIO IX.

69. EXPLICVIMVS adhuc prima verba sancti Ephræm de Marg pret. *Maria Patri arbor.* Pergit ille: *Hominibus fons Spiritus æterni.* Mirum Mariæ attributum scaturientia nobis fundens elogia. In fonte Maiores nostri, quasi in limpidissimo speculo, Trinitatis, quædam symbola & collustrationes inspexère. Fons, fluuius,aqua, specie Triaseft: par in triplici nomine natura;dispar proprietas. Quod pulchrè expendit Concilium Nicænum lib.2. verba apud Ruizium tom de Trinit.disp.45.sect.3. Augustinus de fide & symbolo cap.9. *De fonte interrogati non possumus dicere,quod sit fluuius;nec de fluuio interrogati possumus dicere, quod sit fons; & rursum potionem, qua de fonte,vel fluuio est,nec fluuium, nec fontem possumus appellare: tamen in hac Trinitate aquam nominamus, & cùm de singulis queritur singillatim, aquam respondemus.* Adstipulantur Origenes in cap 11.Numer.homil.11.Nazianzen.orat.37 numero73. Beda tom.2.lib.de subst. pag.3. Lactant. Concil. Nicænum. August. Origen. Nazianz. Beda.

lib.4.diuin.instit.cap.29. Athanasius orat.4.contra Arrianos Anselm.libro de incarnat. Verbi cap.7. Nónne Virgo Mater fons, fluuius, aqua, Trinitatis respersio fidelis, & vitreis laticibus perenni stabilitate fluens,imago est? Adi Patres: nobis enim non colligere,sed eligere mens est.Sanè vnus Richardus de S.Laurent.integro libro 9.carmina ex aquarum Thesauris Virgini nostræ & decantat, & exponit. Lactant. Athanas. Anselm. Richard à S.Laur.

70. *Fons signatus*, Cant.4. Virgo est. Quo signaculo? Recordare non nouissima, sed primordia; & *signaculum similitudinis* intueberis, Luciferum scilicet omni vermiculatum lucis splendore,quo Trinitatem ceu in viuido ductam spirabat metallo. Signaculum similitudinis aquis cælestibus, scilicet quæ super cælos laudant nomen Domini, intentà facie Trinitas imprimebat.Cœnosis proh! volutabris, crispatisque fluctibus aquæ turbatæ effigiem reddere nescierunt: adest Virgo,fons signatus signaculo similitudinis, & totam inspicientibus,nitida crystallo,perhibet Trinitatem. Si forsan id subolUit Sophronio serm. de Assumpt. inter opera Hieronymi: *Conclusus, vt nesciat violari,nec corrumpi vllis insidiarum fraudibus. Fons signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vita manat,in cuius lumine omnes videbimus lumen.* Non iuxta mensuræ rationem videtur libratisse verba Sophronius. Signatur enim fons;ne fluant aquæ vectibulque feratur,ne prodiga scaturigo redundet,lymphasque exoticis,& peregrinis ministret: quippè cui latex solius Domini abullit officiis. Si igitur Maria fons signatus Trinitatis sigillo, quomodò aperto manat irriguo? Et si fons est,non ex illo manat fons;sed aqua:cur igitur addidit,*ex quo fons vita manat?* Nec fons,vt videas,fluit;sed vt bibas: quidne est illud: *In cuius lumine omnes videbimus lumen?* Ingeniosè satis indolem Virginei fontis rimatus est Sophronius. Trinitatis sigillum signaculum est;non vectis,non sera;sed effigies, & similitudinis vibratus splendor, totam Trinitatem in huius fontis symbolo excussit tamdiu describes: quare ex fonte & manat fons; quippè ex Patre filius; nec vt bibas, est solùtu; sed vt videas in lumine lumen. Id breuiùs prodidit Richard.lib 9.de laud. Virg. *Fons signatus sigillo videlicet illo,de quo dicebatur ei à tota Trinitate Cant.8. Pone me vt signaculum super cor tuum. Hoc autem signaculo impressum est ei decor diuinæ similitudinis expressiùs, quàm alicui creaturæ.* Cant 4. Ezech.28. Psal.148.5. Sophron. Psal.35.10. Richard.

71. Quid cælum ambis, superbe Cherub, vt similitudinem Altissimi tesculpas? Si in cælo lucis tibi cunabula contigère; si in cælo ab omnipotentiâ traxisti ortum, nec adhuc cæleste deseruisti cacumen; quid cælum repetere satagis? Anne quia aquæ super cælos sunt, & aquarum more respicientis Trinitatis cupis similitudinem referre? Erasti miser: Trinitas in altis habitat; sed humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Aqua speculum est, vitreaque limpiditate formis perpolita reddit imaginem intuenti. Hinccanic Stat.6. Thebaid. Psal.101.6.

Sic vbi tranquillo pellucent sydera ponto,
Vibraturque fretis cali stellantis imago, Stat.

Calpurn.2.Eclog. Calphurn.

Fontibus in liquidis quoties me conspicor esse.

Si fons,& aqua Virgo est;cur non reddat prospicientis Altissimi faciem? Et quidem superbus ille Cherub elato supercilio, quòd superbiam Altissimus respiceret, tentabat: nò respexit:similitudinis signaculum piaculi sordibus deturpauit. Quàm sapiens

ſapiens Virgo ! Fons eſt : reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ : & quia reſpexit, facies reſplenduit in fonte, & in pellucido vitro Trinitatis imago vibrata refulſit. Acumen eſt Richardi libro 9. de laudibus Virg. *Maria fons vicem ſpeculi ſupplet : facies Patris filius eſt ; hanc autem faciem reddidit nobis fons iſte, reſpiciente Patre humilitatem ancillæ ſuæ.* Si faciem refert Virgo Mater, Trinitas enitet in ſpeculo : ideò enim Filius facies eſt Altiſſimi, quia character, ſigillum, & totius plenitudinis figura. Speculum ſanè verax : licèt enim Lucill. in Epigram. *Aquarum ſpeculum mendax* dixerit, quippè aquæ ad breuem halitum conturbantur; Virgineus tamen fons plenus gratià, & veritate emicat, vtpotè cui facies ipſiuſmet veritatis impreſſa coruſcat. Indidem Hieronymus libro 2. aduerſus Iouinian. *Fontis ſpeculum* dixit. Et quia gratiæ plenitudinem ex plenitudine Trinitatis Maria ſortita eſt, concinit ſanctus Epiphanius orat. de Deipara : *Aue gratia plena, quæ ſitientes perennis fontis dulcedine ſatias.*

Richard.
Lucill.
Hieron.
Epiph.

72. Huic ſimilitudini vt fidas : Fons tibi Virgineus pro puris laticibus Trinitatis perſonas illibato fluxu conciliat. Pater lucem habitat inacceſſibilem : ergo niſi exhauriatur lux, luciſque ſcopuli reſecentur, verticem Altiſſimi non lucraberis; cùm ardentibus cinctum lampadibus ardeat faſtigium illius, qui fons Deitatis eſt. Nouus oculorum hoſtis lux, quæ potiùs amico commercio obiecta luminibus connectit, & ad oculorum ſubiicit ſphæram. Lux quidem inſolita, dum flagrantior, obtutibus obſcurior eſt : inacceſſibilis lux, quæ dum ardet, arcet à contubernio mortales, qui Patrem non noſcunt, niſi per geminum radium, Filium nempe, & Spiritum : vtpotè qui amictus lumine, ſicut veſtimento teneros creatæ mentis oculos nitoris flaminis perſtringit. Quis lumine hoc Altiſſimum denudauit ? Quis temperauit flammam, ne ſuffocatus animus in lucis pelago naufragetur ? Sanè Virgineus fons, fons lucis eſt; nempe Mater Verbi, quod lux eſt : quæ, dum lumine abundat Diuino, quaſi à Patre ſuperno diſgregat lumina : vt trames appareat, & oculi ſicco veſtigio pontum tranſmeent Diuinitatis. Altiſſimi virtus Virginem obumbrauit. Ergóne lux obumbrat ? Certè cùm lucem habitaret inacceſſibilem, temperatam lucem, quaſi iam exhauſtam à Maria cæleſtis Pater manifeſtauit, adeò iam hominibus tranſmeabilem, vt illa lux obumbratio ſit, poſtquàm in fontem lucis, ideſt, Virginem, totum ſe lucis pelagus effudit. Quæ antea inacceſſibilis, iam obumbrat, vt in lucis fonte Mariâ Trinitatis myſterium in credentium beneficium adumbretur. S. Epiphanius de laudib. Virg. *O Virgo ſancta, lucis æternæ Mater; lucis, inquam, quæ in cælis illuminat copias Angelorum : lucis, quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehenſum oculum : lucis, quæ illuminat Solem ſplendidis facibus : lucis, quæ fines terræ illuminas ad credendum Trinitati.* Obſerua illud *ad credendum Trinitati* : quaſi dum Virgo lucis fons eſt, iam acceſſibilis lux Trinitatem euulget, quæ antea inacceſſibili ardore tegebat. Omnem ſibi lucem tulit Virgo : accede; iam Pater manifeſtus mentibus cognoſcendum ſe præbet. Hinc lucifera dicitur Virgo. Cyrillus Alexandrin. lib. de recta fide ad Regin. *Chriſtum heri immaculatis parturitionibus parturiebat ſalutem nobis Maria vitæ genitrix, pulchritudinis Mater, Maximipara, Zetda, Mariæ effigies, lucifera.* Quaſi quæ lucem abſtulit, vt Altiſſimus videretur.

S. Epiphan.
Cyril. Alex.

Non ſcitè fontem lucis, vt ſupernum Patrem reſerauiſſe probemus, Mariam adhuc videbimur adſtruxiſſe ; cùm potiùs fons appelletur ratione filij : Theologicè quidem : nam filius Verbum Dei eſt, ac proinde ex ſua indole lumen, & lux. Vnde Epiphanius ſuprà : *Stupendum miraculum Mulier Sole amicta, lucem in vlnis geſtans.* Ambroſius de inſtitut. Virgin. capite 7. *Generauit orientem, peperitque Solem iuſtitiæ.* Sed hæc non obſiſtunt præfatis : nam ideò Pater lucem inacceſſibilem inhabitat, quia nondum lumen de lumine è ſinu effuderat ſub cælo ; ſed habitans intra Filij lucem nequibat agnoſci, radiis quemcumque intuitum hominum arcentibus. Poſtquàm autem venit lux, iam Pater agnoſcitur, abſtruſumque ſecreti reuelatur arcanum. Vnde illud Irenæi : *Nemo inueſtigauit altitudinem eius ; ſecundum autem dilectionem cognoſcitur ſemper per eum, per quem conſtituit omnia : eſt autem hic Verbum eius Dominus noſter Ieſus.* Si enim lux quam inhabitabat, non ſolùm nobis acceſſibilis facta eſt, ſed etiam ipſamet acceſſit ; iam Pater, quaſi ſe à luce exuerit, facilis obtutibus præſentatur. Vnde ſi huius lucis, id eſt, filij, Maria fons eſt, Patrem nobis reddidit manifeſtum. Iam acceſſibilis eſt : accedite, & illuminamini. S. Ildephonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Hinc ſecuriùs accedite ad laudem Virginis, & illuminamini ; quoniam eſt, per quam vera lux in mari huius ſeculi refulſit.* Quàm diſſimilis vox, *lucem habitat inacceſſibilem*, & *accedite ad eum, & illuminamini.* Mutatum ſtylum Virgini debes, Annè ipſa illuminat ? Audi Chryſyppum orat. de Deipara : *Aue fons lucis omnem hominem illuminans.* Vide Pater, quia extauiſti caſum : ſic ſaluta : *Aue fons lucis omnem hominem illuminantis.* Nonne Ioannem audis : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem* ? ex quo Ildephonſus ſuprà : *Stella Beata Virgo Maria, de qua ortus eſt ille, per quem illuminatur omnis mundus.* Sed Chryſyppum non pœnitet ſtyli : fons enim lucis lux eſt, & ſi lux; illuſtrat & emicat. Filij nitor, non dubites, renidet in Matre : quæ cùm cæli feneſtra facta ſit, Materque lucis, totius mundi, opus eſt, illuminet poſitionem. Id ſubintulit Fulgentius ſerm. de laudib. Virg. *Facta Maria feneſtra cæli, quia per ipſam Deus verum fudit ſeculis lumen.*

73.
Epiph.
Ambroſ.
Iren.
Ildephonſ.
Pſalm. 33. verſ. 6.
1. Tim 6.
Chryſyp.
Ioan. 1.
Fulgent.

En in fonte lucis, vtriuſque perſonæ, Patris ſcilicet, & Filij proprietas innoteſcit ; vt ex fonte libes cognitionem generationis æternæ. S. Methodius in Hypapante : *Salue humanitatis Filij fons; ſalue humanitatis vmbraculum.* Si fons lucis Patrum idiomate nuncupatur, cur Methodius vmbraculum appellat ? Sed eadem vtrobique ratio ad contraria adegit attributa : quippe cùm virtus Altiſſimi, cuius aula lumen eſt, vmbraculum fecit, vt lucem conciperet æternam, roſeóque ſinu lumen de lumine generaret : Virgini lucem, quæ vnigenitus à Patre eſt, infudit : è cuius illapſu Virgo fons lucis reddita eſt, ac proinde ipſiuſmet humanitatis vmbraculum ; ſicut ipſa lux virtutis Altiſſimi ad generationem, vmbraculum fuit. Quanta communio Virgineæ Matris cum vnigeniti à Patre attributis ! Aſt acumen eſt in illis : *Salue humanitatis filij fons.* Vel enim fallor, vel generationem pandit æternam. Cur non fons filij ; ſed humanitatis filij ? Quia ſolùm Maria humanitatem dedit, non perſonam : filium quidem

74.
S. Method.

dem

dem generauit; sed increata subsistentia non ab vtero sumpsit exordium; æternitatem cum Patre indiuisâ Maiestate sortitur. Ergóne humanitas potest concipi in carneâ vulua, quin personalitas incipiat, cùm caro? Ecce misterium Trinitatis: nam si filius est, & solùm humanitatem à Matre ducit, insit illi, opus est, personalitas increata: quæ cum Filij sit, Patrem indicat, & Diuinæ prolis, intellectualísque vteri signat arcanum. Aue igitur humanitatis Filij fons, à quo Trinitatis emanat reuelatio.

75. Fontem hunc & ad Patrem diximus pertinere, & ad Filium. An expers Spiritus sancti charismatum est? Imò peculiari sigillo, & quasi singulari dictione fons Spiritus sancti perhibetur. Id enim S.Ephræm. in præfiso loco sancti Ephræm prodidit: *Hominibus fons Spiritus æterni.* Quæ verba non segni possunt calamo enucleari: examen exigunt, & oleum. Non vacat nunc penitiùs euoluere; sat est instituto, ex illis pulchram elucidationem manifestatæ Triados vestigare. Spiritum sanctum fluuio ex fonte effluenti comparant Patres. Audi Nazianz. Nazianzenum orat. 37. *Oculum quemdam, & fontem, ac fluuium mihi proposui, quemadmodum alij quoque; vt viderem, num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus cum fluuio proportione quadam conuenirent. Hac enim nec tempore distinguuntur, nec ob continuitatem à se inuicem abrumpuntur, ac tribus insuper proprietatibus quodammodò scindi videntur.* En ex fonte fluuius in Trinitatis formam Spiritus sanctus est. Sed quomodò Virgo Spiritus sancti fons; cùm potiùs Spiritus superuenerit in Virginem: nec latex in fontem, sed fons superuenit in laticem: nec flumen in originem retorto supermanat vestigio; sed potiùs ab origine concito impulsu flumen percurrit? Non benè discutis Virginei fontis vndosam indolem, quæ aquas Spiritus sancti creaturis dispensat. Plenam gratiâ salutauit Angelus; quod autem plenum est, super infuso liquore nequit imbui, quin respergat per labra, vicinaque littora madefaciat. Cur igitur Angelus Spiritu sancto superimbui promittit? Non vt repleatur, quæ plena est; sed quia capere non potest, quin egerat. Id autem Bernard. te prosequitur Bernardus homil.4. super Missus est: *At verò cùm plena iam sit, illud amplius quomodò capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodò & antè plena fuisse intelligenda est?* En superuenit Spiritus, non vt repleat, sed vt redundet; non vt sublateat, sed vt refluat. Ergo eo quò superuenit, eo fluuius est: quia & superuenire dicitur, vt irriguo refluxu respergatur in creaturas; & superuenire in Virginem, vt Virgo fons Spiritus æterni hominibus habeatur. Con-Hieron. tingat pro suffragio Hieronymus Epistol. ad Fabiolam: *Dominus ac Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginem quasi ad Iordanem, quæ pleno gurgite fluens aquis Spiritus sancti redundabat.* En plena, en fluens; plena gratiâ, fluens Spiritu sancto, cuius redundantes aquæ aridam tellurem fœcundant.

76. Sed non aliter Spiritus sancti fons est, nisi S.Ephræm. quâ Mater Filij, ne à præiacto sancti Ephræm loco discedamus: *Patri arbor (inquit) Filij Mater, hominibus fons Spiritus æterni.* Si quia Filij Mater, fons spiritus est: ergo spiritus è ventre fluit? An incarnatus? Neutiquam: sed qui non incarnatus est in vtero supereffluere conatur: vt ex Virgine tanquam fluuius, si non tanquam Filius, effluens respergat homines, quos amatur. An ideò superuenire dicitur in Virginem, quasi è mente superefflueret in ventrem; vt etiam corpus imbueret fœminæ, qui antea animos imbuere assuescebat? Sanè nihil accommodatiùs Angeli verbis: nam qui plenam gratia dixerat, necessum fuit Spiritu sancto plenam intellexisse; cùm Spiritus per gratiam mentem incolat. Vnde superuenturum adiecit, scilicet vt spatia porrigens, aulam corporis præsentiæ charismatibus impleat. Ingenium est Bernardi homil.4. super Missus est: *Nunquid potuit repleri gratiâ, & necdum habere Spiritum sanctum, cùm ipse sit dator gratiarum? Si autem iam Spiritus sanctus in ea erat, quomodò adhuc tanquam nouiter superuenturus repromittitur?* Et paucis interiectis respondet: *An prior quidem gratia eius tantùm repleuerat mentem, sequens verò etiam ventrem perfundere debebat, quatenus scilicet plenitudo diuinitatis, quæ ante in illa, sicut & in multis Sanctorum spiritualiter inhabitabat; etiam sicut in nullo sanctorum, corporaliter in ipsa habitare incipiat?* Si Spiritus in ventre Virginis est: non iam mireris fluuium esse fontis, ventris esse riuum, cùm textus expressus sit, Ioan.7. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Si id de credente in eum, quid de generante eum? Bernard. Ioan. 7.

77. Hinc puto: ideò opus incarnationis, maritaliaque munera in vtero Virgineo, licèt toti Trinitati communia sint, Spiritui sancto attribui, vel ipso Angelo teste, qui ex superueniente Spiritu Virginis animum sedauit. Quid causæ? Meditor, quia Spiritus sanctus Trinitatis est complementum, & quidquid internis originibus diuinitatis, fœcundæ exuberat, quasi in Spiritus sancti littore collisis fluctibus retunditur, repercussísque emanationibus intra Spiritus sancti processionem instagnatur nec enim vltra progredi est, nec alia supperit emanatio. Quare totius refluxus, totiusque Diuinitatis exercitij Spiritum sanctum stagnum dixerim: & esse in illo omnia gratiarum charismata, & ex illo dispensari fluenta quæcumque à Patre, qui fons Deitatis est; & Filio, in quo Diuinitatis plenitudo, iugi gurgite refunduntur. Ideò, vt explicatiori manifestatione totam Trinitatis plenitudinem in Virginem superuenisse nuncietur, Spiritum sanctum superuenisse dignoscitur: ne si id de Patre, Filióve exprimeretur, de vlteriori persona saltim insipiens, an esset in Virgine, interrogaret; si spiritus in Virgine est, stagnum est, nihil charismatum deficit Trinitatis. Igitur & Maria stagnum erit: ibi Trinitatem quære, addisces. Quàm bellè Richardus à S.Laurent.lib.9. de laudib. Virg. *Pater ei fons est: Filius riuus procedens ab isto fonte: Spiritus sanctus procedens ab vtroque, dici potest stagnum superius: quia continet plenitudinem gratiarum. Maria quasi stagnum inferius per humilitatem, quæ omnia charismata, & dona gratiarum, quæ procedunt à Patre & Filio, suscepit, Spiritu sancto descendente in eam.* Richard. à S.Laurent. Stagnum quasi theca aquarum est. Carcere aquas premit, cingit cancellis, compede frænat: ne spatiosè vagent, & dum prodigis fluentis se dent aruis, ipsamet prodigalitate perdantur. Quare stagnum, quod non te quærit: ni vestiges, adstésque propinquus, non bibebis. Flumen pedes habet, bibentes solicitat, quos insequitur. Si in Maria Trinitatis stagnum est, qui quærit, inuenit; nec inuenit, qui non venit.

ACADE



ACADEMIA IV.

Lux trium diuinarum Personarum sub Solis symbolo in Maria resplendet.

Maria electa vt Sol *æternam Verbi generationem elucidat.*

SECTIO I.

1\. YMBOLA Trinitatis recensentes, plectendi iure videremur, si fulgentissimam Solis lampadem non intuentes, eius nitorem inertem, & otiosum linqueremus. Raptim velim, & cursu concito per hæc ænigmata peruolare: cùm adhuc nos expectent plena succo, oleoque digniora. Ast omnia fercula variis palatis ministranda sunt; aliis enim bellaria titillant saporem, saccharoque satura delectant; alios alliciunt fortia; pinguiora multis placent: quare omnium indoli consulendum. Igitur Sol lucidissimum Trinitatis emblema est: adeoque Virgineis mancipatur obsequiis, vt humeris puplum sit, venustoque corpori rutilis splendoribus radians amictus.

2\. Sol & viget & nitet, & calet; sed vigor, & nitor, & calor, vnus est Sol. Sic vigor & nitens, & calens: sic nitor & calens, & vigens: sic calor & vigens, & nitens: sic symbolum Trinitatis. Aliter exponunt Patres: nempe quòd in Sole & orbis & radius, & lumen sit. Quare subsistentiæ tres, Sol verò vnus. Id latè Athanasius expendit tom. 2. in quæstionibus quæst. 4. Iustinus in Exposit. fidei de Trinit. Cyrillus Alexandr. lib. 3. Thesauri cap. 1. Ambrosius lib. vnico, de Filij Diuinit. c. 5. Nazianzenus orat. 37, Tertullian. lib. contra Praxeam c. 8. & alij.

Athanas. Iustin. Cyril. Alex. Ambros. Nazianz. Tertull.

3\. Maria quidem *electa vt Sol*, decantatur, Cantic. 6. A quo electa? Sanè à Trinitate. Richard. à S. Laurent. lib. 7. *Ideò dicitur electa vt Sol: quia sicut Sol ad hoc factus est, vt illuminet totum mundum: sic Maria ad hoc facta est à Deo Trinitate: vt misericordiam, veniam, gratiam, & gloriam, quasi lumen à Deo impetret toti mundo.* Vt quid à *Deo Trinitate* singulariter apposuit Richardus? Forsan quia electio prædestinatio est; prædestinatio autem, si Paulum consulas, conformitatem ad imaginem Filij Dei intendit, & exequitur: *Quos præscinit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Mariæ autem electio non solùm ad conformitatem cum filio, si elucubratiùs consideres, tetendit, sed etiam ad conformitatem aliqualem cum Patre: quippe cui non solùm adest adoptiua filiatio per gratiam habitualem, quæ ad Primogeniti spiritualem euehit affinitatem; sed & maternitas contigit. Nec dubites, si à Patre omnis paternitas exemplariter deriuatur, quæ in cœlo, & in terra est; Deiparæ maternitatem ab illo non solùm deriuari; sed & quasi resculpi, & adumbrari: cùm vtrique communis Filius, fœcunditas Virginea parilis, Altissimi virtus non similis, sed eadem. Imò ex eo iam calleo, quid in illis verbis sublateat: *Omnis paternitas, quæ in cœlo, & in terra nominatur.* Annè alia Paternitas præter eam, quæ in prima persona est, personat in Excelsis? Absit, quòd in Filio Paternitas sit; quippe cui, licèt fœcunditas exuberet in Spiritum, Spiritus proles non est, sed amoris impulsus. Nec Spiritus prole gaudet, sicut nec proles est. Angeli autem nec nubent, nec nubentur; nec totum amant, nec se patres audiunt, nec intellectuali vulnâ substantialem sobolem parturiunt. Qualis est ergo alia paternitas, quæ in illo distributiuo *Omnis* dignoscitur delitere? Non absonum censere poteris, si forsan dixerim, quòd aliqualiter maternitatem Virginis accipere non recuses: quæ licèt paternitas verè non sit, sapit tamen aliquomodò nomenclaturam & munus paternitatis; non quia Matri pater est, nec quia viri officium ad generationem suppleuit ex vulnâ; sed quia Mater est illius Filij, cui nullus alius contigit Pater: nisi ille, à quo illa maternitas tam adamussim exemplata, viuidioribusque expressa fuit lineis, vt eadem sit vtrique proles. Igitur electa est Virgo, prædestinataque, vt conformis fieret, & Patri & Filio; ac proinde etiam vtriusque complexui, fibulæque, scilicet Spiritui sancto. En cur electa vt Sol à Deo Trinitate perhibeatur, cùm Sol inter creata signaculum sit similitudinis diuinæ Triados, vt præfati Patres stabili connexione decantant. Et pulchrè Cyrillus Alexand. in Compend. exposit. fidei prodidit: *Sol est Pater, radius filius, Splendor igniuus est Spiritus sanctus.*

Cant. 6. Richard. à S. Laur. Ad Rom. 8. Eph. 3. c. 15. Marc. 12. Cyril. Alex.

Quare putauerim, non sicut Solem electam perhiberi, sed potiùs electam, vt Sol sit. Sic construe *electa vt Sol.* Ad id etenim electa, vt flagrantioris lampadis orbe, radio, & splendore per creatum Solis emblema Trinitatem panderet mortalibus. Sed an electa in communi sensu electorum? Imò præelectam meditor: ideò enim adiectum illud *vt Sol*, vt vicinior Trinitati creatura censeretur, quæ incandescenti lumine, non extero, non delibato, sed immediatè à Patre luminum hausto omnem cœli rapit positionem. Fruere Damiano serm. 4. de Assumpt. Virgin. *Electa vt Sol: nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creatis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multò enim altius aliquid habet claritas Solis, quàm luna: quia etsi illa minores stellas obscuras, non tamen penitus occultat; hic verò lucidiùs incandescens, sibi syderum, & lunæ rapit positionem.* Et paucis interiectis: *Electa, sed & præelecta vt Sol. Quia sicut Sol solus orbem illuminat; sic hæc hæc sola solidiori lumine & Angelos & homines illustrat.* Nonnè præelectam audiisti? Obserua illud: *Sic hæc sola solidiori lumine.* Si sola vt Sol, dissitum orbem, sublimem situm ardua obtinet in cœlestibus; ideò *solidiori lumine*, quippe cui non vicissitudinis obumbratio ex mutuatâ ab alterâ lampade claritudine contingat; sed iugis à Trinitatis viciniâ claritas incandescat. Illuminatrix quidem à montibus æternis. Sic sensit Franciscus Mayro: *Quia Deipara suam vim illuminatiuam immediatè sumit è personis Altissimæ Trinitatis*, quasi Virgini non corriuetur illuminationis iubar per spiritales Angelorum calliculos: sicut solenne est in Angelicis, inferiores à superioribus illuminationis aucupari commercium. Et tamen si immediatè à Trinitate orbi Virgineo illuminatio dispensatur, similitudo cum Trinitate sapientiori penicillo probatur; cùm Angelus, quò superior est, viuidius speculum sit, vt docuit Areopagita de diuinis

Damian. Fr. Mayro. Areop.

Zerda, Mariæ effigies.

uinis Nomin. cap. 4. *Imago Dei* (inquit) *est Angelus manifestatio occulti luminis speculum purum, clarissimum, incontaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens totam, si est conueniens dicere, pulchritudinem boniformis Deiformitatis.* Quem locum in superioribus tractaui. Si Angelus tam nitidum speculum est, occultique luminis manifestatio: cur Virgo à Trinitate immediatè illuminatrix concinitur; cùm opus sit, quòd ex illa illuminatio in Angelos deriuatis coruscationibus elucescat; Non diffiteor sic euenire. Bonauent. Bernard. Communis est Bonauenturæ & Bernardini calculus: ille in speculo B. Mariæ lect. 3. *Sic ergo illuminans Maria in gloria sua, rutilans per omnia respicit: quia per omnes Angelos, & per omnes sanctos gloria sua illuminationem extendit.* Iste tom. 3. serm. 3. cap. 3. *Electa est vt Sol ad irradiandam totam multitudinem Spirituum Beatorum.* Electionem hanc accipiendam censeo ex similitudine Solis, qui pictura Trinitatis est. Ideò super omnes spiritus innocuas & primas Trinitatis luces epotat Virgo, quia in illa lux est à Trinitate, vt Trinitas est; ac proinde Trinitatis manifestatio, quod alij non contigit creaturæ. Id mihi suggerunt præfata Dionysij verba: *Angelus est manifestatio occulti luminis.* Sic accipio, id est, manifestatio luminis, quod post manifestationem occultum manet iuxta omne id, quod lumini illi conuenit vt lumini. Manifestat quidem Angelus spiritalitate naturæ, intellectualitatisque luce diuinum lumen, id est, Deum intelligentem, non verò est manifestatio luminis de lumine, quippe cuius verbum, mentisque terminus non substantia, sed accidens est: nec filius, sed intellectio. Inde est solùm Deiformitatis speculum efferri. Ast Virgo manifestatio est occulti luminis, non iam vt occulti; sed vt sibi in vtero inserti, & sicut Filij, Verbique diuini. Quare inter Trinitatem, & substantiam Angelicam media interiicitur, vt Trinitatis lumen deriuet spiritibus infœcundis, ad id electa vt Sol, vt irradiet, annuente Bernardino, totam multitudinem spirituum Beatorum. Si forsan Primatum hunc coniunctionis ad Solem super omnes Angelos indicans Virgo, se fuscam Sole decolorante lepidè decantabat, Cantic. 1. Laur. Iust. Sic censuit Laurent. Iustin. de connubio Animæ: *Habet nihilominus, qui summus est Seraphim, se dignitate superiorem. Nulli hac prærogatiua attribuitur, nisi B. Virgini. Ipsa quoque habet, quem miretur supra se, illum vtique qui ob diuinitatis gloriam in Patris dextera residet. Vox est enim B. Virginis ob huiusmodi graduum discretionem: Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.*

5. Vis probem, Virginem Matrem manifestationem esse occulti luminis, non vt occulti, sed potiùs vt corporati? Damascen. Suffragetur S. Ioannes Damascen. in orat. de Mariæ dormit. *Ex te illa diuinitatis flamma, ille Patris terminus, & ratio, nomen illud nominis expers, atque omne nomen superans, lumen illud sempiternum & inaccessum corporeo modo pullulauit.* Pullulare est, ex occulto radicis emergere succo, vt manifestetur, quod intra virtutis vuluam latitabat. Etiamsi totam sphæram ignis prospicias, non tibi tota manifestabitur; quippe globulis collisis in globulis, igneisque fluctibus in ardenti abysso colluctantibus, oculum vsque ad intima permeare non sinit. Ast, si totus ille rogus ex te pullularet, totus ibi manifestatus exiret. O Virgo sublimis! Angelus manifestatio occulti luminis est; sed quia ex Angelo occultum illud lumen non pullulat, intraneam emanationem luminis à lumine ex suamet natura cognoscere non prævalet. Virgo Mater dum se mentis collustratione rimatur, fœcundam videt, & à se pullulans occultum lumen, quod flamma Diuinitatis est. Quid quòd totum percalleat, cùm totum pepererit, & virtus cognoscitiua generatrice virtute subtilior soleat esse, & sedulior?

Sed si Maria stella est, Christusque Sol, vt & 6.
ipsa vocabula enuntiant, & Scripturæ lingua congeminat: quid cum Sole componimus Virginem, vt Trinitatis symbolum rescribamus? Verùm in hoc maius suffragium nostro euenit instituto. Stella Virgo est; attamen stella, ex qua Sol. Non Solem dixeris, quæ peperit Solem? Si inficiaberis, nobilior erit Sole stella; effectus etenim nobilitas vel æqualiter emicat in causa, vel eminentiùs. Sol oritur ab stella, & si Sol similitudo Trinitatis est; vide quàm applaudat huic instituto natiuitas. Petrus Damianus serm. 1. in Epiphan. *Oritur ergo Sol de stella, & demonstratur Sol per stellam.* Damian. *Erat stella in aëre, stella in terra, Sol in præsepio. Stella in aëre, corpus illud lucidum: stella in terra, Virgo Maria: Sol in præsepio, Christus noster.* Et concludit: *An non ipse est, qui in Sole posuit tabernaculum suæ carnis, quando fuit tanquam sponsus procedens de thalamo suo?* Forsan iam hæc vltima te pupugêre. Si stella Maria, Sol Christus à Damiano nuncupatur: quomodò vix finiuit periodum, cùm Mariam, si rem introspicias, Solem pronuntiat? Nam si in Sole posuit tabernaculum suæ carnis, Psalm. 18. & qui posuit Christus est; qui posuit, non est ille Sol, in quo posuit; sed potiùs ille Sol Maria est, quæ tabernaculum extitit Virgineo sinu. Benè rem contexuit Damianus: postquàm enim dixerat Solem de stella exortum esse, peruio argumento coactus est, stellam ipsam Solem fateri, cui soboles Sol. *Et demonstratur* (inquit) *Sol per stellam.* Duplicem stellam copulasti: stellam, quæ in aëre Magis iter ostendit, & præsepe; deinde stellam, quæ peperit. Quale ex gemino sydere Solem demonstrat? Dicerem stellam, quæ Magis ducatum nitido præbuit vestigio. Damianus aduersæ censuræ est: *Oritur Sol de stella, & demonstratur Sol per stellam.* Quæ parit, demonstrat, non quæ apparet. Maria Solem ostendit vt Solem, quippe vt Verbum, quod lumen est: nec aliter ostendit, nisi quia & ipsa Sol est. Quis de stella mutauit in Solem? Ipsemet Sol, qui vt Solem, & in Solem elegit: ne deficeret Trinitatis imago, vbi Sol è Sole, lumen de lumine procedit. Sic capio Hieronymum in Psalm. 18. *In Sole, id est, in vtero* Hieron. *S. Mariæ Virginis. Maria interpretatur stella maris, Sol iustitiæ Dominus. Illuminauit Sol iste stellam, id est, Mariam, vt esset sicut Sol. Ideò posuit tabernaculum suum in sole, quando corpus assumpsit de vtero suo.* Quid pulchrius? En stella Sol, cui Sol ex vtero. Censerem, quia vterus Patris ex cognitionis lumine sol est: quia non ab alio lumen trahit, nec extranei syderis ardentibus influxibus eget: secus stella, secus lucifer: quia non erat ille lux; sed lucem ferebat: nec idē est, quod fert, & quod fertur. Quare compositionis, quæ propria creaturæ est, dedecus subit. Ideò, *Ante luciferum genui te*, inquit, quasi Psalm. 109. superbiam irridens Luciferi, qui similitudinem Altissimi ambibat, id est esse filium Dei, vt pluries Isai. 14. ex Bernardo auscultamur. Ac si Pater diceret: Diuinus vterus Luciferum non genuit, sed lucem Tota soboles lux est, nec ab vteri luce, distinctâ

claritu

claritudine refulget. Priùs lux est, quàm lucifer: si lucifer es, stolidè tentas esse lucem, quæ mea proles est, & Altissimi similitudo. Igitur vt in Maria diuinæ generationis vigeret imago, è stella sol facta est: vt vterus Sol Solem gigneret, qui in montibus illuminat æternis. His puto iam clarere Hieronymum.

7. Apoc. 12. Quid quòd ex Sole Sol? Circumspice cælum: *Signum magnum apparuit, Mulier amicta Sole*, Apocal. 12. Quàm ardens amictus in fragili natura! quàm flagrans peplum in teneris humeris! Quis te fœminam edocuit, Aquila Ioannes? Si igneus globus, integraque solaris sphæra factam ambibat fœminam; vnde discreuisti sexum in cœlo? Decerem cognouisse mulierem ex vtero: vnde adiicit: Matth. 12. *Et in vtero habens clamabat parturiens.* Si prægnantem in cœlo mulierem viderat: quem putas amictam contingere potuisse, nisi Solem? In cœlo prægnantem virum cognouisse non potuit: in cœlo enim nec nubent, nec nubentur. Solùm Pater generat: si verò à Patre prægnans, vterum fœmina gestabat; opus fuit Solem Verbum in vtero baiulare. Si Solem igitur vtero induebat, quomodò induebatur à Sole? Aret. Aretas Episcop. Cæsariens. *Magis ad consequentiam pertineret, si diceretur, non quod Mulier amicta sit Sole: sed potius quòd Solem ipsa in vtero clausum amiciret.* Ex quo Aretas intulit consequentiam? Censeo hac ratiocinatione. Mulier in cœlo prægnans est: ergo in vtero Solem baiulat, Verbum scilicet Patris, qui propriè Sol, & lumen est. Consequentiam suadent, quotquot rationes probant Filium Dei, non aliam ex diuinis personis carnem assumere oportuisse. Sicut enim ideò secunda Trinitatis persona vterum impleuit Virgineum, non Pater, non Spiritus sanctus, ob adsonam concinnitatem rationis Filij ad Patrem, & ad Matrem: ita ferè colligere potuit Aretas præsentiam Solis in vtero. Sed cur non in vtero Sol perhibetur, sed potiùs humerorum palla describitur? Quia ex amictu Solis Solem esse in vtero arguitur. Vide quod sequitur, quasi dissectâ periodo: *Et in vtero habens.* Quidnè habebat? Cur syllabas contrauisti Ioannes, & in medio cursu calamum compressisti? Sed si lumen, & Sol amictus est; quid putas in vtero concepisse, nisi lumen? Id probat par inter Patrem & Mulierem sors: Psalm. 103. Pater enim *amictus est lumine, sicut vestimento*; & tamen lumen gignit: soboles ipsa lucis amictus est, quam inhabitat: amicit lumen, à lumine amicitur. Sic totus in Patre Filius, & totus in Verbo Pater. En in sole Mulieris, species Trinitatis. Vestit solem Bernard. vtero, soleque vestitur. Bernard. de verb. Apocal. *Mulier amicta Sole: planè amictu lumine tanquam vestimento. In te manet, & tu in eo? & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis solem nube, & sole ipsa vestiris.* Quid soli deficit ad Trinitatis arcanum, cùm idipsum de sole, & splendore contexit Cyrillus. Cyrill. lib. 4. Thesauri cap. 1. *Sicut sol in splendore suo est, & splendor solis in sole: sic Pater in Filio, & Filius in Patre, personarum numero duo, natura identitate vnum.*

8. Hinc sol ipse, quem Virgo gestat in vtero, Virginem amiciebat, non solùm in cœlo, sed & in terra: quia idem ipse vtrobique sol, quem portabat, à quo portabatur. Audi Richard. de S. Laurent. Richard. à S. Laurent. lib. 12. serm. in Assumpt. *Nota, quòd Maria facta est amictus solis iustitiæ, quando ipsum carne mundissimâ induit: & amicta ipsa sole, quando Filium portans in vtero, facie splendebat, vt sol: ita quod Ioseph, vt dicitur, ipsam facie ad faciem videre non poterat.* Ergo in vtero habens sole amiciebatur, orisque regionem radij à vulua excussi pingebant: emicabat à sinu, Solisque aula inter vterum ardebat, & faciem. Cur sic, nisi quia in Facie Patris su- Psalm. 109. premi, quæ Filius est, lumen est, vtpote quod ante luciferum in splendoribus gignit in vtero? Nequeunt vestigia solis tacitis gressibus abscondi. Vix meditatur ortum, cùm antelucanus splendor præsagit orientem; nondumque nascitur, cùm ortus pignora deponit in diaphano. Cur Ioseph, dum grauidam inspicit, dimittere tentat; non suspicans à contagio tumentem, sed de Spiritu sancto habentem intelligit? Pondera stylum Mat- Matth. 12. thæi 12. *Priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Quàm parilis vox cum illa Apoc. 12. *Et in vtero habens*, postquàm mulier amicta sole perhibetur. Quidnè habebat? Eadem vtrobique responsio. Si sol in facie apud Richardum, si sol pro amictu apud Ioannem; quid in vtero haberet, nisi solem, qui ad externas oras nondum natus radios eructabat. Vnde Ioseph iam senserat noui solis, etsi nondum nati, aduentantem gratiam, Euangelicéque iustos noui Testamenti experitur exordium: ideò Virginem suam occultè dimittere, non publicè defœdare meditatur. Grauiter D. Chrysostomus tom. 2. homil. 4. in Matth. Chrysost. *Suprà legem philosophatur. Siquidem aduentante iam gratia, multa sublimioris disciplinæ documenta fulgere oportebat. Vt enim sol, nondum radijs ostensis, eminus tamen splendore suo maximam partem orbis illuminat; ita & Christus ex vtero Virginis iamiamque progressurus, vniuerso orbi etiam priusquam oriretur, illuxit. Proptereà igitur & Ioseph tantam philosophiam mentis ostendit.* Quantum assonat Chrysost. & Richardus!

Nec solùm, dum Maria existeret, vteroque sacro solem veheret, antelucani splendoris, matutinique luminis spargebat indicia: sed etiam nondum existens, nondum ad lucis vsuram producta, 9. atauis sæculis, Patribusque vetustis adeò diuini Solis nitida pignora dispensabat, solùm ideata, solùm promissa; vt non tantùm à longè venturi solis procrastinata, & futura respicerent sacri iubaris sacramenta; sed quasi præsentem solem reciperent. Id acuminis adnoto in Andræa Hiero- Andr. Hier. solymitan. in Salut. S. mariæ col. 4. *Salue dioptra perspectiua, per quam, qui in tristi peccatorum vmbra sedebant, recipientes desuper cum gloria venientem ortum iustitiæ solem, mirabiliter illustrati sunt.* Censuere alij, ideò *dioptram* à Hierosolymitano Mariam nuncupatam, quia διόπτρα est instrumentum illud geometricum, per quod altitudo, longitudo, latitudoque, tametsi ex longinquo, prospicitur. Quòd ideò appositè conuenire Mariæ existimatur: quippe primatum creaturarum in diuina prouidentia præripuit, dioptræque ad nostrum modum munus obiuit, vtpote ex qua omnes creaturarum mensuræ dignosci potuerunt. Benè ista. Sed non satis Andrææ sensui adstipulantur. Aliud crediderim institutum. *Dioptrice* dicta est ea Astrologiæ pars, quæ solis, & lunæ distantias per instrumenta vestigat, à διοπτεύω Solet *Perspectiua* vocari. Mens igitur est: Quantumuis elapsis sæculis Sol iustitiæ nimiùs dissitus nitida nondum vestigia mandabat; tamen quia Maria ab exordio per prophetiam Vatibus ostendebatur, iam solis radij per montium cacumina desuper ferientes videbantur, & in lucis aula,

in Virgineo ſcilicet tabernaculo, ac ſi iam præſens micuiſſet, matutinus ſol gradiebatur; nec iam diſſitus, & futurus; ſed velut ſi mediam totam occuparet, agnitionis lumen effundebat. Adeò Maria diuino Soli vtpote Mater, adhæret, vt nequeat illa etiam in vmbra, & in ænigmate cogitari; quin ille non ſolùm mediteretur, ſed exerceat ortum, luciſque manifeſtet diuitias. Iam capies Andræam. *Salue dioptra perſpectiua, per quam, qui in triſti peccatorum vmbra, ſedebant, recipientes deſuper cum gloria venientem ortum iuſtitiæ ſolem, mirabiliter illuſtrati ſunt.* Diſſonare verba credideris, niſi tibi figas præfata. Legendum enim videbatur *reſpicientes*; & tamen legitur *recipientes*, contra dioptræ naturam, per quam id, quod diſtans eſt, non *recipitur*, ſed *reſpicitur*. Quod procliue eſt ad *perſpectiuæ* attributum. Id verum; ſed dioptræ Virgineæ indoles ad nouum ſollicitat ſacramentum. Si, ſemel illa poſſidetur, poſſidetur & ſol: etſi diſſitus, etſi craſtinus: adeò cum ſole copulatur, quæ ſolem vehit. Per eam ſol recipitur, qui reſpicitur; nec ortus protelatur in craſtinum, ſed iam adeſt. Vnde attexit: *Recipientes deſuper cum gloria venientem ortum iuſtitiæ ſolem, mirabiliter illuſtrati ſunt.*

10. Cant. 6. Id fulcitur ex Auroræ attributo, quod Virgini noſtræ Scriptura decantat: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens: pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Quia ab igne ſolis aureo aureſcit aër matutino iubare, ſi Varroni lib. 6. credis, *Aurora* nuncupatur. Ergo ſolis lux penetrat diaphanum, tenerisque radiis adeò cum æthere maritatur; vt ex aëre & ſplendore æthra reſultet, primaque diei lux, qua ſic aër claret imbutus, Aurora dicatur. Itaque aurora non diſcernitur à luce, ſolis pars eſt, ſolaribus radiis in ſe tranſfuſis, & quaſi per diaphanum corporatis. Dum aurora ſpargit polum, lucidum ſolis perpetium agit, velut ſi in vtero ſolem ferat. En cur *Aurora* Maria vocetur. Sed præpoſterus ordo in ſequentibus apparet: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol:* Sol enim non intermediis Lunæ obſequiis Auroræ connectitur; imò Auroræ ſoboles, & aſſecla eſt, poſt cuius occaſum Luna in cæli ſtatione tenet principatum. Cur ergo interponitur luna inter Auroram, & ſolem? Sanè quia Aurora, etſi radios ſolis placidâ benignitate, temperatoque ſplendore prægustet; non tamen ſolis expreſſam ſimilitudinem repræſentat; imò vagis lucibus diffuſa, lineas ſolaris lampadis non tranſcribit. Luna expreſſa ſolis imago eſt: nec ſolùm pelagus lucis ebibit à ſole, ſed ſimili circulo, quaſi littore arctans, & circumdans, pulchram ſolis exhibet ſpeciem. Quàm venuſtum Mariæ ſymbolum! Plenitudinem lucis in ſe corporauit; ſed in vteri circulo ſtringens, ſolis formam orbe coruſco ſeruauit: ideò poſt Auroræ attributum lunæ attexitur: vt à minore ad maius oratio ſuccreſcens, manifeſtam cum ſole ſimilitudinem, & vnitatem oſtenderet. Expedit auſcultari Anonymum apud Alcuinum in homil. ſerm. de Natiuit. Virgin. *Talem Auroram talis dies, & talem diem talis Aurora decuit. Et rectè quidem Aurora impleſti officium. Ipſe enim Sol iuſtitiæ de te proceſſurus, ortum ſuum quadam matutinâ irradiatione præueniens, in te lucis ſuæ radios copioſè transfudit: quibus poteſtates tenebrarum, quas Eua induxit, in fugam conuertiſti, atque ita deſideratum cunctis gentibus Solem mundo inuexiſti. Tu pulchra vt Luna diceris. Illa enim aſtrorum omnium ſola Soli ſimillima, & candore venuſta argenteo, cæteris in cælo præmicat ſyderibus. Tu veri Solis imago expreſſiſſima, inter millia aſtrorum Deo aſſiſtentium, virginali puritate in cœlis glorioſa præfulges.* Sic ille. Supra miraculum extulit Virginis dignitatem. Statim me pupugit illud: *Tu veri Solis imago expreſſiſſima:* in quo non obuium inlatet acumen. Imago, ſi Theologicè noueris, non quamque ſimilitudinem ſignificat; ſed eam, quæ ex ſuaptè indole, impulſuque originis ad repræſentandum producitur. Sic enim imago diffinitur: *Similitudo producta ad repræſentandum.* Quare ouum non oui imago eſt, etſi parilis ſpeciei albore, rotunditateque candeat: quia ſui causâ eſt, non vt alterius oui formam, & lineamina exhibeat intuenti. Id adeò nobiles Theologi diſcrimen adamarunt, vt in Trinitatis ſacramentum euexerint: Spiritum ſanctum ideò non Filium, genitumque autumantes; quia, etſi ſimilis euadat amoris ſemitâ producenti; neutiquam vt repræſentet, producitur: cùm terminus voluntatis ſit, quæ penicillis, lineiſque non vtitur, nec noſcit depingere, ſed amare. Secus euenit in ſecunda perſona, quæ vtpote ab intellectu erumpens, character, & figura eſt ſubſtantiæ Genitoris, eò ingenij doctis coloribus ducta, productaque, vt imaginem gerat gignentis. Id poſt Canarienſem mordicùs vrget P. Vazquez 1. tom. in 1. part. diſput. 113. cap. 7. An iure, & ex veritate: in Academiis Theologicis diſcutio. Si hæc ita ſunt, quomodò Anonymus ille veri ſolis imaginem expreſſiſſimam nuncupat Mariam, dum appoſitâ proprietate Lunam eſſe deſcribit: cùm Luna, etſi ſoli ſimilis ſit, imago non ſit; vtpote quæ non ad diurnæ lampadis effigiandam, exhibendamque ſpeciem producta fuerit; ſed ad abluendas tenebras noctis, vmbraſque fugandas, in ſyderumque principatum? *Luminare minus, vt præeſſet nocti.* Id quidem verum. Aſt Maria eò nobilior Luna eſt, quòd non ſolùm in caligantium tenebrarum ſplendorem creata ſit; ſed eò impenſiùs, vt veri ſolis coruſca lineamenta deſcribat, imaginem exprimat, mutuatoque lumine definiat. Quare, dum de luna cœleſti ageret Anonymus, non ſolis imaginem, ſed Soli protulit ſimillimam: quoniam quæ Virgine ignobilior, neſcit in illud munus ſubrigi, vt imago ſit: *Illa enim aſtrorum omnium ſola Soli ſimillima. Tu veri Solis imago expreſſiſſima.*

Canar. Vazquez.

Et quidem inſolitum apparet, quòd Mater, Filij imago ſit: num potiùs Filius (vt dicebat Nazianzenus orat. 36.) *Breuis, & compendioſa, facilíſque Paternæ naturæ declaratio eſt. Omne enim, quod genitum eſt, genitorem ſuum tacitâ quadam voce definit:* rationque non externa ſuadet: nam parens non à prole ſuſcipit, ſed dat: non naturam capeſſit, ſed communicat: non enim aſcendit influxus, ſed deſcendit; imò dum vitam, naturamque impertitur, quaſi fruſtum diſſecat ſubſtantiæ. En tamen eo hoc nodus diſſoluitur, liſque quieſcit. Maria enim nouo, inſolitoque miraculo, dum diuinam ſobolem vtero generauit pudico, ab ipſamet ſobole genitricem vim præuiâ largitate ſortita, abſque viro grauida, viſcera laxauit in prolem. Quare ſi filius imago parentis ob præſtitam naturam euadit, Virgo Mater, quæ à Filio feruidæ virtutis fœcunda fomenta ſuſcepit, virtuteque Altiſſimi caluit imprægnata, obuiâ ratione imago nuncupatur: præcipuè dum 11.

Nazianz.

Varro. Anonym.

Lunæ

Lunæ canitur elogio, quæ à sole radios ebibit, vt similis emicet Soli. Maria ergo, quæ non luce suâ, sed luce diuinâ irradiat, solemque resumit; licèt sol non sit, cui diuinitas natura non est, imago Solis perhibenda. Fruor Ruperto libro 6. in Cantic. (Rupert.) *Tu pulchra pulchritudine diuinâ: pulchra, inquam, non quomodocumque; sed vt Luna. Sicut enim Luna lucet, & illuminat luce non suâ, sed à Sole conceptâ: sic tu, ô Beatissima, hoc ipsum quòd tam lucida es, non ex te habes; sed ex gratia diuina. Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es: tunc tu, & extunc electa vt Sol. Es quidem naturâ non tu idem es, quod ille Sol: sed nihilominus tanta es, vt te honores ipse Sol, honore, quo decet filios honorare parentes.* Perpende illud: *Sicut enim Luna lucet luce non suâ, sed à Sole concepta.* Lux, qua concipit Virgo Mater, à Filio priùs concepta, vterum fouit, repenteque virtute suffudit; vt Maria, quâ Mater est, iuxta genitricem Matris vim, præuiè à Filio concepta credatur, eo feruore luminis, & æstu, qui vmbrâ Spiritus ad refrigerium indiguit: quare iuxta illam lucem, quam Lunæ more hausit, filia Filij non immeritò efferenda est, ac proinde imago.

Maria, ex quo assumpta in cœlum, electa vt Sol, *vt diuini Solis functiones obeat.*

SVBSECTIO I.

12. NEc Par est, quiescas adhuc; cùm actuat animum præfixus Ruperti cogitatus, illis verbis: *Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es; tunc tu, & extunc electa vt Sol.* Quid vsque ad æthereum fastigium, Virginisque in cœlum ascensum protelat nobilis Abbas, quòd electa fuerit vt Sol? Quid in sydereo situ singulare est, quòd Maria Solis fulgoribus splendeat, cùm id cuiuis Beato pronum sit, iuxta promissum illud: (Sap. 3.) *Fulgebunt Iusti sicut Sol in perpetuas æternitates?* (Matth. 17.) Ex quo in beatitudinis paradigma Thaboris alto in vertice facies Domini vt sol emicuit, speciminis gloriæ, vmbrasque præmittens. Non me piget, aliquid specialibus ex Solis contubernio in Maria rimari; dum quasi singulari indumento amicta Sole in cœlo claruit, & non nisi in cœlo *electa vt Sol* à Ruperto prædicetur: qui, me iudice, melos illud Cœlitum, Spirituumque stuporem attendit, cùm ad cœlos Virgo eueheretur: (Cant. 6.) *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Quasi exinde electionem ad Solis functiones Cœlicolæ canerent Mariæ, quæ corpore, & animo cælos penetrabat. In quem sensum iuit Petr. Blesen. serm. 18. de Assumpt. (Petr. Bles.) *Hodie verisimile est, quòd Beata Virgo, & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta est. Quod ne cui veniat prorsus in dubium, auctoritatibus adstruamus. Eadem admiratio Angelorum in Ascensione Domini dicentium: Quis est iste, qui venit de Edom, &c. fuit & à Propheta pronunciatum de Ascensione Virginis: Quæ est ista, quæ ascendit velut Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol? Non solet in Scriptura plenitudo solis, & Lunæ, nisi corporibus propriè adaptari.* Eidem arridet cogitatus Blesensis, vsque ad ascensum in cœlum electionem Solis protrahens. Rationem ergo vestigare opus est.

Et quidem Blesensis ducatum ferat, dum signatè Virgineum corpus in cœlum euectum fuisse adstruit ex eo, quòd electa vt Sol à Cœlitibus canitur Virgo, dum stellato agmine obuiam exierunt. 13. (Petr. Bless.) Solis autem plenitudo non nisi corporibus, Scripturæ phrasi, irrogatur. Quæ vt extricem, scias lepidam esse, sed cultellatam nimis quæstionem: quidnam effectum fuerit in quarta creationis die, cùm sol, syderaque è labio opificis erupisse perhibentur. Si Genesis exordium lux fuit, quæ tenebras abegit, iubarque sparsit; quid Solis addidit structura? Nobiles Patres censuere lucem spiritalem, nempè Angelos, prima die creatam. Id impensiùs defensat Augustinus de Genes. imperf. cap. 5. (August.) Eucherius in Genes. libro 1. cap. 2. (Eucher.) Beda libro de sex dierum creat. (Beda.) Isidorus libro de summo bono cap. 10. (Isidor.) Rupertus in Genes. libro 1. capite 10. (Rupert.) Corpoream fuisse lucem maior classis edisserit. Hugo Victor. (Hugo) lib. 1. de Sacrament. part. 1. cap. 9. Hugo Carensis, (Carens. Victor Petr.) Petrus Comestor, (Comest.) Richardus, (Richard.) Lyranus, (Lyran) Abulensis, (Abulens.) Alensis, (Alens.) & alij. Si primigenia lux non corporis expers inclaruit; vt quid Sol nouam diem opificio erogauit? Hunc nodum agmine denso Doctores explicant dicentes, lucem illam primæuam ad spiritalis formæ modum; non opacitate constructam, non densitudine coagulatam, non crassitie nitidâ obesam; sed subtilem, pellucidam, peruiam meditantur; posteà tamen quartâ die lucis huius vehicula compacta fatentur, condensatisque orbibus, spissitudineque infartis, lucem iam primigeniam insitam, & terminatam docent eo ingenio, quòd lucis apex, & selectus candor solari globo inderetur, ignobiliorque lux Lunæ & astris obueniret. Apollinaris apud Steuchum: (Apol.) *E primogenia luce quidquid purissimum esset, in Solem selegit; reliquum Lunæ & Astris deputauit.* Cecinit pulchrè Claudius Marius Victor Commentariis in Genes. lib. 1. (Claud. Mar.)

Iam tribus exactis, motus succensa citato
In flammas, ignisque globum se cogere iussa est.
Solis prima dies, fundataque semina lucis
Puniceos roseo sparserunt fomite crines.

Huius sententiæ Patroni sunt, Tertullianus carmin. in Genes. (Tertull.) Nazianzen. in laud. Virgin. (Nazianz.) Dracontius Hexemer. libro 1. (Drac.) Basil. homilia 2. Hexemer. (B sil.) Nicetas ad orat. 43. Nazianzeni. (Nicet.) Theodoret. in Psalm. 148. (Theod.) Procopius Gazæus in Genes. (Procop. Gazæus.) lib. 1. Anastas. Synait. in Hexem. libro 4. (Anast. Synat.) Caietan. in Genes. (Caiet.) Ægidius, (Ægid.) & alij. Igitur sol eò à luce simplici dissidet, quò globum densitudine strictum addit; vt, si proprietatem amas, solis similitudinem non ferat, nisi corpus in cœlo igneæ lucis pelago penetratum, & transfixum. Iam Blesensis capies acumen, qui ex eo quòd Angeli in Ascensu Virginis cecinêre: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Marianum corpus pennato remigio super æthera euolasse confirmat. Iam extricabis Rupertum, qui extunc electam in Solem asserit Mariam, dum cœli cacumen carneâ crepidâ calcauit.

Sed adhuc suauior sapor est. Id enim cuique Beato, vt dicebamus, commune est, solaribus 14.

 radiis

radiis inuadi, micantesque solis æmulari fulgores. Verùm exilis cuiusque lux est, si compares ad Marianı. Minus est, quod Beatus fulgeat vt Sol, quam quòd eligatur vt sol. Iustus fulgebit vt Sol: Maria electa vt Sol prædicatur: id qualitatem concernit, hoc substantiam. Fulget iustus in gloria, eâ taxatâ mensurâ, & æstimatâ luce, qua Sol illi, id est, gloriæ lumen inditur: quare ingenioso stylo fulgere perhibetur vt sol, quia ad modum supernaturalis luminis, igneæque Diuinitatis inuasionis in beatitatis vsuram exardet. Itaque sic scholics: *Iusti fulgebunt vt Sol*, id est, ita quisque iustus fulgebit in gloria, sicut illi Sol, id est, lumen gloriæ, vel vnita Diuinitas affulgebit. Cæterùm, quia sol solus est, nullus electus vt Sol præscribitur; nisi quæ in corpore denso, cælestique globo simili, lucem illam primigeniam valuit corporare. Hæc Maria est, quæ spiritalem, & increatam lucem in compactum vteri globum coëgit. Non erat illa lux, sed vt susceptaculum subderet luci; ideò Solis electioni simillima. De quo Damascenus lib. 1. fidei cap. 7. *Luminare enim & Sol, est non ipsa lux, sed lucis susceptaculum.* Nizet. orat. 43. *Neque enim luminare lumen ipsum est sed luminis conceptaculum.* Verbum Dei non solùm lux, sed & forma lucis est: quâ enim Verbum oritur, intellectum ex insita indole irradiat: & quia intellectus proprium est formis depingi, rigore Scholæ vtrumque Dei Filio arrogatur; scilicet quòd lux, & forma sit. Hæc corporis expers in arcanis Patris micabat; nondum materiæ, corporeæque densitatis conceptaculo coacta, mortalibus oculis conspicuæ benignitatis lumen spargebat, donec Marianus vterus globi exhibuit famulatum, vtque inuaderetur a luce, subdidit assensum. En nouitas supra miraculum, quòd forma materiam præiret, corpusque sibi compingeret; cum solenne sit præiactam materiam formam præcedere, cui subest. Ne stupeas: similitudo solis sedat stuporem. Id in sole singulare dignoscitur, quòd forma materiam anteiret, luxque triduanâ intercapedine, globi solaris moras sustineret inertes. Ab adumbrata Maria didicit sol: quam à diebus æternitatis forma, duxque subsistens, in temporis plenitudine, vt assonam materiam, diuite pondere Maiestatis inuasit. Singularitas hæc, quæ in sole super cæteras creaturas inuenitur, decantatur à Patribus. Do Nazianzenum orat. 43. *Nec vero id organicum à principio, nec meâ quidem sententiâ solare protulit* (nempe lumen) *verùm incorporeum & Solis expers; sed posteà ad orbem terrarum illustrandum, Soli traditum est. Nam cùm in aliis rebus hanc rationem tenuisset, vt materiam prius conderet, ac deinde eam formâ conuestiret, ordine videlicet, ac figura, magnitudineque vnicuique rei impositâ; hic vt maioris cuiusque miraculi speciem ederet, formam materiam priorem protulit: forma enim Solis lumen est: ac postea materiam induxit, Solem hunc nimirum diei oculum fabricatus.* Quid illustrius? Quid pro Mariano miraculo splendidius? Seniorem formam lucis iunior sinus concepit, defæcataque puritate lucem æternam Virginei corporis hausit in gremio: vt videris, quo acumine electa vt sol prædicetur.

15. Sed adhuc aculeus pungit. Nondum Rupertus & Blesensis quiescunt. Affabrè enodatum manet, cur ingenita proprietate electa vt sol Maria sonet. Cæterùm nuper discussa id de Virgine agente inter mortales euincunt: nec opus est elogium hoc ad cæli protelauisse fastigium quando in cælum assumpta Cæli ies irradiauit: nam sub connexis incrat, cùm lucem, formamque increatam vtero corporauit pudico. Et tamen Ruperti verba suggerunt: *Quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad athereum thalamum translata es, tunc tu, & ex tunc electa vt Sol.* Acuminatè satis rem introspexit. Filius Dei, cùm vterum Virginis oppleuit, lucem sub speculo implicuit; nec formaliter (vt scholasticè loquar) vt lux, viscera imbuit, sed vt homo: Erat lux vera; sed caro facta est. Cùm in cælestibus iustos beat, lucis peragit officia, & splendida in intellectibus Beatorum exercitia pertractat; quippe diuinitas mentibus immersa pellucidis, tum gloriæ lumine, tum munere speciei inflammat. At quia adhuc corpora glorificatorum non permeat, quæ in cineres abierunt manes, Beatus non Solis venatur attributum; vtpote qui præter lucem corpus, cui affigatur exoptat. Cæterùm cùm Virgo Mater iam in cælestibus corpore beetur; ex luce, quam ebibit, & carne, quam intulit, sol euadit. Nec id glorificandis posteà corporibus commune præsumas: dispar admodum nobilitas secernit. Mariæ corpus iam lucem illam, nempe Verbum Dei, sibi in vtero concluserat, genitricibusque ambierat vlnis: quare gloria, quæ ex animæ resultantia, excursuque exundantis luminis aliis corporibus obuenit, Virgineo corpori illustrius adest; quippe cui caro eadem est cum carne, quam baiulat Verbum Dei, quod illa lux est. Vnde caro Virginis ab ipsamet forma lucis videtur perfundi; velut si formaliter vt lux, vterum Matris repeteret, quem ante incoluit vt homo. Quare intus in animo glorificantis Verbi formâ Virgo imprimitur, extra in corpore formam lucis glorificatâ carne sortitur, vt iam ex tunc in cælestibus meritò electa vt sol perhibeatur. Grandis energia Guarrici est, quem alibi impensiùs expendo, sermone 1. de Assumptione. *Nunc autem & in ea, & cum ea, sicut interminabili æuo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloriam visionum: foris quidem glorificata carnis formam exhiberi; intus verò glorificantis Verbi formam imprimens.*

16. Nihil altius, subtiliusve potuit cogitari. Maria ex diuinitatis impressione, Verbique formâ affixa menti, beatitate potitur, eò nobilius, & abundantiùs, quò illustrius nomen hæreditauit vt illiusmet formæ Mater nuncuparetur, & sit. Cæterùm non satis. Ipsemet Filius, qui forma ex proprietate originis est, glorificatæ carnis formam exhibet Matri, quasi benedictam carnem forma illa superbenedicta permeet, & perfundat; vt ex luce, & corpore, sicut sol, componatur, & ardeat. Vel, si mauis (Guarricique sensui plus obsequitur) caro Christi & Mariæ vna est: caro Christi diuinitatis inhabitata plenitudine, quâ diuinitas in cælestibus lucis splendidissimæ munus exercet, Sol est, qui cælestes plagas irradiat; quippe qui ex corpore, & luce compingitur, & densatur: quod Ioannes sedulò obseruans insonuit, Apocalyps. 21. *Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.* Vt quid claritatem Diuinitate

arri

Margin notes: Damascen. — Nizet. — Nazianz. — Ioan. 1. — Guarr. — Apoc. 21.

arrogat, lucernam Agno? Indidem: Vt quid lucernam supra claritatem adiecit? Apprimè quidem: nam lucerna lucis vehiculum, ambitus, & conceptaculum est, lucis scaturigini maternam, corpusque subiectans; quod iugiter cremet, nutriatque splendore, vt illuceat. Hinc Solis nomenclaturam, quo ciuitas illa ex Agni opitulatione non eget, claritas solarem haberet, ni ex forma lucis, corporeque coalesceret, qualis ad diuinitatis claritatem carnem in receptaculum, Agnus, id est, Christus Dominus addidit. Inde ex lucernæ similitudine
Basil. Solem definiuit Basilius homil. 2. Hexem. *Si lucis ortus Solem anticipauit, cur non Sol, vt luceat super terram, exortus esse dicitur; Non aduersantur hæc illis. Tunc enim ipsa natura lucis producta est; nunc autem hoc Solis corpus è conditum est, vt illi primogenia luci vehiculum esset. Nam vt alia, diuersaque sint, & non eadem, ignis, atque lucerna; & ignis quidem illuminandi vim obtinet; lucerna autem idcirco facta est, vt vel moderatam lucem subministret egentibus; sic & illi purissimæ, syncera, immortalique luci, ceu vehiculum nunc ipsa luminaria sunt extructa.* Sic ille. Quæ mirè locum Apocalypsis illustrant. Igitur si Agnus cœlestis Sol est, quia clarificatum corpus claritatis subdidit formæ; obuiâ argumentatione suadetur, quòd Virgo in cœlestibus electa vt Sol merito censeatur, qui glorificatæ carnis formam exhibet, & communicat Agnus ille: quippe vna est vtriusque caro, vna sublimis beatitatis sors, & gloria, iuxta illud tritum Ar-
Arnol. noldi Carnotens. in libro de laudibus Virgin. *Vna est Maria & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas. Vnitas diuisionem non recipit, nec secatur in partes: & licèt ex duobus factum sit vnum; illud tamen vltrà scindi non potest: atque adeo Filij gloriam non tam communem iudico, quàm eandem.* Quo loci non modica lux præfatis affulget.

17. Quibus vt securiùs fidas, adi Anastasium Synaitam mysticos sensus suo more rimantem. Censuit ille lucem primigeniam, triduanamque, sanctæ Triados diuinam essentiam adumbrasse; Solem autem Christi, hypostaticique nexus ad corpus Virgineum, typum prælusisse. Sic fatur in He-
Synait. xem. libr. 4. *Nam lux quidem trium dierum præcedentium expansa, ac dispersa per totam vniuersitatem, ostendit lucem increatæ Trinitatis quocumque peruenire. Quando autem quarto die fabricatur orbis Solis, & lux illa, quæ est vbique præsens, in eo ponitur, hoc significat, quòd diuina illa lux in orbe quodam primum quidem ponitur obscura ob peccatum Adami; posteà autem lucida propter vnionem in Deo per hypostasim: sed ita quoque, vt non coerceatur in arctum, nec circumscribatur. Quomodò enim lux rursus post eius in Sole positionem, quarto die per totam terram expenditur: ita etiam lux diuinitatis post incarnationem non est circumscripta. Illa enim Dei Verbi hypostasis etiam in carne est aperta; & illa etiam ex carne mundum illustrat.* Hùc vsque ille; vbi, vt vides, amussim, & strictim in solis typo incarnationis lineas prodidit exaratas; tanquam si caro Virginea globus extiterit, cui lux primæua immersa, & incarcerata vniuersum orbem radiis coruscantibus pingat.

18. Cur autem in maiorem conciter stuporem, quòd Virgo Mater, dum Cælitibus inseritur, electa vt sol decantetur, non tædeat auscultari. Certè, cùm deliquium ex lunæ obiectu patitur sol, eclipticoque morbo laborans ægri luminis occludere videtur commercium: si tunc temporis radios adhuc imperterritus dispensaret, attonitum cernentibus stuporem incuteret, vtpote in calamitate lucis, adhuc infractus; strenuus adhuc splendida libertate maiestatis moderaretur imperium. Ergo mirabilius est, quòd Maria in occubitu, dum mortis expertæ falcem luces videbantur emortuæ, tunc vt sol eligatur, extunc solis peragat principatum. Ast, quæ perennis lucis fons est, nescit occiduæ mortis ærumnis concuti, tenebrisque obscurari. Non deperit soli lux, cùm luna obiicitur; nobis deperit, quibus vsuram luminis ecliptica interpositio conturbat. Venustè, & ad rem nimis S. Damascenus de Dormit. Mariæ Damasc.
orat. 1. *Quemadmodum splendidissimus hic, perpetuaque luce præditus Sol, tametsi cùm à lunari corpore aliquantisper obducitur, quodammodò deficere, caligineque obrui, ac fulgorem cum tenebris commutare videatur; non tamen à luce sua excedit, verùm ipse indeficiens luminis fons est: ad eum modum tu quoque fons perennis veri luminis, atque inexhaustus ipsiusmet vitæ thesaurus, & vberrima benedictionis scaturigo, quæ nobis bonorum omnium causa, & parens extitisti, etiamsi ad breue aliquod temporis spatium corpore mode morte obtegeris; tamen immensi luminis, & immortalitatis vitæ, ac veræ beatitudinis puros, & inexhaustos latices fundis.* Nequit tenebrarum iniuria in fontem luminis impetere; imò dum à mortis pallore nostris oculis videtur concuti, non rediuiuis, sed nunquam occiduis lucibus sibi triumphat. Maria indefessus splendoris fons est: dum enecta lux lethi cuspide occumbere videbatur, proprium solis situm in cælo possidens, solis functiones cœpit obtinere.

Imò dum è terræ plagis excessit, in cœlumque 19.
fuit assumpta, miro ingenio quasi reuolutâ pelle, retectoque sacramento, interius luminis pelagus euulgauit. Siste parumper, figeque pedem, si in Marianum obsequium, Marianæ dignitatis amas ingenia. In cœlo sole perhibetur amicta; in terris solem vtero amicuit. Qualis mutatio luminosi pepli hæc? Quæ intus solem carne vestiebat, ipsomet sole extrà vestitur, alternisque vicibus, reciprocisque officiis, inter Mariam & Solem rependuntur obsequia: chlamys cuiusque quisque est, vestisque vestem vestit. O quam compar vtriusque status! Quam amica familiaritas Solis, & Mulieris! Quis adeò sic vesti suæ acclinis extitit, & consors, vt à qua vestiret, & indumenti famulatum semetipso, vt indumento, rependeret? Id sapor is prægusta in Bernardo nimis obuio, de Bernard.
verb. Apocal. serm. 1. *Sed fortè miraris non tam vellus opertum rore, quam amictam Sole mulierem. Magna siquidem familiaritas; sed mira omnino vicinitas Solis, & mulieris. Quomodò enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistit?* Quid est, quòd è familiaritate inter solem & mulierem stupeat Bernardus; quasi familiaritas in causa sit, quòd igneo non absumatur à peplo, nec caro fragilis incinerescat, quam flamma cœlestis circumdat? Si è Mariæ familia Sol est; quid quòd, dum circumdat, faueat, & foueat; non succendat? Id familiaritas, puto, apud Bernardum prætendit. Flamma non cremat ignem, non æstu suffocat, à quo innascitur, nec ab igne parente comburitur: vtrumque alterutri

grata

grata beneficia refundit. Nondum ſatis. In eo familiaritas inter ſolem & mulierem plus elucet, quòd ſol, & mulier veſtis, & corporis alternent attributa; quòd veſtiatur ſol à muliere, dum habitu inuentus vt homo; & mulierem veſtiat in cœleſtibus. Id quidem ex familiæ more contingit nam & genitrix brachiorum amplexu veſtit infantem, dum vbera ſugit, & infans lacertis expanſis, teneroque attactu veſtit genitricem. Ergo in hac familiaritate has ſacras veſtimenti vices reſpexit Bernardus: nec illum attonitum rapit, quòd ſol in cœlo fœminam amiciat; ſed quod concinnâ, aſſonâque gratitudine veſtierit eam, à qua in terra veſtitus extiterat. Auſcultare iterum melleum Patrem; non longè à præfatis ſic fatur: Bernard. *Mulier amicta Sole. Planè amicta lumine, tanquam veſtimento. Quàm familiaris ei facta es, Domina! Quàm proxima, imò quàm intima fieri meruiſti! Quantam inueniſti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo: & veſtis eum, & veſtiris ab eo: veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtiris ab eo gloriâ maieſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris.* En familiaritatem expendit. Affabrè ex nube texit exemplum. Denſus vapor, dum non longiùs à tellure ſuſtollitur, ſolis incarcerat radios & ſpiſſis obtegit filamentis, vt circumquaque ſolem veſtiuiſſe credideris. Cæterùm, dum altiùs vehitur, & viciniorem ſolem præſenti, per bibulas lucis portiones dehiſcit, ab ardoreque penetratum, potiùs à ſole dixeris veſtiri; cùm iam denſæ nubis pallor non appareat, ſed circumquaque lux per aërem permeet.

Maria nubes, quà caro; leuis, quà Virgo: quam Sol diuinus aſcendit, non quaſi altiorem; ſed quaſi aptiorem, vt per Virgineæ carnis puritatem luminoſus appareat.

Svbsectio II.

Diſcutitur illud Iſai.9. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem.*

20. HVc Spectant Patres, qui è nube Solis baiulâ ſpecimen Virginei vteri componunt. Et quidem, ſi lumē è lumine viſcera ſacra impleturum ſpoponderat Gabriel; cur pro fide, arrhaboneque vmbram Spiritus ſancti præmitti: *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, velut ſi lucis pignus vmbra ſit? Quia lux illa in nube parabat immergi, gremioque, quaſi pallio, veſtiri; in vmbræ ſponſione præluſit. In quo ea ſubtilitas, Mariæ effert dignitatem; quòd cùm vmbra corporis ſit, quod luce feritur; vmbra, quam efficit corpus Marianum luce increatâ ſuffuſum, non vmbra Mariæ, ſed vmbra Spiritus ſancti, ſeu virtutis Altiſſimi dicatur. Quòd eâ ratione meditor eueniſſe, quia à ſancto Spiritu præpurgata, poſſeſſaque caro, quaſi ipſius tranſiuit in vſus, & functiones; ſicut nubes Solis ſupellex eſt, vtpote à terræ conuallibus ſenſim eruta, & feruore radiorum enutria. Quare cùm Virginea nubes diuini Solis propria ſit, quidni vmbra virtutis Altiſſimi nuncupetur? Iuuat Rupertus lib.2. in Exod. c.19. *Cùm totus fons ignis, verus Sol, & fons luminis totus cum nube ſuæ carnis venit: quamuis ſit Sol in nube; clarius tamen lucet, quàm dudum ignis in nocte.* Ruperti Si nubes caro ſua eſt, ergo & nubes ſui erit; quid quòd & vmbra? Præcipuè cùm Mariæ caro, quæ Solem veſtiuit, ſub pallio Spiritus ſancti conſtructa, textoriâque gratiâ contexta fuerit: ſicut nubes penetrata à ſole, ſolis eſt, ſic ipſiuſmet Spiritus conſenda. Anonymus in Richmo de laudibus Virgin. apud Biblioth. veterum Patrum tom.3. Anon.

Vmbra ſancti Spiritus dedit ei cœlitus ſpiritale pallium.
Vt non lædat Virginem, nec pudoris cardinem pariendi vitium.
Hæc eſt porta ſalutaris, de qua prodit lux Solaris; imò Sol iuſtitiæ,
In qua venit inclinari; ſicut ſolet obumbrari ſol in nubis medio.

Obnubit Virginem Spiritus maritum agens, ne polluatur innocuus totus, ſed in candorem æternæ lucis albeſcat. Quanta viciſſitudo Spiritus ſancti, & Virginis! Quàm amica ſocietatis repenſio, idiomatumque communicatio! Nubes Maria eſt, quia nucit Solem; nubes Spiritus, quia obnubit Virginem: ſed, ſi nubes eſt, vt quid pallium perhibetur? Profectò vt Filius Dei habitu inuentus iret vt homo, habitum ex Virginea tela ſecans Spiritus ſanctus, ſe in carnem Virginis inſinuans, quaſi habitus ipſe, palliumque ſit; vt ſimul & veſtiat Virginem, & quomodo Deus veſtiendus, edoceat. Ideò pulchre illa: *Sicut ſolet obumbrari Sol in nubis medio:* in medio enim veſtimenti quiſque indutus incedit. Quare, ſi Spiritus vmbram dedit, & pallium, & Maria Solem obumbrat, nubeque ſicut pelle circumquaque tegit; aſſonè Spiritus ſancti muneri conformatur.

Verùm in eo non ad vnguem compar ſimilitudo videtur: quoniam Spiritus Sancti pallium, ſpiritale eſt, cui textorius artifex Spiritus: quod enim ex Spiritu eſt, ſapit auctorem, nec degeneri pondere grauatur. Cæterùm Virgo Mater carnis indutum ergaſtulo prodidit, quem Verbum ſuſcepit, corporeiſque oneribus ſolidauit. In hoc Virgineæ carnis Spiritui cognatæ nobilitas. Quàm leuis, quàm peruia pudicis oculis Virginea caro, vt Deum, quem veſtit, quaſi ſub cancellis abſcondi tum, manifeſtet! Vidiſti fœminam raro ſerico amictam, adeò tenuimus filis contexto, vt ingenium ſit retegere, dum obnubit; & reuelare, dum velat: nam per rarum ſericum admiſſa facies, & veſtitam vbique nudam explorat. Si nubes malignâ denſitudine, craſſitieque obeſa grauetur, ſolem quaſi ſub nigro marmore ſepelit, & obſtringit: verùm ſi nubes leuis eſt, raroque exhalatâ vapore; dum ſolem veſtit, denudat: nam clara ſolis manifeſtat indicia. Annè nubes leuis Maria? Iſai 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem.* Iſai. Solenne Patribus eſt, vaticinium hoc, nubiſque vocem, vel de Virgine Matre, vel de Chriſti corpore ex Virginis portione compacto expendere. Cur, rogo, leuis nubecula perhibetur: cùm Mater potius ſpiritale Dei Verbum denſauit in carnem, ſolidauit in oſſa, coëgit in membra, conſtrinxit in neruos, corporeâque mole indutauit? Profectò quia Virgo nubes priùs Spiritui ſancto obnupſit, incorporeiſque officiis maritata 21.

maritata onustæ carnis grauedinem exuit, subtilibúsque euaporata virtutum areolis in defœcati spiritus transiuit leuitatem. Carnea quidem permansit, quæ carnem præcingere Dei Verbo parabatur; sed vindicata à sordibus, sed sarcinis iouia, sed peccatorum oneribus inanis. Ideò *Spiritus sanctus superueniet in te*; quia cùm sol in nubem descenderat insinuari, opus fuit ex carne, velut terreo vapore, & ex Spiritu, velut flamine subtili, nubem compingi: nubes enim ex spiritu, & vapore conflatur. Pulchrè Procopius: *Veniet*, loquit, *in leui nube, id est, in corpore concepto de Spiritu sancto ex sacra Virgine: quemadmodum enim nubes ex spiritu, & vapore terra consit; sic Domini corpus ex Spiritu sancto, & terrenâ substantiâ, quo vectus Dominus est puerili ætate in Ægyptum. Nubem leuem appellant sacram Virginem, cuius vlnis delatus in Ægyptum est: leuem dictam, quod libera erat omni passione, & fomite, & quòd super omnes res terrenas volabat.*

Procop.

22. Notauisti stylum: *Dominus ascendet super nubem leuem?* Quidne ascendet? imò descendet, inquies, Euangelice Vates. Sol erat eminùs incolens polum; sursum nubes fœrs radiis, splendorum animata pennis assurgit, vt obuio solis penetretur incursu. Verbum Dei descendit de cælo, vt Virgineum sinum maiestate ditaret. Anne altior Virgo est; qui vt insideat sol, ascensum meditetur? Equidem in eo pellucida, oculisque peruia virgineæ nubis leuitas monstratur; quæ ita Solem sacro conceptaculo clausit, vteroque medio sepiuit, vt per luminosos etiam Virginei candoris cancellos mortalium oculos ad Solis agnitionem exciperet: quasi circumquaque foraminibus pnocta subtilibus, radios per rimulas contorqueret intuenti. Ideò venisse solem ascendere super nubem hanc protulit Isaias; vt exprimat, quamuis in sinu secreto Deus homo è Virgine genitus inlatuerit; tamen ex Virginea Matris perfectione, diuinitatique adsonis virtutibus Deum esse, Solémque iustitiæ, quasi per nubis peripheriss, & commissutas sppatuisse. Itaque sol sscendere nubem dicitur: quia ad exteriores nubis partes, lucis suæ manifestatione discurrit. Sciaa Mariam Deum reseratuisse, dum texit; prodidisse, dum clausit: leuitas nubis in causa fuit. Quibus adstipulantur, quæ suprà ex Anastasio Synaita dedimus: *Lux diuinitatis post incarnationem non est circumscripta, nec contracta; sed rursus sic etiam Deus Christus omnia intuetur, illustrat, & viuificat: illa enim Dei Verbi hypostasis etiam in carne est operta; & illa etiam ex carne mundum illustrat.* Rupertus suprà lib. 2. in Exod. cap. 29. *Quamuis sit Sol in nube, clarius tamen lucet, quàm dudum ignis in nocte.* Verum est, diuinitatem visibus occultatam humanis, ne pupillę à pondere lucido caligarent: attamen nubes omnia diuinitatis peragit indicia, siquidem nil sensit humanum, nec exteri seminis grauedine tumuit; sed quæ ex se vapor, virgulaque fumi ex aromatibus spirata surrexit, Spiritum sanctum, vt leuia nubes existeret, deuinxit. Prodest Damianus homil. 46. de Natiuit. Virgin. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem. Sol quippe cùm nube tegitur, humanis visibus occultatur; sic Saluator noster sumptâ ex Virgine se carne vestiuit, in qua diuinitas latens humano intuitu videri non potuit. Quæ nubes idcirco leuis dicitur, quia Beatissima Virgo nullo viri semine grauida, solâ sancti Spiritus gratiâ fœcundatur.*

Synait.

Rupert.

Damian.

Quàm tenuis, quàm acuminata nubes hæc! Solem ex centro excutit ad oras, & in sinu conditum ascendere facit, vt appareat. Vis adhuc nouitatem nubeculæ contemplari? Virguncula hæc virga fumi est, semper ascendens, quia nunquam in casu, Cantic. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Quíne sciscitantur? Sanè Cœlites; non telluris incolæ: aliàs si illius plagæ ciues quæstionem proponerent, non desertum esset, per quod virgula ascendebat. Si ergo Cœlites sunt, dum hæc proferrent; quàm altus fumus hic abiret! Quàm defœcata grauedine exilia, quàm subtili suffitu tatus, euaporstóque, & exhausto pondere leuis, non iam oculis, sed naribus sentiretur! Cùm enim puluisculus odorus carbonibus iniicitur, fumum spirat, qui naturâ suâ in pyramidis conum asceodit; & quò fit altior, eo tenuior, & acuminatior videtur; sempérque suauissimè fragrat. Dum cœlum feriter virgula hæc, discute, si vales, quantum spiritus sortitur, quantum corporis deponit; vt, dum virgula fumi, Maria nouæ nubes ascendit, non dubites, quin Dominus ascendat, id est, declaretur super nubem leuem. Consors vterque ascensus: quia hæc, dum ascendit, leuior fit; ille, dum sub ea tegitur, apparet. Expedit enodare Rupertum inibi: *Talis virgula tu, ô Beata Virgo Maria, suauem odorem spirasti Altissimo, cælestibus disciplinis erudita, atque extenuata. Talibus ascendisti per desertum, id est, animum habens valde solitarium.* Quidne, solitarium nuncupat, cui potiùs associata caro, perenniter copulata est post sepulchrum? Ideò postquàm virguncula nostra in cælum ascendit, non ibi solitarium animum deposuit, sed corpus animo reuinxit. Lepidè, & profundè Rupertus; Virgulam fumi protulerat extenuatam, gracilem, & subtilem: quasi caro pondera denudasset, totaque effluxisset in animum; Virgineam virgulam corpore, & animo constantem, animum solitarium vocat. Si animus solitarius est, non corporis opacitas obest, inibi disce Deum. Virtutis rigor, carnis depopulauit onus, & vt virgula leuior ascenderet, in rigoris virga constrinxit. Damianus suprà: *Maria sicut virgula fumi ex aromatibus ascendit, quia ex vita sua virtutibus in interni semper incensi rectitudinem proficere studuit: nec sparsa per cogitationes defluxit, sed se se inter arcana cordis in rigoris virga constrinxit.* Accanit Alanus: *Sicut virgula fumi, quia gracilis, & delicata: quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis.*

Cant. 3.

Rupert.

Damian.

Alan.

Quid quod animum solitarium hæc suauefumigans virgula vehat, nec sarcinis præpediatur onusta; sed gracilitate velox ascendat; si quæ virgula fumi ob extenuatam, & exuccam carnis molem, ex pigmentarij pulueris areolis ascendere dicitur, eadem nubes leuis perhibetur; eo leuis, quia carneam animam non habuit? Audi Originem homil. 3. in diuers. ad cap. 2. Matth. *Ecce Dominus sedet in nube pusilla, & veniet in Ægyptum. Ecce sedet in nube pusilla carnalem animam non habente, nec aliquam peccati grauedinem. Nubes enim in aëra eleuatur, atque leuitate sui in alta dirigitur.* En qui apud Rupertum *solitarius animus*, apud Originem *non carnalis* expenditur; me iudice, eo acumine, quòd Virgineus animus, etsi aliis hominum animis contribulis, 24.

Origen.

bulis, & ideò organici corporis actus, artuumque forma fuerit; adeò tamen quidquid carneum, depulit; quidquid materiale, decoxit; carnisque adipem in spiritus functiones depurauit: vt iam non corporis organici forma, non carnis animus, sed solitarius censeretur. Vide, quàm oppido, & opportunè Sol Deus per nubeculæ raritatem agnitionem sui exhiberet, ad exteriora nubis ascendens, vt cerneretur: siquidem rationalis animus non terreis pedicis constrictus, non carneis sordibus saginatus, nec crassis voluptatum humoribus infarcitus, limpidam Dei imaginem repræsentat. Nec dixeris, Origenem non ad Mariam, sed ad Christum leuitatem nubis applicuisse. Matris, & Filij communio, nubis sibi societatem vendicauit: vtriusque à carnalibus leuitas in commune vocabulum adegit; ne vox dissideat, cùm non dissidet ex beneficio Filij, excellentia Genitricis. Hinc vtrumque leuis nubes adsignificat.
Beda. Beda in Iob lib. 3. cap. 6. *Et pulchrè nubes leuis dicitur; siue quia ipse Saluator peccatum non fecit; siue quia Virgo Maria Mater Domini, quæ non est virili semine aggrauata, leuis nubes est dicta.*

25. Verum, si animus Virginis solitarius, carnis sibi denegat contubernium; quomodò, vt Verbum caro fiat, deligitur? Quomodò nubes nuncupatur, cui terreus vapor corpus, etsi gracile, etsi flatui peruium, compingit? Certe carnem baiulat Virginea nubes: id salutis interest, id redemptionis; vt carne circumdaret Verbum Dei. Verùm quod naturæ fuit, virtus enervauit: quod origo densauerat in virgula; virgæ rigor rarefecit. Habuit à natura, quòd caro; à virtute, quod Virgo: quâ caro, nubes; quâ Virgo, leuis: vtrumque profuit; nisi enim nubes, nisi Virgo esset; nec Dominus ascenderet, nec miseræ Ægypti tenebras
Ambros. elueret. Adsone Ambrosius tractat. de hortat ad virginit. expendens præfixa verba: *Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat; leuem, quia Virgo erat, nullis oneribus grauata coniugij. Ipsa est virga germinans florem, quia pura, & ad Dominum libero corde directo virginitas, quæ nullis in hoc sæculo curarum anfractibus reflectatur.* Ita cum nube leui nectitur Deus homo, vt quia nubes leuis, id est, caro Virginea Mariæ fuit, Dominus incarnationis œconomiam meditatus, ascenderit; & econuerso, quia Dominus in ea venit, nubes leuis professus. Melos Damasceni
Damasc. demulcet aures in Cant Eccles. ode 3.

Nebulam leuem te meritò,
Casta Virgo, nominamus,
Iuxta Prophetarum vaticinia.
Quandoquidem Dominus in te venit,
Vt ruant Ægyptia
Erroris simulacra,
Et luceat ea venerantibus
Tu antiquum Euæ debitum
Persoluisti, ô intacta.
Nouo propter nos edito Adamo.

Rimare Damasceni rationem, quare nubes leuis Maria nominetur: *Quandoquidem*, inquit, *Dominus in te venit.* Nouus rationis delectus hic videtur. Imò ideò Dominus ascendit nubem leuem, quia iam nubes leuis præexstiterat, nec ascensu exhalata in nubem, rarefacta est in leuem; sed ex nubis leuitate allectus, & sinum incoluit, vt redimeret: & verticem redimiuit, vt patesceret. Mirus circulos arguit vtrumque: nempe, & quòd ideò Dominus Virginem ascendit, quia nubes leuis præerat: & quòd ideò nubes leuis Maria est, quia Dominus ascenderit eam. Id suggerit concors Verbi Dei, & Virginis concinnitas: se alternis vicibus arguit vtrumque, paribusque gaudet discursibus explicari.

Verum quid est, quòd nubi leui annectit Damascenus. 26.

Tu antiquum Euæ debitum
Persoluisti, ô intacta,
Nouo propter nos edito Adamo?

Ex nube leui, originaria noxa eluitur. Sed imò videtur Ambrosius refragari, qui in Psalm. 118. Ambros.
octon. 5. sic fatur: *Illa autem columna nubis specie quidem præcedebat filios Israel: mysterio autem significabat Dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Isaias, hoc est, in Virgine Maria, quæ nubes erat secundùm hæreditatem Euæ: leuis erat secundum virginitatis integritatem.* Si misellæ fœminæ hæreditas transiuit ad Virginem, nubisque transmisit vocabulum, traduce labis grauedine subnigrum: quomodò antiquum Euæ debitum persoluere quiuit ære alieno obærata nubes? Quod enim familiaris suppellex, hæreditásque nobis ab Eua deuoluta, crimen originarium sonet, luculéter prodidit Bernard. in de- Bern.
precat. ad Virg. Mariam. *Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Euæ parentis nostræ est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superuestiuit carnem filiorum suorum, sicut diploide, confusione sua.* Absit à leuitate nobis Virgineæ onus peccati, quæ leuis apposita apud Damascenum nominatur, quia Euæ debitū soluit quo humana natura grauabatur: nec aliò potuit attendere Damascenus, dum nubis leuitati debiti solutionem attexuit. Leuis prisca mulier Euro superbiæ ventilata, Dæmonis pila, aëris ludibrium, quæ vix è latere virili ædificata, per Paradisi vireta tripudians, saltibus lasciuientibus lusit, serpentisque halitum leui vasculo, exinanitoque à fortitudine virginis hausit. Leuitas illa onus fuit: dilexit vanitatem, quæsiuit mendacium, & exinde graui corde riguit. Psalm. 4. *Filij homi-* Psalm. 4.
num vsque quò graui corde? Vt quid diligetis vanitatem, & quæritis mendacium? En ab inanitate, vanitateque grauatur cor: cùm potiùs ab onere, obtusâque mole, & rupeâ grauescere deceret. Vanitas vergit in ima, leuitas hæc non sursum it; declinis ruit Maria nubes leuis, quia onere impleta diuino: ideò sursum it, vbi centrum, vbi sphæra oneris sacri est, iuxta id Augustini lib. 10. Con- August.
fess. cap. 28. *Nunc autem quem tu imples, sublevas eum: quoniam tui plenus non sum: oneri mihi sum.* Quî ergo Ambrosius Mariam nubem leuem autumet iuxta hæreditatem Euæ? Meditor Ambrosio ex Damasceno lucem spargi: vterque in eundem collimat scopum. Dum Maria Euæ hæreditatem adiuit, antiquum Euæ debitum soluit. Si iners, & inops, velut Eua, ex originali noxa sorderet: quo numismate, quo censu debitum solueret? Priùs locupleti thesauro ditescere credam, vt æris alieni debitum luere valeat. Igitur Maria, quia in hæreditatem Euæ successit, antiquum Euæ debitum soluit. Qualéne debitum antiquius? Profectò originalis iustitia fuit. Hanc ab exordio Primigenia in proprium censum capessiuit, debuitque Deo suo sartamtectam, & illibatam custodire: prodegit, dilapidauit: ideò ius testandi amisit, nec posteris ex testamento hæreditatem illam valuit traducere: quæque soboles nascitur exhæres, calamitatisque pristinæ detrimenta

ttimenta experitur. Aſt mediator noui Teſtamenti Chriſtus Ieſus opitulaturus aduenit,cuius in auſpiciis vox *teſtamenti* audita eſt:quòd ſi teſtamenti, & hæreditatis. Ideò toties *teſtamenti* vocabulum geminatur,omníſque Scriptura hac nomenclaturâ potitur,quia iam exules filij Euæ,extorres à cenſu in hæreditatem, quam Eua amiſerat, aſciſcuntur. Quare cùm hæreditatis huius poſt Chriſtum prior hæres Maria ſit, quæ Chriſtum in pretium peperit:meritò hæreditatem Euæ ſuoptè iure ſortitam fuiſſe ſuggerit Ambroſius;ex qua *Antiquum Euæ debitum ſoluit, nouo propter nos edito Adamo*, accinit Damaſcenus. (Hebr.9.15.)

27. Nec vacat, quod Damaſcenus ſubintulit eo metro. (Damaſcen.)

Quandoquidem Dominus in te venit,
Vt ruant Ægyptia
Erroris ſimulacra,
Et luceat ea venerantibus.

Nouus in ſole delectus hicce eſt. Nubem delegit Sol,vt luceat, qui abſque nubis operculo liberâ,& infractâ maieſtate lumen diſpenſat. Deliquium Solis crederes (ne delirium dixerim,& inſaniam) niſi nubes Mariana ad inſolitos euectus impuliſſet.Si nubem aſcendit Dominus,vt appareat,quid, quòd ſol incubet nubi, vt luceat? Nubis leuitas concitauit ad ſedem.Caligantibus mortalium pupillis Solis ignei pondus officeret, ni à virginea nube leuigaretur. Leuitas temperat lucem, ignem moderatur, emenſiſque portionibus diſtendit, vt oculos paſcat, non obſtringat. Nubi leuitatem virginitas conciliauit. Verbum, quod lux eſt, quà è nube, homo; quà è leui, Deus oſtenditur: nam non naſceretur à fœmina, niſi homo; nec à Virgine,niſi Deus. Ideò Maria, quà leuis eſt,quà Virgo, in diuinitatis attributa conſurgit, Numiniſque venatur officia. Miraberis. Attonitum me rapit Ambroſius libro de inſtit. Virgin. capite 13. *O diuinitas Mariana virginitatis! Quaſi olla feruuit,& quaſi nubes pluit in terras gratia Chriſti.Scriptum eſt enim: Ecce Dominus venit ſedens ſuper nubem leuem. Verè leuem,quæ coniugij onera neſciuit. Verè leuem, quæ leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum. Leuis erat, quæ remiſſionem peccatorum in vtero geſtabat. Denique eleuauit Ioannem in vtero conſtitutum, qui ad vocem eius exiliuit,& infans exultauit in gaudio, prius ſenſu deuotionis, quàm ſpiritus infuſione vitalis animatus.* Miro commento nubis leuitatem enucleat Ambroſius. Quid eſt quòd in eum auſum irrupit:*O diuinitas Marianæ Virginitatis?* Abſtractum (vt alibi luculenter diſſerimus) ſolùm in Deo ob eximiam diuinæ ſubſtantiæ ſimplicitatem de concreto prædicatur,ſubiectóque in abſtracto poſſeſſiui termini applicantur. Immaterialitas illius naturæ omnem reſpuens concretionem, vocabulis ſimplicibus delectatur; quò abſtractior vox eſt,eo purior, ab exteróque genere defœcatior natura deſcribitur. En duplex abſtractum, *Diuinitas Mariana virginitatis*;& tamen illi concretorum,& ſuppoſitorum actus attribuuntur: *quaſi olla feruet,& quaſi nubes pluit*. Nouit auſum Ambroſius; ideò explicat è nubis Virgineæ leuitate. Quare rationem ſubdit: *Scriptum eſt enim de ea: Ecce Dominus venit ſedens ſuper nubem leuem.*Ac ſi diceret:Huius roſcidæ nubis leuitas ſimplicitas eſt, nullius contagij contractione compoſita,nullius materiæ malignitate grauata: adeò in apicem virginitas eius excreuit, vt quaſi ſimilitudo fumi ex ſuffimento,in ſubtiliſſi- (Ambroſ.)

mam nubem exhalata,Dei ſimplicitatem in ſinum allexerit.

Benè iſta; ſed abruptè nimis calamum effluxiſſe timebis, cùm Marianæ virginitati diuinitatem audieris attributam. Annè quia diuinitas, quaſi poſſeſſorio iure Marianæ virginitatis cœpit eſſe, dum Deus in vtero Virgineo conſitus, pudicæ Genitricis ſoboles extitit,& poſſeſſio? Non diffiteor; at altiùs euehor.Virginitas immaterialitatem amat; ſic cæleſtibus ſpiritibus ſe cognatam audit, reſpuit numerum,incumbit vnitati; compoſitioniſque nexum fugiens, in ſimplicitatis nititur diſciplinam. Deus in ſummo immaterialitatis eſt:quare nullam compoſitionem ſuffert. Vlteriùs: immaterialitatis indicium ex cognitione deſumitur; quò enim aliquid materiam denudat, eo in cognitionis fortuna præcellit. Ideò plantæ, annuente Philoſopho 2. de anima text. 124. hebete ſtoliditate, materiæque exaſperatæ accretione nullum cognitionis ſenſum ſortiuntur. Deus autem ex immaterialitatis excellentia, in ſummo cognoſcitiuus eſt.S.Thom. 1.part.quæſt.14.art.1. in corp. *Patet igitur, quòd immaterialitas alicuius rei eſt ratio, quòd ſit cognoſcitiua, & ſecundùm modum immaterialitatis eſt modus cognitionis. Vnde cùm Deus ſit in ſummo immaterialitatis, ſequitur, quòd ipſe ſit in ſummo cognitionis.* Si immaterialitas, & ſimplicitas, radix & origo cognoſcitiui eſt; cognitionis terminus, vterique ſpiritalis proles, quæ verbum mentis eſt, immaterialitatem principij arguet. En Verbum Dei, leuem, (ſic fari liceat) immaterialem, ſimplicémque in ſtricto apice indicat Parentem. Si enim Marianæ nubis leuitas, id eſt, gracilis, & immaterialis virginitas, quà leuis,quà ſordidæ cognitionis expers, in idoneum vterum Dei Verbum addixit, inque ſimplicitatem ſummi Parentis contubernium maternitatis induxit; perſpicuè diuinitatem arguit, & in ſobole, & in Genitore ſuperno. Rectâ igitur deductione Virgineæ nubis leuitas in ea verba impulit Ambroſium: *O diuinitas Marianæ virginitatis*! cùm ex virginitate Mariana diuinitas arguatur. Ex quo facilè enodabis, quæ ſequuntur. Quia ex immaterialitate dimanat cognitio, huius leuitati nubis ignorantiam non irrepſiſſe diceres; & tamen ſubdit Ambroſius: *Verè leuem, quæ coniugij onera neſciuit.* En ex ne ſcientia leuitas. Quàm pulchrè! Quia leuitas hæc virginitatis aſciâ acuitur, hæc ſolùm illi cognitio deeſt; quippe quæ ſimplicitatem illam inducto numero diſſecaret. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Leuis nubes ſum:pondus vteri è virili conſuetudine generatur; nec numerus ex prole innata ſuccreſcit, quin numerus accreſcat in thalamo. Subeſt præſtò Angelus quæſtioni Virgineæ: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Nubes leuis es; ſed iam ex cæleſtibus componeris, *nubes*, quia ex *vmbra Altiſſimi*; leuis, quia ex *Spiritu*. Queis verbis (vt pluries adnotauimus) Trinitatis opitulationem ſpopondit: & tamen vnam virtutem ſolùm obumbraturam promittit: vnitas ſectionem reſpuit; ſimplicitas in triplici hypoſtaſi ſubſidet. Ac ſi diceret: Benè eſt,quòd virum neſcias, quòd thalami comitem ignores; vna ſis columba, vna formoſa: etſi ſuccreſcas in prole, totus manebit inanis, nec exteram virtutem viri tibi aſſociabis ad vterum: ſat eſt Altiſſimi virtus, quæ vna cùm ſit, ſobole coronatur; & quantumuis (28.) (Ariſtot.) (S.Thom.) (Luc.1.) (Cant 6.)

ttes numetes in diuinis, simplicitas viget virtutis. Nescit coniugium, qui ex virtute cognoscitiua generat Verbum: ideóque simplex,& immaterialis ostenditur, quòd concubitus thalamum ignoret, & tamen ex cognitione progignat. Ad huius simplicitatis participium, ô Virgo, leuatis: quia virum nescis, nosce virtutem, concipe Verbum.

29. Cætera, quæ attexit Ambrosius, ex diuinitatis penu depromspsit, cùm redemptionis pignora sint, iustificationisque, & gratiæ munera. *Verè leuem, quæ leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum.* En satisfactio pro peccatis. *Leuis erat, quæ remissionem peccatorum vtero gestabat.* Eo peccatorum remissin. Gratiam cupis? *Denique eleuauit Ioannem in vtero constitutum, qui ad vocem eius exiluit, & infans exultauit in gaudio, prius sensu deuotionis, quàm Spiritus infusione vitalis animatus.* Quid potuit concipi sublimius? quid ex arcanis diuinitatis selectius? Peccatorum remissin, fœnoris absolutio, gratiæ largitas insigne diuinitatis est; non numismate, cui superscriptio Cæsaris, emitur; non vllius creaturæ censui deputatur: Quo iure Mariæ adscribit Ambrosius? Ex aluo Virginea quis non audax inconcussâ fide? Quia in vtero nubes hæc leuis Deum infantem leuabat; prolésque, dum in vtero est, viscerum portio censetur; quæ filij sunt, dominio matris subiiciuntur: nec extra diuinitatem it, quisquis ob diuinitatem vtero clausam, diuina munia in matre fatetur. Leuitas nubis in causa fuit, quòd leuis à fœnore, leuis à noxa, leuis ex gratia, homo se subrigeret in excelsa. Huic se sensui deuoluit
Psalm.96. Hieronymus in Psalm.96 in illa verba: *Nubes, & caligo in circuitu eius.* Cúrne in circuitu nubes; quasi nesciat gradi Deus, nisi nubis cinctus satellitio? Nescit sanè vestigia hominis imprimere, nisi nubes circueat, quæ carnem præstet, vterique
Hieron. ambitu tegat. Iam fatur Hieronymus: *Non venit, nisi nube leui. Nubes ista leuis quæ est? Videtur mihi Sancta Maria nullo humano semine pragrauata. Ista nubes leuis venit in mundum, & secum portat Creatorem. Nubes ista destruxit Serapim in Alexandria, non imperator homo mortalis; sed nubes ista, quæ venit in Ægyptum.* Plura me acuunt in Doctore maximo. Quæ ascendentis super nubem Domini sunt, ipsamet imputat nubi. Non te rapit illud: *Nubes ista destruxit Serapim in Alexandria?* Et ne pigeret, iteratò geminat: *Non imperator homo mortalis, sed nubes ista, quæ venit in Ægyptum.* Idola in trituras ruunt; in suamet Nu numina cietur Ægyptus: mœnia effringuntur, quæ densis cuneis Dæmones armauerunt. Hæc mutatio dexteræ Excelsi est, non quadrigæ, in qua vehitur. Cur, ô Beate, nubi leui, id est, Mariæ facinus diuinum appingis? Certè Isaias indeterminatè
Isai.10. prædixit: *Et mouebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Cuiusne, an nubis, an Domini? Hieronymus pro nube suffragatur. Et quidem si inter nubis amplexus Dominus delitebat, gremióque insinuatus pudico, vbera lactantis sugebat; prius Ægyptus faciem nubis suspiceret, quàm infantis. Verùm inter Matrem, & Filium non strepitus, non dissensio est; concors, & pacata lacteæ vnitatis intercedit communio. Filius nondum ab vbere auulsus, adhuc ab vtero viuit; qui vt vteri pars per mammillæ osculum continuatur. Dominus Serapim destruxit; & tamen genitricis nomen sculpi inspirat in triumpho: non enim vinceret, nisi homo; nec homo veniret, nisi in nube leui. Hæc energia Hieronymi est in illis verbis: *Non venit nisi in nube leui.* Quæ verba oleum exoptant, & lucubrationem.

Incarnationis decretum sinui Mariano adstringit Hieron. dum Dominum non nisi in nube leui, quam sanctam Mariam commentatur, venire docet. Quis nexus illigauit vtrumque? Quæ concinnitas hæc inter solium,& Regem? inter nubem & Solem? Deficerentne Domino vehicula, Soli cornipedes, quibus anteuolans auras, à summo cælo auspicaretur egressus, & vsque ad summum eius agitaret occursum? Si forsan non alipes equus, non penna velocior, quàm virginea nubes; quippe nulla simplicior, subtilior, & purior. Præpetem amabat Dominus volatum: nomen calcaria mouebat; audierat enim: *Voca nomen eius Accelera, festina prædare:* quibus (vel fallor) indoles personæ incarnandæ delineatur; quæ, vtpotè mentis diuinæ Verbum, Sapientiaque, omnibus mobilibus est mobilior, sæcula perlustrat, æternumque volat: nec foràs egreditur, & iam præ celeritate volsrus, viam suam percurrit, & à fine attigit vsque ad finem. Id facilè credes, si tuam mentem consulas, quæ rapido attractu, momento ales est, æquora tranat, terras inuisit, sydera circuit, teneram nec commouet herbam, vt sic dixerim; sed quasi piger in aula quiescit. Ergo quia Filius Verbum Dei est, nomen celeritatis audiuit: quid, quòd non nisi in nube leui venit, cui præpetem volatum simplicitas virginitatis incussit? His Hebraica lectio arridet: *Ecce Deus equitans super nubem velocem.* Quo loci Hieronymus: *Ipse Dominus veniet super nubem leuem, id est, velocem.* O quàm propè Deus nostris opitulatur ærumnis, dum equitat super Mariam! Adsonat ratio hoc euincens: nam si Verbum Dei ex cognitione est, cognitio ex immaterialitate; quod immaterialius est, deliget ad vehiculum. Virginitas Mariana, quâ excellit, in immaterialitatis laurum assurgit, ex qua ratio cognoscitiui, vt dedimus ex D. Thoma, deriuatur. Quid quòd non veniat Verbum Deus, nisi in nube leui.

Credideris obsistere Prophetam, qui alios cornipedes, aliam quadrigam volanti Deo canit. Psalm.17. vers. 13. *Et ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum.* Sic Ioui Poëtæ cecinêre quadrigam, quam per nubes rotatam; tonitrui fragores concitare credunt. Vtrobique compar stylus. Isaias: *Ascendet Dominus super nubem leuem:* Dauid: *Ascendit super Cherubim, & volauit.* Et tamen Hieronymus quasi Cherubici equitatus oblitus: *Non venit*, inquit, *Dominus nisi in nube leui.* Aptum vehiculum penniger Cherub est, vt celerrimè volet Dominus ipsemet, qui super nubem leuem ascendit. Adsonus planè vterque equitatus, & Mariæ obsequiis plusculùm famulatur. Non nimium mutauit vehiculum Dominus, cum à Cherubim transiliuit ad Virginem: vtrobique Verbi proprietatem explicuit, celeritatis amans, simplicis leuitatis cupidus, compositionis osor, virginitatis comes. Cherubim ad scientiam spectant, & in Hierarchicis cuneis scientiæ aulam possident: ideò citissimo equitatui aptissimi sunt, Verboque Dei, quod ex scientia est, simillimi. Quare si præpetem meditabatur volatum; quid quòd delegerit Cherubim in subsellium? In quo id acuminis obserus: quòd vt volucrint esset, & pernicior vectio, non super vnũ, sed super plures Cherubim equitauisse descri

Margin notes (right column): 30. (beside "Incarnationis decretum…"); Isai. 8. (beside "…festina prædare"); Sap. 7.24. (beside "…omnibus mobilibus est mobilior"); Hebraica l. / Hieron. (beside "His Hebraica lectio…"); Psalm.17. (beside "Psalm.17. vers. 13").

describitur : nam *Cherubim* plurale est , *Cherub*
Genebrard. singulare. Aptè id noster adnotauit ; Genebrardus ibibi : *Ascendit , vt celeriter adesset ; equitauit, propriè vexit se super Cherubim , non super vnum Cherub, sed plures, vt pernicior , & volucrior esset vectio.* ζῶα πτηνὰ vocat Ioseph כרוב *Cherub singulare* , כרובים *Cherubim plurale.* Quin aliud non te prætereat quòd *Cherubim* & pluraliter,& neutro genere transferuntur. Vnde Paulus ad
Ad Hebr. 9. Hebr. 9. τὰ χερέβιμ δόξης κατασκιάζοντα, id est, *Cherubim gloria obumbrantia propitiatorium.* Fugit plures literatos constructionis huius ratio, variaque supplent neutri generis vt excusent Græcos; Latinosque castigant , quòd in neutro efferunt: *Beata Cherubim & Seraphim.* Valeant critici isti. Imò , quia in Angelis sexus non est , scitè genus neutrum capessunt. Ad id virginitas coëgit ; ad id super Cherubim vectatur Dominus : nam Cherubim supra spiritus excellentiam celsitudinem addunt cognitionis ; quæ , cùm immaterialitatem enunciet. virginitatem præsignat. Pergit. Genebr. *Aquila & alij interpretes , imò & ipse Paulus neutro genere,& plurali numero transtulerunt , non quòd eius sint generis apud Hebræos, aut quod Hebræi genus neutrum habeant ; sed quia in Angelis non est sexus.* En virginitas , & cognitio in Cherubim ex sedula , acuminataque simplicitate , seu leuitatè naturæ. Ideò Dominus , qui ex pura innascitur cognitione , super tam pennigeros spiritus vectatur. Id sanè, quà Deus est : verùm, quà Deus & homo,opus fuit super nubem leuem ascendisse, quæ ex leuitate Virginea, Cherubim antevolat, comparque eum illis subsellium parat : corpore materiæ malignitatis expers, vllius inquinamenti impos, puritatis vertex; in qua Cherub attributa nobiliori statione renident, nempe virginitas & cognitio : siquidem in carneo vtero cognitionem diuini Genitoris suscepit, qua illi solùm vt obiecto, beantur. Imò,cùm plures Cherubim ad celeritatem Dei equitantis inseruiant , vna Maria sat est. Quid, quòd iam non veniat Dominus nisi in nube leui
Hieron. iuxta Hieronymum, desiliatque de Cherubim factus homo:nube enim corporea opus erat ; & ne à Cherubica sella humanum degeneraret subsellium, Maria electa est,cui adeò Dominus assuitur, vt dixerit,ille : *Ista leuis nubes venit in mundum, & secum portat mundi creatorem,* Quàm pernix præoccupatio !

32\. Vix nubes subleuatur,& iam insidet in illa Dominus , moræque impatiens non tarda molimina suffert , nec temporis sustinet segnitiem. Imò à virginis natiuitate vsque ad incarnationem lustra transierunt: adoleuit puella,antequam vterus diuinitate tumeret. Non ergo quandò hæc nubes leuis venit in mundum,secum portat mundi creatorem. Non benè discurris,quisquis sic insurgis, nubis excellentiam. Si cùm oritur, Mater iam clamatur, natumque ab ea Iesum audis : cum natiuitatis Marianæ celebras lucem ; quid si iam vehat creatorem? Quando enim non mater , quæ sæculi auctorem generauit ? Ad maternitatem decreta, delecta ad puerperium adeò sibi adsciuit prolem , quam post annorum moras conceptura erat : vt ex aptitudine & idoneitate iam Mater apud Dei sapientiam censeretur : generationis præludia ab exordio apparebant. Imò cum veniret ad nubis huius vterum Verbum Dei, vt ocyor & volucrior eius putaretur aduentus,in ipsamet nube venire crediderís: velut si à summo cælo adhuc equitaret in Virgine, vt citis-

Zerda, *Mariæ effigies.*

simum sibi pararet descensum. Alibi obseruo cogitatum hunc affixum illis verbis : *Spiritus sanctus* Luc. 1
superueniet in te: in te,non in accusandi,sed in auferendi casu construo; ac si diceret: Ipsemet Spiri- Ioan 3.
tus,qui præperi flamine,vbi vult,spirat, pennatóque plausu orbem complet ; vt velociùs ad te veniat. in te superueniet, id est, super te ad te , quæ meritis congruentibus , incarnationis celeritatem acuisti. In hac nube leui ad hanc nubem equitans Dominus citissimè venit , vt nec ipse veniat absque nube: sicut ipsa non venit in mundum, vt dicebat Hieronymus , nisi creatorem mundi secum vehens. Fausto calculo suffragatur Ambrosius in Psalm. 118. octonar. 3. *An nescimus , quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum , non sicut Verbum aduenio, quale in principio erat, quale erat apud Deum : sed semetipsum exinaniuit , formam serui accipiens? Venit in nube leui, & cùm esset Virtus Altissimi , obumbrabit Maria , vt transfiguraret corpus humilitatis nostra configuratum corpori gloria sua.* Scatent acuminibus verba Ambrosij, Ambros.
quibus posteà, nacti occasionem , fruemur. Non te fugit illud, *Venit in nube leui, & cùm esset virtus Altissimi , obumbrauit Maria ?* Si Maria leuis est, annuente Ambrosio pluries in locis suprà datis, quomodò in nube leui vt Mariæ protenderet vmbraculum, venit ? In nubem dixeris, non in nube. Imò nescit à nubis vectaculo diuelli : ingeminat vices , implicatque modos vis amoris : venit in nube in nubem, vt in nube sidat; in Maria trahitur ad Mariam, Si Mariæ congrua merita pellexeruot, vt sinum incoleret humanum, quid, quòd in nube leui & virginea ad virgineam nubem venisse dicatur ?

Quæ vt fulciantur , non par est Eliæ ostentum 33.
prætерire, 3. Reg. 18. *In septima autem vice ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Quàm absque peccati grauedine nubeculæ ortus ! Terrigenæ dum gignuntur , cadunt; 3 Reg. 18.
peccatum,quod contrahunt, casus est: in labem labuntur,& quia è mari non prodeunt, non lauantur. Nubecula hæc cùm gignitur, ascendit ; imò ascendere, gigni est; & ascendit à mari, à quo & nomen habuit: tam dissitæ originariæ fordes ab hac nube sunt; vt potiùs aqua, quæ expiat & abluit à traduce sorde, dederit ortum. Nec amaricantis pomi saporata veneno est, etsi ab amaritudine maris ascendat: nubes enim è mari exhalata , originis vitium non bibit, nec à maris vulua amarescit ; sed potiùs in pluuias laxata, terras dulcore perfundit. Nondum modum explicuimus. Quid est, quòd pusilla nubecula quasi vestigium hominis ascenderet: cùm vestigium non ascendat , sed pes : nec cùm vestigiis semita teritur , facilè à longe potest discerni , an homo, an fœmina vestigia sculpsit ? Ibidem, vestigium non in aëre : sed in leui, humentique foditur terra : liquidus ventus, & inanis, fluidoque lapsu euanidus , depositum pedis custodire non præualet. Denique quod diutiùs angit, mentemque solicitat, quid est , quòd nubecula speciem hominis exhiberet, quam vt effingeret, solùm pedis lineaméta deduxit? Abulensis sic scholiat inibi q. 35. Abul.
Dicitur, quod erat, quasi vestigium hominis, id est, vestigium pedis, & hoc ponitur ad significandum, quòd erat nubes parua. Sed quis pusillitatis explicatui vestigium hominis adstringit? Non scitus defectus hic ; cum alia pusilliora potuerint exprimere paruitatem. Ergo ex nube leui , quam apud Eliam, ascendit Dominus factus homo, res censenda est.

Vestigium pro effigie, similitudineque & lineamento alicuius rei accipitur, non propriè quale penicillus inductis coloribus efformat: sed quod res ipsa reliquit in indicium sui. Sic vestigium corporis, ipsius corporis impressio est. Mariæ & Dei hominis vnitas, inconcussusque nexus sic speciem lineaminaque constituit, vt ille appareat, dum illa, nec valeat fœmina sacra effigiari, quin Dei hominis vestigium exprimatur. In prædestinatione, quasi eadem vtrique subseruiret idea: eo vinculo stringuntur, quòd Mater Virgo non nisi sub filij Dei humanis coloribus obiectetur, velut si circumdaretur ab eo, quem vtero circumdat, specimenque redderet hominis, quem progignit. Ideò nubeculæ stylus, organicaque leuis molis compago vestigium hominis est. Nec abest lepiditas, cùm vestigium hominis apparet in auris: quippe cùm ascenderet Dominus nubem leuem, vt pernicitet curreret viam suam, quasi tota ad hominis Dei cursum delecta, tota nubecula vestigium hominis est. Quibus non indecorè illustrabis Hieronymum & Ambrosium, quatenus apud alterum, dum venit hæc nubes in mundum, secum portat mundi creatorem: apud alterum verò venit in nube leui, vt ipsam nubem, scilicet Mariam, adumbraret. Ideò totum hominem nubecula descripsit à pede, vt
Prou. 30. 19. motum, aduentumque signaret: & quando Aquilæ volantis per aëra semita ignoratur, si semel nubecula Virginea per aëris gradiatur campum, vestigium hominis nouo prodigio præsentat: cùm, quotquot vestigia ipsa perarat, ipse imprimere videatur.

Virginis caro corporum glorificandorum auspicium fuit.

SVBSECTIO III.

54. AST arida hæc, & ieiunia, nisi sacræ nobis leuitas, à carnalibusque expedita virginitas; te à terrestribus, crassisque vaporibus extricet, & in odorem vnguentorum eius, per spiritales abeas functiones. Animal exuas, mentem induas, & euacuatâ sarcinâ, in glorificati corporis aduoles portum. Hæc te nubes Virginea docet: in hoc institutam Sol venit in nube. Consule Thaboris cacumen, Dominus glorificati corporis paradigma præmittit. Qualem deligit apparatum? Solem in facie. Matth. 17. *Et resplenduit facies eius sicut Sol* Annè sat? Sol iners & solitarius est absque nube: ni nubes leuis circumdet, nondum quies: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Et illicò Chrysostomus homil. 57. in Matth. ante med. *Semper enim apparere solet Deus in nube, sicut scriptum est: Nubes & caligo in circuitu eius.* Vtquid Virgineæ Matris symbolum in transfigurati corporis specimine? Hùc spectant, quæ suprà discussimus de nubis Marianæ leuitate, quam virginitas, carnisq; extenuatio, & gracilitas conciliauit: quàm ideò Dominus ascendit, vt volucriùs vectaretur, vt clariora lumina mandaret: quæ quidem corporis gloriosi dotes sunt, agilitas, leuitas, claritas. Is incarnationis scopus, corporis transfiguratio. Meritò lucida nubes obumbrat, voxque ex nube sonans, Verbum Patris indicat sub nube; neabsque nube leui, corporeæ gloriæ prolegomena pangerentur. Iam callebis Ambrosium suprà: *Venit in nube leui, & cùm esset virtus Altissimi, obumbrabit Maria; vt transfiguraret corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori gloriæ suæ.* Nubes obumbrans, quæ in transfigurati corporis indicium distenditur, priùs Virginem inuaserat, vt carnem Virgineam ad præludia gloriæ in spiritales dotes effingeret, ab omnique macula præpurgaret. Compar stylus: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos: Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Transcripti characteres ab vtero Mariano ad Thaboris verticem manifestant, id inibi in conualle Virginea inchoatum, quod peragebatur in vertice. Eadem Virtus obumbrat fœminam, vt det corpus aptum Verbo, sine ruga tersum, sine næuo pulchrum, sine sulcis planum, sine noxia grauedine liberale; quæ corporis gloriosi dotes postea in cacumine patefecit.

Vis probem? Virtus Altissimi obumbrat Virginem, id est, supernus Pater diuinum aperuit secretum, vt ex virtute, qua æternum gignit, mater grauidaretur, corpusque compingeret, quale opus erat vt assonâ proportione Verbum Dei intra virgineū gremium exciperet. Annè Pater ipse obumbrat in monte corpus illud, iam gloriâ perfusum, iam claritudine micans, iam ex subtilitate peruium; vt ostenderet illùc tetendisse corporis illius opificium in vtero Matris: nec ex Patris superni maritante virtute, virgineæque carnis defæcatâ substantiâ potuisse coalere, nisi corpus illis dotibus diues, illis gloriæ pignoribus eximium? Quòd illa nubes, quæ obumbrauit in monte, Virtus Patris fuerit, perspicuè docet Origenes apud S. Thomam in Caten. *Lucida autem nubes obumbrans Sanctos, est Virtus Paterna.* E corpore Filij disces, quid in transfiguratione corporis Matris actum est. Eadem sanè virtus obumbrauit ad gloriam, quæ maritauit ad fœtum? nisi quòd obumbratio transiuerit in Solem. Audisti: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Si amicit Sol: cur non dixeris obumbrare, non claritatis dispendio, sed parilitate mysterij? In id enim virtus Altissimi obumbrauerat, vt corpus talibus cælaturis perpoliret, prærogatiuis excoleret, vt & Soli præberet corpus, & pòst in gloria, Solis corpore amiciretur: amiciuisse, obumbrauisse fuit. Ambrosius Ansbertus lib. 5. in Apocal. *Denique sequitur, Mulier amicta Sole: ac si diceretur, Beata semper Virgo Maria obumbrata Altissimi virtute, cui videlicet dictum ab Angelo, scimus: Spiritus sanctus, superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi: illa scilicet virtus, de qua Paulus dicit Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Mira res! Ignea lampas frigescit in vmbraculum, quæ ardet in amictum: dumque se Solem prodit flammis satellitibus; se virturem manifestat, siquidem ardore non vrit, sed lucet: non incinerat, sed refrigerat, non consumit in puluerem, sed consummat ad gloriam. Eiusdem colluctationis temperaturam, aduersantiumque rerum pacem in incarnatione inuenies: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Nonnè tenella Virguncula trepidaret ad vocem? nam Spiritus est Deus: Deus autem ignis consumens est, præcipuè Spiritus sanctus, cuius ex igneo rogo, vel ad linguam, flammarum redundant indicia: sic in linguis igneis descendit. Addit Angelus: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quæ contraria sunt, vna periodus claudit, ignem, qui consumit: vmbram, quæ fouet & friget. Hæc virtus Altissimi est, quæ contrariis peragit contra

Marginal notes: Matth. 17. — Chrysost. — Ambros. — 35. — Origen. — Apoc. 12. — Ansbert. — Deut. 4. 24.

contraria, & in Mariæ beneficium, omnipotentiæ prodigit sinus. Ea arguties in Bernardo est, serm. 1. de verbis Apocal. *Non est mulieris potentia, vt sustineat Solis amictum. Non est virtutis humana, sed neque Angelica quidem: sublimior quædam necessariò est. Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te. Et tanquam respondeat illa, quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est: Virtus, ait, non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi. Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus.* Si idem Sol, qui flagrat amiciens, refrigerat obumbrans, repenteque benignitate ingenitas flammas non in ardorem, sed in lucem expendit: quid, quòd fœmina immersa sub Sole potiùs fotum, quàm cinerem expectatur? Didicit ab exordio his flammis non cremari, sed pasci: non aduri in excidium; sed rigari in vigorem. Generandi virtutem ex calore suscepit, ex vmbraculo velum Sponsæ, palliumque mariti. Ideò compar stylus, & cùm corpus Virgineum beatur in gloriâ, & cùm generandi virtute souetur ad prolem. Igneus Spiritus incalet, vt tepeat sinus; obumbrat virtus, ne ab æstu fatiscat: sic corpus, quod gignitur, diuina temperie coagulatur ad gloriam, quam ex generetionis disciplina didicit; vt pòst in Thabore ic præsentaret: nam Sol in facie pro igneo Spiritu fuit; nubes obumbrans, pro obumbrante virtute. Noueris ex Mariano sinu, transfigurationis lineamenta deducta. Pari methodo, Mariæ corpus beatur, quam Sol, dum amicit, obumbrat: nec solùm iam in facie coruscat, sed vt totum corpus ambiret pepli delegit officium: quasi qui ex vtero egressus, ex quo in omne corpus expenditur nutrimentum.

36. Verùm, si sub Solis tota, quasi sub aprico, mulier degebat: cur à Sole se decoloratam eiulat, vertens in Solis notam, calamitatem nigroris? Cant. 1. *Nolite me considerare, quia fusca sum, quia decolorauit me Sol.* Totuum causatur Solis aspectum; dumque greges minabat, rurique rusticana degebat, nigricantem cutem Solis irrogat æstui; cùm tamen venustam se æstimet, liberalique facie decoram. Seneca Natural. quæst. 2. *Decoloratur*, inquit, *id, cuius color vitiatur, non mutatur.* Quale vitium in Sponsa à Sole, quod pulchritudinem maculet, fuscet candorem? Equidem ex Solis contubernio Moysis facies ardebat, prospectantium oculos obstringens; ideò velamine opus fuit, ne verbere lucis incuentium pupillæ vapularent. Si forsan id filiabus Hierusalem suadet Sponsa? Ne me, ô vos, consideretis & intueamini, quia pallor ignis ex Solis consortio sic faciem ambit, vt si obiiciaris oculos, ab igne reuerberante feriantur: propriè enim *decolor* pallidus est; pallor autem color ignis & auri. Id quidem fuscus color significat, non enim est planè niger, sed pallor, qualis ex ignis ad faciem accessu solet in facie videri. Hinc fusca laterna apud Martial. lib. 14. epigram. 57.

Cornea si non sum, nunquid sum fuscior, aut me
Vesicam, contrà qui venit, esse putat?

Id est: Etsi cornea non sum, æquè fusca sum, ac cornea, lucemque reddo, qualis à cornea egredi solet. Ergo aliquomodò fuscam, laternam corneam sensit; de qua tamen cecinerat epigrammate antecedenti.

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Imò Hesperum, id est, lucidissimum astrum, quod vesper, seu serotina stella dicitur, equo fusco vehi canit Ouidius 2. Fast.

Hesperus & fusco roscidus ibat equo.

Id autem euenisse Sponsæ ex Solis sodalitio suadet, quod de cornuta Moysis facie scribit Ambrosius in Psalm. 118. *Quod ne quis non putet corporaliter id fieri potuisse, cognoscat. Etenim vsu Solis, quòd multis etiam pallore confectis, totius corporis figura mutatur, & ignis vapore calefactis species vultus rutilans offunditur. Oriente die rubent terræ, croceo colore perfusa, imaginem de beneficio mutuatæ. Gemmarum quoque monilia coruscantia transfunduntur finitimis, quòd ipsa radiauerint; & miraris, si Moysis vultus diuina infectus sit claritate præsentia? Miraris, si refulgente Dei gratia iustis vaporetur ingenium?* Si Mariam Sol amicit, etsi non torreatur à flamma: quid, quòd vaporetur ab igne, vt Solis indicia facies ferat, reliquiasque lucis fuscus color custodiat? Venustas non læditur, sed sacratur, cùm ab ardoria fumo subniger est vultus Amaliæ. Aliter enodatem: Ne me consideretis fuscam, qualis color in Euæ filiabos facies infecit, in qua spiraculum vitæ halauit Deus, vitiauit serpens: non hic mihi color, sed quia Solem induo, Solis colore perfundor. Si amicior Sole, non vllus mihi color est, nisi quo Sol coloratur; in quem oculi, qui me satagunt intueri, opus est, vt priùs elidant. Sic accipio: *Decolorauit me Sol*, id est, colorem abstulit; quippe quæ aliquo inuoluitur tegumento, dum sub tegmento est, non nisi ex tegumenti colore iudicatur. Imaginem de beneficio amicientis Solis Maria mutuatur, qualiter ex Ambrosio audisti: *Oriente die rubent terræ; croceo colore perfusa imaginem de beneficio mutuata.*

Non inscita hæc. Verùm Maria, dum ruri degebat vineæ custos, potiùs Solem amiciuit in vtero: quàm Sole tegeretur. Cur se à Sole decoloratam prætendit? An quia tumens venter fuscæ notæ potuit ansam præbere filiabus, quæ mysterij ignaræ, accusarent de nigrore; cui sub cute Sol, quasi ex flamma omnium recocta subnigrum suspicioni fecerat tumorem? Ideò præoccupat adolescentulas: Ne me putetis fuscam, ne decolor vocer in iudicium: Sol me decolorauit. In quo ea emphasis: integra cutis est; solùm in colore varietas intercessit, pudoris valuæ infractæ manent; non cæsa virginitas, sed saciata. Color Matris virgineo accessit colori, pellis imperterritâ venustate. Sol desuper decolorauit, non libidinis æstus: quippe qui non colorem solùm conturbat; sed carnis temerat integritatem. Hunc sensum amauit Rupertus lib. 1. in Cant. *Nolite, filiæ Hierusalem, considerare, quòd fusca sim, id est, corrupta, quia quòd tumentem vterum habeo, non fecit vir, sed ita decolorauit me Sol. Verus Sol, & Sole Deus longè pulchrior, semetipso me impleuit, de semetipso me impleuit, de semetipso vterum meum tumentem reddidit. Sed sana cute decolorata sum, quam non flamma ignis de deorsum, sed desuper Sol decolorauit, quod salua virginitate grauida essem, quam non vir terrenus, sed Pater cælestis de Spiritu sancto grauidam fecit.* Fige tibi illud, *sana cute decolorata sum.* Apprimè quidem, cùm coloris varietas nec carnis discurit lineamenta, nec venustatis dissecat decus: viguit virginitas, dum maternitas accessit. Aptè *decolorauit*, ait, id est, non mutauit colorem pristinum, sed miscuit ex nouo, & mansit vterque: *Quòd saluâ virginitate grauida essem, desuper Sol decolorauit.*

Bernard. Exod. 3. Cant. 1. Seneca. Exod. 34.30 Martial. Ouid. Ambros. 37. Rupert.

En idem vocabulum & Solem amicienti, & Sole amictæ Mariæ subseruit, vt corporis gloriosi dotes ex vtero disciplinam gloriæ hausisse dignoscat: nam Sol, qui abintus sinum incoluerat Virgineum, carnemque non læserat, sed colorem variauerat, foris rutilans in gloria, sublatenti corpori colot est.

38. In quod illa suaui ingenio inclinant, quæ Sponsa præmiserat: *Nigra sum, sed formosa, Filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quo loci pro *nigra*, *fusca* legit Ambrosius, & Origenes: nam Hebraicè est שחורה *Schora*, & significat *fuscam*, seu *subnigram*. Quid est, quòd tentoriis Cedar, id est Arabum, & Agarenicorum, similem se prodat, & pellibus Salomonis, vt venustam se pangat; licèt in cute, subnigra videatur? In eo ingenium. Tentoria Arabum, si è foris aspexeris, sordent è situ, nigrent ab æstu, imbribusque tacta, multoque puluere sparsa, fœdam cutem oculis obiicrunt: ideò corium materia illis est, temporum flagellis accommoda; intus tamen placidâ venustate arrident picto stromate variegata, auro texta, uncta gemmis, opere polymito, Babylonico digito elaborata; vt si pellem, coriumve regytes, seu euoluas, locuples pulchritudo, & splendens unus perstringat obtutum. Igitur sensus Sponsæ est: Solem in vtero veho, cui tabernaculum sum; etsi extrâ subnigra videar ex carne cæteris mortalibus contribuli; tamen gloria filiæ Regis abintus, in vestitu deaurato circumdata varietate. Nunc tentorium solem amicit, extrâ sub dio temporum calamitatibus obiectum; tamen cùm tentorium euoluatur, sol, qui abintus sub pellibus est, amiciet pelles, corpusque teget: vt compar sit gloria, qua viscera, sole clauso, fruebantur; & ea, qua corpus ab ipsomet sole, verso tentorio, in beatitate pollebit. Sol intus erat, cùm Mater fieret; cùm corpus beatur, corpus se abintus agit, reuolutaque pelle sol ambiens superficies est: eadem pellis est, eadem caro; solùm reuoluitur superficies. Albertus Mag. in cap. 1. Luc. ad illa verba: *Ideò & quod nascetur ex te sanctum. Tabernaculum sui corporis in sole posuit, quando in vtero Virginis, quæ Sole amicta est, clausus fuit.* Mirum commentum hoc est! Ideò Solem vterum Virgineum vocat Albertus, quia Virgo Sole amicta est. Vide Beate, quòd solis amictus in cœlo sibi mulierem absorbuit, non quando in vtero sara Dei soboles coaluit: quid præoccupas solis obsequium, & de beneficio futuro præsentem nomenclaturam imponis? Non segniter rem odoratus est: quia postea sole amicta fuit in cœlo, iam diutina voce adhuc sub conuexis Virgineus vterus, solis baiulus, sol fuit: quasi amictus ille semper extiterit; sed filamentis inuersis, sed pelle nondum euolutâ: dum euoluèretur, apparoit sol; qui radiis, quasi textoriis, tabernaculi Virginei subtegmen irradiabat. Quin & Hieronymus Mariæ vterum solem appellat, in Psalm. 19. *In Sole posuit tabernaculum suum. In sole, in vtero sancta Maria Virginis.* Quid solem nuncupas vterum, qui continet solem? An ex solis contubernio nomen hæreditauit? Si proles in vtero pars viscerum est, synecdochem crediderim, dum vterum Marianum solem audio: totum significatur à parte. Vel forsan metonymiam dixeris: nam Damascenus sic modulatur in Cantic. Eccles. od. 6.

Conclaue Solis abditi
Tu fuisti, qui creauit, & distinxit
Luminaria magna fortissimè,
Castissima Virgo, Deique Sponsa.

Qui locus fortunatò pro coronide est, institutoque faustus, quòd ex Solis symbolo, in quo Trinitas effigiatur, teximus Virginis elogia; vt pote quæ trinitatis sunt, Mariæ pangunt panegyrim. Conclaue Solis abditi vocat Damascenus, non vulgari sensu: nam conclaue est secretior locus in interioribus tectis, cui vna clauis domesticis communis, tricliniòque proximus. Virgo Mater, dum solem, id est, Verbum Dei, in vuluæ secreto recondit, ternario domestico personarum per clauem vnam, Filium nempe Dauid, communis est, tricliniòque vicina, & è trisolari Deitate iugibus luminibus illustrata. Quam præmiserat Damascenus ode 5. loco pluries repetito.

Quem nos certè nouimus
Mystagogum esse vnius.
E trisolari Deitate.

In Mariani vteri Virgineo circulo Circulus. Deitatis innotescit. Maria circumeuntem Luciferum triumphauit.

SECTIO II.

Ergo in Virgineo Sole omnis consummationis vidisti finem, totius scilicet Trinitatis; in qua finis quidem est non consumptionis, sed consummationis. Dum edocet 39.
Trinitatem electa vt sol, sol in consummatione est. Hugo Victor. tom. 2. serm. 34. in Natiuitate Virg. *Nubes protectione, stella cuiuslibet virtutis, aut boni operis inchoatione, Luna eiusdem augmentatione, sol consummatione.* Et quidem similitudo Trinitatis in sole, non vndè depingitur à Patribus; sed in tribus, quæ in sole inueniuntur, videlicet orbe, radio, lumine seu splendore. Sic Athanasius tom. 2. in Quæstionibus, quæst. 4. *Quemadmodum sol constat tribus subsistentiis; ita & vnus Deus tribus personis. Typus enim Patris est orbis solaris. Typus Filij est radius. Typus Spiritus sancti est lumen solis. Proinde die ista. in sole orbis, radius & lumen: non dicimus autem tres soles, sed vnum & solum: similiter & in Deo Pater, Filius & spiritus sanctus, vnus Deus, & non tres.* Singula non segniter discutiamus: nec trilucem hanc, siue trisolarem irradiationem in Virgine nostra collectim & confusè prospectemus; sed tripartito labore: in orbe Trinitas, in radio Trinitas, in splendore Trinitas refulgeat.

Et quidem orbis, seu globus, specimen Trinitatis est. 40.
Vnde in tribus solis globis apparuit, non vt Iupiter ab igneo clamans globo? vt fabella finxerat Priscorum. Nancasensis enim ciuitas, vt est apud Sigebertum, postquam eliminauerat Arrianorum luem, ad templum grata sese recipiens, tres nitidos globulos æthere ab alto descendere attonito vidit stupore: tres, quos par efformabat & claritas, & splendor, & pulchritudo, & pondus. Qui, dum in medium templum ante Præsulis oculos deuenere, ecce pene

Cant. 1.

Ps. 44. 10.

Alber. Mag.

Hieron.

Hugo Vict.

Athan.

Sigeb.

penetranti & ſtricto ſeſe imbibunt amplexu, & vna ex tribus ſimplex euadit Margarita. Cur ex tribus globis Margarita, quaſi coagulatâ exumpit Trinitate? Certè ob vnitatem: quin & ob incarnationis myſterium in Maria Virgine peractum: cuius Margarita ſymbolum eſt. Quod la- S. Eph. tè & profundè proſequitur S. Ephræm in toto ſermone de Margarita pretioſa.

41. Dionyſ. Nonnè Trinitas vnus orbis, ſphæraque circularis eſt? Sanè Dionyſius ſic diuinum amorem pulchro gyro circumactum explicuit: *Diuinus amor eſt ſicut quidam æternus circulus per optimum, ex optimo, & in optimo, & in optimum, inenerrabili conuerſione circumiens.* Sed pulchriùs intelligibilem hanc ſphæram, circu- Gerſon. lumque in Trinitate depingit Gerſon, agens de Maria tract. 3. ſuper Magnificat: *Conſiderat hæc fides circulum quemdam intelligibilem in triangulo perſonarum. Pater enim dat ſe Filio, quem diligit; Filius Patri impendit ſe per amorem, quo flagrat in Patrem. Hic autem amor communis eſt Patri & Filio, tanquam nexus amborum. Iure ergo dictus eſt Deus, quaſi ſphæra intelligibilis, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam, niſi, ſuple, in ſeipſo. Non autem poteſt ſe Deus ad extra communicare, niſi quodammodò punctualitate.* Rogo. Nonnè ſe communicauit virgineo vteri circulo circulus iſte, non in punctualitate solùm, ſed & in circuli manifeſtatione. In hoc eximiam Mariæ ſublimitatem ſuper omnes creaturas conſidera. Ad extra non ſe communicat Deus, vt ex Gerſone audiſti, niſi in quadam punctualitate, id eſt, niſi vt vnus; quippe qui per omnipotentiam creat, quæ vna eſt; nec alicui creaturæ Filium corporandum dederat, quo circulus gyratus in Excelſis, dum ad Patrem, Spiritus ſancti complexu, à quo exit, redit. At Mariæ ſe quaſi in circulo dedit: licèt enim non totus circulus incarnationem ſubiuit; tamen quia Filius vuluam impleuit, circulum Ioan. 13. manifeſtat: *Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit:* Et quia circulus ex amore deſcribitur à Gerſone, qui Spiritus ſanctus eſt; ideò licèt ſolùm Filius à Virgine gignendus, tamen priùs Spiritus ſancti vocabulum auribus inditur Luc. 1. Virgineis: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te:* deinde duæ aliæ perſonæ: Virtus Altiſſimi, & Altiſſimi Filius. Cur ſic inuerſus ordo? Vt illicò diuinus circulus appareret, qui in amore eſt: *Hic autem amor,* inquit Gerſon, *communis eſt Patri & Filio, tanquam nexus amborum.* Non tamen ob id Spiritus ſanctus ſecunda perſona eſt, ſed potiùs ſapientiſſimus Princeps inter tres, Filius per originem mediat. Quare in illo ſyllogiſtico circulo diuini amoris *medium* dicerem eſſe Filium: nam ideò amor notionalis eſt, quia duæ perſonæ reciprocâ ſe diligunt flammâ; duæ autem non intelliguntur eſſe priùs, quam conſideres Filium. Si ergo interroges: cur Spiritus ſanctus in Diuinis eſt? Dicam, quia prima perſona filium habet, & inter vtrumque eſt amor; medium ergo ſyllogiſticum Filius eſt. Nec diſſidet Gerſon, qui circulum ſic delineat. *Pater dat ſe Filio, quem diligit; Filius Patri.* An ideò in Maria circulum hunc euincam? O eximia Mater! Cur ex perſonis incarnatus Filius? Si forte, quia medium eſt, quare circululus in Trinitate: et ſi medium; opus erat, vt Trinitas attingeretur: cùm licèt carnem non ſumerent Pater & Spiritus ſanctus, tamen neceſſitate ſaltim & connexione vterum Virgineum implere debuerint. Quantum acumen in Damiano ſerm. 43. Damian. *In illa Deitatis eſſentia, media eſt inter Patrem & Spiritum perſona familiaris humano generi benignitate, familiarior identitate. Vnde & Dauid: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & illum in medio maieſtatis eſſe proteſtans, & noſtrum aſſerens ſpecialiter, qui noſtræ mortalitatis induit veſtimentum. Pater enim & Spiritus impleuerunt quidem Virginem, ſed maieſtate, non ſuſceptione. Eſt & in medio Virginis ipſius vtero ſubſtantialiter illapſus, qui medietatem ſtateræ comprehendit humanæ. Deus enim noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Quid comptius & illuſtrius potuit cogitari? En qua parilitate conſonent vteri medium, & medium Trinitatis; id eſt, perſona Filij, & Virginis vterus, vt vndequaque Trinitatis circulus appareat.

In Trinitatis circulum Lucifer irrupit, circu- 42.
lumque ſibi meditatus circuibat quærens, quem 1. Petr. 5.
deuoraret. Quid eſt, quod circulum circuerat? Quòd Triados orbem ſibi ambiuit, orbem quidem cœleſtem, & intellectualem: *Aſcendam in cœlum,* dicebat Iſai. 14. Quid cœlum ſatagis, Iſai. 14. Cherub protegens, extenſamque cœli pellem adorans effringe? In cœlo quidem creatus fuit: poſt creationis inſtans hæc verba procax effutiuit. Quale cœlum amat aſcendere, qui in cœlo iam eſt? Cœlum Sanctiſſimæ Trinitatis: nam Filium Dei deuorare geſtiuit, cui ex origine ſimilitudo ineſt Altiſſimi; dumque Filius medium Trinitatis eſt, in Trinitatem iouchebatur. S.Thom. 1. p. q. 61. art. 4. ad 3. *Dicendum, quòd* S.Thom. *loquitur ibi non de cœlo aliquo corporeo, ſed de cœlo ſanctæ Trinitatis, in quod Angelus peccans aſcendere voluit, dum voluit aliquomodò Deo æquiparari.* Ideò appoſitè circuiens, quærenſque deuorare dicitur: nam ſpiritalis ſubſtantia intellectuali palato mandit, cognitionis epulis paſcitur, intelligendo maſticat; verbum, quod intelligit, degluti. Lucifer ille, qui manè orie- Iſai. 14. 12.
batur, ſcientiæ plenitudinem, quæ in Verbo Dei eſt, appetiuit. Ideò totam ſibi mandere Trinitatem, circuitumque ſacrum inhians deuoratè deſcribitur. Aſt dum manum ad epuli triclinium extendiſſet, Aquilonari gelu riguit, igoique in pabulum, gehennali foco in epulum proiectus eſt. Petrus Abbas Cellenſis lib. 1. de Pet.Cellenſ.
Panib. cap. 1. *Vidit conſortem natura ſua luciferum gulam deſiderij ad hanc menſam extendiſſe, & non exinde diuinitatem, ſed mortem deguſtaſſe. Vidit manum in lateribus Aquilonis porrexiſſe, & ſtatim glacie Aquilonari riguiſſe, ſeu gehennalibus flammis exarſiſſe? Fortè omnipotentiam Patris, fortè ſapientiam Filij, fortè bonitatem Spiritus ſancti fera illa beſtia voluit deuorare hæc enim ſunt fercula menſæ Dei, cui non communicat alienus natura, conditione, ſorte; ſed ſola Trinitas ſingulariter, perenniter, inuiſibiliter gloriatur.* Pondera illa: *fera illa beſtia voluit deuorare.* Alludit ad id Petri: *Tanquam* 1. Petr. 5.
leo rugiens circuit quærens, quem deuoret: nam circuitum in Trinitate præmiſerat. Si forſan ob id ſapientia genita in Excelſis gloriabatur: Ec- Eccleſ. 24.
cleſiaſt. 24. *Gyrum circuiui ſola*, ac ſi diceret: Tu circuitum effero ſpiritu cogitaſti, gyrumque Trinitatis regyrare voluiſti: ideò in Filium, qui medius eſt, qui ſapientia, iaculum contorquebas Incaſsùm laboraſti; nam gyrum cœli circuiui

sola: simitudinem enim Altissimi obire, soliùs sapientiæ genitæ est; non datur vlli, nisi hanc tuet sapientiam in vteri circulo gignat. Ergo & Maria gyrum cœli sola circuiuit. In contumeliam tuam, ô superbe, non solum Deus de Deo circuit gyrum; sed humilis creatura, vt te pudeat, gyrum hunc in vtero circumdedit. Adsit Richardus à Sanctus Laurentius libro 7. de laudibus Virg. *Quia figura orbicularis inter omnes figuras maxima est capacitatis, rectè figurat Mariam, in cuius viscera se conclusit ille factus homo, quem non capiebat totus orbis. Nec solummodo fuit capax quantum cœlum; imò in se continuit ipsum cœlum. Vnde benè dicit: Gyrum cœli circuiui sola, Christum scilicet, qui est gyrus in gyrabilis, circuiui gremio vteri mei: sola, id est, sine consortio viuili.* (Richard. S. Laur.)

43\. Ergo Maria Luciferi inuentum opere sortita, dum gyrum ipsum, scilicet Verbum Dei, vtero circuit, in sanctæ Trinitatis asciscitur contubernium, Cherubicumque gradum supergrediens, in Diuinitatis interiora subinditur. Cur Lucifer Cherubicæ adscribitur Hierarchiæ apud Ezechielem: *Tu Cherub protegens*; cum Seraphici agminis primicerius arderet, vt alibi ex Sanctus Thoma firmo? Putauerim: quia scelus nomen imposuit, ex ausuque flagitij vocabulum mutuauit. Circuire gestiebat circulum Trinitatis, & vsque ad penetralia subindere principatum, Id Cherubinorum proprium est, quorum proprietas prima est *in circuitu esse* apud Dionysium Areopagitam; vtpote qui scientiæ plenitudine in Dei interiora subintrent. Ideò qui inter Seraphim creatus flagrabat, dum Cherubinorum abruptè amauit officia, circoitumque supra Angelum concupiuit, Cherub meritò nuncupatur. Peristi miser. En ob te in circuitu impij ambulant. Inuenit Maria quod intorto calle quærebas; inuenit gratiam apud Deum, ideò circumdedit virum, & vsque ad præcordia Patris penetrans, Filium vnigenitum extraxit. Allonè Albertus Magnus in Mariali cap. 194. *Secundus ordo vltimæ Hierarchiæ est Cherubim, cuius secundùm Dionysium quatuor sunt proprieta es. Prima est in circuitu esse, per quam secundùm commentatorem intelligitur, quòd in circuitu sunt, quia ad totum, quod est, intrant. Hanc ergo Beatissima Virgo habuit in summo: quia ipsum totum circumdedit, & prætereà intima viscera misericordiæ Patris intrauit, & ei filium vnicum & vnigenitum de corde extraxit.* Quid pulchrius? Hinc ruinam Angelorum gyrum dixerim & circuitum: quippe omnes illi insolescentes Spiritus, Luciferi insequuti ducatum in idem flagitium irrepserunt, nempe *in circuitu esse*, similitudinemque Dei de præcordiis extrahere Genitoris. Ideò gyrus cœli, spiritalibus amputatis portionibus, Angelicisque deturbatis fragmentis, mutilatus & sectus manserat. Quæ creatura gyrum hunc mutilum vsque ad orbis plenitudinem posset rotare? Maria gyrum generans, circulum perfecit: nam cùm, vt diximus, medium circuli Trinitatis Filius Dei sit; vt participatus Angelicæ creaturæ gyrus instauraretur in orbem, non alia suberat semita, quam quòd ipsum increati gyri medium inter creaturas supputaretur factus homo. Sic primum & vltimum in vna nectetentur hypostasi, circulusque consummaretur Angelicus. Id ex Maria sortitis, in qua Deus & homo in vnam confluxêre personam, (Eze. 28. 24. — Dionys. — Psal. 11. 9. — Alb. Magn.)

Acumen est Alberti Magni in Mariali cap. 202. *In Beatissima autem Virgine fuit perfectè operum consummatio, quia omnia creata in vno homine vniuntur cum Creatore, & primum fit vltimum, & vltimum primum: non enim est perfectio motus vel operis, nisi in circulo.* An ob id ruina Angelica repata? Audi Richardum à S. Laurent. lib. 4. col. 33. *Ruina Angelica per eam reparata. Vnde Maria de se dicit: Gyrum cœli circuiui sola. Gyrus est perfecta rotunditas, & in hoc notatur, ruina Angelica plena & perfecta restauratio.* Aptè. Nam Virgineus vterus gyrus fuit, ita perfectus, vt ei nulla portio deficeret: quippe integer & illibatus pudor omnem circumferentiam custodiuit infractam; & ne carneus orbis ex aliqua parte dehisceret, virginitas miles restitit. Quin gyrus hic & orbis diuinum gyrum, circulumque continuit, in quo homo & Deus, primum & vltimum coiêre. Quare iam in circuitu throni ob Mariam perfectus prædestinatorum numerus stans Regem gloriæ circumdabit, & Angelica demolitio instaurationem inueniet. (Idem. — Richard. S. Laurent.)

Quàm capax orbis Marianus, qui girum cœli circuit, increatumque orbem ambit. Iam capies, quid sibi voluerit Venantius Honorius libr. 8. Hymnorum. apud Bibliot. tom. 6. p. 2. sic Mariam alloquitur. 44. (Venant.)

Hæc tibi qui, indignus quamuis, corde, ore, susurro,
Spes mihi sis venia, qua vehis orbis obem.

Obserua, *quæ vehis orbis obem. Obem* posuit pro *orbem*: satiùs duxit vocabulo detrahere, metri lege impellente, quam acumen subsilere. Orbis Virgineus orbem ferebat, non Atlanteis humeris, sed tenello sinu: orbem, inquam, filium Dei, ex quo orbis, & circulus in Excelsis, vt prædiximus.

His tamen obsistere videtur, quòd Maria à Patribus *stella poli descriptiua* nuncupatur: Sic Bernardinus tom. 3. sermone 1. de nomine Mariæ articul. 2. *Beata Virgo comparatur stella poli.* Poli autem stella, si Astronomicos consulas, breuissimi circuli est. Non igitur orbicularis figura, quæ Soli competit ob parulam capacitatem, vtero adaptanda Virgineo. Sed, si orbis ille, & circulus Trinitatis, partim maiestate, partim susceptione, vtero claudebatur; quantum circuli circulum dixeris? Quod autem breuior stellæ poli circulus sit, Marianam supermiraculum euehit excellentiam; cùm, si circulos euoluas, viciniorem cunctis circulo Trinitatis Virginem admiraberis. Quò breuior circulus est centro vicinior apparet. Si naturæ semina, sphæramque introspicias: tres tibi circuli medianti obiicientur; inanimatorum, viuentium, & intellectualium. Centrum Deus est, præcipuè incarnatus, qui salutem in terræ medio operatur. Qualisne orbis est hoc centrum vicinior gyro concludens? Virgineus vterus: orbis quidem breuior, quia vicinior; latior, quia Dei. Iuuat ingenium Bernardini sortiri, qui sic suprà cap. 2. *Totus mundus describit quamdam intelligibilem sphæram, cuius centrum est Filius Dei Iesus Christus. Hæc sphæra multos circulos habet intra se inuicem ordinatos. Vnde tantò circulus est breuior, quò centro vicinior. Maximi verò circuli circa hoc centrum intelligibile ipsa corporalia sunt. Alium circulum complent vitam habentia vegetatiua; & dehinc alium sensitiua; & dehinc tertium intellectiua: & inter hæc omnia breuissimum faciat circulum Beata Virgo Maria, quæ per* 45. (Bernard. Senens. — Idem.)

mentis

mentis deuotionem arctiùs eum constrinxit, & facta est orbis Filij Dei, de qua Ecclesiast. 24. Gyrum cœli circuiui sola. Quid suauius, & cum præfatis conformius. Nonne attendisti centrum nuncupari Filium Dei Iesum Christum? Cur id secundæ personæ, & incarnatæ accommodat Senensis? Certè quia, quà Filius Dei, medius in Trinitate est, vt prædiximus ex Damiano; quà homo ex Virgine, salutem in medio terræ operatus? Quòd autem

S. Bernard.

Virgo medium sit, vulgaris Bernardi locus inclamat, in die Pent. serm. 2. *Et tunc iam operabatur salutem in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate, terra medium appellatur. Ad illam enim, sicut ad medium,* &c. Vicinior centro circulus Maria est. Thronus Dei dicitur. Calluisti proprietates throni? Areopagita

Areop.

descripsit. Quarum prima, sicut de Cherubim diximus, est in circuitu esse: inde throni vicinitas innotescit, quippe qui sedentem ambiat, & vsque ad vestis limbum circumdet. Ea intimitate, quam spiritalis penetratio exoptat, id à thronis Angelicis exercetur. Quid intimius Mariæ throno, quæ, dum Altissimi penetrauit abyssum, sibi Vnigenitum corporauit: & subter Deum nihil propinquius Deo est; nec potuit arctiùs Deo necti, nisi

Alb. Mag.

Deus fieret? Proloquium est Alberti Magni post expositas thronorum proprietates in Mariali. p. 3. *In hac autem annuntiatione Beatissima Virgo ita in circuitu fuit, quod magis coniungi Deo (nisi Deus fieret) non potuit.*

46. Itaque Maria orbis est Filij Dei, ac proinde orbiculari dote electa vt Sol præsignat Trinitatem, nitidiùs quàm Sol ipse; vtpote vitaliter circulus animatus, qui Filium Dei contingit, & circuit. Supra tres circulos à Senensi sapienter expensos vicinior hic Solem vehit. Quantum nunc gaudeo Astronomorum disciplina! *Cœlum Solis inquiunt, tribus constat orbibus, quorum medius Solem vehit.* Neque enim; nisi triplex globus, aula fieret coruscæ picturæ Trinitatis. Hinc trisolaris

Damascen.

Deitas in Virgine, stylus est Damasceni in Cantic. Eccles. ode 3. In præfatorum subsidium assonat miraculum, quod in Virginis puerperio contigit.

Anselm.

Auctor est Anselmus in Elucidario: *Circulus aureus, vel purpureus circa Solem claruit.* Cœli pellis aureâ literaturâ descripsit virginei circuli Solem ambientis symbolum.

47. Non reticebo Cantic. locum c. 5. vers. 14. *Ma-*

Cant. 5.

nus eius tornatiles aureæ, plena hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphyris. Sponsi venustatem pictutat Amasia; eò ingenij, quòd potiùs fœmineus decor, quàm virilis videatur; quippe non vir, sed fœmina digitos aureis lapidibus carcerare consueuit: à ventre viri laus, cui vulua non prole tumet. Sed corporis Sponsi pulchritudo in Mariæ sinu detornata ex fœmineâ venustate describenda est, vtpote quæ non è viri operata est officio; nec virum habuit, quem illa soboles referret: solius Matris speciem, & formam resculpere valuit. Examina decoris dotes: *manus eius tornatiles.* Ex Hebræo traostulit nonnemo: *Manus*

Septuag.

eius orbes aurei, in quorum plenitudine Tharsis. Septuag. *Manus eius tornata, aurea impleta Tharsis.* Quid est *tornatiles?* Torno elaboratæ, quasi annulis, rotunditateq; circũcisæ, quasi singuli orbiculi, singuli digiti; vt, quidquid manus operabatur, in circulo fuerit, in quo perfectio. Id pronum ad Mariam, è cuius vtero tornatilis circulus incepit. Fige tibi, quale pulchritudinis elogium Filius Sponsus Amasiæ Matri rependit, cap. 7. vers. 2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis.* En idem stylus: nam manus illæ ex hoc vmbilico prodière, circulus ex circulo. Toroatilis

Hieron.

apud Hieronimum exactè rotundus intelligitur, Hebraicè הסהר *hassahar.* Luna; cùm orbem complet, ita ab Hebreis nuncupatur, id est, plena & rotunda. Dignosces, cur ventris encomium manuum attexit elogio, quasi è ventre ad manum vicinia sit, & propinquitas. Profectò quia è ventre tornatili, & orbiculari manus tornatiles prodierunt, id est, amicæ circulorum, nempe operum perfectionis: quippe in vtero Mariano prima operatio circulus fuit, vbi dici eructauit Verbum, Pater Virgini; vt ab optimo in optimum circulus gyraretur. Adsit Richard. à S. Laurent. lib. 5. p. 371.

Rich. à S. Laur.

Manus tornatiles, id est, per circuitum circumcisa, & quosdam circulos spectantibus preferentes, sicut omne, quod torno circumcisum est, circumpolitum est: quia in suis operibus circulos exprimebat omnimoda perfectionis, & spiritualis conuersationis. Circulus enim est ab eodem in idem reuersio. Nam sicut ex Patre omnia operabatur; sic ad ipsum, & in ipsum omnia pro gratiarum actione referebat. Nec vacat illud: *In quorum plenitudine Tharsis,* pro eo quod vulgata *plene hyacinthis.* En Mariæ

Vulgat.

vox, quæ nescit à circuitu diuelli. Tharsis (puluerem densum literati mouent) ex origine *mare* significat: deinde, ex mari cæruleo, cæruleum lapidem, seu hyacinthum, seu chrysolitum. De maris significatu plura sunt facta. Ps. 71. vers. Esai. 2. vers. 16. 3. Reg. 10. vers. 22. 2. Paralip. 9. vers. 21. mille. Si Tharsis in manu Sponsi, si Mariæ cognata vox; quid quòd circulus in manu, quæ in vteri virginei circulo detornata fuit.

Psalm. 71. Esai. 2. 3. Reg. 10. 2. Paralip. 9.

Verbum Dei radius in Maria & eius puritatem, & suam à Patre originem illustrat.

SECTIO III.

48. Satis hæc de Solis orbe. Nonnè & Solis radius, dum Filium indicat diuinum, elucidat Trinitatem? Sic censuit Na-

Nazianz.

zianzenus orat. 45. ad Euagrium: *Quemadmodum inter orbem, & radium propter impassibilitatem nulla diuisio reperiri potest; verùm vt radius orbi coniunctus est, ita rursus orbis, oculi cuiusdam instar vniuersitati radios suos fluminis in morem effundit: haud secus etiam Patris velut radij quidam ad nos demissi sunt, tum splendidus Iesus, tum Spiritus sanctus.* Equidem radius æternæ claritatis in vtero Virginis effulsit, verè radius, vtpote Filius Patris, quem radium Cyrillus Alexand. appellauit, & Tertulianus lib. 4. contra Praxeam c. 8. Ideò in concipiendo virginitas: nam fœtus radiùs fuit intellectualis: si radius; ergo Verbum, & terminus intellectus: si Verbum per auris organum infunditur; ergo illibatus pudor Virginis nostræ generationem Filij demonstrauit æterni.

Cyril Alex. Tertull.

Augustinus serm. 17. de temp. *Nunc nobis est datus, qui est an sacula natus. Datus in partu Virginis filius de substantia Genitoris. Cùm igitur seruilem casam per ostium fidei speratus quondam Dominator intraret, rubuit inuialata virginitas. Nec pessulum pudoris infregit, & in sacris visceribus radius aterna claritatis effulsit.* Obseruaua consequentiam: *Filius de substantia genitoris:*

August.

Igitur

Igitur per ostiū fidei inviolatā virginitate subintrat. Quare, si ex impassibilitate orbis solaris, & radij individuam vtriusq; naturam ad Trinitatis mysterium ostendit. Nazianzenū, & Virgineus vterus radio inflammatus, nec patitur, nec læditur, sed illibatus viret; quid deficit ad symbolū Trinitatis? Opponens fœmineæ carnis sordidam materiam, corruptioni obnoxiā, squalori mœsti pstā, & fæculentis naturæ lacessitā iniuriis. Quare, licèt radius alias ortens sit & innocuus, impassibilitatem; ex qua orbis Solaris cum radio individuus est iuxta Nazianzenum, nequit possidere. Non benè nostri Marianæ carnis claritatē: si introspicere medullitùs cupis, examina ex animis, cuius decus redundaoit in carnē. Quare ex radio Patris, & carne virgineâ mundissima proles exorta est, licèt vesanus freudeat Manichæus. Quàm scitè Dionysius Carthus. de Præcon. & dign. Mariæ l. 1. art. 15. *Quod si sensibilis radius immunda purget, mundus permanens; vniturque fordibus, fordem non contrahens: cur diuinitatis superSplendidissimus radius purissimus virginea, & item sacra puella sanguinibus absque propria puritatis damno vniri non valeat, præsertim cum nec culpa maculam, nec virtutis splendorem carnis, nisi per redundantiam ab anima in (?) sse constat. Igitur si dignitatem carnis Mariæ, serena acie speculari festina, anima in primis contemplare virtutes.*

Carthus.

49. Compar etiam coniectura Trinitatis emicat in radio, quatenus, licèt sub connexis imis telluris plagas collustret, & pingat; ab orbe tamen Solis non discedit. Id in Virginis Filio generationis diuinæ æternitas emicat: totus cum Patre, quando totus cū Virgine emicabat. Hioc Athanas. tom. 2. in Quæst. q. 4. *Quemadmodum radius Solis descendit de cœlo ad terram, nec ab orbe solari separatur: sic etiam Filius & Sermo Dei descendit ad terram, nec Patrem dereliquit.* Audisti prodigium? Ne mireris. Radius ille sermo Dei est Deus loquitur Verbum, audit per fidem Virgo: vnde cùm in Virgine est, non deserit Patrem, cuius loquelam iugiter alit. Ascendit fides Virginis, aurem inclinauit; Verbum bonum eructauit Pater: quare radius ab orbe suo discessit; sed Virgo accessit: fides eucta est, cui insidens Verbum, aulam pristinam non deseruit. Pulchrè Augustinus serm. 17. de Natali Domini: *Ex sinu Patris in vterum dignatur descendere Matris: sed nec regionem suam Maiestas infinita deseruit, nec cum virginalis aula, dum accepit, inclusit. Fides à terra in cœlum erecta est. Hanc Christus insedit, & per ipsam in templū pudoris intrauit.* Nequiuit doctiùs & radij indolem, & Verbi processionem, & Virginis exprimere dignitatem. Mira itineris inuersio! Priùs fides ascendit virginea, quando descendere Sermo Dei parabat. Ergo non solùm præcessit nuntium suum Dominus; sed & fides Virginis itineris semitam præoccupauit. Eucta est in cælum, & in Ipsa Sermo Dei insedit. Sed parilem censeo vtriusque cursum, Verbi descendentis, ascendentis fidei: simul enim & è labiis promitur verbum, & auditur; imò ex linguæ loquentis ad autem mutuo respectu & habitudine, vox in auribus fieri dicitur ab Elizabeth, etsi à lingua aëris verbere formetur. Vt ergo panderet Augustinus, qualis persona concipereturin Virgine. Virginem aduocat adstipulantem, quæ Trinitatis cognata prolem, quam concipit, manifestat ex aure. Quasi auris vterus ad sermonem Dei præcucurrit, instruit vuluæ, qui Patrem non deserunt.

August.

Luc. 1.

Si radius per aurem, antequam per auras subiret ingressus in vterum, carnis operculum subintrauit: quid, quòd non discederet à Sole genitore? Auris sensitiua ooo est, nisi verbo gradienti: verbum autem, etsi auriculæ consitum, non deserit satorem. Ergo nullum ferme spatium inter Patrē luminum, & Virgineē Matrem interesse credas. Nec radium vi contorqueri opus fuit: lubenter delapsus, benigna voluntate, suopteque decursu se applicuit ad aurem; adeòque propinquam inuenit, vt in cœlo crederes suam stellam hanc; quæ radium hausit à Sole ve pōst sub salubri luce, mortalium procumbentibus inspiraret. Ita Maria meritis ascendit, vt crederes in cœlo enizam. Num. 24. *Orietur stella ex Iacob.* Vt quid *stellam* vocas, si ex Iacob oriundam prædicis: cum *stella*, cœlestis sit; terreus, *Iacob*? An quia Maria radij genitrix in cœlo pepe-risse videtur? In huoc sensum facilè Beda veoit inibi: *Stella ex Iacob, id est, Maria: stella enim in cœlo sita est, & exit claritas ab illa; sic ex Maria claritas, id est, Christus ortus est: vnde Israel hoc de Christo pro fortitudine dicitur.* Perpendisti rationem? Stellam ex Iacob *Mariam* commentatur: quia stella in cœlo sistitur, & tamen claritudinem ex se effundit. Dispar prorsus eum Maria indoles, quam & terra parens; & domesticus sub cœlo cultus, & inter terrigenas cognatio, cœlestibus globis in syderum morem figi non finit. In eo potiùs similitudinis videbatur esse societas; quòd stella robet radio, quem parit: nec pudoris patitur eclamitatem, nec integritatis deliquium; sed radij rubor, pudor illi est, splendisque; virginitatis opitulator & testis. Profundè Venerabilis Pater tem meditatur. Si Virginis Filius, vt radius oritur ex Matris sinu, se Verbum Dei, obuia ratiocinatione, manifestat: igitur ab Altissimo priùs traxerat ortum, & in eius mente perdurat: ergo sinus Mariæ ad auris modum censendus est quæ in Verbi attipit loquentis, vt loquentem verbo non expoliet; sed diuitem linquat comet pignore, quo potitur. Inter verbum autem & aurē, nullâ infensi obicis intercapedine, longitudinéque distantiæ intercedente: procliuis vicinia est & propinquitas. En curè vestigio arguit Beda, virgineam stellam quasi in cœlo firam enituisse, lumenque peperisse pndiciter: quippe radius genitus, nempe Verbum, ad viciniam cum Sole genitore, nēpe Patre dicente, cēsendam adegit. Ecquid *orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël*, tam distantium rerum vaticinium? Stella spirabile lumen cœli est, cœlo figitur, cœlo cunabula debet; virga è telluris visceribus assurgit, & per arboris fibras benè altra tenerescit, viret, solidatur. Quam dispar genus stellæ, & virgæ! Ast, si virgo stella est, etsi distent inter se cælum & terra, in vnam Mariam amico nexu coiuisse dignosces. Eadem quæ ex terra est, quā Mulier; quā radium gignens, syderei chori positionem adornat, & inter astrorum lumina corruscum obtinet principatum. Ideò stella, eadē quæ virga sub breui periodo ab aruspice Balaam prævidetur: quia hominem, Verbumq; Dei pariturum è terra assurrexisse ad homanitatis fructum opus fuit, & in cœlo enituisse ad Deitatis radium.

Num. 24.

Beda.

Num. 24.

51. Vis aliud? *Orietur stella ex Iacob & consurget virga de Israël* Iacob & Israël duplex vocabulum vnius viri. Isaaci filius, ab vtero supplantator, nomen *Iacob* ab infantis ingenio, sacroque dolo desumpsit. Rebeccæ viscera ad puluerean palæstram in vteri circo locum dedere. Noodum luce potiti, teatis lacertis collidebantur gemelli. Gen. 25. 25.

Alter

Alter alterius ortum, manus gesticulatione præpedire gestiebat, plantam presit: ex tunc *Iacob* nuncupatus quasi *supplantator*; dicerem, quasi *sub planta*. Quale nomen terræ aptius? Terra semper sub planta est. En *Iacob* terreum nomen. A pueso duelli amans, vir duellum non dimisit, sed mutauit. Exertis brachiis cum Angelo colluctatur, qui & nomen indidit, dum victus, herbam porrigebat: *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum; sed Israel*. Cur sic nominis impositio? Pondera textus consequentiam: *Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te; nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Iacob. At ille: Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël*. Qualis hæc coortextutæ successio? Quia strinctim prendiderat, & vsque ad anhelos Angeli conatus arctissimo amplexu membra sugillata, brachiisque terebat implexis; ideò *Iacob* nomen in *Israël* præscribitur commutandum? Benè quidem, & ex ingenita vocis proprietate. Israël *videns Deum* interpretatur. Visio Dei, in qua beatitudo inest, est apprehensio, strictaque tentio Deitatis, quæ spiritalibus brachiis, arcta penetratione prenditur, & teoetur; adeò vt ex intellectu & diuinitate sic neruosè defixâ vnum principium coëat visionis: En quàm coniuncta Deitati mens, sicut inter Iacob lacertos constricta & carcerata. Ergo si Deo sic adhæres: terram exue; ima vocabula depone; propinquitas te cælestis ambit: cæli indiges esto, Deóque tuo contubernalis, & municeps. Non iam *Iacob*, non terreus; *Israël*, sed cælicola ex beatitate, Deitatisque tentione sis. Iam ergo difficultas in vaticinio Balaam. Si stella pignus cæli est, si virga è terra: cur sic mutantur vocabula, situs variantur: vt dicatur stella ex *Iacob*, id est, ex *terrestri*; virga verò ex *Israël*, id est, *ex cælesti*? Sedulò quidem, & ex sapienti delectu. Vt absque mora disceres in Mariam cælum, & terram confluxisse; quæ Deum hominemque genuit; quæ simul virga & stella est; quæ nequit intelligi terrigena, quin cælestis; nec cælestis, quin de terra. Ideò, ne totam periodum expectasses, stella ex Iacob dicitur, non ex Israël: ne anxius terram quæreres, ex qua Maria; tibique non contribulem doleres: mox Iacob stellæ appingitur, vt à planta pedis ad cæli verticem facili tractu eas, velocique volatu; nec discrimines in Maria cæli, terræque incolatum, quæ radium concepit, qui Verbum Dei est. Idipsum, cum virga profertur, præcauetur. Non virga dicitur ex Iacob, sed ex Israël, vt in periodi singulis incisis mysterium panderetur, & vtriusque sphæræ in elogio Virgineo concinnitas. Alternat cum terra polus, vtraque creatura, cælestis & humana, tertio quoque verbo commistus famulatur obsequiis. Excellit Maria Iacobum. Angustus illi, & breuis erat sinus, vt vtrumque sibi adscisceret nomen: *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël*. Cur non vtraque nomenclaturâ potiatur? Cur nominis nouitas veteris possessionem excludat? Vocetur vtroque vir iste; nec à cunabulis inditum vocabulum perdat. Id fragilis naturæ admonuerunt angustiæ: nequit vtroque nominari, donec veniret ille, qui fecit vtraque vnum, duplexque vocabulum copulauit in Christo, & vt inciperet nexus exerceri, præludit in Matre, cui cæli, terræque nomen, sicut & imperij habenas, dedit; vt Mater & Virgo, stella diceretur & virga, sicut & ipse Deus, & homo, terreus & cælestis, Iacob & Israël vocaretur. Ideò forsan Genes. 22. sic promittitur Abrahamo: *Multiplicabo semẽ tuum sicut stellas cæli, & velut arenã, quæ est in littore maris*. Cur sic deiicit stylum, repit in puluere, qui in croceis gradiebatur? Arenam copulauit astris, quasi syderei essent lapilli in sinu maris enutriti? Id benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei iam inde ab exordio cogitauit. In semine Abrahæ, quod est Christus, dies promissionis cedere parabatur; istic sponsionis complementum Dei fœdus destinauerat euenturum: ideò ex stella, & puluere specimen componitur futuri, vt ex cælo, terraque coalesceret numerosæ similitudo prolis: siquidem in illo semine benedictio gentibus spondebatur, quod vtramque naturam ad vnius personæ hypostasim illigauit. Quid quòd orditetur à Matre, & ab vtraque sphæra vocaret; stellam scilicet, ex Iacob; virgam, ex Israël; vt in Maria incarnationis præluderet Sacramentum?

Gen. 32. Gen. 22. Gal. 3. 16.

Igitur radius in Virgine Verbum est: ideò inter Verbum & carnem lux interponitur apud Ioannem: *Verbum erat apud Deum: Erat lux vera, & Verbum caro factum est*. Compar stylus: *Erat Verbum. Erat lux*, Voce æternitatis vtrobique diuinitas inclaret, in qua nec præterit, fluxuque disparet, quod fuit; nec alicuius futuri perendinatur possessio. Theologicè quidem idem Verbo & luci versus adhibetur, quippè Verbum lux est, radiusque mentis, qui tamen adhuc intra Diuini Patris feruidum sinum delitebat, cum nondum esset creatura, quæ excipere posset ipsum in vtroque munere, quà Verbum, quaque radium; donec affuit Maria, cuius caro Virginea in Verbi, & radij excepit maiestate. Quid habuit singulare Maria, vt vtrique muneri subseruiret? Animo & corpore Virgo fuit. Nunquam noxæ contagium læserat animum, impuritas carnem inquinauerat. Ideò è corde ad vterum spatiosum sinum potuit offerre, vt Verbum ab animo transiret ad corpus, & radius à cordis secretis penetraret ad voluam, qui integritatem non rumperet, sed sacraret. Verbum in intellectu solùm subsidere assuescebat: radius etiam corpora tangit, & fouet: ergo Verbum se radium manifestauit in Virgine; vt, quam radius, in eius corpore acciperetur; quà Verbum, nec in conceptu corrumperet, nec in partu. Sensum hunc admittit Petrus Damianus serm. 1. in Epiphan. col. 3. *Ipsa ex se radium illum emisit, qui penetrat vsque ad cordis secreta: scrutatur enim corda & renes, eo quod viuus est Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus*. Aciem radij ex Sermonis Dei acumine probat Damianus. Potiùs ab acuminato radij mucrone acumen Verbi videbatur probandum: quia notior est radij subtilitas. Sapienter procedit purpuratus Pater. Quod priùs in Filio Dei intelligitur, est Verbi proprietas: quoniam ab intellectu gignitur. Quare huius facti radij subtilitas ex subtilitate Verbi dignoscitur. E corde Virginis in vterum, è mente percurrit ad voluam: à puerpera emittitur radius, qui suam originem pungere nescit: nec principium, à quo egreditur, violare. 52.

Ioan. 1. Damian.

Exod. 34. *Cùm descenderet Moyses de monte, ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*. Nonnulli sciolí ex Hebræis nostram editionem taxant, *cornutaque* vocem lirorant, 53.

Exod. 34. Eph. 2.

turant. Ex ambiguitate irrepſiſſe dicunt errorem inter vocem *cornu*, & *radij* ſeu *radiantis* vocem. Nam cornu, inquiunt, vocatur קרן *Keren*, per duplex *Segol*; radians verò קרן *Karan* cum *Camez* & *Patach*. Sic igitur legunt: *Et Moyſes non ſciebat, quòd radians eſſet, ſiue ſplenderet, aut ſplenduiſſet, ſiue radios iacularetur cutis faciei ſuæ, cùm loqueretur tum eo.* Abeant iſti cum ſuis elementis, quæ benè Interpres noſter callebat. Licèt enim *Karan* radium ſignificet; à dictione tamen *Keren* nonnunquam deriuatur, & ſignificat *cornutum eſſe*. Id ex radij ſpecie pronum eſt componere: nam radij ſe exerunt è Sole in cornu modum: cornua credideris rutilo coruſca ſplendore medias lunulas exhibentia, radios è Sole contortos. Igitur, quia radiis Moyſi cutis emicabat, aptè ex radiorum acumine, qui gemino quaſi mucrone finiuntur, *cornuta* facies Moyſi perhibetur. Cur, rogo, ſic acuminatus, ſplendidúſque Moyſi vultus? *Ex conſortio*, inquit, *ſermonis Domini*. Quis conſortium cum ſermone vnquam rexit? Si diceret *cum loquenti*, caperem. Sed ô benè! Si Sermo perſona eſt, appoſitè cum Sermone habetur conſortium. Sermo Verbum Dei eſt. Si iam exinde præcentiones humanitatis pangebantur; quid, quòd homo conſortio cum Domini Sermone fruatur? En cur radians facies; cur cornu pro acie exhibebat? *Quia viuus eſt Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio.* Se Moyſi vt Verbum applicuit: ideò radiis vultum variauit; iam exinde auſpicans, & adumbrans radium, id eſt, Verbum Dei carni adhæſurum. Cui cogitatui vt fidas, id mentem ſolicitat: cur nunc ſingulari hac irradiatione Moyſi vultus emicuit, cùm toties cum Domino conſeruiſſet loquelam, diùque in Montis vertice conuerſatus; nec tamen ex conſortio ſermonis Domini flagranti cuſpide facies armabatur? Certè aliqua nouitas radiorum flammas excuſſit. Si forſan dexteram Dominus impreſſit in facie, Dexteráque Domini fecit virtutem? Hæc mutatio dexteræ Excelſi fuit, quæ carneæ faciei inſinuata, reddidit radiantem. Sic cenſuit Lippomanus inibi: *Sed dicet aliquis, cum etiam antea tot diebus fuerit cum Deo conuerſatus, & cum eo in monte loquutus; cur etiam tunc rediens non fuerit tam ſplendidus? Reſponderi poteſt, quòd quia interim multo magis in ſpiritualibus donis, atque diuina contemplatione profecerit, & iam Deum in forma tam glorioſa conſpexerit, ac Dominus ſuper faciem ſuam poſuerit dexteram ſuam, ideò clarior factus eſt.* Neſcio, ex quo fonte vir iſte hanc ſingularitatem libauit. Crediderim ex non impolito diſcurſu. Si cum ſermone Domini conſortium inierat, è ſermonéque ad faciem manipulus radiorum incuſſus eſt, quaſi ſermo, Verbúmque Dei (vtpotè radius) tranſiſſet in faciei carnem, dexteram Domini ſuper faciem fuiſſe iure coniectabis: quia Verbum eius dextera Dei eſt. Ideò in forma Deum conſpexiſſe præſcribitur; vtpotè ſi iam exinde habitum hominis Moyſi demonſtraret, quem ex Maria in plenitudine temporis induere parabat: quam ſic inuaſit, nec feriens, nec vrens virginitatem; ſicut radius faciem Moyſi in cornu modum ambibat, cuius mucro non carnem radiantis introrſùm feriret; ſed aciem ex aduerſo videntibus exhiberet. Quæ plurimùm fauent præfatis Damiani verbis: *Ipſa ex ſe radium emiſit, qui penetrat vſque ad cordis ſecreta.* Quâ Verbum, excepit; emiſit, quà radium; quæ ex conſortio ſermonis Domini genuit Sermonem: nec ſibi in aula ventris reſeruauit, ſed partu virgineo enixa eſt, vt radium; qui mentem noſtram ignito mucrone feriret: nec cutem iam quæreret, qualem in Moyſe, vtpotè qui tunc carnem ad induendum amabat; ſed potiùs mentem, vt oſtenderet ſe à Verbi non degenerauiſſe natura, cùm limpidum Mariæ ſinum incoluit. Hoc pondus eſt in Bernard. Senenſi tom. 1. ſermone 52. art. 1. cap. 1. *Sed maximè Maria ſtella eſt, quia emiſit per natiuitatem Filij Dei radium mentis noſtræ irradiatiuum.* Non illepidè comma interponerem, quod diuideret ly *mentis*, & ly *noſtræ*: ſic conſtruens: *Quia emiſit per natiuitatem Filij Dei radium mentis, noſtræ irradiatiuum*: ac ſi diceret: Verbum Dei dum ex Virginea carne oriretur, non deflexit à proprietate Verbi, & radij mentis, nec deſciuit à genere, quod haurit ex Patre: ea puritate natiuitatem capeſſiit, quòd adhuc radius mentis perſiſteret, ac proinde non quæreret carnem noſtram, ſed mentem: quoniam natura conceptus, & Verbi intellectualis eſt tendere ad irradiandam intellectualem aulam, vtpotè ſimilem illi, à qua exoritur. Ex Virginea carne radius emiſſus, corruptæ carnis oſor, carnem illecebris, peccatorúmque ſordibus fœculentam incinerare ſolicitat, mentéſque illuſtrare; vt ardor in carnem irrumpat, ſplendor in mentem; qualiter in Maria, cuius caro, carnis neſciuerat ſordes, ſed in ſpiritus tranſierat officia; nec ſemiuſtulatam cutem reliquit, nec pudoris candorem temerauit, ſed in mentis modum ſplendore depinxit.

Ad Hebr. 4. 12. — Lipp. — Bernard. Senenſ.

54 Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Quídne accendatur? ignis, an terra? Terra quidem: nam ignis ille iugis ſibi; non precariò victitat ex ſubiecta arborum ſylua, lignorúmque congerie. Qualíſne terra? Quam plaſmauerat ipſe; forſan ideò ex humore dilutam, ſuccidam ex aqua, vtpotè limoſam: vt ardentis concupiſcentiæ facibus obſiſteret, & interiectâ aquâ ſedaret incendium. Sed quia exucca, aridáque iam dehiſcit ex nimio cupiditatum æſtu: ideò in totum accendere Dominicus ignis parabat; ne caro maneret, quam flammæ peccatorum impeterent; ſed totus homo à carnalibus euulſus, ſpiritus obediret imperio. Chryſoſtomus apud Caten. S. Thom. *Terram ad præſens vocat, non eam, quam pedibus terimus, ſed plaſmatam manibus eius, ſcilicet hominem cui Dominus ignem ingerit ad conſumptionem peccatorum, & innouationem animarum.* Notauiſti: *Quid volo, niſi vt accendatur!* Superuacua interrogatio. Si ignem minatur, certum eſt, incendium ominari. Malè diſcutis ingenium ignis: & lucet, & ardet. Rubus te edocuit. Comas fruticis lambebat flamma, quaſi humectaret à rore; lucem dedit, frœnauit incendium. Tota ſplendebat pinus, nec breuis vrticæ deperiit aculeus; & tamen ſoluere calceamentum Moyſi flamma iubebat, ne carnalibus veſtita veſtigia cremarentur. Eadem flamma, quæ rubum, vtpotè Mariæ vmbram, non comburit, ſed illuminat, quippè nunquam à carnalibus puncta fuit; in Moyſis calceamentum efferuet, in quibus paſtoritius inerat ſoccus, irrationaliaque, & ouilla veſtigia perarabat, quæ carnem concernunt, mentiſque ſublimitatem non attingunt. Sic Lippomanus inibi: *Solue calceamentum de pedibus tuis, quia volo, vt non amplius agas paſtorem ouium,* *ſed*

Luc. 12. — Chryſoſt. — Exod. 3. — Lipp.

sed pasces Israel populum meum. Ergo igneus radius irradiat Virginem, non incendit: quia carnis ibi succida non inuenit pondera. An ex Maria ignis transmeat, vt terram accendat, carnem adurat? Ideò forsan Virgineum vitrum Mariæ vterus est, quod à Sole tactum à fronte positam cremat stupam; vitrum tamen amicu splendore decorat. Cogitatum hunc amauit Franconius Abbas alibi datus de gratia Noui Testamenti tractat. 6. Franc. apud Biblioth. tom. 12. *Quæsitum est vitrum mundissimum, atque solidissimum, per quod igneos radios transmitteret Sol iustitiæ ad effugandas tenebras gentium, ex quibus puritas vitri, & claritatis augmentum conciperet, & integritatis detrimentum non sustineret.* Mirè rem explicuit! Radius ex vitri fragilis attactu validior fit; extra vitrum ignis est, qui intra vitrum splendor. Crystalli claritas obiecto corpori flammas incutit; nec iuxta se suffert molle aliquid, aut carneum; amat per diaphanum radium permeare, quem baiulat. Radius in Virgine nitidam reddidit & securam integritatis ærarium non offendens, extra se positam carnalium tectam accendere festinat. Carneus es? Accenderis, si accedis ad Virginem. Hic scopus radium sub hoc vitro subegit: opta cremari. Obiice cupiditatum seu stupas, seu paleas: ardeant à radio per mundissimum & solidissimum speculum cuibrato. Cur *solidissimum* apposuit? Ne à radio fatisceret, ne concepto frangeretur fulgore. Si dehisceret, si Virgo non fuisset, nec radium redderet, nec exciperet. Ante conceptum radium, Virginitatis soliditate firmabatur, excreuit ex conceptione soliditas: quia integritatem auxit, solidior eua sit; lumenque è radio, è vitroque excussum, adeò solidius extitit, vt absque fragilis casus periculo, Angelos & homines illustraret. Damian. Damianus serm. de Assumpt. Virginis col. 4. *Hæc sola solidiore lumine & Angelos, & homines illustrat.* En solidius lumen ex solidioris vitri conceptaculo innaluit: quasi Mater Filio, qui ex se lumen est, soliditatis impertiretur augmentum; & plus illustret, & igniat homo Deus, quàm si humanitatis non subiret consortium: sicut solidius radius per vitrum excussus, infractoque calle traductus splendet, & cremat.

55. Imò solidum lumen, solidumque vitrum perhibetur, vt inter Matrem & Filium vocabula commodentur, & ex mutua communicatione alternis vicibus vtrique subseruiant. Strictim radius hic vitro illigatur Virgineo, pleno vitrum hoc inuadit splendore. Suffusum lumine crediderìs vitrum in radium transisse; sic candet, sic nitet, sic ex aduerso ferit obiecta. Radium Deitatis hoc vitrum vehit: ex vitro & radio vnum solidissimum, firmaque figuratum censueris radium euasisse. Radius in vitro declusus figuram, cuius expers ille, mutuatur è vitro: coeunt in vnum: dixeris vitreum radium, seu radians vitrum. Ergo & Maria, quæ vitrum est, ex consortio sermonis Domini, radiique diuini, radius Deitatis euadit? Adsit S. Bernard. Bernard. medit. super Salue Regina, *Omnibus es amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis, sedes sapientiæ, fluuius clementiæ.* RADIVS DEITATIS, *nec est qui se abscondat à calore tuo.* Nimium audes, mellite Pater. Radius Deitatis Verbum Dei est. Sic Anastasius Patriarcha Teopolitanus: *Sol est Pater, radius Filius, splendor ignitus est Spiritus sanctus.* Athan. tom. 2. in Quæst. q. 4. *Typus enim Patris est orbis Solaris: typus Filij est radius: typus Spiritus sancti est lumen Solis.* Mazerda, Maria effigies, [margin: Anast. Athan.]

Patris & Filij communio ad comparis attributi sollicitauit elogium. Si arctus cum vitro Virgineo radius est, ita commensus, vt nec excedat, nec deficiat: quid quòd vitrum radius appareat? Virginitas ad id coëgit. Integritas solida vitri, dum totum radium intra cauitatem occlusit, vitri figuram radio dedit; sicut vrceus aquæ, quam continet, rotunda lineamenta transcribit. Radius homo fit; quia homo Mater. Ergo ex intima penetratione, beneficioque radij Maria radius nuncupetur. Nec obest, quòd radius hic iam semel excessit è vitro, exiuit ex vtero: quare nomen perdidisse necessum fuit; nec iam vitrum *radius* dicerent. Virginitas vindex vitri est. Si rimam vitrum fecisset, si aliqua ex parte dehisceret, efflueret radius; sicut liquor labitur ex patera, cui foramen est. Verum, si innocuus pudor fragmentum non passus est, quamuis radius exeat, non deserit vitrum: Imò ideò iugiter egreditur, & vibratur; quia iugiter à vitro tenetur, quod indefessâ claritudine imbuit.

Ideò forsan concepto radio in vtero Mariano, nondum per puerperium effuso, Angelus ad Ioseph inquit, Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Nondum pariendi tempus aduenit, nondum enixa est puerpera Regem: quid est, quòd natiuitatem iam pangat Angelos, quasi quæ contigerit? Quia generatio, & natiuitas hæc pari virginitate floruit: claustra pudoris egressum ignorarunt nascentis, quæ ingressum geniti nescierunt. Quantum ad signaculi integritatem, natus censendus, qui dudum genitus: sic infractæ manebunt vuluæ, sicut nunc, cùm Angelus apparuit Ioseph. Meliùs, Natus perhibetur, dum solùm genitus adhuc in vtero latet: quia etiam postquam natus ex vtero prodierit, adhuc in vtero manebit vt radius, qui exit vt homo. Duplex natiuitas hæc suadet, natum humanè ex vtero, in vtero mansisse diuinè: quia mœnia pudoris non viciata nec fregêre fidem, nec aperuere viam quâ pudicus radius Deitatis impuritatem fugiens egrederetur. Perpende Albert. Magn. in cap. 1. Lucæ, ad illa verba Matthæi: *Quod enim in ea natum est. Quia duas natiuitates singulares habuit Christus, primam in vtero, in quo conceptus est in virum perfectum, secundum corporeorum lineamentorum figuram, & numerum, & animationem; & ideò ista natiuitas est singularis. Aliam autē ex vtero, vnde egreditur non dissoluto, nec confracto, nec remoto repagulo pudoris, sicut radius de stella. In Sole posuit tabernaculum suum.* Accuratè collegit omnes modos, quibus potuit pudor violari; feritq; castitas; vel si dissolueretur, quod nexum; vel si frangeretur, quod solidum; vel si remoueretur, quod fixum. Sic radius oritur ab stella, nec soluit globum in modum nodi affixum cælo; nec solidum, densumq; corpus confringit, nec fixam remouet puritatem: ideò sicut dum radius à sydere egreditur, quasi pendulus è sydere nitet, nec sydus deserit, è quo fluit; sic radius Virginem Matrem egressus, radio non orbauit, sed iugi splendore nobilitat. [margin: 56. Matth. 1. Alber. Mag.]

Cingat Venantius, adhucque discussa confirmet: sic lib. 8. hymn. 5. apud Biblioth. tom. 6. p. 2. 57.

Arca nitens, & theca potens gladij bis acuti, Venant.
Ara Dei assurgens luminis alta Pharos.

Comptè attexit cum theca gladij bis acuti, luminis Pharum: eò enim Maria specula est, nocturnam lucem præferens viatoribus, quia Verbum in se claudit, sermonemque Dei qui gladio bis acuto ferroque ancipiti penetrabilior est.

Maria lumen est, quæ concepit ex lumine lumen.

SECTIO IV.

58. ELIM raptim ire per ista, cum nobiliora nos maturare gressum admoneat. De Sole, de circulo, de radio egimus; de lumine ferme nudos Patres dabo, ne morer. Lumen cōcepit Virgo, Trinitatem pandit. Auscultate Hugonem Victorin. lib. 4. Allegor. in Magnificat: *Dubium non est, quin cælestium gaudiorum, & æternæ dulcedinis miram suauitatem Virgo ipsa conceperit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit.* Quid est illud *cum toto maiestatis suæ fulgore?* Annè indiuiduus poterat secari fulgor, lumenque à Patre genitum sectionibus dispensari diuiduis? Credo, in toto maiestatis fulgore, lumineque totam intelligi Trinitatem sacram Virginem incoluisse, vt suprà ex Damiano diximus; *Pater & Spiritus impleuerunt quidem Virginem, sed maiestate, non susceptione.* Ecce totum maiestatis fulgorem. Cur sic? Quia solent tres Personæ tria lumina nominari, vt etiam superiùs annotauimus. Iacobus frater Domini in Liturgia: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto trino & vni, luci diuinitatis, quæ est singulariter in Trinitate, & quæ sine diuisione diuiditur.* Quod vt calleas, Solis non deseras emblema, de quo Nazianz. orat. 37. n. 78. *Quin etiam aliquem audiui huiusmodi similitudinem adumbrantem. Fingebat splendorem quemdam Solarem parieti affulgentem, atque ex aquarum motu tremiscentem, quem cùm radius per intermedium aërem susceperit, posteà solido, ac renitente corpore repressus, mirabilis quædam subsultatio exstitit. Multis enim, crebrisque agitationibus subsilit, tamque celeritate coit vicissim, ac distinguitur, vt non magis vnum sit, quàm multa, nec rursus magis multa, quàm vnum. Priùs enim, quàm oculis teneatur, fugâ se proripit.* Tremulus, indiuisus, simulque relationum quasi refractis lucibus, diuinæ maiestatis splendor vterum Virginis illustrauit. Solidum corpus radio, id est, Filio obiecit Maria, qui è corpore repercussus, in vitreaque eius virginitate tremiscens, multiplici desilit splendore; vt quasi triplex diuinitatis lumen crebris agitationibus ostendens, pulchram Trinitatis exhibeat disciplinam. Quæ eò tendunt, vt ex virginitate, quæ limpida, quæ vitrea est, & aquæ more albida, & pura; & ex fœcunditate ex qua corpus solidatum fuit, radius ille trisolatem Deitatem, stylo Damasceni, docuerit sub illa tremulæ lucis agitatione? scilicet quia ad tam inopinabile Sacramentum persona triplex incubuit, Altissimi Virtus, Spiritus superueniens, Filius nascens.

Hugo Vict. Damian. Iacob. Nazianz.

59. Quàm compar cum diuinitate fortuna! Ex lumine concipit Virgo, lumen concipit, & quæ concipit, lumen fit. En ternum lumen, & tamen vnum Christum exhibet. Annè ex lumine concepit, cui vmbra spondetur, vt gignat? *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid quod obumbret? Lenietur Virginis cura, quæ virginitatem obiecit, & dispendium pati grauatur, etsi genitricis sortem amittat? Virum se ignorauisse pronuntiat; semen renuit, cuius vel vocem ignorat. Ergo vmbra promittitur, vt seminis suppleat defectum? Benè quidem! Virtus Altissimi Verbum eius est, ac proinde lumen; si lumen clauso ostio subintrat ad vterum, non vlteriori fœtus efformandus semine egebit: lumen enim vtero assuetum, seminis vicem obire nouit apud Patrem Deum. In Concilio Toletan. 16. tom. 3. Conc. epist. 12. Gregor. Papæ II. ad Leon. Imperat. *Cum genus hominum in perpetuum perire vidisset Deus, figmenti sui misertus, Filium suum ante sæcula genitum misit, & de cælo descendens, in ventrem Virginis Mariæ ingressus est, cum in eius vtero verum lumen eluxisset, & seminis loco lumen factum est caro.* Euolue ista, *& seminis loco lumen factum est caro.* Præpostera quidem pro semine substitutio? Carnem enim compactam virtus seminis præcedit. Non ergo eadem caro seminis locum agere valet. Quàm apposite! Quia lumen factum est caro, duplici naturâ duplex munus obiuit: semet vt carnem præcessit vt lumen; ad carnem pangendam in vtero illuxit, eâ celeritate maturati gressus, quòd dum Virgineam tetigit aulam, iam lumen caro, iam carneum lumen sibimet pro semine fuit. Mariæ integritas opitulata est ad sacramentum, quæ vuluam explicuit inanem, non extero pondere præoccupatam: ideò in ea Verbum caro, ita fœcunditatis spiritibus inualuit, vt sibimet pro semine, pro fœminisque fructu fuerit. Quàm ferax Mariæ virginitas! Si concipit ex lumine, quid mireris? Menti, dum concipit, lumen ipsum, quod concipit, semen est: priùs illo sub specie fœcundatur, vt in intellectualem sobolem prodeat, Marianus vterus, Verbi baiulus, cum mente paciscitur, mentisque statas leges, naturamque sectatur.

Luc. 1. Conc. Tol.

Ex quo dignosces, non solùm ex lumine, sed & lumen concepisse. Cantic. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Qualis aceruus hicce triticeus, quem lilia sepiunt, quem flosculi candidi circumdant? Si inter segetes lilia nascerentur, non mirarer, in triticorum cumulis floridum hilaritate agricolam liliorum calathos sparsisse; verùm ab horto ad agrum lilia transportari, vt aceruus foliis albentibus varietur, nouum dixerim, & insolitum. Verùm & insolitum est, quòd venter aceruus tritici sit; quâ triticeus, fœcundus; quâ aceruus, virgineus: cumulus enim triticorum, quem agricola efformat, Virginei vteri specimen est; vtpote in quo nihil hians, nihil eminens, subsidensve, seu à cæteris partibus exorbitans inuenitur: vndequaque orbicularis tumor integer perseuerat. Igitur si semel Sponsæ vterus sic fœcunditatem cum virginitate deuinxit: quid quòd candida liliorum folia circumstent? Vtquid liliorum delectus, quæ vterum ambiant? Vt prodant triticei aceruі, vterique fœcundi fructum candorem lucis esse æternæ, qui, quâ Verbum, amat folia, in quibus scribatur; quâ lucis apex, candorque est; candorem diligit, lucis attributum. Amadeus homil. 5. de laudib. Virginis: *Annon vt aceruus tritici venter eius, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum seges excreuit? Ergo ex vno grano multæ segetes, & ex aluo Virginis granum illud. Ideò aceruus nominatur vi seminis, non numerositate; virtute, non pluralitate. Lilijs namque vallatus dicitur, eò quòd vteri Materni perennis integritas Scripturæ sacris eloquijs comprobetur. Hinc est, quòd Verbum Patris, & Sapientia, & candor lucis æternæ nominatur.* A Scripturæ eloquiis transiliuit ad Verbum Amadeus, vt ostenderet, in Virginitatis liliaris foliis inscriptum Materni vteri cinxisse aceruum; seque simul 60. Cant. 7. Amad.

&

& candorem lucis, & Verbum, seu Sapientiam Patris monstrauisse.

61. An & Maria lumen est, quæ lumen peperit, & concepit ex lumine lumen? Sectione elapsa probabamus, vitrum Virgineum ex diuini radij conceptaculo in radium transiuisse Deitatis. Cur & vterus luminis gerulus non sit lumen? Disertè S.Prosperus lib. Epigrammat. de incarnat. Verbi apud Biblioth. tom. 5. p. 3. (S. Prosper.)

Hic Verbum carni insertum, carnemq; receptans,
Nec se confundit corpore, nec geminat.
Sic naturam hominis, virtute augente superna,
Esset vt in vtero lumine lumen homo.

Hiulcum crederes vltimum carmen, in quo duo substantiua nectuntur non facile cohærentia: *Esset vt in vtero lumine lumen homo.* Non in vtero lucido, nec lucente, sed in vtero lumine, id est, quod lumen est. Vide Beate, quòd vterus lumen solum in Patre superno splendet: *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* (Psalm. 109.) Quæ sic capio: ex vtero, qui non splendidus, sed splendor est; non luminosus, sed lumen; non lucifer, sed lux, ante luciferum genui te; te quidem, qui ante luciferum es, ac proinde qui lux es prius est enim forma, quàm quod formam vehit: *Simpliciter* (inquit D. Thom. 1. p. q. 3. art. 1.) *actus prior est potentiâ, quia quod est in potentia, non reducitur in actum, nisi per ens actu.* (S. Thom.) Ergo Verbum lumen de lumine est; sed lumen Deus. Quid est, quòd apud Prosperum etiam lumen homo ex vtero lumine adstruatur? Quia Verbum, etiam quâ homo, lumen est; tanquam proles ex virginea stirpe, quæ ex continua lucendi consuetudine iam lux euasit. Lumen est vterus Marianus, in quo Verbum Dei se Verbum, Rationemque ostendit, non fluxu, non sectione, non corruptelæ inquinamento conceptum, sed luminis naturam custodiens, quod nullâ potest sorde maculari; sanctum est, nec violationis periculo valet obscurari. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* (Luc. 1.) Si, quâ ex Maria, sanctum oritur; in splendoribus Sanctorum ortum, non inficias ibis: Vt par cum Patre puerperium sit, egreditur è Matre, vt splendor iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accenditur. (Isai. 62.) Ex Patre, & ex Virgine vt splendor nascitur; nec solùm vt ignitus, sed vt ignis. Virginitas Matris pro diuinitate successit. Hûc compello Gelasium Episcopum de duabus naturis in Christo, apud Biblioth. tom. 5. part. 3. (Gelas.) Sic ex Antiocho Episcopo fatur: *Lucernam intelligo ex Maria hominem: lucernam, quia assumptus est ex terra, & ex mero luto fictus est, lucernam hominem, ignem habentem Deum. Quando consideras Deum in hominem, & vides hunc quidem de terra, hunc vero de cœlis; quando vides hunc equidem ex Maria, hunc autem ex Patre, & vtraque in se inseparabiliter copulata, illud intellige, quòd Deus noster ignis consumens est.* (Antioch.) Distinxit Antiochus vtramque naturam: quid Genitor, quid genitrix dedit, discreuit. Dixerat lucernam hominem, ignem verò Deum; quia lucerna non lux est, sed lucem vehit. Quid est, quòd resumit stylum; totumque recapitulans hominem Deum, quâ ex Patre, quâ ex Matre, absque diuidua sectione ignem esse pleno calamo scribit? Id virginitas Matris comparauit, quæ dum hominem edidit, explicuit Deum: lucernam protulit pariter, & ignem; quia nixus virgineus hominem, quem parit, Deum manifestat. Subdo huic cogitatui S.Eleutherium serm. de Natal. Domini apud Biblioth. tom. 15. (S. Eleuth.) *Postquam eum Virgo in vtero concepit, Virgo lumen, quod illuminat omnem hominem, parturiuit. Maledictio aduersùs omne genus humanum prolata soluta fuit. Quis autem hoc diuini consilij posset æstimare secretum, quod Virgo in vtero acciperet, Virgo Deum ante omnia à Patre genitum sine Matre parturiret, Deus inuisibilis per hominem visibilem appareret.* Illa me pungunt: *postquàm eum Virgo in vtero concepit, Virgo lumen parturiuit.* Imò concepit lumen, peperit hominem; quia hausit Deum, quem ex puerperio edidit humanum. Quasi ex vtero, Filio Dei, in quantum homini, luminis accessio contingeret; Virginem lumen peperisse protulit Eleutherius: veluti si ex vteri consortio humanitas illa euaserit lumen, quam plenitudo Deitatis replebat, & ex qua lux est, quæ illuminat omnem hominem. (Ioan. 1.)

62. Absque onere grauidum, absque pondere tumentem, Virgineum vterum pluries audisti. Quid abstulit onus, non tumorem? Quòd vterus lumine grauidus lumen vehebat. Quidquid corporeum, etsi paxillus fuerit, suo onere libratur; vel parua quantitas moles est substantiæ: sola lux absque grauedine per diaphanum non onusta discurrit; nec spatium, quod pingit, subigit mole; sed splendore leui venustat. Grauida Virgo non grauescit, quia lux illi fœtus est; sed tumet vterus, vt appareat: amat lux apparere. Ideò forsan Ioseph non cognouit Virginem, donec pareret; quia lux è viscerum aula videri festinans, ex vtero ad faciem matutinum iubar spirabat, orituræ lucis metatorem, antelucanumque venturi Solis nuntium. (Matth. 1.) Non cognoscebat eam, donec peperit: quia lucis pignora præmittebat ad faciem radiantem ex consortio sermonis Domini, non quem audierat, sed quem conceperat. (Exod. 34. 29.) Ignis ad vultum scintillas eiiciebat, quæ auerterent intuentes; ne opprimerentur à gloria, quæ ex Virginea pulchritudine in iudicium concepti luminis irradiabat. S.Hilarius in homil in Matth. (S. Hilar.) *Propter sanctissimæ Mariæ glorificationem à Ioseph cognosci non potuit, donec peperit: Dominum enim gloria habens in vtero, quomodo cognosceretur? Si Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, vt non possent intueri in eum filij Israël: quantò magis Maria agnosci, vel intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ vtero habebat? Post partum autem à Ioseph cognita inuenitur specie faciei; non tactu libidinis.* En cur tumuit vterus. Cur non onustus? Ex natura lucis cecinit Venantius libro 8. hymn. 5.

Qualiter illa nouum tenuerunt viscera lumen, (Venant.)
Quod decus intus erat, quisue honor inde foras.
Gaudia quanta sinus hilaris tuus ille vehebat,
Cùm tua membra premens plus releuabat onus.
Tum genitrix de fasce leuis, de prole salubris
Rem splendoris habens, lux neque pondus erat.

Perbellè. Quia fœtus lux, ideò non pondus fuit: quia fascis vteri fax fuit; ideò Genitrix *ex fasce leuis* leuabatur. Pulchra vocabulorum societas! *Fascis* onus significat iuxta illud Virgilij in Bucol. (Virgil.) *Ego hoc te fasce leuabo.* *Fax* cereus est, ex ignita tæda lucens. Virgo nostra ex fasce leuis, quia ex face fœta.

63. Virginitatis manui lampas affigitur, quasi virginitas, quæ cognata spiritibus est, lux sit Intelligentiis contribulis. Hinc decem virgines *accipientes lampades suas exierunt obuiam Sponso,*

& Sponsa, Matth.25. Si Sponsa etiam Virgo est, vbinè lampas eius? Profectò Sponsus. (Apoc 21. Isai. 62.) Exterâ lampade non eget; sed lucerna eius est Agnus, & Saluator eius vt lampas accenditur. Ergo ex Sponso, & Sponsâ, vna Virgo lampadem ferens conflatur. Quid quòd adolescentulæ post eam, Sponsum imitarentur, & vnaquæque lampadem, sed exteram, in obuiam arriperet? Cur virgines, quibus lampadum succida nutrimenta defuêre, fatuæ dicuntur? Censerem, quia degenerauerunt à sapientia Sponsæ, cui iugiter lampas ardens, ipsâmet Sapientiâ Patris, quæ Verbum est, enutritur. Quia ex ea nascebatur splendor idem, qui splendor patris est, & figura substantiæ eius, (Hebr.1.3.) quæcumque virgo huius calore non fota, meritò fatua nuncupatur. Adstipulatur Albertus Magnus in cap.1. Luc. in illis verbis: (Alb. Magn.) *Ad Virginem. Bene Virginem, vt dicit Glossa, quia prima inter fœminas Deo virginitatis gloriosum munus obtulit. Non enim hæc de fatuis est virginibus, quæ lampades castitatis habent extinctas. Matth.25. sed eius lampas flammâ limpidissimâ lucet in conspectu Domini. Et ideò ex ea natus est ille, de quo dicitur Esai.62. Egrediatur vt splendor, Iustus eius, & Saluator eius sicut lampas accendatur.* An extingui timeat, cui Sponsus lampas est? S.Germanus orat. in Natiuit. Mariæ, sic eam compellat: (German.) *Lucerna septupla, & vetius ardens donorum septem candelabrum, septem fuserijs refulgens Spiritus sancti: lucerna inextinguibilis luminis omnia collustrantis, quam mysticè alit vnctionis oleum.* Accinit Anastasius Synaita in quæstionib. q.49. (Synait.) expendens illud: (Zachar 4.) *Vidi, & ecce candelabrum totum, & lucerna super ipsum, & septem lucernæ, & septem infusoria, & duæ oliuæ: & dixit mihi Angelus: Hoc est verbum Domini*: sic mysticè fatur: *Quid est ergo candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quoniam materia expertem lucem gestauit, Deum incarnatum. Cur candelabrum totum aureum? Quia post partum mansit Virgo.* En super candelabrum lucerna quia super Mariam Verbum Dei. Audisti enim ab Angelo: *Hoc est verbum Domini.*

64. Adhuc lucidam Solis supellectilem iussimus ancillari Mariæ, Solem, orbem, radium, lumen: quidquid nitidum micat, obsequium Virginis est. Elenchum construat Venantius. Subdo integrum carmen, vt à sonoris neruis neruus ad vlteriores sumas Academias. Sic concinit lib.8. hymn.5.

(Venant.)
Ore diem iaculans, radios à fronte sagittans,
Luminibus rutilis lumen honore rotans.
Sydereũ speculum, illustris domus Omnipotentis,
Vultibus ex illis fulgura clara ferens.
Crystallum, electrum, aurum, ostrum, concha alba smaragdus,
Quæ tua forma nitet, cuncta metalla iacent.
Nix premitur candore tuo, Sol crinis honore,
Pallescunt radij, Virgo decore tui.
Lychnites hebes est, cedit tibi lucifer ardens:
Omnibus officijs lampade maior ades.

Maria Iris *Trinitatem versicolore dignitate depingit.*

SECTIO V.

65. NE quid prætermittamus: Duplex proles Soli adhibetur corporeo, & Iris, & Phœnix. Vtraq; ad Solis similitudinẽ aliquale Trinitatis præbet experimentum. Quàm ambitiosa luxu argumentosa natura, opere vermiculato, in Iride transcripsit ingeniosum! Mille trahit varios aduerso Sole colores, (Virgil.) amicâ quos nectat pulchritudine. Ibi aliquid flammei, lutei, cærulei, punicei, herbacei, viridis, purpurei, & crocei. Qui indiscriminatâ varietate, & inuariato discrimine per ipsas nubeculæ effusi commissuras, quasi subtilibus lineis ducti attonitos detinent, & obtinent oculos. Tres autem præcipui colores splendescunt, puniceus, viridis, & purpureus, vt est apud Vitellium, qui nubem in (Vitell.) tres veluti semicirculos distinguunt. Nam radius Solis cum exigua opacitate in prima peripheria, colorem efficit puniceum; cum mediocri in media, viridem; cum maiori in infima, purpureum. Ecce nubes vna, arcus vnus ex disparili opacitatis modificatione, triplici quasi circulo depingitur; & hæc grata distinctio ex aduerso Sole, ex oppositione tantùm, vt Poëta canebat, (Virgil.) exoritur. Quàm pulchra Triados pictura! Id aureis sermonis phaleris exprimit S.Gregorius Nyssenus in lib. de different. essen. & hypost. Ne plura verba ponam, accipe nonnulla. *Hic igitur* (Nyssen.) *splendor, & secum continuus, & diuisus est. Cùm enim multicolor, multiformisque sit, & obscurè varijs quasi floribus tinctus commisceatur, diuersorum inter sese colorum commixtionem oculus nostris latenter eximeat, atque subducens; vt cærulei ad rutilum, vel rutili ad purpureum, vel illius ad electrinum terminos cognosci non possit.* Et post aliqua: *Proprietates quidem hypostaseon, quasi quendam florem eorum, quæ in Iride procul apparent; in vnaquaque earum quæ in sancta Trinitate credita sunt, personarum effulgere, &c.* Similiter S. Basilius epistol. 43. ad Gregorium Nyssenum: (Basil.) *In Iridis exemplo, quæ multicolorem illum fulgorem illustrat, vna quidem est visio, per solarem radium refracta, ac reuerberata; floridus verò color, qui visitur, multiformis est.* Scias, quòd etsi Iris multicolor describatur, triformis illi solùm competit color, ex cuius mixtione, & temperantia innumeri vibrati subsiliste videntur. Id censuit Plutarchus, & Aristoteles, (Plutarch. Aristot.) qui sic scribit 3. Meteor. cap.4. *Necesse est cœlestem arcum tribus tantùm coloribus; & his, non alijs debere infici.* Mirè necessitati ternum irrogat colorem in arcu; forsan quia, vt naturæ interpres, sanctis Theologis in Iride ad adumbrandam. Trinitatem semina spargebat. Scio, colorum numerum aliis succrescere, vt liquet apud Ammianum lib. 20. Nonnum (Ammian. Nonnum.) lib. 2.

66. Annè Iris Virgo Mater? Sanè concinerem illud Papinij 5. syluar.

(Papin.)
Quæq; cadit liquidas Iunonia Virgo per auras,
Et picturato pluuium ligat aëra gyro.

Quæ accinunt illis: *Gyrum cæli circuiui sola*, quæ (Eccl 24. Ibid.43.) verè de Virgine efferuntur. Et idem stylus est, Eccl.43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo; gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ.* Neque absque circuitu circumfertur, cum & Apoc.4. (Apoc.4.) *Et Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.* Virgineus etenim vterus, dum virgineâ fœcunditate prolem diuinam circuit; Iris est, Trinitatis viuis coloribus depingens Sacramentum. Hûc aduoco S.Bonauenturæ carmen opusc. de figuris B.Virginis, fig.5.

Est

Bonau. *Est in arcu caruleus*
Color, qui virginitatis
Typum gerit: & rubeus
Etiam, qui charitatis
Formam notat: puritatis
Tua demonstrat aqueus
Notam, & humilitatis,
Quam elegit in te Deus.

En triplicem solùm colorem Iridi dat, dum Iridem Virginem nostram appellat; vt in ternario promat Trinitatem. Color est *caruleus, rubeus, aqueus*. In hoc vltimo dissidet Bonauentura ab auctoribus, quos adhuc vidi, picturatam Iridem describentes. Plutarch.lib.3.de Placit.cap.5. *Puniceum, violaceum*, seu *purpureum, caruleum*, seu *viridem* dat. Aristoteles suprà, *Puniceum, viridem, violaceum* adscribit S. Cyprianus in Sodom. *Purpureum, & viridem*. Ammianus, *Luteum, fuluum, puniceum, purpureum, & concretum ex caruleo, & viridi*. Meditor, ingeniosè Bonauenturam *aqueum* apposuisse, quia Virgini Matri adscribebat, quæ virginitate fœcundâ generationem diuinam adumbrat. Cùm enim cæruleum colorem in virginitatis typum efferret: cur fœcunditatem subticeret; cùm ex virginitatis, & fœcunditatis temperata tinctura, contrariisque coloribus variegata, Maria verè Iris sit? Ideò putauerim peculiari vocabulo *variegatam* appellari, vt alibi obseruo. Id autem proprium Iridis est; vt dixi ex Nysseno: *Cùm multicolor, multiformisque sit, & obscurè variis quasi floribus tinctus secum commiscetur, diuersorum inter sese colorum commixtionem, atque coniunctionem oculis nostris latenter exprimens, atque subducens*. Si Virgo, quomodò Mater? Si Mater, Virgo quare? Hæc signa coniunctionis, naturæ subducentes colores iudicium effugiunt. Quòd bellè de Iride Nyssenus: *Nam omnium splendores, dum simul, eodemque tempore conspiciuntur, & procul lucent, & signa natura coniunctionis subducentis, iudicium effugiunt: vt fieri non possit, vt aliquis deprehendat, quatenus progrediatur, & vbi consistat id, quod in splendore vel fuluum, vel smaragdo simile est, & vnde tale desinat esse; quale conspicitur in eo, quod ex longinquo fulgens apparet.*

67. Igitur in aqueo colore simul cum cæruleo virginitas fœcunda depingitur miro ingenio: nam & cæruleus color aquis irrogatur. Æneid.12.

Virgil. *Fontesque, fluuiosque voco, quaque atheris alti*
Religio, & qua caruleo sunt Numina ponto.

Et Cicero 1.de Natur. Deor. Neptuni dixit *oculos caruleos*. Ergo idem color virginitati Mariæ, qui & fœcunditati adscribitur à Bonauentura. Tum vt diuinæ virginitatis similitudo, & participatio appareat: nam Deitas in Trinitate non aliter Virgo est quàm fœcunda; nec aliter fœcunda, quàm virgo. Sic se transcendit vtraque dos; quod solùm Marianæ virginitati contingit: id ipsum imitatur Virgo Mater, & à Patre superno delibat. Tum vt vberem illam fœcunditatem præsignet, quæ adeò ferax fuit, vt ipsum gigneret Deum. Vtrumque breuiter probò. Aquarum fœcunditatem multis euehunt eruditi. Quare Venus ob generationem ab aquis orta, apposite conficta fabulâ, quam ad salem, qui admodum fœcundus est, adducit Plinius. Ex quo Artemidorus lib.2.Oneirоc.cap.43. generationem filiorum enuntiari scribit per somnia fluuiorum, stagnorum, & Nympharum. Ideò forsan Numina, Diuos, Diuasque aquarum è vuluis erupisse credebant dementes prisci: qui adeò fœcundas cogitabant, vt earum genitricem virtutem non nisi Numinibus pro sobole saturari censerent, de quo Propert.lib.3.

O centum aquorea Nereo genitore puella. Procop.

Claudianus 3. Sil. Nonnus lib.2. Dionys. & alij. Et tamen mentita est iniquitas sibi, donec exiuit Virgo, quæ aqueâ fœcunditatis virtute ipsum Numen genuit. Quò respicit Bonauentura, dum aqueum colorem simul puritati, & humilitati attribuit in Virgine, quæ ob virginitatem placuit, ex humilitate concepit, vt aliàs Bernardus, alibi expensus.

68. Alterum iam probo: scilicet, quòd in aqueo Iris colore Virginis Matris virginea fœcunditas annotetur. Et quidem audio Iridem roscidam nuncupari 4. Æneid.

Virgil. *Ergo Iris croceis per cælum roscida pennis,*
Mille trahens varios aduerso Sole colores
Deuolat.

Id eruditus Cerdensis illustrat inibi: *Roscidum* (inquit) *idem est, quod rorulentum à rore; atqui in cælesti arcu multa est mentio guttarum, stillarumque*. Forsan ideò aqueum colorem affigit Bonauentura, quasi multicolor varietas illa ex humoris spiraminibus conglobatis in nubes, ac exinde disiectis, dispersisque in paruas aspergines componatur; vt Ammianus scribit lib.20. & Gregorius Nyssenus suprà: *Irim* (inquiunt) *tunc fieri, atque conflari; cùm humor aliquis hæserit in aëre permixtus, vi ventorum id, quod in vaporibus humidum, crassumque, & nebulosum iam factum est, in pluuiam exprimente*. Imò omnis ille color multiplex stilla est, & ros, in quem visus reflectitur. Quod appositè admodum ad institutum edocet Plutarchus lib.3.de Placit.cap.5. *Necesse est Iris ex aduerso Solis appareat, cùm videlicet visus noster, qui in guttas illas inciderat, reflectitur, vt Iris fiat. Sunt autem stilla ista non figura forma, sed coloris.*

69. Ex quibus iam euinco, Virginem nostram Iridem esse verè roscidam ex rore Patris superni, eisdem fermè vocabulis, quibus ad aqueam Iridem vtuntur præfati Auctores. Ros leuis humor, & imber est, non à perstrepentibus ventis excussus, non ardoribus liquentibus stillatus; sed sudo, sereno que tempore è cælo fluens. Apuleius lib.de mundo: *Ros nocturnus humor, quem serenitatis tenuitas spargit*. Hinc Aurora roscida herbis ob fœcunditatem roris gratissima. Seneca in Hippol. *Qua rosiferâ mulcens aurâ Zephyrus vernas euocat herbas.* Ex quo puto, sub nomine roris Verbum Dei efferri, canente Ecclesia: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*. Et illud: *Fluat vt ros eloquium meum*. Sicut enim stata, & iugis è cælo conspersio est nocturnus roris humor, cùm placida, & quieta subsistit temperies; sic ros ille cælestis proles æternum à Patre, intraneâ processione fluit; & dum carnem sumpsit quietissimo illapsu, absque humanæ operationis strepitu, in Virginis vtero se rorem manifestauit Diuinum; & ex integra virginitate Matris, & ex continua generatione Patris. S. Bernardus homil.2. super Missus est: *Quid illud Gedeonis vellus significat, quod vtique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur: nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento virginitatis? Cui vtique distillantibus cælis tota se infudit plenitudo diuinitatis.* Sed qualis, rogo, plenitudo? Quæ in Verbo Dei est, cui ratio roris mirè adaptatur. Origenes in Iudicum cap 6.

Marginalia (left column): Plutarch. — Arist. — Cyprian. — Ammian. — Nyssen. — Cicero. — Plin. — Artem.
Marginalia (right column): Claud. — Nonn. — Cerdens. — Ammian. — Nyssen. — Plutarch. — Apul. — Senec. — Esd. 45. — Deut. 32. — Bernard.

cap.6.homil.8. *Ros, qui cecidit super vellus, Verbum Dei est, quod illi soli populo cœlitus fuit indultum.* Et post pauca: *Descendit Dominus noster Iesus Christus, stillans etiam super nos, & guttas nobis quoque afferens roris cœlestis.* In stillicidio, in rore, in pluuia Verbum Dei appositè scribitur decidisse, vt & fœcunditas eloquij, & ad germinandum fœcunditas ostendatur. Quà Verbum, lumen; quà ros, humor est. Ignis & aqua solent ad germina terram impellere. Graphicè aliàs Chrysol. Chrysologus: *Cogitanda est talis, tam diuisa coniunctio. Vrget vnda flammam, multiplicat flamma vndam. Quæ est tam concors ista discordia? Geritur hic agricolæ diuini species: plena omnia calore germinante, humore nutriuntur.* Vt ferax foueretur, rigareturque vterus Virgineus ad Deum germinandum, ros & lumen Verbum illi est. Ex lumine & rore Iris Virginea componitur; vt & concipiat Verbum, & Trinitatem sub Iridis symbolo declaret.

70. Verbum illud è corde Patris eructatum, vt ros ex Altissimi obumbrante decidit nube, ea proprietate, qua matutini iubaris nuntius hilaris ros inter confinia noctis & Auroræ defluit, vt & lucis primum participet candore, & noctis gelidæ extremam prægustet portionem. Stillæ roscidæ stellis, & Auroræ præbent sodalitium, & vtriusque vicissitudinis, nocturnæ scilicet, & diurnæ, nectunt Ioann.1. contubernium. In principio Verbum erat apud Deum, tantùm lux; nondum nocti scientiam indi- Psalm 18. cauerat dies. Deus Verbum eructauit; extunc Verbum ros, qui humanitatis noctem ad croceos lucis splendores continuauit. Ros decidit in Mariam; quæ quasi aurora consurgens, rore maritata Solem parturiuit, & ab vtero Patris per roris com- Psalm. 109. Hebr. mercium accepit. Id suadet Prophetæ vox: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Nam Hebraica, vt scitum est, habet: *Ex vtero ab Aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.* Si Genebrardum consulas æternam ibi generationem addisces. Et quidem præmissa verba id admonent: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Si diuina pangitur generatio, cur ab Aurora ex vtero ros adolescentiæ depingitur? Crederem, vt à temporali generatione, æternæ describerentur indicia. Lumen voluit præsignare progenitum, qui se ante luciferum genuisse præconatur; nec tantùm lumen, sed primùm: *Ros* autem *Auroræ* prima lucis hilaritas est, iubarisque tenelli crepundia; sicut *flos ætatis* prima ætas nuncupatur. Igitur ros in Auroram perpluens, lux primigenia est, quæ vterum Marianum inuasit: quo nihil aptius ad æternæ generationis enucleandum Sacramentum. Quippe si Filius ante Luciferum genitus, vt genitus prima lux exoritur; opus est, ex mente progigni absque sectione, corruptela, & fluxu, sicut prima Aurora rorem accipit, & restituit. *Ex vtero ab Aurora tibi ros.* An ex vtero Auroræ, an ex vtero Patris? Vt perbellè vtrumque intelligeretur; nec ex Auroræ vtero, nec ex vtero Patris distinctè apposuit. Itaque ros ab vtero & ab Aurora lumen incarnatum est, lumen roscidum, ros luminosus: quia Patri superno maritata Virgo, Deificâ infusione, roris (quod lumen est, vtpote Verbum Dei) stillicidia suscepit. Præ- Amad. clarè S. Amadeus homil.3. *Ignis ille rorem luminis exhibuit; ros luminosus vnctionem præbuit; vnctio semen sanctum præstitit. Hæsisti enim, Virgo pulcherrima strictis amplexibus auctori pulchritudinis, & effectâ plùs Virgo, imò plus quàm Virgo, quia Mater, & Virgo, hoc sacrosanctum semen Deificâ susceptione suscepisti.* Plura petit enucleanda locus iste, de quibus alibi. Sat est, si noueris, ex lumine & rore Irim Virgineam componi, & in Iri discas Trinitatem. En ignis; en luminosus ros; en vnctio; en cum semine Deus, & à Deifico semine roscida Virgo grauidata.

Ideò Maria peperit Verbum, quia Pater lumi- 71.
num desuper irrorauit: imò quidem ex eo Mater nuncupatur, & est; sicut ex rore, quem in semet stillat Altissimus, Pater est. Do. Gersonem tract.4. Gerson. super Magnificat. *Virgo nominatur propter synderesim, quæ nunquam violatur. Mater, quia parit in se Verbum, rorante desuper Patre luminum, cuius est filia, cuius Filio nuptialiter coniuncta est.* Quid est illud: *Quia parit in se Verbum?* Nulla enim fœmina in se parit fœtum, sed ex se prolem. Accinit, puto, Gerson verbis Angeli, de quibus alibi: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu* Matth.1. *sancto est.* Nam quod in ea natum fuit, necesse est eam in se peperisse. O eximia cum Patre luminum parilitas! Pater in se parit Verbum, abditâ generatione; nec extra se parit, cùm parere ad extra, facere sit: Filius autem diuinus nequit esse factus, sed genitus. Ast quod fieri in diuinitate non poterat, in Virgine Matre operatum est; vt & ipsa priùs in se pareret, id est, totum fœtum absque successionis tarditate in vtero conciperet, quod in Deo Patre inuenitur: & simul pareret extra se, quod in Patre solo diuino cogitari nequibat. Vide si in roscida nostra Iride vestigium habeas Trinitatis.

Ergo lumen & ros in Mariam effluxit, vt ex su- 72.
perno rore concipiens, eodem, quo Pater supernus germine potiretur. Miror concentum Patrum, concordesque sonos. Franco Abbas de gratia No- Franc. Abb. ui testamenti tract.6. apud Biblioth. tom.12. expendens illa: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ne timeas, pudicitiæ speculum, æstum libidinis: virtute Altissimi obumbraberis. Sicut vmbra feruorem remouet, refrigerium præstat: sic interposita virtus Altissimi excludet æstum peccati, ac rore diuino infundet secreta ventris tui.* Vide qualem vuluam rori dat, vmbram scilicet. Ros non ab vmbra; sed in incubio noctis per sudum distenditur. Sed si Altissimi virtus vmbra est, scitè vmbram pro roris conspersione designauit. Matutina lux sensim exoritur, aduentatque dies, & appetit, è longè Solis pignora præmittens; vmbræ illicò ex fine noctis cadunt, quæ rore madentes, roscidas stillas (quasi nuper laxato vtero) fouent. En cur ros ex vmbra: Quippe Maria Aurora ideò nuncupata, quia ante eam quidquid fuit, tenebrescere dixeris. Damianus Damian. serm.4. de Assumptione Virginis, col.3. *Ab illa hora (id est, ab Adami lapsu) tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad Virginem: nec inuentus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet, sed mundo crescente, concreuit tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepeliuit. Sed, natâ Virgine surrexit Aurora, quia Maria præuia luminis natiuitate suâ manè clarissimum serenauit.* Mariâ post noctem sæculi elucescente, vmbræ cecidere; & quia Aurora dicitur, dum Mater luminis designatur, non insuauiter ex vmbra rore diuino maduisse perhibetur. Guerric. serm.2. in Guerric. Annunt. *Prorsus benedicta terra illa, quæ omninò intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli Saluatorem germinat.* Epigram. vet. apud Bibl.15.

Salue

Epigr. *Salue mirificum semper Deus in Patre Verbum,*
Mirifico partu iam caro carne satum.
Hoc fecundata, & cœlesti ex rore rigata,
Floruerat, Virgo, tu benedicta Deo.

Philip. Abb. Philippus Abbas in Cantic. cap. 12. col. 3. *Mihi, ait Sponsa, nomen tuum Deus, tuum mihi oleum se infudit; cum ros tuum vellus meus, cùm tua diuinitas me perfudit; cùm in me totum Deum, Verbum Patris, Dei Filium introspexi.* Amadeus

Amad. homil. 1. *Ipsa Virgo virginum vernans in floribus, & in fructuum suauitate delicians, apparet media, & velut arbor plantata in medio Paradisi attollit verticem in altitudinem cœli, & de superno rore concipiens, fructus refert Saluatorem.* Anonym. in Rithmo de laud. Virg. apud Biblioth. tom. 13.

Anon. *Non corrumpit rosa florem, imò reddit pulchriorem roris stillicidium.*
Sic Maria genitura saluum fecit à læsura. Mariæ triclinium.

73. Lumen & ros amicâ societate Irim adstruunt; distinguitur tamen à lumine ros, à rore lumen: & licèt ex vtroque Iris, non idem vtrumque est. Creaturæ defectus numero gaudet, quæ ex materiæ concretione nescit plura in simplicitate sortiri. In Maria Spiritibus cognata, Spirituumque nupta Patri, idem ros, qui & lumen est; vt ex Iris simplicitate Diuinitas innotescat. Hinc Patres rori adsciscunt lumen, luminique rorem, in

Amad. Maria incarnationis Sacramentum modulantes. Amadeus homil. 3. *Effudisti, Pater, viscera charitatis, effudisti lucem in tenebris, rorem in siccitate.* Ex Filij proprietate Maria ros

Andr. Hierosf. simul & lumen est. Andreas Hierosf. orat. de laud. Mariæ: *ô Domina mea sola, quæ sola mihi ex Deo solutum, sola æstus in me existentis diuinus ros, cordis mei exarescentis guttæ diuinitus fluentes, tenebricosæ meæ animæ splendidissima lampas.* Cur lampadem tori attexit? Quin *diuinum rorum* nuncupauerat, in quo lux à rore non distinguitur. Cur *diuinum*, cùm non ad Filium, sed ad Matrem loquelam habeat? Quia à Filio ad Matrē iuêre vocabula. Maria rore, insuccata, lumine perfusa, diuinus ros luminosus euasit.

74. Non sat ad Irim: deest gyrus. Si lumini, & rori, humori scilicet, & splendori, orbicularem adiicias figuram; Iridem pinxisti. Per obliquum nubis permaneat radius iterumque reflexus circulum rotat. Nyssenus de different. essent. & hypost. *Vbi*

Nyssen. *radius Solis per obliquum densam, & obscuram nebulam penetrauerit, deinde rectâ lineâ in nube aliqua suum orbem fixerit; quasi quidam reflexus, & reditus ad se ipsum luminis fit splendore ab humido simul, & nitente repulso.* Luminoso rori Virgineo vterus circulus est. En perpolitè Iris lineata. Curnè in Virgineum vterum tota se auiditate adiecit Verbum Dei? Ex vtero genitus vterum adamauit; & qui genitale secretum Patris incolebat, patilem genitalis sinus dilexit incolatum. Eo pondere vergit amans, quo ab incunabulis grauescit, & inclinationem, quam suxit ab ortu, constanter custodit. Insitus fuit Vnigenito ab vterum appetitus, vtpote ab vtero ante luciferum genito. Vlteriùs; Trinitas personarum circulus est. Ideò forsàn Verbum Dei, quod ex propria ratione lumen & Sol est, cui circulus inest diuinus, (ille nempe reflexus, & teuibratus personarum amor, & splendor) circulum, & orbem Virginei vteri concupiuit. E vulua continuè generatur diuina: ne situm dissimilem habitaret, in vuluam Virginis vergit, vt degat; nec sine vulua prodit è cœlo. Quia circulo diuino cingebatur in Excelsis, circuiens gyrum, qualem suprà in diuinitate probauimus; gyrum vteri virgineum efformauit, ne absque circulo Deus, cuius perfectissima figura est. Hinc ex rore, lumine, & circulo Maria Iris effecta. Assonam mirabetis concinnitatem. Rogabis: Cur Iridis figura orbicularis est? Dicam. Radij contorquentur à Sole, impingunt in nube, qua renitente meatui conantur iuxta solis figuram, à qua egressi, nubem detornare; dumque ad seipsos refringuntur, figuram Solis, quam à primordio amauêre, in nube deponunt, refractique nubem in orbem effingunt. Congratulor Nysseno suprà: *Quoniam enim ea flammeis splendoribus natura inest,* Nyssen.
vt si cui leui, & plano occurrant, ad se ipsos denuò refringantur; figura autem Solis, quæ in humido simul ac leui aëre per radium imprimitur, circularis, & orbicularis est: necessario iuxta formam Solaris orbis etiam aër nubi proximus per enitescentem circumscribitur splendorem. Quid floridibus? Solaribus radiis innatus circuli insidet appetitus: quia circulo Solis genitoris nascuntur, ex quo orbicularem hausêre disciplinam. Facilè ad pristinam indolem remeat, quod naturâ regitur, non arbitrio. Amat alueum amnis, originemque abluere satagit matricem: si casu detorsit semitam, post annos mille ad alueum recurrit.

Nec deficit Ammiani phrasis, dum Irim de- 75.
scribit suprà datus: *Ac exinde disiectis humoris* Amm.
spiraminibus, dispersisque in paruas dispergines. Nam sic fermè Amadeus suprà: *Superueniet in* Amad.
te, vt inspiret tuam gratissimam dilectionem, insinuans tibi intimâ aspersione Verbum bonum. Et si Plutarchus dixerat lib. 3. de Placit. cap. 5. colo- Plutarch.
tes Iris esse guttas, & stillas, quas continet, & sic *Necesse est, Iris ex aduerso Solis appareat, cùm videlicet visus noster, qui in guttas illas inciderat reflectitur:* Hesychius Presbyter sic con- Hesych.
pellat Virginem in serm. 2. de laud. Virg. νεφέλην τ ὑετῶν χωρὶς ὁσορᾶς συλλαμβάνουσαν, id est, *Nubem pluuias incorruptas continentem*; ideò pluuias pluraliter, stillas; & guttas dixeris, quæ ex Sole repercusso delineant Irim.

Non parcam obseruantiunculæ, quare Iris ro- 76.
sea efferatur à Virgilio, dum 10. Æneid. canit: Virgil.
Ad quam sic roseo Thaumantias ore loquuta est. Meritò ex suæ eruditionis fonte dubitat Cer- Cerd.
densis, cur roseum os appingat Iridi Poëta, cùm rosæ color ab Auctorum nemine illi irrogetur? Alludere, inquit ille, ad dignitatem, & pulchritudinem rosæ, vt quæ sunt pulcherrima, honestentur hoc flore. Ego, si placet, ad amorem Iridis cum hoc flore referrem. Lego enim apud Plinium libro 12. cap. 24. *Tradunt, in quocumque frutice curuetur arcus cœlestis, eamdem, quæ* Plin.
sit aspalatho, suauitatem odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem. Illum autem fruticem sic describit eodem tractu: *Aspalathus nascitur spinâ candidâ, magnitudinis arboris modicæ, flore rosæ, radix eius vnguentis expetitur.* Si tantus Iridi *rosæ* amor: quid quòd *rosea* pingatur? Nonnè Maria rosa ex spina Iudaica? Tractat latè Hugo Hugo.
Victor. in instit. Monast. serm. 65. Ipsum adi; nec Victor.
enim fas est, vt in his crepundiis immoremur. Sat est, si Iris Virgo nostra sit, arcúsque fœderis, spe- Richard. à
cimenque pacis: sic illam nuncupat Richard. à S. S. Laur.
Laurent. de laud. Virgin. libro 6. S. Antoninus 4. p. S. Antonin.
tit. 15.

S.Bernard. Senens. tit.15.cap.44. S.Bernardin. Senens.tom.3.serm.1. de nomine Mariæ art.1.c.2.

77. Spopondi geminam Solis sobolem, Irim scilicet, & Phœnicem ad Trinitatis symbolum accersere. Phœnicem, Solis auem dixit Claudianus in Panegyr.2. in laudem Stillicon. Claudius.

Vnicus extremo Phœnix procedit ab Euro,
Conueniunt Aquilæ, cunctaque ex orbe volucres.
Vt Solis mirentur auem: procul ignea lucet Ales.

Fertur, quòd Solis solùm alitur feruore, & innocui vaporis carpens alimenta, nunquam terræ patitur contagia. Si *Solis* auis est, quid mirum, quòd *Sola* nuncupetur? Trahit nomen à genere. S. Clemens lib. 3. Constit. Apostolicar. cap. 6. *Aiunt Græci auem quandam esse Soligenam, vberem præbentem resurrectionis demonstrationem, quam ducunt comparem non habere, Solamque in mundo reperiri. Phœnicemque appellant.* Benè *Soligenam*, quasi à Sole genitam, ideoque *Solam*. Id Phœnicis significat vocabulum. Isidorus lib.12.origin. cap.7. *Phœnix auis Arabiæ dicta quòd colorem Phœnicum habeat: vel quòd sit in toto orbe singularis, & vnica: nam Arabes singularem, & vnicam, Phœnicem vocant.* An & Maria *Sola*, *Phœnixque*? Richardus à S. Laurent.lib.7. *In mundo enim est vnus Sol; & Maria vna Sola est Mater, & Virgo: vnde & comparatur Phœnici, quæ est vnica auis sine Patre: nec primum similem visa est, nec habere sequentem.* Expende illud: *Sola est Mater, & Virgo.* Phœnix, vt fertur, est hæres prolesque sui; absque coniuge gignitur, absque pudoris calamitate renascitur. Id nostræ Virginis specimen luculenter annotant S. Cyprianus in exposit. Symboli: *Et tamen quid mirum videtur, si Virgo conceperit, cùm Orientis auem, quam Phœnicem vocant, in tantùm sine coniuge nasci, vel renasci constet, vt semper & vna sit, & semper sibi ipsa nascendo, vel renascendo succedat.* Accinit his Pomponius Mela lib. 3. cap.9. *Phœnix semper vnica, non enim coitu concipitur, partuvè generatur: sibi ipsa incubat, soluiturque, ipsa se concipit, atque ex se rursus renascitur.* Aduocant Patres ad resurrectionis experimentum. S. Cyrill.Hierosol.catechef.18 S.Ambros. in Hexem. lib.5.cap.23. S. Zenoserm.de Resurrect. Tertullianus de resurrect carnis cap.13. Ad Trinitatis emblema nullibi vocatam legi. Non irreligiosè neque insuauiter Trinitatis vmbram addices: quippe indiuisâ naturâ, licèt vnicâ personâ (in quo omninò à similitudine deficit) absque Venere, absque coniuge, ibi pater; ibi filius est; &vt venustè S.Zeno suprà: *Post momentum festo exultat in tumulo: non vmbra, sed veritas: non imago, sed Phœnix; non alia, sed quamuis melior alia: tamen prior ipsa.* Sed præstat animosum audire redire Claudianum.

S.Clem. Isidor. Richar. S. Cyp. Pomp.Mel. S.Cyr. Hierof. Ambrof. S.Zen. Tertull. Claud.

Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit:
Sed Pater est, prolesque sui, nulloque creante,
Emeritos artus fœcunda morte reformat.

Ecce Patris, & prolis munus vnus ales vindicauit, sicut vindicat vnus Deus: licèt in diuinitate Pater & Filius duæ personæ sint. Quid de ignito amore; Quid de sancto Spiritu? Audi rursus.

Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem,
Succeditque nouus: gemina confinia vitæ
Exiguo medius discrimine superat ignis.

Applaudit Lactantij carmen, qui ad Orientem conuersam Phœnicem sic depingit. Lactan.

Illa ter alarum repetito verbere plaudit,
Igniferumque caput ter venerata silet.

Cur ternus pulsus alarum; Cur trina veneratio ex qua ad falsum euolat sepulchrum? Si forsan vt ibi Trinitatis latēte admoneat monimentum.



ACADEMIA V.

Sanctum Mariæ nomen, quã ex Deitatis arcanis euolutum.

Mariæ nomen impositum, vt perpetuum cum Deitate iniret consortium.

SECTIO I.

1. PLVRES etymologias texunt eruditi, dum nomen Mariæ deriuant. Vel etenim ex Syriaco, & Hebraico charactere dicunt significare *Dominam maris*: sic Anselmus lib.de excell.virginit.c.9.Chrysologus serm.146.Damasc.lib.4.de fide c.15.Eucher. lib.2.instr. Philo, seu Hieron.de nominibus, Hebraic. Epiphan. de laudibus Virgin. Anatas. de sanctiss. Deip. circa finem Vel *Stellam maris*, & *Illustricem*. S. Thom. opusc. 8. Giselbertus de altercat Synagog.& Eccles. Bernard. serm.de Natiuit. Mariæ. Beda homil. in festo Annunt. Vel *Dominus*. Epiphan.Hieron. Eucher.suprà, Isid.6. Etymol. cap. 10. Damasc. lib.4. de fide cap. 15. Carnotens. de laudibus Virginis. Vel *Myrrham*, vel *Deiparam*, vel *pluuiam maris*, vel *exaltatam*.

Anselmus. Chrysolog. Damasc. Euch.r. Philo. Hieron. Epiph. Athan. S.Thom. Giselb. Bernard. Beda. Epiph. Hieron. Euch. Isidor. Carn.

2. Bone Deus, cur in vna voce tot abditi significatus? Cur tot nomina in nomine? An quia vnius simplicis diuinæ substantiæ plures nomenclaturæ? Sic censebat Bonauentura in Spec. c.8. *Quia Dominus nominatissimus, siue famosissimus famosissimè est tecum: ideò & tu nominatissimus & famosissima es secum.* Deus nullum nomen habet; nec enim eius natura significatu definitur. Hinc Clemens Romanus ait: *Hoc ipsum, Deus, non nomen est Dei: sed hominibus interim vocabulum istud, quasi pro nomine eius concessum est.* Acutè dixit: *Hominibus interim*, quia nomina diuina ab operationibus, quæ hominibus innotescunt, imponuntur. Dum nominum excrescit numerus, innominatum exhibet Deum: quia sicut plures Dij nullus Deus; sic plura nomina, nullum nomen est. Viuida diuinitatis effigies Maria, cuius sanctitatis abyssum nominis cancelli non premunt. Vnde & nomen impositum quasi strictæ definitionis impatiens; dum plura vocabula exprimit, se nullum esse nomen proclamat: vt sicut Deus nominatissimus est, & absque nomine, nominatissima sit, & absque nomine Mater. Quàm benè S.Bernardinus tom. 3. serm.1.de nom. Virg. *Sicut Deum ipsum non vno tantùm nomine nominamus, sed multis, vt si eius*

Bonau. Clem. Rom. S.Bernad.

eius incomprehensibilitatem enuntiemus; sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus, & nunc lucem, nunc Solem, & huiusmodi, nominare solemus: vt sic ad sublimitatem eius cognoscendam aliquantulum pertingamus. Sic ille.

3. Exploremus hoc: *Quia Dominus nominatissimus est tecum; ideò & tu nominatissima es secum.* Quid prætendit causalitas hæc? Quid anceps reciproca concinnitas *tecum*, & *secum*? Nonnè Deus nominatissimus est nobis? Nonnè & Maria? Pondera mysterium. Deus sibi nomen non habet: quia nominis impositio propter multitudinem est, vt possit vt dissimilis cognosci, qui in natura, plurium similitudine pollet. Si non esset Trinitas in diuinis, quoad Deum non esset distinctum nomen, distinctaque notio; illicò ad pluralitatem personarum, nominum distinctione fuit opus. Sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus, triplex nomen propter distinctionem suppositorum, in quantum vnus Deus, sibi nomine non egent; sed nobis. Lactantius lib. 1. diuinar. institut. capit. 6. *Deo nomen non est, quia solus est: neque opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimine exigit multitudo.* Solus esset Deus absque Trinitate personarum, etiamsi cum Angelis, etiamsi cum beatis Spiritibus & beans esset, & beatus: nec enim extera natura præbet sodalitium. Si ruralis agri, & amœnitate pomarij illectus, è curialium negotiorum tumultuantibus turbis absque comite secedas, & in horto agas tantisper dominus tui, es nè solus inter arborum agmina, inter viride florum vulgus, inter murmura fontium, inter vitreos latices, quibus lapilli dentes sunt ad risum, effluens vnda lingua est ad vocem: inter canoras alites, inter lasciuientes agniculos, inter reptilia lubrica otium carpens? Solus quidem es, quia disparilitas speciei societatem facere nesciuit. S.Thom. 1. part. quæst. 31. art. 3. ad 1. *Licèt Angeli, & animæ sanctæ semper sint cum Deo: tamen si non esset pluralitas personarum in Diuinis, sequeretur, quòd Deus esset solus, vel solitarius. Non enim tollitur solitudo per associationem alicuius, quod est extraneum naturæ: dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamuis sint ibi multæ plantæ, & animalia.* Deus, qui solus est sibi, solùm in Trinitatis comitatu est; nec consortium capit à creatura. Videas, an secum sociam euexerit Mariam: vt Sponsæ, & Matris assumpta ad torum, & thronum, à dextris affulgens Regina, simul cum Diuinis personis hypostaticum ordinem, maternitatis fastigio licèt non subintrans, attingens, Deitatis comitatum subiret? Gabriel ait: *Dominus tecum*, partum enuntians: cur non, *Dominus inte*, interiorem illapsum præsignans? Sed id commune intellectualibus creaturis, vel propter immensitatem, vel propter gratiam. *Dominus tecum*, sodalitatis sonat consortium. Non te pudeat creaturæ, non te pigeat fœminæ: adeò Diuinitatis trabeas induis, etsi creatura sis, vt tecum associetur, qui Deus est; & sit tibi, & Altissimo sub vno hospitio comes solitudo. Ildephonsus de Virginit. cap. 2. *In hac regione solitudo Deo tantùm, & domui: in hac mansione singularitas hospitio tantùm, & hospiti: hic locus cum vno tantùm annectente cohæret.* Plura fert locus iste. Esto, Deus solitudinem cum Maria exhilaret: annè Maria etiam respectu cæterarum creaturarum, quasi adeò solataria, sit, vt vni Deo associetur, maneat absque comite? Ecce præconium Deiparæ sublimius. Adeò ex glebis compacta Adami, absque colubri contagione innocui, hæc sacra creatura sustollitur ad Diuina; vt quantumvis sit natura paulo minùs diminuta ab Angelis, nec à nostra diffidens specie, non videatur nobiscum inire consortium; sed nostro comitatu altiorem sibi plagam habitare. Iam scis, quò pergam. Si Maria singularis est, & sola, comparata cum creaturis, non eget nomine; nisi comparetur ad Deum, cum quo quasi consortium sustinet, quia pluralitatem efficit, licèt semper intra finitos creaturæ terminos. Solùm ergo Deus habet nomen respectu Mariæ, & Maria respectu Dei. Sic teneas Bonauenturæ acumens: *Quia Dominus nominatissimus est tecum; ideò & tu nominatissima es secum.*

S.Thom. — Luc. 1. — Ildeph.

4. Hinc didiceris, quò respexerit Hieronymus, quando Mariæ nomen simpliciter proferens, confestim *Principem cum Deo* compellat, quasi hanc nominis causam subdens, nempe cum Diuino Numine sociatam. Sic in Matt. tom. 6. capite 1. ad illa verba: *Fuit in deserto Ioannes baptizans. Vnde desilit Sponsa de camelo, cùm humiliat se nunc Ecclesia, viso vero Isaac Iesu Christo, in cuius natiuitate risum fecit Deus Saræ: sicut ad Mariam dicitur, quæ est Princeps cum Deo: Benedicta tu inter Mulieres.* Vix tetigit nomen, cùm nouam etymologiam attexit. Nonnè perpendis, quomodò *Saræ* significatum, non Saræ, sed Mariæ accommodat, vt sodalitium cum Diuinitate arguat, solùm, quia *Maria* nominatur? Hoc illi etymon debetur; tametsi syllabæ recusent. Accedit Bernardinus Senensis sermon. 3. he nomine Virgin. *Quippe ipsa Virgo verè est Sara, quæ Princeps interpretatur, quæ verum genuit Isaac, scilicet Filium Dei, in cuius semine benedictæ sunt omnes gentes, & per quem omnis creatura principatum habuit.* Si cum Deo Princeps est Virgo, eget nomine erga Deum: quia propria vocabulo opus est, quando similitudo intercedit.

S.Hieron. — S.Bernard. Senens.

5. Memini, quòd Georgius Venetus in harmon. mund. tom. 5. capite 7. prodidit, Hebræos inter abstrusa, & abdita mysteria tradidisse, vnam esse creaturam reliquis excellentiorem, & veluti Principem quam כתררנ *Mitraton* appellant, idest, *Principem facierum*; vocisque *Mitraton* literas conficere numerum 999. quem reddunt literæ nominis *Mariæ*. Non his arithmeticis computationibus delector, desino Cabalistis. Ast *Princeps facierum*, quem non pelliciet ad Mariani nominis excellentiam? Si Maria Princeps cum Deo tenet sodalitium, quid quòd nominata non vnam solùm faciem prætendat, scilicet fœminæ; sed & ad Dei faciem meditandam impellat? Si ideò vocata est hæc sacra fœmina, quippe societas eius ad Deum, vocabulo ob discretionem indiguit, appositè id nomen inditum, quod numerum hunc, & contubernium explanet. Quin non iniucundè censuerim, ideò Mariæ nomen cum *Mitraton*, Principeque facierum, eodem numero conuenire, hancque creaturam Principem cum Deo in diuinum latus euectam, priscos Hebræos existimauisse; tum, quia ex Maria duplex in homine facies, geminaque natura in vnam hypostasim conciliata prodiuit: tum, quia sicut in Deo quidquid facies est, Deus est; sic quidquid in Maria, halat Diuinitatem, geminamque faciem spirat, scilicet, quòd Dei, & hominis genitrix censeatur. Sanguinea muner

Georg. Ven.

mun

Matth. 9. munditiem amans, flumineque abstergi cruento, tendit ad Christum, Matth. 9. *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* En valida fides, quæ posteriorem perfricuit limbum; etiam post scapulas salutem inuenit. Ne mireris. Vbique facies erat, vbique facierum panis, siquidem Chrisolog. vbique diuinitas. Chrysologus serm. 33. *Retro nihil erat, & ibi faciem, quam declinabat, inuenit. Erat in Christo corpus multiplex; sed erat Deitas simplex: erat totus oculus, qui post se supplicem sic videbat.* Qui totus gratiis scaret, etiam per terga gratiam effundit. Annè in Ma-S. Metod. riæ nomine id miraculum? Obuius est S. Metodius in Hypopant. *Tuum, Dei genitrix, nomen diuinis benedictionibus, & gratiis omni ex parte refertum.* Quid in his verbis *Omni ex parte* delitet augustum? Meditabar, quòd Sacramentorum verba non singillatim, sed vinculo orationis connexa gratiam spirant. Si denectis syllabam, truncas Sacramentum. Periodus tota formam construit: nec diffibulata à voce vox valet, quæ sub consono vinculo gratiam indit. Mariæ nomen, vel si in literas diluas, gratiis scatet. Quid causæ? Quia Princeps facierum est. Panem facierum, panem propositionis dicebant Hebræi, in quo Eucharisticus panis signabatur, tot quidem faciebus variegatus, quot dissectus frustis. Chrystallum frange, quælibet secta pars speculum est, videas totam faciem tot integris imaginibus, repercussis speciebus præsentari: plures facies sortitis in vitro, cùm vna sis. Vel in micas diuidas Eucharisticum epulum, toties Dominicam faciem, & corpus Dominicum inuenies, quoties dissecuisti. Sumant mille, tot gratias nanciscuntur. Sic Princeps facierum Mariæ nomen contemplor: quoquo versus literam accipias, in sanctitatis collegio, virtutis, & sanctitatis faciem intueris. Iam Metodium sensisti, *Gratiis omni ex parte refertum.*

6. Ergo contributi cum Diuinitate Maria, in superumque cum Patre superno solium ascitâ, nomen habet ad societatem necessarium, ad similitudinem in munere requisitum, vt inter Patrem & Matrem, Deum & fœminam, quæ Princeps cum Deo est, notio discriminis innotescat. Cui meditationi vt fidas, audeo profari, Marianum nomen Collyridianos Hæreticos impulisse, vt cæcutientes in voce, Diuinitatem illi pangerent, debacchantique delirio aras struerent, victimas ferirent, omniaque Numinis suffirent aromata. Deum credebant, quam Virginem fœminam adamabant. Quid causæ? Nomen. Si Maria Princeps cum Deo est, idque aures edocet vocabulum; dum nomen proferebant, Deum mussitabant, Diuinitatemque appingentes crea-Epiph. turæ, ex nomine aberrabant in Numine. Do Epiphanium libro 3. contra hæres. hæres. 78. col. penultim. *Cesset itaque error seductorum. Neque enim Deus est Maria, neque de cœlo corpus habet; sed ex conceptione viri, & mulieris: secundùm promissionem verò, velut Isaac disposita. Et nemo in nomen huius offerat, suam enim animam perdit: neque rursus debacchetur, contumelia afficiens sanctam Virginem.* Et columna antecedenti: *Narrat enim, quòd quædam mulieres illic in Arabia à partibus Thraces, hanc vanitatem inuexerunt, vt in nomen semper Virginis collyridem quandam sacrificent, & simul congregentur: & in nomen sanctæ Virginis vltra modum quid tentent aggredi, nefario, atque blasphemo negotio, & in nomen ipsius sacra celebrent per mulieres: quod totum impium est, ac nefarium.* En in Mariæ nomen Collyridianorum oblatio. Quos meritò infestat Epiphanius, fidesque castigat. Licèt enim nomen super omne nomen post nomen Vingeniti Filij sui adepta sit, in cognatam familiaritatem cum Deo sublimata; creatura tamen est, ex hominibus assumpta. In hoc Mariana dignitas inclaret. Qui Numen dixerit, peccat in nomen.

Præfata mirè fulcit, quòd Mariæ nomen non 7.
ab homine, non ab Angelo nuncupatum, sed os Domini nominauit. Quidni Domini? Imò non sub inuolucro Deitatis, sed sub explicatu Trinitatis: quod luculentum signum est, apud Deum Trinitatem, egere nomine Mariam; non apud homines, à quorum conualle sublimitas eius, quasi in dissitæ naturæ subrigit fastigium. Præproperâ velocitate Deus ad sodalitium aduocat Mariam; & dum ad Matrem Dei decernit, à cætero creaturarum discernit vulgo. Mariam vocat ante conceptum, nomen indit ante existentiam; nec moras expectat, qui sibi sociam cupit, etiam mentis sinu prædestinatam. Obuia sunt loca, quæ à tota Trinitate nomen Mariæ impositum esse enuntiant. Idiota in contemplat. de Virg. Maria capi- Idiota.
te 5. in princip. *Dedit enim tibi Virgini Mariæ tota supersancta Trinitas nomen, quod post nomen superbenedicti Filij tui est super omne nomen.* Quæ verba repetit Richard. à Sanct. Laurent. de laud. Richard. à
Virginit. pagina 14. Cuicensioni non insuauiter S. Laur.
suffragari valet Damianus trito loco, nec vsque ad Dam.
nucleum excusso, quem posteà expendemus, sermon. 11. de Annuntiatione. *Statim de thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur.* Qualisnè Diuinitatis thesaurus, ex quo nomen Marianum erutum? Thesaurus pluralitatem præsignat, in gazisque, & opibus quendam indicat numerum sub collectiuo vocabulo. Ergo Diuinitatis thesaurus Trinitas personarum est, quæ in essentia vnitatem, numerum in hypostasibus amans, thesaurum Diuinitatis non sine proprietate constituit. Ex hoc Mariæ nomen euoluitur. Id sequentia verba deuincunt: *Et per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa.* In quibus duo cum acumine coniectanda sunt. Primum, quòd Trinitatis stylus in Mariæ vocabulo recensetur: præpositiones enim illæ de sanctæ Triadis arcano efferuntur, vt ad Roman. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt* ad Rom. 11.
omnia, annotarunt Patres. Sat sit Ambrosius in Ambros.
Symbol. Apostol. capite 3. in initio: *Vnus est Deus Pater, ex quo omnia: & vnus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia: & vnus est Spiritus sanctus, in quo omnia. Hoc ipsum autem, quòd dicimus, ex quo, & per quem, & in quo omnia, non naturam secamus; sed vnitatem naturæ, & voluntatis, & operationis confitemur. Vnus ergo Deus in his tribus, & hæc tria vnus Deus est. Quod ita esse: idem comprobat Apostolus, dicens Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.* Eædem proportiones ad Virginem nostram accersuntur à Purpurato Damiano. Grande elogium! Quid in tam nouum laccessiuit præconium? Si in Trinitatis thesauro nomen Virginis inlatebat, qualem nisi Trinitatis spiraret odorem? Quali cuperet idiomate prædicari? Sciendum est, quòd ad triplicem propositionem Apostoli, addidit Damianus, *Cum ipsa:* quod

quod si introspexeris, agnosces, hûc nomen à Trinitate euolutum tetendisse, hûc collimauisse ingenium. Quia hæc fœmina facta ad id præordinata à principio, vt perpetuum cum sancta Trinitate contubernium iniret, ex diuina sobolis communione: ideò nomen illi impositum, & è Trinitatis promptuario depromptum, quia apud Trinitatem nomine indiguit ob eximiam cum Patris natura similitudinem. Quare post voces illas,in quibus Triados præludebat vmbra, attexit quartam Damianus, nempe, *Cum ipsa*, vt Princeps cum Deo appareret, & in ipso nomine societas cum Trinitate euulgaretur. Quod elogium demirare, quoniam Arriani totis rudentibus nitebantur, à Filio Dei præpositionem eam eliminandam, vtpote quæ æqualitatem proderet Maiestatis. Consule Basilium lib. de Spiritu sancto capite 6. sub initio: sic errorem scribit: *Per Filium gloriam Patri esse tribuendam; sed cum Filio nequaquam, eo quod hæ voces cum Filio æqualitatem declarent honoris: per Filium verò ministerium significant. Rursus nec Spiritum sanctum oportet cum Patre, & Filio collocare, sed sub Filio, & Patre.* Quo ineptiebat Hæreticus, Virginis nostræ fœlicitet præconium adauget. Diuinus Filius, Spiritusque in æternum cum Patre, æqualitatis regnant Maiestate. Maria, licèt illam sibi ob munus maternitatis præpositionem adsciuerit, Deitatem non subintrat, nec creaturæ transgreditur paruitatem; sed ad hypostatici ordinis ministerium ex Filij diuini generatione hoc vocabulo noscitur attigisse. Basil.

Nomen Trinitatis Tetragrammaton *priùs in typo Mariæ auditur: Mariæ nomen sublimat.*

SECTIO II.

8. QVOD Mariæ nomen ex Diuinitatis thesauro fuerit euolutum, & impositum ob sacrum cum Trinitate commercium, exoptat, liberæ demus, an in nomine ineffabili *Tetragrammaton* Trinitas occultetur, & in Mariæ dignitatem aliqua litera valeat ancillari. Putant de יהוה *Iehoua* euoluunt Hebraici characteris peritiores. Patet Vasquez 1. part. disp. 107. ex Rabbinorum suffragiis Trinitatem inibi delitere censet, vt י *Iod* significet principium, & Patrem. ה *He* demonstrationem, seu sapientiam, & Filium ו *Vau* nexum, seu amorem: alterum ה *He* humanam Verbi incarnati naturam. Dicam, quod sentio à peritissimo sanctæ linguæ edoctus. Res est anagrammatis, & credentem consolatur potiùs, quàm edocet. Nam singulæ illæ literæ nimiùm remotè significant, quod ab inuitis fermè extorqueetur. Neque enim prima pars alicuius rei Patrem, nisi satis translatitiè, significat: nec demonstratio est idem quod sapientia, seu Filius: nec quælibet vox, vel litera, quæ illigat voces, veluti apud nos &, *ac*, Spiritum sanctum, seu amorem, si propriùs mediteris, enuntiat. Literam autem י *Iod* scribi cum vnico camez, primordia sanctæ linguæ perscrutantem non coget ad mysterium. Id facere cœperunt Chaldæi, vt ex eorum paraphrasi liquet. Et sanè tantundem habetet antiquitatis, quantum acuminis, & industriæ, Vasquez.

magnum quiddam esset. Est enim initialis litera nominis יהוה *Iehoua*, *vel* יה *Iah*, & initialem literam proprij nominis esse indicem personæ, nihil æquè frequens in publicis inscriptionibus. Non diffiteor multum ponderis synceræ menti patere posse nomen hoc sanctâ veneratione arduum: de quô non inuenustè diceres, quòd Pythagoricis silentij repagulis à pullato defendebatur circulo: dignum sanè, vt aliquid diuinius intam obærato vocabulo incolere censeatur. Theodoretus appellat ἄφραςον, Damascenus ἄῤῥητον, Hieronymus ἀνεκφώνητον, & omnes *ineffabile*. Solemnes inter benedictiones solùm à Pontifice prolatum, cùm Sancta Sanctorum ingressus, de quo Ioseph. de bell. Iudaic. cap. 12. adeò secretum adamabat, vt nec in Synagogis liceret effari, sed tantùm in Hierosolymis. Qua vocalitate pronuntiandum sit vetustatis iniuriâ, taciturnitatisque religione nesciunt Hebrei. Ex quo si rem accuratè libremus, difficilem aditum præbet hoc sanctum nomen ad sanctæ Trinitatis capessendam agnitionem. Theodor. Damasc. Hieron.

Hæc licèt ex censoria virgula litteralis rigor indixerit; tamen Trinitatem in hoc sacro vocabulo exhiberi, si Doctis sancitum est; cur non tam nobile subsidium verso poplite veneremur? Et quidem in gryphis, & anagrammatibus res, de quibus agitur, sat est, quòd literis tegantur obliquis, ne significatio illicò pateat. Sic Deus cognitu difficilis à S. Epiphan. in Physiolog. describitur symbolo Leonis, qui in monte oberrans, & venatorem odorans, sua ipsius vestigia caudâ obtegit, ne illis insistentes venatores lustrum inueniant, atque ipsum capiant. De quo Isidorus libr. 1. Orig. cap. 2. Ælianus lib. 11. cap. 30. Igitur in nomine *Iehoua* tegitur Trinitas insipientibus & nothis: humilibus verò, & legitimis filiis retegitur. Cur in literis augetur, cùm triplex ad Trinitatem personarum litera sat sit, & in quarta possint impingere. *Quaternitatis* amatores? Promptum est aliquibus hunc nodum explicare. Opinantur literam additam; vt humanam prodat naturam, quam sibi Dei Filius deuinxit: ideoque datâ operâ literam illam esse eandem cum secunda, in qua Filij hypostasis innuitur. Benè ista limpidis, & rectis corde. Ast Nestorianis foditur fouea in quam licenti vestigio labantur. Duas personas blatterant in Christo coniungi, quartam Trinitati impingunt. Si quarta litera Filium, etiam in altera natura, describit, calculum sibi in litera esse somniabunt, quo cæspiteut, & offendant. Abeat igitur periculum erroris. Litera hæc Mariam insinuet, quæ cùm creatura sit, & non Deus, nullius offendiculi poterit imminere suspicio. Nimiùm huic cogitatui blanditur, quòd eadem litera cum secunda sit, quæ Filij est index. Similitudo Matris, & Filij dissimilis characteris non sustinet notam, compari gaudet elemento describi. Si forsan ideò quadriliterum in omni lingua est nomen Dei; cum tamen tres personæ in Deitate subsistant: quoniam ad comitatum ex Incarnationis Sacramento Maria fuerit sublimata: idcóque litera illi per gratiam contigerit in Dei nomine; extrema tamen, vt creaturam esse demonstret. 9. Epiph. Isidor. Ælian.

Hæc vt firmemus, rimari opus est, quò loci primùm hoc ineffabile nomen insonuerit. Profectò in rubo non turbato ab igne, sed illustri splendore conspicuo, quem symbolum fuisse 10.

Mariæ

Mariæ; futilis, & otiosæ lituraturæ probaret conatus. Inibi Deus ad Moysen: *Ego sum qui sum.* Exod 3. Lippomān. Geneb. Hebraicè אהיה *Ehie*, quod idem esse nomen cum *ineffabili*, certum duxit Lippomanus ex Theodoreto. Genebrardus lib. 1. de sancta Trinitate, pagin. mihi 61. Agit de Tetragrammato. *Lectio non aliunde nobis petenda est, quam ab ipso Moyse: cui primo tam præclari vocabuli facta est reuelatio Et à Domino, quod nomen ipsi esset percontanti responsum est, Ehie, qui sum. Ehie* (censeo legendum *Ihie*) *misit me ad vos.*

11. Ex rubo qui Marianus frutex est, à flammaque Virgini dicatus, ineffabile nomen insonuit. Inibi prima elementa sacri vocabuli, vrticarum stylo, graphioque puncta sunt, vt ex Mariæ vmbra Trinitatis vox audiretur. Annè Trinitas inclaruit ab igne loquente? Nequiuit Diuinitatis flamma in arboreo in Virginis typo, ad Incarnationis specimen imbibi, & insinuari; quin nomen efformaret, sibique adscisceret, quod ex ipso Virginei vteri symbolo sanctam Trinitatem nominaret. Exod. 3. Nonnè audis? *Ego sum, qui sum. Ait: Sic dices ad filios Israël: Qui est, misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israël: Dominus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Quid impulit in longum responsum, cùm percontanti Moysi sat essent duæ, vel tres syllabæ, *Sum, qui sum?* Indidem, si nomen vnum sciscitatur Moyses, vt quid geminum attexitur, ex hominumque Abraham, Isaac, & Iacob elementis construitur? Denique, quid in iteratam loquelam adegit, si post primum Domini responsum non interiaceret vlterior Moysis interrogatio? Vix fatus erat: *Ego sum, qui sum*, cùm quasi silentium pertæsus, quamvis adhuc repentibus labiis, nullâque silentij interiectione quiescentibus, additur: *Dixitque iterum Deus ad Moysen: Deus Abraham, Deus Isaac*, &c. Concitauit situs, Marianum arbustum adegit, vt Trinitatis nomen ex Incarnationis vocabulo efformaret. Ideò illicò ad nomen essentiæ vocem sanctæ Triadis subiecit, non ex Diuinitatis charactere, sed ex trium hominum. Mariæ progenitorum, syllabis compactum. Seuer. Seuerus apud Caten. Lippoman. *Cùm omnium Deus non tantùm Abraham, Isaac, & Iacob Deus fuerit, sed etiam Ioseph, ob insignem eius pietatem, ac virtutem; trium tamen se Deum esse fatetur, vt sanctissimam Trinitatem innueret: idque ita esse articuli additio ter repetita manifestissimè declarat. Nam cùm nominum Monadem præmisisset, videlicet qui est Dominus, & Deus, statim tertiam hypostaseon significantiam subiunxit. Qui est enim & de Patre, & Filio, & Spiritu sancto æquè dicitur. Eadem ratione Dominus, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dicuntur esse. Similiter Dei nomen Patri, & Filio, & Spiritui sancto adscribitur.* Basil. Eadem apud Basilium mens est. *Ego sum, qui sum. Id ex persona Dei dictum fuisse, nemo inficiari potest. Nam istud, Qui sum, vnam, eandemque, ac communem essentiam significat. Deus verò Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, cum articuli additione dictum est, vt vniuscuiusque personæ diuisionem declaret.* Quis vnquam audiuit tale? Trinitatis nomen abstrusi, & ineffabilis Sacramenti vocabulum, carneis trium hominum syllabis compingitur: nec aureis Diuinitatis cælaturis incidítur; sed membrorum carnalium membranis exaratur? In causa Incarnatio fuit. Vix in Mariæ vterum Verbum Dei venturum nunciatur, cùm illicò Gabriel, quasi è Virginea cauea compulsus, trium Personarum nomina proiecit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. Ergo cùm ad incarnationem tria illa vocabula Abraham, Isaac, & Iacob, attineant: quid quòd Trinitas in illis æquali dialecto dispalescat? Augustinus: *Sed & quod dicit Deus Moysi: Ego sum, qui sum: & qui est, misit me ad vos, diuinitatis substantiam signat. Cum autem dicit: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, &c. mysterium Incarnationis suscepta insinuat, quia de illis secundum carnem generatus agnosceretur.* August.

Ideò vnum nomen roganti Moysi, duo libens prodidit Deus. Quid causæ? Amor igneus impulit, vt igniti rubi declararet ænigma, Matrisque Virgineæ præberet auspicium, & ex nomine à Matre deriuato vocaretur. Dixerat nomen naturæ, nomen gratiæ subdit, quod ex Matre, ob id gratiâ plenâ, ab eius Progenitoribus sibi imposuit. Id præsensit Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 14. *Ad vnam percontationem duo reddidit; duo, inquam nomina sua deprompsit, quorum alterum, scilicet, Ego sum, qui sum, natura est: alterum verò gratiæ, vel dignationis, videlicet Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Rupert. 12. Sed vide, Pater, quod potiùs ex duplici vocabulo vnum nomen æternum propagauit. Auscultate. Duo vocabula præmiserat, & vnum tantùm nomen esse persuadet: *Hoc nomen mihi est in æternum.* Qualenè ex his, Domine, quæ profatus es? Duo præcesserunt: *Ego sum, qui sum: Deus Abraham, & Deus Isaac*, &c. Et tamen: *Hoc nomen mihi est*, inquit. Mira dignatio! Diuinitas, & caro ex Virgine vnum nomen est, Christus Iesus. Primum maiestatis vocabulum extenditur, vt capiatur. *Ego sum, qui sum.* Inextricabile vocabulum, arduum, & sublime. En effunditur: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Mellee Bernardus in sermon. de Natiuit. Domini: *Propheta subtiliter inquirit nomen eius. Et Dominus dicit: Ego sum, qui sum. Hoc est nomen meum in æternum. Hæc dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Perterritus Moyses inextricabili auctoritate vocabuli, ac si diceret: Hoc excedit intellectum meum, non possum capere, nisi effundatur; audit à maiestate, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Vides effusionem? Ecce Deus Angelorum vocat se hominum.* Bernard. Sacchato satura verba. Id forsan expungeres ab illis verbis, *Ego sum, qui sum*: quod attexit Bernardus: *Hoc est nomen meum in æternum*; Bernard. cum potiùs Deus non illi primæuo nomini id adiunxerit, sed posteriori, *Deus Abraham, & Deus Isaac.* Bellè Magnus Abbas. Si posterius vocabulum tantùm effusio nominis est; si ex vtroque vna coalet nomenclatura; quoquo versus ponas *Hoc est nomen meum in æternum*, ad lineam vsque rem metieris. Qui fecit vtraque vnum, qui diuinitatem immiscuit carni, & virgineam vuluam oppleuit, vt caro, & Deus in vnam personam coirent; nomen maiestatis effudit, & ex Mariæ progenitoribus, Abraham, Isaac, & Iacob, sanguinem in vtero Mariano coëgit, vt nomen in æternum efflueret, stabilique mansione duraret. Adeò hoc nomen sic effusum, lenocinium Diuinitatis est, & blanditiæ, vt priùs effunderet, quàm

quàm proferret; priùs incarnationis ducetet lineas, Marianisque præluderet vmbris, quàm ipsum nomen Deitatis Moysi exponeret. Annora. Iam dixerat, interrogationem Moysi non expe-
Exod. 3. ctans, sed præproperà voce anteuertens: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Cur sic velox Dominus, nondum de nomine quæsitus, in ipsomet primo vestibulo nomen effundit, quod ei ex incarnatione obrigit, si posteà nomen sciscitanti iterum patefacturus erat? Non potuit se continere, dum rubum tetigit flammeus Deus, similemque carni virgineæ fruticem tenuit; quin nomen illud gratiâ plenum, ante naturæ nomen, inopinò velox euulgaret. Vi-
Rupert. dit id subtiliter Rupertus suprà cap. 14. *Et hoc quia gratia est, idcircò iam supra non interrogatus vltro protulerat, dicendo: Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Si terra sancta est, quid quòd gratiæ nomen celeri proloquio subiunxerit, & ex Mariæ, quæ terra sancta fuit, memoriâ, quasi illicò in aure vellicatus, incarnationis nomen recordaretur?

13. Vix terram sanctam intuetur, cùm non solùm nomen in Virginis sanguinem, scilicet in Mariæ progenitores effudit: sed &, quasi exinanito vase, totum euacuat; velut si phialam Diuinitatis frangeret, vt euacuaretur vnguento, nec iam aliud suauius nomen audiretur, nisi quod sanguis indidit Marianus, *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Ideò Deitatis vocabulum conticuit: *Ego sum, qui sum*: vt præiret ex incarnatione nomen, *Deus Abraham, &c.* euacuatum iam, & exinanitum, in Mariam nomen maiestatis insinuans. Sic caperem S. Epiphanium in Anchor.
Epiph. *Verùm, quoniam euacuauit seipsum, formâ serui assumptâ, non plenitudo imminuta est, sed vt ostenderet à cœlo transeuacuatum in humanam naturam, hoc est, in officinam Mariæ. Vnguentum enim euacuatum nomen tibi est, inquit: non dixit effusum, sed euacuatum de cœlo in terram: quo à terra in Mariam, & à Maria caro fiens conciperetur.* Pro eo, quod est Cant. 1. vers. 3.
Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*, legere amat Epipha-
Ad Ph. 1. a. 7. nius: *Vnguentum euacuatum nomen tuum est*, vt exinanitæ formæ Deitatis nomen attemperetur, & opus transeat in vocabulum. In quo id acuminis Deitas in Mariæ vterum effusa sibi non periit, seu euanuit: transeuacuata fuit stylo Epiphanij; velut si ex vtero in vrceum aquam traducas nec stilla deperit aquæ, nec nouus vrceus patitur aquæ guttulam è pristino non ebibere. Totum Deitatis pelagus in alueum Virginis irrupit: nec sibi, nec Virgini imminutâ portiunculâ. Ideò exinanita Deitas, ideò euacuata perhibetur, non dispendio plenitudinis, sed prærogatiuâ Virginis, quæ ita totam ebibit, ac si totam phialam euacuaret. Id præ se ferunt verba illa Epiphanij: *Non plenitudo imminuta est, sed vt ostenderet à cœlo transeuacuatum in humanam naturam, hoc est, in officinam Mariæ.* Inde & nomen effusum, quia effusus Deus. Bernardus in Cantic. serm. 15.
S Bernard. *Et quid mirum, si Sponsi effusum est nomen, cùm ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* En cur ad præsentiam rubi nomen effunditur, maiestasque Diuinitatis in liquidum Mariæ sanguinem, è parentibus fluentem colliquata, quasi crescit, ebullit, & refunditur, vt sentiat omnis caro salutare Dei,

Sed ex quo nè effusum nomen, si priùs alicui vasculo non infusum? Benè: ideò nomen hoc sa- Isai 52.10.
lubre, & quasi ex compressa Deitate expressum, anteà in Mariam infusum, postea ex Maria in adolescentulas effusum est; vt in odorem non Cant. 1.
vnguentati Sponsi, non oleo delibuti, sed Sponsi, qui oleum est, currant. Id cogitabat Philippus Abbas in Cantic. cap. 12. column. 3. agens de Beata Virgine: *Mihi nomen tuum Deus, tuum* Phil. Abb.
mihi oleum se infudit, cùm ros tuus vellus meum, cùm tua diuinitas me perfudit, cùm in me totum Deum, Verbum Patris, Dei Filium introspexi, & ipsa tota plena affectu plenario te dilexi. Me autem repletâ, ad eas, quæ iuxta sunt, oleum hoc refusum, & vt capi valeat, adolescentulis est effusum: & quod infusum mihi, cùm non possent capere, neglexerunt; effusum sibi, feruente spiritu dilexerunt. Quid nobilius?

Ergo si nomen, Mariæ infusum totam insuccauit, nec solùm humectans leniuit, & tinxit; sed 14.
olei more, vnguentique mollitie, leniter sese insinuans, blando illapsu vsque ad intima permeauit; tota Maria transiuit in nomen: quòd si nomen illud Filij Dei est, annuente Philippo; opus est, quòd Virginis nomen Matet, sit & vt Trinitatis in ipsomet nomine spargantur indicia, & ex nomine quondam effuso per rubum, incarnationis mysterium prælusisse agnoscatur. Ratio prona est. Nam si nomen Filij ad viscera Mariæ penetrauit, vuluamque suffudit; iam Virgini insinuatum, non filiam, sed Matrem reddit, id est, Matrem illicò nuncupat, & ostendit; sicut nomen Filij Diuini cum prima persona compositum, & relatum, nomen Patris artificiosâ notâ dicetur, quâ Patrem illicò exprimit, & ex relatione pronuntiat. Hùc aduoco Rupertum lib. 1. in Cantic. *Oleum effusum nomen tuum. Cuius vbera* Rupert.
sunt, eius est nomen; id est, cuius est amor, vel spiritus, per quem concipitur, eius est Verbum, siue Filius, qui concipitur. Nam Filius nomen est Patris, præsertim talis Filius, tale Verbum, per quod Deus in cœlo, & in terra valde nominatus, valde est inclytus. Pondera illud: *Nam Filius nomen est Patris*: in quo elideris, si lubricus offendas: cùm hæresis Sabelliana triplicem personam in vnam cogere nitebatur: & Pater sicut hypostasi, sic & nomine differat à Filio. Mens Ruperti perspicua est. Adeò Filius Dei, qui secum Patrem vehit, & intimâ circumsessione perstringit; Patrem manifestat, prolatoque nomine Filij, in Patris acuit cognitionem, vt ipsius Patris nomen videatur. cuius munus est rem compendioso vocabulo definire, & exprimere: Filius autem ex imaginis lineamētis breuis est descriptio Parentis.

Pronum est, id cogites de Maria quam nomen 15.
Filij infusum, vsque ad bibulam olei sancti carnem, ita inbuit, & traiecit; vt dicere non iniuriâ valeas, Filius nomen est Matris: cuius ex nomine vterus, & vbera non solùm ab oleo, & vnguento delibuta maduere, sed fœcundo tumore turgentia fœtum concepisse ostendebant. Quàm mutua communio! Nomen Filij effusum, ipsius Matris effectum est: vbera Matris fragrantia, quasi propria Filij prædicantur; & tamen viri liberalis pulchritudo, non ab vberibus, quæ fœminea sunt, solet laudari. Non te rapuit stylus: *Me-* Cant. 1.
liora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis: Oleum effusum nomen tuum? Cur Sponso vbera decantat? An quia pulchritudinis Spōsi nobilitas ex fœmineæ venustatis apparatu prædicāda

est; vtpote qui non est virogenitus, totam à fœmina formositatem accepit? Non indecorè quidem. Verùm præfata priora verba non Sponsi, sed Sponsæ laudem esse, nituntur Origenes, Philo, Aponius, Alanus, & alij: velut si iam Sponsus sponsæ rependerit præconium, & mutuâ se confabulatione depascere cœpissent. Vbera Matris vnguentis fragrantia canit, quorum lac ex Christo, id est, *vncto*, concepto, ab vtero in mammillas despumans, vnguentum odorum meritò vocat. Ast Mater illicò id non ex se, sed ex Filio insito sibi accidisse respondit; vnguentum, & oleum ex visceribus ad vbera exuberasse fatetur: quia oleum effusum nomen vterum vsque, mulcente illapsu mollique lentitudine irrigauit. Sic suauiter Bernardus serm. 13. in Cantic. ad finem: *Non recordamini in Sponsæ vberibus commendatam esse suaueolentiam vnguentorum? Quid ergo consequentius, quàm vt eandem fragrantiam Sponsa, ne sibi arrogare putetur, de Sponsi beneficio recognoscat? Quod vbera, inquit, mea sic redolent, & sic placent, nec studijs, nec meritis adscribo meis, sed tua, ò Sponse, tribuo largitati, de oleo vtique effuso nomine tuo.* Igitur, quòd vnguentata vbera, oleoque saturata Mariæ habuerit, id est, quòd Mater sit, & nuncupetur, sortita est, quia oleum effusum nomen Dei illi fuit, & ex æterni Filij nomine, Matris nomen accepit; ita vt iure dixeris Mariæ nomen oleum effusum; oleo madefacta, & traiecta, nomineque ad fundum, vsque penetrata, ipsum fermè oleum effusum effecta est. Non tædeat Alanum auscultari: *Cuius nomen prædicatur mundus, nisi Virginis huius? Et eleganter fama, & gloria nominis eius oleo effuso comparatur. Oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat: odorem parit, flammam nutrit, sed & in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina inuitamur, aduersitatibus fessi, eius patientiâ recreamur, vita eius formâ illustramur. Nominis fama diffunditur, & non solùm oleo, sed & oleo effuso nomen eius comparatur. Quia sicut oleum effusum magis redolet, sic quantò magis nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur.*

Origen. Philon. Apon. Alan. S.Bernard. Alan.

16. Non hucusque à *nomine ineffabili*, quod priùs insonuit in tubo, vel hilum deflexímus. Qualiter effusum ad Mariam per atauos Abraham, Isaac, & Iacob elucidauimus. Vt præfatis fidas, recognosce locum: *Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione, & generationem.* Qualenè memoriale hoc, quod memoriam reficeret in diuini nominis recordationem? Reperit Dauid: *Domine, nomen tuum in æternum: Domine, memoriale tuum in generatione & generationem.* Profectò Maria, in qua memoriam fecit Dominus mirabilium suorum; in qua & nomen illud effusum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Adsit Bernardus sermon. de aquæduct. *Fœcunda Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio; hic tenuis quædam libatio primitiarum: ibi res, & hic nomen. Domine, inquit, nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in generatione, & generationem.* Cur memoriam sui nominibus genitorum Mariæ illigat Dominus? Quia in illis tribus vel adauctum nomen vt in Abrahamo; vel, vt ingiter maneret, impositum, vt in Isaac; vel in aliud nouiter commutatum, vt in Iacob. Sic excogitabat Rupertus in Genes. lib. 8. cap. 24. *Hic iam pro dignitate vocantis nomen eius Israël, prætereundum non est triformem esse positionem vocabuli, siue appellationis in his tribus Patribus nostris Abraham, Isaac, atque alter Israël Deus ipse nuncupauit. Siquidem nomen Abraham tantummodo adauxit; nomen Isaac totum, antequàm nasceretur, immutabiliter posuit; nomen Israel totum pro nomine Iacob commutauit.* Sic quasi exercebatur, & præludebat Dominus in nominum trium Patriarcharum disciplina, vt posteà tota Trinitas Virgini Matri nomen moliretur, non adauctum, non ab extero impositum, non ab altero commutatum; quasi proprium, & ingenitum, nominis Filij appendicem, nomini Patris simillimum, & totius Trinitatis memoriale. Id iam expendo.

Exod. 3. Psalm. 134. S.Bernard. Rupert.

Mariæ Nomen ex Patris Diuini Nomine delibatur in illustrem splendorem Trinitatis.

SECTIO III.

NOMINATISSIMAM erga Deũ Virginem nostram ostendimus suprà. Pronum est, subdamus nomen, quo sacra fœmina insignitur: ne si vocabulum totam tractationem non præeat, malo omine respergatur auspicium. Etquidem quale nomen Virginis Matris, si nosti? Si è Diuinitatis thesauro euolutum protulit Damianus; quale putas, nisi quod Trinitatis scintillas excutiat, Sacramentique à sæculis absconditi odoramenta respiret. Quæ in penu celata pluribus annis latuerunt, quo semel sunt imbuta, odorem seruarunt; qui ex olido situ mutuatus vsque ad intranea permeauit. Si in Trinitatis reconditorio æternùm latuit Mariæ nomen, nequit proferri, quin halet Trinitatem, immortalique fragrantiâ aures, per quas fertur, suffundat. Ergo nulla Mariæ aurea laudationis gleba contingere potest, quin à Vena Trinitatis rubricetur: nec vel nomen memorari, quin subtercadentibus syllabis arcanum Trinitatis euoluatur. Itaque in Mariæ nomine incipiet Trinitas inclarêre. 17.

18. Qualenè primæ personæ nomen est? Sanè Pater. Ioan. 17. *Manifestaui nomen tuum hominibus.* In quæ verba Cyrillus lib. 10. thes. cap. 6. circa finem: *Manifestaui nomen tuum hominibus: quia videlicet verus Pater es, & verum Filium habes.* In quam sententiam subductis calamis iuêre Patres. Chrysostom. homil. 80. in Ioan. August. ibid. tractat. 106. Theophylact. Rupertus, & Leoncius inibi. Quare Clemens Romanus epist. 1. ad Iacob. inquit: *Deus ergo Pater, secreti Sacramenti vocabulum est.* Hieronymus in illud Pauli Ephes. 3. *Ex ipso omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. Quomodò Deus essentia sua nomen, atque substantia cæteris impertitur, vt ipsa quoque esse dicantur: sic & Paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus.* Damascen. lib. 1. fidei cap. 9. Neque obsistit Dionysius de mystic. Theolog. cap. 5. circa med. vbi docet Deum, *nec spiritum esse, vt nos sciamus, nec Filij, nec Patris rationem esse, nec aliquid eorum, quæ nobis, aut cuipiam naturæ sunt cognita.* Non inquã, obsistit.

Ioan. 17. Cyrill. Chrysost. August. Theoph. Rupert. Leonc. Clem. Ro. Hieron. Damasc. Dionys.

Expen

Basil.

Expende enim ex Basilio tractat. de vera & pia fide, post medium: *Vocabulum Patris, si cum integra eius significatione, sicut apud nos est in vsu, accipiamus in Deo, impiè faciemus: quandoquidem vna cum eo necessariò simul & affectio, & defluxio seminis genitiui, & ignorantia, & infirmitas, & talia quæcumque in ipso nomine euulgantur.* Næuos igitur, & imperfectiones, quibus scatent vocabula creaturarum, abigit à diuinitate Dionysius: nec patitur supereminentem illam essentiam dialecticis posse definiri creatis. Quare inibi ait: *Nec esse scientiam, nec veritatem, nec regnum, nec sapientiam, nec vnitatem: nec diuinitatem.* Cæterùm nomen Patris, defæcatis sordibus, quibus in creatis squalet, proprium, ingenitum, vernaculumque primæ personæ est. De quo adi Scholasticos apud S. Thomam 1. part. q. 33. art. 2. Sat. sit Basilius lib. 2. contra Eunom. propiùs ad med. *Qui has negligere voces audet, vniuersam simul Euangelij delet virtutem.*

Basil.

19. Ergo acuenda mens est. Si nomen primæ personæ in Diuinis *Pater* est, aliaque nomina non sic hypostasis illius exprimunt proprietatem; non aliud nomen Virgini Matri, cui in diuino Filio cum supero Patre communio est, apponi potuit, nisi *Mater*. Itaque è patre nomen, sicut & Filium delibauit. Hæc thesis sit: Mariæ nomen ex Patris Diuini nomine delibatur. Vlteriùs: Mariæ nomen, idem, quod *Mater Dei* est. Primum hæc sectio; secundum subsequens monstrabit.

20. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*, modulabatur post conceptum Verbum Dei, Domina nostra. Dissidium est non modicum, cum quo connectatur, & quid significet illud, *& sanctum nomen eius?* Iansen. & Maldonat. accipiunt pro *& cuius nomen est sanctum.* Sic fermè cuncti, licet dissideant in inuestigatione nominis Dei, de quo agit Maria, & sanctum appellat. Plura Beda noster, Caietanus, Toletus, & lato calamo Benzonius in Magnificat lib. 2. cap. 32. Dicam, quod sentio, licèt nouum. Censebam verba illa, *& sanctum nomen eius*, non in nominandi casu, sed potiùs in accusandi accipienda: quasi dicat: Fecit mihi magna, fecit & mihi sanctum nomen eius. Nam inter illa magna, quod sublimius caput erigit, est incarnatio diuini Verbi, quòd Deus sit ex genere meo: & sic quòd mihi impertitus sit nomen illud ineffabile, quod incarnationem præsignabat. Aliquid lego in Augustino: *ideò dixit magna, quia mysterium incarnationis Verbi super omnia constat esse ineffabile. Nihil enim vnquam magis mirum factum est, quàm vt Deus fieret homo. Hæc ergo sunt magna, & ideo sanctum nomen eius.* Sed quia posteà nomen accipit pro fami, non sic accinit instituto. Fælicius suffragium inuenio apud Gerson. tractat. 5. super Magnificat: *Nomen Dei datum est Christo, quod est super omne nomen. Sic ad proprietatem reducendo factum est per incarnationem, vt homo esset Deus, & Deus homo. Nomen Dei singulariter inter puras creaturas eminet in Maria, quæ illuminans, vel illuminata per interpretationem nominatur, & Domina. Non abscondas, ô Pulcherrima, nomen istud sanctum Filij tui.* Et tamen Bernardinus Senens. serm. 49. in Dominic. Palmarum, art. 1. cap. 1. *Hoc quidem nomen Iesus (ait) Exod. 28. per nomen Domini Tetragrammaton figuratum est.* Sed nostræ meditationi nullus faustior calculus, quàm Anselmi mei super illa verba Matth. 6. *Sanctificetur nomen tuum. De-*

Luc. 1.

Iansen. Maldon.

Beda. Caietan. Tolet. Benzon.

August.

Gerson.

S. Bern. Sen.

Anselmus.

Zerda, Maria effigies,

cebat, vt ea puritate Virgo illa niteret, quam Deus Pater Filio suo (quem de corde suo genitum, tanquam seipsum diligebat) Matrem præparauerat; & quam Spiritus sanctus ei, de quo ipse secundùm diuinitatem procedebat, in Matrem sanctificauit. Et quem Filius, qui est speculum sine macula, & imago bonitatis illius, sibi in Matrem elegit. Hoc igitur nomine in ipsa sanctificato effectum est, vt magna cum ipsa fecerit, qui potens est. Ergo sanctificauisse in Matrem, nomen sanctificauisse fuit, illique indidisse, vt Mater vocaretur, quæ à Patre nomenclaturam libaret.

Ergo Deus Pater fecit Mariæ sanctum nomen eius, qui dum sobolem sanctam ex vtero mundissimo progenitam in Virgineum vterum transfudit, cum sobole gentilium hæreditario iure nomen indidit. Qui sensus est in Bernardino Senensi tom. 1. serm. 61 art. 2. cap. 4. *Nam, vt dicitur Hebr. 1. sicut Filius Dei sedet à dextris maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, quod nomen est, vt sit verè Deus per gratiam vnionis: sic & Mater Domini nostri Iesu gloriosa Maria tantò melior est Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis hæreditauit; vt obtineret dignissimæ Matris nomen.* Quid est, quòd nomen Virginis hæreditarium compellet Senensis, & quasi per hæreditatem adquisitum: cùm ad hæredes generis non transeant vocabula, stemmataque deriuentur, nisi quæ in maioribus præcessêre? Annè Mariæ nomen in Mariæ progenitoribus auditum? Sed vide Bernardini solertiam: qui thesim figit, explicuit nomen: *Hæreditauit* inquit, *vt obtineret dignissimæ Matris nomen.* Nomen ergo Mariæ *Mater* est. Scitè igitur hæreditatis similitudine exposuit. Nihil vsitatius auscultaris in Sacris, cùm de Filio agitur diuino, quàm testamenti vocabulum. Quin omnis incarnationis œconomia sub testamenti, tabularumque voce profertur. Noua conditio testamenti: superstite parente decernitur, & aperitur. Vt omnem Patris diuini censum æqualis Filij subdi potestati compateat; omnis incarnatio *testamentum* nominatur. Eadem phrasis continuatur in Virgine. Si incarnationem ex testamento sortita; ergo & nomen, quod Matris est, hæreditauisse dignoscitur. A quonè? Ab ipso, qui condidit testamentum, nempe à Patre Deo. Si nomen eius *Pater* est, & nomen hæreditat Virgo sacra; quid quòd *Mater* nuncupetur, & parilibus syllabis cum Patre gaudeat, illicoque in nomine generationem Verbi in superis, incarnationemque sub connexis manifestet?

21.

Bern. Sen.

Id festiuo satis amœnare vellem argumento ex Hebræis. Sentiunt ex his nonnulli, nomen primitiuum esse *Miriam*, vt obseruauit Augustinus Eugubinus in Exod. cap. 16. & ad asperitatem vocis minuendam proferri *Mariam*, quod dicunt inflexibile. Carpit Delrius Po'em. 2. quoquot velint *Mar-iam*, more Hebræo dissyllabum efferendum, quasi ament Hebræum stridorem Græcæ suauitati, & Latiæ concinnitati præponere. Sentit Græcos gente semper Μαρία trisyllabum & scripsisse, & extulisse: Hebræos autem Græcè scribentes Μαριὰμ more gentis suæ retinuisse. Sed quidem iniuriosè acorem, & stomachum habet Auctor iste: quandoquidem in Euangelijs Lucæ, & Matthæi, si Græcam originem adeas, nomen Mariæ in recto inuenies; non Μαρία, sed Μαριάμ. Idem in textu Græco S. Marci apparet; licèt in

22.

Aug. Eug.

Delrius.

cæteris

cæteris casibus obliquis ex Græcæ linguæ idiotismo declinent. Matth. 18. Matth. 28. vers. 5. οὐχ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριάμ. *Nonnè Mater eius dicitur Maria?* Luc. 1. Luc. 1. vers. 27. καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου, Μαριάμ. *Et nomen Virginis Maria.* Nec effugium vllum est, quòd S. Lucas, licèt Proselytus fuerit, Syrorum sui temporis pronuntiationi adhæserit: quid enim de aliis Euangelistis dixeris? Quin satis est, quòd ea sit ex Hebraico fonte, nominis huius indoles. Absque vlla tergiuersatione discrimen maximum in Mariæ nomine à cæteris Mariis, ex eo inclaret, quòd nulla ex aliis apud Euangelistas, *Mariam* in recto casu dicitur, sicut Virgo nostra: sed *Maria* triplici syllaba. Id disces Matth. 27. in Matthæo cap. 27. vers. 61. ἦν δὲ ἐκεῖ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ ἡ ἄλλη Μαρία. *Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria.* Quod ipsum obseruauêre Marcus 15 vers. 47. & 16 vers. 1. Lucas 8. vers. 2. & 10. vers. 39. & 24. vers. 10. Ioannes 11. vers. 2. & 20. 12. vers. 3. & passim. Quod si Μαρία Græcè in recto trysyllabum, sicut apud nos, effertur in oraculo Apollinis apud Cedrenum de Argonaut. & Oraculis Sibyllinis in Erythræa, & in Nazianzeno, Apollinario, & Damasceno, in quibus Μαρία, & non Μαριάμ; non vrget: quippe qui omnes non tenaces Hæbræi characteris extitêre, communemque stylum amauerunt, qui apud Græcos, & Latinos inualuit, vt vocabulum leniretur, nec sic strideret. Ideò plectendi meritò sunt, qui nostros incusant, quòd *Maria*, & non *Mariam*, dicunt: cùm id lenitas ipsa Latia, & Græca, imò Mariana expoposcerit. Verùm hebetis animi est, acumen, quod ex hoc discrimine perpolitur, obtundere: cur enim Virgo Mater sic apud Hebræos, superstitione tenus, religiosos styli, characterisque nimiùm cultores, singulariter vocaretur, ab aliisque fermè eiusdem nominis fœminis deflecteret, nisi aliquid nouum sub vocabulo innueretur. Scias ergo, quòd terminatio in *am* apud Hebræo, solùm conuenit virorum nominibus. Id in nomine Μαριάμ obseruat Aria Arias Mont. Paralipom. Montanus in nomin. interpret. nempe viri proprium esse, vt liquet 1. Paralip. 4. *Genuitque Mariam, & Sammai, & Iesba patrem Esthamo.* Ex Benzonius. quo notat Benzonius in explicat. Salut. Angel. cap. 17. nullum nomen Dei fœminei sexus terminationem habere: quòd & doctissimi viri obseruarunt. En igitur masculum nomen Mariæ ad Patris æterni vmbram, quasi nihil in illa molle, nihil fœminei mutabilitatis pusillitatem ferat; sed quæ à supremo Patre virile robur nacta est, vt æqualem Filium generaret. Cur fœminei sexus terminatio esset apud Hebræos in nomine Mariano; si inter tot nomina Diuini Numinis, cùm quo Maria consortium (licèt sub creaturæ famulatu, Matris tamen dignitate) agit, nullum fœmineè finitur?

23. Nec hanc singularitatem Virgini Matri inficieris, Mariam sororem Moysi adiiciens, cuius nomen Hebraicè, & Græcè eâdem terminatione profertur, Exod. 15. vers. 20. Numer. 12. vers. 1. & 10. 1. Paralip. 6. vers. 3. vbi in recto Μαριάμ. Ioseph. Subrepit litera mendosè apud Ioseph. lib. 1. Antiquit. Ezech. Clem. Alex. dum inibi appellatur Μαριάμμ. Ezechielus Poëta tragicus apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum, Sororem Moysi ex nomine effert:

Μαριὰμ δ' ἀδελφή μοι κατωπτευεν τίλας.

Id fœminæ illi in Virginis Matris obtigit vaticinium: ideò Virgo fuit, ideò per mare sicco vestigio remigans, Mariæ fœcunditatem auspicatur. Si Virginis nostræ typus fuit: quid quòd & vocabulo insigniretur? Nomen illud ex Sorore Moysi, quasi hæreditario iure in Mariam deriuatum fuit, vt ostenderetur Virginis vmbram in illa fœmina prælusisse. Intuere commercium inter vtramque fœminam. Vetus illa lepra candebat, scabiosáq; crustâ infestabatur; noua Virgo Christum, id est, vnctum concipiens, non solùm vnguentata, sed, vt vnguentum fuit, quo lepra pristina tergeretur. In odorem vnguentorum eius cucurrit Moysi Soror; nomen dedit in pretium, vt vnguentum à Virgine Matre nundinaret. Dedit hæc & pristinæ nomen, quod accepit à Christo, vnguentum scilicet in medulam. Lepidè Hugo Victor. in Cantic. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Tu ad iucunditatem vnguenta accepisti, vnguenta ad speciem, vnguenta ad odorem. Antiqua illa Maria, nominis tantùm, non lepræ, te reliquit hæredem, quæ nec rugam habuisti, quam vnguenta tergerent; sed vnguenta accepisti, vt speciem; & formam tuam gratiùs commendarent. Alij vnguntur ad curationem, alij ad stabilitatem; omnes vnguenta ad necessitatem accipimus. Tu filia delicata, & omni gratia plena, vnctum paritura, vncta quoque es, vt ipsum in te vnguentum priùs excellenter effunderet, quod postmodum in vtero suo singulariter acciperet.* Quid delicatius, & suauius! Quòd Mariæ nomen in illa fœmina tympanistriâ sonabat, audiuit Chrysologus serm. 146. *Et vt semper Maria humanæ prauia salutis, populum, quem vnda generatrix emisit in lucem; ipsa iure præcessit in cantique. Maria, inquit, soror Aaron, sumens tympanum in manu sua.* Hugo Vict. Chrysolog.

24. Ergo Mariæ nomen, masculi roboris, & virilis strenuitatis est: non quia Pater simul & Mater sit; sed quia fœcunditatem ex virtute Altissimi Patris accepit, & absque masculo genuit, quem superus Pater absque fœmina generabat. Mariæ nomen Matrem significat, vt non improbè probabimus infrà: & matrem quidem Filij Dei. En illicò mens euolat ad Patrem, illiusque Filij genitorem vestigans, Patrem æternum inuenit, quem adorat. Igitur Mariæ nomen memoriale Patris est. Hûc remiseram Bernardi argutam explorare solertiam, serm. de Aquæduct. *Fœcunda Virginis amplectitur cœlum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illic exhibitio; hic tenuis quædam libatio primitiarum: ibi res, & hic nomen. Domine, inquit, nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in generatione & generationem. Generatio & generatio non Angelorum profectò, sed hominum est. Vis scire, quia nomen, & memoriale eius in nobis est, præsentia in excelso? Sic orabitis, inquit: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Si periodum hanc denectas, & iterum vincias, probè coniectabis Mariæ nomen apud Bernardum, memoriale esse Patris; alioquin hiulca oratio, nec tempestiua sanè. S. Bernard.

25. Verùm cur potiùs Patris, quàm alterius personæ memoriale perhibetur? Non deuio quidem argumento: nam Filius ex Maria, Patris nomen hominibus explanauit, semet Filium ostendens qua ratione Filius dicitur nomen Patris: in recordationem Patris, Filij nomenclatura solicitat. Procliuis & in Maria deductio hæc est. Mater gignit absque coniuge, Filium edit absque genitore marito: ex nomine ergo Matris ad nomen Patris vrget; schedula Marianum nomen est in

in memoriæ subsidium, ad Patrem diuinum limos,& desides mortalium oculos dirigens, & reducens. Prodest Tertullianus, qui argumentum Tertull. hoc in filio constituit, de orat. cap. 3. *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat: etiam qui de ipso interrogauerat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis reuelatum est in Filio. Iam enim Filius nouum Patris nomen est.* Quid est, quòd nouum Patris nomen Filium affectat? Explicat Pamel. Cyprian. Pamelius B. Cyprian. quasi scholium assuens, *Explicatur,* inquit, *quid velit his verbis, à B. Cypriano: Quod nomen (Filij inquam) nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare.* Non probè. Deuiat à Tertulliano. Mens est: Filius nouum Patris nomen est, quia nomen illud æternum nondum hominibus innotuerat. Manifestauit Filius, Filium se proferens. In quo ea argutiæ neruosi Afri. Pater in se sibi ipsi nomen est: sibi sufficiens erat, quòd agnosceretur ex nomine, non ex discursu, nempe quod ex Filij nomine nuntiaretur. Ast quia lucem habitans inaccessam, Filium misit sui nominis indicem: ideò iam nomen Patris nouum Filius est, quia nouum est, quòd ex Filio Pater nuncupetur: & tamen id contigit, cùm ex Filij nomine Pater innotuit. Tertulliani assecla Rupertus est, quem Rupert. sectione præcedenti dedi lib. 1. in Cantic. *Nam Filius nomen est Patris, præsertim talis Filius, tale Verbum, per quod Deus in cœlo nominatus, valde est inclytus.* Quam argumentationem non incuriè ex Maria solidabis, quà Mater est in nomine: imò ex qua Filius ortus nomen Patris hominibus euulgauit: vt simul vterque Parens, sic apud homines inciperet appellari. Theophylact. Theophyl. in Luc. 1. *Vocatur autem Filius Altissimi, qui apparet homo. Nam qui vna fuit hypostasis, reuera Filius Altissimi fuit, Filius Virginis. Et fuit quidem ante sæcula Filius Altissimi Verbum: sed non vocabatur, neque cognoscebatur: postquam autem incarnatum est, & apparuit in carne; tunc & vocatus est Filius Altissimi, qui apparebat, & miracula faciebat.* Mira Mariæ dignitas! Tunc Verbum incepit vocari Filius Dei, quando & Virginis: tot sæcula segniter vertentia, tot æua sublabi patitur Deus; nec tamen Patris auditur vocabulum, vsque dum sacra fœmina *Mater* nuncupetur: & qui in generatione præcessit, noluit in vocabulo præcessisse: si enim Filius ante ortum ex Virgine vocatus non est; nec Pater potuit nuncupari, si relatiuorum indolem calluisti, accenseasque Clem. Rom. Clementi Romano epist. 1. ad Iacob. *Patrem cùm audis, agnosce, quòd habeat Filium veraciter genitum, sicut possessor dicitur, qui aliquid possidet.* Cyril. Alex. Et Cyrillo Alexand. dialog. de Trinit. lib. 2. col. 2. *Propriè Patrem esse non ob aliam causam, quàm quòd genuit ex se Filium, & propriè Filium, qui natus est ex Deo Patre.*

26. Si Patrem Diuinum Filius indigitat: si Mater Virgo Filium Deus à se genitum arguit; ergo in Matris nomine Pater cœlestis innotescit, siquidem à Matre ad Filium, è Filio ad Patrem procliuis contestatio est. Imò ex Matre nomen Patris, & Filij, quasi priùs commendatur; vtpote quæ Genitrix Filij est, cuius in nomine vocatur, & inuocatur Pater. En vno vocabulo *Mariæ* Deus cum suis honoratur, id est, Pater, & Filius. nexusque amborum Spiritus, & Filij Mater, quæ cognitionem in tam arduum concitat Sacramentum. Ideò forsan Ecclesiastica disciplina nomen Angelicæ salutationi adiecit; postquam illicò subdit Dominicam orationem, ordiens sic: *Pater noster qui es in cœlis.* A Maria ad Patrem prompta successio est. Velim Tertulliano frui, qui de Matre Ecclesia sic fermè discurrit, expendens illa verba, *Pater noster qui es in cœlis,* lib. de orat. cap. 2. Tertul. *Item in Patre Filius inuocatur: Ego enim, inquit, & Pater vnum sumus. Ne Mater quidem Ecclesia præteritur, siquidem in Filio, & Patre Mater recognoscitur, de qua constat & Patris, & Filij nomen. Vno igitur genere, aut vocabulo, & Deum cum suis honoramus, & præcepti meminimus, & oblitos Patris denotamus.* Quæ verba admodum adstipulantur præfatis, si è Matre Ecclesia ad Ecclesiæ Matrem traducas, cui strictè aptantur. Construi cupio sic: *Ne Mater quidem ab Ecclesia præteritur: siquidem in Filio, & Patre Mater recognoscitur, de qua constat, & Patris, & Filij nomen.* Quasi dixeris: Cùm Pater inuocatur, memoria Matris, & Filij efflorescit: siquidem è Matre, quæ Filium Dei genuit, & hominibus ex puerperio explicuit, Filij nomen nobis constat, & ex consequenti, Patris: quandoquidem ex Filio Pater, ex Matre Filius inclaruit. Venusta sunt illa: *Vno igitur genere, aut vocabulo Deum cum suis honoramus.* Quantus lepor *Deum cum suis,* id est, Patrem cum Filio, cum Spiritu Sancto, cum Maria, quæ Mater est, cuius vocabulum *è genere* ipso conuenit: nam Mariæ significatus est, *Deus ex genere meo,* vt sequens sectio monstrabit. Sic & vteter illâ obuiâ Cypriani sententiâ, de vnitate Ecclesiæ. *Illum non posse Deum habere Patrem, qui* Cyprian. *non vult Ecclesiam habere Matrem.* Deflecte periodum in Virginis Matris obsequium sic: *Illum non posse Deum habere Patrem, qui non vult, quòd Ecclesia habeat Matrem.* Verba Cypriani hunc sensum amant, licèt Martyris inclyti mens alia sit. Sacra fibula vtrumque vnius, eiusdemque Filij nectit parentem, Patrem Deum, Matremque Mariam; parentem quidem, parientem dixeris, cùm pariat vterque, vtrique vterus adscribatur, vt solitudo in vtriusque thalamo eluceat, virginitasque Psal. 103. 3. micet. Et Pater, & Mater est eiusdem Filij: & tamen absque coniuge gignit alteruter, alteruter vterum ferre dicitur ex vtroque gignere; ne coniuge egêre censeatur.

27. Vafri Iudæi sapientiam Christi demitantes, sic versutum stomachum euomunt. Matth. 13. vers. 55. *Vnde huic sapientia hæc, & Virtus? Nonnè* Matth. 13. *hic est fabri filius? Nonnè Mater eius dicitur Maria, & frater eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas?* Quam gnauiter syllabum fratrum texunt, vocabula nuncupant! Cur dum Matrem vocant ex nomine, nomen subticent Patris? Fabrum appellant; vocabulum tamen silentio obstruunt, astuque non ignari in tacitis animis obdunt. Mentita est iniquitas sibi. Non opus fuit Patris nomen exhibere, si Matris nomen depromunt. Mariam nominant: otiaretur vlterior Patris nuncupatio. Si Maria Mater est, nomen Patris Psal. 26. 12. *Pater* esse agnoscitur. Scioli carpunt Dominum de sapientia, doctrinæ plenitudinem accusant; & tamen ipso conuitio conuicti decidunt, dum Patris nomen prodere recusant. Qui naturâ sapiens est; quo Patre potuit gigni, nisi cui nomen *Pater* est, ex quo omnis paternitas nominatur? Ad Eph. 3. 15. Ex sapientia se Verbum esse declarat: si Verbum Filius est, & substantia; nequit habere Patrem, nisi Deum, à quo virgineè, incorruptoque gignitur intellectu. Ideò Fabri filium compellantes, tacita calliditate Patrem Deum innuunt, qui fabricæ

fabricè vtriusque sphæræ opifex affabrè, & artificiosè per intellectum operans, in Verbo cuncta molitur. Si Mariæ nomen protulêre; quid quòd tacita loquacitate inopinabile mysterium prægustarent? Paschasius Ratbertus lib. 7. in Math. [Pasc.Ratb.] *Nonnè, inquiunt, hic est Filius fabri, & Mater eius est Maria? Vnde huic hæc sapientia? Sic dicunt, qui Deum, ex quo est sapientia, ignorant. Sicque abnegat, & confitetur inuitus, qui non cernit, qui Christum nescit, Dei esse sapientiam. Sed miror, cur Mariam nominant; cùm de Patris nomine taceant. Quamuis Dei nutu, etsi inuiti, de illo, quæ vera sunt, & Deifica, loquuntur, quoniam Dei Patris est verè Filius, qui fabricator est mundi.* Quale sacramentum eruitur ex prolato nomine Mariæ, & non producto nomine sponsi! Hoc nomen auditum in cœlestium secretorum contemplationem animum lacessit.

28. Cur Angelus, qui nomen in salutationis vestibulo subticuit, posteà timori medens, nomen interiecit, *Ne timeas Maria*? [Luc. 1.] Putarem: Vt Deum paritura, ob impulsum nominis in cœlestis secreti raperetur obtutum, secretumque Patris versaret, quo Filium virgineè ex vtero ante luciferum progignit. Dionys. Carthusian. in Lucam capit. 1. artic. 2. [Carthusian.] *Ne timeas Maria. Nominatim pudicissimam Virginem exprimit, eius teneritudini, turbationi, virgineoque pudori quasi compatiens. Quamvis pudor, & timor Mariæ fuerunt laudabiles; tamen abiiciendi monentur, vt meliores, diuinioresque actus succedant, videlicet contemplatio cœlestium secretorum, tranquillissima quoque serenitas mentis in Deo.* Ergo Mariæ nomen, & ad secretum Patris subrigit mentem, & sacri actus origo est, illius nempe actus immanentis, quo ad similitudinem secreti Paterni in vtero introrsùm concepit Virgo, non exterâ functione, sed diuinâ virtute.

29. Quid quòd in sacrum actum Marianus vterus ex ignea virtute Altissimi incalescat, si ex Mariæ nomine, quod Matrem sonat, Pater allectus incubuit? Mariæ genitori Abraham sic Deus affatur, promisso Isaac: [Gen. 17. 5.] *Nec vocabitur vltrà nomen tuum Abraham, sed vocaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Meditare, quid breuis litera operata sit. Ex breuis elementi incremento Pater multarum gentium efficitur. Quid rei? Quia litera illa, si Hebræis fidas, ex nomine Domini addita fuit Ergo si ex litera Pater fit, Patris Diuini personam agebat, qui loquebatur. Sic censuit Rupertus libro 5. in Genesim cap. 29. circa finem. Assumenda caro ex Maria in nominis auctarium concitauit; quippe nomen ataui erat, ex quo Maria genita nomen Matris è diuino Patre suscepit. Per Christum enim ex Maria natum, *Abram* Pater factus est multarum gentium. Rupertus suprà in principio: [Rupert.] *Hoc pactum in Christo est, per quem solum Abram Pater factus est multarum gentium: nam Christus secundùm veritatem carnis assumptæ, semen Abrahæ est. Igitur omnium filiorum, quorum Deus Pater est, omnium, inquam, illorum & Abraham Pater est.* Si vt Abraham Pater filiorum Dei per gratiam fieret, literâ nominis Patris Diuini indiguit; quidni toto nomine indigeat, quæ Filium Dei per naturam progignit? Ideò ex virtute Altissimi, cui *Pater* nomen est, Mater fit, & quasi naturâ ipsâ nominatur: naturâ, inquam, id est, natiuitate, seu generatione Filij, qui cùm in forma Dei esset, Matri se indidit, à Patre datus. Ideò Mariæ nomen cum naturæ nominibus de proprietate triumphat. Consule Albert. Magn. in cap. 1. Luc. [Alb. Mag.] *Natura imponit nomen, cuius formam donat: sicut hoc nomen homo à natura imponitur. Sic nomen Diuinum imponitur ei, cui Deus suam largitur Deitatem.*

30. Hinc effusum nomen Patris dixeris in Mariam, non aliâ causâ, nisi quia ipsius Patris Filius effusus fuit. Suprà Rupertum enodaui. [Rupert.] Irreligio esset, hic illum subticere: sic libro 1. in Cantic. *Oleum effusum nomen tuum. Cuius vbera sunt, eius est nomen, id est, cuius est amor, vel spiritus, per quem concipitur, eius est Verbum, siue Filius, qui concipitur. Nam Filius nomen est Patris, præsertim talis Filius, tale Verbum, per quod Deus in cœlo nominatus, valde est inclytus.* Expendimus suprà, quomodò intelligendum, quod Filius nomen sit Patris, eâ nempe de causa; quia Patrem manifestat, & ex relatiuorum naturâ statim audientibus repræsentat. Id quidem quatenus nomen hoc in Maria effusum est, in qua Matris nomen absque humano patre Patrem supernum exponit illicò, & declarat, & velut ex proprio nomine pronuntiat. Angelus ad Mariam. [Luc. 1. 3.] *Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Cur non & sanctum vocabitur? cur non Filius Dei erit, quasi solùm appellatio spondeatur, non res? Præclarè. Olim Filius erat; olim Deus Pater: nondum appellabatur; non in syllabis vocabulorum adhuc hoc nomen hominibus innotuerat. Ortus ex Virgine Deus, antiquæ substantiæ nomen venatur; dumque Filium Dei audit, Patrem è latibulo lucis recludit. In vna voce duplex nomen ostenditur: qui Filium auscultatur, recordetur patrem, opus est. En qualia nomina puerperium Virginis auribus instillauerit, sola generans absque viro, ne patrem habeat super terram genita proles, sed habere in cœlestibus ostendat. Ergo vtrumque nomen Deus homo patefecit, quia è Virgine natus. Suadet causalitas apud Angelum: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Adest Rupertus lib. 1. de Operibus Spiritus Sancti cap. 10. [Rupert.] *Et notandum, quòd non dixerit, Sanctum vocabitur, aut erit: nec erit dixit, sed vocabitur Filius Dei, quod nascetur ex te. Quod enim Virgo concepit, iam dudum erat & antiquâ essentiâ sanctum erat, Filius Dei erat. Restabat hoc solùm, vt vocaretur, quod erat; & ipsa vocatione, dum vocatur Filius Dei, manifestaretur nomen Dei, quod nondum notum erat: non quo dicitur Deus, sed quod Pater Filij vocatur.* Quàm cognatum cum Maria Patris nomen! Statim inclaret, cùm Virgo enititur: & quia thalamum vir non polluit; sed vterus virtute Altissimi fœcundatus ex diuini germinis tumuit vbertate; vix Mariæ nomen auditur, cùm Pater Altissimus procliui successione memoratur, quasi Patris diuini nomen Maria sit; sicut ea de causa apud Rupertum, Filius nomen est Patris.

31. Verùm non sat Rupertus rem pressit: adhuc impensiùs atterenda est. Non solùm in homine Deo ex Virgine genito nomen Filij Dei nouiter auditur, cùm æternum fuerit; sed & nouiter è Virgine quid nouum producitur, quod Filij Dei nomine insigniatur. Nihil sublimius potest de Virgine cogitari. Quâ homo, nascitur ex Virgine, non ex Patre: & tamen in carne, quam decerpit ex Maria homo ille, Filius Dei vocatur: quod nondum ante Virginem obtigerat, vt pote nondum homine

conce

concepto, qui in tam nobile diuini nominis stemma eueheretur. Ex Matre nascitur, & tamen Patris Filius nuncupatur, quasi nomen Patris cœlestis Virgini genetanti, Virtutis Altissimi beneficio, aliquo modo subseruiat. Præstat audire Laurentium Iustin. serm. de Annunt. col. 3. *Erit namque, quem paries, magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Erit planè magnus meritis, dignitate precelsus, incomparabilis sapientiâ, sanctitate conspicuus, & omnium charismatum largitate perfusus, ita vt Filius vocetur Altissimi. Istud enim nouum nomen, recentemque dignitatem nequaquam sortietur ex Patre, cùm sit illi Filius coaternus, Deus de Deo, Verbumque incommutabiliter manens in Patre: sed eidem tribuetur ex gratia per humanitatis naturam; quam sumet ex te.* Preme illud: *Nequaquam sortietur ex Patre.* Si non ex Patre, cur Filius Altissimi vocabitur? Qui ex Matre natus, in id nominis fastigium prædestinatus appulit; Materque ex virtute Patris superni concipiens, nomen illud concepto Filio conuenire probauit. Incarnatio ex Maria nomen hoc accepit: vide, quantum diuino Patri extiterit contribulis. Accinit S. Epiphanius lib. 2. hæres. 69. *Dedit ei nomen, quod est super omne nomen, & non anteà implebatur hoc in Deitate, sed in præsenti aduentu: nam ipsius incarnatio ex Maria accipit nomen, quod est super omne nomen, vt cum Deo verbo vocaretur Filius Dei.* Homo ex Mariâ genitus, Filius Altissimi vocatur: quasi ab Altissimo traheret, quod à vulua Matris accepit: quasi in Matre nomen Patris reluceret, quod post Incarnationem mentibus mortalium inclaruit, cùm tamen dispar natura vtrumque parentem discernat; nec diuinitatem è Matre, nec humanitatem sumpserit è Patre.

Laur. Iustin. — Epiph.

32. Hinc enitente Virgine quòd nascitur, Pater Diuinus molliori sinu suscipit, obstetricanteque gremio fouet, vt appareat illius esse Patrem, & à Matre Virgine exoriri, quæ à Patre nomen Matris mutuauit: *Extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus Matris meæ. In te proiectus sum ex vtero.* Ea energia est: Mater me edidit, ignota viro; thalamus inquinamenta non sensit, pudicus vterus immaritatus me genuit: sine Patre censeri valeo: quasi proiectitium me despicient, qui sacramentum odorati non mereantur. Sine Patre non sum, etsi ex Matre virgine nascor: imò Matris nomen in Patris agnitionem compellit: in te proiectus sum: tu Pater es. Translatio est plena lepôre, à pueris expositiciis, qui & *proiectitij* vocantur, quippe *proijcere* exponere nonnunquam significat. Plautus in Cistellaria: *Ego proieci eam, alia mulier sustulit.* Id obseruauit eruditè Genebrardus. Suadet, quod *in te* accusatiuus est, Græcè ἐπὶ σέ. Hebraicè עליך *hhalecha*, id est, in id destinatio mei conceptus collimauit: in te mea ex Matre Virgine generatio tetendit. Nemo me nothum, spuriumve iudicauerit; etsi Patrem non videat, sat est agnoscat Matrem, cuius cum Patre diuino ea cognatio est, vt ex vberibus, & vtero Matris ad Patrem concors semita, & habitudo sit. Quòd autem proiectitius puer, quod spurijs solet accidere, quasi sine Patre censeatur, nomen ipsum suadet: de quo Plutarchus in quæstionibus Roman. seu problematibus: *Spurius prænomen est. Porrò non integra scribunt Romani prænomia, sed aut vnicâ literâ notant, aut duabus, aut tribus. Spurius quoque duabus literis indicatur S P. Iisdem literis etiam nothos significant S P. nimirùm sine Patre. Quæ res errori ansam præbuit, cùm spurius, & incerto patre natus iisdem elementis notarentur, vt hi quoque spurij vsurparentur.* Non sine patre Deus noster est; in femore nomen habet scriptum: Filium Dei se dicit; non de Filij nomine erubescit, cùm nascitur ex Virgine: quia, etsi Matris vterus non nupsit, non de impudicitia Filius est; virginitas thalamus fuit: ex Matre patrem coniectabis, sed Deum. Hoc valent, vt sentio, Tertulliani verba in Apolog. cap. 21. *Illuminator, atque deductor generis humani, Filius Dei annuntiabatur, non quidem ita genitus, vt erubesceret in Filij nomine, aut de patris semine: non de sororis incesto, nec de stupro filiæ, aut coniugis alienæ Deum patrem passus est, squamatum, aut cornutum, aut plumatum amatorem, aut in aurum conuersum Danaidis. Iouis ista sunt & Numina vestra. Caeterùm Dei Filius nullam de impudicitia habet matrem: etiam quam videtur habere, non nupserat.* Quid verba hæc vigoris habeant, & succi, ibi præstabimus. Sat est, obserues illud: *Vt erubesceret in Filij nomine, aut de Patris semine.* Is sensus est: Filij nomen statim in Patris vestigationem mentes adigit, & innatâ propensione ferit. Si Christus ex fœmina Filius est, vnum è duobus periculum imminebat: vel quòd sine patre Filius quasi vulgò conceptus censeretur; vel quòd, si ex patre, Mater priùs pudoris vulnus subisset. Sed in aleam, & iacturam status non exponitur Filius Dei: non expositicius Filius est, non erubet à Filij nomine, cui adeò pudica Mater est, vt è vulua genitum statim in Patris Diuini gremium proiecerit; vt notaret nomen Filij à Maria producti, non in alium Patrem vestigandum mentes impellere, nisi in Deum. Pulchra sunt illa, *non coniugis alienæ Deum Patrem passus est*, quæ infrà discutiemus.

Ps. 21. — Plaut. — Geneb. — Plutarch. — Tertull.

Mariæ nomen Deus ex genere meo.

SECTIO IV.

NE autem hæc, quæ discussimus, lubrice nutent, & fulcro destituta decidant; vestigandus est Sancti nominis *Mariæ* significatus. 33.
Inter omnes huius sacri vocabuli deriuationes illa pensiùs mihi arridet, quam edidit Ambrosius lib. de institut. Virgin. cap. 5. *Speciale Mariæ Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo.* Video de origine Hebraica ad huiusmodi deductionem nutantem P. Suarez. 2. tom. de Incarnat. disput. 2. sect. 1. Sed fido magis Ambrosio, qui, licèt ex Hebraica dialecto forsan non deduxerit, altâ luce perspicuus ex ipsis mysterij arcanis enucleauit. Imò non patior Hebraicum illi defuisse fontem: nam, vt benè vidit Rutil. Benzonius in Magnificat lib. 2. c. 22. dub. 5. vox מן *Min*, cuius in locum interdū ponitur in compositione sola litera מ *M*, & הרה *harah*, quod est concipere, & parere יה *Iah*, quod significat Deum, componunt totum nomen מהרה יה *Mharah Iah*, id est, *de conceptu meo, de partu meo Deus.* Hinc forte Ignatius Martyr vocabat *Mariam Iesu*, quasi ipsum sit nomen Filij, & Matris: Filius enim Deus, & Virginis vterus vnum nomen Mariæ constant. Hinc accuratè videas in Ambrosio, cui ex vtraque voce extrema

Ambr. — Suarez. — Benzon. — Ignat.

mà connectendum sit illud verbum *Domini*? ait enim: *Speciale Maria Domini hoc nomen inuenit.* Annè Maria Domini, sicut Maria Iesu? Annè inuenit nomen Domini? Verumque scitùs posse connecti seorsim: nam Maria & Domini nomen est; & Maria etiam in nomine incipit esse Domini. *Deus ex genere meo*, & Patris Diuini, & humanæ Matris nomen est.

34. Ergo nomen Matris, Filijque, & Patris diuini sub nomine Mariæ insonuit, triplexque vocabulum sub vna voce euulgatum est. Si enim *Deus ex genere meo* nomen est Mariæ, Deus ille noscitur pro sobole, cui proprietas, & character generatio est: ergo Filius; non alia Trinitatis persona genus habet. Vnde ex Maria ille, qui semper gignitur, gigni declaratur, duplexque iam genus habere, & à Genitore superno, & ab infera Genitrice. En Mariæ nomen huius abditi sacramenti apocalypsis est. Suppetias ferant duo Patres, quos cursim hîc subscribo, infra penitiùs

Prudentius. enucleabo. Prudentius in hymn. de Natali Iesu:

Emerge dulcis pusio,
Quem Matris edet castitas.
Parens, & expers coniugis,
Mediator, & duplex genus.

Genus igitur à Patre Diuino, Filij Mariæ hypostasis est, quæ dum gignit, geminat genus; duplexque iam genus est ei, cui gigni indoles ma-

Damasc. net æterna. Damascenus orat. 1. de Natiuit. Mar. *Par erat, vt virginitas ex pudicitia orta ei, qui solus est vnigenitum lumen, corporeo modo offerretur, benigna illius voluntate, à quo incorporeo modo is genitus est, qui non gignit, sed semper gignitur, cuique gigni personalis est proprietas.* Vtere nunc parco haustu his locis; post in inferioribus larga vestigatione fruêris. Quin ille, qui semper Deus est, quà à Patre exoritur; Deus est, dum à fœmina gignitur peculiariter illi datum, qui gignitur ex Maria, quòd Deus sit. In hoc ineffabilis nostræ Virginis excellentia. *Deus ex genere meo.* Cur non *homo ex genere meo* Matris nomen est, siquidem ab illa non Diuinitas, sed humanitas sumpsit exordium? Quia hoc nomen, quod est super omne nomen, ea natura, quæ ex Virgine desumpta est, sortitur; quòd homo Deus sit, & appelletur. Erat quidem Deus, Deique Filius Verbum oriens in excelsis: cæterùm in humana natura Deus non erat. Si è Virgine natus homo Deus est; quidni Mariæ nomen sit *Deus ex genere meo?* In vocabulum non ludicrâ, & nugatoriâ curâ diuina sapientia tetendit, quod auditum Diuinitatem Filij publicaret. Nonnè at-

Luc. 1. tendis: *Quod nascetur ex te, Filius Altissimi vocabitur?* Ergo è vocabulo res ipsa edocetur, nominisque disciplina ad inopinabile Sacramentum informat. Titus Bostiensis sic scoliat Luc. 1.

Tit. Bostr. *Quorsum, inquis, dicis: Filius Altissimi vocabitur, cùm rectiùs dictum oportuerit, Filius Altissimi est, vt qui ante omnia secula ex Deo, & Patre genitus sit. Responsio est, vt Filius cùm verus alioqui naturâ Deus esset, propter adiunctam humanam naturam, muneris loco accepit nomen, quod est super omne nomen: est enim, & appellatur Deus, ita cùm naturâ suâ verus Dei Filius esset, ante omnia secula ex Paterna substantia ortus, propter susceptam humanitatem, appellatus est Dei Filius.* Quot Sacramentis sacrum Mariæ nomen onustum! Omni Theologia Incarnationis fruêris, voca *Mariam*. Qui homo nascitur, Deus ex genere fœminæ sanctæ est. Id datum, id nactum, propter carnem ex Virgine: dedit Deus illi nomen, quod omne nomen exuperat. Non solùm incipit appellari Deus, sed & esse, homo hic, si naturam humanam attendas; si hypostasim, æternum Deus è Deo est.

Verùm cur indefinitè absque hypostasis, & personæ significatione explicatu *Deus ex genere meo?* Satiùs videbatur ad mysterij captum, Filium Dei in epigraphe nominis rubricari, sicque efferri vocabulum, *Filius Dei ex genere meo.* 36.
Si forsan huic inuolucro, communisque vocis sedulæ electioni studuit Trinitas ne illicò agnosceretur, qualis ex personis carnem acciperet, è Virginisque vtero traheret ortum. Eò impensus amor sanctam Trinitatem in Mariam pellexit, quasi sacrâ concertatione, æmuloque conflictu quæque persona roseum Mariæ ambiret sinum, & procorum more sibi cuperet. Ideò ad leniamen, & æstuantis desiderij refrigerium vox tribus personis communis, scilicèt *Deus*, nomini inclusa est, vt saltim primoribus labiis pronuntiata, primisque auribus degustata, non facilè cognomen inderet, quæ persona Virginis vterum apprehenderit. Non insuaue hoc. Me iudice; nomen ipsum mox auscultanti personam pandit, quæ viscera sacra compleuit, nempe Deum qui genus habet in diuinis, id est, qui gignitur: vt si dixeris: *Deus ille, qui ex genere est, iam ex genere meo computatur.* Maria, *Deus ex genere meo*, Mira dignatio! Vna vox vtrumque genus copulauit, & Patris, & Mariæ. *Deus qui ex genere*, iam *ex meo* est. Generosi generis germen non aliud genus origini aptius potuit inuenire, quàm Virginis: à sapientia Patris degeneri conuersatione deflecteret, & quasi gentilitium lumen obscuraret. Ille, qui ex intellectu, sapientiâque in excelsis genus habet, è Virginis puerperio editus editam nobilitatem quasi contionat, & protendit; vtpote cui virgineus vterus domus sapientiæ est, & iuxta sapientiam diuinam Mater efformata: Gerson. serm. de Concept. B. Mariæ, Gerson.
col. 2. *Et tempus venit, vt Incarnatio compleri deberet, ac celebrari. Deus elegit facere, & formare Dominam secundùm sapientiam suam infinitam, talem, qualis pertinebat ad eum, qui erat tam sublimis, & GENEROSI GENERIS, quæ in his inferioribus illi esset Mater, qui in cælis Deum habebat Patrem.* Perquam bellè! Generosum genus luminibus nobilitatis inclarens, Sapientia Patris est, splendoribus Sanctorum vteris ardens. Qui tale genus habet, Filius Dei est. Ne originem inficeret, ab institutisque desciscerer Genitoris, Maria in genitricem electa est, non confusâ, non tumultuariâ prouidentiâ, sed signatè secundùm sapientiam infinitam: quòd non accipias, quasi cum cæteris creaturis vulgare, quibus Dei sapientia structuram præfiniuit; sed ingeniosiùs, quatenus Mater hęc in eum Filium decernebatur, qui genus è sapientia trahit: ideò iuxta illam eandem sapientiam effingitur fœmina, è cuius genere ille prodiens adhuc sapiat genus Genitoris.

Imò ita in similitudinem Patris, in stemmaque diuinum Maria arrepta, & absorpta est, ob diuinæ virginitatis tesseram; vt opus sit in nomine statim ostendere, quòd Dei Mater sit cum proprietate generis, carnisque substantiâ. Ita Filius Virginis, genus Diuini Patris moribus ostendit, vt ne confessio materni generis periclitaretur, cauerit ab exordio prouidentia, eo nomine insigniri 37.

Matrem

Matrem in fronteque cælari, quale Deum ex eius genere statim euulget; ne possint nominari, quin naturam è Matre desumptam edoceat. En studium
Loc. 1. Angeli: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te.* Vtrumque genus benè copulauit; ne in filio Virginis impingeres: dumque audires ex Virgine genitum, in qua diuina Sapientia domum molita est; non genus nouum crederes ex Matre sumpsisse, vtpote cui & Spiritus sanctus, & Pater Altissimus pro sobole generanda incubuit, & ex sanctitatis virgineæ excellentiâ quasi in diuinam Sapientiam, quæ genus Verbi est, translata videatur. Simile quid effutiebat Eutyches, hæreticisque cauillis, astuque nefario genus ex
S. Leo. Maria Filio Dei denegabat. Plectit S. Leo tractat. aduers. Eurych. *An fortè ideo putauit hæreticus ille Dominum nostrum Iesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus Angelus ad Virginem, ait: Et virtus altissimi obumbrabit tibi; ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, vt quia conceptus Virginis diuini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota sit* GENERIS. *Fœcunditatem enim Virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis de corpore sumpta est, & ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est.* Mariæ vterus, sapiens sapientiæ domus, aptum Verbo Dei præbuit habitaculum: verùm in ipsiua virgineæ carnis mysterio duplex genus Filij prodidit, & ostendit, & ex proprietate corporis humanum à Matre; & ex virginitate Genitricis diuinum à Patre.

38. Cùm sic genos distinguas, non reluctabor, Christum ex Maria genitum nuncupes mentis
Nazianz. genus. Audio Nazianzen. in carmin. de Christo patiente col. 16.

O stupendum nobilis MENTIS GENVS.
Nimium audes ô Beate, & quidem Theologus. Christus Deus, & homo est. licèt quà Deus, illi genus à Ioue summo; quà homo, genus ducit à Matre. E mente Patris ortus Deus: ast, dum Christus est, non è mente; sed ex vtero in humanitate, & Deitate conflatur. Tutus est Nazianzenus, Marianæque virginitatis clientelâ columis. Si vterus incorruptè concepit, & peperit mentis motu; cur non mentem dixeris, & in vno vocabulo duplex circumscripseris genus, à Patre scilicèt, & à Matre? Nobile mentis genus Christus est; Maria, Deus ex genere meo. In tale cum Diuinitatis contubernium erigitur Mater, quæ genus dedit creatori, quæ Genitrix Filio fuit; & tamen sibi Virgo mansit, & ex virginitatis fœcundæ sublimitate Filium vnigenitum à Deo
Venant. sortita est. Canorè, adsonè Venantius libro 8. hymn. 5.

O Virgo excellens, vincens super omnia matres,
Quam GENVS *erexit, cui Deus alta dedit.*

Quàm fideli pulsu sonoras fides percussit Venantius! Ideò super omnes Matres arduum caput sustulisse Mariam canit, quia eam GENVS erexit. Qualenè genus? Quod ex Dauidica stirpe, ardentibusque atauorum purpuris traxit? Neutiquam. Non id signatè supra matres extollit, sed supra nobiles. Genus ergo est id, quod Maria genito dat, cuius claritas, & lumen in Genitricem refluit, quam vsque ad Altissimi erigit solium, vt compar sit thalamus, quibus vna proles. En illud, *Quam genus erexit, cui Deus alta dedit.*

Hinc Christus apud eumdem Venantium dicitur vtrumque genus, nec solùm ex vtroque genere, lib. 8. hymn. 5. 39.

Et tamen est genitus Deus & homo, verus & vnus;
Spiritus, atque caro Christus, VTRVMQVE GENVS.
In Deitate Patri æqualis, sed corpore Matri,
Et sine peccato, de Genitrice caro.

In secundo carmine siste parumper, nec piget abeas: *Spiritus, atque caro Christus vtrumque genus.* Si spiritus & caro vnus homo est, ex limo per spiraculum vitæ animatus: si anima rationalis, & caro vnus est homo: si Deus minatur Gen. 6.
non permanebit spiritus meus in eo, quia caro est; quid est, quòd apud Venantium carni Christi seorsim suum genus appingitur, aliudque genus spiritui; & tamen Diuinitati, de qua liquet sacrum poëtam agere, nullum genus adscribitur? Equidem spiritum pro Diuinitate accipit, carnem pro homine: nec animum memorat, quippe cui non genus à Maria fuit. Quod à Matre Virgine est, nequit à Deitate denecti: etiam si mortis falx corpus Dominicum demesserit ab anima, in vtràque portione Deitas stabili vinculo permansit: è Virgine decerptam carnem non deseruit Deus; adhuc duplex inibi genus perseuerat. Quare spiritus & caro apud Venantium Deus & caro est: adi ipsum lib. 8. hymn. 5.

O veri thalamus, noua iunctio facta salutis,
Qua Deus, atque caro nupsit honore nouo.
Qua Deus amplexus carnem est, caro iuncta cohæsit.
Stat Deus, atque homo fit, Christus VTRVMQVE GENVS.

Mariæ Nomen *post Filij* Nomen *est, in quo illustris eius nobilitas celebratur.*

Expenditur Isaiæ 62. *Vocabitur tibi* Nomen *nouum, quod os Domini nominabit.*

SECTIO V.

NVLLA maior mariani nominis excellentia est, quàm quòd in ipso vocabulo matrem se profitetur Filij Dei. Adhuc alia nobilitas inclarct. Mariæ nomen post Filij nomen est. Expendere libet Isaiæ vaticinium c. 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Ita sibi hoc nomine os Domini blanditur, vt legerint Septuaginta, *καὶ καλέσει σε τὸ ὀνομάσει τὸ καινὸν ὃ τὸ στόμα κυρίου ὀνομάσει αὐτό*: id est, *Et vocabit te ipso nomine tuo, ipso nouo, quod ipsum os Domini loquutum est ipsum.* Eâ articulorum affluentia, eâ pronominum repetitione (benè adnotat Leo Castrens.) quid conspicuum, & mirabile in hoc sancto nomine delitet, quod sic vberem demonstrationis excursum erogauit. Quæstio est cuiusnè nomen sit, & quod? Communis opinio pro Ecclesia, Christianorumque nomine suffragatur. Sic Cyrill. in Genes. lib. 1. in princ.
40. Septuag. Leo. Castr. Cyrill.

Euseb.

Euseb. Cæsar. Chrysost. Theodor. Hieron. Procop. Haym. Cyrill. S.Thom. Euseb. Cæsar. Euangel. demonst. lib. 2. c. 49. Chrysost. in c. 1. Ioan. hom. 19. Theod. in Genes. ex codice manuscripto apud Leon. de Castro. D. Hieron. Procopius, Haymo. & alij. De nomine Iesu accipiunt Cyrill. de Trinit. lib. 5. S. Thom. inibi. Velim nomen Mariæ adumbrari, sacrumque sponderi vocabulum, nouum, & ab ore Altissimi, qui rerum momenta callet, nuncupandum. Id accuratiùs introspicere par est.

41. Et quidem plura suadent. *Quod os Domini nominabit.* Hebraicè נקב *Nakab*, id est *perforabit.* In quo non parum acuminis, si memineris nomen inane, aëris que verbere & impulsu sonans, per auras fluidum, & suomet fragore deperiens, non styli, non celtis sustinere mucronem, nec subire foramen: vtpote quod euanet illicò, dum profertur. Quale est ergo nomen adeo stabile, rigentique substantiâ fixum, vt scalpellum sustineat incidique valeat? Forsan nomen in metallis incisum, in saxisque fodicatum, ne temporis tyrannide subeat excidium. Forsan nomen, quod frontibus inuritur, stigmateque scribitur in maxillis, vt statim herilem manum manifestet. Benè. Sed si coniectare fas sit; nomen, quod, dum nominatur, perforatur, illud est, quod Virgini nostræ obtigit, *Matris* scilicet, seu *Mariæ*. Hoc os Domini perforauit, ad conceptionem vteri Virginei respiciens, in quo Verbum ab illomet ore pronuntiatum carnem induit, auresque tunc sibi memorat perforatas. Aduoco te ad illud Ps. 39.
Ps. 39. vers. 10. *Aures autem perfecisti mihi; tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt*
Hebr. *facerem voluntatem tuam.* Hebraicè: *Aures fodisti, aperuisti.* Metaphoram quidem à figulis
Geneb. vult Genebrardus, qui manu fodicant, & ducunt argillam è qua cupiunt vas aptare, currente rota. Aures perforari dicuntur, cum Dominicum corpus in virginea vulua plasmatur; vt meditor: quia carneum organum, quod spiritale verbum subintrat, auris est. Cùm ergo Verbum Dei carnem subire profertur: vt appareat, quam aptam sibi carnem, assonamque Verbi proprietati, vtpote ex Virgine, delegerit; omnis illa caro dicitur auris, quia nihil carneum verbo ab ore soluto aptius est auriculâ. Igitur si exinde Virgo no-
Ier. 31. stra Mater est, ob idque prædestinata, vt fieret: quid quòd ex fine nomen acciperet, & *Mater* seu *Maria* à primordio ab ore Domini nuncuparetur: & quia nominis hæc disciplina fuit & origo; ideò & idem seruatur stylus, & à carne in aures perforatâ, perforatum perhibetur & nomen? Adeò cum Incarnatione hoc nomen connectitur, vt, ne vnitas pateretur dispendium, eadem dialectus & character in vtroque seruetur. Perforauit os Domini Virginis nomen, quia Virginis carnem Verbo Dei perforauit in aures. Quàm apta Verbo Mater, cuius & nomen in auris morem perforatur! Quàm propinquum Mariæ nomen post nomen Filij, siquidem auris est ori, verboque ex innato respectu vicina. Si forsan ideò Mariæ nomen, quod os Domini perforauit
Richar. *auris Dei* sit; Annuit Richard. de laud. Virgin. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua, id est Beata Virgo.*

42. Id fulcitur, si consulas Prophetam. Qualenè
Isai. 62. nomen hoc nouum; *Vocaberis voluntas mea, &*
Vatab. *terra tua inhabitata.* Hoc est nomen, quod spo-
Pagn. ponderat, vt Doctiores sentiunt. Pro *inhabitata*,
Tigur. Hebraicè est בעולה *Behhulah*, id est, *maritata:*
Symm. sicut vertit Vatablus, Pagnin. Tigur. Accinit Sym. & Theodotio, qui transferunt συνοικουμένη, id est *cohabitata*, quod idem ac *maritata* sonat apud Theod. Chrysost. in cap. 20. Genes. hom. 45. ad illa verba; Chrysost.
Ista cohabitatrix est viro. Qualisnè maritata ista? Isai. 62.
Virgo: *Habitabit enim iuuenis cum virgine*: ideò *enim* adiecit vbi *habitabit* Hebraicè יבעל *iibal*, id est *maritabit*: Ergonè Virgo, quæ maritata, voluntas Dei est? Certè. Intuere Spiritui sancto, (qui voluntatis Dei terminus est & impulsus) sub obumbrante pallio nuptam, & quasi in thalamo coniunctam sacro: ex voluntate concepisse edisces. Amad. Homil. 3. de laudib. Virgin. Amad.
Tali Sponso coniungeris, à tali marito fœcundaberis: Spiritus sanctus superueniet in te. Quid quòd in Mariti transiuerit nomen, *Voluntas Dei* vocetur; si quâ Mater, nuncupatur; Materque fit ex ipsomet diuinæ voluntatis incursu, non in toto ex delicto, sed potiùs ex dilecto? Affabrè Petrus Damian. serm. de Assumpt. B. Virgin. *Hæc* Dam.
est, quæ nesciuit torum in delicto, Virgo Dei Filio singulariter consecrata, specialiter sancto coniugata Spiritui. Ideò conceptio diuinæ prolis contigit sub eis verbis: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*: acsi diceret: Si Mater ex Spiritus sancti congressu, impulsuque erosi hic mihi totus est, hic hymenæus; ecce voluntas Dei sum, Dei voluntati maritata: in auditu auris obedio, nomen mihi perforatum *auris* est, sti- Ps. 17 45.
gmate notata maxilla, vtpote ancillæ Domini; nomen hoc exhibet. Fiat voluntas Domini, concipiam ex nomine, quæ ex Spiritu sancto fœcundor. Iuuat Guerricus Abbas serm. 3. de As- Guerr.
sumpt. *Itaque Mariam, quæ secundùm carnem Mater erat, aliâ quoque ratione Matrem sibi Iesus probat: quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater: Vocaberis voluntas mea in ea.* Quàm appositè! Cur ea verba supero Patri attribuit Guerricus? Quia *voluntas mea in ea*, & *Mater*, & *Maria*, quasi synonyma sunt, saltim in sensu. Dum concepit, Mater fit. Tunc voluntas Dei vocatur, vtpote amori, nempe Spiritui sancto maritata, & virgo. Iure ergo nomen hoc à Patre vocatur, cui propria est eiusdem Filij generatio. Quare Hebraicè pro *voluntas mea in ea*, est חפצי בה *Chepsi ba*, id est, vt notat Cornelius, *beneplacitum, complacentia, dilectatio, & deliciæ.* Quæ vocabula generationis æternæ sunt, qua Pater in prole genita sibi complacet, & congaudet, vt alibi discutimus, & iudicant illa Patris è nube Matth. 17.
verba: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.*

Ex quo non insubtiliter dignosces, Mariæ no- 43.
men post Filij nomen esse vicinaque propinquitate cum illo colligari. Nomen enim Filij *Verbum Dei* est, vtpote è mente progeniti: post mentem autem, seu intellectum statim voluntas suo ordine subest: ideò post Filium Verbum Maria vocatur *voluntas mea.* Quin & Mariæ *perforatur* nomen, quia Filij, dum in eius vtero concipitur, auris pro corpore *perforatur.* Denique ex alterutra communionis sorte vix voluntas Ps. 39.
Dei efficitur Mater; cùm & filius in vtero satus, sub auritæ obedientiæ foraminibus inquit: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Foramen, quod fiebat in aure Filij denuò geniti, transiuit in Matris nomen: voluntas Dei, qua Mater appellata, transiuit ad Filium. Vtrumque nomen reciproco se nexu deuincit. Imò perforata auris deuinctam deuouet in Domini arbitrium ancillæ volun

voluntatem. Quam amica inter Mariam & Filium vicissitudo! Ad vocem *Ecce ancilla*, auris Filio, qui gignitur, perforatur. Et quia exinde Matris nomen *voluntas Dei* est; Filius illicò *voluntas Dei* impinger satagit nominari. Hac causa crediderim Patres nomen Mariæ post Filij nomen, vicinius esse præsentire. Franco Abbas de grat.nou testam.tract.6. *Neque enim post singulare illud dilecti Filij sui nomen aliud nomen cœlum aut terra nominat, vnde tantum gratiæ, tantum spei, tantum suauitatis piæ mentes concipiant.* Gerson.serm.de Annunt. col.3. *Hodiè Domina nostra alterius nomen accepit & perfectius, quod esse possit homini post nomen Filij sui: & est, quod Mater Dei dicatur.* Quid est, quod post Filij nomen, non aliud nisi Mariæ collocandum innuerit, cùm Spiritus sanctus tertia nomenclaturà potiatur? Epiph. hæres. 62. *Spiritus sanctus tertius nomenclaturâ, æqualis Deitate.* Et hæres. 71. *Tertius nomenclaturâ: nam Trinitas est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Spiritus sancti sponsa Maria; nec à situ deturbat Sponsum, nec nomen arripit ab inuito; sed sponsalitio iure stemmate nominis honoratur, à Spirituque sancto nomen delibat, cuius thalami consors est. Præcipuè quia si Mariæ nomen *voluntas mea* est: quid quòd cum Spiritu sancto, cuius origo ex voluntate est, nominis insigne participet? Verum Mariæ nomen post Filij nomen est: quia Mater est diuini Filij: & consortium agens cum Deitate, vtpote Filij genitrix, illicò indiguit nomine in diuinis, vt agnosceretur; quam similitudo cum Patre diuino sub eius attributis confundere videbatur. Eò respexisse videtur Gerson. suprà: *Propterea Dominus est cum ea, non sicut est cum omnibus per omnia, sed per gratiam & sanctificationem singularem.*

Franc. Abb. — *Gerson.* — *Epiph.* — *Gerson.*

44. Ast quiescere calamum non sinit, quod nomen Matris post Filij nomen appingatur. Fœtus iunior est genitrice, gerula vulua præcedit infantem: nec à pignore viscerum deuio itinere nomen detrahitur in parentem, sed ex stirpe generosâ descendit in prolem. Si Filij nomen *Filius est*, sicut Mariæ nomen *Mater*; Filius præcedere non valet, quam habet auctorem. Saltim simultaneo hæc nomina situ gaudeant: ea indoles correlatiuorum est; simul sunt tempore, & cognitione. Ideo communis hæreditas ad Mariam, & Filium fortassis euoluitur; quasi nec tempus, nec agnitio Matrem, & Filium dispungere valeant, & denectere. Id saporis in Betnard. Senens. tom.1.ser.61. artic.2.cap.4. *Sicut Filius Dei sedet à dextris maiestatis in Excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, quod nomen est, vt sit verè Deus per gratiam vnionis: sic & Mater Domini nostri Iesu, gloriosa Maria, tantò melior est Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis hæreditauit, vt obtineret dignissimæ Matris nomen.*

Bernard. Senens.

45. Non inscita hæc. Nobilius Mariæ stemma est, eius nomen post Filij nomen collocari, vtpote in quo Diuinitatis Filij, sanctissimæque Trinitatis dantur indicia. Ratio procliuis. Nam *Mater filij*, nomen alicuius fœminæ esse non potest: nisi enim vocabulum à cæteris eiusdem naturæ participibus discernat, nominis non habet rationem. *Mater autem Filij* pleonasmus est, futilisque cumulus vocis, cùm nec mater sit, nisi cui proles; nec proles, nisi cui pater. Verum quæ Mater incipit esse veteris filij, quam illius præcesserit, & voce, & naturâ; *filij Mater*, pulchrè nuncupanda dignoscitur, id à cæterâ turbâ distinguit: id peculiari tesserâ discernit; cùm hic eius sit explicatus: *Mater est, genitrixque filij, qui iam diu filius erat, cuiusque nomen Filius est.* Ergo Filij Mater fixam mentibus Trinitatis agnitionem insinuat, intellectumque solicitat; vt agnouerit, fœtum veteri Mariani ex Antiquo dierum ortum traxisse: quod fieri nequibat, nisi Deus cum prole sit, æternùmque pariat. Ergo nomen Matris post Filij nomen scintillas Diuinitatis effundit, diuinumque mussitat Patrem, & in absconditum Sacramentum allectat. Hinc meritò Filij nomen Matri præposuit S. Ephræm. suprà datus de Margarit. pretiosa, vt Trinitatis memoriam refricaret: *Fuit igitur Maria Patri arbor, Filio Mater, hominibus fons Spiritus æterni.* S.Eph.

Cur Elizabet: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, marianæ benedictionis excellentiam *inter mulieres* attolli dixit; fructum autem ventris non *inter viros* protulit benedictum sed absolutè? Vt Mariam eius esse Matrem præsignaret, qui ex se fructus, & Filius est, benedictus in sæcula: benè quidem dictus à Patre, qui Verbum bonum eructauit, cùm genuit. Hùc compello Richardum à S. Laurent. lib.1.cap.7. *Ac per hoc benedicta quidem tu, sed in mulieribus: ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos; sed ipse est super omnia Deus benedictus. Dicitur benedictus vir, benedicta mulier, benedictus panis, benedicta terra, & huiusmodi: sed singulariter benedictus fructus ventris tui.* Hæc ille. Luc.1. Ps.44. Richard. à S.Laur.

Ecce nouum nomen, quod impensiùs Dominus de nouitate præconatur, geminatisque vocibus repetitisque articulis apud Septuaginta *nouum* compellat. Iure quidem segnitiem incusat, aurésque vellicat, vt ad *nouum* audiendum arrigantur: quippe nusquam in cœlo, & in terra hæc nouitas audita fuerat, quòd parentis nomen post filij nomen, iuniore voce proferretur. Patris, & Filij nomen in Superis eàdem æternitate potitur, non præcellit, non præcellitur. Fœmina noua id nouitatis induxit, quòd Matris nomen post Filium sibi conciliaret: ab ore Domini & Numen, & nomen hauriens, conferensque in vtero Filium Dei antiqui Filij genitrix noua effecta est. Vide, quàm consonent cuncta: *Nouum faciet Dominus super terram: Fœmina circundabit virum.* Surgit illicò Bernardus hom.2. super *Missus est. Si vir, quomodò à fœmina circundatus? Si à fœmina, quomodo vir? quomodò simul potest & vir esse, & in vtero Matris? Si dixisset: Fœmina circundabit infantem, vel paruulum; nec nouum videretur, nec mirum.* Virum in vtero sepiuit, quæ fœtum genuit, cui nomen est *Vir oriens ex alto.* In hoc nouitas, quòd vir præcesserit viscera, è quibus prodiit; dumque pusio tenellus vteri stringebatur angustiis, iam diu Vir fuisset, oriens ex alto. Præpostera videtur hæc nominum deriuatio! Consule Genesim: *Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Pagnin. *Vocabitur virissa, quia ex viro suo assumpta est.* Caietanus: *Et hinc vocabitur vira, quia de viro assumpta est.* Si Primigenia substantiam, & genus traxit ab Adamo; quid quòd & nomen? Maria non ex viro, sed ex qua vir: imò virum genuit absque viro. Virago est primaque virgo. Quomodò ex ea *Vir* genitus dicitur? Annè rependit homini nomen, quod fœmina sumpsit ab homine: vt quia primus vir 46. Ierem.31. Bernard. Zach. 6.12. Gen 2. Pagninus. Caiet.

virum

viram, seu viraginem ex sectione lateris, & vocabuli primam fœminam appellauerit; Maria Primigeniæ correctio, prima virgo viri nomen indiderit homini Deo? non inuenustè. Ast si genuit eum, qui iam vir erat? potiùs à viro genito ipsa *virgo*, seu *virago* dicitur: & quia non aliter virgo, nisi quà Mater, pulchrè vtrumque in causa fuit; & quod ex viro genito Mater, &
Zach.6.12. Virgo nuncupetur; & quod virgo simul & Ma-
Luc.1.78. ter sit: quia Filius eius iam vt vir præcesserat,
Richard. à orienſque ex alto Patrem habebat Deum. Richar-
S. Laur. dus à S. Laurent. lib. 6. de laudibus Virg. *Eua enim dicta est virago, quia de viro sumpta est. Maria virago, quia de ipsa sumptus est vir suus: quod tunc factum est, quando conceptum suum expressit.*

47. Itaque nouum, quòd fœmina virum circumdet: ex qua nouitate apud Esaiam Mariæ nomen *nouum* vocatur, quod significet virum iam pristinum, Filiumque non nuperum, sed æternum in vtero circumdatum. Compar sanè, licèt fi-
Esai.62. gurata loquutio! Attende. Vix dixerat: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit:* cùm illicò: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Corona non manum redimit; dexteram non circuit diadema. Quale ornamentum est hoc, quod tempora deserens, & caput, decidit in manum? Vexat Interpretes hic nouus coronæ situs, Alios sui sensus delectant. Ego in mea cogitatione renitor. Quia nomen hoc nouum, quod spondetur, *Mariæ*, seu *Matris* est: ideò annectitur statim maternitatis huius, & conceptionis miraculum, quod fœmina gignat, circumdetque virum, qui fœminam ipsam præcesserat. *Eris corona, & diadema circumdans manum Dei tui.* Si Deo manus est, qui spiritus est; qualem putaueris manum, nisi Filium eius? Adeò concors in eo Patrum censio est, vt literalem sensum sibi
Cyril. Alex. vendicare videatur. Cyrill. Alexandr. lib. 13. Thes. cap. 2. *Brachium, & dexteram Dei, Filium Dei Scriptura vocant.* Et lib. 5. Thes. c. 3. id probat ex illo
Esai.62. Esaiæ 66. *Manus mea omnia fecit.* Et lib. 1. Thes. cap. 1. *Ideò & dextera, & brachium Dei nominatur: quia quasi per manum omnia Deus per ipsum*
Isidor. *operatur.* Assentitur Isidorus l. 7. Etymol. cap. 2.
Ambr. Ambrosius lib. 3. de Spirit. sanct. cap. 2. Leo ser-
Leo. mone 8 de Natiuitate. Anastasius Synaita de re-
Synait. ctis fidei dogmatibus. Basilius libro 5. aduersus
Basil. Eunomium. Igitur idem est fœminam circumdare virum orientem ex alto; & fœminam coronam, seu diadema esse, quæ circumdet manum Domini, nempe Filium eius.

48. Præstò est Cantic. locus cap. 3. vers. 11. *Egre-*
Cant 3. *dimini, & videte, Filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Coronarum ornatum in die desponsationis non
Ouid. demiror: id vel gentibus vsus fuit. Ouidius in Ep. Cydipp. Quòd Mater coronam imposuerit, nouum. Verùm si non alia fœmina memoratur in sponsalium celebritate, nisi Mater Sponsi; quam putaueris Matrem, nisi Sponsam; quod si Sponsa, & Mater est, pulchro argumento deducitur, non aliam nisi Virginem Matrem potuisse coronare; vtpote quæ adeò Virgo innuitur, vt Sponsum non nouerit, nisi Filium. Ita longe abest à viro, cùm concipit, vt potiùs ipsum virum, qui sibi Sponsus est, concipiat. Quid hoc flore virginitatis vernantius! Iam non stupeo, quòd coronet Mater, si Regiâ carne, purpureique sanguinis maiestate circumdedit, dum genuit. In quibus verbis non insubtilis subest coniectura, quod ille, quem carneo diademate circumdat, iam Patrem habebat, à quo alio diademate præexstiterat redimitus; siquidem signatè Sionides inuitantur ad videndum Regem coronatum diademate, quo illum cinxit Mater. Ideò forsan *egredimini* dixit, non ingredimini: quia egressum à Patre denotare volebat, qui sic Filias
Hierusalem ad inuitum concitauit. Bellè Gui- Guilhelm.
lhelmus apud Delrium inibi: *Si filij forent, potius monerentur ingredi, & videre Regem pacificum in diademate, quo coronauit eum Pater suus. Qui minùs idonei sunt cogitare Verbum apud Patrem, cogitent saltem Verbum carnem factum: hoc egredi; illud ingredi est.* Et post nonnulla: *Illic vident diadema, quo coronauit eum Pater ante omnia tempora, nempe gloriam diuinitatis, qua coronatus, eo quòd Deus à Deo genitus: hinc vident diadema, quo in tempore Mater eum coronauit, nempe Regiam nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronauit, eò quòd illum de sanguine suo Regio secundum carnem concepit.* Ergo stylus generationis à Patre Diuino, à Matreque, virgineâ, corona est: eo, puto acumine, quòd vnusquisque seorsim absque coniuge totum Filium genuit, vtroque circumdedit: nec circuli coronarij partem impuritas amputauit. Ex quibus luculenter firmatum manet, quòd nomen nouum, quod os Domini nominauit, est *Mater Virgo Filij præexistentis*, quem circumdedit in vtero: & quia manus Domini Filius Dei est, diadema in manu Domini adsonè dicitur.

Nec prætereire fas est venustam obseruatiun- 49.
culam. Corona in manu annulos, seu armillas poterit significare, quibus manus ornatur, & in quibus, vt annotauit Sanctius, notari solent effi-
gies, aut nomina, aut aliqua symbola eorum; Gasp. Sanch.
quos amamus vt nunquam non occursent oculis,
iuxta illud Esai. 49. *In manibus meis descripsi te.* Esai 49.
Et 44. *Iste dicet: Domini ego sum, & ille voca-* Ibid 44.
bit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino, & in nomine Israel assimilabitur. Vbi Se- Septuag.
ptuag. ἐπιγράψει χειρὶ αὐτοῦ τοῦ θεοῦ εἰμι. *Alius inscribet manui suæ, Dei ego sum.* Mos amantium est, vt oculis aduersetur punctum in auro Amasiæ nomen. Quin militum, præcipuè tyronum, mos hic inualuit, quòd manus scriberentur incisis punctis, de quo Ælius Æmidenus Æl Æmid.
lib. 8. c. 11. Vegetius lib. 2. de milit. cap. 8. Ex quo Veger.
lux S. Greg Mag. ep. 10. ad Mauritium, & 103. ad S Greg. M.
Theod. *Ne quis manu signatus ante expletam mi-* Lipsius.
litiam in Monasterio recipiatur. Dubitat Lipsius lib. 1 de milit Roman. dialog. 9. quid in manu militis scriberetur? *Scriptum, loquit, solidè nescio: suspicor tamen nomen Imperatoris.* Dubio procul Imperatoris nomen in manu tyronis exarabatur.
Ambrosius de obitu Valentini Imperatoris: *Cha-* Ambros.
ractere Domini scribuntur & serui; & nomine Imperatoris signantur milites. Sic & August. epist. August.
50 Damian. opusc. 18. dissert. 2. cap. 6. Pro aman- Damian.
tium consuetudine plura sunt. Hier. 22. vers. 25. Hier. 22.
Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda, annulus in manu mea dextera, inde euellam eum. Psalm. 136. *Si oblitus* Ps. 136.
fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. Quæ si colligas, eum sensum elicies: Vocabitur tibi nomen nouum, quali res ipsa expetit nomineris, scilicèt quatenus eris corona, & diadema

dema manum Domini circumdans temet, nempe vtero Virgineo, carnéve ex vtero delibatâ, quæ manum Domini ita circuibit, sicut armilla, & annulus nomine ipso tuo cælatus, & incisus, vt occurrat oculis iugis Incarnationis effigies, quæ in nomine tuo perennat. Suadet hoc arguta probatio
Cant. 5. ex Cant. 5. vers. 14. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Sponsi pulchritudo, & elogium est. Si caro ex Virgine Domini manum, vt corona annulus, & armilla circumdedit: quid quòd manus tornatilis fieret, carneis annulis quasi cincta micans, eâ rotunditate, quæ virginei vteri virginitatem repræsentet; eâ coniunctione annuli cum manu, quòd nunquam è carcere digitus exeat, nunquam annulus deponatur, quia ipsamet caro est: & si inibi incisum Mariæ nomen; vide, qualem nexum cum Filio obtineat.

50. Nequit à Filij contubernio Mater desciscere, quam Matris nomen cum Filio copulauit. Tantùm proferas Mariæ nomen, cum Filio nectere obligaberis: vt compar sit situs, siquidem situs Filij Mater est. Quia Mariæ nomen de thesauro Diuinitatis euoluitur, secū Diuinitatis personā trahere necesse est, quā diuinum nomen inuoluebat: & quasi plicato volumine sub eisdem fermè literis delitebat inscriptum. Quid est, nomen Mariæ de thesauro Diuinitatis euolui? An quia liber è tenuibus corticum philyris confectus, volumen priscis dicebatur; vtpote qui sua sponte conuoluitur, & vt legas, euoluere opus est? Certè exinde euolutio lectio est.
Cicero. Cicero lib. 1. de finib. *Quid historia, cognitioque rerum? Quid Poetarum euolutio? Quid tanta tot verborum memoria voluptatis affert?* Ergo Mariæ nomen intra volumen Diuinitatis dixeris: quod si euoluas, stylum Trinitatis lectitabis, in quo lingua
Psalm. 44. Dam. Patris calamus fuit, qui Verbum Virginei sanguinis atramento conscripsit. Iam capies Damian. qui post euolutum è Diuinitate nomen, statim elementa Trinitatis adiecit: *Ex per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa.* Per ipsum, & in ipso dicere debuisset. Hic character Trinitatis est. Communio, similitudóque Mariana coëgit, quòd literam flecteret, & in fœminam masculа Diuinitatis vocabula ex Trinitatis sodalitio, conniuente calamo detorqueret: de quo Damiani explicatu suprà iam egimus. Si membranam hanc Virgineam euoluas, Filium leges. Ab intus in pagina, Filij nomen est; à dextra, Matris, quæ nomen ex vtero traxit. Quare in diuinitatis albo meritò Mariæ nomen dixerim inscriptum, si in eadem charta post Filij nomen est. Ideò Mariæ nomen os Domini nominauit, quia iam nouo vocabulo in diuinis opus fuit, ex quo Mater diuini Filij effecta est: imposuit nomen, qui
Isai. 62. 2. ad societatem inuexit. Quid est *os Domini nominauit?* In vacuum diceris erogatam oris dictionem, cùm nomen non nisi ab ore proferatur. Benè os nomen imposuit, vtpotè matri Verbi ex ore progeniti. Quis nomen imponeret, nisi os; si ideò Maria nomen habet, & Mater est: quippe os in Deo est, quo loquitur, quo gignit. Adhuc discute stylum. Nomen non nominatur, sed res. Quid est ergo, quòd nomen os Domini nominauit? Adeò efficax, adeò substantiæ mire plenum est Mariæ nomen, vt ipsum sit, quod nominatur. Si Maria Matrem significat, & quidquid Maria est, Mater est; nomen ipsū nominatur, dum dicitur. Hæc est huius sancti nominis nouitas: ideò *vocabitur tibi nomen nouum.* Cur nouum? Quia semper quasi nouum auditur, quia non in aëris verberatione fluit; sed quasi ad modum

rei permanentis mira operatur. Franco Abbas de gratia noui testament. tract. 6. *Nomen namque Maria mirum quid suaue, atque diuinum in se continet: vt cùm sonuerit amicis cordibus, amicæ suauitatis odorem spiret. Eo mirum illud est de nomine Maria, & valde mirum, vt millies auditum, semper audiatur quasi nouum.* Franco Abb.

Mariæ Nomen *totius Incarnationis compendium.*

SECTIO VI.

VOCABVLI sancti à diuina sapientia delectus calamum otiari non sinit. Hæc 51.
mihi sententia diu hæsit: In nomine Mariæ, tanquam sub symbolo Sacramentum Incarnationis obnubitur, quod tamen piis mentibus, reuoluto velamine, aperitur. Si Maria *Deus ex genere meo* est; quid sanctæ huic dictioni deficit ad mysterium? Cur Euangelista quasi obliuionem pertæsus, calamum reflexit, punctásque syllabas resumpsit: *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis Maria?* En graphium Luc. 1.
reduxit, vocémque Virginis geminauit. Quia nomen tacuerat, reproduxit stylum: *Et nomen Virginis Maria.* Quóne cogitatu lacessitus? Quoniam inopinabile Sacramentum, difficiléque mysterium narraturo fidei semitam solidare opus fuit, sensimque audientium animos demulcêre, ne prodigij pondere quassati deciderent, vestigiísque lubrica fides cæspitantibus liberetur. Mariæ nomen præmittit, vt breui vocabulo totam cogeret narrationem, gemináque syllabâ mysterij pelagus prenderet. Si Mariam audisti, iam hausisti Sacramentum. *Deus ex genere meo* tota Incarnatio est. Quidquid intrinsecum vteri, quidquid extrinsecum gestosum, nomen hoc curtis elementis enuntiat. Non dissidet Simon de Cassia lib. 2. de Beata Maria c. 1. Sim. de
Nomen vero Virginis Maria. Quod sibi congruit, & mysterio. Docebat enim, vt ex proprio nomine tanto mysterio aptaretur. Etenim Filius nomen habuit competens actionibus eius. Sic & Matrem talem habere voluit, vt intrinseca, & extrinseca, nomen, & gesta in vnum concentum concurrerent; in vnum conflata, vnum ens virtutis immaculatum efficerent; vnum vas oderetur, in quo reponerentur omnia diuina mysteria. Sic ille. Verum mihi saliuam mouet Cassia.
Euangelistæ stylus: *ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & nomen Virginis Maria.* Dispar stylus est iste. Cur non, *& nomen Virgini Maria*, sicut *cui nomen erat Ioseph?* Putásne, vel apex decidit Euangelistæ Spiritu sancto imbuto, absque momento? Viro quidem Mariæ incrementum contigit abundans, ex sponsalibus cum Maria; ex Virginis dote locupletatus magnum sibi prouentum adeptus est. Virgo dedit, ille acquisiuit, Ioseph vocabulum augmentum sonat. Illi ergo nomen erat Ioseph, quia illi datum, non natum incrementum. Virginis autem proprium; non quasi de nouo acquisitum nomen fuit. In hoc nata, in hoc genita; vt Mater Dei esset, & ex vocabuli proprietate Virginei vteri promptā & ingenuam affinitatem ad Verbum Dei concipiendum sentiret. Ideò nomen *Virginis* ponitur in gignendi casu, possessorio iure: quia nomen genitricem esse mani-

festat, & ex gignendi styln compellat. Audi Al-
Alb. Mag. bertum Mag. in Mariali p. 21. *Quaritur de hoc quod dicie: Et nomen Virginis in genitino, & superius de Ioseph, cui nomen, per datiuum. Ad quod respondemus, quòd datinus construitur acquisitiue: genitinus verè possessiuè: & nemen Ioseph ascribitur per datiuum, quia significatione sua sonat augmentum, quod per sponsalia cum beata Virgine contracta, est accidentaliter acquisitum. Beata autem Virgo sanctificationem sui neminis non quasi de nouo acquisiuit, sed in hocetiam nata fuit: semper enim stella maris fuit, & tamen pracedentes se, & sequentes illuminauit, quia nisi per fidem Verbi Incarnati de Virgine, nunquam aliquis saluus fieret. Vnde ipsa in fide & hominum, & Dei electione, & confirmatione Domina, & Regina creaturarum omnium semper fuit.* Non sublimius aliquid speres. Non Virgini casu obtigit nomen, non gentilitia iura dedêre: oon stylo hominis, sed inditæ à primordio gratiæ inscribitur: naturæ, id est, natiuitatis fuit, vtriusque quidem, & Virginis, & Filij. Quia Filius gignendus fuit: dum gignitur Virgo ad illum generandum, iam Mater in nomine est, iam stella Maris: quæ etymologia, vt infrà dicam, etiam ex maternitate, Deique generatione entriuatur. Vide si in nomine noo iam Incarnationis Sacramentum libaueris.

52. Matth. 1. Consule matthæum: *Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Post generationis seriem ab Abrahamo vsque ad Ioseph figit Euangelista io stipite calamum, quasi regressurus iterato vestigio vsque ad arboris culmen Sic censebat
Remig. Remigius: *Potest autem ad superiora referri hoc modo: Sic erat Christi generatio, sicut dixi, id est, Abraham genuit Isaac.* Imò non sic erat: non ab homine satus, nec sicut progenitntes, progenitus Christus fuit, totus matris, nec portio viri est. Adoersatiuâ *autem* in hoc stat: Quotqoot præiacta generationum series inclosit, vir generauit; non fœmina absque coniuge. Ideò in pluribus nulla mulierum memoria infertur: si aliqua fœmina io aliis memoratur, nnn illi geoeratio adscribitur, sed viro. Inuersim in Christi generatione euenit: Ioseph vir mariæ est; nnn tamen Ioseph gignit, sed maria. En nouitas. En cur Euangelista nouam genesim ordiens, inquit: *Christi autem generatio sic erat.*
Chrysost. Chrysost. tom. 2. hom. 4. parum à principio: *Quasi enim aliquid nouum dicturus, pramittit modum generationis dicere: ne audiens virum Maria, astimes natum esse lege natura.* Benè. Quo ergo præludio ad tantum Sacramentum fidei auribus inferendum vtitur Matthæus? *Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Quam præpropera maternitas! Vix nubit, iam mater? Vno haustu, primoque totum mysterium deuorari festinat! Opus fuit mihi crede, ocyori matris dictione. Nequit à mariæ nomine vox matris dissociari. Sensim stillare res debebat Ne illicò ad Virginis partum stuperet auditus, & impeto sacramenti animus obrueretur: ingeniosè serióque Enangelista ordiens à Virginis nnmine, significatum eius illi ad latus appingit; vt qnos non terret nomen, non terreat & mysterium. Si mariæ vocabulum *Mater Dei* est, impauidusque auscultaris; cur ad historiæ seriem frangeris euitatus? Quod maria mater sit, nihil noui affert: hac voce lenitur auditus, vt pleno pectore
Chrysost. hauriat Sacramentum. Chrysost. hom. 4. in cap. 1. matth. *Cùm esset despensata Mater Iesu Maria: Non dixit Virgo, sed simpliciter Mater, vt sermo nihil in primis non afferens absque difficultate caperetur. Propter quod priùs præparans auditorem, quasi ad aliquid eorum, qua ex more veniunt, audiendum, & hac eum interim sibi expectatione detinere, tunc demum infert, quod iure omnes queant, & de nouitate rei, & de maiestate mirari, dicens. Prinsquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.*

53. Angalus è cœlo labitur, Virgineum paraturus sinum Verbo Dei. Adstat lumine cinctus ad Vir-
Luc. 1. ginis intuitum; vocem sic efformat: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Excidisse credas cœlestem legatum in deliquium vocis: vel ad pudicam Virginis lucem obstupuit, vel nouitate attonitus nuntij, immemorque soi nomen Virginis silentio sopiuit. Quod vel apud prophanos indecorum: cum nomine vocare paræmia sit salutationis veteris.
Claud. Claudianus 2. Stil. *Et nomine quemque compellat.*
Valer. Valer. 4. Arg.

Hortâtur, supplexque manus intendit Iason,
Nomine quemque premens.

Sallust. Et de Catillina Sallust. *Suorum vnumquemque nominans laudare.* Forsan sacra fœmina turbata est, & qualis esset salutatio, hærebat dubia, quam docuerat humilitas à laudis fascino se auertere; & benedictionis præconium, plenitudinisque gratiæ panegyrim non sibi, sed forsan alij institutam esse opinabatur. Ecclesia vrbanior nomen inter *Aue* & *gratiam* interiecit. Sic orat, sic salutat: *Aue Maria gratia plena.* Quàm faustum nomen ioter vtramque gratiam interiectum! Nam *Aue* est Græcum χαῖρε, quod effusam gratiæ indicit lætitiam. Nys-
Nyssen. sen. hom. 13. in Cant. *Gaude per gratiam dilecta.* Ergo inter duos gratiarum fluidos fontes nomen Mariæ interiectum, ab ipso gratiæ profluuio fortunato submergitur, vt hinc illinc æmulâ largitate gratiam effundant extrema, ebibat intermedium nomen. Sed absit in Gabriele incompta salutatio. Ars fuit, non error; ingenium, nnn casus. Toto oixu gestit facilè reddere Incarnationis prodigium, & dum assensum Virginis flectat, maturetque Verbi Dei in Virgineum vterum descensum, priùs grauidis ipso mysterio verbis lenit Virginis aures: Dominum esse cum illa pronuntiat, quasi iam sit in vtero, qui adhuc futurus: gratiæ plenitudinem in eius alueo stagnare pronunciat, cum adhuc plenus gratiâ, & veritate prospiciens erat per cancellos sacro grauidandam fœtu. Nutabunda timet Virgo. Eia Gabriel, exhibe clariori stylo nuncium. Exere nomen; forsan à timore leniet. *Ne timeas Maria.* Curnè non timeat? *Quia inuenisti gratiam apud Deum.* Sed iam se audiuit gratiâ plenam, & adhuc timuit. Non ergo timorem excutiet gratiæ inuentum, quem non pepulit plenitudo. Ne timeas, quia *ecce concipies, & paries Filium.* Sed iam audierat: *Dominus tecum.* Cur ob futurum Filium non timebit, si præsente secum Domino adhuc timuit? Quàm prudens Gabriel! *Ne timeas Maria,* quia *Maria*: si à proprio nomine non times, cur times à nuncio? Solùm adhuc periphrasim exposui nominis: exponant iterum nominis tui scholiastes. Pende huius nominis momenta, & ecce Genitrix eris Dei. Simon de Cassia de Virgine Maria, cap. 4.
Sim. de Cas. *In declaratione nomen Virginis exponitur, quod in prima salutatione tacebatur. Nam prinsquam Angelus experiretur, quid humilitatis esset in Virgine, cum ad Theotonicum nosceret affuturam, velut altè dignam ipse indignior nominare ipsam veritus est.* Quid est *ad Theotonicum affuturam?* Θεοτόκον, vox

est

Concil. Calced. Syn Const. est Deiparæ, à Conciliis decantata. Calcedonense diffinit, 2. Synod. Constant. col. 6. & 6. Synod. Act. 13. sub Agatone. Idem est ergo θεοτόκος, quod *Maria*. Timuit Angelus ab ipso conceptu Dei, inire nuntium: sic silet Mariæ nomen, quam nouerat ad Theotonicum esse adfuturam, id est, Matrem Dei futuram, post ipsam nominis literatam explanationem. Eumdem sibi fennè sensum allicit, quod cogitabat Albertus Magnus in c. 1. Lucæ: sic etenim morantem Angelum, nomenque Virginis Alb. Magn. conticentem excusat. *Omittit Angelus interponere nomen, Maria, quia in aliud tempus nominandum, postquàm gratiæ eius fuerant explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen non intelligeretur.* Ergo apud Albertum omne Angeli eloquium, scholium & periphrasis nominis fuit. Oportuit præludere explicatum, vt vocabuli Mariani momenta panderentur. Nec dixit Albertus: *Postquàm gratia eius fuerat explanata*; *sed*, *Postquàm gratiæ eius fuerant explanatæ*; vt maternitatis gratiam concluderet, quam nomen ipsum sub literatum cortice in nucleo ferebat.

54. Ildeph. Hinc forsan Ildephonsus de Virginit. Mariæ, c. 3. sic cum Gabriele agit: *Tu, sancte Gabriel Angele Domini, qui mitteris ad Virginem Israël, qui venis ad Matrem Domini, qui præparas ad singulare Virgineum decus in mundo; enarra, quid incorruptius, quid syncerius, quid integrius, quid solidius inter virginitatem maternam, & conditionem Angelicam.* Preme illa, *Qui venis ad Matrem Domini.* Imò cùm Angelus mittitur, nondum Mater est: pronuba vox Angeli nuptias peragit: assensus Virginis Filium Sponsum in vteri thalamo corporabit. Sat est, quòd missus fuerit ad Virginem, si nomen Virginis Maria: vt iam fracto cortice vocabuli ad Matrem Domini venisse dicatur. Synonymus stylus: venit ad Mariam: venit ad Matrem Domini. Non discrepat à phrasi Elizabeth: *Vnde hoc mihi, vt veniat* Luc. 1. *Mater Domini mei ad me?* Nunc in vtero fœtus coaluit, licèt ab initio cum perfectione humanæ naturæ: cur tam præpropere Matrem Domini appellat? Origenes apud Caten. S. Thom. *Matrem* Origen. *Domini nuncupat adhuc virginem existentem, præoccupans euentum ex dicto Prophetico.* Offendit illicò in illis verbis: *Adhuc virginem existentem.* Quando non virgo existens Maria? Annè partu nupsit intemerata virginitas? Absit. *Matrem Domini nuncupat adhuc virginem existentem.* Sic postquàm Virginem dixerat, appellauit Matrem Euangelista, cùm Mariæ nomen attexit. Sensus ergo est: Quæ solùm adhuc virgo videbatur, nondum Mater, Prophetico dicto Matrem vocat. Melius: Adhuc virginem existentem Matrem nuncupat, quia virginitas, & maternitas obuiauerunt sibi: Prophetico dicto Sacramentum euulgauit. Optimè: Nomen Virginis Elizabeth exponit, dum Matrem Domini nuncupat. Hoc sonat Maria. Ac si diceret: *Vnde hoc mihi; quod veniat Maria ad me?*

55. Non graueris, si adhuc nouiora molior, sed forsan digniora. Nuntium peragit Gabriel: submittit assensum Virgo, dicat thalamum, aras vteri sacro Luc. 1. pudicitiæ suffitu sacrat. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.* Secundùm quale verbum? Plura loquutus est Gabriel: quæ vox ex effatis erit syngrapha, fœdusque Diuinitatis, & vteri? Equidem nullum nuntij verbum absque alterius verbi nexu significatum plenum præbuit. Syllabum totius salutationis percurras; literas soluas, denecte dictiones, nullam inuenies absque comite significantem. Solùm *Maria* verbum significat solum: periodus perfecta est, non eget exteri verbi sodalitio: *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* id est, fiat mihi secundùm quod in Mariæ verbo delitescit. Id validiùs firmo. Quare ait, *Ecce ancilla Domini*, quasi moueat Angelum, vt illam respiciat, & sic secundùm verbum contingat Incarnatio? Seruorum frontes graphiis notabantur, vt alibi plenius do: puncta facies herili nomine herum præsignabat, de quo Suetonius in Calig. c. 27. Va- Sueton. lerius lib. 6. cap. 8. & calamus apud literatos diues. Valer. Quin & ipsum serui nomen aliquando celabatur in vultu. Ecce igitur ancilla Domini: in facie nomen Dei fero, alternâque vice nomen eius sortirâ sum. Si *Deus ex genere meo*, vocor, *fiat mihi secundùm verbum hoc*, quod protulisti. Intuere vibices pulchrioris seruituris in pulchriori facie: fiat in vtero, quod in fronte legis, quod nomen signat. Huc aduoco Purpuratum Damianum: locus suprà Damian. tritus est, sed alij muneri deseruiens; forsan penitiori frictu inhærentem sparget odorem. *Et statim de thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, vt sicut sine ipso nihil factum est; sine ipsa nihil refectum sit.* Nondum me pupugit Damianus. Addit: *Traditur epistola Gabrieli, in qua Salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* Hæc ille. Iam pungor. Nonnè de thesauro Diuinitatis prodiit epistola? Prodiit quidem, administratorioque Spiritui committitur. Si ergo in epistola tot sunt inscriptæ plenitudines, tot Incarnationis munera, totaque refertur œconomia, salutatio Virginis, & consensus; quomodò quod euoluitur è thesauro Diuinitatis, solùm est *Mariæ* nomen? Lautum pro elogio nominis Mariani fronti, quasi pileum Damianus applicuit. *Mariæ* nomen tota epistola fuit, tot grauida Diuinitatis arcanis. Omnia illa dicebantur in charta, & solùm inscriptum erat *Maria*. Sic igitur, dum Virgo rescribit, sat est dixisse: *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* secundùm nomen, quod audiuit ab Angelo, quod legit in epistola.

Ideò post discessum Angeli pergit Virgo festi- 56.
na ad montana: vixque à cognata Elizabeth audit, Luc. 1. *Vnde hoc mihi, quòd veniat Mater Domini mei ad me?* cùm subdit pro responso Canticum: *Quia fe-* Ibid. *cit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Ideò Mater Domini sum, quoniam ille, qui potens est, cui generatrix potentia ad Filium Diuinum gignendum astruitur in Diuinis, mihi fecit sanctum nomen, ex eius nomine transcriptum. Nomini potentiam adiungit, quod vel ex potentia Patris generantis, vel ex omnipotentia generationem Virgini impertientis emanauit. Fruor S. Gaudentio de S Gaudent. Natali Domini tract. 13. circa principium: *Hanc omnipotentiam Filij Dei, & hominis etiam Mater Virgo testatur: quæ de Spiritu sancto concipiens ita Deum & hominem, quem de pudico vtero gestauerat, edidit, vt apud incorruptam tanti nominis Matrem, post diuinum partum gloriosior integritas permaneret.* Pende illud: *Tanti nominis Matrem:* quod eum sensum reddit, *Incorrupta Mater ex nomine est.* Quasi incorruptio confestim ex nomine cognoscatur: quasi vocabuli sonus, quantumuis obtusus, & segnis, audienti omnipotentiam prodat, Matremque Dei hominis ostendat.

Mariæ Nomen totius in Christo vitæ fœcunditas est.

Svbsectio Vnica.

57. NVLLVS his benignior patronus Chrysologo, qui Mariæ nomen crebris acuminibus ad omnem maternitatis aduocat speciem, totiusque vitæ prædicat originem. Quòd enim nomen hoc sacratissimum totius Incarnationis syllabus sit, & elenchus, compta, & compendiosa definitio, conectet ex serm. 146. col. vlt.
Chrysost. *Nomen hoc prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis. Meritò ergo Matris Christi nomen hoc est maternum.* Nomen Matris maternum compellat. Pleonasmum diceres, & superuacuum incrementum orationis. Quoniam si Matris nomen est, maternum esse quis inficiabitur? Intortè versas Chrysologi ingenium. Imò, quia ipsummet nomen *Matrem* significat, *maternum* iure est. Quia *Maternum* est, Virginis Matris est nomen, non adscititium, non externum, seu appellatiuum solùm; sed quasi innatum, & substantiuum, vtpote quoniam in vnum cogit pudicitiam & vbertatem, feracem nuncupat, & virgineam natiuitatem sobolis, & pudorem Genitricis. Ideò enim tot illa præmiserat: *Hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne*, &c. Et vt in nomine totam Incarnationem adumbratam cernas, absque interstitio iungit: *Diximus, quare Mater sponsa, quare Ioseph sponsus, quare Mariæ maternum nomen, vt totum circa ortum Christi fuisse mysterium panderemus.*

58. Nec solùm Mariæ nomen ab auribus Virginis haustum replet Virginis vterum, datque Verbo Dei carnem; sed etiam quasi intentionaliter, & ad modum spiritus facitmentem parturire Christum. Sic dum concipitur à Patre nascitur vt Verbum. Emlar in horto sublatum Domini cadauer Maria Magdalena: Amasia erat; dolotis ad idtum defuncti Domini exequias agebat, lachrymisque innatans, iam non defunctum, sed raptum dolebat. Ast ille ligone terram findens, rusticalique sago indutus, fœminæ adstat obtutui. *Mulier, quid ploras*, ait. Ipsa
Ioan. 13. nec noscit Dominum, nec ignoscit lachrymis. *Tulerunt Dominum meum.* Cur non, ô fœmina, in vultu noscis Dilectum? Radiant oculi, maiestatis purpurà vernat facies: rusticatur inter viridem hortuli plebem, vilibus cinctus pannis; vultus idem est, quem antea amore petita depetibas. Et tu, Domine, cur sic trahis motas solamini? Pande nomen, Numen refera, Magdalenæ intellectus recognoscat; gignat verbum simile tui. Et ille dixit, *Maria.* Et statim mulier, *Raboni.* Mira mutatio! Vidit ignara, audit sciens: visos non prodidit Christum, prodidit vox; citior auris, quàm oculus. Communis est alij instituto Origenes homil. de Magdalena: *Vbi Maria audiuit MARIA, præsensit in nomine quandam singularem vocationis dulcedinem, & per eam cognouit ipsum, à quo vocabatur, esse magistrum suum. Tunc reuixit spiritus eius, & reuersus est sensus eius. Quumque Iesus vellet ad hoc adiungere, non potuit hoc Maria patienter spectare; sed præ nimio gaudio interrumpit ea dicens, Raboni.* Sic ille.

Origen.

Ergonè prima Christi resurgentis vox Mariæ nomen est? Non à recto tramite deuiabit, quisquis sic cogitauerit: cùm primo Matri apparuisse Christum, censeo sit non solùm Anselmi de excellent. Virg. cap. 6. Brigittæ lib. 6. Reuelat. cap. 94: sed & Nazianzeni in carmine Christo patiente, col. 39. 59.

Anselmus. Brigit. Nazianz.

Quonam ergo, Fili, sic subactis inferis
Contendis? Vbi te, nate, vbi, & quo tempore
Videbo? Ades, ades, & morâ posita tua
Offer Parenti te videndum aspectui.
Cuius videbis, vt puto, quàm cæteræ.

Si infracto lapide triumphans, se priùs exhibuit Matri, à nomine certè traheret eloquium, & ex stylo salutaret. Ideò non aliud vocabulum Magdalenæ auribus instillat priùs, nisi *Maria*: delinitus à voce, noluit à labiis expuere saporem. Quasi innato pondere rapitur lingua ad Mariæ nomen: quia ex eo extitit conceptus in vtero Virgineo. Mariæ vox dedit Filium vtero, dedit lapidi, & quasi reddit luci. Primum satis firmant præfata: reliqua duo iam probo. Iamiam spiritum traditurus in ligno, condens testamentum, legat Discipulo Matrem. Vis testamenti ministet scribit Ioannes, subscribit Dominus; cùm immediatè ad illa verba, *Ecce Mater tua*, adiicitur: *Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Dubito. Si post illa verba: *Ecce Mater tua*, omnia consummata fuisse sciebat Iesus, nihil potuit superesse consummandum. Cur confestim subditur; *Vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio?* Imò accepto aceto, *Consummatum est*, inquit. Certè nondum spongiæ succus tinxerat linguam; nondum perfricuerat hysopus, id supererat perficiendum, vt Scriptura omnis consummationis vidisset finem. Attamen vt cum voce Matris saporatâ linguâ emori intelligeretur, spiritumque emisisse, labiis Matris dictione dolcoratis, vix dixit: *Ecce Mater*, cùm iam omnia consummata sciuit. Nihil sanè superest post religiosam in Matrem pietatem: Mariæ memoria, Matrisque vox tempestati tormentorum oppofuit Iridem, traxitque alterno Sole inter nubes ærumnarum lucem. Licèt complementum deficiebat sitis: qui vltimam iam peregerat voluntatem, condito instrumento, Matreque legata, spiritum iam efflare parabat, vt in Mariæ finem faceret loquendi. Guerricus serm. 4. de Assumpt. *Cæterùm, cùm dilexisset eam Iesus, in finem dilexit eam, vt non solùm propter ipsam finem viuendi, veriùm & ipsam finem penè faceret loquendi, dum velut inter vltima verba testamenti curam Matris, cuius debitorem se cognoscebat, charissimo transcribit hæredi.* Ioan. 19. Guerric.

Hinc prima vox resurgentis *Maria* est. Cur id? Quia cum voce Matris decessit. Videas ingulandum parum nobilem: funere suo vestitus, conspicuus in suggestu collum præbet carnifici: oculos sepelit vitta, priusquàm lapis corpus: repetit anhelâ, sed tacitâ voce, nomen Iesu. Exerit spiculator machæram, horrent oculi prospectantis tnebræ vel ad vibratum ferrum: scindit à gula vsque ad ceruicem caput, quod etiam exectum, nomen ipsum, quod repetebat viuum, repetit mortuum: ingeminat saltus, adhuc spiritibus calentibus: & quod lingua discebat in mortis limine, loquitur post limen. Iam spiritum efflaturus Dominus, oculis & linguâ ad adstantem sub Cruce Matrem loquebatur. Moritur: & quantumuis triduo sub lapide delituit; cùm primùm redux surgit ad lucem 60.

lucem.idem nomen repetit,quo moriebatur. Fortunata vox deponit è ligno, leuat à saxo, quæ induxerat in vterum Verbum Dei. Qui è sinu Patris cælestis deductus est à Maria, ab inferis ob Mariã reuocatur: inde vox eadem, quæ vtero Filium Dei corporauit, in resurgentis ore confestim sonat. Huc aduoco illud Genes. 49. *Catulus leonis Iuda* (iuxta translationem Septuag.) *ex germine, Fili mi, ascendisti: recumbens dormisti, vt Leo, & quasi catulus Leonis; quis suscitabit eum?* Quã grandis dictio! quàm valida! Vtrumque copulatur, & quòd ascendat, vt germen, ex Iuda; & quòd dormiat, vt Leo. In primo, & in secũdo figurata loquutio inter se colluctatur. Ascendit ex germine, recumbens dormit; ascensus, & descẽsus citò iunguntur, quasi etiam recumberet ex germine, qui ex germine ascendit: vtrobique catulus leonis, vt *Filius* censeatur. Si flos ascendens ex virga Filius est, in vtero Virgineo satus; quid quod ex germine catulus leonis ascendere perhibeatur? Si moritur cum voce Matris; quid quòd ex germine recumbat, & dormiat? Quis autem suscitabit eum, nisi suamet virtus? Annè Mater eius? Profectò Diuinitas suscitauit. Auscultate tamen B. Thomam à Villanoua, expendentem præfata Genes. verba: *Quis suscitabit eum?* In die Resurrect. *Hæc igitur Virgo virtutibus suis Deum cælo deduxit; Hæc eum iterum suis clamoribus ab inferis reuocauit, sicut scriptum est: Quis ascendet in cælum, id est, Christum deducere? Aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum à mortuis reuocare?* Nouus est admodum hicce Thomæ cogitatus, nimiùm dixeris paradoxicum. Deus suscitauit Iesum: Diuinitas humanitatem è mortis vinculis eripuit, manubiæ triumphi è lapide sepulchri pendebant. Non vlla creatura potuit suscitare Creatorem. Ab inferis tamen reuocari dicitur à Mariæ vocibus, forsan quia vox prima resurgentis *Maria* fuit: resurgere dicitur ad vocem, qui cum illa voce resurgit. Quare seriò Thomas, *Suis clamoribus*, inquit, *ab inferis reuocauit*; ac si diceret, non suâ potentiâ, & virtute, sed clamore, & voce, seu nomine.

Genes. 49.

B Thom. à Villanoua.

Act. 4. 10. Ioan. 20. 5.

61. Quibus vt fidas, noueris, quòd nec fugatur mors, nec vita redit in Christo, nisi in Virginea carne, quæ refloret, quia priùs floruit in flore ascendente ex Virginea virga. Sub Mariæ nomine resurrectio Christi ostenditur, vt appareat hanc gloriam debitam fuisse Filio Dei, Verbo Patris, quem Maria secundùm ipsum Verbum, nempe iuxta nomen, & naturam concepit virgineè, & incorruptè. Cur ingeminat Marias Euangelista ad sepulchrum Domini festinantes? *Venit Maria, & altera Maria videre sepulchrum.* Quis non in nominis æquiuocatione impingat, ignoréque fœminas, etiam postquàm nominatas audiuerit; cùm parilitas vocis occasionem præstet erroris? Sedulus Euangelista Materno se nomini prendit, vt resurrectionis vita tutiori fide claucret, vterusque lapidis ex Matris nomine Christum peperisse crederetur. Sat est Mariæ nomen, vt etiam lapis rigens, algidus, infœcundus, vitalibus spiritibus incalescens, in vitæ fœtum erupisse credatur: nec nutet de mysterio mens, quando ex Matris vocabulo, vteroque Virgineo eruditur. Ideò accurata nominis repetitio, vt in altera Maria Christi Mater pandeterur. Iam Chrysologus serm. 75. *Maria, & Maria, sic altera vt ipsa, ipsa vt altera: altera ipsa, Ma-*

Matth. 28.

Chrysolog.

Zerda, Maria effigies,

ria, & Maria Mater Christi. Vnum nomen duas geminatur in fœminas. Venit Maria ad sepulchrum, venit ad resurrectionis vterum, venit ad vita partum, vt iterum Christus ex sepulchro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre; & eum, quem clausa virginitas vitam protulerat ad præsentem, clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam. Vide, in quem finem Mariæ nomen venerit ad sepulchrum, vt iterum Christus ex sepulchro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre. Quidquid ad genus vitæ conducit, siue ex generatrice, siue ex regeneratrice vulua, in Mariæ nomine, si Chrysologo arrideas, absconditur: vt mordicùs tibi figas, quòd huius vocabuli significatus *Mater* est, nec cuiuslibet, sed Dei, sed Verbi, in quo vita erat, & vita erat lux hominum.

Ioan. 1.

Mariæ nomen ad omne genus vitæ conducit, siue gignat nupta ex marito, siue Virgo ex virtute Dei, siue lapis sepulchri, siue vnda ex Spiritu sancto regeneratrix, *Mater* significat: quidquid ad vitam pertinet ex regenerationis origine, ab hoc superbenedicto nomine perfunditur. Quòd Virgo ex hoc nomine genuerit, Incarnationemque Filij Dei sibi adsciuerit; quòd ex hoc nomine vterus lapidis efflorescens inuentus fuerit, adhuc probauimus: iam alia firmo. Ipsamet Maria, quasi coram sumet nominis prolatione concipitur: vt ocyùs generaretur à parentibus Ioachim, & Anna, forsan nominis impulit accentus. Mariæ vitæ auspicium, Mariæ nomen fuit. Antequàm vuluam Annæ impleret, ecce Angelus ad Annam loquitur: *Missus sum ad te, Anna, vt annuntiem filiam nascituram, quæ Maria vocata, super omnes mulieres erit benedicta.* Quæ verba circumferuntur ex Hieronymo, seu Sophronio, & confirmat Fulbertus serm. de Natiuit. Virgin. Et S. Bonauentura in Psalt. Quid velox nuncupatio solicitat? Velocem, vt puto, genituram. Vocabulum naturam fouit, anilémque Annæ vuluam in generatricem virtutem acuit, & incendit, vt laxaretur in prolem, adeò fœcundam, & feracem, vt iam vocaretur Mater Dei. Diuinus Filius maturauit nomen, indiditque Matri, vt iam exinde velocis Incarnationis præiret auspicium. Mater Dei à Filio Dei nuncupatur, etiam antequàm Virgo conciperetur, vt posteà ex Virgine natus sortiretur illud nomen, quod est super omne nomen, Filiusque Altissimi vocaretur tanta celeritate, vt vix vterum Virginis incarnatus tetigerit, & iam nomen habeat Filij Dei, quod vt superiùs dicebamus ex Epiphanio, accepit Incarnatio in Maria, vt cum Deo Verbo vocaretur Filius Dei. En ex Mariæ nomine vita velox. En pernix Incarnationis accessus, ex quo Mariæ nomen præiuit. En præpes Virgini nostræ, antequàm concipiatur, *Maria* nomen imponitur, vt illicò conceptus in eius vtero homo Deus, citissimè vocaretur Filius Dei, & esset inter vtrumque nomen consonantia. 62.

Hieron. Soph. Fulbert. S. Bonau.

Ideò meditari fas sit, si pro fœnore nomen Iesu Christo impositum fuerit, quod illi rependerit Virgo Mater. Deus præproperâ festinatione nomen Virgini indidit, antequam Annæ vuluam impleret: nomen ergo, obligationémque Virgo pudica luit, cùm reciproca largitate nomen homini Deo vocat, & quasi ex Maria gentilitium esset, traducit in Filium. Curnè Angelus ad Virginem. *Et vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum?* Nónne Iesus Saluator est: quod Dei proprium, ad 63.

Luc. 1.

 creatu

creaturam non prævalet attinere? Certè sic cen-
Chrysol. suit Chrysologus serm. 142. *Virginitas non sibi*
parit Filium, sed parit pignus auctoris; & integri-
tas suum gestat Dominum, non alumnum, dicente
Angelo: Et vocabis nomen eius Iesum. Ergo si Di-
uinitas in nomine hoc significatur ex Redempto-
ris vittore; quomodò nominis appellationem Ma-
riæ muoeri irrogat Gabriel; præcipuè cùm attexat
impersonaliter, *Et Filius Altissimi vocabitur:* &
statim: *Vocabitur Filius Dei?* Et quidem, vt vi-
deris oomen hoc, in quo Diuinitas in mariæ ge-
nere cum humanitate connectitur, euenisse ab In-
Cyrill. carnatione Dei, quæ ex maria fuit. Cyrillus in
Caten. D. Thomæ ad præfata verba Luc. 1. *Et*
vocabis nomen eius Iesum; Hoc autem nomen de no-
uo fuit verbo impositum, natiuitati congruens car-
nis, secundùm illud Propheticum: Vocabitur tibi
nomen nouum, quod os Domini nominauit. Si os
Domini nominauit, cur nominis vocatio sub-
ditur mariæ? Saoè quia genus à maria est: infero
enim patre caret soboles hæc Diuina, cuius genus
à matre pudica est, sicut à Patre in superis absque
matre. Ideò quasi in solidum vtriusque sit; & os
Domini nominat, & maria vocat, quem iouocant
Græc. creaturæ. Græcus in Caten. suprà: *Dicit autem:*
Tu vocabis, non Pater; Patre enim caret quantùm
ad inferiorem generationem, sicut & Matre respe-
ctu superna.

64. Ideò celeritas fuit ad oomen Virgini impo-
nendum, quoniam ex nomine Matris fœdus Pa-
ter pepigit, non iam procrastinans dilecti pigno-
ris largitionem, sed statim Vnigenitum dandi.
Isai. 8. Quare Propheta: *Voca nomen eius accelera, citò*
prædare: quasi pennis pedes, tergaque cingeret,
vt citò veniret, & ad festinum cieret aduentum,
velocitas ipsa nomen fuit. Quale nomen? Dice-
rem, *Maria*, Seosus sit: Voca nomen Virginis, sic
accelera, sic citò prædare. Non alius flagrantior
stimulus, non velocior ala, qui pungat ad cursum,
quæ impellat ad volatum. Dum nomen pangitur,
Deus iam ex genere Virginis prædicatur. Ita for-
san Angelus nomen Mariæ inopinatò protulit,
quod suppresserat in exordio, vt celeritas Incar-
nationis vrgeretur. Vel ipse Pater, quasi citiùs
prolem ab vbere eius ablactasset, forsitan hoc no-
mine ad celeriorem Incarnationem admonitus.
Luc. 1. *Spiritus Domini superueniet in te*, Gabriel fatur.
Cur non ad te, cùm terminus Diuini illapsus sit
Maria? Sic accipio *in te*, id est, quasi tu sis baiula
Spiritus. Desino illud, an Mariæ meritis accele-
rata fuerit Incarnatio: suo loco tracto. Adeò exi-
miis animi dotibus præpetem, & alis velocioribus
circondatam adstruo Deiparam, vt ipsummet
Spiritum, qui vbi vult, spirat; vt citiùs veniret ad
Ioan. 3. Mariam, ventre videam in Maria. Nomen rapit
moras; & dum *Deus ex genere meo*, geminatâ vo-
ce clamauit, quasi rapuit Spiritum, vt super ipsam
Gen. 1. veniret. Sic lego: *Superueniet in te. Spiritus Do-*
mini ferebatur super aquas in orbis genesi. Noua
sanè super aquas cymba! Quisnè velocior, aqua,
an Spiritus? vnda, an ventus? Adhuc venti cient
fluctus, verberaque Aquilonis pelagus ictum iam
lambit sydera, iam suffocatur in arenis. Venti cal-
caria mouent vndis, stimolisque feriũt, vt cursum
peragant: ast aquas impellere ventum, & scapulis
vndæ gerulæ portare, dedecus aëris est, pudor spi-
ritus. Mirum spectaculum! Cursores vnda, & ven-
tus æmulo currant pede; & tamen priùs tangat
metam vnda, & quasi anhelum post terga ventum
trahat. O Mariæ celeritas! Vel ipse Spiritus sibi
lora tenet, vt currat celeriùs: ideò super aquas fe-
rebatur, quia congregationes aquarum vocauit
maria: etiam nominis syllabæ velociùs cucurre-
runt. Quàm consonum, *Spiritus superueniet in te*,
& *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Præstat
audire Amadeum homil. 3. de laudib. Virgin. *Tu* Amad.
singulari, & speciali nomine appellaris Mater Dei,
& ideo Mater salutis, Mater gratiæ, Mater
misericordiæ, Spiritus sanctus superueniet in te:
Superueniet in vbertate, in affluentia, in plenitu-
dine, & in effusione carnis, & animæ. Cumque re-
pleuerit te, erit adhuc super te, & super aquas tuas
feretur, facturus in te quiddam melius, & mirabi-
lius, quàm cùm ferebatur super aquas à principio,
vt materiam creationis in distinctionem, formam-
que produceret. Preme illud: *Erit adhuc super te,*
& super aquas tuas feretur. En Virginei maris
vndæ baiulæ sunt Spiritus sancti: vt volucriùs ve-
ctaretur, Mariæ vehiculum delegit. Ideò ab exor-
dio, quasi velocem vn lam exercens, & experiens,
ferebatur super aquas. An vt carperet diuerticu-
lum, otiaque sumeret ab aquarum hilaritate ille-
ctus? Imò vt ferueret ad opus, vt in formas distin-
ctionesque rerum materiam creationis vrgeret.
Aqua & spiritus eâ fœcunditate pollent, quòd ex Hym. Eccl.
aquis ortum genus partim remittitur gurgiti, par-
tim leuatur in aëra; feraxque generationis aqua
emblema est, liquidoque sinu tot fœtibus mare
grauidatur, quot vndis. Quanta in spiritu fertili- Ps. 147. 18.
tas! Flat, & fluunt aquæ: spirat, & arida turgent,
euirata virescunt, succidanea resorgunt, faciesque Ps. 103. 30.
terræ rediuiuâ creaturarum segete renouatur. Ideò
ex congregationibus aquarum Mariæ nomen: ideò
Spiritus super aquas ferebatur, vt, vtrâque vberta-
te coniuncta, Deus pro sobole gigneretur.

Hinc maris fœcunditatem præcellit Maria. 65.
Maris sinus profusa Poetarum procacitas absque
numero dat Numina: nimiùm effrænis mentiendi
cupido non potuit attingere Mariani maris feta-
citatem, à quo veritas orta est, Numenque, quod
ex propria indole, originisque ratione *Veritas* di-
citur. Numerosâ sobole gaudent maria; sed trans-
eunt, & fluunt, ideò correpta, & breuis vocalitas Genes. 1.
dictionis illis contigit: in Mariæ vterum longa
influit plenitudo, ex quo nomen mediâ productâ
efferri non infacetè iudicabis. Albertus Magnus Alb. Magn.
in Marial. cap. 162. *Tertia diei opus est congregatio*
aquarum in vnum locum, id est, Virginalem vte-
rum congregatio omnium gratiarum, Sed in hoc est
differentia, quòd congregatio aquarum appellatur
maria, mediâ correptâ: congregatio gratiarum ap-
pellatur Maria, mediâ productâ. Illa congregatio
aquarum breuis est, & transitoria, iuxta illud
Apocal. 21. Et mare iam non est: hæc autem est
perpetua, iuxta illud Luc. 10. Optimam partem
elegit, quæ non auferetur ab ea. Igitur Mariæ voce
ferax, tenaxque vulua insignitur. Generatricis, &
regeneratricis vteri ab initio mare symbolum est.
Si ignoras, experire. Cur in aqua Sacramentum 1. Cor. 10. 2.
regenerationis conficitur? Cur in mari apud Apo-
stolum, & in nube omnes baptizati? Certè quia
in Maria gignitur Deus gratiæ largitor, regene-
rationisque per aquam institutor. Sic Mariæ no- Exod. 15. 20.
men in Maria sorore Aaron, per erectos aqua-
rum globos sicco vestigio transiuit, generatricem
vndam in regeneratricis præsignans officium.
Chrysologus serm. 146. *Maria Mater vocatur:* Chrysol.
& quando non Maria Mater? Congregatio-
nes aquarum, inquit, appellauit maria. Nonnè
hæc exeuntem populum de Ægypto concepit vno
vtero

utero, ut emergeret cœlestis in nouam creaturam renata progenies, iuxta illud Apostoli: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Et ut semper Maria humana prævia salutis populum, quem unda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in cantico: Maria, inquit, soror Aaron sumens tympanum, &c.*

66. Præiacta solidantur ab ea, quæ nimiùm inualuit, huius sancti nominis ex Hebraica origine deriuatione. Prodidit Hieronymus libro de Nominib. Hebraic. Exod. & lib. de nominibus in Matt. in primo loco sic inquit: *Maria illuminatrix, vel illuminans eos aut smyrna maris, aut stella maris.*

Hieronym. Giselb. Beda. Euch. Bernard. Pro stella maris tenax est Hieronymus in ultimo loco, Giselbertus libro de altercat. Synagog. & Ecclesiast. Beda in cap. 1. Luc. Eucherius libro 2. instruct. Bernardus homil. 2. super Missus est. Communis expositio est, quòd Maria palantes in sæculi caligine, marisque procellis verberatos luce sua in portum inducat. Benè ista. Verùm Ecclesiasticum carmen me in insolitum rapit scholium, scilicet, quòd *maris stella* idem significet quod *Dei Mater*. *Aue Maris Stella, Dei Mater alma.* Hoc ultimum periphrasis est, censeo, & commentarius prioris. Id promptum esset cogitare, si transuersim positæ dictiones fuissent, hoc modo *mare stella*, siue lucis, quasi adeò fœcunditas huius Virginei maris progressa sit, ut lucem ipsam genuerit? Equidem nonnulli ex veteribus putabant stellas ex aquis nutriri;

Cicero. quin id de Sole scribit Cicero. 2. Nat. *Ergo cùm Sol igneus sit, Oceanique alatur humoribus; quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere.* Sic

Plin. Lucret. Senec. Zeno. & Plinius libro 2. cap. 78. Lucretius lib. 1. Seneca libro 2. natural. quæst. cap. 5. Diuidit Zeno, ex quibus humoribus nutriantur astra, inquitque *nutriri Solem ex mari, Lunam ex aquis fluuialibus, astra reliqua ex terra.* Est illud Anacreontis, Πίνει θάλασσα δ' αὔρας, ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν. *Potat mare auras: potat Sol mare.* Hæc nota Cerdensis

Cerdens. Virgil. est in illud Virgilij 1. Æneid. *Polus dum sidera pascet.* Quæ licèt neniæ sint, nugæque priscorum: cùm astra omnia non alimento indigeant, sed incorruptionis munere lætentur; tamen non illepidè præfatis famulantur: quippe è Mariano mari, uberique Virginis sinu non solùm innutritus fuit Sol iustitiæ, sed & genitus: ex quo mater non iouenustè potest appellari mare stellæ, si Stellam pro Sole accipias. Ast non opus est hac anxiâ transpositione dictionum. Stella Maria est, cui Filius Sol ob cuius generationem, quæ omnem fœcunditatem superat, stella maris nuncupatur: quippe, ut diximus, inter omnia creata feracius, & fœcundius mare est. Suffragium cu-

Alb Mag. pio ab Alberto Magno in Marial. pag. 23. *Per hoc, quòd dicitur Stella maris, tangitur proprietas conceptionis, quia sicut sydus radium emittit, videlicet sine corruptione, sine diminutione, sine pollutione, &c.* In quibus verbis Albertus, dum Stellæ maris significatum pollicitus erat, solùm videtur stellæ subdere proprietatem. Sat fuit magno viro Stellæ conceptionem pangere, ut non de stella quaque, sed de Stella maris intelligi oporteret; utpote quia stella ex se infertilis est ad aliam stellam generandam, lucisque natura arescit nimiùm ad prolem, nec fœtum, quæ lux sit, amat: ideò mare stellæ nectitur, ut lux & fœcunditas innotescat, ita turgens, & generatrice virtute fota, ut virgo Stella nullo masculo maritata vigore Solem ipsum parturierit. Quare præmiserat Albertus, *In summo nobilis est lux diuinæ naturæ: Unde lux ad illam lucem mediatissima, secundo loco est nobilissima: hæc autem erat Beatissima Virgo, quæ non solùm ab hac luce, sicut Luna Sole, illuminata fuit; sed sicut Aurora de se sola Solem produxit.* Id admiratus Bernar- Bernard.
dus serm. 1. de Beata Maria exclamat: *Iuerat Sol in Sydere, Oriens in Vespere, artifex latuit in opere.*

Mariæ Nomen, Mater, & Virgo.

SECTIO VII.

Adhuc Ambrosij etymologiam illustrare non pigeat. Mellea nominis mutat lepiditas. *Deus ex genere meo*, Mariæ nomen est: igitur non solùm Matrem (de quo adhuc discussimus) sed & *Virginem* assignificat: duo sese placido nexu deuinciunt, *Mater*, scilicet, & *Virgo*. Deus non genus conspurcatum amat, non temeratam uuluam suæ generationis patitur ministram. Si semel oritur, Virgo parens est. Id in superis consueuit, cui Paternus uterus intemeratis flagrat luminibus; cumque lumen gignat, nequit ex genitura violari. Utrumque Ambrosij etymologia illigat. *Deus ex genere meo* strenuè Matrem, & Virginem indigitat. Quo iure? Quoniam si totum genus à Matre est, procul abstitisse virum, necessum est fateris: qui, si functiones ageret genitoris, non totum genus ex Matre trahere Filium pateretur. Si censu per Matrem est, Virgo est. Quid est, quòd per Virginis censum describatur Christus? Adi Lucam cap. 2. post ea verba: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis*, subdit: *Ascendit autem & Ioseph in Iudæam ciuitatem David, quæ vocabatur Bethlehem, eo quòd esset de domo, & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.* Ut quid Lucas immiscet uteri fœtum, dum parentes recenset? Anne nondum edita proles censum subire cogebatur, & cùm adhuc portio viscerum Matris erat, professionem ageret cum Matre? Euangelistæ calamum nimium exuberauisse opinaberis, qui prægnantem prodidit Matrem, quasi uterus vocaretur ad censum. Id religio fuit, ut innotesceret Christum totum genus trahere à Maria, & ex Dauid, non per Ioseph, qui à thalamo abfuit, sed per Mariam censendum iri: ideò prægnans confestim Maria perhibetur, ne, dum uxorem audires, à Ioseph genus deduceres vitiatum. Nescit in censum absque fœtu venire Maria, ut tota origo ex Maria Deo homini deputetur. Quia Mater Virgo est, Dauidica radix per hanc virgam influit, florisque lux, flosque lucis non aliud genus amat, quàm virgæ, cui vir stirpem non subiecit. Auscultate Tertullianum aduersus Tertull.
Iudæos cap. 9. parùm ante finem: *Et quoniam ex semine Dauid genus trahere debebat Virgo, ex qua nasci oportuit Christum, euidenter Esaias Propheta in sequentibus dixit: Et nascetur virga de radice Iesse, quod est Maria; & flos de radice eius ascendet. Neque enim ulli hominum uniuersitas spiritualium documentorum expetebat, nisi in Christum; ex stirpe autem Iesse deputatum, per Mariam scilicet inde censendum. Fuit enim de*

patria Bethlehem, & de domo David, sicut apud Romanos in censu descripta est Maria, de qua nasci tur Christus. Ergo census Cæsarei finis Ioseph & Mariam ad professionem accersens, in id tetendit, quòd genus ex Maria traxisse Christus nosceretur: ideò prægnans iure Mater describitur, vt ex Matre stemma originis Filio contingeret. Quare consultò Tertullianus illa verba præmisit: *Ex semine David genus trahere deberet Virgo, ex qua nasci oportuit Christum*, quoniam dicturus erat per Mariam censendum: nec totum genus inderet Mater, si contubernium sponsi admisisset ad forum.

68. Itaque *Deus ex genere meo*, id est, *Mater, & Virgo* nomen Mariæ est. Quid nobilius? Quid ad Patrem diuinum vicinius? Ille nec virgo est, quin Pater; nec Pater, quin virgo: se transcendunt in Diuino Genitore virginitas & Paternitas: Deus de Deo Filius est, idem qui lumen de lumine, vt & puritas originis in luce, fœcunditas vteri in Diuina natura decantetur. Cùm Deus nobiscum incipit esse, cùm gignitur Emmanuël, simile Sacramentum è Patre cœlesti exculpitur in Maria, vt Mater, &
Isa. 7. Virgo nominetur, & sit Recole Isaiam: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuël.* Cuiusnè nomen hoc Emmanuël; *Eius*, inquit. Annè Virginis? Anne Filij? Curtum, mutilumque dices vaticinium. Duo prædixit Propheta; & tamen vnum nomen ariolatur. Si Emmanuël nomen Filij est quare subticet Virginis nomen? Acutè Vates sub breui vnius nominis charactere, & Matris, & Filij nomen illigauit. Si *Emmanuël* idem est quod *nobiscum Deus*: & præmiserat, *Ecce Virgo concipiet, & pariet*; id ipsum nomen Matris est, scilicet *Deus ex genere meo, Virgo, & Mater, Virgo concipiens.*
Richard. Aduoco Richardum lib. 4. de laudibus Virgin. pag. 254. litt. C. *Hoc nomen, Virgo Mater, non solum figuraliter, sed literaliter expressit Isaias, cùm dixit: Ecce Virgo concipiet, hic exprimitur Virgo: & Virgo pariet Filium: hic exprimitur Mater.* Et post nonnulla concludit: *Sic ergo ex veteri, & nouo Testamento colligitur hoc nomen Virgo Mater, quod admirans Esaias dicit: Quis audiuit vnquam tale?*

69. Inde lucem non modicam accipit disceptatio non ignobilis, an Maria præcognouerit se Deum parituram? Et quidem si momenta sui nominis callebat, & vsque ad Sacramentum occultum, mentis perscrutatione tetenderat, facilè se Matrem Virginem coniectaret, & prono argumento Deum sibi pro sobole rimaretur. Bibliis assueta sacroque eloquio saginata, altè tenuerat illud Esaiæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*: ibi Virgo cum partu, illibata Mater prædicitur. En Mariæ nomen: qui legit, intelligat. An proprij vocabuli elementa nesciret, quæ scientiam Altissimi, etiam in vtero, quasi in mentis aulâ edocta progenuit? Appositè admodum Il-
Ildeph. dephonsus serm. 1. de Assumpt. Virgin. *Sciebat enim Dei Genitrix in arcem diuinæ contemplationis assumpta, Dauidicis edocta testimoniis, processurum ex se Dominum, tanquam sponsum de thalamo suo. Non enim dubitabat ad se pertinere, Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isaiam Prophetam recolebat dixisse: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Ad Isaiæ vaticinium omnem Mariæ de Incarnatione notitiam ablegat Ildephonsus; inibi didicisse profatur, & ex eo alia Scripturæ, huius Sacramenti auspicia percalluisse notat. Quid causæ? Quia Virgo concipiens, Mariæ nomen est, quo altè fixo, statim Emmanuel, id est, *Nobiscum Deus*, procliui argumento deducitur, & omnis mysterij declaratio. Huc accerso S. Basilium M. hom. de human. Christi generat. Basil. M.
col. 2. *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet Filiū, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Vetus illa appellatio totius mysterij declarationem continet, nimirum, quòd Deus in hominibus futurus sit; quia, inquit, interpretatur Emmanuel, nobiscum Deus. Ne quis subuertatur Iudaicis cauillis, qui dicunt non Virginem, sed adolescentulam à Propheta dictam esse.* Talem sibi Emmanuel debuit originem præparare. Si nomen eius *Nobiscum Deus est*, quale putas Matris nomen, nisi *Mater & Virgo*, nisi *Deus ex genere meo?* Ita assuta cum sacræ fœminæ virginitate maternitas fuit, vt ex ipso nomine Virginis, quale præmiserat Isaias, Emmanuelis conceptio facem fidei præaccendisse videatur. Nomen Virginis in Virginis partum mentes vrget, & dum virginitatem auribus indit, maternitatem inspirat, quasi propriè *Virgo* sit, quæ absque viri contagio Deum gignit. Mirus est in hoc explicatu S. Epiphanius contra hæres. lib. 1. hæres. 30. *Ipse* Epiph.
Dominus dedit nobis signum: Ecce Virgo in vtero Apoc. 14.
habebit. Virgo autem non appellatur, quæ viro coniuncta est, & nuptijs copulata mulier; sed propriè virgo dici poterit, quæ citra virum, conceptionem Dei Verbi in veritate habuit. Insolita Virginis acceptio hæc. Ergonè non multæ virgines post Mariam, quæ & Agnum sequuntur, quocumque ierit; & tamen conceptionem Verbi in se non habuerunt; nec vterum Deo grauidum ferunt. cùm is honos Mariæ sit, nec comparem, quæ Deum pariat, admittat? Non promptum enodare Epiphanium, nisi fateamur ita loquutum, quia elucidat Prophetam, apud quem *Virginis* nomen Mariam indigitat, quæ dum concepit Verbum Dei, vernantiùs in virginitate floruit; & supremum integritatis coronauit fastigium.

Imò post Mariam iam vocabulum Virginis, etiam cùm aliæ fœminæ hoc pudicitiæ stemmate commendantur, in Virginis partum occultâ quadam & suaui vi animos auscultantium aduocat, & memoriam virgineæ fœcunditatis instaurat; non alia de causa, nisi quia pars nominis Mariani *Virgo* est, quæ in aliam compartem, nempe in *Matrem*, innato pondere trahit. Id suggerit 70.
Petrus Damianus serm. 67. in Natali virginum: Damian.
Inter cuncta Sanctorum gesta nihil est quod plus, quam sacrarum victoria Virginum pia corda vel ad amorem Conditoris accendere, vel ad fortiter agendum valeat vlteriùs excitare. Quis enim, audito nomine Virginis, non protinùs in memoriam reuocet humanæ salutis exordium, ac singularem illum non recolat intemeratæ Virginis partum? Mira virginitatis Marianæ potentia! Solùm in Maria partum sibi adsciuit, pudicique vteri prouentum sortita est: & tamen vox Virginis, etiam in aliarum virginum elogiis sonans, mox ad recolendum Virginis partum impellit. Quid causæ? Eâ fœcunditatis opulentiâ virginitas in Maria locupletatur; vt voci ipsi, fœcunditatis portionem, diuitemque censum impartiri videatur; vt quoties audiatur, in Virginei partus recordationem accendat.

Ast si Virginis nomen, ipseque virginitatis sonus in partus memoriam animos audientium 71.
pro

Luc. 1. propulsat: cur Lucas scribit: *Ad Virginem desponsatam viro. Et nomen Virginis Maria?* Si Virginis nomen *Virgo* est, vna dictio superfluè erogatur. Imò Mariæ nomen præmisit, vt qui Virginem solùm censebat, Matrem fateretur. Incarnationis prodigium facili voluit admonere dictione. Ideò Virginis voci addidit Mariæ nomen: nam si semel non crederet fœminam Matrem simul & Virginem fuisse; liturare debeas, & expungere Mariæ vocabulum. Superfluit Mariæ commemoratio inficianti Virginem & Matrem.
Athan. Acumen est Athanasij orat. De Diuinit. Christi col. vnica ante finem. *Quinimò & hoc admiratus sum, quomodo vel hoc cogitare ausi sint, eum naturæ ordine hominem esse factum. Si enim ita esset, superflua esset Mariæ commemoratio; siquidem non agnoscit natura virginem citra virum parientem.* Debilis planè scipio hic Athanasij à parum impigro intellectu videatur. Quid enim Mariæ commemoratio prodest, vt hæretici ubrundatur versutia, qui naturæ ordine Christum genitum fuisse blatterabat? Artificiola deductio! Vel Mariam non memora, vel crede Virginem peperisse. Ne superfluum sit Mariæ nomen, ipsæmet syllabæ mysterium Virginei partus etiam reluctantes edocent mentes. Mariæ nomen non naturæ, sed gratiæ est: quid naturam quæris, statoque ordini generationis fastidiosus perscrutator incumbis; siquidem non agnoscit natura virginem citra virum parientem? Iam tenes Athanasium, qui ex nomine Mariæ Virginem, & Matrem fuisse confirmat, cùm aliàs natura non sufferat eniti Virginem absque viro.

72. Parum hoc. Iam natura noscit genuisse Virginem ex commemoratione nominis assueta, quasi gratiæ Sacramentum ob naturalia huius vocis elementa transierit in naturam. Non tædeat plena ex
Epiph. Epiphanio verba notare lib. 3. hæres. 78. *Vnde est hæc malignitas? vnde tanta audacia? Ipsum nomen non testimonium præbet? non persuadet te, ò contentiose? Quis vnquam, aut quo sæculo ausus est proferre nomen sancta Maria, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? Ex ipsis enim nominibus epithetis, etiam virtutis signa elucent. Dignitates enim appellationum acceperunt Iusti, vnicuique decenter, & prout congruum fuit. Et Abrahamo quidem impositum est epitheton Amicus Dei, & non dissoluetur: Iacob verò vt Israël vocetur, & non alterabitur: & Apostolus Boanerges, & non relinquetur: & sancta Maria vox Virgo, & non mutabitur; impollata enim permansit sancta. Ipsa natura non docet vos? O nouam insaniam, ò noua negotia!* Duo me feriunt in Epiphanio. Primum ex illis verbis: *Et sancta Maria vox Virgo, & non mutabitur; impolluta enim permansit sancta.* Si vox solùm Virginem fuisse significat, cur permansisse impollutam adiicit, quasi vox ipsa aliud significare videatur; nempe partum, fœtumve, quo solet virginitas infigi? Probè: nam Mariæ vox Virgo & mater est, cuius virginitas ex maternitate non calamitatem pudoris subiuit. Ferit serius secundum, nempe illud. *Ipsa natura non docet vos?* Certè non docet. Non in naturæ aula hæc personat disciplina: non naturæ dogma est, originisque institutum, impercussam virginitatem edere prolem. Dixit suprà Athanasius: *Non agnoscit natura virginem citra virum parientem.* Qui ergo edocet apud Epiphanium, quæ apud Athanasium non noscit? Fusiùs alibi Epiphanij sensum explano. Nunc nomen Mariæ enodationem præbet. Innata nomina, & naturalia dicuntur, quæ rei indolem, proprietatemque compendiosâ voce declarant, & definiunt. Aptum rei vocabulum prompta rei definitio est. Ex quo apud Philosophos essentia, & species est, quæ significatur per nomen. Maria à primordio in Filij Dei Matrem instituta fuit; nec forsan in diuinæ prouidentiæ autographo scriberetur, nisi Filius Dei decerneretur in carnem, cui sacra fœmina in genitricem parabatur. Ideò quidquid Maria est, ad huius generationis vergit ministerium; ideò & nomen appositum *Deus ex genere meo*, siue *Virgo Mater*: quo vocabulo iam supposito, ipsamet natura vi[illegible]tur Virginem & Matrem fuisse, edocere. Si nomen à forma inditum, naturæ nomen dicitur; *quid* quod naturæ nomen dicatur Maria, cui forma Dei consita in vtero, Virginem, & Matrem ostendit? Quousque tandem infelix calliditas desipiet? quò malignitas gradietur effrænis? (sic accenditur Epiphanius) *Ipsum nomen non testimonium præbet? Ipsa natura non docet vos?*

Ergo *Virgo* nomen Mariæ est, non sterili, & vacuâ dictione, sed vberi, sed fœcundâ, & Matris incremento adauctâ. Commune vocabulum in Mariæ iura transiuit, & in proprietatem sacræ fœminæ, quasi naturâ conniuente, adscitum est; quippe in qua omne tulit punctum virginitas, dum ferax effecta est, & vterum habuit. Ea causa est antonomastici huius attributi *Beata Virgo*; quod, cùm profertur, cùm auditur, statim Mater Dei intelligitur. Ex quo Albertus Magnus in Luc. c. 1. expendens illa verba, *Beatam me dicent omnes generationes*, sic fatur: *Et Beatam me dicent, id est nominabunt: & ideo sicut secundùm Poëtas Tonans nominatur Iupiter, & Paulus secundùm Sanctos intelligitur, cum dicitur Apostolus: ita cùm dicitur Beata Virgo, intelligitur Mater Dei. Nec aliter est nominanda, quàm Beata Virgo, ex quo ipsa sibi hoc nomen ab omnibus deberi ait.* Certè Alberti progressus non sibi constare videtur: asserit, quòd *Beata Virgo* nomen Mariæ est; nec aliùs vocabuli [illegible] obsequium: quoniam ipsa hoc nomine se indixerit appellandam in illis verbis, *Beatam me dicent.* Beata quidem: sed ibi non cum virginitate nectitur beatitudo fœminæ sanctæ; sola decantanda præsagitur. Ex quonè altera compars, nempe *Virgo*, in Alberti calamum irruit: Vlteriùs: [illegible] est, quòd Beata virgo confestim Mariæ nomen auscultantibus suggerat; id immediatius est: apud Albertum tamen quod proprius intelligitur, est Mater Dei. Probè cogitauit. Recordare, quòd prima Mariæ laudatio, recordatioque, à muliere fuit, quæ inter turbas fidem cum voce leuauit, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Quæ beatitatem ventri coniunxit virginitatem Matris fassa est: si enim in beatitudinis regnum coinquinatus non intrat, beatus venter nullo potuit inquinamento temerari. Prima, quæ Mariæ vaticinium impleuit, hæc mulier fuit. Dixerat illa: *Beatam me dicent:* si hæc, dum Beatam prædicauit, ventrem attexuit in illa beatitudine, quam sibi præsagiebat Maria; & virginitatem, & maternitatem didicit: vtrumque pulchro encomio copulauit *Beatus venter*: quà *venter*, Matrem; quà *Beatus*, Virginem enunciat. Meritò hoc acuminis introspexit Albertus, qui

73. (margin, beside "Ergo Virgo nomen Mariæ est")
Alb. Mag. (margin, beside "tim Mater Dei intelligitur. Ex quo Albertus Ma-")
Luc. 11. (margin, beside "Beatus venter, qui te portauit")
Apocal. 21. 27. (margin, beside "nullo potuit inquinamento temerari")

qui ex illo varicinio *Beatam me dicent*, solidè arguit, quòd Mariæ nomen *Beata Virgo* sit, seu *Mater Dei*.

74. Matth. 1. Idipsum strennè roborat, quod Angelus dixit in somnis ad Ioseph, *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, Cur addidit *Coniugem tuam*, cùm non de Ioseph, sed de Spiritu sancto vterum ferre pronunciet? Incassum memorat coniugium, si non thalami fœtus ille est, sed supernæ virtutis. Si aliqua vox in dubium poterat virginitatem vocare, vox coniugis est: & tamen Angelus, dum Virginem probat, coniugem appellat. Mariæ nomen in causa fuit: nequit vel leui opinionis famae notari? Virginem simul, & Matrem ostendi; non ex coniugis vicino vocabulo periclitatur. Setiò coniugem addidit ad nomen; agebat etenim cum sponso, qui ex zelotypiæ iure fastidiret coniugem sibi nooccupari, quam impuritatis vestigia turparent. Ex nomine coniugis solicitus animus viri pacatur: ex quo tuiè coniugem audit, ex Spiritu sancto concepisse peruiâ fide suadetur. Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. Matth. *Nec verò nomen Virginis memorasse contentus, addidit coniugem, haud ita vocaturus, si corrupta fuisset. Coniugis autem nomine Sponsam intellexit.* Quia iam ex nomine pacatus, soporem eluit, æstuantesque fluctus, quibus ex vteri tumore sponsus agitabatur, compescuit: subdit Euangelista: *Exurgens autem Ioseph fecit, sicut praecepit ei Angelus, & accepit Mariam coniugem suam. Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium.* Quàm religiosa sedulitas obedientiæ! Eadem vestigia petarat, quæ presserat Angelus; eodem stylo iussis obtemperat. Dixerat ille: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Hic autem: *Accepit Mariam coniugem suam.* Vbi Glossa: *Non tantùm, quod praecepit Angelus fecit, sed etiam sicut praecepit.* Magis demiror, quàm fideli librâ trutinet verba Matthæus. Cur repetit præfata verba, quæ Angelus protulerat? *Et accepit Mariam coniugem suam.* Profectò ingeminat nomen, vt armet virginitatem. Tuta pudicitia graditur ad sponsum, qui nouit sponsam Mariam nuncupatam: si noscit ex nomine, nequit ex toto nonisse: ideò subinfertur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium.* Putasnè, cognouit post? Improbè vocabula calles. Si posteà seruauit nomen, nequiuit amittere pudorem. Simon de Cassia lib. 2. cap. 18. *Accepit namque Mariam coniugem suam, vtpote Spiritu sancto comprobatam, atq; fœcundatam in communem habitationem, & contubernium honestum. Quam cognoscens ex nomine, ex sanctitate, atque ipsam factam habitaculum Dei super terram, nec approximatione corporis, nec aliquo motu matrimonij consummandi per copulam carnis cognoscebat eam.*

Chrysost.

Matth. 1.

Glossa.

Simon. de Cassia.

75. Isai. 9. Quòd Virgo mater nomen mariæ sit, lubet aliquantisper probare ex Iudæis. Rabbinorum proceres Messiæ aduentum odorati sunt in illis verbis Esaiæ 6. *Vocabitur nomen eius admirabilis; Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Grande mysterium inuenerunt in illo למרבה *Lemarbe:* nam ם *Mem* debebat scribi aperta, quia in medio dictionis est; & tamen scribitur clausa. Causam nouitatis ex Mariano nomine concludit Hieronymus à Sancta fide, qui ex Iudæo Christianus scripsit contra Iudæorum perfidiam, & Thalmud: extat apud Biblioth. tom. 14. sic libr. contra Iudæos cap. 2. fatur: *Dico quòd ab hac auctoritate possumus concludere tria. Primò, quòd Messias est Deus, quia dicti tituli nequeunt præterquàm in Deo iustificari. Secundò, quod Messias est de Beata Maria Virgine natus, ipsa in sua virginitate manente. Illa enim littera ם Mem nomen suum ostendit: & siue in Arabico, quia dicit Miria; siue in Latino Maria, vtrumque nomen incipit in ם Mem. Verumtamen, secundum veram orthographiam ly למרבה lemarbe, & multiplicabitur, debuit scribi cum מ Mem aperta; sed ideò hic singulariter posita est Mem clausa ם in medio dictionis, vt huius Virginis Mariæ virginitatis esset prænuntiatiua.* En apices, & puncta! & qui ab indoctis graphij casus putaretur, pro Mariana virginitate, fœcunditateque propugnat in nomine.

Hieron. à S. Fide.

Finio ex Ambrosio Ansberto lib. 2. in Apocal. *Certè affirmare non audemus, in illa superna beatitudine aliquem Beato Petro Apostolo anteferri, præter Beatam illam, ac sacratissimam Virginem, quæ de singulari merito, atque integerrima Virginitate, & Sponsa simul, & Mater effici meruit Dei. Quod nomen vlli nunquam alij diuina largitate concessum est. Exuperat igitur hic solum omnium Sanctorum merita, cum vna, eademque puella, & Virgo, & Mater remanet sempiterna.* 76. Ambros. Ansbert.

Maria in Nomine correctio Euæ, cui nomen ab Adamo prius Virgo, *deinde* Mater.

SECTIO VIII.

EX Isaiæ vaticinio, Patrumque calcolis fulcimmus suprà, quòd nomen Maria Mater, & Virgo sit. Noua suppetunt acumina. Discotere fas sit, an id in nostra Virgine singulare: an sit alia fœmina, quæ aliquando nomine virginis, nomineque matris fuerit insignita. Absit. Tinniunt aures, statim fidelis reclamabis insultor, cùm differentius præ cæteris Virgo virginum nomen hæreditauit, vt mater esset cum virginitatis honote. Ast ecce circa orbis exordium vtroque nomine vocatur generis humani Primigenia. Sopor altus rapit Adamum: ex osse dolatur fœmina: somnum excutit ille, eluit ecstasim, & concitatis verbis sic fatur: *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*. Quanto pudoris stemmate prima puella nominata est! Nam *virago* idem est, quòd virgo, dixit Fulgentius. Connubin paratur, & virgo vocatur à marito, vt nosceret orbis se pro dote, pro suppellectile, & censu virginem fuisse sortitum. Quàm nobilis nomenclatura, non à gentilitio sanguine, non ab adustis, & attritis imaginibus quæsita, sed innata! Secedit puella ab Adamo per virera paradisi perestat, iterum à latere coniugis auulsa vidit, loquuta est, manducauit, & perijt: nam eam malus abstulit error. Inescat Adamum: stat vindicaturus iudex Deus, decernit pœnam, mandat hominem ligoni, puerperij doloribus fœminam, Et ecce *Adam vocauit vxorem suam Euam, eo quòd esset mater cunctorum viuentium.* Nonne vides, quòd virgo & mater nuncupata sit prima fœmina? Cur tam cita supe 77.

Gen. 3.

Fulgent.

Gen. 3.

superadditio vocis *matris* ad vocem *virginis*? Sanè, quia iam vel oculis, vel manu pudorem nominis obturpauerat. Iam non virago est, non masculam virtutem à viro sumptam retinuit: mulier est, non viri pars: mollis est, non virilis: fœmina est fœmineis temeranda. Periit primum nomen, cùm secundum imponitur. Ergonè non erit fœmina, cui vtraque vox in vnum coëat nomen efformandum? Erit sanè in temporis plenitudine. Concipitur fœmina baiulatura Deum, cui nomen Virginis & Matris *Maria*: vt si prima fœmina *mater* fuit nominata, sed non integra, quia nomen virginis amisit; noua fœmina maneat integra, & mater sit. Sic luderem
S. Zen. voce Zenonis serm. de fide, spe, & charit. vbi ait: *Euam in Mariam redintegratam*, quasi Maria sit Eua redintegrata, id est, Mater integra. Rem acci-
Sanctius. Rex. pe ex Sanctio Castellæ & Legionis Rege tit. 18. sui Lucidarij: *Expergefactus Adam è somno, prope se stantem fœminam conspicatus, virginis nomen indidit, quoniam ex viro fuisset formata: quod nomen retinuit, donec peccati insidiis correpta, tunc mulier appellata est, rem mollem, & leuem significans. Ast Maria ab Angelo salutata noluit acquiescere, donec adæquatè rationem nouisset legationis Angelicæ: essetnè sine errore, & dedecore suo? Hac igitur fœmina virago debuit nuncupari iure potiori, quàm Eua: nam nostra Virgo virago erat.* Igitur Maria sola Virgo, & Mater est, quæ adeò arctè virginitatem, & maternitatem constrinxit, vt supra omne viraginis robur se solâ virum genuerit: nec solùm *virago* remanserit illibato pudore; sed potiùs tunc ob floridiorem puritatem nomen *viraginis* in *Virginis* nomen colliquauit, & expressit; vt quod virginius fuisset in prima fœmina recens creatâ, ad eximiam virginitatem, etiam dum Mater fiebat, ex-
Simon de Cassia. coleret. Pulchrè Simon de Cassia lib. 2. de B. Maria cap. 1. *Ad Virginem mittitur omnino impollutam. Virgo primitiuum fœminæ nomen: appellauit enim Adam suæ naturæ primam consortem virago, eo quòd de viro sumpta esset; sed syncopato verbo, remansit hoc, quod dicimus virgo, quæ est secunda pulchritudo humanæ naturæ, vt prima, quòd sit; secunda, quòd virgo consistit. Diuina Virgo filia Patris æterni, Mater æterni Filij, plus habet in occultis suis, quàm capiat hominum mens.* Perquam bellè! *Vt prima quòd sit; secunda, quòd virgo consistit.* Fit Eua virago; sed illicò viror emarcuit, vigorque floridus vulneratus occubuit. Maria Virgo est ex viragine, nomine per syncopem colliquato? quia etiam, dum Mater fit, Virgo consistit.

78. Chrysip. Sophr. Iust. Epiph. Ex quo iam nosco, quare Patres Mariam Euæ correctionem appellitent: sic Chrysippus Hierosol. orat. de Deipar. Sophronius serm. de Assumpt. Iustinus dial. cum Tryphone, Epiphanius hæres. 78. & tota Sanctorum cohors. Cur correctio? Desino plura, dum nouæ cogitationi inuigilo. Quale nomen primæ fœminæ? Primum *virgo*, deinde *mater*. Quale nomen primæ fœminæ? *Mater & Virgo*. Nam *Deus ex genere meo*, quasi priùs matrem
Chrysolog. sonat, quàm Virginem. Vnde Chrysologus infrà expendendus serm. 146. ex posteriori virginitatis manifestatione anteriorem maternitatem arguit: *Quomodò non ante conceptum Mater, quæ post partum Virgo permanet?* Sanè maternitas supra virginem virginitatem polluit in Eua; marcescit virginitas, genituræ contagio. Ast si maternitas præcedat, deinde superstruatur virginitas (quod Mariæ miraculum est, non datur secundæ) adeò virginitas æternat, vt nullâ possit maculâ temerari, quippe quæ in suomet contrario fulcitur: nam virginitatis hostis solet esse maternitas. Si igitur in ipsa maternitate fundatur virens, innocua, sancta virginitas, nullus iam remanet inimicus. Corrigat ergo Mariæ nomen, nomen Primigeniæ: illa virgo, & pòst mater, quam illicò ad maternitatis bipennem fracta virginitas! Hæc Mater, & Virgo primas Solis luces in fœcunditate, & virginitate deuincit. Sit itaque correctio Euæ.

Mutans Euæ nomen, canit Ecclesia. Solet in- 79.
telligi hæc mutatio, quod transuersis literis *Aue*, sit idem, quod *Eua*. Piæ quidem, & deuotæ mentis est hæc meditatio. Attamen cùm Angelus vel Græcè, vel Hebraicè loquutus sit, & non nisi dialecto Latinæ conueniat hæc transpositio: non sic Ecclesiæ mentem acciperem; præcipuè cùm id non sit mutare nomen, sed penitus corrumpere. Quando itaque mutatio intercedit? Cùm è situ pristino vel voces, vel syllabæ euelluntur, Eua vocata est virgo, & deinde mater: transuertit vtriusque vocis situm Deipara: Mater est, & Virgo: vt sic mutuans Euæ nomen, ad primitias vitæ variegata permaneat. Verba sunt hæc Athanasij, quæ aliud institutum dederunt alij: nos ad nostrum premimus: sic ait: *Ac proinde ista noua Eua Mater vitæ* Athan.
appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Vim illius vocis *Variegata*, nullus adhuc explicuit. *Variegatus* idem est, quod varijs picturis distinctus, Græcè ποικίλος. Illud itaque quod quasi dissitis, & extremi generis rebus componitur, variegatum dices. Virgo & Mater non potuit in orbis exordio permanere prima parens: partem nominis perdidit, cùm partem custodiuit. Ast Maria variegata permanet ad primitias vitæ immortalis: vt sicut Eua, fracto pudore, facta est mater vitæ corruptibilis, quia pudoris amissio, corruptio est; ex quo non permansit vtriusque vocis nomine variegata, scilicet *virgo & mater*: sic Maria, quæ nomen Matris habet cum virginitatis honore, variegata permansit ad primitias vitæ immortalis; quasi quæ immortalitati primam parauerit incorruptionem, quæ est propria castitatis dos. Variegata permanet, quæ permanet post partum virgo. Gregorius Nyssen. in Nyssen.
die Natali Domini: *O rem admirandam! Virgo Mater efficitur, & permanet Virgo. Cernis nouum naturæ ordinem? In alijs mulieribus, quandiu aliqua est virgo, non est mater: nam posteaquam est facta mater, virginitatem non habet: hîc autem vtrumque nomen in idem concurrit; eadem enim, & Mater & Virgo est*, En in eo nouitas, quòd vtrumque nomen in vnum concurrit id Euæ nomen nequiuit adipisci. Suffragetur Augustinus serm. 10. de Na- August.
tal. Domini: *Talis eligitur Virgo de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, vt Dei Filium in semetipsa susciperet, & post partum omnimodò Virgo permaneret. Aue, inquit, Maria gratiâ plena. Virginitatis iura seruabis, Filium habebis, & nomen Virginis non amittes.*

Prima virgo ad officia matris palluit, exciccatus 80.
est flos, aruit viror. Obseruastine? Confestim ab Adamo Eua, id est, *mater* nuncupatur, postquàm Gen. 3.
Dominus sanguineis eam partus fæcibus addixit, & cruentis sordibus mancipauit, vt nosceret, quòd desineret virgo, quæ inciperet mater. Secundam autem Virginem, antequam *Virginem* appellet Angelus, Matrem enuntiat: *Ne timeas Maria: ecce concipies, & paries:* postea illa Virginem se vocat:

Luc. 1. vocat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ergo nomen inter Angelum & fœminam partitis vocibus, pronuntiatum fuit. Angelus Matrem dixit, fœmina Virginem: & ex vtroque vnum *Mariæ* nomen est; sed quasi priùs Mater, deinde Virgo, quæ sæculi generanit Auctoré: nam Angelus nomini illicò asluit: *Ecce concipies in vtero, & paries*; velut si scholium adderet ad nomen, quod protulit: *Ne timeas, Maria.* Vocabuli *Maria* commentarius est *concipies, & paries.* Qui Mariam vocant, Matrem Dei dixit. Hæc denominatio, primæ virginis per matris munus corruptæ eludit probra, medetur vulneri, impudicasque plagas, multoque situ squalentes, effuso nominis oleo perungit. Audiendus est Hesychius homil. de Deipara, ad princip. Πρὸς ἣν πρὸ τῶν πάντων ὁ τῶν ἀρχαγγέλων Γαβριὴλ ἐκβοήσας πρῶτος· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ. Ἰδοὺ γὰρ συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ. [illegible] φῶς. Id est: *Ad quam ante omnia Gabriel Archangelus primus exclamauit: Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Ecce enim concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Emmanuel. Fausta Gabrielis nuntia fuerunt illi mox initium lætitia. Cùm enim prima virgo concluderetur molestijs per sententiam condemnatoriam ob transgressionem inflictis, & ab ea gemitus plurimi prodirent, omnisque mulier illius causâ in dolore esset constituta, & partus omnis propter eam, acerbitatem pateretur. Secunda Virgo ex denominatione etiam Angelica miseriam omnem fœminei sexus repulit, omnemque tristitia fontem, qui inter pariendum adesse solet, obstruxit, & nubem desperationis; qua premuntur mulieres in partu, dissipauit, & lumine lætitia apud contribules coruscare fecit.* Hæc ille: quibus luculenter præfatis adstipulatur Hesychius. En virginem vocat primigeniam Euam; sed iniuriis partus laceram, fæculentam, virginitatisque contuso flore marcidam, & cineream: in qua virginitas & maternitas stricto se mucrone confoderunt. Cæterùm secundam Virginem, idest, Mariam, ex denominatione Angeli in matrum medelam inducit. Ast denominatio hæc ab Angelo prolata, *Maria* est, in illis verbis, *Ne timeas Maria*: ergo in nomine Mater vocatur.

Luc. 1. Non te lacessunt illa, quæ appingit Gabrieli: *Paries Filium, & vocabis nomen eius Emmanuel?* & tamen Vatis, non Angeli sunt, qui dixit: *Et vocabis nomen eius Iesum.* Sed scitè Hesychius sensum sequutus, illud ex Propheta mutuatus, Mariæ impulit nomen. Si *Deus ex genere meo* est, quis nisi Emmanuel Filius, id est, *Nobiscum Deus.*

81. Sed si Mariæ nomen *Mater & Virgo* est, forsitan in non leue periculum incidimus. Diximus superiùs, nomen Mariæ ante sacram fœminam conceptam, à sancta Trinitate nuncupatum. Cur tam cita vox, cui tot menses supersunt, vt lucis sit sub vsura, quam nominat? Concipiat Anna, siccitas vuluæ floreat, coaguletur infantula, prodeat è sinu, oriatur orbi Stella nitens, veniat decimus quintus dies imponendo nomini decretus; vel, vt aliorum sententia fert, octogesimus ab ortu, & tunc nomen euoluatur, ne otia ferat, ne tot diebus inane. Si enim Maria idem est, quod Mater, & Virgo; nondum mater est, quousque concipiat. Nomen à Deo iners non est. S. Thomas super Epist. ad Roman. lect. 1. *Nomina diuinitùs imponuntur quibusdam à principio natiuitatis, ad designandam gratiam, quam à principio consequuntur.* Licèt ex nomine ante conceptam Virginem indito, gratiam conceptionis arguo ex S. Thomæ præfixo loco, educensque lapidem primarium decanto cum Propheta, *Gratia, Gratia*: quomodò expediam, quòd Nomen pluribus lucibus iners non sit & vacuum, si semel Maria matrem significat? In hoc super sydera Mariæ conscendat elogium. Mariæ virginitas, vt infrà expendam, ad maternitatem Dei sigillata est, qualis virginitas Diuini Patris ad paternitatem: quod ibi natura præscripsit, hîc descripsit gratia. Nomen ante conceptam imposuit Trinitas, vt nullum esset spatium ab vteri beatitate destitutum. In recenti sub Annæ vulua coagulo, etiam antequam viuat fœtus, iam Deus ex eius genere gloriatur: nomen sedulus præoccupat, vt Mater sit, & Virgo, quæ nondum ab Anna matre fuerat coagmentata. Æmula cum virginitate maternitas in ipso conceptionis ingressu, ne à virginitate præcedatur, simul cum virginitate prole decorat, vt nesciat primæuæ noxæ colluuiem, quæ Dei Matrem audit. Ildephonsus 2. de virginit. Mariæ: *In vna persona, in vno corpore, in vna ætate, in vna conditione alternat honor Matris & Virginis; alternat honor Virginis & Matris: alternat in generante Virginitas, alternat in Virgine generandi facultas, & neutrum cedit vlli, & vtrumque in alterutrum deriuatur, & neutrum impeditur abinuicem, & ambo properant sibi: vtrumque seruatur in proprio, vtrumque transit in alterum, quia ambo vnum, quia duo idem, quia diuersa idipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens superuentum.* Festiua satis verba. Obserua: *Et ambo properant sibi.* Et rursus: *In vna ætate, in vna conditione, quia ambo vnum.* Et accuratiùs illa: *Quia indifferens superuentum.* Properauit ergo quasi alterno certamine lacessita virginitas & maternitas: ergo si ad primum fœtum fateris virginem, fatere & matrem. Si rigorem quæris post lustra subsequuta est maternitas vsque ad completum tempus pariendi: ast illa virginitas adeò erat fœcunditatis charactere sigillata, vt dicat Ildephonsus: *Quia indifferens superuentum.* Superuenit quidem maternitas; sed adeò indistinctum accidens visa est à virginitate præuia, vt dixerit: *Quia ambo vnum, quia duo idem.* Beatus ergo venter etiam in ventre. Vix mulserat Dominus, vix coagulauerat, vix pelle & carnibus vestierat, vix ossibus & neruis compegerat, vix animam inspirauerat, cùm iam nuncupabat ex nomine, Matremque & Virginem appellabat, quæ futura; & ad vnam ætatem, ad vnam conditionem, maternitas & virginitas obuiauerunt sibi. En igitur velocitatis causa ad nomen Mariæ imponendum, ne illam inueniret conceptio, quin matrem Dei: sicut Patrem æternum nulla aut anterioritas temporis, aut rationis noscit, quin noscat Patrem. Non communicatum Virgini; quòd dum ipsa conciperetur, conciperet Filium Dei: id non consonum. Quid faceret Pater, qui cum Virgine similitu

Marginal notes: Hesych.; S. Thom.; Zach 4.; Ildeph.

similitudinem adamabat? Patritas est munus: Ille, dum est, & gignit, & Pater dicitur: Virgo, licèt dum sit, non gignat, vocetur *Mater*.

82. Quid vltra? Cupiebat Verbum Dei amore festino Matris vterum. Assuetum generationi æternæ, vix videbatur sustinere temporalis generationis protractas moras: voluebantur irrequieto gyro tempora, effluebant sæcula, nondum nascitur Maria: etiam nata, nondum erit Mater vsque ad vmbram Altissimi, vsque ad protigationem Spiritus, & fluxum ad minus duodecim annorum. Quid ageret Verbum? Intueretur nè Virginem suam tot spatiosis curriculis ante nuntium absque puerperio, absque Matris stemmate, dotibus, & fimbriis? Miraberis ingenium. Medetur charitatis vulneri; maternitatis dilatæ reparat tarditatem. Vix patat concipiendam, cum præoccupat Matris nomen; & vt se Deum ex genere Mariæ ortum in ipsa Virginis nomenclatura audiat, nomen prodidit *Mariæ*. Dedit nomen, officij pignus, maternitatis vectigal, diuini partus paradigma, vt nunquam Virgo sit, quin Maria, quin Dei Mater; vt etiam in vtero matris Annæ, Matrem se auscultetur è nomine. Sic expendere gestio Chrysologum serm. 146. *Maria Mater Dei vocatur. Quomodò non ante conceptum Mater, quæ post partum Virgo permanet? Quando non Mater, quæ sæculi generauit Auctorem?* Communis locus est, fateor; sed non communis loco lux. Quid interest, quòd post partum Virgo permaneat, ad id, vt ante conceptum Mater vocitetur? Annè maternitas virginitatem præuenit? Qualis absque conceptu mater, cum mater generatione fiat? Mira subtilitas in Chrysologo! Quæ post partum Virgo permanet, Deum peperisse necessum est; imò & Verbum Dei, si rerum consona congruitas innotescat. Semper ergo, dum est, Mater dicitur, etiam ante conceptum: quia diuina genitura æternitati assueta in Patre superno, etiam in matre temporali, quasi æternitatis modulum inuestigat; vt nullum sit tempus, quo Mater non appelletur, quæ posteà per conceptum est futura: vt saltem vox æternitatem enuntiet concipiendi Filij; siquidem ex virginitate post partum noscitur esse Deum, qui vuluam non rupit, sed sacrauit. *Quando non mater* (ait) *quæ sæculi generauit Auctorem?* Ecce ex æternitate prolis, Matris perpetuitatem stabilit. Quàm consoni Pater cœlestis, & humana Mater; sicut in munere, sic in nomine. Et iam antequàm concipiat, Mater appelletur, ne nomine careat: neque enim indiuisus vtriusque Filius dissimile patitur matris nomen à nomine Patris. O quantum generatio temporalis ex Maria didicit, hausit ab æterna! Iam attingo Chrysologi mentem, qui ser. 140. sic ait super illa verba: *Missus est Angelus ad Virginem desponsatam viro. Peruolat ad Sponsam festinus interpres, vt à Dei Sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum; neque auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignorata, cùm fieret.* Qualine pignore? Certè ex nomine. Cùm etenim fieret, matrem se audiebat: sic cùm nuntium agit Gabriel, non aufert Virginem à viro, sed reddit à Christo.


Chrysolog.

Chrysolog.

83. August. Sed Chrysologi de maternitate censioni aduersari videtur S. Augustinus serm. 17. de temp. *O sacrum, & cœleste mysterium in Natiuitate Domini! Concepit Virgo, antequàm sponsum haberet; parit, antequàm nubat; & quòd ad laudem pertinet nominis Domini, & Mater & Virgo cœpit esse post partum.* En præstolatur initia maternitatis Augustinus, protelatque nomen vsque ad puerperium, tam segni gradu, vt possis incusare de mora. Quàm dispar vtriusque acies! Ille ante conceptum matrem præconatur, quia virginitas post partum viruit: hic non solùm matrem incepisse post partum, sed & virginitatis auspicium edocet contigisse. Mens Augustini, ne nutes, Virgini nostræ deuota succumbit, præfixisque fouet cogitatibus. Si idem tempus maternitati, quod virginitati adscribit, pro maternitate vindex inuigilat; siquidem illi germanam cognationem cum virginitate conciliat. Credideris virginitatem Mariæ post partum incepisse pudicum? O bellè! Imò virginitas non est, quæ vitæ non comitatur primordium: si post fœminam incipit, virginitas non est; cùm nequeant claustra recreari pudoris, emarcidique floris iterum decor reuirere. Igitur subtiliùs progreditur Augustini solertia. Nulla nobilior virtus est, nulla sublimiùs cum Diuinitate contendit, quàm quæ, dum emori ad contrarij vitij censebatur mucronem, adeò ab hostili clarescit impulsu, vt inde iterum orta glorietur; & quæ, dum cadere potuisset timeri, assurgere beatiùs appareat. Quis enitentem fœminam suspiciat, quæ conspurcatam, squalentemque non crediderit, omnemque dixerit virginitatis vmbram interisse? Virginitas Mariana in id prodigium ascendit, quod etiam extunc incipere innotescat: ita virenti venustate affulget, ita albidâ gloriâ candet, vt dum expectabas interitum, potiùs ortum demireris. Quod non nouam virginitatem arguit incepisse partum, sed eo stylo antiquam impercussâ maiestate iugiter enituisse confirmat. Iam de maternitate censeas, quam Augustinus cum virginitate stricto cogit amplexu. In quo illud ingenium. Tempus matris post partum est, tempus virginis ab exordio vitæ. In Maria, vt audisti ex Ildephonso, indiuisa lucet vtraque dos: *In vno corpore, in vna ætate; in vna conditione alternat honor matris, & Virginis.* Etiam cùm gignitur Maria, Mater vocatur. Ideò amica congratulatione sese virginitas & maternitas rependunt in Virgine; scilicet, quòd sicut mater dicitur etiam in virginitatis initio, nempe cum concipitur: Virgo reciproco nexu incipere dicatur, cum mater incipit post puerperium. Sic fruaris Augustino: *Et quod ad laudem pertinet nominis Domini, & Mater, & Virgo cœpit esse post partum.* Ildeph.

Quàm ad lineam vsque metitur ingenium Augustinus! Hic scopus Mariani nominis à primordio fuit, quòd nomen Domini veniens de longinquo, reuelatâ gloriâ coruscet. Ecce nomen. Quòd fœmina facta eodem tempore Mater, & Virgo inciperet efflorere, in laudem nominis Domini prouisum est. Diuinus enim Pater absque vllius moræ, originisque discretione, absque intercapedine vlla Pater simul & virgo est. Id exculpendum erat in Maria, cui diuina proles parabatur. Oportuit ab initio in nominis syllabis hoc Diuinitatis excudi miraculum, qualè in cœlestibus rutilat. Iam totus Augustinus enucleatus. *O sacrum, & cœleste mysterium in natiuitate Domini! Quod ad laudem pertinet nominis Domini, & Mater & Virgo cœpit esse post partum.* Ne autem adhuc lubricus in hac tarditate cæspites, scias, post partum hoc, vnum ex duobus compactum incepisse, scilicet: *Mater & Virgo*: licèt enim virginitas ocyor præcessisset, nexus ille tunc orsus est in ortu 84. Isai. 30. 27.

Saluatoris. Quin & vtrumque incepiſſe more ſacro profertur, quia extunc innoteſcere cœpit.



ACADEMIA VI.

Mariæ Nomen Dei Genitrix.

Maria propriè & verè Dei Genitrix, ſeu Θεοτόκος.

SECTIO I.

1. MARIÆ in nomine diuini Patris vmbram, vocabulumque non tacitis, mutiſque ſignificationibus præſentari, vtpote quod idem ſit, quod Mater Dei, adhuc auſpicatò ex Patrum ſuffragiis confecimus. Inops eſſet, aridaque lucubratio, niſi præfata fulcirentur eâ voce, quam Eccleſia iam dudum extulit aduerſus Neſtorium, & Eutychetem, ſcilicet Θεοτόκος. Ex Concilio Epheſino hoc vocabulum hæreticos proſcripſit, & compeſcuit, qui Virginem noſtram perfidis cauillis Matrem Dei appellandam renuebant: de quo Vincentius Lyrinenſis lib. contra prophanas vocum nouitates. Ergo, vt quæ adhuc excuſa ſunt, locupletentur, operæpretium eſt nonnulla ex ſacris Patribus compilare, apud quos hæc ſacra vox Θεοτόκος, *Deipara*, ſeu *Dei Mater* ſtrenuis, & validis luminibus illuſtratur, vt hæretici in perfidiæ caligine palantes vel feriantur à luce, vel ad lucem ferantur confitendam. Vinc.Lyr.

2. Nimium oleum erogaremus, nec pagina ſuſtineret; ſi quotquot per anteacta ſæcula Mariam *Dei Genitricem* compellant, in calculum & numerum reducere aggrederemur. Ea vox auditur in Liturgiis D. Petri, Marci, & Iacobi: apud S. Ignatium, qui floruit anno 80. in epiſtol. ad Ioannem apud Ennodium in epiſt. quam *lumen* inſcripſit, & eſt in Nicephoro lib. 2. capite 3. vixit anno 100. apud Hippolytum, qui etiam legitur in Nicephoro lib. 2. cap. 3. egit ann. 220. apud Methodium Tyri Epiſcop. orat. in Hipapant. ann. 260. *Tuum*, inquit, *Dei Genitrix*, *nomen diuinis benedictionibus*, *& gratiis omni ex parte refertum.* Concilium Calcedon. celebratum anno 453. act. 5. *S. Maria Theotocos eſt: qui non ſic ſapit, hæreticus eſt.* Tomo quarto Conciliorum, in orat. Ægidij Carler. de punit. peccat. publicor. ſic habetur: *Prætereà etſi Canon Biblia dicat B. Virginem eſſe Matrem Chriſti, tamen non reperitur in eo, quòd dicatur Mater Dei. Sed hoc Eccleſia determinauit, vt dicatur non ſolùm Chriſtotocos, id eſt, non ſolùm Chriſti Mater, ſed etiam Dei Mater.* Quæ non ita cenſoriè accipias, quaſi ex nouo Eccleſiæ nutu, recenteque arbitrio hoc nomen effluxerit: licèt enim ſyllabæ ipſæ non exaratæ in membranis ſacris inueniantur, ſenſus tamen facilè eruitur, nec niſi aſtus & calliditas hæreticorum poteſt circa hoc digladiari. S. Thomas 3. part. quæſt. 35. art. 4. ad 1. *Licèt non inueniatur expreſsè in Scriptura dictum, quòd Beata Virgo ſit Mater Dei; inuenitur tamen expreſsè Scriptura, quòd Ieſus Chriſtus eſt verus Deus, vt patet 1. Ioan. vltimo, & quòd Beata Virgo ſit Mater Ieſu Chriſti, vt patet Matth. 1. Vnde ſequitur ex neceſſitate, ex Verbis Scripturæ, quòd ſit Mater Dei.* Offero pulchrum Petri Bleſenſis locum ſer. 28. de Aſſumpt. Virginis: *Fuit Virgo Mater Dei. Magnum quidem & laudabile fuiſſe virginem, ſed maius per omnem modum, & mirabile in virginitate fuiſſe fœcundam, & poſt euacuationem vteri vterum habere ſigillatum. Maximum autem & ineffabile eſt fuiſſe Matrem Dei. In memoriæ horum trium ſapientia Græcorum inſtituit, vt in iconibus, quas ad imaginem B. Mariæ depingunt, ſuperſcriptionem trium nominum ponerent in hunc modum*, VIRGO DEI MATER: *tamen apud eos vna dictio eſt Theotocos; ſed apud nos duæ. Quia ergo Virgo fuit, data eſt illi gloria Libani: quia Mater, datus eſt ei decor Carmeli: quia Dei, datus eſt ei decor Saron.* Quæ Bleſenſis obſeruatio apprimè conducit ei cogitationi, quæ non ignobiles viros tenuit, ſcilicet in explicando nomen illud celeberrimæ, miraculorumque inſignibus locupletis iconis *S. Mariæ de Athoca*, quæ Matriti ſummâ deuotione colitur, & ex vetuſto ſæculo ab Antiochia illuc tranſmigraſſe, non vnius cenſio eſt. Habet hæc imago ſcriptum in tergo nomen hoc *Theotocos*: forſan cùm ſic appellitaretur, nimia ætas, vſuſque vocabulorum corruptor, *Athoca* nuncupauit cum aſpiratione, quaſi *Atoca*, ſeu *Theotocos*: ſic & in Sancta Maria Maiori ineſt ſcriptum Μήτηρ Θεῦ, ſeu *Mater Dei*.

S.Ignat. Ennod. Hippol Method. Conc Calc. Ægid. Carl. S. Thom. Petr. Bleſ.

3. Adeò ſacrum hoc nomen dignitatem Virginis noſtræ definit, & complet, vt tertio quoque verbo à Maioribus noſtris, quos Spiritus ſanctus imbuebat, geminetur: nec elogium vllum texere valeant, quin repetitis excurſibus, ſynonymiſque vocibus Deiparam, Theotocon, Deiparentem, Deipartricem, Deigenitricem, Dei matrem appellent, alterumque ex his alteri adiiciant, quaſi adiectiuum ſubſtantiuo adnectentes. Qua phraſi nimium delector, hilariſque obſeruaui. Epiphanius ſerm. de laudibus S. Deiparæ: *Miſer ego ſum, qui effulgentes ſplendores Deiparæ, radios terribiles, & incomprehenſas facultates, cœli & terræ inhabitatæ myſterium, admirandumque propitiatorium, verbis conſequi tentaui. Dicam de ſola Deipara, quatenus aſſequor, denuo tamen vereor: ſum enim exili voce, vt ſic verba facere poſſim de percelebri, ſancta, innupta, & Deipara Maria Matre Domini.* Ecce Deiparam Matri Domini adiicit. Iuſtinianus Imperator: *Inuenimus quoſdam Morbo, atque inſania detentos impiorum Neſtorij, atque Eutychetis, qui detrectant ſanctam, glorioſam Dei Genitricem Mariam Theotocon, ſeu Deiparam appellare.* Nonus Panopolit. qui vixit ann. 500. in Metaph. Ioan. c. 2. Epiphan. Iuſt. Imper. Non.

——— ἐς εἰλαπίνην καὶ αὐτὴ.
Παρθενικὴ Χριστοῖο θεητόκος ἵκετο μήτηρ,
Ἀχράντῳ παλάμῃ γαμίης ψαύουσα τραπέζης.
Παιδοτόκος φυγόδεμνος ἀεὶ μεθέπουσα λοχείην.
Ad conuiuium verò & ipſa
Virgo Chriſti Deipara venit Mater,
Immaculata manu nuptialem attingens menſam,
Puerperæ fugiens cubile, ſemper ſectans virginitatem.

Vbi, vt vides, geminatur vocabulum, *Deipara*, & *Mater*.

4. Nec ſolùm *Deiparens* dicitur apud Germanum Conſtantinop. homil. de Natiu. Mariæ: *Laudatiſſima illa, & celeberrima Virgo, quæ ſola propter eximiæ dignitatis præſtantiam verè, rectéque animatum Dei templum, ac propriè Deiparens, &* Germ. Cõſt.

Areop. *& censetur, & appellatur.* Dionysius Areopag. ex Menæis Græc. *In honoranda dormitione tua, Virgo sanctissima Dionysius aderat cum Hierotheo, & diuino Timotheo, quisque vnà cum Apostolis hymnum gloria tua conuenientem decantans, cum quibus etiam nunc mortalis lingua omnis te Dei parentem, mundique patronam laudat.* Verum & *Deipartrix* vocatur. Rust.Card. Rusticus Cardinalis contra Acephal. ex epistol. Cyrilli ad Nestorium, apud Biblioth. tom.4. part.1. *Hoc asserit vbique integerrima fidei sermo: sic inueniemus sanctos Patres sapuisse sic præsumpserunt Deipartricem sanctam Virginem dicere, non quia Verbi natura, siue Diuinitas eius principium subsistendi sortita sit ex sancta Virgine, sed tanquam genito ex ea sancto corpore animato rationaliter, cui & secundum subsistentiam sermo vnitus gigni dicitur secundum carnem.* Quin & Marianæ vlnæ *Dei genitrices* appellantur à Damasceno orat. 1. Damasc. de natiuitate Mariæ: ὦ θυγάτηρ γηΐνη, θεομητρικαῖς ἀγκάλαις τὸν κτίστην βαστάσασα. *O terrena filia, qua Dei genitricibus vlnis Creatorem gestasti.* Pro eo quod antea dixerat: ὦ θυγάτηρ ἱερωτάτη, τὸ ἐπὶ μητρικαῖς ἀγκάλαις φαινομένη, καὶ φοβερὰ ταῖς ἀποστατικαῖς δυνάμεσιν. *O sanctissima filia in maternis vlnis conspicua, rebellibusque Angelis formidabilis.* Theoph. Insolitum est Theophanis elogium hymn. in Annuntiation. Deipar. *Tibi data est gratia, ô Dei genitrix diuina, tibi Aue omnis creatura clamat, ô Dei Nympha. Tu enim sola Mater Filij praelecta es pura.* Deiparam Matrem Dei, Deique *Nympham* recente idiomate nuncupat. Momenta huius elogij non otiosè scrutemur. Nympha latinè sponsa, nuptaue est. Id & apud Græcos, vt adnotauit Festus, qui nuptam *Nympham* νύμφην appellant. Callimach. Callimachus de Iunone hymn. in delum. Νύμφα Διὸς βαρύθυμε, id est, *Nympha Iouis*, seu *nupta*. Non ignobiles, *Nympha* vocem à Lympha deducunt, ex quo Nymphas Deas, Numinaque Lympharum dixêre Prisci: nam vt Scholiastes homeri adnotat: νύμφαι τὰ ἐν γυναικείῳ σχήματι, ἐν ταῖς φαινόμενα δαιμόνια: in pratis circa fontes, ac fluenta spectra cernebantur, quæ pastores colentes, Numina censebant. Et quia vites aquis turgent, vberioremque ferunt prouentum, Nymphæ nutrices putabantur Bacchi. Theophr. Testis est Theophrastus apud Budæum pag.872. & in Epigrammat. lib.2. de Baccho dicitur: Χαῖρε κεράδιος τρισὶν νύμφαις τετρατὸς αὐτός. *Tribus Nymphis, scilicet tribus aqua partibus.* Ex quo, dum apud Theophanem Maria dicitur *Nympha Dei*, ex vocis fonte Nupta Dei nuncupatur, Mariæque nomen ex mari, aquisque, in quibus ementita Numina barbaricis superstitionibus colebant Veteres, ad verum, & solum Numen gignendum supra lympharum fœcunditatem pulchrâ dictione recensetur. Verùm non sat ista. In alium sensum, nisi decipior, Theophanes it. Moueor ex ea contextura, *O Dei Nympha: tu enim sola Mater Filij praelecta es pura.* Νύμφη nurum sollet significare. Luc. 12. Luc.12.vers.53.vbi dicitur: *Mater in filiam, & filia in Matrem; socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.* Græcè est μητὴρ ἐπὶ θυγατρὶ, καὶ θυγάτηρ ἐπὶ μητρί. πενθερὰ ἐπὶ τὴν νύμφην αὐτῆς καὶ νύμφη ἐπὶ τὴν πενθερὰν αὐτῆς. Et 1.Regum cap.4. *Nurus eius vxor Phinees.* νύμφη αὐτοῦ γυνὴ Theophan. Φινεές. Igitur Nympha Dei apud Theophanem non iniuriâ potest explicari, *Nurus Dei*, id est, *Patris*, pro quo pluries supponitur nomen *Deus*: Zerda, *Maria effigies*.

& liquet ex sequentibus: *Tu enim sola Mater Filij praelecta es:* cuius illico Sponsam fuisse artexit: *Vt multilucam lampadem, & à Deo structum thalamum videbo te: nunc vt aurea arca legis datorem suscipit, ô Sponsa Dei, qui benè voluit hominum liberare per te corruptibilem substantiam.* In quibus omnem affinitatem, quæ potest concipi, si cum prioribus iungas, Mariæ erga Deum inuenies. Mater enim Filij, simulque Sponsa prædicatur. Vtrique cognationi respondet pulchrè Nympha Patris, id est, nupta, seu sponsa Patris, & Patris nurus: quâ enim Mater Filij est, pronâ germanitate sponsa Patris nuncupatur: quâ autem sponsa Filij dicitur, nurus Patris meritò effertur. Adest Aldhelmus lib. de laudibus virginit. Aldhelm. cap. 22. *Beata Maria, Virgo perpetua, hortus conclusus, fons signatus, virgula radicis, gemmula floris, nurus Patris, genitrix & germana Filij; simulque sponsa, & fœlix vernacula.* Hæc pro Theophane.

Itaque vocabulum Mariæ *Dei Genitrix*, seu *Theotocos* est. Nec ferendum est, quòd sit hæc figurata loquutio. Propria sanè, & vera vox est: nec solùm Dei Mater dicitur, quin sit; nec tantùm per communicationem idiomatum, scilicet, quia ille homo, quem genuit, sibi deuinctam diuinitatem habebat. Strictiorem significatum hoc nomen amat, nempe quòd Mater sit per productionem veram terminatam ad fœtum Deum. Communicatio enim idiomatum nititur, & fundatur in vno supposito duplicis naturæ: nec effertur de illis prædicatis, quæ naturæ abstractæ conueniunt. Quare Maria Mater Dei est, vtpote cuius generatio in Deum hominem terendit. Ideò sedulus est conatus apud Patres, & Concilia, vt suadeant; verè & propriè absque vlla tergiuersationis spe, hæreticique astus timore, Mariam Dei Genitricem esse. Concilium Lateranens. sub Martino I. consultat. 5. can. 3. *Vtpote, inquit, quæ ipsum Deum verum specialiter, veraciter, & incorruptibiliter genuit.* Sic tom. 3. Concilior. act. 13. sub Agathone cap. 4. *Si quis non confitetur sanctam Dominam nostram, semperque Virginem Mariam propriè & secundùm veritatem Theotocon, id est, Dei genitricem, vtpote quæ Deum Verbum Incarnatum concepit, & genuit, anathema sit.* Et in Concil. Ephes. cap. 1. in fine: *Cùm igitur secundùm naturam verus sit rex, & Deus item verus: cui dubium esse potest, quin sacra Virgo Deipara sit nominanda?* Concil. Constantinop. con- Conc Cõst. sess. 8. can. 6. Concil. Alexandr. in epistol. ad Ne- Conc. Alex. storium. 5.

Conc.Later.

Conc.Eph.

Hæc & alia testimonia iam alij viderunt, ex 6. quibus nonnulla congerit P. Vazquez 1. tom. in Vazquez. 3. part. disput. 63. cap. 3. P. Suarez 2. tom. in 3. part. Suar. disput. 1. sect. 1. Noua locu subdam. Anastasius Anast. Bibliothecarius in exilio Martini: *Positus aut est in tumulis Sanctorum extra muros Chersonitarum ciuitatis quasi stadio vno, in pretiosissimo & reuerentissimo templo sanctissime, & præ omnibus sanctis colenda, castissime, & immaculata, perbenedictaque, gloriosissime, & excellentissime omnium creaturarum, gratiâ plenissima, gaudium facientis, & tribuentis Domina nostra propriè naturâ, & veritate solius Dei genitricis, semper Virginis Mariæ.* Manuël Caleca lib. 2. contra Man.Calec. Græcos apud Biblioth. tom. 14: *Plurima autem vera sunt, non autem dicuntur: hocque cùm ex aliis constat, tum ex ipsis Ecclesiæ dogmatibus. Esse enim Filium Patri consubstantialem, Deique genitricem*

semper Virginem prædicari in Ecclesia, atque humana natura Filium Dei secundùm substantiam unicum esse; vera quidem sunt: sunt tamen, quando non dicebantur, non tamen ideò falsa fuerunt. Nam postea necessitate vrgente propter contraria dicentes, etiam ut in Ecclesia publicè dicerentur, institutum, & formatum est.

7. Cosmas Hierosol. Cosmas Hierosol hymn 1. apud Biblioth. tom. 7. *Ecce Virgo, vt olim dixi, in ventre concipiens, peperit Deum hominem factum, & manet virgo, propter quam conciliati Deo peccatores Deiparam propriè entem in fide cantemus.* Quid est illud, *Deiparam propriè entem?* Censeo Deiparam propriè existentem, siue quæ proprium esse habeat Dei genitricis. Subtilius. Nomen Dei propriè ens est: didicisti à rubo: *Ego sum, qui sum.* (Exod. 3.) Maria, quia Mater huius Dei est, & eum, qui ens nominatur, genuit; non inuenustè aliquali tropologia ens nuncupatur, sicut origo principij, naturaque naturæ: sic enim appellatur apud Damianum de natiuit. Virg col. 5. (Damian.) *Meritò Beata Maria dicitur parens patientis, oriens orientis, fons fontis vini, origo principij, quia ille ex ea prodiit per materiam carnis, qui caput est, & initium omnium rerum, per essentiam Deitatis.* Quæ attributa cùm omnem exuperant excellentiam, cum entis naturam Virgini decantant, quæ in diuino Patre ingenito, & inoperato eam sibi vendicat nobilitatem, quòd si fons fontis, originque principij, nempe Filij. Deiparam igitur propriè entem. Cosmas inquit, in fide cantemus, quòd propriè parens Dei sit, qui propriè ens est. Ingeniosiùs, & strictiùs S. Germanus agit suprà dictus: (German.) *Celeberrima Virgo, quæ sola verè, rectèque animatum Dei templum, ac propria Dei parens & censetur, & appellatur.* Vides, non dixit, *propriè Dei parens,* vt cæteri, sed *propria,* quò neruosè significaret & propriè Deum peperisse, & propriam Dei esse, diuinique peculij ob maternitatis cognationem. Nicetas Choniates lib. 20. thesauri Orthodoxi: (Nicet.) *Sanctam Virginem, quæ Christum carne propriâ peperit, Dei propriè, veréque Matrem esse credo, & confiteor.* Quam dixit Nicetas carnem propriam, innatam appellauit Tertull. aduers. Marcion. lib. 5. cap. 9. (Tertull.) *Innata autem, quia solus Christus in carnem ex carne nasci habebat.* (Damascen.) Similiter ex carne probauit Damascenus lib. 4. de fide orthodox. capite 15. *Quid afferri potest, quin Dei genitrix sit, quæ Deum Incarnatum ex se genuit? Sanè verè ac propriè Dei genitrix est, & Domina, atque omnium rerum conditarum hera, vt quæ ancilla, & Mater summi illius opificis extiterit.*

8. Leont. Sanè Leontius Byzantin lib. 3. contra Nestor. & Eutych. apud Bibliot. tom. 6. sic fatur: *Cum igitur interrogant, an sit Maria Christotocos, vel Theotocos, id est hominipara, aut Deipara, dicitur à nobis vtrumque, illud quidem natura rei, hoc vero relatione. Hominipara quidem natura, quandoquidem homo erat, qui in ventre Mariæ fuit, & ex eo prodiuit. Deipara verò, quia Deus erat in homine, quem peperit, non circumscriptus secundùm naturam, sed in ipso existens, secundùm habitudinem voluntatis.* Cauendum sedulò est ab hoc Leontij discrimine; *illud quidem natura rei, hoc verò relatione.* Quid est enim solùm ex relatione, non verò ex rei natura Deiparam nuncupari? An quia Deitas relationem, & habitudinem habeat ad hominem genitum ex Maria, quasi priùs ipsa conceperit hominem? Id absonum omnino est, ab omnique sic sentiente expungendum. Probè Nazianzenus dixit orat. 15. (Nazianz.) *Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subisse dicat, damnationi obnoxius est: hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga.* Ausceo, quòd in homine, quem peperit Virgo, extiterit Deus secundùm habitudinem voluntatis? Absit. Id Leontius pro causa subdit; & tamen nisi benignum interpretem inueniat, omnino expungenda, & cassanda illa ratio est, quæ in duobus elidi tur scopulis; scilicet & quòd Maria ideò tantùm ex ea habitudine Mater vocetur, & quòd Deus sit in Christo solùm ob habitudinem voluntatis. Supposito ergo mysterio Incarnationis, iam ex natura rei terminorumque exigente censurâ, Maria Deipara nuncupanda est. Audi, quid indixerit Synodus OEcumenica act. 4. (Synod. Oecum.) *Si quis per relationem, aut obtusè Dei genitricem sanctam, gloriosam, semper Virginem Mariam dicit, aut hominis genitricem, aut Christotocon, tanquam Christo, Deo non existente, sed non propriè & verè Dei genitricem ipsam confitetur, eò quòd ipse, qui est ante sæcula ex Patre natus est Deus Verbum, in vltimis ex ipsa incarnatus, & natus est; talis anathema sit.*

Ideò cura in Ecclesia fuit ea vocabula eradendi & liturandi, quæ licèt in se probè, sanèque intellecta pium, veramque sensum præferebant; 9. tamen ex vesana, vafraque hæreticorum calliditate, inducta fuerunt, vt Matris Dei nomen, & dignitas decideret, & deuesceret. Grande Mariæ decus! Etiam à perstrepentibus inimicis, crepantibusque hostium linguis, noua, & diuina obsequia illi generantur. Hominem peperit Christum enixa est, qui quidem Deus est: & tamen non hominipara, nec Christipara; sed Deipara seduli tate sancta nuncupatur: cùm aliàs quæ ex duobus partibus componuntur, soleant à minùs nobili vocari, sicut homo ab humo, limosaque carnis materiæ, etsi spiritali animâ polleat. O quàm affine Diuinitati præcentum! O quale cum superno Parente sodalitium! Mariam id, quod nobilius est, nominat. Cœlestis Pater, Pater Dei & est, & dicitur; vtpote cuius verus non hominem genuit, sed ante luciferum edidit Deum. Maria, etsi etiam hominis Mater sit, non hominipara, sed Deipara vocatur. Id sibi cum Patre luminum contubernium. Quidquid nobilius est, Marianis stemmatibus affigitur; nec patitur nisi à generosiori dictione nuncupari. Theodorus Abucara in Dialogo cum Nestor. apud Bibliot. tom. 9. pag. 2. (Theod. Abuc.) *Et quomodo non Theotocos dicenda est, quæ Deum Filium habet? Aut dic, si audes, Matri Regis, non genuisti Regem, neque Mater Regis es? Quare cùm vocetur Iesus Christus, non vocas matrem eius Iesutocon? Sed potius prætermisso primo nomine Iesus, vocas eam Christotocon? Quod igitur tu fecisti in nomine Iesus, cum prætereito nomine Iesus, nomen Christi elegisti; hoc etiam ergo feci, prætermisso nomine Christus, nomen Deus elegi primum & proprium, & excellens: à meliore enim parte, non à minore, appellationes fiunt, ac nomina imponuntur, ab iis præsertim, qui laudant, & honorare volunt.* Hinc Gregorius Nyssenus in Epist. ad Eustachium exardet: (Nyssen.) *Num alium Iesum annuntiamus? num alium designamus? num alias scripturas proferimus? num Virginem sanctam, & Deiparam ausus est quisquam nostrum hominiparam dicere, quomodo illorum nonnullos eam irreuerenter nominare audimus?* Quæ accinunt illis Damasceni lib. 3. de fide Orthod. cap. 12.

Damasc. cap. 12. *Ad Christiparam sanctam Virginem neutiquam dicimus, propterea quòd ad tollendum Deipara vocabulum nefarius ille, & execrandus, & cum Iudæis sentiens Nestorius, illud, inquam, ignominiæ vas, in contemptum solius verè supra res omnes conditas honoratæ Dei genitricis (disrumpatur ille licet, vnà cum Patre suo Satana) hoc nomen excogitauit.* Ne Theotocos negaretur ab hæreticis; inhibitum erat, quòd Christotocos diceretur: cæterùm si sanè, fideliterque censeas, vtrumque fuisse dignosces. Sic confligebat Arnobius, & Serapion: *Serapion dixit: Vnum è duobus stare non potest, quia Maria aut Theotocos erit eadem genitrix, aut Christotocos eadem genitrix Christi. Arnobius dixit: & Theotocos, & Christotocos.* Arnob.

Maria Dei Genitrix *nescit gignere nisi Deum. Huius nominis ratio exploratur.*

SECTIO II.

10. NOBILIS inter Theologos disceptatio est in vestiganda ratione, quare strictim, & non tropologicè, & figuratè; sed iuxta proprietatis lancem Maria Dei genitrix sit, & nuncupetur. Superior sectio, quid apud Ecclesiæ Primores in hac nomenclatura sancitum, exposuit. Opus est, vt scrutemur, quo iure id defensandum, quibusve momentis nitatur; quippe in hoc omnis huius nostri instituti vertitur cardo, cùm ex maternitate Dei, sanctæ Trinitatis reuelationem esse Mariam satagamus confirmare. Et quidem cùm cò tendat vniuersi huius operis labor, non nimis hîc calamus insudabit in argutis acuminibus poliendis, rationibusque fundamentis examinandis, quæ nostram Virginem Matrem Dei euincunt. Sparsim hoc opus id præstat: non aliud spirat; Dei in vtero Mariano generatio scopus est.

11. Difficultas est. Maria actione generatiua solùm tetendit in humanitatem: quòd autem humanitatem hanc assumeret Verbum Dei, non actionis virgineæ fuit; sed ex libera Dei voluntate manauit. Non hypostasis naturam illam terminauit, quatenus indò in naturam influeret Mater, vt ex ea per resultantiam emanaret diuina subsistentia: sed omnino ex gratia personalitas diuina naturam illam quasi suo complemento indignam compleuit. Non igitur actio Mariæ ex se in hypostasim illam collimauit; imò nec potuit: cùm hypostasis Diuina sit, nec naturalis actionis terminus appositus valeat esse. Præsertim quia si transacto tempore Verbum assumeret humanitatem antè iam genitam, neutiquam Maria Mater Dei ex rigore diceretur, nec Deus à Maria genitus; sicut si solùm post resurrectionem Deus humanitati vniretur, non sanè diceretur mortuus, vt benè vidit Suarius 2. tom. in 3. part. disput. 1. sect. 1. Igitur si actio Matris non tetendit in Verbi Dei hypostasim: vt Mater Dei efferatur, parum videtur prodesse, quòd in instanti subsequuto ex ordine naturæ Verbum assumpserit humanitatem. Hoc argumentum est; quod tamen Mariæ excellentia, & dignitas in hac sectione strenuis, & validis propugnationibus infringet. Acuenda ergo mens est, vt Mariæ obsequiis Theologicæ rationes mancipentur, quæ piis, & benè de Dei genitrice merentibus cogitatibus inseruiant. Suar.

Et quidem non nostri instituti est, in his scholam frequentare, nudumque agere Theologum. Plures modi circumferuntur, quibus prætacta Maternitatis Dei veritas defensatur. Alij sat esse communicationem idiomatum sentiunt, quà homo dicitur Deus; vt illius hominis Mater, verè dicatur Mater Dei. Sic P. Vazquez 3. p. disput. 71. n. 25. Alij supponunt animam & carnem Christi priùs naturâ vnitas esse Verbo, quàm inter se, & ex vi virgineæ generationis fuisse inter se vnitas ad componendum hunc hominem subsistentem, qui verè Deus est. Sic Suarius 2. tom. in 3. p. disp. 1. Alij strictiùs rem premunt: nec putant satis consuli dignitati Matris, solùm per communicationem idiomatum sic efferri; sentiuntque, quòd sit Mater Dei, quia generatio eius terminata est ad Deum, & ad suppositum Verbi, quod humanam conceptionem terminauit, prout subsistens in humana natura. Sic P. Lorca 3. part. disput. 20. n. 17. & disp. 68. n. 16. Huic sententiæ plurima deuouent: & quia sui auctores perfunctoriè tantùm tetigêre, nec medulliùs enodarunt, quomodo terminus actionis creatæ potuit esse Suppositum diuinum; opus est sedulò versare ob nimiam in hoc nostræ Virginis excellentiam. Certum iudico Mariam, nec instrumentaliter vnionem cum Verbo attigisse; attamen eius actionem completè terminatam fuisse ad Verbum in natura humana subsistens, quatenus primario terminata fuit ad vnionem animæ & corporis, semper in animum induxi. Moueor, quoniam nulla actio ex se, quæ generatiua & productiua est, ad naturam in abstracto propendet; cùm natura similem abstractionem non patiatur: ergo actio Virginea tetendit in suppositum vt terminum adæquatum sui: atqui non in humanum, ne tendentia illa euanescet: nec in suppositum vagè, cùm à vago termino actio determinata abhorreat: tetendit ergo in diuinum, non vt produceretur, nec vt eius actionis meritis resultaret; sed vt stabilito indiuiduæ Incarnationis decreto, illam humanitatem terminaret, quatenus à Virgine generante prodibat. Nec sat est, quòd Verbi hypostasis resultantiam propriæ personalitatis ab humanitate impediuisse feratur, & sui exhibitione compleuisse: Virginea enim generatio, nisi illi hypostasis pro termino sit, semper indiga, mutilaque manebit, vtpote proprij termini impos: quod quidem ferendum non est, ne, qui omnia redintegrare veniebat, quasi sectam & amputatam primam Matris pateretur actionem. Certè nobiles Theologi sentiunt, Beatos in visione non producere Verbum, sed per creatam supernaturalem actionem vnionem attingere cum Deitate. Vlteriùs: consecrationis actionem nullum habere terminum productum, sed præexistens corpus Christi sub speciebus terminare, edocent plures. Itaque, licèt Virginea generatio vnionem cum Verbo non effecerit, habere potuit vt terminum adæquatum sui. Hoc vt suadeamus, duo breuiter illustranda sunt. Primum est, in ipsomet generationis instanti Verbum terminauisse humanitatem; præsignans, non in aliud institutum Virginem concipere, nisi vt Deus in humanitate subsisteret. Secundum est, generationem hanc Virgineam omnem efficaciam traxisse à virtute Altissimi obumbrante, & ab Spiritu sancto superueniente: quare supernaturalis fuit, pluri- 12. Vazquez. Suar. Lorca

mumque de Diuinitate contraxit. Nec mirum, quòd eius superna indoles hypostasim tenderet diuinam.

13. In hæc fundamenta omnia iam ex Patribus subsidia conspirant. Fermè omnium aduersùs Nestorium telum est; quòd Verbum Diuinum eodem momento, quo constructa in vtero fuit, humanitatem sibi deuinxit, ideoque Mariam verè Deum genuisse. Cuius rationis vis, vt pungat, acrioremque stimulum incutiat, formaliter intelligenda venit; scilicet, quòd tunc hypostasis diuina humanitatem confecit, & finiuit, quando ab aliis humanitatibus suo iuri relictis, personalitas pullulare consueuit, ita vt omne munus creati suppositi increatum in illo instanti suppleuerit: ac proinde terminauerit actionem non solùm vnitiuam humanitatis, & suppositi, quæ Dei sunt; sed & generatiuam, quæ Matris: ideò festino gradu complementum illius humanitatis maturauit, vt quæ gignebat, gigneret Deum, scilicet in humana natura subsistentem. Rem introspexit S. Thomas 3. p. q. 35 art. 4. in corp. *Cùm vnio incarnationis sit facta in hypostasi, manifestum est, quòd hoc nomen Deus potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam, & diuinam; & ideò quidquid conuenit diuinæ naturæ, vel humanæ, potest attribui illi personæ, siue secundùm quod pro illa supponit nomen significans diuinam naturam, siue secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam: concipi autem, & nasci personæ attribuitur, & hypostasi secundùm naturam illam, in qua concipitur & nascitur. Cùm igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta à diuina persona, consequens est, quòd verè possit dici Deum esse conceptum, & natum de Virgine.* Eximia ratiocinatio, si benè iuxta præfata versaueris. Sensus est: Natura non gignitur sed suppositum, cui apprimè conuenit, quidquid in concreto de natura prædicatur. Explora in momento generationis virgineæ, quale suppositum terminauerit humanitatem; cùm diuinum inuenies, desipies, nisi à Maria genitum fatearis.

S. Thom.

14. Hanc rationem venustè decorat verbum illud virgineum, cuius ad auditum Verbum vterum incoluit, carnem induit, & patrata fuit generatio. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini. Fiat mihi secundum verbum tuum.* Vtquid se ancillam memorat, nec aliud sibi insigne ob maternitatem imponit? Nunquam maiorem suggestum sancta humilitas ascendit. Hanc vocem humilitatis lingua deprompsit, sed inlatenter se in eam insinuauit sublimitas eximior, quam nulla bullata verba, ampullisque superbiæ turgentia poterant aucupari. Vide diuinæ sapientiæ sic inspirantis ingenium. Pollicebatur Angelus, quòd Spiritus sanctus superueniet, virtus obumbrabit Altissimi, Filius Dei vocitandus fœtus: tota sponsio Diuinitatem prolis inspirabat. Quid fieret, vt in generationis puncto omnis hæc Diuinitas innotesceret? Virgo cum ancillatus voce concipiat; se ancillam enunciet illiusmet Filij, quem gignit; necessariò concludet esse Deum: nulla enim mater, quâ mater est, potest suimet Filij obsequiis mancipari, nisi ille filius Deus sit. Quid si ex ipsa voce, qua se ancillam nuncupat, gignat? Profectò se generare Deum, splendidiùs luce manifestat. Ideò forsan *secundùm verbum tuum* dixit; ac si diceret: Ideò in hoc conceptionis instanti me præconor ancillam, vt fiat mihi secundùm verbum tuum, id est, secundùm quod spopondisti de Diuinitate Filij, quem gigno. Mater Dei fio; colo, quem gigno: & ne à conceptione cultus, qui Diuinitati debetur, aliquantulo spatio dissideat, ipsiusmet famulatus cultu concipio. Hoc mucrone ferit Nestorium S. Leo Papa contra Eutych. *Anathematizetur ergo Nestorius, qui B. Virginem hominis tantummodò credidit genitricem, vt aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis. Cùm ita intra virginea viscera Verbum caro sit factam, vt per ineffabile sacramentum vno conceptu, vnoque partu secundùm humanitatem, atque vnionem vtriusque naturæ eadem Virgo, & ancilla Domini esset, & Mater.* Validè vno verbo compescuit hæreticum. Quæ momento, quo gignit, ancillatus stigmatibus punctam se promit, ipsique fœtui se parat mancipium, Deum se gignere manifestat. Ancilla & Mater, & Domini, & hominis est: qui vnum ab altero dissoluit, Christum amputat, & in sectiones diuidens, Diuinitatem ab humanitatis vinculo absumere, & denectere audet. 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est.* Hincmarus Episcop. Rhemens. in opusc. cap. 15. apud Biblioth. tom. 9. part 2. *Nestorius nescire se prodidit hanc authenticis exemplaribus inditam fuisse sententiam, atque ideò soluere non timuit Iesum, dicens B. Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantùm genitricem, vt aliam personam hominis, aliam faceret Deitatis.* Eandem rationem *Theotoco*, subdit Theophylactus ad c. 9. Ioan. *Quis erat loquens? Omnino qui ex Maria natus quidem, & Filius Dei. Non alius ergo & alius. Vnde propriè Theotocos sancta Maria, vtpote quæ Filium Dei carnem factum genuerit.*

Luc 1.

S. Leo.

1. Ioan 4.
Hincmar.

Theop.

15. Curnè Ioannes Euangelista Theologi nomen adeptus est? Quia Verbum apud Deum Aquilino inspexit obtutu, Verbumque carnem protulit factum. *Et Verbum*, inquit, *caro factum est.* Curnè caro? imò homo: neque enim transiuit in carnem, quæ compars hominis est. Ita velox fuit virgineæ carnis assumptio à Verbo Dei, vt absque mora vlla intercepta, illico ex sanguinibus plasmata caro diuinam Verbi hypostasim adepta sit: & quia carnem terminauit, Verbum caro factum, stylo venerabili profertur. Diximus, nobilibus Theologis eam insedisse sententiam, quòd caro & anima Christi priùs seorsim vnitæ fuerint Verbo, quàm inter se. O tarditatis impatiens amor! O Mariæ consanguinitatis diuinæ cupido! Quia anima non generabatur à Virgine, sed caro; vt aliquid Mariæ sibi illigaret Verbum Dei directè & seorsim, non expectat animæ & carnis vnitionem, sed incarnationis œconomiam à virginea carne auspicatur. Ideò forsan Ioannes virgo, Virginis filius post futurus, Verbum caro factum dicit, vt Marianæ carnis ingenioso idiomate panderet excellentiam. Ideò Theologus, quia ideò Theotocos Maria. Quàm compar nomen! Maria Theotocos est, & dicitur, quia in instanti generationis in vtero Verbum caro fit. Ioannes Theologus est, & nuncupatur, quia Verbum illud in principio apud Deum carnem factum protulit. Ideò Theologus & Theotocos iunguntur, Virgoque Virgini traditur ad obsequium. Petr. Damian. sermon. de S. Ioanne Euangelista: *Theotocos Maria, quia Deum veraciter genuit: Theologus Ioannes, quia Dei Verbum ante sæcula apud Patrem esse, & Deum esse non solùm inenarrabiliter vidit, sed & profundâ sublimitate descripsit. Rectè igitur Virgo Virgini ad obsequium traditur, & pro Domino seruus vice filij subrogatur, vt virginalis pudicitiæ splendor*

Ioan. 1.

Damian.

splendor ex vtraque persona sibimet inuicem congruat, & floridus intimi cordis aspectus, quod in se virere considerat, hoc vernare & in altero deprehendat.

16. Igitur Verbum caro factum arguté euincit, quod Maria Theotocos sit, & in vtraque natura Christus in eius vtero coaluerit. Quæ verba me
Ioan. 1. impellunt ad illud eiusdem Ioannis: *Plenum gratia & veritatis.* Iure rogabis, cum quo construendum ly *plenum*: nam in nominandi casu est, si Græcum casulas πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας: quare constri non valet cum nulla superioris orationis dictione: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Quæ difficultas eò nonnullos cruciauit, quòd putauerint connecti cum Ioanne, & ex illis periodum nouam ordiri: *Plenus gratia & veritatis Ioannes testimonium perhibet de ipso:* sic censebatur Caietanus. Absit. Id Vulgatæ versionis iniuria est, & Euangelistæ obtunditur acumen. Igitur construi debet cum præcedentibus, parenthesi illa intercisa: *Et Verbum caro factum est, plenum gratia & veritatis* sic enim Græca conuincunt, cum, præcederet καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Sicut enim verbum Græcè masculini generis est, nempe *logos*, sic illi respondet πλήρης *plenus*. Sedulum studium Euangelistæ est, ostendere in instanti conceptionis Verbum ita carnem virgineam terminauisse, vt vtriusque naturæ exhiberet indicia, & filiationis æternæ proferret sacramentum. Congessit enim, quidquid proprium Filij Diuini est, scilicet quòd sit Verbum, quòd Vnigenitus à Patre, quòd splendor gloriæ, & quod veritas: hæc pignora, & attributa Filij Dei sunt, quatenus mentis diuinæ proles est. Cumulat etiam, quæ hominis sunt, carnem scilicet, & gratiam. Ideò sapienter venustâ circumloquutione, vtrumque Euangelista compegit, vt Vnigenitum Patris esse, etiam inopinâ, & intempestiuâ orationis intercapedine declaret. Impulit Virginis reuerentia. Gestiuit, Mariam Theotocon esse aduersus Hæreticorum calumnias euincere: Ideò velocitatem, qua Verbum Dei carnem illam benedictam assumpsit, seque veritatem simul & carnem ostendit, non aliter aptius potuit exprimere, quàm intercipiendo ipsius periodi moras, simili velocitate ostenderet Vnigenitum esse Patris, & ex veritate Deum, ex gratia hominem.
Beda. Beda in Ioan. cap. 1. *Quod autem sequitur plenum gratia, & veritatis: gratiæ plenus erat, & est homo Christus Iesus, cui singulari munere præ cæteris mortalibus datum est, vt statim, quo in vtero Virginis conciperetur, homo fieri inciperet, verus esset Deus. Vnde & eadem gloriosa semper Virgo Maria non solùm hominis Christi, sed & Dei genitrix rectè credenda, ac confitenda est.* Quòd autem plenus gratiæ & veritatis ob vtramque
Origen. naturam appositum fuerit, docet Origenes homil. 2. in diuers. loc. *Potest plenitudo gratiæ Christi de Spiritu sancto intelligi, cuius septiformis operatio humanitatem Christi impleuit. Plenitudo verò veritatis ad Diuinitatem refertur.* Sed annè ex gratia Deus est homo ille, qui gignitur à Virgine? Si id ita; non propriè Dei genitrix nuncupanda, nimirum si non genuerit eum, qui naturâ Deus est. Sic cæcutiunt Nestoriani, qui in ipsa luce veritatis caligant. Verum est, quòd gratia fuit Verbum humanitatem sumpsisse, & quòd ex gratia vnionis humanitas illa in Diuinitatis fuerit euecta fastigium: attamen hypostasis, quæ naturam, generationemque in humanitate terminauit, naturâ Deus est. Quid à Matre scabioso perfidiæ dente maternitatis Dei corrodis excellentiam? Ioannes Magentius contra Magent.
Nestorian. in profes. de Christo, apud Biblioth. tom. 6. *Hinc est, quòd Beatam Virginem Mariam propter honorem tantum hominis illius, qui ex ipsa natus est, quem gratiâ, non naturâ Deum confitentur, Dei asserunt genitricem. Non autem verè & propriè Dei genitricem credimus, & confitemur, quia puerum illum, quem ipsa peperit, naturâ Deum cognoscimus.*

Sat sit hæc libauisse pro primo capite præfixæ 17.
rationis, quare Maria Dei genitrix cùm omni proprietate sit, nempe ex eo quòd in instanti generationis absque tarditatis vllius segnitie Verbum terminauerit humanitatem. Infra fusiùs de hac celeritate agemus. Præstat nunc firmare ex Patribus aliud nostræ rationis caput, nempe generationem hanc in diuinam hypostasim humanitatem terminantem retendisse: ex virtute Altissimi obumbrante, ex Spiritu sancto superueniente; non quia ipsam vnionem ad Verbum operata fuerit actio Virginis; sed quia humanitatem construxerit, cui ob virtutem supernam diuina hypostasis pro termino fuit. Et sanè illa est illatio Gabrielis: *Spiritus sanctus superueniet* Luc. 1.
in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, obuio argumento postea subintulit, *Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Chrysol. serm. 142. *Spiritus sanctus superueniet in* Chrysolog.
te, quia quod de carne natum est, caro est, & quod de Spiritu sancto, sanctum est: qui ergo de Spiritu nascitur, sine controuersia Deus est, quia Spiritus est Deus. Obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum fragilitas humana succumbat. Ecce quare Maria Theotocos sit. Nescit proles genus non sapere, originisque non capessere formam. Si Deus in generatione Christi Virgineum vterum maritat, & impellit ad fœtum; quomodò in fœtu Diuinitas non renideat, ex ipsaque generationis indole patefiat. Ea mens & Alcuini Alcuin.
est lib. 3. de fide S. Trinit. cap. 14. *Spiritus sanctus superueniens in Virginem, & Virtus Altissimi obumbrauit eam, vt lana fieret Diuinitate purpurata, solummodò æterno Imperatori indui dignissima, Et sic facta est Beatissima Virgo Maria Theotocos, sicut & Christotocos. Nam & ante eam fuerunt aliæ in populo Christotocos, id est Christorum genitrices, non tamen virgines, neque Spiritu sancto, nec virtute Altissimi obumbratæ, vt dignæ Deum generare inuenirentur. Hæc autem & Christotocos, & Theotocos, & sola Virgo ex Spiritu sancto, & virtute Altissimi concipiens, ac sic glorificata, vt Deum Dei Filium coæternum, & consubstantialem Patri generaret.* Quid nobilius? Ecce Diuinitas præuiâ dispositione sese Virgini immersit, bibulumque sinum Numine sancto imbuit, vt tota Virgo diuina effecta, ex supercœlesti virtute Deum gigneret, naturæque succumbentis fragilitas vegetum spiritum sortiretur, & ex Deitatis leuata manu in Deum procederet generandum.

Cur in ipso vestibulo, primaque voce *Domi-* 18.
nus tecum, inquit Angelus; Cur non sensim gra- Luc. 1.
ditur in nuntio? E vestigio totam rem prodere, nec legati, nec rhetoris est. Si iam Dominus incolit Mariam; quid superest sacramento? quid incarnationis deficit œconomiæ? Abruptam, dicet aliquis, exuberauit in vocem, & planitu-

dine salutationis infartus, quod altè comederat, eructauit. Quin horum verborum præcox exhibitio non ignobilibus Patribus ansam præbuit, vt putarent tunc Incarnationem peractam, de quo alibi. Sapiens Gabriel librauit nuntium, vocesque prudens trutinauit: illicò *Dominus tecum* ait, gratiâque plenam euulgat, vt à Diuinitate præuentam enunciet, quæ Dei genitrix mox futura. Hanc sternere semitam opus fuit: in limine à Diuinitate inuasam Virginem manifestat, nullum instans ab hac intima penetratione sequestrans, vt natura ad insolitum non paueret impulsum; sed in Deum animaretur generandum cui prius in Virgine incubans Diuinitas, suppetias ferebat. Da Athanasium dialog. 4. de Trinit. col. 3. *Hominem igitur genuit Maria? Nudum, & duntaxat hominem? Nequaquam, sed Deum, qui hominem induerat. Primum enim Dominus fuit cum ea diuinè, & tum demum infantulus ex ea œconomicè: quamobrem etiam Deipara est Maria.* Preme rationem, fortunatóque præsotio annues. Primò Dominus cum Maria diuinè fuit, vt Diuinitatis functiones illi adsciscerer, & in Deum generandum exerceret; postcà œconomicè, id est, iuxta incarnationem (vox visita Patribus est): ideò cum omni rigore Deipara est Maria, vtpote diuinitùs à Diuinitate traiecta, & infusa, vt pro germine Deum ederet. Deo, & Virgini communis ille conceptus est. Comea virginitas, virtusque diuina ad vnam sobolem conpingendam se accingunt, mutuisque inter se officijs cumulatæ nituntur, vt caro hominem, Diuinitas prodat Deum. In hoc omne nuntium collimauit S. Fulgentius de incarnat. & grat. Christ. cap. 6. *Hoc itaque habuit Dei, hominisque, mirabilis quidem, sed verus secundùm carnem conceptus, quo Deum cœli Virgo ineffabiliter concepit, illa scilicet gratiâ plena ab Angelo nuncupata, quod gratia præuenientis ope, atque Spiritu sancto superueniente in se Deum Dei filium conceptura, viri coitum nec pertulit, nec voluit.* Et statim: *Neque enim sancta Virgo Maria Deum sine carnis assumptione, nec carnem sine vnitione concepit, quia ille conceptus Virginis Deo fuit, carnique communis.*

Athanas.

Fulgent.

19. Idipsum exemplo conchæ, quæ ex fulgetra, lumineque maritata vnionem concipit, pretiosamque margaritam gignit, confirmat Damascenus orat. 1. de Natiuit. Virg. *Commoueatur mundi mare; in ipso enim concha gignitur, quæ cælitùs ex Diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet.* Et post pauca: *Puer hic Deus est: quonam igitur modo ea Dei genitrix non sit, quæ peperit? Si quis Virginem sanctam Dei genitricem non confitetur, à Deitate remotus est.* Perbellè quidem *à Deitate remotus est*, inquit: quippe longe à Deitate obsistit, qui negat Deitatem; Deitatem autem inficiatur quisquis hypostasim diuinam, carnem ex Maria constructam terminauisse non credit, vtpote Filium Deum in humana natura flagitioso piaculo debellans, per quem ad Deitatem aditus est. Ideò in morem parœmiæ ea verba iuêre apud Patres, vt liquet etiam ex Nazianzeno orat. 51. ad Cled. *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Diuinitatem est.* His adstipulatur Beda in cap. 1. Lucæ: *Quid hîc dicis Nestoriane, qui Beatam Mariam Dei negans esse genitricem, apertam niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dicit superuenturum, Dei Filium nasciturum: quomodò ergo aut Dei Filius Deus non est; aut quæ Deum edidit, quomodo Theotocos, id est, Dei genitrix esse non potest.* Ex hoc fonte dimanat, plures ex Patribus Dei genitricem comprobare, quia non emarcido, sed virente virginitatis flore concepit, & peperit. Quæ ratio eo fulcro nititur, opus est, quòd immaritatus vterus, innuptaque vulua nescit se in sobolem explicare, nisi virtus diuina foueat, & accendat. Strictius adhuc ratiocinatio conficitur in Maria: illa enim prætendere gestiuit quæstionem circa modum concipiendi; quippe cui virginitatis vota adeò infixa vigebant, vt damnum non pateretur pudoris, quamuis iacturam ageret maternitatis. Cuius pudicis curis subuenit Angelus pollicitatione virtutis Altissimi, & Spiritus sancti, quasi tedæ accenderentur ad sacrum cum Diuinitate connubium, vt gignendus Filius ex Dei impulsu, vtero feruente, Deus prodiret. Sophronius Hierosolymit. orat. in Christi natal. *Christus in manifestissimum omnipotentis Diuinitatis suæ iudicium, & argumentum, Virginem, ex qua prodijt, integram, incorruptamque conseruauit, ipsamque nihilominus Deiparam esse palam ostendit.* Ildelphonsus serm. 6. de serm. 6. de Assumpt. Virg. *Nam cum sint in Ecclesia tres ordines fidelium, coniugatorum videlicet, continentium, atque Virginum; hæc sola superexcellenti, & incommutabili dono Mater potuit esse & virgo; seruare pudorem, & intactis suis visceribus edere Deum & hominem. Vnde meritò eam Dei confitemur genitricem.* Cosmas Hierosolymit. sectione elapsa datus hym. 1. *Ecce Virgo, vt olim dixi, in ventre concipiens peperit Deum hominem factum, & manet Virgo, propter quam conciliantes Deo peccatores Deiparam propriè entem in fide canemus.* Hesychius de sancta Dei serm. 2. *Tibi, ô Virgo, Prophetæ tribuunt laudes, & quisque Deiferam dicit, qui miraculorum mysterijs fidem habuerit. Et ille quidem te virgam Iesse vocitat, vt obscurè declaret virginitatem, quæ nullo modo vulnerari, aut incuruari potuerit. Iste verò comparat cum rubo ardente, qui non exuritur, vt subindicet parentem Vnigeniti, & Virginem Deiparam.* Deifera apud Hesychium idem, quod Deipara, seu Theotocos est: sic enim explicat Damascenus vocem hanc, cuius sensum plenè nisi instructus non capies: fatur ita lib. 4. de orthod. fide cap. 15. *Ex ea itaque incarnatus Filius Dei natus est; non, inquam, homo Theotocos, id est Deifer, sed Deus incarnatus: neque Propheta in morem diuinâ operatione, atque afflatu inunctus, atque delibutus; idem enim ipse & vngens erat, & vnctus, vt Deus nimirum seipsum velut hominem vngens. Quid igitur afferri potest, quin Dei genitrix sit, quæ Deum Incarnatum ex se genuit? Sanè propriè, ac verè Dei genitrix est.* Quid est illud: *non, inquam, homo Theotocos, id est, Deifer?* Si *Theotocos* idem, quod Dei parens est, quis potuit vnquam sic insanire, vt dixerit Christum *Theotocon* esse, id est, peperisse Deum? Scite Damascenus Græci sermonis peritissimus, vtpote Syrus: *Theotocos* penultimâ productâ, Mariæ epitheton est: *Theotocos* Θεοτόκος autem penultimâ correptâ, significat à Deo natum, &c, vt ex Damasceno colligitur, non qui naturâ Dei Filius est, sed beneficio, qualis quisque per gratiam, Dei Filius dicitur, & Deifer.

Sophron.

Ildeph.

Cosm. Hierof.

Hesych.

Damascen.

Naziànz.

Beda.

Adhuc Mariam verè Dei genitricis re, & nomine potiri ex duplici capite firmauimus, scilicet ex diuina hypostasi in generationis momento naturam humanam terminante, & ex opitulatrice 20.

virtute;

virtute; nempe & vmbræ Altissimi, & flaminis sancti Spiritus. Si forsan in ipsamet humanitate, quæ ab actione virginea, licèt ope superna, patrata fuit, introspiciemus aliquid, quod Dei genitricem non insipidè coniectet. Sanè humanitas illa, in qua corporaliter plenitudo Diuinitatis habitauit, Dei esse se probat; quippe cui propria subsistentia defuit, nec eius defectus potuit alia hypostasi suppleri, quin Diuina. Ergo humanitas, diuina facta est, non confusionis inuolucro, nec transfusione naturæ, & conuersione; sed increatæ hypostasis beneficio. Cuius non ignobile subsidium est; quòd senetiunt ex schola peritissimi, humanitatem hanc per existentiam Verbi à primordio extitisse: existentia autem rei, si Philosophia annuas, ita cum re se complanat, & attemperat, vt res iuxta existentiam suam censeatur. Igitur humanitas hæc absque interstitio existentia Verbi & hypostasi ditata, diuina effecta videtur. Quare hoc etiam ex capite, licèt non ea stabilitate, & proprietate, ac ex prioribus, Maria Dei genitrix efferenda est; vel potius, quia hæc ratio ex superioribus deriuatur, & ex persona diuina humanitatem terminante desumitur. Sic serio lenire, & temperare gestio sententiam Damasceni, cuius attendere verba, plurimum totius huius sectionis interest. Sic lib.3. de fid. orth. c.12. *Ipsum Verbum caro factum est, vtero quidem à Virgine gestatum, Deus autem prodiens vnà cum assumpta natura, iam illa quidem etiam ab eo diuinâ effectâ, protinus vt in ortum producta est, ita vt simul hæc tria extiterint, nimirū quòd assumpta sit, quòd extiterit, quòd diuina reddita à Verbo fuerit.* His iactis præmissis, sic infert: *Atq; ita sancta Virgo Dei genitrix tum intelligitur, tum dicitur, non modò propter Verbi naturam, verumetiam quia humana natura diuina effecta est Quorum simul & conceptio, & existentia mirabile modo facta est, conceptio nimirum Verbi, carnis autem in ipso Verbo existentia.* Huius sententiæ fragorem, qui illico mentem pulsat, temperare debes. In incomparabile vergeret Virginis obsequium, quòd Dei genitrix & intelligeretur, & diceretur, non solùm ob Verbi naturam, sed quia humanitas ex ea desumpta, diuina effecta est: verum veritas ipsa non sustinet ex hoc capite propriè hoc nomen Virgini conuenire; quippe humanitas non in Deitatem transiuit, licet ex Deitatis consortio admodum fuerit nobilitata. Maria autem non figuratè, & translatitiè, sed propriè, & veraciter Dei genitrix est. Nec cordatus, sapiensque Damascenus hilum ab hac veritate deflexit; sed ingeniosè satis rationem hanc nomenclaturæ connectat, quæ cum aliis, quæ primores sunt, quasi appendice obsequio piis mentibus ad Virginis elogium inseruit. Ergo existentia Verbi, per quam existere humanitatem Christi grandis hic Theologus edocet, diuinam perhibet effectam, & illustris nominis insigne in Matrem reuerberare; vt plura suppetant indicia, quæ Dei genitricem compellent: in quo inconfusæ naturæ in Christo stabiliuntur, & ex vtraque in Mariam immortale decus deriuari monstratur. En quæ subdit Damascenus: *Sic nempe vt ipsa Dei genitrix mirum quemdam in modum, ac naturam superantem, hoc rerum omnium fictori subministraret, vt ipse fingeretur, ac Deo vniuersitatis huiusce parenti, vt homo fieret, assumptæ humanitati diuinitatem afferens; cùm interim vnio ea, quæ vnita sunt, talia seruaret, qualia vnita sunt.*

ad Col.2.9.

Damascen.

21. Ex quibus apparet, quo iure absque tropo, diminutove munere Maria Dei Genitrix efferetur. Quæ si colligas, eius nimium celsitudini deferes, quasi nouam rationem ex præfatis componens. Maria adeò se Filij Dei generationi deuouit, dum Angelico nuntio præbuit assensum, vt tota in diuinam personam iactaret arbitrium: nec vlla carnis & sanguinis cogitatione fuerit detenta; imò non adstipularetur cœlesti legato, nisi se Deum nosceret genituram. Expendere cupio Clem. Alex. dum homil.17. de fest. Paschal. sic inquit: τοῦτον γὰρ ἂν οὕτω τις καὶ οὐχ ἑτέρως, καὶ φύσει Θεὸν τὸ τεχθὲν, καὶ ἡ τεκοῦσα παρθένος, μήτηρ ἀκούοιτο ...λέγεται ... καὶ αἱμάτων αὐτῆς, καθάπερ, ἀμέλει, καὶ ἐφ' ἡμῶν αἱ καθ' ἡμᾶς μητέρες, κυρίου ... τὴν καθ' ἡμᾶς ὁμοίωσιν, ...υπό... Id est: *Hoc namque modo, nec alio prorsus intelligatur, & naturâ Deus id, quod natum est. Et ea, quæ peperit Virgo, Mater proinde dicatur, non carnis tantùm & sanguinis, quomodò reliquæ apud nos matres: sed Domini potiùs, & Dei nostram induti similitudinem.* Quid est, quod reliquas matres solius carnis & sanguinis matres esse scribat Clemens; Mariam autem Domini, Deique parentem perhibeat? Nonnè quæque parens personam gignit, dum filium: cum actiones, sibut suppositorum sunt, ad supposita terminentur; nec natura producatur, sed suppositum: & quamuis ex commistione sanguinis, carnisque prorumpitur in sobolem, non solum caro, sanguinisque gignatur, sed persona? Equidem Clemens eò aduersus hæreticos tetendit arcum, vt euincat Virginem Matrem Deiparam nuncupandam; nec solum hominis parentem. Vnde, dum reliquas matres carnis solius, sanguinisque asserit genetrices, hominis solùm genitrices intelligit. Caro enim pro homine, per synecdochem, commune in Sacris phrasi circumfertur, vt liquet ex Esaia 40 vers.5. Psalm. 144. vers.21. ad Rom.3 vers.20. Id August contra serm. Arrian. cap.9. docuit: *Si autem*, inquit: *mouentur in eo, quod scriptum est, quod Verbum caro factum est; nec ibi anima nominatur: intelligat carnem pro homine positam, à parte totum figuratæ loquutionis modo, sicuti est: Ad te omnis caro veniet.* Attamen, licèt hæc ita sint, altior sensus Clementis est: quippe qui non carnis tantum (qua voce solet homo efferri) sed & sanguinis protulit esse matres, excludens aliud, in quod genitura tendat, vt Mariæ nobilem euehat generationem quæ Domini, Deique, non carnis, sanguinisve solùm, Mater est.

Clem Alex.

Esai.40.v.5. Psalm.144. vers.21. Ad Rom.3. vers.20. August.

22. Mens Alexandrini hæc: Quæ ex libidinis æstu concipiunt, solùm in sanguinem, carnemque concipiendam ire videntur: vt simile sit id, quod gignitur, ardori, cupidinique generantis. Sic ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri nati dicuntur, Ioan.1. Annè voluntas alia carnis est, alia viri, geminisque excursibus profluit in prolem? Tantusnè libidinis amor, vt & carni mordicus adhæreat sua voluntas & viro sua; Consultò sic locutus Euangelista, vt natiuitatem ex concupiscentia panderet, eiusq; ignobilitatem feriret. quę ex squalore, turpitudineq; sanguinei, carneique influxus defœdata procedit. Ex eo Diuinę generationis extollit maiestatem, vbi non procax concupiscentia; sed sacra in personam intenditur communicatio. Id vidit Chrysostomus hom.9. in Ioann. *Hoc autem narrat Euangelista; vt vilitatem, & humilitatem prioris partus, qui est per sanguinem, & voluntatem carnis, addicentes;*

Ioan.1.

Chrysost.

&

& altitudinem ſecundi, qui per gratiam & nobilitatem eſt, cognoſcentes, magnam quamdam hîc ſuſcipiamus intelligentiam Hinc igitur ſolius carnis, & ſanguinis matres appellat Alexandrinus, vtpote quibus primus aſſenſus, & cupido carni, ſanguinique deuincitur. Fulciò ex Gregorio Nazianzeno carm. 2. in laudem Virginis. Greg. Nazianz.

Non homo totum hominem, velut de more loquuntur,
Progignit: verum craſſa tantummodò carnis
Eſt Pater, & calidi dat ſemina prima cruoris:
Quorum vtrumque graui corruptum morte peribit.

In quibus haud ſenſit non totum hominem gigni; cùm ſubdat:

Quod ſi cum mihi pars duntaxat vilior abs te
Naſcatur, nomen tibi non inuita Parentis
Ipſa tamen tribuo.

Iam ad Mariam: *Non carnis tantum, & ſanguinis, quomodò reliqua apud nos Matres, ſed Domini potiùs & Dei.* Cur? dixerat rationem inibi: *Et ea, quæ peperit Virgo Mater, proinde dicatur*, &c. Quaſi ex eo totius Domini Mater ſit, quia non conſenſit carni, & ſanguini; ſed ſolùm Domini generationi: nec enim in toto nuntio ſanguinis vlla, carniſve vox, ſed ſingulis fermè verbis Diuinitas geminatur, vt Virgo Parens germinet Dominum; nec carnis habeat contagio.

23. Id ſibi altè defixerat Virgo, carnis adeò odiſſe contubernium; vt ſi carnis licentia luxuſque, etiã ad partum diuinum, trames eſſet, Matris dignitatem renueret, vterique occluderet ſecretum, nec viſcera permitteret fœtui Deo. *Quomodò*, inquit *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quid quòd non cognoſcas? Sat eſt, ſi poſteà cognoſcas: nec enim præſens abnegatio thalami, futuri thalami inhibitionem inducit. Si forſan diceres: *Quoniam virum non cognoſcam*, nodum iniiceres ſalutanti, adigereſque tibi ad explicatum. Sed Virgo æterna æternitatis voce vſa eſt, cui præſens, totius temporis amplectitur differentias, quod alibi obſeruo. Alia ratio ſe nunc offert: Non ſuffert tarda molimina virtus Spiritus ſancti. Si nunc nuntius eſt, non præſtolabitur Deus generationis ſponſionem: ſtatim in vtero ſerendus Deus adeſt ad limen. Ideò ſe virum non cognoſcere pronuntiat Virgo; vt ſi forſan per impoſſibile, vt aiunt, viri cognitio neceſſaria ſit, non ſolùm promiſſũ, ſed & iam miſſum, vt vterum impleat, reſpuat Deum; ne peſſulum aperiat pudoris, & pedes inquinet, non quos lauerat, ſed quos nunquam ſordis polluerat contagium. S. Bernardinus Senenſis ab hoc cogitatu eſt tom. 2. ſerm. 48. art. 2. cap. 8. *Quoniam virum non cognoſco. Quaſi Angelo dicat, In tantum dilige pudicitiam Virginalem, tantumque ob hoc abhorreo copulam maritalem, cùm Deo inſpirante, & edocente virginitatis emiſerim votum, quòd etiam conciperem ſi Deum, omnino nolo cognoſcere virum carnaliter.* Quam ſacer auſus! Quàm ſtrenua primipilæ caſtitatis libertas! Purpureas infulas temnit maieſtatis, crocumque deſerit Imperij, ſi pudoris forſan aleam ſubeat virginitatis iacturam patiatur, magis candore delinita, quàm Dei puerperio. Vnde Auguſtinus ſerm. 21. de tempor. ſic ad Virginem alloquitur: *Aſſenſum tuum Angelus præſtolatur, inde eſt quòd nuntius iſte moratur. Iam audiſti, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; vt prolem gignas, & virginitatem non perdas.* Ideò forſan conditionem Angelo appoſuit aſſenſum deprecanti pro nuntio. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Non aliter fœderi, pactoque annuo, quam iuxta præfixa verba, vt Virgo maneam, Materque ſim. Ni conditio ceſſerit, non cedo nutum.

Bernard. Senenſ.

S. Auguſt.

Luc. 1.

24. Ideò Virgo virga de radice Ieſſe, Prophetico dicitur vaticinio, floſque Chriſtus de radice eius aſcendens, quæ recto aſcenſu, liberoque victoria gradu in Deum innaſcentem dirigatur, nec adhærenti frutici, declini reflexu, recumbat; ſed tota libertate aſcendat in florem, conſentiat in prolem, extrerique ſeminis execretur coniugium. Sic vernat Ambroſius tractat. de hortat. ad Virgin. *Ipſa eſt virga germinans florem: quia pura & ad Dominum libero corde directa virginitas, quæ nullis in hoc ſæculo curatum anfractibus reflectatur.* Obſerua illud, *ad Dominum libero corde directa virginitas.* quippe adeò liberâ fronte virginitas in Deũ ipſum directa eſt, vt ſolùm Dei annueret genituræ; cui reluctaretur pudica, ſi per thalamum fuiſſet peragenda.

Iſai 11.

Ambroſ.

DE

DE DEO PATRE ERGA MARIAM, ET INCARNATIONEM FILII.

DIVINVS PATER SVPERNÆ VIRTVTIS vmbris se imaginauit in Maria, sacrísque cælauit characteribus; vt viuidum sci interim hominibus exhiberet simulacrum.

3\. ENEDICTVS Deus, & Pater Domini nostri IESV CHRISTI vrget iam nos in opus suum; nec tarda molimina segnis nostri calami patiens, cursum impellere festinat, vt sancti sui simulacri, viuidæque, & animatæ imaginis sacras cælaturas describamus. Ergo ea, quæ retrò sunt obliuiscentes; ad ea verò, quæ sunt priora, extendentes nos, ad destinatum persequamur, ad brauium præcipuæ vocationis præfixi nostri instituti. Maria Trinitatis apocalypsis est. Accedamus igitur ad primam sanctæ Triados personam, quæ se totam effigiauit in Virgine, & quasi in pellucida crystallo reuibratis luminibus immersit. An amussim, ad lineamque sese picturauerit, vt ex opaco vmbratum (1. Tim. 6.) tractu hominibus appareret Deus ille, qui lucem habitat inaccessibilem; elucubratio nostra à sanctis Patribus, diuino inspiramine inflatis, enititur (Ephes. 3.) extorquere. Condidit Deus Mariam, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, vt esset sub cœlo, diuini Parentis pictura, eximiæ prædestinationis stylo deducta, vsibusq; efficta diuinis, & superni Genitoris mortalibus interim spirantem exhiberet iconem, dotesque, & pignora ad eundem Filium resculperet generandum. Similitudinem hanc diuite censu Patres locupletant, quorum acumina sparsim in hoc opere dispensabimus: sat sit nunc libere nonnullos. Augustinus (August.) serm. 22. de tempor. *Hac die est natus ex Virgine Matre, qui ante sæcula æternus est genitus ex Deo Patre. In illa natiuitate ex impassibili genitore; & in ista, incorruptâ natus est Virgine. Illam solus Pater sciuit ipse, qui genuit: hanc in se sola Virgo & Mater intemerata cognouit, quæ virum in concipiendo non pertulit. In Patre impossibilitas, in Matre incorruptibilitas. In Patre perpetua diuinitas, in Matre æterna virginitas,* Carthusianus de dignit. (Carthus.) Mariæ articul. 8. *Quid autem æterno Patri in creatis rebus tam simile, quemadmodum illa, quæ eundem cum illo Filium peperit: quæ sic sine viro, vt ille absque fœmina cum integritatis decore produxit: quæ hunc quoque edidit, à quo Spiritus sanctus donatur, atque procedit?* Ambrosius in Octaua Epiphaniæ: (Ambros.) *Mater partui molli blanditur gremio; Pater Filio pio testimonio adstipulatur. Mater eum adorandum Magis ingerit; Pater incolendum gentibus manifestat. Sinu igitur retinetur à Matre, cum nascitur; sed Pater ei sinus sui vterum iugiter subministrat.* Albertus Magnus in Marial. c. 94. *Tertia* (Alb. Mag.) *proprietas est actiuum, quod est, vt secundum Deum incedant. Hanc autem habuit Beatissima Virgo, quoniam maximè secundùm Deum ascendit, & incessit, quia & Deiformissimos actus habuit, & in summo actu ipsum singulariter imitata fuit, quoniam ipsum Deum genuit.* Ergo innitendum nobis est ad exprimendam hanc diuini Patris imaginem, & velut in tabula coloribus ex paupertina nostræ mentis officina depromptis pingendam: Quare ipsâmet viuâ, & animatâ effigie inspirante, in tripede ligno, quòd apud pictores *pulpitum* vocatur, siquidem Trinitatis agimus opus, tabulam imponamus: deinde temperemus colores; diuinam, humanámque naturam in vna hypostasi absque confusione misceamus: pòst inducamus vmbram, Altissimi Genitoris virtutem obumbrantem immittentes: deinde virginitatis floribus illuminemus; vnguentis charismatum liniamus, imitatrices increati Patris lineas referamus; vt videat homo constitutus in terra cœlestis prototypi simulacrum, & ad agnitionem supernæ generationis, hac depictione blandiente, trahatur.

* *
*

ACADE

ACADEMIA VII.

Mariæ prædestinatæ similitudo cum Personæ Patris constitutiuo.

Prima in Diuinis Persona est, vt Pater sit diuini Filij: Maria solùm existit, vt Mater diuini Filij sit.

SECTIO I.

2. DIVINAS personas subsistentibus relationibus constitui, communis censio Theologorum est. Vnaquæque in sua hypostasi constituitur, quatenus proprietate relatiuâ sigillatur. Prima persona, quâ Pater est, persona est: eòmet, quo respicit Filium, quo gignit, subsistit. Iustinus in exposit. fidei de Trinit. *Voces hæ ingenitus, genitus, procedens, non essentiam, sed subsistentias significant: valent enim ad discernendas personas Patris, Filij, sancti Spiritus, & indicandas nobis singulorum proprias subsistentias.* Cyrill. lib. 2. Thes. c. 3. *Cum simplex natura Deitatis sit, nunquam in plures personas distingueretur, nisi quædam inueniretur differentia, non secundùm essentiam; sed secundum relationem, & quasi intrinsecùs intellecta, per quam vtriusque persona in propriâ hypostasi constituitur.* Ergo prima persona Patris adeò stirpitùs tota est ad Filium, vt nec se personam distinctam audiret, si non progigneret Filium. Ad quid prima persona in diuinis? Equidem solùm, vt sit Pater. Quare solùm est Pater, & solus; nec posterius Pater, quam persona. In creaturis præest existentia, diutinaque stabilitate persona Parentis sobolem præcedit; nec à generationis facultate pendet, vt subsistat. Æternus Pater, quia gignit, in illa increata substantia charactere suo, hypostasisque notâ potitur: solus gignit, solum gignit, in totum Pater est, totiusque Pater: nec posterius est Pater, quàm persona. Audi Nazianzen. orat. 23. in laud. Heronis: *Patrem esse credamus Patrem multò verius, quam qui apud nos id nomen obtinent: tum quia proprio, & singulari modo Pater est: tum quia solius, nempe Vnigeniti: tum quia solum, nec enim ipse prius, quàm Pater esset, Filius fuit: tum quia in totum, & totius Pater, quod de nobis certo affirmari nequit: tum quia à principio; nec enim posterius Pater esse cœpit. Eodem modo Filium vere esse Filium, quod & solus, & solius, ac singulari modo, & solùm (non enim Pater quoque est) & in totum, & totius, & à principio hanc rationem habent.* Aurea quidem, & ex tota Theologia scaturientia verba.

Iustin.

Cyrillus.

Nazianz.

3. Licet plura est his nullo negotio transferre ad Mariam, quæ & singulari modo Mater est, & sola absque viri munere; attamen tantum id nunc versandum suscipimus, scilicet Mariam in hoc cum Patre diuino nancisci sodalitium, imitati attributum, quòd sicut ille, quidquid est, ad Filium est; nec in personalitate constituitur, nisi quatenus per generationem Filium Vnigenitum prospectat: sic existentia Mariæ adeò in eumdem Filium generandum propendet, vt nisi Mater esset, non existeret. In hoc munus, Mariæ substantia oppignerata est. Hunc scopum sibi Virginis prædefinitio præfigit. Si Filius Dei non veniret, si hæc humana non ingrederetur Deus, decretis sic stantibus, solùmque in hoc inuersis, Maria lucem non videret, nec è possibilium statu in splendoris traheretur vsuram. O quanta dignitas! O quale pignus Auctoris! Quidquid Pater diuinus est, ad Filium est: quidquid humana Mater est, ad Filium est. Vterus grauidandus Deo virgineam puellam ab vtero matris extraxit: generandus fœtus impulit ad creationem, diuinamque sapientiam in Mariæ effictionem exacuit ipsamet incarnanda Sapientia: quam Matrem elegit, ad existendum euocauit. Hæc sit prima linea, quam in Marianâ picturâ ad suam similitudinem traxit Pater. Nec in animo est summam decretorum irrumpere abyssum, prioraque & posteriora instantia seu cernere, seu decernere. Doctissimi hanc nauarunt operam, & præcipuè literatissimus, elucidandisque Scripturis natus; Illustris admodum P. Ferdinandus de Salazar ad Archiepiscopatum de las Charcas ob viri præstantiam vocatus; thesim illam ingenij acumine, & Theologicis neruis apprimè versauit in opere de Conceptione ex capite 18. scilicet Mariam ex præuisione meritorum Christi, non tantum ad gratiam, & gloriam electam fuisse; sed etiam decretam ad existentiam, vt Mater Dei esset; cùm alias minimè fuisset futura. Nos hæc amamus vestigia: verùm decretorum seriem non minutis concidimus sectionibus. Tantum è cætero creaturarum vulgo sacram hanc Virginem seligimus: ita vt, quomodolibet statuantur decreta, hæc Filio Dei secernenda sit portio, semperque Mater super dilectum suum innixa gradiatur, eumdemque cum Filio in Dei prædefinitione possideat situm; nec eius existentia in aliud decernatur institutum, nisi vt Mater Filij Dei sit, & proprietatem diuini exculperet Genitoris.

Salaz.

Ducatum ferat Idiota in contemp. de Beatæ Virg. c. 2. *Tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solùm effecta, vt templum esses Dei Altissimi. Tota pulchra es ex generatione Verbi Diuini, qui est splendor Paternæ gloriæ, qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, in quem desiderant Angeli prospicere.* Hunc locum iam viderunt alij; ideò placuit noua luce perfundere. Duo sapientissimus Idiota ad pulchritudinem Virginis decantandam assumit; nempe & conceptionem, qua concepta fuit, & qua concepit Verbum Dei: in alterutro disparem rationem venustatis innuit: *Pulchra*, inquit, *in tua conceptione, ad hoc solùm effecta, vt templum esses Dei Altissimi.* Si Deus Altissimus Verbum Diuinum est? superflè pòst subditur, quòd tota pulchra sit ex generatione Verbi Diuini; vtpote quòd iam ex hoc affatim in altero membro laudata pulchritudo præcesserit. Igitur mens sit, quòd pulchra fuerit Virgo in ipsomet modulationis instanti, quando compingebatur in vulua. Quâ causâ? Quia illa conceptio in eum tendebat scopum, quòd Patrem Diuinum naturæ participio referret Maria, & tanquam in templo se pro Patris simulacro erigeret: quippe Pater quidquid est, ob Filium Diuinum est; in eum generandum eius subsistentia vergit, pergitque. Ergo Maria templum Dei Altissimi est à conceptionis primordio, quam 4

Idiota.

virtus

virtus Altissimi obumbrabat, vmbrasque ducebat in illa, vt ipsa esset templum & imago, in qua coleretur: quoniam eam proprietatem à Patre libabat, quòd non aliter existeret, quin ad Filium Dei generandum procueret. Congruit vox *Dei Altissimi*, quæ solet pro Patre supponi. Attexit deinde alteram pulchritudinis causam, nempe ex generatione Verbi Diuini. Graphicè quidem ad nostrum argumentum: nam si ex Maria Verbum oritur splendor, candor, æternæque lucis apex; necessum est, quòd Maria ab exordio in hunc splendorem enitendum nata fuisset: quippe splendor è propria lampade, vtroque corpore lucis illicò progreditur; nec moras sustinet, quin lucis fons in illum ex ingenita natura propendeat. Verbum oritur ex Virgine; vt homo quidem in taxati temporis mensura: sed quà splendor, candorque lucis est; totam in suos vsus, suique irradiationé, virginei orbis positionem arripuit, vt non aliter orbis iste luminosus conderetur; nisi in lucis huius genituram. In quo Idiotæ loco promptum satis dat pro pulchritudine conceptionis Mariæ argumentum. Perpolita, liberalique facie resplenduit in sua conceptione Virgo: probat, quia ad hoc solum effecta est, vt templum esset Dei Altissimi: id est (iuxta nostrum scholium) vt in ipsa tanquam in templo viuida Altissimi Patris imago coleretur: imago autem ipsa Maria ast in illomet primordio: quatenus eius existentia non in aliud collimat, quam in diuini Filij generationem. En igitur ingeniosum nimis conficitur acumen. Vnum & idem instans nequit contrariis, & inter se colluctantibus subesse qualitatibus: imago Patris est Maria in recentis conceptionis auspicio; similitudinem primæ in diuinis personæ sibi pet-arat, vtpote in id subsistens, quod gignat Deum. ergo originariæ labis nequiuit dissimilitudine deturpari, veternosoque abduci situ, qui lineam hanc fœtida spurcitie obcæcarat.

5. Fulb. Carn. Præsto sit ratiocinationi Fulbert. Carn. serm. in ortu Virgin. *Fœlix talis partus, & ortus de cuius substantia assumpta est talis Virgo, quæ tolleret veternas Parentum offensas, & releuaret concussam orbem, qui sub sæuo duri erat hostis dominio. Cuius itaque partus, vt censemus, ad nihil extitit, nisi vt fieret eius sancta pudicitia domus & susceptio Filij Altissimi. Ad quid enim aliud? Ergonè huius castitas, ante partum, vel post dignum pignus genitum, fœdata est aliquo contagio? Fœlix enim culpa, sed sancta coniugalis societas, quæ tale, ac tantum, specialeque, vel singulare decus profudit in orbe de concesso nuptiali contubernio.* En ideò Carnotensis ad antiquas Parentum offensas non luendas pro pœna, sed abluendas pro lauacro, Mariam lucem accepisse perhibet, eo discursu, quòd eius partus ad nihil aliud extitit; nisi vt sancta pudicitia fieret susceptio Filij Altissimi. In quo duo probè nectuntur; nempe & habitudo ad Altissimum, qui Pater est, & ad Filium qui Patris Vnigenitus. Ea vis est: Si Virginis existentia hunc sibi solum præfigit finem, quòd pudicitia eius, germine Dei fœta redderetur: ergo in existentiæ limina colubri veneno infici non potuit, quippe quæ hausit superni Genitoris characterem; eà cælaturæ methodo, quòd tota destinaretur in prolem Dei. Ergo ab ipsomet Patre desciscere nequiuit, quæ sic illi agglutinata, eius imaginem hauriebat. Pulchra sunt illa: *Ad quid enim aliud?* Tota Maria vsibus mancipatur diuinis. Vnumquodque naturæ suæ trahitur impulsu. Li-

Zerda, Mariæ effigies.

cèt torqueas ignem, vt intorto calle ad ima descendat, ipse sibi relictus arduam satagit subrigi in sphæram, ibi meta, ibi finis, illûc rapitur. Quid concutis, percellisque Mariam? Etsi virgam hanc hùc illùc dimoueas, semper ascendit recto gressu: & à radicis initio in id acuitur, vergit, vegetatur, vt flos Christus de radice eius ascendat. In quo rursus alia puritatis se prodit deductio. Si conceptio hæc ad nihil extitit, nisi ad generandum ab hac sacra puella Deum, igitur sancta fuit. Sanctitas enim illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur: verba sunt S. Thomæ 1. p. q. 36. art. 1. Id scitè calluit Carnotensis: subdit enim illicò: *Fœlix enim culpa; sed sancta coniugalis societas, quæ tale, ac tantum speciale decus profudit in orbe.* S. Thom.
Curnè sanctitatem pangit iugali thalamo, cum Psal. 50. 7.
potiùs ob coitus fœditatem in iniquitatibus se conceptam eiulat creatura? Quia conceptio hæc toto nixu ordinatur in Deum, ad modulandam scilicet prolem, cuius existentiæ habitudo in Deum protendit. Ideò tertia persona in diuinis Spiritus sanctus, & nuncupatur, & est. Auscultate rationem apud S. Thom. supr. *Nam nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem quandam, & motionem significare videtur. Nam flatum, & ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quòd moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur persona Diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus sanctus nominatur.* Fœlix faustaque nomenclatura, qua insignitur persona, cuius totum, quod est, in Deum it. Igitur, si ad nihil extitit aliud conceptio Mariæ, quam ad Deum gignendum; ordinatur ad Deum. Quare sanctitatem illam ea Spiritus sancti beneficio delibat. Grande prodigium & inæstimabile sacramentum! Eadem conceptio vnius Mariæ & Patrem superorum refert, quia in Filium Dei gignendum destinatur; & à Spiritu sancto aucupatur vocabulum, quia ordinatur in Deum.

6.
Annè Spiritus sanctus huic sacræ conceptioni incubuit? Affabrè res componeretur, si sic obtigisset. Fruere Carnotensi in eodem serm. de Nativitate Virgin. *In huius conceptione necessaria haud dubium est, quin vtrumque Parentem viuificus, & ardens Spiritus sanctus singulari munere repleuerit.* Quid est illud, *in huius conceptione necessaria?* Qualisnè necessitas. Perbellè. Post decretum Christum Mariæ conceptio necessaria fuit, quæ in eius intenderet puerperium. Nulla necessitas ad aliorum fœtum adigit concipientes: imò voluntatis, voluptatisque lenocinium blanditur, ex cuius prurìtu originaria labes prolem polluit. Ad Mariam concipiendam non voluptatis blandimenta pupugerunt; sed Verbi incarnandi necessitas impulit: ideò sancta conceptio, sancta coniugalis societas: ideò Spiritus sanctus, cuius proprium est in sua origine ordinari in Deum, vtrumque parentem singulari viuifici ardoris munere repleuit, vt inibi vita, sanctitasque ordiretur; cùm tamen in reliquis vuluis sobolem compingentibus mors, & morsus culpæ illicò prendat. Quia Mariæ conceptio necessaria fuit ad gignendum Filium Dei, ideò Spiritus sanctus contagium abegit. Ne nutes, quòd necessaria fuerit, adi Damianum serm. 43. de Natiuit. Virgin.
col 1. *Sicut impossibile erat, vt humani generis redemptio fieret, nisi Dei Filius de Virgine nascere-* Damian.

tur; ita etiam necessarium fuerat, vt Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur. O quantus nexus inter Incarnationem, & Mariam!

7. Id superest, quòd si Spiritus sanctus ad Mariam concipiendam incumbens, vtrumque parentem repleuerit, quia in hac conceptione sanctitatis elucebat attributum ex ordinatione ad Deum; etiam Pater Diuinus peculiari impulsu concurrere debuisset; vtpote cuius proprietas in hoc superbenedicto fœtu illuxisset, qui non aliter existentiam capessebat, nisi vt Deum Filium generaret. Mira concinnitas, adsonaque Patrum cantilena! En artifex Deus ad Marianum opificium concurrit, vt filio suo habitaculum fabrefaciat, & in effigiem sui formet Mariam. Dionysius Carthusianus in lib. 2. de laudibus Virginis ex Henrico de Hasia: *Quoniam omnium artifex Deus ad ipsius formationem in vtero supernaturaliter concurrens, Filio suo dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinsecus omnium gratificantium charismatum, & dignificantium habituum plenitudine adornauit, vt etiam in exteriori eius effigie gratia diuina tam copiosè, efficaciterque luceret.* In quibus gnauiter obserua supernaturalem, peculiaremque Patri ad Mariam efformandam appingi concursum: quia id habitaculum Filio suo struebatur. In quo id acuminis est: Quia fabricatur, vt domus fieret Filij Dei; Pater incubuit ad opus, in quo suæ proprietatis sacrum participium prospectabat, quæ, vt diximus, in eo consistit, quòd omnis Patris constitutio, & hypostasis per respectum ad Filium fit. Parilitas hæc Patrem ad molimen Virgineum allexit; in quo mox repræsentatus, & expressus inclaruit, & tanquam in effigie se prodidit. Cui sensui applaudit Carthusian. attexens, *vt etiam in exteriori eius effigie gratia diuina tam copiosè, efficaciterque luceret.* Qualis stylus hic? Effigies nuncupatur Maria? Apposité. Si Patrem supernum effigiat à primordio, spirantibusque coloribus exprimit; intus, & extra effigies est, in quam gratia diuina, id est, diuinæ naturæ participatio, quæ in Patre radix generationis est diuini Filij, copias locupletes infuderat, effectriceque sacræ prolis virtute efficaciter imbuerat. Ideò ad effigiem attexit Carthusianus diuinam gratiam copiosè, efficaciterque lucentem in Virgine.

Carthus. Henric. de Hasia.

8. Signum sacræ virginitatis extulit Mariam, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum leuauit. Annè alia fœmina priùs se deuouerat virginitati? Sanè esto præcesserunt virgines ante eam; voto tamen non se damnauerant, nec promissionis illigauerant vinculo. Id strenuè propugnat P. Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 124. cap. 5. Quo iure, insuper rogabo, id altè nobis insignimus? An vt primipilam virginitatis asseramus Mariam? Certè Epiphanius suprà expensus inquit: *Ipsa natura non docet vos?* Qualisnè natura? Conceptio Virginea, natiuitas in vulua Annæ. Huius naturæ, membrorumque compago edocet virginitati deuotam puellam, strictaque destinatione in eam virtutem intentam. Deum hominem conceptura gignitur; hic huic naturæ supernaturalis scopus est: ergo votum ibi emisit natura, seruare virginem suam; nam innocua virginitas præuiè vterum grauidandum Deo prærigare debebat. Exponere gestio Aponium in Cantic. lib. 4. ad illa verba *Vox turturis audita est. Iustâ ergo ratione turturi castissima aui virginitas comparatur, quæ in Ioanne, vel Maria obtinet principatum, quæ semel Verbo Dei, vel Spiritui sancto coniuncta, nunquam aliquem alium cogitat comparem, nec alteri desiderium sui amoris communicat, nisi illi, cui semel conglutinata probatur; sed ad illum semper promissionis vocem, & mentis emittit affectum, cui promisit seruare, quòd nata est.* Preme ista: *cui promisit seruare, quòd nata est.* Vox turturis audita est ex Aponij sententia, quando illam vocem sacra auis emisit: *Quoniam virum non cognosco:* qua virgineis amplexibus se Deo litabat, & turturis ad modum Luc. 1. non nisi in vnum sponsum deuouebat affectum. Annè nouum votum fuit? Minimè: immò promisit seruare, quòd nata est: si illi nata fuit, ex suamet natiuitate eius vsibus addicta processit: solùm ergo vouet seruare pristinũ votum, quale cõceptionis natura protulit, vt iam probo: quoniam ad hoc solùm concepta fuit, vt Deum peperisset.

P. Vazq.

Apon.

9. Mariana conceptio genitale votum fuit Dei ad homines aduentus: ideò & virginitatis votum extitit, quoniam existentia puellæ huic aduentui deuincta fuit, & mancipata. Adest fortunatò Damascenus orat. 2. de Natiuitate Mariæ, colum. 13. Iuuat Græca dare: Ἀλλ' ἐπὶ τὴν γενέθλιον αὖθις αὐλισθῶμεν ἑορτήν, καὶ τῇ Ἄννῃ μικρὸν ὥσπερ ἐπιθαλάμιον ἀνακρουσώμεθα μέλος, νῦν μὲν φερώνυμον παῖδα θεόσδοτον, ἐπαγγελίας ἐνέχυρον, νῦν δὲ τεκούσῃ γόνιμον εὐχὴν μετὰ στείρωσιν τὴν ὑπὲρ τῆς ἐμφανεστάτης θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐπιδημίας. *Verùm ad natalitium festum rursus nos conferamus, atque Annæ velut epithalamium carmen paulisper modulemur, nunc quidem filiam diuinitus datam, ac promissionis pignus vtero gerenti: nunc autem post diuturnam sterilitatem genitale votum clarissimi, atque omni mentis agitatione præstantioris Dei ad homines aduentus emittenti.* Pro illis verbis: *genitale votum*, Græcè est, γόνιμον εὐχήν. Hæret Scholiastes Damasceni in huius sententiæ enodatione, sicque fatur: *Satis apparet per* γονίμου εὐχῆς *Mariam intelligendam esse. Atque etiam conijci posset eam idcirco* γόνιμον εὐχὴν *dici, quòd Anna precibus eam à Deo obtinuisset. Sed quo pacto ipsa* γόνιμος εὐχὴ τῆς θείας ἐπιδημίας *intelligi queat, non admodum perspicio, atque haud scio, an sub vocabulo* εὐχὴν *aliquid vitij hæreat.* His quidem Damasceni sententiæ vis eneruatur, & à lepiditate sua decidit. Hæc igitur mens est: Mariæ conceptio pignus, stabilisque promissio est aduentus Verbi Dei: non in aliud institutum Virgo generatur. Quare perpulchrè, dum Maria gignitur, *genitale votum* fit Dei aduentus: natura ipsa deuouet fœtum, vehendoque Deo mancipat, quo Filius Dei descendat de cœlo: Annæ vulua præparat vuluam puellæ geniturae Deum: ergo venustè nimis *genitale votum* Dei aduentus nuncupatur Maria, dum concipitur. Quod enim εὐχὴ significet propriè votum, quod emittitur, nuncupaturve, & redditur, promptum est ex Græcis Auctoribus comprobare. Apud Thuc. εὐχὰς ποιεῖσθαι τὰς νομιζομένας, vertitur, *vota legitima nuncupare.* Plautus in Camil. εὐχὰς ἐποιεῖτο μεγάλας θέας ἄξειν, id est, *vouit se magna spectacula editurum.* Aristoph. εὐχὴν ποιεῖσθαι κατὰ χιμαιρῶν. *Capras vouere.* Xenophon εὐχὰς ἀποδιδόναι, *vota persoluere.* Dicitur autem γόνιμος εὐχὴ Maria grandi emphasi: γόνιμος *enim* propriè prolificus, siue fœtificus est, vt ex Platone constat, & Theoph. Ergo Maria, dum gignitur, prolificũ votũ est,

Damasc.

Thuc.

Plaut.

Aristoph.

Xenoph.

Plato.

Theophr.

eſt, ſiue promiſſio ſacra Incarnationis Verbi Dei. quæ eò tendunt, vt noueris, quale vinculum, & nexus ſit Verbi Dei in carne cum Maria, cuius exiſtentia ſic eum illius incarnatione illigatur, quòd ſit votum, & promiſſio iam prolifica ipſiuſmet Verbi in vtero generandi. Quo nihil ſublimius poteſt cogitari, nihilque cum Patre Diuino ſimilius, qui eo ipſo, quòd prima perſona ſit; conſideranti mox Filij perſonam exhibet, & indicat: quia prima perſona ex ſua conſtitutione Pater eſt. Epiph. hæreſ. 73.

Epiph. *Quare etiamſi Patrem ſolum nominauerimus, habemus in homine ſubintellectam notionem Filij: Pater enim Filij Pater dicitur.* Anaſtaſ. Synaita de rect. fidei dogmat. lib. 1.

Synait. *Quòd ſi hac dictione Pater habitus eſt* (id eſt habitudo) *nimirum per eam filius intelligitur.*

10. Itaque Maria votum eſt, ſyngraphaque, & obligatio aduentus Filij Dei: imò pignus, quod in Incarnationis iam proximæ cautionem Filius Dei interim hominibus dedit. Meliùs. Humana natura veteris peccati fœnori obnoxia, cùm ſoluendo non eſſet, nec agri glebam haberet, quò lueret debitum; Mariam pignerauit; pro pignore dedit Filio Dei, vt ad aduentum impelleret: nam ſemel hoc pignore præſtito, nequibat iam moras trahere, procraſtinareque deſcenſum. Si forſan ſic capies

Chryſolog. Chryſolog. in trito loco: *Peruolat ad Sponſam feſtinus interpres, vt à Dei Sponſa humanæ deſponſationis arceat, & ſuſpendat affectum: neque auferat à Ioſeph Virginem, ſed reddat Chriſto, cui eſt in vtero pignerata, cum fieret.* Id eſt, in ipſo conceptionis inſtanti Filius Dei pro pignore accepit Virginem, in Annæque vtero depoſuit, quaſi pangens fœtus maturi aduentus. Cur autem Chriſto dicitur pignorata, cùm tunc nondum Chriſtus eſſet; id eſt homo Deus, vtpote nondum peractâ Incarnatione? Adeò huic pignori ſuum obſtrinxit aduentum, vt ipſimet Chriſto, quaſi iam ob conceptam Mariam exiſtenti, in carne pignerata Maria videretur. Obſerua illud, *pignerata cum fieret.* Solùm ad Chriſtum generandum fiebat. Auſcultare nunc Simonem de Caſſia lib. 2.

Simon. de Caſſia. de B. Maria cap. 1. *Ad Virginem mittitur omnino impollutam. Virgo ſcilicet natura decus portans, exiſtens, quod facta erat, fulcita optimè in natura peramplius in gratia. Vna vni apta ſoli, non multiplicans affectum, neque opus; non corpus niſi ab vno, & eundem vnum.* Expende illud; *exiſtens, quod facta erat:* id eſt, in quod facta erat: hæc ſibi obtigit exiſtentia, in ſolum, in vnum eius intendit generatio. Iam alij videtunt Damaſceni

Damaſc. locum orat. 1. de Natiuit. Virg. *Vitam natura præſtantiorem habebis, non tibi ipſi: neque enim tui ipſius cauſa progenita es: quocirca Deo habebis, ob quem in vitam prodiſti, vt orbis vniuerſi ſalutis adminiſtram te praberes, atque antiquum Dei conſilium, hoc eſt incarnationis Verbi, ac noſtra Deificationis per te impleretur.* Adiicio

Alb. Magn. Albert. Magnum in Marial. pag. 21. *Beata Virgo ſanctificationem ſui nominis* (in quo Mater Dei ſignificatur, de quo ſuprà) *non quaſi de nouo acquiſiuit, ſed in hoc etiam nata fuit.* Chryſoſtom.

Chryſoſt. hom. 2. in Matth. ad fin. nec de minùs compto ſtylo, inurbanáque comitate notent Angelus, cùm dixit Sponſo, *Accipe puerum, & Matrem eius,* priùs puerum, deinde Matrem commemorans, ſic inquit: *Ideò non dixit; Accipe Matrem, & puerum eius; ſed accipe puerum, & Matrem eius: quia non propter illam Matrem iſte Filius natus eſt; ſed propter illum Filium illa præparata eſt Mater.*

Zerda, Maria effigies.

11. Ex adhuc diſcuſſis ſtrenuè, & robuſtè firmatum dignoſces Mariam ex ſuperno Patre hanc libauiſſe proprietatem, quòd ſua hypoſtaſis, & conſtitutio ob Filium ſit: hic illi reſpectus, & habitudo. Mariam ergo prende; ſacris eius implicare veſtigiis, vt ex ingenita ſacræ fœminæ indole te trahat ad Filium Redemptorem: ſi etenim aliud Maria non eſt, quàm purus, ſubſiſtenſque reſpectus ad Filium; ſi Mariam habes, ipsâmet habitudine ſui proueheris ad Redemptorem. Non alio harpagone prenditur, non aliâ ſemitâ rectiori quæritur Filius Dei, quàm per Mariam: ſi Mariam tenes, prope eſt; quia propior eſt. Redemptorem amas adipiſci, eiuſque ſanguine cruentari ad lauacrum? Virgo tibi pro pignore ſit mox luet debitum Filius Dei. In Sybillinis lib. 8. apud Bibliοth. tom. 8. part. 1. ſic de Chriſto Redemptore præcinitur: Sybill.

Ad vireſa genas prebebit ſputa pudentes,
Verberibúſque ſacrum tradet proſcindere tergum.
Virginem enim caſtam tradet mortalibus ipſe,
Perque feret tacitus colaphos, ne fortè ſciatur,
Quis ſit, cuius ſit, mortalibus vnde loquutus Venerit.

Meritò pulſat animum, vnde, & ad quid verſus ille irrepſerit, ſeque medium intempeſtiuâ, & inopinâ intercapedine dederit: *Virginem enim caſtam tradet mortalibus ipſe?* Vt quid Virgo inſeritur inter ſputa, flagra, colaphos? Cenſetur in marginalibus mendosè carmen hoc irruiſſe. Abſit. Mendoſior eſt, qui ſic amputat, & trucidat miram ſententiam. Vaticinatur. Sybilla Filium Dei non ſolùm deſcenſurum de cœlo, ſed & tormentis quatiendum, temerandum ſputis, feriendum verberibus, colaphis ſugillandum. Vt credibile faciat auſpicium, quod illicò aures percellere videbatur tanquam horrendum ingens, ſupraque humani captus rationem; viſum fuit ſpiritui, qui loquebatur, Mariam interſerere; quo pignore, arrhaboneque credibile fieret vaticinium: nam ſemel creditâ exiſtentiâ Mariæ illicò intellectus obſtringitur ad aſſentiendum aduentui Filij Dei, vt Redemptorem agat: quod munus non abſque ſanguine, ærumnoſiſque conficitur punctionibus. Ergo ex Virgine Vates ſubarrhauit fidem Redemptoris, ſerióque interiecit eum illa cauſalitate: *Virginem enim caſtam tradet mortalibus ipſe.* Si ſemel Virgo eſt; animum erige, Redemptorem habemus, cui in vtero fuit pignerata, cùm fieret. Vterus Marianus, vberaque Virginea non in aliud officium inſtituta ſunt, niſi vt gignat, niſi vt lactent; & ex vtraque officina ſanguinem pendant Filio Dei, quem pro hominibus effundat.

12. Gaudeo iam in diutina meditatione ſuper obuium Arnoldi Carnotenſis locum de laudib. Virg. Arnold. Carn. quem nouiter illuſtrare non pigeat: *Chriſtus nudo latere oſtendit Patri latus, & vulnera: Maria Chriſto pectus, & vbera. Nec poteſt omnino eſſe repulſa, vbi concurrunt, & orant omni linguâ diſertius hæc clementiæ monumenta, & charitatis inſignia. Diuidunt coram Patre inter ſe Mater & Filius pietatis officia.* Dubito: ſi priùs Filius pandit cruore delibutum latus, & vulnera ſanguinem perpluentia, oſtenditque parenti: vel quid Mater exerit vbera, pietatem Filij ſolicitans? Si Filius tetricam complicaret frontem, iniuriis hominum laceſſitus, iratum temperari à Matre ne-

cessum esset: ast dum ille mitis, lenis, & accliuis pro hominibus intercedit ad Patrem, offert vota, vibices, flagra, vlcera teserat; ad quid mammillas illi Mater ostendit? Ostendat Patri, vt simul diuidant inter se Mater, & Filius pietatis officia. Annè vt videat Pater sanguinem Filij ab vberibus Matris processisse; vt cernat Filius sanguinem, quem offert, è Virgineis Matris mammillis instillatum? Quasi per calliculos emanat pietas, ab vbere Matris ad latus Filij, à latere ad Patrem. Attendas sanguineæ pietatis fontes in peccatorum lauacrum vbera esse Matris: scaturisse ab vberibus; sed redemptionis valorem suscepisse à Filio. Benè ista. Meliùs. Vt ex situ hoc didiceris, qualis habitudo sit inter hunc personarum ternarium, Matrem, Filium, Patrem. Vt appareat, quod quidquid Maria est, ob Filium est, ad cuius generationem, lactationemque nacta fuit existentiam; sicut quidquid Filius diuinus est, ob Patrem, & ad Patrem est: ideò in cœlestibus apud Arnoldum hæc positio sistitur. Maria tota in Christum vergit, pectusque denudat, & vbera; Filius verò in Patrem attendit, latusque ostendit, & vulnera, vt agnoueris illud pectus, & vbera ob hunc Christum, & vulnera formata fuisse: nec timeas ad Patrem non peruenire, si inceperis à Maria; quæ te ad Filium, Filius ad Patrem tuto tramite deducet.

Maria tantum vsibus mancipatur diuinis; superuacua esset, & inanis, si Deum Filium non generaret.

SECTIO II.

13. QVIDQVID non conducit ad cêsum Dei, à Virgine nostra cêseas ablegandum: tota Dei est, vnica vnici, sola solius. Examina numisma, cuius imago, & superscriptio sit: prospecta cælaturas à summo artifice ductas in Diuini Genitoris simulacrum: qui, nisi genitor esset, totusque totum Filium respiceret, euanesceret superuacaneusque à Diuinitate sequestraretur. Maria non aliùs est, nisi Dei: non aliis vsibus sacram fœminam inseruire conêtis: non ad extranea vsurpes officia: non Dæmonis vnquam credas stigmata subisse, iugoque maligno ingemuisse subactam; illico tibi inanescet Maria sic cogitanti: quæ Dei tota non est, Maria non est. Quid artificis infringis stylum, intorque ideam, manum satagis gubernare? Ipse, qui condidit alias creaturas, variis functionibus destinatas, hanc sibi sacram portionem segregauit, acu pinxit, fodicauit stylo, vt esset tota sui, sibique æternam ministram præbuisset. Theodoret. dialog. 1. *Superuacanea est Virgo, quæ Deo incarnato nil nostra naturæ attulit.* Marcionistas ferit, qui ex Virgine, tanquam aqua per fistulam fluit, Filium Dei effluxisse adstruebant; non tamen carnem delibasse, aut corpus construxisse. Contegit eos Theodoretus: quia si nihil nostræ naturæ attulit ex Virgine, superuacanea esset Virgo. Qualis, rogo, argumentationis neruus? Annè cæteræ virgines quasi quid inane reputantur; otiivè naturam insimulant, quasi superuacaneæ, quia Filium Dei non concipiunt? Ast illæ in decreto Dei prædefinitæ ad varias naturæ, & gratiæ functiones, vicissitu- Theodor.

dinesque rerum, non inanes sunt, & superuacuæ. Maria solùm creata est, vt Verbo Dei carnis purpuram indueret: si carnem non dedisset Deo, superuacanea esset Virgo; decretum euaneret otiosâ Virginis creatione. Acer igitur est Theodoretus. Quid itaque Mariæ cum Belial? Quid cum Adami censu, & fœdere? Peccent in illo quotquot naturæ vicibus inseruiunt, progeniemque trahunt, vt repetito partu, telluris rediuina successio non arescat. Maria solùm est, vt Mater sit, ob vterum genita, vsibus Verbi compacta; sicut totus est Pater æternus, vt Filius sit. Violationem sentire non debet naturæ, quam creaturarum vulgus non reciperet, nisi Filius Dei homo fieret.

Quin & altiùs meditabere. Maria non solùm cum Incarnatione deuincta est: subtiliùs ad Diuinitatem prenditur; adeoque Diuinitatis destinatur officiis, vt superuacanea esset Virgo, si ille, quem genuit, Deus non fuisset. Numini officiosa Mariæ existentia, obsequitur & creatio; arguit Diuinitatem in prole, cui vterum dicatura pudicum producitur. Quisquis inficiatus fuerit in Christo plenitudinem Diuinitatis cum hypostatico, supersubstantialique vinculo consistere, procliui deductione superuacaneam cogitur natiuitatem ex Maria fateri, cuius aluus nescit puræ humanitatis generationi seruire: non alio pondere completur, nisi Dei. Athanasius dialog. 5. de sancta Trinitate, Εἰ Θεοῦ ναὸς ἐγεννήθη ἐκ τῆς Μαρίας περιττὴ ἡ καινότης τῆς ἐκ παρθένου γεννήσεως, ναοὶ γὰρ Θεοῦ, καὶ οἱ ἐκτὸς ταύτης ἄνθρωποι. *Si Dei templum natum est ex Maria, superuacanea est illa noua natiuitas ex Virgine; cùm absque huiusmodi natiuitate homines quoque sint Dei templa.* Plectit hæreticum, qui in Christo Diuinitatem corporaliter non habitare effutiebat, sed tantùm iuxta benignam voluntatem. Stat Athanasius, feritque ex Virginea maiestate impudentem. Ad quid natiuitas ex Maria: ad quid intemeratus vterus, si ipsemet Deus, qui olim loquebatur, non adsit, si è superbenedicto sinu non germen effloruit, in quo Diuinitas, & humanitas obuiarent sibi? Supra prodigium est hoc Virginis excellentiæ proloquium. Quis è carnea, temporalique vulua prognatum non argueret hominem, tacitæque Diuinitatis, nisi fidelis sit, audire non detrectaret indicia? Et tamen ex hoc ipso corporeo sinu, carneoque puerperio Diuinitatem coniectat Athanasius; ne superuacanea sit natiuitas ex Virgine, si Filius non Deus, sed Dei templum sit. Verbum Deus se ex Maria prodit, quam sibi in maternum munus construxit, & antiquitus in Sapientia molitus est: vt & in Matris formatione, & in formatione à matre, se Dei Sermonem manifestaret, & Sapientiam; dum ab illa exoritur, eo virginitatis decore, quod decet Deum; & illam construxit, eo prædestinationis, & Sapientiæ apparatu, qui Verbum Dei decebat. Ideò ad præfata verba statim adiicit Athanasius: Εἰ δὲ τινες ἄνθρωποι, ναοί, ἀλλ' οὐχ οὕτως ὡς καὶ Χριστοῦ: οὐδεὶς δὲ αὐτῶν μονωθεὶς τῷ Θεῷ λόγῳ Χριστός. οὐκ ἀναχωρῶ γὰρ τῆς ἐμῆς ὁμολογίας. εἶναι ἐκ τοῦ σοῦ νόματος ποιεῖ, ὁ ναὸς δὲ σωτῆρος ναὸς Θεοῦ λόγου ἑνωθεὶς Χριστὸς γεννηθεὶς ἐκ παρθένου. *Etiamsi nonnulli homines sunt templa; non tamen ita sunt templa, tanquam etiam Christi: nec quisquam eorum est Christus coniunctus cum Deo Sermone: hic autem templum coniunctum cum Deo Sermone, Christus videlicet natus ex Virgine eo modo,* 14. Athan. Athan.

qui

qui Deum dicebat. Pende ista: *Natus ex Virgine eo modo qui Deum dicebat.* Qualisnè modus iste? Profectò si natiuitatis modus ignoratur, neque enim sensibus vllis percipi valuit (neque intellectus ope dignosci, cùm obstetricante Omnipotentiâ, editus à Virgine fuerit) non alius modus apud Athanasium prænotatur, nisi idipsum, quod est, natum ex Maria Virgine fuisse. Hic partus decebat Deum. Hæc Virgo stricto fœdere cum Diuinitate copulata. Diuinum ostendit, cùm protulit humanum. Quia naturæ ordo, modusque non fuit, modus Dei fuit: nam & Virgo Dei erat, quæ sic enitebatur. Si Diuinitatem abscindas, nega puerperium, nega Mariam.

15. Superflua Maria est, si à Christo Deitatem diuellas, diuinosque absumas honores. Insipidæ, stolidæque mentis est, non vafræ, non callidæ, semel agnitâ Mariâ, Dei inter homines ortum inficiari. Strenuè Athanas. sibique par orat. de Diuin. Christi, col. vnica, ante finem, ἀμέλει αὐτοὶ τεθαυμάκασι πῶς ὅλως καὶ εἰπεῖν ἐτόλμησαν, ὅτι φύσεως ἀκολουθίᾳ γέγονεν ἄνθρωπος, εἰ γὰρ οὕτως ἦν, περιττὴ ἦν ἡ τῆς Μαρίας ἡ μνήμη. οὐδὲ γὰρ οἶδεν ἡ φύσις παρθένον χωρὶς ἀνδρὸς τίκτουσαν. *Quinimò & hoc admiratus sum, quomodo, vel cogitare ausi sint cum naturæ ordine hominem esse factum. Si enim ita esset, superflua esset Mariæ commemoratio, siquidem non agnoscit natura virginem citra virum parientem.* In superioribus locum hunc pleniùs discussimus: habet quidem multum piperis, admodumque Mariæ euehit excellentiam. Pondera illud: *Hoc admiratus sum, quomodo vel cogitare ausi sint*, quasi non astus maligni, non inscitiæ solùm, sed & vltimæ dementiæ sit, Diuinitatem Christo abnuere; naturæque ordinem in eius natiuitate cogitare, si semel commemoratio Mariæ fiat. Ipsamet Mariæ vox superflua est, si Christus à Diuinitate curtatur; quasi vna syllaba, nedum vna periodus, sit Maria, & Filius Dei factus homo. Eam habitudinem sacra Virgo habet ad Deum, quòd nisi Filius eius Deus sit, eius existentia depereat, ad nihilum valeat vltrà, superuacua sit.

16. Parum est hoc. Si Christus non verè Virginis carnem fert, sed personatæ humanitatis laruam, & spectrum, vt sensus detineat humanos, non verus homo, superuacanea redditur Maria. Annè superuacaneus esset Deus, si semel superuacanea Virgo nostra non illum carne ex Virgineis sanguinibus vestiret? Do S. Ephræm. de Margarit. pretios. *Qui naturam humanam non assumpserat, cur subitò inter homines ex aere se notum non reddebat? Si perfectam œconomiam habebat, quid ex Virginali natura assumebat? Neque superuacaneus est Deus, neque illusor; at superuacanea Maria, si Christus in figura erat.* Demitare verba hæc vim consequentiæ habentia, hac argumentatione. Si Christus illuderet sensus, carnisque phantasiâ deciperet; cùm verè non esset ex Maria natus, superuacaneus esset Deus. Probo. Nam superuacanea est Maria, si Christus in figura venit. Huius consequutionis venustati plurimum Maria debet. Quomodò enim illa æterna, stabilis, independensque substantia inanescere potest ob alicuius creaturæ defectum? Certè non ignobiles Theologi autumarunt Verbum Diuinum ex cogitatione possibilium neutiquam exoriri; verantes, ne necessitas infinita Verbi Dei ab aliqua creatura defectibili, fragili, nutantisque naturæ trahat ortum; cùm maior necessitas sit Diuini Filij, quàm creaturarum possibilium. Quî igitur superuacaneus Deus, si superuacanea Maria? Ea mens est. Fœmina hæc ideò ab æterna Sapientiæ manu intra naturalis opificij officinam constructa fuit, vt Verbum carnem ex illa assumens nasceretur. Si semel hæc natiuitas non intercessisset, deficiente hoc ordine Mariæ ad Verbum Dei, ipsa quidem redderetur inanis, sibique inanesceret Deus: non quia Dei necessitas ab aliqua creatura dependeat; sed, quia hac suppositione facta, quòd Maria non in aliud institutum producta, & decreta fuerit, quàm quòd sit Mater Dei; ipsa inanescente, facilè potest coniectari Deum inaniuisse: ne in sua stabilitate permansisse censeretur, ratio vlla nequiret produci, quare non nasceretur ex Virgine. Nescias aliam in medium causam adducere, suadens à Maria natum non esse Verbum Dei, adhuc post nascendi decretum, nisi quòd defecerit Deus: quod putidæ temeritatis, & insipientiæ est. Adeò hæc creatura post prædefinitionem in Dei maternitatem, cum Deo obstringitur, vt ad similia cogat portenta cogitatum.

Verùm si Maria à sua formatione est tota Dei, & in Deum; cur, vt vterum ferat, Deoque grauidetur, eius consulitur voluntas, exquiritur assensus, rogatur arbitrium? S. Ephræm suprà: *Filius eius erat, quæ suppeditauerat, quia non solùm fidei voluntatem, atque electionem præbuit; verum etiam naturam in assumptionem impertiuit.* Satius quidem videbatur absque libera annuendi, abnuendivè facultate, insalutatâ Virgine, vterum possideri, vsurparique veluti propriam supellectilem vsibus diuinis effictam. Si Virgo non causâ suâ progenita est, sed vt Deum veheret, Incarnationisque se ministram præberet; ad quid peruolat legationis diuinæ festinus interpres? ad quid erogatur nuntium, texitur Elizabeth historia, pronubus descendit, tedæ connubij accenduntur, nuptialis desideratur assensus? Attendas. Imò in hoc pleniùs coniectari datur, Mariam ei soli muneri productam esse, ei soli officio in æterna præordinatione esse paratam, vt tota Filio Dei gignendo pararetur, nec creaturarum associaretur vulgo, censumque mancipiorum ex Adamo subiret, in quibus liberum arbitrium per peccati contagium pungentibus malignitatis spinis consitum est. Promptum est exhibere rationem. In iis, quæ ad gratiam spectant, non assolet Deus arbitrium consulere creaturæ; (eò benignitatis illa suprema clementia prouenit) sed efficaci, infallibilique auxilio, licèt non inuitam trahit, sed lubentem, ex miro Omnipotentiæ ingenio, non priùs expectat assensum, sed præuenit: quia sibi infesta creatura, toruoque vultu sibi prauè consulens, nunquam forsan legitimum consensum subiiceret: his sentibus iniquitatis ab originaria labe traductis feritur. Mariæ arbitrium non in Primigenio vulneratum fuit, non ab amaricante originis vena felleum hausit saporem: sibi rectum, sibi in bono fixum, & cum æterna sapientia extitit moderatum: nunquam à tramite desciuit, nec sciuit cum Adamo ex mali, bonique ligno malum eligere; vtpote eius sit, quæ in decreti Dei segregata est à peccatoribus, & excelsior cœlis facta, solique compacta Filio Dei. Ex hac radice prouenit primum. Sola seruit opifici naturæ; ideò tutò eius consulit Deus arbitrium, vt libens det id, in quod nata est. Nunc percallebis Andræam Cretensem 17.

S. Ephræm. *Zerda, Mariæ effigies.*

Andr. Cret. homil. 2. de dormit. Mariæ: *O diuinas permutationes! Produxit natura liberum arbitrium spinis obsepium. Maria contra produxit eum, qui impleret Paternam voluntatem. Peperit naturâ ex inobedientia mortem voluntariam. Ipsa contra peperit eum, qui mortem sustinuit per obedientiam. Sola enim sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam. Sola seruiit opifici vniuersa naturæ.* Pondera textutam hanc, quæ subtilem edit cogitatum. Vepribus iniquis obriguit liberum hominis arbitrium ab originali labe: spinas, quibus cruentetur, cum ipsamet naturâ accipit. Maria verò adeò voluntati diuinæ, absque vllius noxæ vmbra, obnoxia est; vt Filius, quem gignit, se voluntati deuoueat Genitoris. Cuius rei rationem subdit Cretensis: *Sola enim sola præter naturam fuit electa, sola seruiit opifici vniuersa naturæ.* Tergeminat *sola*, vt creaturarum arceat sodalitium, turbamque auerseiur filiorum Adam, quibus arbitrium à veneno contabuit? ac si diceret: Qui vectigal in antiquitate pendunt subque iugo diaboli captiui trahuntur, arbitrium contaminauêre, quia in communi occubuere ruina, Maria sola præter naturam est: nam reliquis occumbentibus, desolatisque, decreta fuit, vt sola seruiret opifici vniuersæ naturæ. Meritò ergo satagit Deus à leui opinione Virginem suam expiare: ideò, quamvis tota sui est, rogat consensum, exposcit arbitrium; vt rectum, nunquamque à communi turbine quassatum fuisse demonstret.

18. In quo adhuc egregia manet cogitatio; adeò Mariæ arbitrium à prauis vrticis esse immune, vt imò Filius eius impleret Paternam voluntatem. Obserua: *Maria contrà produxit eum, qui impleret Paternam voluntatem.* Quid hæc contrapositio iuuat? Annè quia Filius sic Genitoris voluntati se obstrinxit, ideò Mariæ voluntas absque prauæ vicissitudinis obumbratione substitit inconcussa? Egregiè. Nota illud, *Produxit eum*: quasi in ipsamet productione, veluti hauriens indolem à Matre, genusque suum sapiens, Filius voluntatem Patris impleret. Quo respiciunt ea Christi Domini vota in instanti conceptionis:
Psalm. 39. *Tunc dixi: Ecce venio, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Quantùm sonat in Virgineo vtero voluntatis vox, arbitrijque clamor diuinæ voluntati addicti! Forsan ideò tunc sic in Patria obedientiam recens formati fœtus voluntas arsit, vt ostenderet, etiam in sui formatione arbitrium Mariæ supernæ voluntati fuisse subiectum, vt traducem inobedientiæ venam obduceret, & obcæcaret, ne derivaretur piaculum. Denique, ideò Maria in conceptionis momento in ea
Luc. 1. verba prorupit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ si examines, inter
Psalm. 122. se aduersari videntur: nam *fiat* imperantis est, & ex arbitrio moderantis; *ancilla* verè famulantis, & alieno arbitrio cum seruitutis nota subscriptæ.
Psal. 122. 2. Quàm nectuosè vtrumque colligauit! Se ancillam nuncupat, cuius oculi in manibus Domini sui, vtpote quæ è manibus Domini effluxit, plasmataque fuit, vt illi soli inseruiret, vterum, vbera, lacertos mancipatet, totumque corpus ad corpus Domini subijceret baiulandum. Nulla aptior vox Incarnationi Filij Dei. Quasi dixerit: Si meminerit meæ conditionis structuræ, ad quale opus me molitus fuit, declinis erit illicò ad verum. Ancilla sum, quæ sola à primordio opifici vniuersæ naturæ inseruite delecta sum. Sicut aliæ creaturæ ab ipso sunt, quod sunt; ego non solùm ab ipso, sed ob ipsum, & ad ipsum sum. Sed adijcit arbitrij, indiciaque consensus, vt eo ipso, quòd tota ministra Dei incarnandi sit ab exordio, ostendat arbitrium suum nunquam per abrupta deuiasse, decliuique præcipitio in scopulum malæ voluntatis allisisse; vtpote spinis originariæ labis non punctum: idò purum, & innocuum permanere, vt sub eius *fiat* nobilior gratia dispenseiur.

Cant. 2. vers. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia.* Eadem verba, licèt parùm inuersim, repetit Sponsa in amatorij carminis vicina coronide cap. 6. vers. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Quid est, quòd more intercalaris carminis sic ingeminat Amasia? Et tamen nondum explicat, quid sit illud, quòd illa est dilecto, quodvè dilectus ipsi est. Annè quia antonomasticè *ego*, & *mihi*, Mariam significet; nec fari potest, quid vel ipsa sit dilecto, vel quid dilectus sit ei: quia istud *quid* est tantum, vt ad ipsum explicandum verba deficiant? Sic quidem cogitabat Hailgrinus apud Delrium. An quia per dissecta verba fortiùs assolet se promere affectus? Sic meditabatur Guilhelmus. Veriùs censeo in verbis his olere Hebraismum: Hebræis enim solemne est, datiuo pro genitiuo vti. Sensus sit: Ego dilecti mei, & dilectus meus mei; ac si dicat: Quidquid sum, dilecti mei sum: non tantùm, vt cæteræ creaturæ, sed singulariter ab eo creata, vt in opere dilectionis, Incarnationisve, non tantùm coram ipso, sed & ipsi ministrarem, eiusque incorporandi ministra essem temporalis, & eius semper amandi custos manerem æterna. *Et dilectus meus mihi*, id est, mei. Aliæ non gignunt dilectum, sed supponunt; ego, dum diligo, gigno: ideò & obiectiuè, dilectus meus est; & possessiuè, dilectus mei. Quia hoc totius epithalamij, amatorijque concentus Sacramentum, & finis est: ideò recinitur in fine quod canitur in initio. Adhuc nondum prægustauisti saporem. Quid est quòd *dilecti* vocem delegit hæc lectissima Sponsa, & Mater, cùm mysterium hoc adolescentulis stipantibus instillabat? Eximia sapientia! Sensus est: Etsi ex meæ molitionis peculiari indole, & destinatione totaè manu dilecti opificis cusa, vt ipsius essem, & ipse mei per generationem fieret: tamen ex immuni arbitrij mei puritate id mihi singulariter concessit, quòd ipse in me generatur, non solùm de me, sed & à me; non solùm præsumendo carnem meam, sed & meum consensum expetendo: vt qui dilectus meus est, mei fieret prout dilectus, nempe per dilectionem, liberumque, & lubentem amorem, qui ex placido emanat arbitrio. En verba Guilhelmi super cap. 6. vers. 2. *Ego dilecto meo ex carne mea dedi carnis substantiam, & dilectus meus mihi refudit singularem inter homines gloriam. Nempe ad cumulum gloria mihi: quod sibi non tantùm de me, sed & à me carnem sumere dignatus est: sumpsit enim de Adam, vnde formauit Euam, sed non ab Adam: non enim Adam de se dedit, quod illi nescienti, & dormienti detractum est. Porrò de me nesciente, & non consentiente carnem sumere noluit, sed quod sumeret, me per fidelem, hilaremque consensum dare voluit: atque ideò Angelum, qui me ad fidem mulceret, designanter, prouideque præmisit. Denique hilariter dedi, quod dignanter de me sumeret, ipse vtique dignatione suâ fidei meæ deuotionem amplè remunerans. Quid enim insignius, præclariusque*

19. Cant. 2.
Ibid. c. 6.
Hailgr. Delr.
Guilh.
Guilh.

confer

conferri mihi potuit, quam vt Mater Verbi fierem, & hoc tam excellenter, vt non tantùm de me, sed & à me in vsum redemptionis humanæ carnem sumere dignaretur? Quid illustriùs?

Maria post refugas, & euanidas Veteris Testamenti vmbras, solida, & corporea vmbra est, Deum corporeum & indicans, & delineans.

SECTIO III.

20. MONSTRAVIMVS in superioribus existentiam Mariæ Incarnationis Filij Dei, & votum & pignus, & nomen, seu vinculum esse. Hæc è Patre Diuino inspirata est Genitrici sacræ proprietas, cuius hypostasis non coniectat, sed arguit, sed mox indicat Filium Mariæ corpus vmbra Filij Dei est, quam ipse insectetur, cuius vmbras diducat; dumque in pristinis sæculis vmbrâ se exhibebat, adumbratæ carnis præ-
Cant. 3. 1. ludia exercens, ex Mariana vmbra corpus delibaret. Vestigas Deum tuum? Per noctis vmbras satagis inuenire? Cæspitabis in tenebris, donec in luce lucidam vmbrâ Virginis prendas, cui propior Deus est, sicut propriæ vmbræ vicinius corpus. Mira nouitas! Intendit Deus, quòd illi Virgo corpus impendat; & tamen à corpore ad vmbram desilit
Luc. 1. Angelus, vmbramque pollicetur Virgini, à qua expetit corpus: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid adhuc vmbris inuolueris, Gabriel sanctè? Annè cum priscis agis amicis, in quibus vmbra futurorum suffuso pallore agebatur? Annè incarnatio hæc vmbratilis euadit, sicut antiqua spectra quondam Deus, Angelusvè absque veritate carnis figurabat, vt ex vmbris assuesceret ad corpus? Imò luce appetente euanent vmbræ, tenebrarum exulant simulacra: cur ergo virtutem Altissimi sub vmbra promittis luciferæ Genitrici mox futuræ? Equidem hæc vmbra non è corpore desilit aliquo, sed è diuina virtute Mariæ corpus inuadit; vt ex Virgineo corpore reuibrata, corpus Dei iam vicinum arguat; & appareat quòd Maria corporea & viuida vmbra sit Filij Dei. Profectò quidquid in priscis exercitationibus agebatur, quidquid in legalibus perstrepebat institutis, quidquid in palæstris pristinarum actionum exprimebatur, venturi corporis vmbra fuit, vmbratilisque apparituræ veritatis imago.
Ad Col. 2. Paul. ad Colos. 2. vers. 17. *Quæ sunt vmbra futu-*
Tertul. *rorum, corpus autem Christi.* Ex quo aduersus Marcionem irruit Tertullianus lib. 5. cap. 19. *Quid tibi videtur, Marcion? De lege iam non retractamus, nisi quòd & hic, quemadmodùm exclusa sit, edocet, dum scilicet de vmbra transfertur ad corpus, id est, de figuris ad veritatem, quod est Christus.* En quidquid præcessit, opacitas vmbræ fuit, subnigro digito demonstrans corpus aliquando venturum quod à luce percussum, tam longas, & diffusas vmbras agebat.

21. Quî igitur vmbram pollicetur cœlestis interpres Virgini geniture corpus? Quoniam vmbra Virtutis Altissimi priùs quasi corporatur in Maria, vt veritas corporis Christi solidetur; vt verus nascatur homo: quippe hæc sola fœmina arguit iamiam astantem inter homines Deum, vtpote naturalis, & viuida illius corporis vmbra. S.
Ephræm. de Margar. pret. *Ob nihil enim aliud* S. Ephr.
Virgini obumbrauit, quam vt nasceretur homo. Potuisset quippe citiùs vniuersa apparuisse terra, nisi per veram humanæ naturæ assumptionem ad homines adducere voluisset. Ergonè ideò vmbra in Virgine, vt nascatur homo? imo iam ab vmbris desuescere debebat, qui soliditatem corporis, molemque, & compagem sibi parabat. Pondera rationem. Id ideò, iudice Ephræm, sic delectum fuit, quoniam qui potuisset apparuisse citiùs, veram humanitatem baiulare gestiuit. Si hoc aliè sibi infixerat, cordeque tractabat antiquo, queis pedicis detentus est, quali interinus ergastulo, quòd non iam olim verus dispalesceret homo? In causa Maria fuit veteres vmbræ non solidæ, non robustæ erant, sed fragili inanitate citò euanidæ, facilè euentilatæ; ventoque exsufflatæ leui, ideò illis vmbris non corpus attexuerat, vtpote sterilibus, quæ in corpus gignendum foueri, calefieri, laxarique nequibant. Affuit Virgo solida, innocua, stabilis, vmbræque Diuinæ virtutis aptissima. En vmbra corporea, ferax veri corporis, fota Spiritu; illicò corpus adest, quia hæc lectissima huius corporis vmbra est. Huc aduoco Nicetam lib. 3.
Thes. cap. 38. *Iam ante mundi constitutionem, vt* Nicet.
Deus humanam carnem assumeret, præfinitum erat. Nunquam autem ante sanctissimam Mariam, diuina carnis assumptione dignum repertum est domicilium. Vbi autem repertum est, humanam carnem assumpsit Deus.

Paulus ad Hebr. 2. vers. 16. *Nusquam enim An-* 22.
gelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Ad Hebr. 2.
Apostolum de incarnatione agentem nobilium Patrem accipit cohors, vt liquet ex Bernardo de gradibus humilit. *De Verbo Dei dictum est, quòd* Bernard.
non Angelos apprehendit, hoc est, non in vnam sibi personam assumpsit, sed semen Abrahæ. Neque enim legitur: Verbum Angelus factum est; sed Verbum caro factum est. Vtquid, rogo, hoc stylo vtitur Paulus, cùm certum statumque sit, quòd qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos Psal. 103. 4.
ignem vrentem, pluries Angelorum suscepit officia, pluriesque in Angelica luce se Patribus exhibuerit. Consule hospites Abrahami, Lotque è Gen. 18. 2.
Sodomitis ereptum, pugilemve, & luctatorem Cap. 19. 1.
Iacobi. Imo in flamma rubi ignitum Angelum Cap. 32. 24.
Vices egisse diuinas, multorum opinio est. Ergo Exod. 3. 2.
iam inibi Angelos apprehenderat. Verùm in Apostoli phrasi peropportunum aucupor mysterium. Omnes illæ apparitiones vmbram futurorum efformabant, quasi in Ephebio, puerorum, iuuenumque more se Deus exercebat, vt posteà solidam humanitatis panopliam indueret: faciebat in palestra periculum; vt in plenitudine temporis, corporis ageret veritatem. Vmbratilis miles erat, Angelicis se exercens in vmbris. Græci appellant ἐν λίτοις σκιαμαχοῦντας, *vmbratiles milites*, Cerdens.
quos Cerdensis in 7. Æneid. intelligit, qui ad vmbram murorum, & vrbium instituuntur, eo motus, quòd ante muros lusus, & exercitia, pugnæque efformabantur, vt liquet ex Liuio lib. 5. Liuius.
Sed non opus est muto huic explicatui: nam vmbratilis miles ille est, qui se exercet in vmbra, exerit lacertos, impetit commilitonem, nigroque gladio eruditur, non acore feriendi, sed ardore discendi. Vnde σκιαμαχία, siue σκιομαχία *vmbratilis pugna* est, à qua voce nonnulli sentiunt, Hispanam corruptè demigrasse *sgrima*. Apud Dionysius.
Budæum Dionysius Areopag. σκιαμαχεῖν dixit pro Areop.

 pugnam

pugnam meditari. Itaque in pristinis spectris Deus per Angelica ministeria vmbram futuræ dispensationis, & veritatis captabat. Iam ergo vox Pauli. *Angelos non apprehendit.* Vmbra erat, quidquid peragebatur in illis, non solida caro, corpulentaque moles: ideò apprehendi non valebat, sicut accidit inanes vmbras captanti: nam si iniicias manum, cùm non sit quantitas rigens, & densa, apprehendere nequis: exanguis vmbra est, & vt canebat Valerius Flac. 3. *Refugaque eludentis vmbra.* Et Mart. *Fluxit, & in morem fugitiua euanuit vmbra.* Hinc apud Marulum *euanida* dicitur: *caua* apud Maronem: *inanis* apud Lucanum 2. *laruales* apud Sidonium: *patula* apud Pont. *informis, volatilis, vaga, exanimis* apud alios. Ab hac vmbræ naturâ sententia Pauli illustratur; qui cùm alibi dixerat, omnia pristina vmbras esse futurorum, corpus autem Christi; appositâ metaphorâ *Angelos non apprehendisse* fatur, ducto stylo ab insequente vmbram, quam manu prendere non præualet. Et quidem verbum ἐπιλαμβάνεσθαι manum iniicere significat. Vidit id Chrysostomus, qui, licèt nostrum cogitatum non edit; non odisse tamen dixerim, sed iuuare: *Cur autem non dixit, suscepit, sed vsus est hac dictione apprehendit? A metaphora eorum, qui persequuntur auersos, & omnia faciunt, vt fugientes comprehendant, & resilientes apprehendant.* De hac vmbratili exercitatione, cui ad carnem quasi assuefiebat Deus in apparitionibus Angelorum, Tertullianus adest lib 3. aduersus Marcion. *Ipse enim Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum nata, quia nondum moritura, sed discentis iam inter homines conuersari.* Tertullianus veritatem carnis autumauit in Angelis, deuiè quidem, & prauè: consule Pamelium, qui pro suo Auctore clientem agit. Itaque vmbra fugax fuit, typusque futuri, quidquid ante Virginem præcessit. Virgo, corporea vmbra est ex qua veritas Dominici corporis elucet. Iam non eluditur sensus, opacisque figuris occupatur. *Semen Abrahæ apprehendit*, id est, Mariam, quæ ab vmbra Altissimi solidior redditur, & constantior. In igne Dominus apparet, sed non ignis est; in aura, sed non aura; in Angelo, sed non Angelus. Vix ex Maria apparuit homo; & quia ex Maria, homo est. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri & Dei: tametsi apparuit, non effigies, non figura, non vmbra hominis est, sed homo. O qualis ad hominẽ amor! O qualis ad Mariam! Ambrosius ad illa verba Lucæ, *Pater si possibile est*, &c. *Suscepit animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, vt aliud esset, & aliud videretur.* Dum ad Virginem aduentum est, omnis vmbra secessit, ne refugis iam, personatisque in vmbris otiaremur. Vmbra Altissimi complet Virginem, vt gignat corpus absque vmbra verum, absque inanitate solidum. S. Zeno de Natiu. Christi serm 1. post illa verba: *O magnum Sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit.* Breui interstitio adiicit: *Ita Christus in hominem se fecit nasci, quemadmodum homo non potest nasci. Totum denique sua luce resplendens, corpus sine vmbra gestabat.* Id est, non vmbratile corpus, non effictum ad tempus, non euanidum, sed firmum, verumque; vtpote quod Virgo concepit, & peperit.

V. Flac. Virgil. Marul. Maro Lucan. Sidon. Pont. Chrysost. Tertull. Exod 3. 3 Reg 19. Gen 32.24. ad Tit 3 4. Ambros. S. Zen.

23. Imò ex hac vmbra Virginea ab Altissimo Mariam inuadente effectum est, vt Christi Domini natiuitas ordiretur ab vmbra, finiretur in corpore. Grandis securitas soliditatis, veritatisque Marianæ! Non timet diuinitas à Marcionis impudentibus ictibus, qui veram ex Virgine corporationem negauit, carnisque phantasma non ossibus durum, non musculis solidum, non sanguine cruentum, vmbram denique carnis accepisse, putido effutiuit ore. In ipso conceptionis momento de vmbra cum Virgine tractat per legatum: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Tempera iam ab vmbris, Domine, ne periculum subeas veritatis; ne, cùm appareat humanitas, impetat Marcion, arguatque vmbram te gestauisse, non corpus; te mendacij insimulans, circulatoremque, & nugatorem clamans. Si veritas oriunda ex Virgine, vel vmbræ vocabulum arceatur. Stat interrita veritatis fides; impauida firmitudo subsistit; non pauet ab vmbris, quoniam vmbra hæc subsidet in Maria, quæ nunquam lubrico veritatis gressu nutauit, inanitatisque ludibrio agitata est. Hæc vmbra in Virgine penetrata, corpus iam adesse demonstrat, cuius Virgo prior vmbra est, vt incipiat ab vmbra, finiaturque in corpore Sacramentum. Perbellè Origenes homil. 2. in Cant. *Ego puto, ideò & natiuitatem Iesu ab vmbra cœpisse, & non in vmbra, sed in veritate finitam, Spiritus, inquit, sanctus veniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Natiuitas Christi ab vmbra sumpsit exordium: in Maria ab vmbra eius natiuitas cœpit.* Quid pulchrius? Altius aliquid rimare. Totus Christi aduentus in carne, vmbra apud Hieremiam dicitur: *In vmbra eius viuimus in gentibus.* Et tamen hac voce confundi videntur nouissima cum prioribus, & sub vnius nebulæ caligine commisceri, vtpote iam vmbris prioribus per clarissimum aduentus Dominici iubar expunctis. Postquam Maria ab vmbra Altissimi prægnata, vmbra veri corporis euasit, aduentus primus in carne vmbra secundi aduentus fit. Ideò Maria index est Dei accessus ad homines, vt etiam, dum primi secundi descensus vmbra est. Sic meditatur mò gigoens, vmbra eius fit, iam secundum adumbret aduentum: prima Incarnationis œconomia. Origenes homil. in cap. 8. Iesu Naue: *Aduentus Christi vnus quidem in humilitate completus est, alius verò operatur in gloria: & hic primus aduentus in carne mystico quodam sermone in Scripturis sanctis vmbra eius appellatur, sicut & Hieremias Propheta denuntiat, dicens: Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui nos diximus: In vmbra eius viuimus in gentibus. Sed & Gabriel, cùm euangelizaret Mariam, de natiuitate eius dixit: Virtus Altissimi obumbrabit tibi, Propter quod intelligimus quamplurima primo hoc aduentu eius adumbrari, quorum adimpletio, atque perfectio in secundo consummabitur aduentu.*

Luc. 1. Origen. Thr. 4. Origen.

Iam alij annotarunt Habacuc vaticinium. c. 3. 24.
vers. 3. *Deus ab Austro veniet: & Sanctus de monte Pharam.* Quò loci Septuaginta legunt: *Et Sanctus de monte vmbroso, & condenso*: quam lectionem amplexatur Ecclesia in Parasceue. Montem vmbrosum, & condensum variè exponunt Patres. Gregor. Mag. lib. 33. Mor. c. 1. *Rursum per montem Testamentum Dei exprimitur: qui enim venturum se per testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, vnde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet testamentum benè mons vmbrosus, & condensus dicitur, quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur.* Accidit fermè Augustin.

Hab. 3. Septuag. Greg. Mag.

Augest. Theop. Euthy. Agel. Athan. Gregen. gustin.18.de Ciu.c.32.Aliis is explicatus insedit, quòd Maria sub monte vmbroso adumbretur. Præter Theophylactum, Euthym. Agelium inibi, & Athanasium q.117. quos Neoterici videtur, adest pro hoc significatu Gregentius in disp.contra Herban.col.23. *Mons vero vmbratus ipsa est Virgo Maria, ex qua prodijt ineffabiliter carne indutus. Montem autem ipsam dicit, eo quod vt in montem Sinai, sic in ipsam descendit Deus, & obumbrauit: vel propter virginitatis imperuium accessum; (siquidem montium densitas accessu est difficilis) obumbratam autem ipsam indicat, proptereà quòd in ipsa simul cum virtutum multitudine, virginitatis ipsius mysterium obumbrat* En duplex allegoria à Maioribus nostris compilata est: aduersa quidem, & se ipsam intimens, sub vna vmbrosi montis densitate. Quî enim opacitas veterum vmbratum, priscusque nubium nigror, quo à longe dissitum Domini corpus coniectabatur, cùm vicina, ad lineamque depicta Marianâ vmbrâ sub eadem innectitur voce? Quî cum complexa antiquorum sylua, vocalique obscuritate densitudinis Prophetarum, quorum irrumpere condensa symbola non datur, componitur Virgo Mater, quæ densitudinem illam apertâ semitâ explanauit, corpusque ab vmbra proxima perringere non edocuit. Imò complicatus hic geminæ allegoriæ nexus grande pro Virgine nostra soluit elogium. Maria vtriusque legis confinium fuit, Orizon, & terminus pristinæ, matutinumque iubar nouioris. Vmbras antiquas per montium cacumina, prophetiæque vertices peruagantes, sub vmbræ Altissimi carcere conclusit; omnemque typum, auspiciumque vetustum in se congerens, pressit, & continuit, vt ex sui cum Deo homine connexione corpus iam Dominicum ostenderet aduenire. Ideò illi virtus Altissimi spondetur sub vmbra, ne pristina lex & noua deneclerentur, quasi ab altero Numine rogata alterutra videtur. Benè ergo ipsa generatrix virtus Dei carne vestiendi sub vmbra Virginem opplet, condensumque, & vmbrosum montem reddit, quasi à monte Pharan omnes in vterum Virginis commouens vmbras, caligantiaque venturi Christi indicia; vt & in Maria efficaciam aucupatentur, & vnus vtriusque legis scopus, nempe Christus, ostenderetur. Vmbraculum, quod olim montium cacumina redimiebat, absque efficaci, effectricique Dominici corporis virtute; Virgini impactum, & infusum, genitricia fomen venatur, efficaxque redditur ex Virginis fœcundæ consortio, quæ, vt antiquas vmbras feraces, efficacesque redderet, à virtute Altissimi obumbratur. Prodest non parcè Andræas Herosol.

Andr. Hieros. orat. de Laud. Mariæ: *Hoc autem obumbrabit tibi. Illud dicere mihi videtur, quod, vt puto, Habacuc anteà Propheticis oculis intuitus montem obumbrantem Virginem nuncupauit; tantùm non spiritus potentiam subiungens, quæ obumbraret eam: vmbraculum ineffabile per se efficax in ipsa, pro Incarnationis ratione, secundùm quam inuiolabiliter corporis templum in libero à passionibus Virginis vtero; omni expurgata materiali molestia, & affectione.* Pende illud: *Vmbraculum ineffabile per se efficax in ipsa.* Scitè in monte Pharan, vmbroso scilicet! & condenso, vtraque allegoria sociatur: quia Vates non apparuisse Dominum in Pharan dixit; sed iam venire; qui, cùm suum aduentum in vna Maria ponat, vix Mariæ apparit lucens vmbra, & iam Dominus efficaci, celerique pede venire perhibetur. In quo si Scripturarum momenta trutines, delectaberis, Habacuc vaticinium cum Mose conferens. Deut. Deut. 33.
33. *Dominus de Sinai venit, & de Sehir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan.* Cur Habacuc montem Sinai conticuit, posteriores autem Ribera.
montes expressit? quod sapienter ponderauit Ribera. Certè quia in Sinai lex, quæ senio occubuit, lata est; nec ibi venturus prædicatur Dominus, sed apparuisse: at verò in Habacuc non inest, *Apparuit de monte Pharan*, sed *Veniet de monte Pharan*; ideò serio neglectu Sinai subsiletur: quoniam, dum venit Dominus de monte vmbroso Virginisque typo, lex vetus interit, densaque pristinæ obscuritatis caligo, dominante nouâ luce, fugatur.

Adhuc tamen mentem solicitat, cur quæ præcesserunt in antiqua priscæ legis segnitie, & tarditate, vmbra Dominici corporis dicuntur? Cur iterum ad corpus in vtero Mariæ modulandum vmbra præit? Sanè vmbra insequitur corpus, non præcedit. Vnde illud Plauti in Cas. *Decretum* Plaut. 25.
est mihi quasi vmbra quoquo ibis tu, te persequi. Si nondum corpus Filij Dei in vtero Virgineo coaluerat, torque sæcula vacua transibant; quî potuit vmbra per tam dissita spatia tam intempestiuâ conspersione diuagari? Apposita subest ratio. Vmbra ex vario situ corporis ad Solis attactum dissimiliter efformatur. Si Sol à tergo ferit, vmbra corpus anteit sicque ante oculos obseruatur, vt motis credas conculcari vestigiis. Nonne lux, quæ Verbum Dei est, corpus compactum in vtero, quasi à tergo perculit, & inuasit, cùm priùs formatum fuerit corpus, deinde assumptum? Quid ergo mirum, quòd vmbra præiret, quam corpus à lucis plenitudine compressum præmittebat? Illuminans mirabiliter à Ps.75 5.
montibus æternis vmbrosum montem irradiauit; ideò longas excussit vmbras. Mariæ granditas in causa fuit? Mariæ puritas, à qua virgineè formatum corpus magnitudinis nomine coronatur: quia magnificentia Domini est, quæ Dominum magnificauit in carne. Ergo quia corpus in vtero post sui structuram, compagemque à lumine Diuinitatis apprehendendum erat; ideò tam spatiolæ vmbræ in antiquis conuallibus præcessêre: ideò ab vmbra Sacramentum Incarnationis Angelus inspirat Mariæ. Qui cogitatus obuio S. Greg Magni suffragio fulcitur: *Per obumbrationem enim vocabulum incarnandi Dei vtraque natura significatur: vmbra enim à lumine formatur, & corpore; Dominus autem per Diuinitatem lumen est. Quia ergo lumen incorporeum in eius vtero erat corporandum, rectè dicitur: Virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Diuinitatis.* Corpus humanitatis iam peractum accipiet incorporeum Diuinitatis lumen. Ergò si non ante corpus lumen, sed post, & quasi ponè sequens, se corpori miscuit; quid quòd vmbræ largis, patulisque liniaminibus per tot æua transacta præirent? Quin & longior solet esse vmbra, citissiméque geminatur, quando Sol sub vespere terga montium ferit, iuxta illud Poëtæ Eclog.1. *Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.* Et iterum illud Eclog.2. *Et Sol crescentes decedens duplicat vmbras.* Greg.Mag. Virgil.

26. Compertum igitur maneat ex his, quæ adhuc disseruimus, Virginis nostræ existentiam ita compaginari, & innecti ad existentiam Filij Dei in carne

carne, quam absque veritatis simulatione gestauit: sicut vmbra corpori, è quo excutitur, cui inhæret, arguitque præsens; nec solùm coniectat, sed euincit. Id ex Diuini Patris proprietatum penu depromptum, cui sua Diuinitas eam indolem, naturamque ex personalitatis sigillatione præstat, quòd statim ac nascitur, Filium exponat, & manifestet, substantialique habitudine declaret. Ea mira similitudine delibat Maria, & ab ipsomet Patre obumbrata, indolem illam ex superbo beneficio veoatur, quod in veritate carnis venisse Filium Dei declaret: cum solum ad illum solido corpore in veri officina vestiendum decreta fuerit, & producta. Si semel homo Maria est, ineptit, quisqui auersatur verum hominem cum membrorum soliditate Filium Dei extitisse. Vmbram pictores cætero colorum nitori subiicere solent. Qua arte? Vt imagines, quæ planæ sunt, nec à linteo assurgunt, & desiliunt, solidæ videantur. Vnde Cicero lib. 4.
Cicero. Acad. *Quàm multa vident pictores in vmbris, & eminentia, quæ nos non videmus.* Imago Patris Diuini Maria est. Satagit virtus Altissimi, quòd Vnigenitus corpus ab illa solidum, & tenax non solum accipiat, sed & omnium obtutibus cum genita illa soliditate videatur: ideò fortan priùs vmbram inijcit suæ picturæ, sapientique penicillo suam Virginem obumbrat, vt à virtute superna obumbrante gignatur corpus, eâ veritatis eminentiâ, quod non solùm sit, sed & appareat homo. Id promptum fuit nancisci in Maria quæ ideò humanitatem, & existentiam sortita est, vt Filium Dei efficeret hominem. Sic enodare velim
Tertull. Tertull. de carn. Christ. c. 5. *Carnem scilicet hanc sanguine suffusam, ossibus substructam, neruis intextam, venis implexam, quæ nasci, & mori nouit, humanam sine dubio, vt natam de homine. Aut cur homo Christus, & Filius hominis, si nihil hominis, & nihil ex homine? Nisi si aut aliud est homo, quàm caro; aut aliundè caro hominis, quàm ex homine; aut aliud est Maria, quàm homo.* Hæc vltima sic accipio: Stolidæ mentis est, negare Christum hominem esse, si semel fatearis, quòd homo Maria sit. Homo dicitur Virgo nostra, non solum Tertullianico stylo, sed & aliorum Patrum, quos alibi recenseo. Non videret lucem Maria, neque in hominum computaretur calculo, si Filius Dei homo non fuisset; cum tantùm in genitricem extiterit. Ideò vel diffitebere Mariam hominem esse; vel te amentiæ insimulabo, si Christum hominem esse diffitearis. Vtrique enormis inuritur nota, si veritas carnis denegetur; quippe ab ipsomet existentiæ statu detruditur Maria, & Christus de nugatoris accusatur infamia.

27. Quia vera Mater Maria est; veraxque, cùm se hominem monstrat, verus homo Filius Dei est. Commune est illud Augustini tom. 10. serm. 83. de Assumpt. quod transcripsit Ildephonsus ser. 2.
August. Ildeph. de Natiuit. Mar. *Post multas assumpta carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo; vt te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit.* Quem locum ex vulgari penu depromptum, par est, nouâ luce redonemus. Textura ipsa difficilis est, cùm hunc sensum agat: Postquam multa passus est, & ad extremum se figi sustinuit in ligno; vt te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit. Qui sensus illepidus est, nonque sibi benè cohærens. Sanè Augustinus post flagra, post assumptæ carnis iniurias, post patibuli notam, post felleum poculum, aliquid aliud passum fuisse Christum significat, eo solùm fine, quòd Mariam verum esse sibi Matrem ostenderet; ne ludicra sit, & inanis repetitio, quòd postquam passus est, pro veritate maternitatis Mariæ asserenda passus est. Vt igitur egregia hæc sententia reddatur, sic iudico componendam: Post tot tormentorum ærumnas, quibus Christus Dominus suggillatus, & punctus, iamiam spiritum agebat, signum præclarum edidit, quò verè esset homo ex mulieris vtero genitus. Hominis enim est verè geniti, desolationem dolere genitricis compassionisque teneritudine liquefieri, humanisque affectibus concuti, quos natura ipsa, ingenitâ indole, suique impotente pectore mouet. In limine mortis compatitur Matri; ne, si pietatis officia, ægritudinisque, & mœroris ob derelictam Matrem omitteret; nec Filius eius censeretur, nec homo. Ideò post vibices, vulnera, clauos, verum Matrem ostendere voluit Mariam, se verum hominem exhibendo per naturalis compassionis indicia. Quare sic capio illa verba, *Se verum hominem patiendo monstrauit*, id est, compatiendo. Iuuat, quòd passio apud Augustinum solet accipi pro dolore, ærumnaque, quam incutit alterius patientis commiseratio. Obuium est illud Augustini, *Magis eum* August.
cruciat passio miseri, quàm ipsum miserum compassio sui. Quale verbum protulit Christus, vt se verum hominem, veramque Matrem ostenderet Mariam? *Mulier ecce filius tuus.* Quis sic censeret? Imò à mulieris voce & Filij affectus tepere Ioann. 19.
videtur, & maternitatis veritas obscurari. Peroptimè veritas Matris conclusa est. Sat est, quòd Maria mulier sit, vt Filius Dei homo credatur. Si in hoc institutum mulier extitit, quod homo fieret Filius Dei per generationis virgineæ commercium; vtrumque in Mulieris vocabulo argutè euincitur, & quòd Maria vera Mater sit, & quod Christus verus homo.

Maria ad Filium Dei gignendum nouiter creata, nequiuit vetusti piaculi iniuriis sensibus subiacere.

SECTIO IV.

PAR est, adhuc congesti labores subseruiant immunitati sacræ Virginis asserendæ, 28.
vindiceque linguâ ad Aduocatam nostram defendendam suscipiant clientelam. Si Mariæ existentia in id solùm decreta, cogitataque fuit, vt Filius Dei hæc ima ingrederetur, vterumque eius benedictionibus irrigatum impleret: ergo noua fœmina est, structuraque noua: nam dixit, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia; nouorumque aduenêre dies, cùm emisso Spiritu in Apoc. 19.
Mariam, renouata facies terræ, incalescentibus spiritibus, in noui germinis nouellas diuitias laxata prorupit. Quòd si noua molitio, & ædificatio est, pristini demoliti opificij ruinas non nouit: nec suffert mens, nisi desciscat à luce, vetustas calamitates fœminam illam experiri, quæ nouiter condita est, vt renouatorem gigneret sæculorum, stirpitùsque à superno Patre ædificata,

proptiot

propior poſt naturalem Filium, ſacræ filiationis iura capeſſit.

19. Quid veteris, & etoſi Adami ſordes in fœmina ſancta ſcrupuloſus indagator inquiris, ex communi cenſu incuſans, quam ſingularis nouitas, recentis creaturæ dotibus illuſtrauit? Quid penſitationes, & vectigalia vendicare geſtis à noua cœleſtis opificis arce, quaſi à primigenij per ſerpentis aſtum demolita ſtructurâ? Ne ſeuerus cenſor exigas commune tributum. Non eſt talis mulier ſuper terram. Non cætero fœminarum gynecæo cum inſcripta ſeruitutis vibicibus fronte copulatur. Ecce Aſſyrius ipſe, cui ignobile penditur vectigal, pulchritudinis nouitate Iudith 11. illectus. Iudith 11. conclamat: *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum.* Quid ais, Aſſyrie? Quid elucet in fœmina, quod à mulierum diſgregat conſortio, & nouitatis vendicat elogium? Aſpectus, pulchritudo. Sed quid inter aſpectum, & pulchritudinem intereſt? Si aſpectus tuus eſt, ſi eius pulchritudo; cur ab aſpectu laudas, quam pulchram prædicas? Si aſpectus eius eſt, & genas miraris maieſtatis purpura, ingenitoque croco cum frontis candore de nobilitate contendentes; ſi oculos breuiori numero, ſyderum excellentes multitudinem; ſi vittas labiorum coccineas; ſi colli ebur, ſi corporis tornatilem ſtructuram: vt quid aſpectui pulchritudinem addis? Sanè aſpectus pro pulchritudine accipitur apud Sacra. Attamen ob Mariæ typum aſpectus à pulchritudine inibi diſcernitur. Aſpexit priſtina mulier arborem, & oculis lubrica alliſa eſt in ligno. Geneſ. 3. Geneſ. 3. *Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Quid ſenſuum immutas obiecta, maleſuada fœmina? Si non prægustauit palatum, quis docuit oculos guſtui ſuaue pomum? Quis inſpirauit deliniendum guttur à pranſo fructu. Heeu! Aſpexit oculus, & ibi totus animus, quaſi per feneſtram vidit, omneſque ſenſus ad oſtia viſus, animæ famulantes cucurrerunt: ibi iam guſtus aderat, cùm palpebræ mouebantur, cùm teneræ proſpiciebant pupillæ; & ab vno ſenſu tota mens euocata corruit. O infœlix aſpectus, qui, cùm vnius, & corporei ſenſus fuerit, totam ſibi in mortem animam ſubiugauit! Vidit, periit. Bis, terque, quaterque aſpectus infœlix. Hinc originaria labes ab aſpectu. S. Baſilius Seleuc. orat. 3. Seleuc. *Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum. Prius equidem videbat, ſed aſpectum expurgauerat affectibus, & propter puritatem ratio in ſeruitutem minimè duci poterat. Anima verò paſſionum vinculis impedita, cum oculo malum communicauit: qualia namque ſunt animæ conſilia, tales & corporis motus. Vidit quòd bonum eſſet ad veſcendum. Eorum, quæ non erat experta, guſtum mirabatur.* Expende illud: *Anima verò paſſionum vinculis impedita, cum oculo malum communicauit.* Ecce ab oculo paſſionum teria. Ecce malum, id eſt, arbor illa, quæ malum erat, ab anima per oculum depranſa. Ibi tota mens, vbi aſpectus.

1. Ioan 2. 16. Hinc illa triplex paſſio, quæ hoſtili inimicitiarum agmine animam trucidat, ex Euæ aſpectu dimanans, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. O miſellæ mulieres à maligno aſpectu huic ergaſtulo mancipatæ! Non eſt vlla mulier, quæ pellicientibus his non periit oculis: in cuiuſque aſpectu faſcinum eſt veneno medicatum; & lædit, & læditur. Solùm vna mulier nec oculis lædit, nec læſa eſt, cui illud tergeminum caput ex originaria labe non nocet. Noua mulier eſt: *Non eſt talis in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum.* Richardus à S. Laurent. lib. 3. de Laud. B. Virg. *In aſpectu conuerſationis, in pulchritudine corporis, & in ſenſu verborum, id eſt, puritate cogitationis: & ſic fuit abſque omni væ auaritiæ in opere, luxuriæ in corpore, ſuperbiæ in corde: hoc eſt triplex væ.* Quòd originaria labes præcipuum *væ* ſit, iam alij erudito calamo pertractarunt: non iuuat ire per trita. Illationem agnoſce. Ex mulieris nouitate *in aſpectu* infert, *& ſic fuit abſque omni væ.* Richard. à S. Laurent.

30. Ergo ſi non eſt talis mulier ſuper terram, nouitas eam deduxit in lucem; nec inueterati criminis potuit contagione ſordere, quæ limpidis nouitatis floribus vernat: *Nouum creauit Dominus ſuper terram: fœmina circumdabit virum.* Ierem. 31. Quidnè nouum? An vir, an fœmina, an circuitus. Et fœmina, & vir, & circuitus. Quod vrgeo ex creationis voce: nam nullam præexiſtentem materiam præſignat, à qua fœmina inciperet: ſiquidem in fœmina circuitus, è fœmina vir; & totum hoc creatum perhibetur. Nec nego Mariam genitam, qui vindico illibatò conceptam: ſed vt nouitatem contendam, nil labis antiquæ, ex qua Maria conflaretur, euinco præceſſiſſe: & voci creationis, & nouitatis congratulor de myſterio. Richardus de S. Laurent. lib. 4. col. 38. expendens eadem Ieremiæ verba: *Benè dicitur creauit, quia creare eſt nouum aliquid facere, quod antea non fuiſſet.* Nihil ergo horum trium, ſcilicet fœminæ generantis, viri, circuitus, intra naturæ confertiſſima conceptacula inerat: licèt enim Maria in Annæ vulua ſata fuerit; quia tamen ideò formata fuit, vt Diuinitati ſubſeruiret, vterumque pararet Verbo Dei; meritò creata profertur: creatio enim ſolius Altiſſimi opus eſt, cui nulla creaturarum in hac integra rei molitione famulantur obſequia. Et quidem cùm præexiſtens materia rigori creationis obſiſtat; ab eius ſtricta voce multum abit homo, in cuius formatione non ſolùm præexiſtit officioſa vuluæ materies, ex qua gignitur; ſed vetus colluuio peccati, quæ per traducem, ſitu fæculento, poſt tot ſæcula in malignitate durationis perſiſtit. Quare, licèt anima creetur, non homini creationis imponitur vocabulum; quoniam vix carni imprimitur informandæ, cum è veſtigio ex præiactis materiæ ſpurcitiis originariæ labis inficitur, animæque nouitas illico ex contagione veteraſcit. Maria creata dicitur, ſicut & noua: ne ſenilibus rugis, ſulciſvè veteris Adami exarata procedere videatur; ſed è manu Domini, vt nouella plantatio, irrigantibus gratiæ fluentis conſita, nunquam ſenij experiatur iniuriam. Et quidem ita opus fuit eueniſſe: nam Diuinitas per eam erat tranſitura, non à viri officiis aliquid accipiens, nec thalami concurſu præeunte, ſed Spiritu ſancto opitulante, parranteque corpus eius more creationis; licèt creatio verè non fuerit, ne generationis dignitas Matri Virgini deperiret. Richard.

31. Ergo nouum creauit Dominus ſuper terram, ſcilicet integram periodum hanc: *Fœmina circumdabit virum*; id eſt, non ſolùm qua fœmina circũdet, illibato pudore, verùm qua fœmina exiſtat, quæ ſic circundatura virum erat. Volo dicere: Quia Virgo paritura erat abſque concurſu viri, Virgo producta fuit, etſi ex viri concurſu; cum nouitatis tamen decore, ad modum creationis, eo nitore Mariæ, quam creata anima inuaſit, vt non

non præexisteret in illa putida fæcis originariæ colluuies; quòd enim ex infectione seminis, quod traducitur, inficiatur animus, noxamque originariam cantrahat, alibi expendendus S. Thom. edocuit. Sic enucleare velim difficilia verba S. Isidori in Mixtarabico Missali in festo Assumpt. *Talem multóque verè creditur Matrem creasse, qualem diuinitus per eam transiens, decus virgineum non amisit. Dum ab illo creari ita est ab ipso concipi.* Isidor.

32. Isidorus nobilibus interpretibus difficilis visus est, grauiterque illius sensum eruere contendunt, & licèt ingeniosos cogitatus excudant? miror tamen non sensisse nodum, qui in ipsis verbis Isidori plicatur, siquidem totus eorum interpretũ explicatus eò tendit, quòd inter creationem Virginis, & parturitionẽ concordiã Isidorus statuat: ita vt necessariũ videatur, sic Mariam procreari à Deo, quemadmodum ipsa Deum erat procreatura. Nisi fallor, subterfugit eos textura verborum, quæ arduã reddit periodum. Quis enim, rogo, apud Isidorum decus virgineum non amisit? Annè Maria? Neutiquam. Sic habet: *Qualem diuinitus per eam transiens, decus virgineum non amisit.* Video aliquando legi: *Qualem diuinitas*, &c. Quomodolibet legatur, certum est, quòd participium illud *Transiens* regit subsequentia *decus virgineum non amisit*, & nequit referri ad Matrem, sed ad Deum, qui talem Matrem creauisse perhibetur. Quæ luce clariora sunt. Vel si illa vltima proferuntur de Maria, latinitatis ferula periodum castigabit, cùm dicendum esset qualem diuinitùs, (seu Diuinitate) per eam transeunte, decus virgineum non amisit. Ne igitur mucronem verba Isidori sustineant, sancti Præsulis mens sit: Licèt Maria communi concubitùs lege genita fuerit; tamen Deum illam creauisse tali puritatis decore creditur, qualiter posteà per eam transiens nullo inquinamento suam puritatem temerauit. Ea Virginitas, qua prima Trias virgo est, non inquinata est per Dei hominis generationem, siquidem virginea puerpera enixa fuit Eà igitur munditie creasse creditur Matrem suam, nõ quidem absque thalamo; sed quoniam in ipsa conceptione, cui peculiariter assistebat, omnem sordem originariæ labis abegit. Quasi diceret: Si Deus ad aliquod peccatum siue contrahendum, siue perpetrandum concurreret, munditiem suam inquinaret, à Virgineæque Diuinitatis deturbaretur statu. Quare signatissimo, & speciali concursu, præter communem, nequiret ad Mariam concipiendam conspirare, si in ipso conceptu antiqua labes contraheretur, quia singularitas concursus non ad materiale carnis, sed ad singularem illam infectionem attribueretur. cùm alia specialitas inibi cogitari non valeat. Cum ergo verè creditur Matrem creasse, id est, propensiore conatu ad eius conceptionem impulisse, vtpote quam Matrem sibi destinabat; inde est, quòd sicut decus virgineum non amisit nascens ex illa, nec amiserit condens illam. Quo sensu nimium sequentia verba mulcentur, imò ipsa suggerunt: *Dum ab illo creari ita est ab ipso concipi.* Ac si diceret: Considera Deum concepisse Mariam, cum dicitur creauisse. Si originaria labe conciperet pollutam, virgineum Diuinitatis decus fuscaretur: nam ex impuritate generantis tradux culpa inquinat fœtum. Ergo sicut si conciperet, virgineè conciperet, qualiter per eam virgineè postea erat transiturus; sic eam creauisse meditabere, eamdemque & in creante Virginem, & in nascente à Virgine fatebere Dei puritatem. Nam quidem ab illo creari ita, (ibi incisum pono) est ab ipso concipi: quoniam plurimum concursus impendit Deus dum seduliori impulsu ex altissima prouidentia suam Matrem generari decreuit. Cui explicatui mirè iam conducit, quòd solet adduci ex Augustino in tract. de 5. hæres. c. 5. *Quid est, quod te promouet in mea natiuitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate: ego Matrem, de qua nascerer, feci: ego viam meo itineri preparaui. Hanc, quam despicis Manichae, mater est mea, sed manu fabricata est meâ: si potui inquinari, cum facerem, potui in illa inquinari, cùm ex ea nascerer. Sicut transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic & mea non est ibi maculata maiestas.* In quo loco forsan non ignauos tibi suppeditarem cogitatus; nisi officioso cultu venerarer, quæ in eius elucidatione lumina accendit grandis ille vir, & in Marianis elogiis emeritus, Præsul dignissimè destinatus, P. Ferdinandus de Salazar in opere de Conceptione cap. 27. August. Salaz.

Iam ergo nouam creaturam, nouum figmentum demirare Mariam; siquidem, vt ait Richardus de S. Laurent. libr. 3. de laudib. Virg. col. 19. *Quidquid in Virgine operabatur, nouum erat, sicut prædixerat Ierem. 31. Creauit Dominus nouum super terram: & Apocal. 21. Ecce noua facio omnia.* Vt amœneis, libet colligere Patres in hac nouitate floridos. Ildephonsus libr. de virginit. cap. 1. *Diuino munere, diuinâ adinuentione, diuino dono: nouo opere, nouâ efficaciâ, nouâ operatione, nouo effectu, nouo patratu.* Et lib. contra eos, qui disput. de perpet. virginit. *Nemo ex vsu tractet nouitatis arcanum. Nemo quod singulare est, vllo metiatur exemplo.* Bernardus homil. 2. super Missus est: *Iniungitur noua legatio Angelo Gabrieli, & nouam Virgo professa virtutem, nouo salutationis honoratur obsequio: antiqua. excluditur maledictio mulierum, nouam noua Mater accipit benedictionem.* In Epigram. veter. Patrum apud Bibliot. tom. 15. vbi igitur de Maria. 33. Richard. Ildeph. Bernard.

Ingratus noxa timor omnis abesto veterna:
Iam nouitas regnat, totus & orbis ouat. Epig. Veter. Patr.

Nec dicas totam nouitatem hanc ad partum Virgineum attinere, non ad fæminam: stat enim pro nouitate fæminæ Anonymus quidam in Hymn. Alphabet. apud Cerdensem tom. 2. in Tertullian. 34. Anon. Cerdens. Tertull.

Νεόπολον, νεόκοσμον, ναόδομον, νεοπλάστην,
Ξενοτόκον, ξενοτρέφον, ξενότοκον, ξενόθαυλον.

Nouum cœlum, nouum mundum, templi ædificatricem, nouuam, creaturam, nouo partu editam, nouè nutrientem, nouum partum edentem admirandam mulierem.

Adest strenuè Nicolaus Monachus epist. 9. ad Petrum Abbat. Cluniac. apud Biblioth. vet. Pat. tom. 12. p. 2. *Singularis Virginis priuilegium non habet similitudinis consortium. Non solum singulare est, quòd Virgo concepit, sed quòd Virgo sola, & prima in Israel virginitatem adamauit. Non solum inauditum, quòd Virgo peperit, sed & quòd Virgo citò Angelo credidit, & de facto non dubitans, modum conceptionis inquisiuit. Et in hunc modum distingue inter Virginem nondum Matrem, & Virginem iam Matrem: vt singulari vtrobique cæteris virginibus prærogetur priuilegio, quæ singulariter, nondum Mater, Angelo testante, gratiâ plena fiat, & singulariter iam Mater, Spiritus sancti sacrarium extitit: quæ nondum* Nicol.

nondũ Mater, quasi lana candidissima, nullius peccati sensu maculosa fuit: & singulariter iam Mater, quasi purpura sanguine conchylij tincta, ita Spiritu sancto compluta, & madefacta fuit, vt nullis de cætero vsibus manciparetur, nisi diuinis. Singularitas igitur, & nouitas in tota Virgine splendet, & in insolitos naturæ gratiæque sensus coniectandos pias mentes erudit: quam gratiæ plenitudo, etiam ante cælestis interpretis nuntium inuaserat, & quasi lana candidissima, nullius peccati sensu maculata fuit. Peroptimè *Nullius peccati sensu.* Queis verbis omnis originariæ labis vmbra detruditur; quippe quæ, vtpote carnem inficiens, inibique contagium spargens, sentiri non inscitè dicitur: cùm cætera actualia crimina priùs in anima subsideant, & ad corpus solum denominatione extrinsecâ decurrant.

35. Origo autem huiusce lætæ nouitatis est Mariæ constructio, vt virum circundaret, Incarnationisque manciparetur officiis, diuinisque vsibus inseruiret. Ideò serò Ieremias sub vna periodo ad fœminæ nouitatem circuitum vteri alluit, vt quicumque Virginis existentiam animo conceperit suo, confestim huius existentiæ institutum attendat. Nec etenim ob aliam causam tam stricto, cæcoque vinculo totum hoc nouum, *Fœmina circundabit virum*, à Domino creatum Vates protulisset, nisi fœminæ ortus, & generatio in gyrum hunc subintraret, iamque exinde auspicaretur circuitum, à conceptione Verbi Dei nunquam seiuncta, quasi indiuisâ actione totus iste gyrus prodire pararetur in lucẽ; nempe fœmina, circuitus, & vir. Ex quo inficiabitur nemo, si ab ipsa conceptione sui superbenedicta Virgo formatur, vt Deum circumdet; exinde fuisse circumdatam à Deo suo, protegentibusque circumuallatam complexibus, vt addisceret circundare Deum in vtero, quæ sic ab illo in vtero matris suæ in conceptionis momento circundabatur. Vtraque generatio, & qua Maria gignitur, & qua gignit, mutuas in alterutrã vices rependit: dum Maria gignitur, eam protegit Deus, circundat, & ambit, ne rimam inueniat ad semitam serpens: vt posteà circundetur à fœmina, nullis vnquam sordibus maculatâ. Quare forma nouitatis illicò illuxit in maria concepta; simulque generata, & regenerata fuit: condebant naturam parentes, Deus gratiam largiebatur. Huc adsit

Amad. Amadeus alibi datus hom. 2. de laud. Virg. *Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circundabit virum. Eadem, qua circundedit, circumdata est; circundans carnem, circundata est à Spiritu: circundans virum nouum, circundata est ab homine nouo: circundans, & generans, circundata, & regenerata: generans in forma humanitatis, regenerata in forma diuinitatis.*

36. In huius tractatione nouitatis, iure plecteremur, si subticeremus cœlum nouum, quod illuxit in Virginis nostræ creatione: sub cuius forsan ty-

Apoc. 21. po Euangelista Ioannes Apocal. 21. *Et vidi cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit.* Id prædixerat Isaias 65.

Isai 65. vers. 17, *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora:* quod repetit c. 66. vers. 22. Qualenè cœlum istud? Si post primum; vtique secundum erit? Ergo tabernaculum Dei cum hominibus, ergo Sponsa, Genitrixque Dei. Non aduersatur visio: nam è vestigio attexit: *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Ecce tabernaculum Dei cum*

Zerda, Maria effigies.

hominibus. Quæ quidem apprimè Mariæ applaudunt, quæ cælum nouum est in Missa Æthiopum In Missa

apud Biblior. tom. 6. *Absoluamur per has Trinitatis sancta Patris, Filij, & Spiritus sancti, & B.* Æthiopum.

Mariæ cæli secũdi Matris Dei. Damascenus orat. Damasc.

2. de Assumpt. Virg. *Quæ verè viuum cælum extiterat, in cælestia tabernacula introducitur. Quis enim eam cælum nuncupans, à vero aberret?* Ex quo firmamentum compellat Bernardus, quod quasi cælum secundum dixeris, siquidem post cælum creatum in orbis opificio fieri iubetur, serm.

3. super Salue Regina. *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Fiat, inquit, firmamentum,* Bernard.

& diuidat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu, Domina, quæ eum, quem cæli cælorum capere non poterant, cepisti, & concepisti; portasti, & non defecisti; aluisti, pauisti, mammasti, educasti. Quorsum autem Maria cælum nouum dicatur, nisi quia terrestris ille limus, ex quo Protoplasti massa, figlinaque materies in hominis figmentum fodicata est, non aliquid terreni inquinamenti in eam traduxerit, quæ in ipsamet generatione cum forma nouitatis regenerata enituit, cælestemque de Spiritu, substantiæ puritatem contraxit. Id vt probem, verto me ad Pauli lo-

cum 1. Corinth. cap. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Saliunt 1. Cor. 15.

hoc loco Apelliaci, de quibus Cyprianus epist. Cypr.

73. Epiphanius hæres. 44. Tertulianus suprà de Epiph. Tertull.

carne Christi, qui & Apelliciani dicuntur, & Apellitæ, & Apelleiani. Hi christum è carne cælesti compactum docebant. Et quidem à nostræ limosæ humanitatis consortio diuellere videtur Paulus, si cælestem illi materiam irrogat. Sed facilè Patres eludunt Hæreticos; imò ex loco Pauli, quasi ex eorum officina repercutiunt. Paulus hominem appellat Christum, siquidem ait: *Secundus homo de cælo cælestis.* Si semel homo est, ergo ab humo, Adamique carne terrenus: ideò autem de cælo cælestis perhibetur, vt cælestis de spiritu substantia, gratiæque nouitas terrenos homines, cælestes spiritu constituat. Beatus

& Etherius lib. 2. aduersùs Elipandum: *Cùm* Beatus

Scripturis legitur homo, tantum valet, ac si dicas Etherius.

Adam. Prior homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis. Quarum vtraque, & cùm Adam Dominus exprimitur, & cum homo dicitur, de

carne non exit. Elegantiùs, & neruosiùs Ter- Tertul.

tulianus lib. 4. de carne Christi cap. 8. *Non tamen ad materiæ differentiam spectat, sed tantùm terrenæ retrò substantiæ carnis primi hominis, id est Adæ, cælestem de spiritu substantiam opponit secundi hominis, id est Christi. Et adeò ad spiritum, non ad carnem, cælestem hominem refert, vt quos sic comparat, constet in hac carne terrena cælestes fieri, spiritu scilicet.* Christus igitur homo cælestis nuncupetur, non solùm ob diuinam

hypostasim, vt voluit Nazianzenus orat. 51. ve- Nazianz.

rùm ob humanitatem; non quia ex syderibus fuerit compacta, cælestisuè globi portio extiterit; sed quia in illa terrestres affectiones, limosaque rudimenta peccati non coaluerunt, nec ad vmbram tetigere. Hæc autem sunt, quæ terrenum Adamum iterum terrestrem constituunt, & ab ignobiliori portione, obesaque grauedine terrenum,

& limaceum (sic vocat Tertullianus de resurrect. Tertul.

carn. c. 49.) efficiunt; cùm tamen spiritus, qui de cælo est, vt potè à Deo tantùm creatus, sibi subiugare debeat carnem. Christus autem de cælo perhibetur, cui caro animæ officiis inseruiebat,

nunquamque peccati pondere graueſcens, leuem cæli ſapiebat qualitatem. Nonnè vides? Peccat homo, (Gen. 3.) confeſtimque ſe terrenum audit: *Terra es, & in terram ibis.* Si adhuc terra ante piaculum erat homo, quid eſt, quòd ſupplicij more de præſenti nūc terra nuncupetur, quaſi à propria conditione plectatur? Albicabat anteà innocentiæ puritate, nec à limoſa ſtructura dedecus ſubibat: nunc terræ voce notatur, qui cùm nuper è terra ſolùm eſſet, non terra, vtpote cui nobilior pars ſpiritus, iam ex rudis peccatis craſſitie, qui de terra manducauit, totus (Anſel.) terra dicitur. Anſelm. in præfixo loco Pauli: *Propter peccatum enim dicitur terrenus, quia, cùm iam reus factus eſſet, & mortis ſupplicio deſtinatus, audiuit: Terra es, & in terram ibis.*

37. Verùm vt cœleſtem hanc addiſcas qualitatem, examina originem. Non ſolùm cœleſtis dicitur, ſed de cælo Chriſtus: imò Græci Codices habent: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανοῦ. *Secundus homo ipſe Dominus de cælo:* quod deprauatum eſſe à Marcione ſcribit Cornelius. Non adſtipulor, cùm (Theop. Chryſ.) ſic Theophylactus, Chryſoſtomus, & cuncti fermè Græci admittant. Nec timendum eſt, ne Marcionis delirium inueniat fundamentum, cùm ipſemet (Ioan. 6.) Chriſtus Dominus dixerit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Inſurgit Ambroſius (Ambroſ.) lib. 6. de Sacrament. cap. 1. *Sed caro non deſcendit è cælo, quia carnem in terris aſſumpſit ex Virgine. Quomodo ergo deſcendit panis è cælo, & panis viuus?* Præcipuè quia ex vi conſecrationis, quod primariò ſub panis accidentibus latet, corpus eſt à Virgine generatum. Vtrobique eadem ratio eſt; & quòd cœleſtis dicatur, quia innoxius; & quòd de cælo, quia ab origine cœleſti, ſanctæ venuſtatis micuit ſplendore. Addiderim, *De cælo*, quia de innoxia Virgine, quæ nitidam cælorum munditiem ſanctitate puritatis excellit. E cœlo quidem, quia è Virgine conceptus, & enatus. Virgo in eo cæli ſapit originem, quòd in Dei habitaculum, diuiniſque functionibus à Deo condita eſt, ad nutumque conſtructa; adeóque Dei nutus obſeruat, (Pſ. 122.) vt nec vocem expectare videatur; ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, id eſt non in ore, ſed in manibus, vt & ad nutus, & digitorum motus pareant. Et quidem ſic cælum in creationis erupit primordio, quaſi non expectaſſet verbum *Fiat*, quod in cætero opificio quotidie inſonabat; ſed velut præcurrens ad Domini nutum, fabrefactum euaſit. Commentatur S. Ambroſius præfata (S. Ambroſ.) illa: *Secundus homo de cælo cæleſtis: Cæleſtis dicitur, qui non humanæ fragilitatis ritu, ſed Diuinæ Maieſtatis nutu, & conceptus eſt, & enixus. Nam vſque adeò naturam noſtri habuit, vt ſecundus Adam dicatur, & homo.* Preme illa: *Sed Diuinæ Maieſtatis nutu.* Ideóne cœleſtis? Ingenuè quidem: nam cœlum ad nutum, Numenque Diuinum creatum extitit; ſic & ad nutum in vtero Virgineo Chriſtus conceptus, non ex thalamo, ſeu viro; ſed ex Virgine, quæ ſe ancillam in conceptionis puncto nominauit, eâ emphaſi, vt pluries obſeruauimus, qua monſtraret totam Dei ab initio fuiſſe eius deſtinatam obſequio, cælique ad inſtar (Luc. 1. 38.) conditam; quæ diuinum *Fiat* non expectauit, ſed potiùs cum nouo *Fiat* præuenit, nutui ſolùm Domini ſui addicta. Quæ omnia ſi notas, concludes, Mariam cœlum nouum eſſe, non à terrenis priſtini flagitij contagiis coinquinatum, nullóque culpæ onere fluitans, ſed à conceptionis initio in beatam Dei ſedem erectum, diuiniſque nutibus mancipatum.

38. *Inclinauit cælos, & deſcendit.* Annè quia nimiâ velocitate apparendi, moras ſuſpicatus eſt, cælorum vectes infringere; vt velociùs adſtaret, pondere maieſtatis cælos inclinauiſſe perhibetur, (Pſ. 17. 10.) quaſi traxerit in terram, ne retinacula obiicerent venienti? Sic fermè poëticè cogitabat Genebrardus. (Genebr.) Inclinauiſſe cælos dixerim, cùm declinis Diuinitas vterum Virgineum intrauit, non amittens, ſed contrahens Maieſtatem; ſeu iam exinde ſubditum ſe Matri præbens pro ſua reuerentia, quam vt homo exhibuit. Meliùs. Inclinauit cœlos: ne cælum deſeruiſſe putaretur, ſecum cælum trahere voluit, oſtendens Virginis vterum cælo ſplendidiorem ingredi, qui eâ puritate vigebat, quæ micantes exuperat dotes cælorum. S. Bonauentura (S. Bonau.) de Eccleſ. Hierarch. p. 4. cap. 7. *Nec caret naturâ, & proprietate cæleſti Virgo Beatiſſima, ad cuius vterum ſubintrandum per Incarnationem Verbi eſt Diuinitas inclinata, quando inclinauit cælos, & deſcendit: ibi Verbum Dei ſe inclinauit, & carne indutum ad nos venit: cæli itaque puritatem in ſe habere debuit Maria, de cuius mundiſſimis particulis illa puriſſima caro Verbi cæleſtis vnibilis eſt aſſumpta.* Si ex puritate Maria cælum eſt; ſi homo à primæuâ noxâ, terra; ſi nouitatis munere Virgo noſtra vitet ab exordio; quî potuit veterno ſubiacere piaculo? Compendio hanc argumentationem confecit Ioannes Geometra de Sanctiſſ. Virgin. hymn. 3. (Geom.)

Χαῖρε δέμας ταγὲν ὑψόθεν αἰγλήεντος ὀλύμπου
Ἡμετέρης κακίης οὐδὲν ἀφελκομένη.

Salue concretum ſublime corpus Olympo;
Et vitij noſtri crimine Virgo carens.

Quia concretum ex Olympo Virginem ſacram corpus geſtauiſſe cecinerat, crimine vitij noſtri, id eſt, illo veteri, quod ex diuturnitate tranſiuit in vitium, carere ſubinfert. Perſpicua deductio eſt: Si Chriſtus de cælo cœleſtis, quia abſque labe; & editus ex Virgine, quaſi de cælo eſt: Virgo de cælo cœleſtis, quia abſque concretione criminis decantabitur. Vnde abſque noxa oportet extitiſſe, vt cœleſtis propago texeretur.

39. Cingamus iſta eodemmet, cum quo orſi ſumus, loco: *Non eſt talis mulier ſuper terram.* Ergonè in cælo? Ergonè cœleſtis mulier hæc? Sanè non eſt terrenæ vitæ, ſed cœleſtis, quæ Verbum in quo vita erat, traxit è cælo. Richardus à S. Laurent. lib. 9. (Richard. à S. Laurent.) *Non eſt talis mulier ſuper terram. Ipſa enim eſt terra fluens lacte fœcunditatis, & melle virginitatis, quæ non eſt terrenæ vitæ, ſed cæleſtis.* Ergo nouitas mulieris in eo eſt, quòd non ſit terrenæ vitæ, ſed cæleſtis. Quæ, vt cohæreant, opus eſt aliquo nexu vincire, luceque illuſtrare non modica. Noua fœmina eſt, cui non terrena, ſed cœleſtis contigit vita, id eſt, quæ non ſui causâ progenita fuit, in vitamque prodiit, vt dixit Damaſc. orat. 1. de Natiu. Virg. (Damaſc.) *Vitam naturâ præſtantiorem habebis non tibiipſi; neque enim tui ipſius causâ progenita es: quocirca Deo habebis, ob quem in vitam prodiſti.* Cùm ergo Verbum Dei, vitæ fons, deſcendiſſe de cælo perhibeatur, vitamque ſortita fuerit Maria, vt in vtero gigneret; non è terra cenſenda mulier eſt, ſed è cœlo. Ex parentibus quidem nata fuit: quia tamen ad cœleſtis Adami genitricis munus decreta eſt, cœleſtem nuncupa, quam terra non haberet, niſi à cœlo deſcēderet Verbum Dei. Sic Richardū enoda: *Quæ non eſt terrenæ vitæ, ſed cæleſtis.* Neque iſtius cogitatus deſerat ille ducatum: ſic fatur lib. 6. *Non eſt talis mulier ſuper terram. Sicut enim Sol pulcherrimum* (Richard.)

lumina

luminarium cœli, sit Maria dignissima creaturarum Dei post animam Christi. Quod sic explico, quasi post animam Christi existentia Virginis fuerit præfinita, vt lucem videret, & lucem corporaret æternam. Nouum igitur nouo compara, nouitatem Matris cum nouitate Filij. Nihil de antiquitatis fæce quæras, vbi quidquid est, fax est, & micat. Nihil de sordidis ruderibus, & de Adami glebis ad serpentis morsum excisis exquiras in ea, quæ sola est *opus Incarnationis* (sic vocat S. Ildephonsus lib. de virginit. Mariæ cap. 12.) quæ verba iam alij libræ dederunt. Ildeph.

Creatura, in qua Deus apparet, non communi cæterarum notâ fœdatur. Grande pro prima Virginis innocentia argumentum.

SECTIO V.

40. MARIÆ nouitatem deserere non fert animus, quin funditùs ex illa conuincat inquinamenti notâ fuisse fœdatam, quæ, vtpore in candorem lucis æternæ delecta, candida ab origine refulsit. Sedulus obseruabam sub nullius creaturæ formâ vsquam Dominum apparuisse, siue in antiquo, siue in nouo instrumento, quin innoxia, quin pura sit, nullâque obscuritatis vmbrâ deformis. Percurre sacra, inspice diuini Numinis gerulas creaturas: agnosces solùm in id munus fuisse constructas, pulchroque nitore respersas, qualis decebat habitaculi Diuinitatis ornatum. Nec id tamen absque typo Virginei opificij, quod Deus in sui incolatum iam dudum construere parabat. Ne communi mortalium infecta probro Mater futura censeretur: ne vel leui næuo, qui omnium venustates ab origine turbat, putaretur intincta; eas creaturas diligit Deus, vt interim se exhibeat hominibus, quæ puritate micant, nec aliarum maculas ferunt, sed perpetuæ claritatis munere lætantur. Vide, quid Deus nitebatur in vmbra, vt discas, quid peregit in corpore. Assuefiebat creaturis, vt inter creaturas fieret: se exercebat in vacuo, vt posteà in solido pugnaret: agebat scænam, impleturus veritatem. *Ediscebat* (verba sunt Tertulliani) *vt nobis fidem sterneret, & faciliùs crederemus, Dei filium descendisse in sæculum: si & tale retro, quid gestum, agnosceremus.* Tertul.

41. Si Genesis primordia spectes: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vide dignationem: Diuini Spiritus sedes aqua est, in exordio cæteris elementis gratior. Meditor, quòd vltima persona Trinitatis Spiritus sanctus est: & cùm auspicabantur ortum ab efficaci omnipotentia creaturæ, quæ completa Trinitate formabantur, illicò Spiritus super aquas vehebatur, sanctæ Trinitatis complemento associans typum Mariæ, quam complementum esse Trinitatis suprà tractauimus ex Hesychio. Quanta liquidi elementi auctoritas, in quo sedet Spiritus Deus, cùm quasi finito Trinitatis ternario ad opus creaturarum egreditur! Cur liquor sic diuinam allexit voluntatem; vt sibi diuinæ voluntatis terminum attraheret? Quia quando chaos cuncta obnubebat, tristis abyssus tenebrarum fuligine nigrabatur, rudeque cœlum absque syderum cultu pallebat; tunc, in communi fœditate, liquor erat purus, vitreus, perfectus: for- Gen. 1.

Zerda, Maria effigies.

tunatò quidem, quia in Dei vectaculum parabatur. Tertullianus lib. de Baptismo cap. 3. *Nam & tenebræ tota adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude; solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subiiciebat.* Obserua *materia semper perfecta*, vt agnoscas, quòd si aqua, quia terga datura erat, Spiritus almi gressibus, semper perfectione viguit innoxiâ, dum informis originis dedecore cætera notabantur: quid de antiqua Matris perfectione fateberis, quæ non terga dedit, vt inanime elementum, sed vterum; sed animarum fœtum, Verbum Dei efformauit, parturiuit, lactauit? Sint cæteri tristes abyssi ex præiactis tenebrarum seminibus concepti; sint cœlum rude etiam prædestinati ante lauacrum; sint terra imperfecta, qui in Adam peccauerunt: sola Maria semper perfecta dignum vectaculum Deo subiiciebat. Nec à Virginis nostræ typo aqua discedit: Aqua enim ex ingenita sui puritate *virgo* nuncupatur. Cassiodorus lib. 8. variarum epistol. 6. *Currit aqua virgo sub delectatione purissima.* Aristophanes in Cereal. καλλιπαρθένοι ῥοαί, *Pulchra, & virginea fluenta.* Quin hoc priuilegio dotatas aquas ab initio crediderim, quòd non cæteri vulgi ad instar, tenebris penderent vectigal; sed à caligine seiunctæ splendenti luce nitebant. Ideò Spiritus Dei super aquas ferebatur, portionem illam suis functionibus decernens, luceque permeans, ne sicut mortales aquæ, in quibus populorum multitudo signatur; (nam aquæ multæ populi multi,) illicò in sui origine fluitarent, deorsúmque vergerent, qualis aquarum natura est. Perpulchrè Gregorius Nyssenus in Hexem. *Spiritus Deus naturâ idem est cum ipso Deo: quod si vna natura Dei & Spiritus, atque lumen est Deus, lumen prorsus fuerit etiam Spiritus Dei. Porrò lumen efficit, vt in lumine prorsus versentur illa, super quæ fertur: igitur aqua, supra quam Spiritus Dei ferebatur, in lumine prorsus, & à caligine seiuncta erat. Quod si hæc, prout probabile, ac par est, intelleximus; vtique aqua, supra quam Spiritus Dei ferebatur, aliquid aliud atque hæc fluitantium aquarum deorsum vergens, atque inferum locum petens natura est; quæ firmamento ab ea, quæ grauis est, & deorsum fertur, aquâ dirimitur, & arcetur.* Hæc Nyssenus, quæ mirè nostro instituto suppetias ferunt. Ne putaueris personæ diuinæ sedem cum cætero creaturarum calculo computandam, communisque caliginis stragem subire. A qua statim ac concipitur, suopte ingenio, non casu, casum experitur; vergit illicò accliuis in ima: ideò homines, quos peccati pondus in ipsomet conceptionis exordio deiicit, & deturbat, aqua meritò nuncupantur. Maria quidem aqua est ex Adami, per calliculos genitorum, fonte dimanans: ast quia in eam Spiritus superuenturus paratur, stat ab initio; non fluitat, sterniturque. Ideò signatè super aquas Spiritus ferebatur, vt hac discretione Matris prærogatiuam edoceret. Subnigra aqua est, quisquis in lumine vitæ labefactatus occumbit: non illum Spiritus Domini fouet, & ignit. Maria à Spiritu sancto tota lucet: nec dispendium patitur cæterorum. Non cum cælo tenebræ communicare didicerunt: commercium hoc interiacens Spiritus impedit, qui aquas suas à vulgari caligine liberauit. Sic Spiritum super aquas ambulantem commentatur Theoph. Antioch. lib. 2. ad Autol. *Vnum quidem Spiritum lucis, qui formam obtinet, inter*

Tertul. Cassiod. Aristot. Apoc. 17. 15. Nyssen. Theop.

aquam, & cælum constituit medium, ne tenebra communcarent cum cælo, quod proximum Deo est, antequam ipse diceret: Fiat lux. Vt priuilegium hoc aquarum credideris; adest Hieronymus in Epist. ad Ocean. 83. *Rudis mundus, necdum Sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus, incompositam, & inuisibilem materiam, abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in auriga modum super aquas ferebatur.*

Hieron.

42. Nec dissidet, quòd ex voce מרחפת *Merachepher*, quæ solet accipi pro *cubare*, seu *fouere*; inferunt Patres, Spiritum sanctum in similitudinem incubantis auiculæ aquas fouisse, quasi repente calore animantem in vitam. Sic Ambrosius lib. 1. in Hexem. cap. 8. *Fouebat aquas, id est, viuificabat, vt in nouas cogeret creaturas, & fœtu suo animaret ad vitam.* Basilius in Hexem. homil. 2. Hieronym. Hebraic. quæst. in Genes. Procliuis quidem sequela. Si enim Spiritus sanctus hanc in vectaculum sui delegerat creaturam, ne eius exordium, & origo aliquo degenere vitio turparetur; debuit confestim incubare, alis protegere, tepore calefacere; ne, quando erumpebat ad vitam, tenebrarum pateretur incursus, sparsoque insalubris virij veneno medicaretur. Nam obserues, velim, quòd si incubabat aquis, sicut volucris ouis, vt calore foueret, fomento animaret: ipsasmet aquas viuificare, & quasi gignere satagebat, vt post eas illis viuida oriretur propago. Nec iam miraberis seiunctam esse à caliginosa creaturarum plebe Mariam in suimet animatione, quam ab exordio in typo fouebat Spiritus, vegetemque imbuebat calore, ne mortalis in illa reperet vmbra, quam diuina persona ingredi parabatur.

Ambros.

Basil.
Hieron.

43. Dixeris, cur non persona Filij, sed Spiritus sanctus liquido liquori se immiscuisse profertur? Non inibi Maria delineata, quæ Spiritui sancto, sed Filio Dei vectaculum in vtero præstitit. Imò quis gratia Spiritui sancto adscribere, tuncque Mariani maris sub fomento, sacra viuificatio signatur; ideò Spiritus sanctus fouebat aquas, qui Virginem suam Filio Dei, incubante virtute parabat: & quasi solicitans rependere Filio donum naturale, quod accipit, siquidem ab ipso procedit, Matrem illi progignere insistebat, gratiarumque fluentis sacro impetu in conceptionis limine irrigare. Non deest vnus Steuchus, qui in Cosmopœia, singulari & incognito cogitatu putauit Spiritum Domini, qui super aquas ferebatur, Filium esse Dei. Do verba: *Ex his apparet Filium Dei esse, quem Spiritum super aquas dixit Moses. Mens enim apud Græcos Theologos est Filius Dei, ad creandum cœlum & terram adhibita, apud Prophetas Spiritus Domini exornat cælos, est Sapientia, est radius, & spectulum diuinæ bonitatis, quemadmodum videlicet apud Græcos, qui mentem à summo bono fulgere dicebant. Sapientia autem & radius summi genitoris, est Filius. Ergo hunc Moses dixit & spectauit, quando ait: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ascanius inuehitur in Steuchum ob expositionem peregrinam. Ego quidem, dum in aquis Mariam adumbratam probo, non sit exarderem, qui aliud singulare subijcio ex admodùm nobiliori Interprete. Angelus dixit ad Virginem: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Concors Patrum sententia est; tertiam Trinitatis personam hisce verbis explicari: quòd adeo inualuit, vt & sequentia verba, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ad ipsummet Spiritum reuocent ex Hebraicæ repetitionis more plures cum Euthymio: & tamen insolito explicatu de Filio Dei accipit Ambrosius, quem offero lib. de Filij diuinit. circa fin. *Quod nascitur de carne, caro est, & quod nascitur de Spiritu, spiritus est, quia Deus spiritus est, & de Deo natus est. Sicut & Angelus ad Mariam Virginem dicit: Spiritus Dei veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Propterea quod nascitur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Vides ergo ipsum Spiritum, id est, Filij Dei venisse ad Virginem, & inde Dei, & hominis filium processisse.* Singulariter Filium Dei intelligit Ambrosius, cùm tamen superuentus hic lationem illam Spiritus sancti super aquas describat. Noui explicatus vtrobique causa Maria sit, in quam ab initio fouendam ita conspirant Trinitatis officia, vt apparatu impetuosi concursus vocabula inter diuinas personas, quasi ad confusum impulsum permutentur, misceanturque. Totus Spiritus sancti nixus, siue super aquas in modum volucris volitantis, incubantisve, siue super Virginem superuenientis, eò tendit, quòd Filio Dei Virgineus vterus pararetur, gratiisque diuitibus, & spiritalibus charismatibus Mater illicò circumflueret: quare, cùm functiones ageret Spiritus sanctus Filio Dei famulantes, in causa fuit, quòd pro ipso Filio congruâ deceptione haberetur.

Steuch.

Ascan.

Luc. 1.

Euthy.
Ambros.

44. En igitur aqua à primordio limpida, de suo pura, vitreaque venustate formosa, quia vectaculum diuinæ personæ facta est: nec Deus aliquam deligit creaturam in vehiculum, ferculumve sui, quam non priùs mediâ charitate constrauerit, à communique populo discreuerit, & tenebrarum impotentes abegerit incursus. Veniamus ad Angelum. In Angelo pluries apparuit Dominus, iam dux Israëlitidum, iam pugil cum Iacob, iam conuiua Abrahami. Quàm purus spiritus, quem creauerat simul condens naturam, & largiens gratiam! In luce creatum nobilior Patrum cohors cum Augustino cogitauit. Obortâ luce, è vestigio attexitur: *Vidit Deus, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris.* Cur post diuisionem non additur communis illa pientissimæ benignitatis paræmia: *Vidit Deus quòd esset bonum?* Præit singulariùs lucis laudatione tenebræ, in quibus adumbrabatur culpa, vocem laudantis meruissent. Delegerat Deus Angelicam creaturam diuinis functionibus famulantem; ideò discreuit à tenebris: ne tamen aliquando cum tenebris fuisse copulatam censeretur, diuisionem à tenebris, bonitatis voce non benedicit. Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei cap. 30. *Non hoc loco additum est, & vidit Deus, quia bonum est, ne vtrumque appellaretur bonum, cùm esset horum alterum malum vitio proprio, non naturâ. Et ideò ibi sola lux placuit conditori: tenebra autem Angelica, etsi fuerant ordinanda, non tamen erant approbanda.* Velim, te præpares ad illustrem Tertulliani locum. Sola culpæ opinio, qua Angelus igneus notatur, conuincit Verbum Dei non sibi illum hypostaticè deuinxisse.

Cant. 3. 9.
Exod. 14. 19.
Gen. 32. 24.
Gen. 18. 1.

August.

Gen. 1.

August.

45. Appelles, vt apparet ex Nicephoro lib. 4. c. 28. quatuor ingenitis substantiis, quas verborum portentis Marcion confinxit, aliam addidit igneã, quam Angelum igneum appellitabant eius asseclæ, quasi igneum præsidẽ. Forsan à Chaldæis error hic emanauit, de quo Pselus de dogmatibus Chaldæorum. Igitur in huius Angeli natura non venisse Deum probat Tertullianus: imò nec carnem è cœlo constrnxisse, quia ipsi Apelliaci docebant Angelum illum pœnitentiam egisse post factum

Appelles.
Nicephor.

Pselus.

Tertul.

factum mundum. Pœnitentiam egit: ergo mundus delictum fuit, ergo & cælum, & quidquid è cœlo desumptum: ergo si Christus de igneo Angelo, vel de cœlo constitit, peccatricem carnem de peccatorio censu habuit. Sic acri argumentatione confutat Tertullian. de carne Christi cap.8. Tertull. *Angelum quemdam inclytum nominant, qui mundum hunc instituerit, & instituto eo pœnitentiam admiserit. Teste igitur pœnitentia institutoris sui, delictum erit mundus: siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti, quia locum non habet nisi in delicto.* Ex quo sic Appelliacos urget: *Si mundus delictum est, quia corpus, & membra delictum erit, proinde & cælum, & cælestia cum cœlo. Si cœlestia, & quidquid inde conceptum, prolatumque est: (* id est delictum erit *) mala arbor malus fructus edat, necesse est. Caro igitur Christi de cœlestibus structa, de peccati constitit elementis, peccatrix de peccatorio censu.* Sed non scitè videtur acuisse telum Africanus: non etenim ideò peccatum est id, quod peccante artifice constructum est. Si enim inobediens scribas literas, literæ in se peccata non sunt, quamvis qui fecisti, peccator sis, scripsisseque, peccatum. Quin quòd non tam stricta pœnitentiæ vox apud Appellem in suo Angelo; cùm translatitiè accepta, non semper rigorem criminis præsupponat: cùm & Deum de constructo homine pœnituisse dicatur, Genes.6. Mirum dictu! Adeò Genes.6. materies, & massa, de qua costructa fuit caro Christi, debet pura excogitari, vt nec possit exaudiri vox pœnitentiæ, etiam à culpa vacua, in eo, qui illam massam efformauit; si tamen culpæ capax est. Quàm à longe puritas probatur, vt caro Domini fiat, ne aliàs sit peccatrix de peccatorio censu! Neruus est validus in his verbis, quasi nullus census, tributum nullum, etiam per modum naturæ obæratæ alicui originariæ culpæ, possit cogitari in omni materie illius, qui carnem dederit Christo. Profectò strennuus est Afer iste pro Mariana puritate, ad quam ipsa sese contorquet argumentatio, virilior sanè, & pugnacior. Nam si vel inanis vox penitentiæ in Angelo igneo, cæli constructore in causa est, quòd caro Christi non sit è cœlo, ne sit peccatrix de peccatorio censu, quomodo Mariæ caro potuit vnquam de peccatorio censu censeri, Adamique fæculentiâ colluuie maculari, siquidem ex ipsa constitit caro Christi?

46. Exod.3. Apparet in flamma Dominus Exod.3. Scatet nouitatibus spectrum, ignisque & rubus, velut nouæ creaturæ à syllabo cæterarum auelluntur, miraque omnipotentiæ virtute, propriam naturam oblitæ, dignum subsellium splendenti maiestati construebant. Coniecta flammæ nouitatem, veprem irrigat, igniroque coronat flore: virescit rubus, non cinerea pallet; ardet, non vritur; imbrem crederes perpluisse, non ignem: & tamen flamma est quæ vernam comam nutrit spino. Vlteriùs, dumosum virgultum demitare: acuit vrticas in medio ignis, quasi ignem satagens cruentare, pugnacique mucrone ferire. Palæstra speciabilis est: decertat spinea plantula, vt vireat; ignis, vt ardeat: vterque victor euadit; extollitque rubus florentes vepres pro lauro; flammaque victrix non fumigante nube obscuratur, pro triumpho. Euseb. apud Eufeb. Lippomanum: *Ignis longè apparebat in rubo pugnans. Natura ipsa freno coercita ignis erat in rubo, & rubus ignem habebat in sinu, & non comburebatur, Admirabile erat visum, & præter naturam spectaculum.* Non te pulsat illud, *in rubo pugnans?* Enitebaturnè absumere plantulam ignis, facileque arbustum deuorare, & quasi acie militari pugnabat? Certè pugnauisse vult Euseb. Quòd si sic militabat, etiam plantam obstitisse necesse fuit decertando. Audi Basil. Seleuc. orat.9. *Ecce ignem monstrat in rubo ardentem ignis effectu seposito: quippe flos igne coronatur, vilisque planta succensa, flamma obsistit.* Seleuc. Voluit Deus ostendere flammam hanc, & rubum non alterius esse naturæ, sed alterius gratiæ. Duello spectabili confligere finit, vt naturæ propensionem ostendat, omnipotentiæque virtutem in coërcendo vtriusque affectionis impulsum. Præsignabat enim exinde se Mariam producturum, in qua degere meditabatur, & quam nec ignis Diuinitatis absumeret, nec fumigans pristini peccati flamma decoqueret; licèt non alius esset naturæ, sed ex hominibus assumpta; singulari tamen gratiæ prærogatiuâ præuenta. Inde Germanus Patriarcha Constantinop. *Nec rubus inconsũptus, & illæsus sua vi ignem perdurauit; sed propter Mariam, quæ in mortali, & ad corruptionem prona natura ignem Deitatis portauit,* Germ. Ponderat illud, *in mortali, & ad corruptionem prona natura.* Pugnet originaria culpæ flamma infringere Marianum decus, cùm concipitur: natura ipsa ex Adami seminio sata deflectere conetur ad casum; ignis vorax tentet incendere spinetum. Nolumus à nostræ naturæ consortio Virginem Matrem dimouere, diuinamque, seu Angelicam asserere, cùm à communi piaculo vendicamus: solùm gratiam fatemur pronam coërcuisse naturam, restitisse peccato, incolumeque arbustum à flammeo gutture præstitisse, ne in simili natura concepta Virgo simile nobiscum pateretur excidium. Ideò flamma rubi dissimili formâ visa forsan fuit, quia Dominus apparebat in flamma, nec communi vult specie componi creaturam, quam diligit ad subsellium. Sanè sic sensit Philo Iudæus apud Lippoman. *Erat ibi rubus plantula videlicet spinosa, ac debilissima, atque ea, à nemine admoto igne, repentè tota accendi visa est. Quam cùm ignis radicitus occupasset, & ingenti flamma omnes ramos, ac cacumen teneret; ea tamen perinde manebat illæsa, ac si supernè fons delaberetur, incendiumque reprimeret, & quasi materia incorruptibilis esset, non ea esset igni pabulum, sed contra ea nutriretur ab igne. In media vero flamma forma præstantissima visa est, quæ nulli harum rerum, quæ videntur, esset similis, diuinissimum simulacrum.* Philo. Floridè Cornelius nouitatis insimulat Philonem, qui formam Cornel. in medio rubi prætimatus est. Si copia coniectandi datur, iniuriosè nimis plectitur Philo. A communi specie, & qualitate secerni debet creatura, in qua Deus conspicuâ subsidet manifestatione: non similem visa est, nec habere sequentem, quæ Deum baiulat in sinu; dispungenda à communitate est. Si Verbum Dei apparebat in rubo, vt concors censio est, iam exinde vterum præsagiens virgineum, in quo vtraque se forma copulauit, nempe & forma Dei, & forma serui; quid quòd flamma rubi formæ illius vmbras linearet, è medioque corde produceret, quæ nulli harum rerum, quæ viderentur, essent similes? Ergo Maria, cuius typus illa spectarissima nouitas fuit, non debet in communi multitudine recenseri: nam nulli harum rerum, quæ pensitationem peccato luunt, est similis, quam Verbum elegit. Laurentius Iustin. serm. de Laut. Iust. Purific. Mariæ col.2. *Erat profectò ipsa talis & tanta, vt illi minimè reperiretur similis.* S.Francisc. Eodem spiritu S.Franciscus in orat. ad Virg. *Sancta Maria, non est tibi similis nata in mundo.*

47. S. Thom. Apparet Spiritus sanctus in columbæ specie, quam veram columbam fuisse perhiber S. Tho. 3. p.q.39.art.7. ibi effusi Theologi. Iam scis columbam innocentiæ symbolum esse: faustam Regibos solùm noto, sicut Iasoni in Colchide columba fuit
Apoll. Virg aospicata augurio, vt est apud Apollonium: sic & Æneæ 6. Æneid.

——Gemina cùm fortè columba
Ipsa sub ora viri cælo venêre volantes.

Quin & nuntias gaudij legimus, vt in Mutinensi
Plin. obsidione scribit Plinius lib. 10. c. 37. Sic rediit ad
Gen 8. arcam innocuus ales: cui simile quid scribit Plu-
Plutarch. tarch. in lib. de solert. animal. Aptum itaque, quia
Matt. 10. 16. non felleum, quia non sordidum, quia ionoxium, accepit alitem Spiritus, vt in vertice Domini sederet, cùm peccatoris effigiem in Iordanicis vndis abluebat. Euanuit auis post lustralis vndæ fluxum, solùm efformata ad signum, sicut & vox Patris: &
Tertul. tamen tam citò transitura, nec hypostasticè vnita
Suarez. Spiritui (de loco Tertulliani difficili lib. 4. de carne Christi alibi agimus: adi Suarium in 3. p. tom. 2. disp. 27. sect. 2.) sedolo delectu seligitur interalites candidior, syncerior, absque felle. Dominus ergo, qui sic in pristinis exercitationibus assuefiebat, Matrem eligeret semper mansuetam, nouem mensium claustrum, sibi in æternitate cum Matris nomine adstantem, quæ aliquando sub felle, sub labe, & deditij fuisset generis consors? Rursus: descendit Spiritus in columba, quasi ad baptismi ritum, in quo originaria culpa exploditur, & oleo perungitur vertex baptizati. Absque labe Dominus lauari permittit, vt consecret aquas à peccato originis lauaturas. Sic oleo illinit Spiritus sanctus
Optat. verticem, dum in vertice sidit columba. Arguté Optatus Mileuitanus lib. 4. contra Parmen. *Spiritale oleum in imagine columbæ descendit.* Cur oleum, si columba est? Quia vmbra lauacri ab originali abluentis peragebatur, vt denotaret, quòd in Christo non oleum materiale effundendum qui absque peccato venerat; sed omnis Spiritus plenitudo,
Luc. 1. quæ totum inundans, è capite reflueret. Eamdem inuenies notam, si te accerso ad Mariam. Gratia repleuerat Virginem, idem superuenit Spiritus, superaffluenti gratiâ oleum effundens spiritale, sicuti munus exerceret, quod post in columbæ specie obiturus erat in Christo. Si ergo illic, vt columba superueniens, à labe signat immunem Filium: cur
Ildeph. non & immunem signabit Matrem: siquidem columba est, Spiritus idem? S. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt. *Et quia vnus, idemque homo Deus nec in passione diuidi potest secundùm substantiam, nec in maiestate; sic & Dei genitrix speciosa prædicatur, quia columba illa, quæ supra Christum mansit, eam totam repleuerat.* Solue loci huius venustatem, pondus, acumen, dum credas absque labe Matrem. Non illam diuidas secundùm temporum momenta quam non diuidendam probat Ildephonsos ex indiuisione hominis Dei: nec lauacro opus ei censeas aduersus hæreditariam labem, nam ipsa columba, quæ supra Christum mansit, & asseruit noxæ impotem, eam totam repleuerat. Sinus omnes scrupulosus scrutator explora: si primordium inuenis absque Spiritu, columbæ detrahis, latebram illam non attingenti: speciosæ Virgini derogas, cui næuum appingis, nec totam repletam confiteris.



ACADEMIA VIII.

Maria quo iure Filia Diuini Patris asseratur.

Maria quasi è mente Patris in similitudinem nata, in latere nutrita; originariæ labis dissimilitudinem non suffert.

Sectio I.



Disseruimus in præcedentibus, Mariæ cum Filio Diuino nexum, & ex superni Patris necessitudine, & cognatione eam proprietatem fuisse sortitam, qualis in Altissimo affulget; nempe quod eius hypostasis, & constitutio subsistat solùm ob Filium generandum, quem exuberans Diuinitatis fœcunditas ad suæ opulentiæ exigit complementum. Hæc cum diuino Genitore similitudo procliui semitâ nos inducit ad aliarum proprietatum, quæ in superno Parente elucent, in virginea Matre participium. 1.

Et quidem non modicè ex præfatæ proprietatis ratione coniectare licet, reliquos characteres, & 2.
attributa, quæ superum Genitorem circumstant, ex officiosæ gratiæ plenitudine in Mariam diuite gurgite effluxisse. Ratio prompta est; nam si cœlestis Pater præter creaturarum commune opificium, vulgaremque creationem, Mariam nouo, & singulari delectu in Matrem Filij sui molitus est, specialique structurâ suis vsibus condidit, & perpoliuit; procliue est, agnoscamus Virginem nostram singulari concursu à Patre esse velut ex vtero genitam ex indiuisa cum Filio, qui in splendido Patris vtero innascitur, communione. Quod si semel verum sit; absque nimio negotio potest ostendi diuini Patris peculiares diuitias, indolem, proprietates, & genus ex filiationis iure, non naturâ, sed beneficio partæ haurire Mariam, cùm nec labem admiserit, quæ ab hæreditate repellat; nec Patris sustineat conditio, quàm ad Vnigeniti maternitatem produxit, vllo hæreditario censu priuare. Ergo quòd Patris Filia Maria sit, omne beatitatis genus, perfectionum fontes, attributorum confertissimas diuitias, Paternumque in Diuinitate thesaurum in Mariam opulento Oceano cucurrisse demonstrat. Id filiationis iura deposcunt, cùm rem familiarem non sufferat esse discretam, Filiæ & Genitoris con-
sortium. Non tædeat audire Laurentium Iustinian. Laur. Iust.
sermon. de Purific. Mariæ col. 1. *Erat profectò ipsa talis, & tanta, vt illi minimè reperiretur similis. Erat, inquam, corpore Virgo, carne incorrupta, prole fœcunda, virtute perfecta, moribus composita, sanctitate redimita, honestate conspicua, corde ignita, animo suspensa, gratiâ plena, sapientia perfusa, Deo coniuncta, Verbo propinqua, mysteriis diuinis imbuta, Angelorum consortio custodita, & Spiritu sancto absque temporis interuallo possessa. Sibi namque ipsam in sponsam delegerat, Sapientia in Matrem,*

in

in suam interuentricem mundus, Angeli in Dominam, & æternus Pater in Filiam. En sub qua coronide conclusit altam perfectionum abyssum, *& æternus Pater in Filiam.* Quatenus in nulla Mariana dignitate magis eluceat Diuinatum diuitiarum altitudo, & profundum, quod sub virgineo littore prendit, quam quòd Patris Filia sit, in quam suoptè vestigio omnem Patris facultatem deuenire competum est. Patri autem omne gazarum pondus attribuitur ille diues opum est, superbisque diuinitatis prouentibus abundat; quippe fons diuinitatis dicitur, gemmisque, seu germinibus circumfluit. Dionysius Areopag. c. 2. de diuin. nominibos. *A diuinis scriptis accepimus, Patrem quidem esse, vt ita dicam, fontanam Diuinitatis: Iesum autem, & Spiritum fœcunda Diuinitatis, si ita fas est loqui, gemma, seu germina.* Arguté igitur ex filiatione Patris æterni omnem sacrarum opum cumulum arguit in Virgine Laurentius: & meritò præmisit: *Erat profectò ipsa talis, ac tanta, vt illi minimè reperiretur similis.* Et quidem, cùm similitudo ad filiationem apprimè conducat, imò in similitudine stet ratio Filij; neutiquam valet aliquid simile ad Mariam reperiri: quæ, quà Patris æterni Filia est, Patri similis peruià ratiocinatione asserenda est. Præstat aduocare S. Franciscum in orat. ad Virgin. apud tom. 5. Biblioth. *Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus: Filia, & ancilla Altissimi Regis, Patris cœlestis: Mater sanctissima Domini nostri Iesu Christi, Sponsa Spiritus sancti.* En compar stylus. Supra omnem similitudinem ardua Maria est, vtpote Patris Diuini Filia, à quo similitudinem viuidis coloribus describit.

Areop.

S. Francisc.

3. Harum diuitiarum congestum cumulum, quo Maria plena est, quà Filia Patris, etiam Simon de Cassia vidit libro 2. de Beata Maria, cap. 1. *Diuina Virgo Filia Patris æterni plus habet in occultis suis, quam capiat hominum mens, quàm possit sermo proferre, quam scribi membranis, quam sibi totam cooptauit ille, qui condidit, ad nil aliud, quam ad diuina perstruens, vt Dei Mater esset & Filia. Tota in se formosa erat, & tota in virtutibus, & actionibus forma, exemplar æterni exemplaris.* Omnem nostrum cogitatũ annolo aureo carcerauit Beatus iste, Tria nectit: quod Filia Patris sit, quòd affatim diues Diuinitatis opibus, & quòd ad nihil aliud fuerit præstructa, quàm ad Diuina, vt Dei Mater esset, & Filia. Huc tota periodus tetenderat, à quo & orsa est, nempe quòd Filia Patris sit, cuius argumentum est, quòd tantùm ad maternitatem Filij Dei fuerit compacta: ex quo principio illud itidem fit, quod plus habeat in occultis suis, quàm capiat hominum mens: quoniam fons Deitatis ruptis ostiis, in illam influit.

Sim. de Cas.

4. Aureum circulum rotare videmur: quem licèt logici auersentur, eamque argumentationem Dialectica perosa sit, quæ circulum facit vitiosum: attamen in hoc opere, quod versamus, vtpote virgineo, nullum vitium irrepere quit. En circulus: Maria Filia Dei Patris est. quia eius similitudinem participat. Maria similitudine cum Patre æterno pollet, quia Filia diuini Patris est. Nullum vitij inquinamentum hunc gyrum polluit; sed ex proprietate naturam expoоit, proprietatemque ex natura declarat. Si humana mens prospectat in Virgine, superi Genitoris tractas lineas, nempe quòd Mater Filij Diuini sit; quòd eius muneris causâ, luce gaudeat; aliaque id genus, quæ infrà dabimus: quid quòd statim Filiam eius asserat, cùm filiationis securos index similitudo sit? Iterum, si Filiam Patris semel veneratur: quid quòd illicò ex Paterna opulentia diuitem esse pronuntiet, Filiæ iure? Ideò censuerim ex nullo aptiori capite hanc filiationem, ditissimumque attributorum thesaurum, hæreditario tractu deuolutum in Virginem comprobari, quàm si ex patris mente, non modica proportione, prognata monstretur. Et quidem purior, defæcatiorque similitudo est, quæ in Verbo resplendet è fœcunda Patris, confertâque memoria progenita: quoniam cùm proprium mentis sit, assimilare; perfecta mens, spirituumque apex perfectiori penicillo similitudinem suam genitæ proli indet. Ex quo secunda persona in Diuinis Filius est, annuente S. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 4. *Processio, qua attenditur secundùm rationem intellectus, est secundùm rationem similitudinis, & in tantùm potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile.* Hinc quà Filius, perfectissima est Patris effigies. *Patris enim Filius* (verba sunt Alexand. Alexand. in epistol. ad Alexand. Constant.) *paternam effigiem accuratè seruare solet: quippe cùm eius similitudinem à natura in se impressam habeat, & perfecta sit Patris imago, & expressa similitudo exemplaris primarij. Vnde Dominus Philippo Patrem videre cupienti apertè commonstrat; Qui videt me, videt & Patrem meum.*

S. Thom.

Alex. Alex.

Perpende illud, *expressa similitudo exemplaris primarij*, & recognosce data verba Simonis de Cassia, quibus compellat Mariam, *exemplar æterni exemplaris*: quod attributum, Paternum sapit prototypum, vt ex Alexandro audisti. Et quidem incomparabilis hæc excellentia est, quòd Filius diuinus expressa sit similitudo exemplaris primarij. nempe Patris, & Maria exemplar exemplaris dicatur: Filius enim etiam exemplar est, ex quo Alexander *exemplaris primarij* dixit, scilicet, primæ personæ. Nec te turbet exemplaris vocabulum, quo solet exscriptio significari: quare exemplar testamenti apud Plinium epist. 29. 1. trãscripta testamenti series est: ac ideò Patri Diuino, qui potiùs in Filio se transcribit, & egerit, intortè ea vox adaptari videtur. Non, inquam, te turbet, quia exemplar, Valla teste, lib. 6. ille dicitur, in quo virtutes, vitiave, tanquam in prototypo insunt, vt alij per imitationem exscribant. Exemplar autem eorum est, qui mente agunt, intellectualibusque ideis fabrè operantur. Ergo vt Maria ad filiationis ex Patre superno nobile pertingat fastigium, viuidiorisque similitudinis sortem aucupetur; fœlix, faustaque probatio erit, quæ ex mente Patris adstruet progenitam, non rigore quidem generationis, quæ ad vnicum Filium terminata exhauritur, & exsatiatur; sed signatissima quadam analogiâ. Et sanè, si ideò procreata est singulari molimine, vt Filium Dei Patris gigneret; specialis quidem præter omnes alias creaturas eius constructioni sedulitas, per appropriationem saltem, Patri Diuino deneganda non est; cuius admodum intererat si venustam, & eximiam, hanc euadere creaturam cuius in vterum ex vtero splendenti Vnigenitum parabat immittere. Itaque potissimum mentis Paternæ opus fuit: ideò mentis; vt ex prima constructione, mentem iam saperet, & versaret diuini Genitoris, in qua Filius ille gignebatur, cuius illa destinabatur genitrix. Præstruximus ista, vt benè percalleas Nazianzeni locum.

Si

Plinius.

Valla.

6. Nazianz. Is in Carm. de Christo patiente col. 25. in fine inducit B. Virginem, sic loquentem ad Filium:

Simul atque nata sunt Patris tui, vt arbitror,
Ex mente summa, me meus nutrit Pater:
Non inter illos, quos colunt homines, lares,
Sed me sacrata Mater ædi destinat.

Hæc ille eximius Theologus insolito quidem, & ineffabili canit neruo. Quî sic audes, Theologorum fax? Non sat fuit Mariæ ex mente procreari Dei, qui omnium creaturarum opificia per sapientiam præparat; per omnipotentiam, quæ mentis, & voluntatis est, condit? Patris Diuini è mente natam Mariam esse conaris, cùm patrius vterus vno Filio progenito compleatur; nec vlteriorem sobolem ex mente præualens parturite, Spiritum sanctum qui nec nascitur, nec Filius est, exuberante voluntate producit? Si Maria ex mente gignitur Parentis, in illam similitudinis iuisse thesauros necesse est; & quia mens non dissidet ab intelligente, arctam cum Patre coniunctionem habere, breuemque, & compendiosam esse paternorum attributorum declarationem. Omne enim, quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce diffinit. Verba sunt ipsius Nazianzeni orat. 36. num. 81. agentis de Filio: *Verbum dicitur, quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem, propter coniunctionem ipsius cum Patre.* Ac statim: *Breuis & compendiosa, facilisque Paternæ naturæ declaratio est Filius. Omne enim, quod genitum est*, &c. Non stricto rigore, censoriaque Theologi fronte egit in carmine Nazianzenus, sed qua potuit pennarum alacritate, se in sublimius fastigiauit elogium, sacræ Virginis animum, & vterum, prærogatiuarumque admiratus abyssum. Ex Virginis dotibus hanc ex Patris mente natiuitatem, conniuente non mediocris proportionis licentiâ, per analogiam aliquam coniectat: vnde dixit; *Patris tui, vt arbitror, ex mente summa.* Suadent indicia, pignora in Virgine à Patre deposita commendant, è Patris mente esse prognatam: siquidem Paternæ mentis terminus se in eius vtero corporauit, & ad eum gignendum illam mens diuina præstruxit, signatissima quadam ratione, prædestinationeque. Prisca mentiendi cupido Mineruam pro Numine colebat, ex cerebro Iouis prognatam esse commentans. Mentita est iniquitas sibi: verùm coniectura non defuit huic natalitio, quia scientiarum Deam asserebant: omnis autem sapientiæ largitas à diuinæ mentis fonte corriuatur. Si in Mariam plenitudo sapientiæ vsque ad vterum permeauit, ab Altissimique Virtute perplura roscidum, & aureum supernæ mentis ebibit imbrem; non contemnendâ analogiâ, Filia Patris quasi prognata ex mente videtur. Ideò & ab ipso Patre, canente Nazianzeno, nutrimenta capessit, stillantibusque sapientiæ poculis, intellectualibusque saginatur obsonijs; nec fumigantibus laribus traditur educanda, sed è gremio mentis ad ædem diuini Patris transfertur, vt inibi officiis genitricis Verbi Dei assuescat: ideò trima templo præsentatur. Quò respiciunt illa:

Non inter illos quos colunt homines, lares,
Sed me sacrata Mater ædi destinat.

7. Prou. 8. Illustrat admodum discussus Nazianzeni locus translationem illam Chaldaicam, quæ circumfertur ad illa verba Prouerb. 8. vers. 30. *Cùm eo*
Chald. *eram cuncta componens:* sic enim Chaldæus legit; *In latere eius eram quasi nutrita:* vbi vox *quasi* rigorem temperat proprietatis, sicut verbum illud *vt arbitror* apud Nazianzenum, cuius fermè eadem sententia est; *Nata sum Patris tui, vt arbitror, ex mente summa; me meus nutrit Pater.* Quòd si quæras, cur in latere eius innutrita dicatur? Pendo libenter geminam rationem. Prima quia Maria non nudè Filia est, sed ideò Filia, ideò in Patris similitudinem euecta, vt Mater Filij diuini sit, ac proinde ad latus sit diuini Genitoris, sacrum cum eo nacta coniugium, vtpote ex vtroque Parente Filio progenito. Ad latus enim ex latere formata sistitur coniux, Genes. 2. Gen. 2.
Et vxor sicut vitis abundans fructificat in lateribus; Ps. 126. ideò ex viri costa concinnata, vt appareat vnum esse generis fontem, vnamque naturam, quæ ex duobus suppositis ad filios generandos in connubio coalescit. Id meditatus est Ambrosius: Ambros. *Illud non otiosum, quòd non de eadem terra, de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier, vt sciremus vnam in viro, & muliere corporis esse naturam, vnum fontem generis humani: ideò non duo à principio facti vir, & mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres, sed primùm vir, deinde ex eo mulier.* Strenuus cogitatus, si transferas ad Mariam, quæ è mente Patris prognata dicitur, & in latere Patris nutrita, quasi ab eius latere constructa: cui Deus Pater, vt protulit Anselmus, vnicum Filium suum, quem de corde Anselm. suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, ac Virginis Filius. Principia quidem ipsa diuersa fuere, Maria, & Deus Pater; sicut & generatio, alia æterna, temporalis alia. Ast Deus ipse, gratiaque coniunxit, quod homo non præualet separare. Quia vniebantur in prole, effectum est, vt priùs amoris nexu, mentisque transfusione vterque Parens agglutinaretur in spiritu. Vidit id Amadeus homil. 6. de laudibus Virg. *Facta* Amad. *igitur extra se, suique oblita præ gaudio adhæsit corde latissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitate tota refundebatur.* Quid nobilius? Periit prisca Mulier, postquàm è latere viri auulsa est. Adhuc in ipso primordio causa fuit defectus viri, qui indiguit supplemento à deficiente sibi costâ ob ædificatam fœminam, & repleuit Deus carnem pro ea. A defectu viri orsa, fragili sexu, è Gen. 2. 21. fragmentoque corporis efformata; licèt cum omni perfectione è manibus Dei erupit; ossis tamen illa defectum sequuta est: defecit, posterisque suis nobilitatem status mutilauit. Maria deficere non nouit, neque in communi casu cadere, quæ è mente Patris, è latereque summi Spiritus & nata, & innutrita profertur: ideò postquam nata, innutrita; ne vnquam à latere discederet genitoris, sicut Primigenia discessit à latere viri, & virus ebibit à serpente.

8. Altera causa sit, cur dicatur *in latere eius eram quasi innutrita*, nempe vt signetur Filiam esse Ps. 127. 3. Patris: Filij enim in latere, & circuitu patris sui statui solent, sicut nouellæ oliuarum; vt ante oculos obuersentur, morumque opimis fructibus vernent, paterni lateris calore tepentes. In quo iridem neruosa quædam, simulque suauis pro immunitate Mariæ se ratio prodit. Eua è latere viri constructa sobolem omnem maculauit, & generationis commercia, contagij inquinamento polluit. Iam exinde libidinis æstus exarsit, illecebrosique pruritus turpitudo etiam coniugij

thala

thalamum temerauit, eâ fœditatis, venenique tempestate, quòd & filij ex ritè celebratis nuptijs concepti originaria labe sordescant. Quid causæ? Quia dum serpens per pomum instillauit venenum, insalubri potione Venerem concitauit & ad impudicos acuit impulsus, vt nulla proles gigneretur ex toto, quin deteriatæ culpæ sapor sentiretur, voluptasque fœdaret originem. Ideò serpens in latera toxicum illud effudit; siquidem ex lateribus deciditur, ex quo soboles generatur. Quàm infausta lue per omne corpus serpsit contagium! Sic enodare cupio Ambrosium, super lib. de Salom. cap. 5. in fragmento, ad med. superiùs dedi verba, reddo nunc; vt explicem: *Serpens, id est, diabolus in auribus Euæ semitam fecit, fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat ire ad arborem: fecit & in manibus, quibus contracta sunt poma: fecit & in lateribus, dum ab his, non vt fuerant concessa, celebrata sunt nuptiæ.* Quàm obuius homo Dæmoni! Quot itinera patefecit hosti! Dæmonem dixerim ausum fuisse facere fœminam *initium viarum suarum.* Nonnè tot semitas vides? Has sibi specter serpens gestiuit ab initio, visque arripere Filio Dei Generationis æternæ regiam semitam priùs caudâ verberare cupiuit, appetens similitudinem Altissimi. Post in homine semitas fecit, & omnium sensuum vias, depopulante tyrannide, sepsit: *Sed neque via vestra via mea*, dicit Dominus.

Isai. 14. 14.

Sic è latere ædificatam fœminam initium viarum suarum, omni posteritate pollutâ, Dæmon istius facere meditatus est; sed Pater Deus, construit semitam, quæ *via sancta vocabitur*, nec pollutus transit per eam; è mente progignit, è latere nutrit, eamque possidet, quam creauit initium viarum suarum: ideò enim quasi appositè ante illa verba; *In latere eius eram quasi in cunabulis*, vers. 22. præmissum fuerat; *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, vbi Septuaginta habent *Dominus creauit*; seu *condidit me initium viarum suarum.* Et Symmachus *principium viarum suarum.* Quàm salubris medela! Quàm compar instauratio! È latere produxit fœmina, vt generationum humanæ semitæ protenderentur, originumque viæ successiuis partubus sternerentur. Polluit Dæmon obcæcans semitas, sibique vias statuens in ipsismet generationibus, quas infecit. O infœlix partorigo; ô fœmina infœlix! Filiæ tuæ de latere surgent, sed polluto, sed noxio. Ideò forsan ille vafer Cherub in lateribus Aquilonis sedere tentauit, damnata exinde, & infelicia præsagiens latera, quibus procellosus Aquilo iugiter insidens continua mastige flagellat, vltimæque damnationis per originariam noxam miseriam describit. Sic enim de Aquilonari plaga scribit Solin. cap. 20. *Damnata pars mundi, & à rerum natura in vmbram æterna caliginis mersa, ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola terrarum non nouit vices temporum, nec de cælo aliud accipit, quàm hyemem sempiternam.* Aquilonaris ergo plaga sempiternæ hyemis ærumnosis calamitatibus addicta, nullisque vicibus, ordineque temporum variata, miseræ illius regionis similitudo est, in qua damnati cruciantur, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Itaque ab initio in lateribus Aquilonis sedere præsumpsit Dæmon, exinde cogitans in lateribus semitam facere, iuxta Ambrosium, lateraque possidere ad inquinamenta generationum, & in illis Aquilonem spargere, scilicèt peccatum, quod inferni radix est, & origo.

Ambros. — Isai. 14. 14. — Isai 55. 8. — Isai. 35. 8. — Prou 8. 22. — Septuag. — Symm. — Isai 60. 4. — Isai 14. 13. — Solin. — Iob. 10. 22.

Sed præstat adhuc enodare Ambrosium, quid sibi velit, cùm semitam fecisse serpentem in lateribus perhibet, *quia ab eis, non vt fuerant concessæ, celebrata sunt nuptiæ.* Nodus est haud facilis, quamuis iam ex præfatis non modicus explicatus appareat. Connubio stabili acceperat Adam, paranympho Deo, fœminam in vxorem: post exilium amplexibus studuere, serentes sobolem matrimonij fructum. In quonè errauerunt nuptiæ? Rursus; quales in lateribus semitæ? Imò quid commercij nuptijs cum lateribus? Apprimè Doctor sacer serpentis astum agnouit. Concupiuit ille omnem naturæ humanæ massam maculatus, tabem spargere in generationibus ex humano semine protractis, vt sic in initio viarum suarum omnes homines possideret. Hinc adoritur fœminam è latere Adami soporati euulsam: sic semitam fecit in lateribus: vt, quæ fœmina ad prolis propagationem ædificata fuerat, (& ideò forsan ex latere, quia ex lateribus sentina sanguinis in baiulum virtutis generatiuæ seminarium liquescit) ipsa priùs ferirctur, & deinde fœdarentur nuptiæ, quæ concessæ ad innocentis sobolis successiuam procreationem, iam peccatrici, imò & peccato originario maculatæ proli subseruirent. O versipellis! Sancta temerasti connubia, & nuptiarum faces fæce polluisti. Quantus dolor, quòd initium viarum suarum, nempe generationum, quod Dominus selegerat, volutabrum sui effecerit Dæmon? Ergo è Patris Diuini latere prodeat fœmina, sitque cum eo cuncta componens: possideat illam Dominus initium viarum suarum, nouasque generationes meditetur, quibus regenerati posteri Adami, per viamque mandatorum Domini currentes, ad supernæ vocationis tendant brauium. En igitur ad huius regenerationis propagationem non per semitam gradiens nuptiarum, non per concubitum, quem violauerat Dæmon, sed per Virginis illibata viscera, vt nec per genitricem Mariam, nec per genitum, semitam ducat antiquus serpens. Gregorius Nyssenus orat. de Virginit. cap. 5. *Ob eam enim causam mihi Dominus noster Iesus Christus, à quo veluti fonte quodam omnis castimonia manat, non nuptiarum viâ quæsitâ, in hanc vitam ingressus videtur, vt & eo modo, quo carnem humanam assumpsit, admirabile hoc, & magnum planè mysterium patefieret: quoniam quæ Dei aduentum demonstraret, sola castitas idonea est.* En non per viam, quam libidine infecerat Dæmon in latere viri, venit Dominus; sed per Mariam, quæ in latere Patris fuit, in hoc munus ab ipso producta. Vterque absque coniuge gignit eumdem Filium, vt nouum statuatur viarum Domini initium, & nouitatis regeneratio contingat. Augustinus serm. 86. de diuers. in festo Paschal. cap. 3. *Sed quâ viâ natus est? Ad istam regionem venit, sed non eâ viâ, quâ & nos, venit. De cælo enim venit à Patre, & tamen natus est mortalis, natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* En noua via Maria est. 9.

Greg. — August.

Iuuat sic nouitere lucidare Andr. Hierosolym. serm. 2. de Annunt. *Mulier, quæ cælorum superauerat naturam, Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam; miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Quid est, quòd insolito ausu primam naturam vocet Mariam, cùm tamen 10.

Andr. Hierosol.

in

Psal. 8. in natura sit paulominus diminuta ab Angellis? Belle quidem, & Theologicè, nisi me mea fallit ratio. Natura differt ab essentia, vt docet S. Thom. c. 1. de ente & essent. in eo, quòd dicatur in ordine ad operationes, & proprietates, quæ ex ipsa, tanquam ex radice pullulant: de quo infrà plura subdemus. Cùm igitur tota sit Maria in ordine ad generationem diuini Filij, quæ super omnes operationes primatum tenet, iure prima, excellensque natura nuncupatur, cui subiiciantur Cherubim, & Seraphim. Ideò ergo prima natura est, quia solùm ad hunc perfectissimum actum genita fuit. Ideò itidem prima natura est, quia signatissima proximitate in latere Patris summi innutritur, & ab eius summa mente dicitur nasci, quatenus specialiter diuinæ mẽtis Filium illi corporandum præbet. Quare seriò addidit Andreas. *Proximè accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Quibus verbis scholiat, quod dixerat *prima natura:* duplexque sensus est, reciditque in vnum. Maria vicinior Deo Patri est, laterisque comes: ideò vicinior, quia communicat cum Patre in eximia diuini Filij generatione, ratione cuius, vt meditor, Deus Pater specialiter dicitur opifex omnium generationum: quoniam non omnes generationes à tota Trinitate sunt, siquidem generatio illa cœlestis, est solius Patris; licèt non vt opificis, tamen vt Genitoris. In his ergo verbis proximitas Mariæ ad Patrem designatur, quam omnes Luc. 1. etiam generationes Beatam dicunt. *Beatam me dicent omnes generationes.* Curnè *omnes*, ô sapiens Virgo? Quia non solùm generationes creatæ, sed etiam increatâ Mariam prædicant Beatam. Si non credis, consule rationem, quam adiicit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est:* id est, me magnificauit ille, qui inter diuinas personas potẽtiâ generatiua pollet. Benè Maria dicitur proximè accedere ad Deum opificem omniũ generationum, quatenus Pater est; nec solùm ex communi omnipotentia in creatas generationes influit; sed & speciali attributione, quatenus generationis increatæ fons est, & origo. Quid quod prima natura nuncupetur, si sic proximior à sinu Patris naturam fœcundam, diuinæque sobolis feracem mutuatur? Ex quo (& alter sensus est) initium viarum Domini, id est, omnium generationum constituitur: non solùm generationis Filij Dei, sed & noui generis renatorum; quatenus ab vtero Virgineo regeneratorum eruperunt nouella germina, iamque spiritu renascuntur, qui ex concubitu generati, in ipsomet vitæ limine manubia Dæmonis facti fuerunt.

Eximia cum naturâ Dei Patris simi'itudo Mariam ad sacram Filiationem sublimat.

SECTIO II.

11. PRÆFATA Andreæ Hierosol. verba, in quibus Maria dicitur *prima natura proxime accedens ad Deum opificem omnium generationum*, id est, vt suprà cõfecimus, ad Deum Patrem, nobilem rationem nobis inspirant ad comprobandum iure Mariam nuncupari summi Patris Filiam. Inconcussum, statumque sit non de generationis rigore, nec de naturalis filiationis dote, vel nihilum à sacrosancta veritate deflectentes, nos agere: id non laus Virginis nostræ, sed probrum esset, & conuitium, quæ lectissimis verbis, defæcatoque stylo, fidei censurâ gubernante, amat celebrari, n on adulterinis elogiis, quæ dum altiùs volant, sibi ignem præsagiunt. Nos huius à Patribus decantatæ nomenclaturæ deuotis, & fidelibus lucubrationibus vestigamus rationem. Et quidem diffitendum non est, aliquid eminentiùs, quàm in cætera adoptiuorum sobole, enitere in Maria: quod, licèt naturalem superni Genitoris euincat esse Filiam, (id etenim impossibile) non leuem analogiam, proportionemque ad naturalem filiationem dat coniectare. Non obuio analogismo, hoc possumus comprobare, id est, argumento à causa propinqua ducto. Scita est generationis viuentium definitio. Compendiosè illam exibuit S. Bonau. in 1. dist. 13. art. 1. quæst. 2. ad 1. *Generatio est productio substantiæ similis per modum fœcunditatis naturæ.* Nec vllus vnquam ausus est similitudinem in natura à generationis definitione ablegare. Nobiles hac tempestate Theologi autumant naturam hîc in omni rigore accipiendam, quâ radix est alterius personæ generandæ: ex quo secundam Trinitatis personam Filium esse propugnant, quia à Patre ea fœcunditate potentem accipit naturam, quòd alterius personæ diuinæ ferax sit. Infrà hoc discutiemus, cùm proprio loco naturæ significatum in Virginis obsequium explicemus. Quæ inibi inteximus, officiosa nimis sunt huius sectionis instituto. Ne excurrant paginæ, dictaque geminentur, raptim hîc, & perfunctoriè transcurrere opus est. S. Bonau.

Itaque natura miro huius proprietatis pondere Mariæ inesse dignoscitur; siquidem ex Virtute Altissimi prærigata, efficaciam ebibit generandi diuinam personam, quo iure prima natura à Hierosolymitano, vt superiori sectione diximus, nuncupatur; nec nudè solùm, & segniter, sed quatenus proximè accedit ad Deum Patrem opificem omnium generationum. Id nulli vnquam creaturæ concessum est: sic differentius præ cæteris nomen hæreditauit, quod Mater Dei efferatur, & sit, sicut alibi expensus adstruit Senensis, in quo filiationis scintillant indicia, cùm hæreditas soleat ad filios deuolui. Quare eodem gustu, & sapore emanatio dicitur syncera omnipotentis Dei. Senensis tom. 3. serm. 1. art. 1. cap. 3. *Tandem orta est stella ex Iacob, scilicèt Maria, quæ has tenebras purificauit, & serenauit: quippe ipsa est emanatio quadam syncera omnipotentis Dei.* Hoc attributum ex sapientia mutuatum, Mariæ Bernardinus adscribit: in quo duo sunt quæ nobis proficiunt, dum inter se colluctare videntur. Emanatio enim non de creatura aliqua dici solet: vocabulum immanentium actuum est, sacrarumque originum; quæ intra Deitatem emanationes vocantur. Omnipotentia autem (vt communior sententia fert) ratione creaturæ censetur, creaturarumque productione probatur; non vero ad complementum diuinarum emanationum spectat. Obuius est Ambr. lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. *Non est natura, non est potentia in Christo aliqua, quòd non generauerit, infirmitas, quia generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ. Nam si ideò omnipotens Pater, quia Filium habet; omnipotentior ergo esse potuit, si plures haberet.* Cur ergo 12. Senens. Ambros.

illiga

ligantur hæc, & quòd emanatio sit, & quòd ab omnipotentia emanet? Venustè, dum res agitur Mariæ. Certè creatura est, ab omnipotentia condita; tot tamen diuinis dotibus eminet, quòd proximè accedat ob generationem Filij ad Patrem, ex cuius beneficio obumbrante gaudens similitudine in naturâ, diuinæ personæ feraci, quasi emanare videtur ab Altissimo Genitore. Quòd Deus non sit, nec naturaliter ab vtero Patris concepta, *omnipotentiæ* ne suggerit vox? Quòd originem à Patre sapiat, quâ naturam venatur fœcundam; *emanationis* vocabulum ex venusta proportione persuadet.

13. Fulcitur: nam vt diuinæ naturæ participium obtingeret hominibus; diuinus Pater, appositâ singularitate præstruxit hanc fœminam, eâ sapientiæ methodo, quòd priùs in illa gignendi diuini Filij infigeretur fœcunditas, vt exinde filiis adoptiuis diuinæ naturæ participatio obueniret. Athanasius in disput. contra Arrium in Nicæno Concil. col. 8. in fine: Οὗτος οὖν ὁ λόγος, [illegible] Ἰd est, *Hic igitur & Verbum, & Deus, Sapientia, & virtus Patris, cùm incorporeus esset, vt Deus & Pater suus ob nostram salutem ædificauit sibi domum in vtero Deipara Maria sine commercio virili, & homo factus est, & seipsum exhibuit exemplar omnis virtutis, vt qui illum sequi vellent, haberent vestigia, ad quæ similes facti, diuinæ naturæ participes redderentur.* En noua vestigia, nouum iter in Maria, in qua nec semitæ sulcum serpens perfodit, nec semitam agnouit; sicut nec Aquilæ volantis, vit; sed Altissimi Virtus creauit eam initium viarum suarum, vt elapsa sectio monstrauit, cui locus hic admodum inseruit. En in vtero Virgineo consitus Filius Dei, diuina figit vestigia, ad quæ similes effecti, diuinæ naturæ ditescant participio. Qualianè vestigia illa? Certè vmbræ, quas Altissimus priùs in Maria duxit, nempe naturæ diuinæ societatem illi impertiens; non quæ solùm radix sit accidentium, visionis vtique, & amoris, sed substantiæ, personæque diuinæ in vtero corporatæ: vt iam exinde similitudinem capesserent filij hominum, quam in Adam serpentis halitus liturauerat, & obduxerat.

Athan.

Prou. 30. 19.

Prou. 8. 22.

14. Quid vltra? Si laxandæ sunt habenæ cogitatui; adeò perscrutans mens huiusce similitudinis Virgineæ cum diuino Genitore arcanum, argumentosa proficiet, quòd plura inueniat, in quibus pleniore colore sacer penicillus in Mariana tabula lineam induxit ad exprimendam characteristicam Patris proprietatem, quæ in Filio diuino ipsius natura Filij passa non est. Certè Filius non Filium diuinum gignit: nec enim Spiritus sanctus, qui ab ipso procedit, soboles est. Id quidem Filij cum Patre æqualitatem non lædit: quoniam generatio non in potestate, & natura; sed in paterna est proprietate: sicut non degenerat à sua opulentia Pater, eò quòd nequeat esse Filius. Perpulchrè id adnotabat Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratian. cap. 4. Arrianos castigans: *Cur, inquiunt, Filius Pater non est? Quia & Pater Filius non est. Cur non iste generauit? Quia nec ille generatus est. Neque ideò minus habet Filius, quia Pater non est; nec Pater minus habet, quia Filius non est.* Id licèt neutiquam deroget perfectæ naturæ, quam Filius Dei accipit à Patre, attamen inficiabitur nemo, quòd natura illa, quatenus à Filij hypostasi sigillatur, radix non est alius personæ diuinæ generandæ: cùm nobilior Theologorum pars simpliciter, & absque alio commento asserendum esse pronunciet, potentiam generandi soli Patri Diuino conuenire. Sic S. Tho. 1. p. q. 41. art. 6. ad 1. Magister in 1. dist. 7. cap. penult. Igitur dum Filius facet naturam à Patre desumit, secùs in Filio natura afficitur, ac afficiebatur in Patre, vtpote in quo generationis radix non est; non detrimento similitudinis, sed propriæ ratione maiestatis; cùm Paternæ substantiæ plenitudo infinitudine Vnigeniti exsistetur. Quòd natura ferax esset diuini Filij, cuius in Patre ferax est, in Maria supra miraculum eluxit ex diuinæ virtutis beneficio. Quare si natura nuncupanda est, quatenus ex virtute Altissimi obumbrante generat Filium Dei; abnuet nemo similitudinis apicem in natura, qualis in Patre est, eiusque afficitur hypostasi, aucupatam esse Virginem nostram. Quare Filia Patris recinenda est, quæ superâ benignitate id singulare ex Patre delibauit, quod Filium diuinum, altitudine Diuinitatis impediente, habere non oportuit. Fruor verbis diuini Patris, quæ efformat Amadeus hom. 4. de laudib. Virg. *Ecce commendaui tibi Filium meum, commisi tibi vnicum meum. Noli timere lactare, quem peperisti. Agnosce non solùm Deum, sed & Filium: Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex Diuinitate, Filius tuus ex assumpta humanitate.* Grauis energia est inibi; *Agnosce non solùm Deum, sed Filium.* In quo id inlatet, eam à Patre proprietatem Mariam venari, quòd non solùm Deum produceret, sed quòd gigneret Deum Filium Primum, etiam ipse Filius Dei habet, qui Deum Spiritum sanctum spirat: secundum, post Patrem solius Mariæ dos est, quòd de natura Virginis Deus Filius gignatur, qui de natura Patris gignebatur. Quod pondus est in Fulgentio lib. vnico ad Donatum: *Scimus enim Deum Filium natum de natura Dei Patris, natum etiam de natura Virginis Matris, ac per hoc, verum Deum de veritate Paterna natura, verum Deum hominem de veritate materna substantia.* Quò loci non segniter, & quasi aliud agens, naturæ vocem apposuit Fulgentius; sed ob naturæ strictum rigorem, quæ in Patre radix generationis est, inque similitudinem sui ad Filium humanè generandum Virgini Matri à Patre concessa est.

Ambros.

S Thom.
Magist.

Amad.

Fulg.

Alia virgineæ ad Patrem similitudinis excellentia præcedentis appendix est. Diuinus Filius perfectissimè in similitudinem Patris exoritur, omniaque per generationem accepit à Patre præter esse Patrem. Paternitas hypostasis est primæ personæ: nec nisi ordinis dispendio, ipsiusque Deitatis excidio alteri personæ potest transfigi. Nec tamen ob id Filio deperit perfectæ similitudinis flos, cùm similitudo, S. Thoma teste, 1. p. q. 35. art. 2. non iuxta relationes attendatur. Imò adhuc in hoc subtilitas similitudinis acuitur, quoniam sicut Pater & totus, & semper Pater est, & nunquam Filius; sic & Filius totus, & semper Filius est, & nunquam Pater? verba fermè Athanasij sunt orat. 1. contra Arian. qui sic concludit: *In eo enim sigillum, & imago Patris euidentissimè* 15.

S. Thom.

Athan.

osten

ostenditur. Non recuso. Verùm nec diffitebetis eximium similitudinis fastigium tenere Mariam, quæ maternitatis fruitur vsurâ, & pari ad Filium Dei, ac summus Pater habitudine afficitur; quodque sortita sit ineffabile sacramentum, quale nec in increatis, nec in creatis vlli personæ, nisi supremo inest Genitori. Stupor tenet Bernard. Senens. tom. 1. serm. 52. art. 3. cap. 2. *Tanta est laus, quam ei tribuimus, cùm dicimus, Mater Dei, quòd nec in personis creatis, vt Angelis, vel hominibus; nec in personis increatis reperitur hæc incogitabilis dignitas, scilicet quòd habeat Dei Filium, nisi in vna persona diuina, quæ est Patris, & vna persona humana, quæ est Matris.* In quo illud adhuc stuporis superest, quod Maria Filia Patris comprobetur, ex eo quòd Mater Filij diuini sit, cùm nutare videatur argumentum hoc, & absque iniuria posse confusionis vitiosæ insimulari. Et tamen altiùs introspicienti luculenta hæc censebitur ratio, quæ ad filiationis assertum eo validiore scipione firmatur, quo eximiorem similitudinem inueniat. Non Aristotelicæ argutiæ, nec philosophorum insomnes noctes hanc in aliquo filio similitudinis ad Patrem potuerunt dignitatem inuenire, quòd similis Patri sit, in eo quòd totum Filium eius gignat absque sodali, quem totum gignit absque coniuge Pater. O Maria miraculorum panegyris! Filia Patris perhibetur, quia Mater totius Filij est, quem æternus Pater progignit; eòque similitudinis peruenit, quòd sola attigerit ad superi Patris, in quantum Patris, attributum; quod ne alij præstaretur, sola delecta est, vt gigneret absque viro, cùm sat esset Filio integram Matrem sub conuexis, Patremque in superis sempiternum habere. Adsit toti huic cogitatui compendiosa Damasceni sententia orat. 1. de Natiu. Virgin. ὦ θυγάτηρ ἀειπάρθενε, ἀνδρὸς οὐ δεηθεῖσα πρὸς σύλληψιν, ἔχει γὰρ πατέρα ἀΐδιον ὁ ὑπὸ σοῦ κυοφορηθείς. *O Filia semper Virgo, quæ virili opera ad conceptionem minimè opus habuisti: sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti.* Nuncupat Filiam; cui nomenclaturæ tanquam pro robore adiungit, virgineâ fœcunditate viguisse; in quo, vt instrueret similitudinem Patris elucere, subdit non opus fuisse viri attactu, quoniam illius Filij iam aderat æternus Pater, nec alij, quam Mariæ, illius erat impartienda proprietas. Verum huius loci argutior sensus alibi à nobis præstabitur.

Bernard. Senens.

Damasc.

16. Ex his iam & tertium manet, quo similitudinis prærogatiua micat. Si fas est sic profari, quasi apud nos vberiorem similitudinem cum Patre non quidem nactus est; sed velut ostendit Filius Dei, cùm ex Maria natus est. Similis quidem Patri Filius inerat à sæculis æternis: tamen similis solùm in natura, ideò genitus, ideò proles; non tamen similis Patri in eo, quod est esse sine Patre. Sanè Trismegistus ille Deum Diuinitatis originem, quasi parentibus carentem appellabat ἀπάτορα, & ἀμήτορα, id est sine Patre, & sine Matre. Nascebatur Filius Diuinus à temporibus æternitatis: attamen licèt Filius tunc erat ἀμήτωρ, id est sine Matre; non tamen ἀπάτωρ, id est, sine Patre: sic in hoc Patri dissimilis. Quid ergo? Vt etiam in hoc Patris similitudinem sibi insculpat, è Virgine nasci parat, vt iam sine Patre sit, & sine Matre; sine Matre in cœlis, sine Patre in terris. O Virginis vterum adeò Verbo Dei proficuum! Obuius est non nemini Lactantius lib. 4. cap. 13. *Nasci eum voluit tanquam hominem, vt per omnia summo Patri similis existeret. Ipse enim Pater Deus, & origo & principium rerum, quoniam parentibus caret ἀπάτωρ, ἀμήτωρ à Trismegisto verissimè nominatur, quòd ex nullo sit procreatus. Idcirco etiam Filio bis nasci oportuit, vt ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim natiuitate spirituali ἀμήτωρ, quia sine officio Matris à solo Patre progeneratus; in secunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine Patris officio virginali vtero procreatus est.* Neque impingas hebes in eo, quòd intelligas aliquam perfectionem aduenisse Verbo Dei ex Incarnatione. Hæc etenim similitudo est verbo tenus, nec incrementum fecisse similitudini quoad naturam: cùm in relationibus, vel originibus non esse accipiendam similitudinem, aut dissimilitudinem docuerit suprà S. Thomas. Verum quis, licèt seuerus censor, non demiretur, quid ad nostram conduxerit sortem vterus Mariæ, quem Filius Dei deperiuit; siquidem quod Trismegistus prædicabat de Patre Deo, licèt Trinitatis inscius, hoc post Incarnationem de Filio Dei prædicamus. Nec par est absque comite relinquere Lactantium: adest Damascen. in Cantic. Ecclesiast.

Lactant.

Sinu Parentis
Æterni non abscedens,
In casta sinu
Virginis habitat.
Qui Matre caret,
Atque Patre,
Sumpta carne humana,
Deus is, inquam, qui est, &c.

Damasc.

Plures in hoc institutum Patres aduocabimus infrà. Apud Damascenum demirare, quàm arcta intercedat societas inter sinum Patris, sinumque Virginis: ab vno in alium vices rependuntur, reciprocanturque dotes. Nam si benè mediteris; in Matris sinu, non absque Patre Filius Dei est; nec in Patris gremio, absque Matre. Verùm ex propensa vtriusque cognatione promuntur inter vtrumque vocabula, quæ non nisi respectu alterutrius possunt veritate pollere: qui enim Patrem superum habet, inferamque Matrem, insipidè absque patre & matre diceretur, nisi vtrumque parentem, Deum scilicet, & Mariam, ex amico, germanoque nexu vna periodus copularet, & vtraque generatione comparata, hîc absque viro, illîc absque coniuge gigneretur? Patris expers hîc, Matris expers illîc. Gregor. Nazianz. orat. 35. col. 7. infr. med. *Patris expers hîc; Matris expers illîc: Vtrumque horum Diuinitatis est.*

Nazianz.

Mariæ similitudo ad Patrem adeò excreuit, vt eadem sit vtriusque figura.

SVBSECTIO I.

SVPPETIT alia ratio subtilis, nimiùm proficua huic Marianæ similitudinis excellétiæ, signatissimam exhibens causam, cur iure FILIA PATRIS nuncupetur. Fert animus, infrà pluribus elucidare, quòd nunc currente calamo, compendioque subiicimus. Similitudo prolis ad parentes acuitur, & perficitur, cùm non solùm in speciei naturâ similis soboles euadit, sed & in formæ filis, lineamentis, orisque, seu corporis 17.

poris qualitate,& (vt vno verbo dicam) in figura; sicut per sigillum in cera cuditur effigies. Quæ obseruatio ita nobiles Theologos deliniuit, vt cēsuerint in hoc totam generationis rationem sitam esse, quòd genitus ex intentione naturæ, generatricisque potentiæ innatâ cupidine, genitoris filamenta deducat, figuramque, quoad possit, imitetur; qualem pictæ imagines spirant, cælataque metalla, fodicatâ quantitate, cælteque incisâ reddere solent. Quòd si aliquando Filius formam parentis non reddat, segnities virtutis generantis est, non intentionis naturæ defectus. Defensat id mordicus P. Vasq. 2. tom. in 1. p. disp. 113. cap. 7. Si his animum mulceas, pulchram exhibebo causam, quare diuinus Filius figura substantiæ Patris dicatur. Ad Hebr. 1. *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Pulsat animum cur quod Græcè erat χαρακτὴρ, id est exculpta imago, & ad archetypum prompta similitudo, Noster vertat *figura*: cum infigurabilis sit Patris substantia, vtpote corporis impos; figura autem terminus quantitatis est, qua nequit affici Diuinitas. Vnde censuerunt plures Deum in rubo apparuisse, ne ab Hebræorum gente, simulacrorum amicâ, figuraretur, sculpereturque. Theod. in Exod. *Non desunt, qui dixerint Deum in rubo apparuisse, propterea quòd nemo Deum sculpere ex rubo possit; nec enim à verisimili abest, id quoque Iudæos ausuros fuisse, si Deum in alia planta visum esse cognouissent.* Censeo figuram hypostasis Paternæ Filium nuncupari, vt omnimoda, & vsque in infinitum excellens Filij Dei similitudo ad Patrem monstretur. Figura enim index est naturæ, & speciei; licèt enim albedinem, purpurissumvè depingas in tabula, nondum imaginem alicuius albi, seu purpurei picturabis, nisi & figuram eius describas, quæ illico imaginem exhibet, & ex characteris eminentia oculis reproducit. S. Thom. in cap. 1. ad Hebr. lect. 2. *Albedo in pariete non est imago albedinis meæ, sed imago, & similitudo in specie. Illud ergo propriè dicitur esse imago alicuius, quod habet similitudinem speciei eius, vel expressum signum speciei. Inter accidentia verò nihil ita est expressum signum, sicut speciei est figura. Filius ergo, qui est imago inuisibilis Dei, propriè dicitur figura.* Non adhuc satis. Ex præfatis promptum est exponere, cur *figura* dicatur: si enim perfecta similitudo filiorum ad parentes stat in exhibitione eiusdem figurę, corporeique filamenti, & norę, quę multa peccare solet, & ab archetypo deuiare ob plura, quę accidunt, argutamque, & viuacem imaginis perfectionem expungunt, ex ipsius potentię inope virtute; benè Filius Diuinus figura Patris dicitur, vt pereximia illius generationis sublimitas, & opulentia adstruatur, quę omnino similem Patri edidit Filium.

P. Vasq.

Ad Hebr. 1.

Theod.

S. Thom.

18. Verum nec adhuc dixi, quod meditor. Ideò figura dicitur Filius Dei, quia illico Patrem exhibet intuenti, & ex characteristica Filij proprietate exprimit genitorem: nam Filius terminus est Patris, & quasi finis, & definitio, eius terminans relationem. Cùm autem figura in quantitatiuis terminus quantitatis sit; non nimium deflectet à philosophico tramite, qui relatiuorum terminum *figuram* appellet; cùm compar sit vtrobique ratio: sicut enim quantitatiua substantia per suum terminum, id est, per figuram agnoscitur; sic relatio Patris per Filium, qui terminus eius est, luculentâ manifestatione monstratur. Ergo diuinus Filius figura Patris est: quoniam qui Filij quasi formam mente conceperit, Paternæ quoque hypostaseos characterem animo suo expresserit, opus est. Ex hac peruia cognitione inde natâ, quia Filius relationem terminat Patris, figura subtiliter dicitur. Fruor Cyril. Alexand. dial. de Trinit. lib. 3. col. 4. *Intelligitur Pater non aliter, quàm per Filium, & in Filio, quandoquidem est expressa similitudo substantiæ eius, à quo ortus est, seruans naturam in propria figura.* Expende, quare per Filium Patrem intelligi doceat, quia seruat naturam in propria figura. Facilis est iam trames ad Mariam. Si Filius figura Parentis Diuini est, quia terminat eius relationem; non incommodè, imò iuxta lineam Filius ipse figura Matris Virginis erit, cuius terminat maternitatem. Ergo eadem est figura Mariæ, & superni Genitoris. Si sic in figura assimilantur, eximiorem omnibus similitudinem ad Patrem nacta Virgo est, qualem nondum filij per concubitum geniti possunt ad vnguem cum parentibus perpolire; imò id implicat in creatis: quantumvis enim creatus filius referat genitorem, formamque capessat, lineasque deducat, viuamque spiret, tanquam ab animoso stylo exculptam imaginem; tamen alia figura numero distincta est, quàm gestat. In Maria autem (stupor ex tam incomparabili sacramento mentem arripit) eadem numero figura est, si semel Filius figura sit, cùm idem met Filius absque sectione discretioneve diuidua, qui Dei Patris est, Virginis sit. Bernard. in annunt. serm. 3. *Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quòd Filium vnum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem.*

Cyrill. Alexand.

S. Bernard.

In quo rursus illud mirabile elucet, quòd cum Filius vnus, idemque sit, vtrique Parenti speciem suam reddit, conformique figura repræsentat. Fruamur Arnulphi epigrammate de Natiuit. Domini. 19.

Arnul.

Virgineumque vterum virtus sacra Patris obumbrat,
Qua Verbum fieret conciliante caro.
Conformi soboles Patrem, Matremque figura
Exprimit, & speciem reddit vtrique suam.
Sic eius species speciem est imitata Paternam,
Vt sit, eo viso, visus & ipse Pater.

Conformi figurâ Matrem, Patremque exprimere concinit Arnulphus, quasi vna figura referat vtrũque: & tamen vtrique reddere speciem suam modulatur, ex duplici nempe naturâ, quæ absque cõfusione innectitur in persona. In quo illud mihi saliuam mouet, quòd conformem dixerit figuram; veluti si vna sit, non duplex, quâ Patrem, & Matrem refert. Certè si filiatio figura est iuxta præfatâ, non desunt, qui existiment Christum referri ad Matrem, relatione quidem reali, sed increata. Sic Henricus in 4. q. 3. Alexand. Alens. 3. part. q. 10. memb. 3. ad argumenta: imò sola relatione rationis ad Matrem referri, solet censeri apud S. Thomam 3. p. q. 35. art. 5. Putant alij duplicem relationem realem in Christo esse; alteram, qua ad Patrem; alteram, qua ad Matrem refertur: & tamen in hac censione præmonent neutiquam geminari Filium, sed vnum, eumdemque remanere, qui sic respicit vtrumque Parentem. Certum est, diuersam esse fundandi vtrumque respectum rationem, cùm altera ex diuina natura, altera desumatur ex humana. Ideò artificiosè vtrumque illigauit Arnulphus; & quòd conformi figurâ vtrumque Parentem exprimat, (id forsan iuxta Henricum, & Alensem, qui per increatam relationem

Henric. Alens.

S. Thom.

tionem ad Matrem referri autumarunt) & quòd ex diuersis naturis, humana scilicet, & diuina, vnicuique Parenti reddat speciem suam, ne Diuinitatem accepisse à Matre, & humanitatem fuisse generatam à Patre censeretur. Quod & cecinit Venantius lib. 8. hymn. 5.

Venant.

Vnus in ambabus naturis, verus in ipsis,
Æqualis Matri hinc, par Deitate Patri.

20. En igitur vsque ad minutum puluerem contriuimus rationes, quibus Mariæ similitudo ad Patrem, vsque ad apicem excreuisse monstretur. Velimus doctas mentes lacessere, quæ incudi reddant, indefessoque frictu perpoliant, aliasque eximiores excudant, pro Virginis Matris excellentia strenuè, & robustè certantes. Verùm non sat est similitudo, siue ad imaginis, siue ad filij constitutionem: nam adhuc superest, quòd gignatur à Patre, vt Filia sit Maria. Similitudo enim & origo filium constituunt: sic enim Filium Dei probat Nazianzenus orat. 36. *Et quia ex illo est, & quia exemplar suum imitando referat.* Maria autem genita non est à Patre diuino, sed à tota Trinitate producta, Id sanè non diffitemur, ideò per analogiam solùm hanc filiationem adstruximus ab initio, ne in hoc calculo cæspites, & quasi in scopulo allidaris. Etsi deficit naturalis generatio, plurimum Patris gremio, vteroque Maria debet, à quo quia æternam sobolem traxit, non parum pendêre dignoscitur; & ideò eius productio diuino Patri per appropriationem arrogatur. Sic prædestinatio Mariæ adscribitur Patri. Damascenus orat. 1. de dormit. Deiparæ: *Pater prædestinauit Mariam, Spiritus prærigauit, & Filius demum in ea commoratus est.* Id genus plura spargimus in hoc opere, supràque disseruimus, quomodò Pater, vt virgineum habitaculum præstitueret Filio suo, Mariam condidit.

Nazianz.

Damasc.

Pater in Maria ædificauit domum, *id est*, familiam *sibi progenuit.*

Svbsectio Vnica.

21. Prou. 9. Eqvidem illa verba Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, ad Mariam ex Sanctorum Patrum censione plusculum attinere, inanis calamus niteretur, cùm satis, superque compertum sit ex August. lib. 5. de Ciuit. cap. 20. Athanas. orat. contra Arrian. Hieron. in epist. de Virg. Assumpt. & aliis quampluribus. Fateor, cõmunis acceptio est, quòd Filius Dei, qui ex suaptè origine sapientia est; seu Mariam sibi construxerit, vt aurea vteri laquearia incoleret, cameratum, que virginitatis fornicem habitaret; seu sibi domum fabrefecit, corpus scilicet, Spiritu sancto opifice; quia illà vox *sibi* id innuere videtur, non alij personæ hoc habitaculum præparatum, quàm ipsi, qui molitus est illud, in quo incolam ageret. Verùm non ineptè ad Diuinum Patrem hæc verba referri iudico, ex his, quæ suprà sectionibus elapsis, ex Patribus, in hanc acceptionem conspirarunt, qui Patri appingunt structuram Mariæ, vt Filio suo aulam præpararet. Nec lectio abhorret, si Hebræum consulas, siue antiquam translationem ex Sanct. Pagn. siue nouam ex Varablo: legitur enim; *Sapientia ædificauit domum suam.* Quis sit significatus huius domus, si nouitatis non in-

August.
Athan.
Hieron.

S. Pagn.
Vatab.

simularemur, non vereremur subiicere. Non abs re domus hæc potest accipi pro familia, vt sensus sit: Deus Pater, cui ampla familia est cœlum, & terra, sibi familiam signatam, lectissimamque, & domesticam secernere parauit, filiosque ex gratiæ vtero generare, virtutum innutrire alimentis. Synagogæ iam callidam conuersationem pertæsus & infestam: ideò Mariam condidit, quam in Filiam elegit, à qua per Euangelicam gratiam nouella regenerandorum ordiretur progenies, confertissimamque sibi adsciscerer rediuiuæ sobolis multitudinem quæ septem Spiritus sancti donis, tanquam septem columnis fulciretur. Obuia est acceptio *domus* pro *familia*, vt tertio quoque verbo apparet in libris præcipuè, 2. Reg. 2. *Vnxit domus Iuda in Regem.* Et 2. Reg. 3. *Super omnem domum Patris tui.* Et versic. 29. *Nec deficiet domus Ioab:* Sunt sexcenta: sat est Angeli suffragium Luc. 1. *In domo Dauid Patris eius. Et regnabit in domo Iacob in æternũ.* Apud prophanos res clara. Virg. 5. Æneid. 2. Reg. 2. 2. Reg. 3. Luc. 1. Virgil.

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen.

Soph. in Antig.

Νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ
Ῥίζας τέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις.
Nunc enim reliquum erat.
Lumen extremæ radicis in Oedipi domibus.

Ex quo fluxit, quòd domus accipiatur pro facultatibus, & bonis, hæreditateque, quæ familiæ contingit. 7. Æneid.

Sola domum, & tantas seruabat filia sedes.

Homerus 1. Odys. ἔδουσιν οἶκον ἐμόν: *Deuorantes meam domum.* Homerus.

12. Quòd autem domum ædificare apud sacra sensum hunc non respuat; fidũ testem agunt Exod. 1. verba: *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Hebraicè est ויעש להם בתים *Vaiaas Lahem battim:* vbi aptè nostro cogitatui Lippomanus: *Alij ad Ægyptiacas obstetrices referunt relatiuum masculinum pro mascula earum fortitudine, & dexteritate, pro qua eas & misceri Israëli Deus voluerit, & illustrari earum familiam, ac honore præcipuo inter alias numerari. Domus enim, vt Germanicâ, & Italicâ, ita & Hebraicâ phrasi significat nobilem familiam, vt 2. Reg. 7. Prædicit tibi Dominus, quòd faciat tibi domum. Tertij dicunt, quòd Deus fecit illis domos, id est, familias, hoc est, reddidit illas fœcundas ex viris suis, ac numerosissima donauit prole: & propterea vsus est Moyses relatiuo masculino, quia nomen à viris accipiunt familiæ.* Plena verba præstiti, quæ suopte pondere in nostram vergunt opitulationem. Difficultatem ingerebat præfato loco, quòd illud relatiuum להם, id est *eis*, Hebraicè masculinum est, non fœmininum. Quare autumarunt nonnulli ad Israëlitas esse referendum, non ad obstetrices. Prauè quidem: nam in eo diuinæ largitatis vis emicuit, quòd fœminas constitueret familiarum principes, verticesque domorum; cùm tamen à viris, Hebraici generis stemmata traherentur. Id igitur pro eximia sapientissimi Patris Dei munificentiâ in Prouerbiis decantatur, quòd sibi ædificauerit domum, & familiam, non in viro, sed in fœmina, eáque Virgine, à qua procul absistens vir non originem commisceret; sed ipsa sola princeps generis emicaret, è qua renatorum in gratia læta seges auspicaretur; dum absque maritalibus officiis Vnigenitum Dei gigneret, qui Primogenitus est inter fratres; & ex Maria Vnigenitus in primigenio Patris tenet principatum.

Lippoman.

Quin

23. Quin pro *ædificauit*, adnotatunt periti, Hebraicum verbum est, quod *filiare* potest verti, siue pro filia, filiove constituere; acsi diceret: *Sapientia filiauit sibi domum.* Vt noveris idem fuisse ædificauisse Mariam, & sibi adsciuisse filiam, familiamque comparauisse, vt per huius sanctæ Filiæ vterum hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris nobis obtingeret; siquidem iam exinde per Mariæ censum cum Christo censemur, hæredesque sumus Dei, cohæredes autem Christi: quoniam Pater Deus elegit nobis hæreditatem sibi. Prodest Cæsarius dial. 1. *Solam ex omnibus selegit Mariam, in ipsa ineffabiliter vniens sibi & copulans naturam nostram. Elegit nobis hæreditatem sibi pulchritudinem Iacobi, quam dilexit, Mariam perpetuò manentem Virginem significans quæ nunquam ad generandum progressa fuerat. Amplexus autem eam Pater, quæ ex ipsa erat, Incarnationem Sermonis è supernis acclamat: Ecce Filius meus dilectus, quo delector.* En Filius naturalis in Virgine, vt exinde renascerentur adoptiui. En in Virgine hæreditas, quæ assolet obuenire familiæ. En Virgo inexperta virum, familiæ primatum tenet, Hebraicas genealogias transcendens, quæ non nisi à virili trunco propagantur.

Ps. 126. Rom. 8. Ps. 32. 12.

Cæsar.

24. Quòd autem familiæ huius erector, domusque virgineę opifex, diuinus Pater censeatur, illud non incommodè suggerit, quòd *Paterfamilias* ore Dominico dicatur, Matth. 21. *Homo erat Paterfamilias:* vbi concors sententia est pro Deo Patre accipiendum, Dominoque Sabaoth: vt apparet ex Hieronymo ibi, Beda, Erico, Christiano Drutmaro, Theophylacto, & Euthymio. Quod mirabile est; cùm homo efferatur, solusque Filius homo factus sit. Verùm adeò præponderat, quòd Deus Pater fons Deitatis sit, origoque Filij, generationisque auctoritate polleat, vt satius duxerint Maiores nostri, cur homo dicatur, anxiè vestigare, quàm à Patris familias deturbare vocabulo. Chrysostomus homil. 40. Imperfect. in Matth. *Homo dicitur nomine, non naturâ: similitudine, non veritate: præsciens enim Filius, quia propter appellationem humani nominis, quasi homo purus fuerit blasphemandus, etiam Deum Patrem inuisibilem, hominem appellauit, qui Angelorum, & hominum naturâ Dominus est, beneuolentiâ Pater.* Quòd autem Deus Pater virgineam domum in familiam sibi adsciscendam erexerit, quædam ciuilis ratio non inuenustè confirmat. Incarnationis enim scopus fuit, vberem, & vernam filiorum adoptiuorum progeniem in naturalis Filij assurgere comitatum, vt Deus multâ circumfusus prole gloriaretur, & ditissima pignora, confertissimæq; hæreditatis cælestes opes diuiderentur in filiis. At si nullus est filius naturalis, neutiquam adoptari potest extraneus; vtpote deficiente filij iure, in quod succedat. Inde ciuilia iura statuerunt, quòd qui filium non habet, vel ad habendum impotens est, nequeat per filium adoptiuum calamitati naturæ mederi. Inde opus fuit, quòd Deus Pater, vt adoptiuos filios sibi alliceret, filium naturalem se habere monstraret: nam in diuinis idé est esse, & posse; nec mente concipi valet, quòd possit generare, quin gignat. Ecce in quod munus Mariam exædificat, scilicet: vt sibi familia pareret: lectissimo consilio Virginem deligit, in qua Filium naturalem conserat, seque Patrem esse declaret, cui exinde possit familia adoptiuorum nuncupari, ne, si vir generationis huius se immisceret

Matth. 21. Hieron. Beda. Ericus. Christ. Theop. Euth.

Chrysost.

officiis, caput familiæ censeretur. Ideò opus fuit ipsam filij naturalis genitricem priùs in Filiam adsciscere, ne familiæ genus per extraneum adhærentem frutic em deuiaret, deflecteretque; sed per ductilem, rectamque seriem vsque ad Diuinum Patrem per naturalis Filij commercium à dilecta Filia progeniti protenderetur. Ideò solicitus fuit Angelus in edocendo, quòd Filius in Virgine generandus, Filius Altissimi vocandus esset, bisque repetit: *Filius Altissimi vocabitur: vocabitur Filius Dei*: ne, si non, vt naturalis, Dei Filius agnosceretur, adoptiuorum iura deciderent. Albertus Mag. in c. 1. Luc. *Filius Altissimi vocabitur. Nunquam enim possent esse filij adoptionis, nisi esset Filius verus, & naturalis. Filius enim adoptionis in ius filij est assumptus; & si nullus sit filius, in nullum ius assumeretur filius adoptiuus. Propter quod etiam secundùm leges humanas adoptare non potest, qui non habet filium, vel qui impotens est ad habendum filium. Adoptione igitur facti sumus filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Luc. 1.

Alb. Magn.

Ex quo iam liquet, quòd filiorum adoptiuorum familia, quos Pater prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui, filium naturalem sequuta, vsque ad Patrem directo tendit vestigio, per Mariæ censum, & seriem, quæ Vnigenitum genuit, à quo, & per quem regeneratorum iter est ad Patrem. Ergo necessum est, quòd Maria ipsiusmet filia sit per nobilissimam gratiam, propiùs accedens ad Patrem. Quippe cùm Mater Filij Diuini sit, si cum Diuino Patre iure sacrę originis non necteretur, integritas iuris Paterni, quo totam sibi vendicat familiam, periculum subiret: duo enim velut capita, familiæque principia statuerentur: & cùm idem esset numero naturalis Filius, qui totus Patris totusque Matris est; nutaret non benè instructa mens, in quonè familiæ caput statueretur, in Patrenè diuino, an in humana Matre: vel saltim an herciscunda familia esset, diuidundumvè ius. Maria has iuris dirimit argutias, quæ prima post Filium in familiam Patris addicta est, priúsque Filia constituta, vt Filij maternitate polleret. Filia Patris est, ne in extero diuerticulo, dum ad supernum Patrem familia ascendit, detinearur, diuidaturvè: Filia est, vt regenerationis series texatur. Ex quo mirè duo in illa vinciuntur, quòd dum Filia Patris est, germana ipsiusmet Filij sit; dumque Mater Filij Dei est, Sponsa Patris Dei sit: & non solùm cum Patrefamilias, quasi Materfamilias contoralis censeatur; sed & illa sola omnem sibi familiæ respectu Patris vendicet cognationem. Meritò Aldhelmus lib. de laudib. Virginit. c. 22. *Beata Maria Virgo perpetua, nurus Patris, genitrix, & germana Filij; simulque Sponsa.* En altera ratio, quare *Filia Dei Patris* dicatur; nempe quia *nurus*, vtpote Filij Sponsa.

25. Rom. 8. 29.

Aldhel.

Iniuriosum esset omittere Vatem Ps. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et illicò: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Miro adhuc, quòd non pupugerit mentes hæc citissima apostrophe, pernixque transitus à coniuge ad filiam: nam Hebraicè pro Regina est שגל, *Shegal*, id est, coniux, & contoralis, vt adnotat Genebrardus. Attamen quia apostrophe Dei Patris est ad Mariam, sedat illicò animum, cur coniugem simul, Filiamque compellet. S. Hieronymus inibi: *Filia, quia ab eo renata. Sponsa,*

26. Psalm. 44.

Genebr.

S. Hieron.

Zerda, Maria effigies. P 2 *Sponsa,*

Geneb. *Sponsa, quia ab ipso sociata*, Genebrardus: *Apostrophe Dei Patris est ad Sponsam Filij sui, quam proinde Filiam appellat.* Addit postea: *Sic viri vxores, quas tenerrimè amant, filias vocant. Filia Regis, id est, puella Regia, vxor Regia, quæ sit adolescentula, & virgo, proindeque purior, & verecundior.* Subdit Vates: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Reginam auro, ostroque micantem à dextrisque assidentem appellauerat, deinde Filiam: cur tandem vernulam, & ancillam nuncupat; An quia in Maria mira nouitate diuersorum generum extrema iunguntur, quæ inter se se aliàs colliderent, vt totam familiam componat? In hoc cœli & terræ miraculo non frigida pugnant calidis, non candida nigris: & tamen diuersæ figuræ interseruntur, quæ ex extremis, & aduersis illam compingunt. Sponsa Regis est, Filia, Mater, vernula, germana: quod Vates indicans, adiecit: *Omnis gloria eius Filiæ Regis ab intus; in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Alij: *Vestimentum eius in vestibus Phrygiis.* Id est, quæ pictæ sunt, & elaboratæ diuersorum colorum segmentis, & intertextionibus, vt placet Genebrardo. Hieronymus vertit *Scutulata.* Chaldæus, *indumenta diuersarum figurarum.* Græcè, *ποικίλη* id est, *variegata*: quod alibi annotauimus Athanasium exponentes, de Virgine nostra dicentem: *Variegataque permanes ad primitias vitæ immortalis.* En plumario opere contexta auis hæc virginea, quæ virginitatis, & maternitatis alis, cœlorum exuberanit fastigia, miraculo Dei generationis. Vis noscere variegatam hanc fœminam Geniali toro, tædisque iugalibus gaudet cum Patre luminum; dumque ad generandum Filium admonetur ab Angelo, Materque asseritur; sponsalitiæ perstrepunt leges: siquidem eius assensus tanquam ad nuptias rogatur; & quæ Mater, & Sponsa fit, illico se nuncupat ancillam. Quare locus ille Dauidicus est quasi quædam exscriptio Angelici nuntij. Do Athanasium epist. ad Marcel. col. 3. *Quocirca etiam de Virgine puerpera non ignarus arcanum illud ipsum silentio non prætermisit, sed eius rei indicium fecit in 44. Psalm. Audi Filia, & vide, vsque ad illud: Ipse est Dominus tuus. Id rursum simile est dicto Gabrielis: Salue gratiosa, Dominus tecum. Etenim mentionem de Christo fecisset, confestim etiam humanam generationem, quæ ex Virgine ortum suum traxit, indicauit, cùm inquit: Audi Filia. Gabriel quidem suo nomine eam Mariam vocat, vtpote genere alienus: Dauid autem illam ipsam, vt ex suo semine oriundam, Filiam nominat.* In quo si Athanasio arrideas, id non prætereundum, quòd Deus Pater calamum purpurati Vatis delegit, vt Mariam *Filiam* nuncuparet; sic etenim per generationem ex Dauidico semine noua Diuini Patris generatio adumbratur: quare dum Filiam vocat, à domo Patris iubet esse exturrem, fumantesque lares relinquere; siquidem ab exordio in id nata est, vt in diuinam familiam assereretur.

Geneb. Hieron. Chald.

Athan.

* *
*

ACADEMIA IX.

Sponsalia, & connubium inter Patrem supernum, & Virginem, vt Pater Virgini communicet attributa.

Maria, cùm concipitur, connubio stabili iungitur Patri Deo; cùm concipit, Filio.

Sectio I.



NON Satis superque ad similitudinem Genitoris hauriendam, describendamque formam, peractum esset in nobilis filiationis iure, nisi & aliud non minore splendore gloriosum adiiceretur, quod omnino in patria iura, & Diuinitatis stemmata, scutaque Mariam à creaturarum conualle arduam transmittat. Quæ Filia Patris est Sponsa fit: nec sacro Hymenæo sacræ generationis cognatio obsistat. *O Ioue digna viro, ni Ioue nata fores*, canebat non nemo, qui impurum thalamum, tædasque nuptiales, in quibus libidinis accenditur ardor, Deo suo nequam irrogabat: quæ filia est, nequit iugali vinculo necti cum parente. Mariam adhuc adstruximus diuini Patris Filiam; nunc Sponsam edocere festinamus. Connubij puritas, nitensque, & albidus virginitatis thalamus cognatione Filiæ floret, non marcet? quia spiritus agitur, non caro; quia nubit animus, non voluptas: nouæque prælucent faces, & hymen ad aures cantatur, adeò purè, vt vox, & fax, Verbum Patris fit: & vt per aures ad vterum subintret, Maria summo Parenti desponsatur. 1.

2. Quòd Maria Patris Sponsa sit, nonnulli Patres contendunt, Senensis tom. 5. serm. 52. artic. 1. capit. 3. *Tecum Dominus Pater, quia tu Sponsa Patris: tecum Dominus Filius, quia tu Mater Filij.* Carthusian. Dionys. de dignit. Mariæ lib. 4. art. 6. *Constat autem, quia tu Dei Patris vnica Sponsa: in Vnigeniti eius Mater electa.* B. Thomas à Villanoua conc. 1. in Annunt. *Filij Mater, Patris Sponsa.* Non plures nunc: nam communis sacrorum tractatorum sententia est, Mariam Filij sui Sponsam esse; quin & Spiritus sancti, à quo & annulo subarrhata, genialibusque ornamentis exculta, charismatibus vnguentata odoratis, omnique sponsalitio apparatu locupletata fuit. Id ergo nouum, & insolitum, quòd vnius, eiusdemque Patris & Filij sponsa sit. Forsan sic admiratus Bernardus serm. de B. Maria: *In hac enim habitauit Pater, & Filius, vt Creator in mundo, Imperator in Regno, Paterfamilias in domo, Pontifex in templo, Sponsus in thalamo.* Insolita thalami indoles, qui & floribus virginitatis stipatur, & pudoris flammis elucet; & tamen geminam Sponsi personam admittit, quæ amicis tædis, iugalibusque facibus, vnius Sponsæ gaudeat deliciis. Quin illud pulsat animum, quòd cùm Pater, & Filius, licèt vnum in natura sint, duæ sunt personæ, quas originis

Senens.

Carth.

B. Thom. à Villanoua.

Bernard.

originis semita discernit, non vt Sponsi in thalamo, sed vt Sponsus in thalamo, apud Bernardum statuantur. Non iam demiror. Adeò vtramque personam in vnius Mariæ gratum connubium amans ardor in vna Deitate constrauit, & indiuiso pondere traxit; vt personarum distinctio defluxerit in Sponsi vnitatem, & vtrumque suppositum coaluerit in vnicum Sponsum; nec Patris, & Filij necessitudo, quia in indiuisâ natura est, potuit Sponsalia turbare. Diuinitatis causa agebatur, æmulâ concertatione, ad procorum modum, Virgo sacra ambibatur. Illa pacata, & concors Patris, & Filij dualitas in vnius amoris penetrata nexu vnicum constituit Sponsum, qui Mariæ potiretur amplexibus, & in Filium generandum, cœlestis puritatis accumberet splendore.

3. Licèt sic in amatam coniugem Patrem & Filiũ solidauit amor, indicium pulchrũ est, quando Filij, quando Patris efferatur Sponsa. Ne confusionis tenebra commisceret geniales has faces, signũ dedit amor; vt alternantibus vicibus, iam à Patre, iam à Filio Sponsa decantetur. Quale, si putas? Cùm Filius *Sponsam* vocat, *Sororis* vocabulum adiungit: vt illi creaturæ dexteram dedisse constet, quæ ex summi Patris mente nata perhibetur, sibique cognata, & germana; vt pariter in nuptiali voce Regium audiatur Sponsæ genus, & ordinem ostendat ad Patrem; nec sibi à Patre vsurpare credatur. Id adnotare fas sit in ipso sponsalium epithalamio; nam c. 5. v. 1. *Veni in hortum meum Soror mea, Sponsa.* Cap. 4. vers. 9. *Vulnerasti cor meum Soror mea, Sponsa.* vers. 10. *Quam pulchra sunt mamma tua Soror mea, Sponsa.* & v. 12. *Hortus conclusus Soror mea, Sponsa!* Vnico tantùm loco absque appellatione *Sororis* nudè *Sponsa* dicitur, cap. 4. vers. 8. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano: veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon.* Quæ ista singularitas? Meditor non absque signatissima dictione. In præiactis Sponsi vocibus *Soror* adijcitur, quia Filius erat, œstróque percitus amoris sic gemellam suam deperibat; vtpote quam in vtero Patris agnouerat, quando eam Pater prædestinabat vnicam Filio suo Genitricem, & Sponsam. Cùm verò Sponsa syncerè dicitur, è Libanoque euocatur, Patris recordatio fit: nonque ob Filij singularem desponsationem Sponsa dicitur; sed quia Patris Sponsa est, qui cum Filio vnum est. Id perbellè obseruauit Honorius apud Delrium: *Veni de Libano castitatis candore ad cœli gaudia: Sponsa ideò mea, quia cum Patre sum vnum, cui genuisti clausa Filium. Veni de Libano.*

Cant. 5. Ibi c. 4. v. 8. 10. & 12. Ibi. vers. 8. Honor.

4. Locus iste Canticorum nimiùm nobis blanditur, dum Sponsalia Patris cum Virgine nostra omni geniali plausu describit, cui lautus, & liberalis Sponsus prædiuite pondere, nuptiarum instructum, spirantesque coronas flagrantibus liliis, auroque intextas promittit; in quo breui compendio sponsalitij mores describuntur. Nonnè coronam audis? *Veni de Libano, coronaberis.* Florida in hoc literatura est apud prophanos, & sacros. Prophanis obuius est Claudianus lib. 2. de Proserp. vbi coronam *Augurium fatale tori* vocat; & *comas corona frenare*, nuptui se tradere apud illum est. Sat sic Basilius Seleu. in vita Teclæ: *Imponam tibi, imponam & sponso tuo optandam plurimum coronam.* Quin & thalamos coronatus protulit Cyrillus Alexandrin. in Ioëlem, καὶ νυμφίοι, καὶ αἰτήσαντες κόρας, ταχέως κατεστεμμένοι τὸν παστὸν εἰσῄεσαν, καὶ γαμηλίως εἶναι ἐστεμμένοι. *Sponsa, & noua nupta è thalamis nuper coronatis excurrentes, & lectulum genialem deserentes.*

Claudius. Seleuc. Cyril. Alexand.

Si tempus huius desponsationis scire aues: scias Filium sibi Virginem maritasse, cùm vterum subintrauit pudicum; Patrem autem in conceptionis instanti. Appositâ quidem ratione. Cùm etenim nulla temporis intercapedo, nullum intercalare instans sit, quo non gignat Vnigenitum à diebus æternitatis; vt aliqua æternitatis nota perfulgeat in temporali generatione eiusdem Filij vt hominis; non patitur vllum effluere instans, quo sibi non despondeat genitricem. Volucri conatu, vix gignitur Maria, cùm Patri obnubit. Vis, probem? Vide, qualis illi texitur corona, quæ augurium fatale tori est: *Veni, coronaberis de capite Amanâ.* Examina vocem hanc. Sanè nocturnam auem significare, est, qui credat, & exinde Dæmonem, qui nocturnis thalamis insidiatur, vt in humanam progeniem euomat venenum, quod ex originaria noxa proles, quæ concipitur, epotat. Ideò nocti inimica conceptio adscribitur, annuente Iob. 3. *Pereat nox, in qua dictum est: Conceptus est homo ille:* & vers. 6. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Quæ probra, & conuitia ideò in noctem iactata esse à pientissimo viro communiter censetur, quia conceptionem, quæ in nocte fieri solet, execrabili maledicto plectebat ob originariam labem. Quid ergo est, quòd supernus Genitor sic promissis demulceat Sponsam lacessens, vt adsit ad accipiendam coronam de capite Amanâ. Mysterio non modico. Quia in ipsa conceptione, iugali sibi fœdere maritat: ab aue nocturna partum triumphum illi accluit, & quasi à manubiis eius verticem redimire parat. Quia totam candidam, primasque niues excedentem intuetur, nullâ vmbra peccati notatam, nec primâ fuligine tinctam; ideò de capite Amanâ, spoliisque diaboli coronat. Honorius suprà: *Veni de Libano, scilicet candore vitæ nimio, exaltanda in supernorum ciuium triclinium. Veni ad spiritualia gaudia. Coronaberis de monte Amanâ, hoc est recipies coronam de triumpho, quam promeruisti de diabolo, qui est mons Amanâ, quod est nocturna auis: Ipse est Rex super omnes filios superbia, ducens errantes ad noctem mortis.* Non digladiemur, an verus sit hic *Amanâ* explicatus.

Iob. 3. Honor.

5. Id quidem prætereundum non est, quòd inscitè ad sponsalia vocaretur Sponsa in hoc sacri epithalamij loco, si hæc ad conceptionis instans referantur: siquidem iam diu nuperis alloquiis Sponsa hæc sacra supponitur in præcedentibus, cum Sponso fabellas serere, amatoria spicula venenare, coniugisque agere mores. Vnde Honorius præfixa verba in cœlesti coronatione Mariæ prolata fuisse opinatur. Non diffiteor. Censeo tamen diem, in quo Maria genita fuit, & in quo sponsalitia fœdera cum Patre luminum orsa fuerunt, in ipso cœlesti ingressu celebrari. Si enim pro festis natalitius dies Primorum celebratur, quid quòd singulariter non iam natalitius, sed conceptionis dies Virginis Matris, qui simul & genialis, nuptialisque fuit, omnis hilaritatis festiuitate colatur: siquidem sanctus fuit præ singularitate? nec ab auis nocturnæ rostro punctus? In quem cogitatum illud oppidò inclinat, quòd de Libano id est candidatione, vocetur Sponsa. Obuius est Hieron. in Assumpt. Virg. *Non immeritò igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata Virgo Maria multis meritorum virtutibus, ac dealbata*

Hieron.

niue candidius Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quia quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & iustitia: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. En candor lucis Virginem præoccupauit, ne à communi nigrore fuscaretur. Candorem hunc eius Natalitij festo concelebrat Pater supernus. Nam in die natali ob faustum auspicium albas vestes induere solitos esse veteres, non nimio oleo euincere possemus. Horat. lib. 2. sat. 2. Tibullus lib. 1.

Horat. Tibul.

At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper, candidiorque veni.

Quòd si candidatio Virginis in conceptione ex Spiritus sancti muneribus apud Hieronymum respersa fuit, à quo vnguenta charismatum fluunt; sic in natalitio celebrando vnguentata cuncta destillabant. Tibullus lib. 2. eleg. 2.

Idem.

Illius è puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Quòd etiam fragrantibus sertis coronarentur capita, cecinit Ouid. 5. Trist. eleg. 13.

Ouid.

Fumida cingatur florentibus ara coronis?
Micaque solemni thuris in igne sonet?

6. En igitur mirâ concinnitate, eisdem ornamentis, quibus geniales dies instruuntur, sponsalitiaque concrepant gaudia, natalis dies excolitur: vt quando de Libano accitur Sponsa, ad tempora coronis cingenda, nobilis habitudo fiat ad conceptionis diem, in quo triumphum egit de Dæmone, cœlestique Genitori in Sponsam nuncupata est. Et quia coniugium hoc stabile, & fixum, nullo vnquam iurgio dimotum, nullâ obiurgatione turpatum, ideò in dies geminantur coronæ, in indicium venustum, & nobile, quòd semper vireant celebrati hymenæi. Placet nota Delrij, qui censuit, quòd quia adhuc durat ardor coniugalis, ideò amatorium munus, corollas pollicetur, etiamsi iam nuptiarum solemnia fuissent celebrata. Probat ex Ouidio:

Delrius. Ouid.

Quin etiam turdoque licet, missaque coronâ
Te memorem Dominæ testificare tuæ.

7. Quæ quidem illum mihi cogitatum ingerunt, hanc corollarum repetitionem dicti c. Cantic. 4. manifestare genus illud matrimonij intercessisse inter Patrem summum, & Mariam, quod ex sua natura permanens, perpetuumque est, & quod dirimi non præualet. Scitum est tribus modis nuptias celebrari solitas, de quibus Arnobius lib. 4. *Vxores dij habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt antè quæsitis: vsu, farre, coemptione, genialis lectuli sacramenta condiunt.* De qua diuisione adest Oseas cap. 3. vers. 2. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, coro hordei, & dimidio coro hordei:* nam, vt adnotat Pineda in prætio Salomone lib. 5. cap. 2. num. 5. ibi farreatio est, siquidem far adhibitum; & coëmptio, siquidem argentei. Res satis in vtraque literatura in comperto est, extantque plura apud Sacra initi connubij per coëmptionem indicia Genes. 34. & 39. 2. Reg. 3. 1. Reg. 18. 2. Reg. 12 & alia id genus. Vnum admoneo, nuptias per coëmptionem contractas stabiles fuisse absque diremptionis spe. Cicero in Anton. *In matrimonio stabili & certo collocaui:* de quo solet accipi Virgilianum illud 2. Æneid.

Arnob. Ose. 3. Pineda. Gen 34. & 39. 2. Reg. 3. 1. Reg. 18. 2. Reg. 12. Cicero. Virgil.

Coniugio iungam stabili, propriamque dicabo.

Alia autem duo genera obnoxia erant diremptioni: vnde diffarreatio apud Festum est dissolutio matrimonij contracti per confarreationem.

8. Quorsum hæc? Vt noueris, coniugium Virginis Matris cum virgine Patre perpetuum esse, vtpote per emptionem contractum. Adest decantatus ille locus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum:* in quo benè vidit Salazarius Hebraicè pro possedit esse קנה, *Karah*, idem ipsum quod aud Oseam est suprà verbo *fodi.* Igitur si in initio sic Pater Deus Virginem suam emit, stabile peragit connubium: ideò, dum cœlos ingreditur Sponsa, iterum repetit coronaria serta, æternum, & duraturum coniugium manifestans. In quo adhuc est, quod obserues. Idem locus, qui subseruit ad agnoscendam Mariam Filiam esse Patris, vtpote quam ex Patria potestate in initio viarum suarum possedit; aptissimè conducit, vt ostendatur, Sponsam illico Patris fuisse, quæ sic empta dignoscitur, & possessa. In quo obseruo, nullâ venustiori phrasi, & ex antiquitatis penu depromptâ potuisse declarari Mariam vtroque nexu Patri Diuino esse deuinctam, scilicet & Filiæ, & Sponsæ: nam in nuptijs, quæ per emptionem fiebant, viri ipsi patres constituebantur sponsarum, quæ filiarum locum tenebant. Totam rem addiscas ex Boëtio in Topic. qui tandem ait. *Itaque mulier in viri conueniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem, & erat mulier materfamilias viro loco filiæ.* Eadem habet Seruius: *Coemptione verò, atque in manum conuentione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; vt si quis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis iustum alteri faceret:* Vide, quantùm assonent ista sacro huic connubio, stabili, & inconcusso Virginis Matris, simulque Filiæ cum Patre superno. Emere autem vxores solebant viri à parentibus. Xenophon: ὠνοῦνται γυναῖκας παρὰ τῶν γονέων χρημάτων μεγάλων. *Emunt vxores à parentibus pretio magno.* Et alibi: ἢν δέ σοι ἔτι θυγάτηρ, ὠνήσομαι Θρᾳκίῳ νόμῳ. *Et si vlla est tibi filia, cum Thracia lege emam.* Quòd autem sic quasi empta fuerit Virgo nostra nonnè suadet, quòd in ipso generationis momento in Sponsam accitur, & ab Amana coronatur?

Prou. Salaz. Boët. Xenoph.

9. Quibus mirè applaudunt illa Vatis: *Audi Filia, & Vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum, & domum Patris tui.* Quòd enim id in generationis instanti conclamatum, iam alij dederunt ex Leone Imperatore orat. de Incarnat. *Cùm adhuc in lumbis esses, progenitor tuus clamat: Audi filia, &c.* Ideò, me iudice, inclinare aurem dicitur, & præmonetur, quia emptitia Sponsa est; sicque quasi perforatur auris, quod proprium emptitij mancipij fuit. Ab aure incisâ, & fodicatâ, & quòd audiat, præmonetur, & simul quòd per coëmptionem subeat connubium: nam in illis verbis Christi Domini, *Aures autem perforasti mihi*, vtrumque innuitur, scilicet & quod formam serui accipit, & quòd illicò vocem Dei audit: siquidem attestatur: *Tunc dixi: Ecce venio.* Audit Maria, cùm gignitur; ne, sicut primigenius, post contractum piaculum vocem Domini audiat, quasi qui anteà non audierit, qui sic obturauit aures suas, vafri serpentis imitator, & cultor. Audit Maria, quia Patri Diuino per aurem maritatur: cùm etenim in id muneris vxoretur, quòd Verbum Dei in vtero gignat, probè ad prima sponsalia inclinare aurem edocetur. Quare Richard. de S. Laurentio lib. 4. *In conceptione Filij misit dilectus*

Psalm. Leo Imp. Psalm. 39. Richard à S. Laurent.

dilectus eius, id est, Deus Pater, manum suam, id est, Filium, in eam per foramen auris suæ.

10. Iterum: inclinauit aurem Maria, dum adhuc vix in vulua coagmentabatur, ne colubri malignam auscultaret vocem, & aurium foramine in mancipium emeretur à dæmone: imò illicò per coëmptionem in Diuini Genitoris sacra, & ius traducta, eius domum nuptiali iure sequuta est. Hunc puto sensum nimis lepidum illorum verborum, *Inclina aurem tuam.* Ex quo illustratur (Oseæ 3. 2.) non modicâ luce præfixus Oseæ locus: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis.* Dubitatum est à literatissimis viris, quid sit, quòd Vulgata nostra verbo *fodio* vsa fuerit? Quamuis enim Hebraicum כרה *charah* emere significet, simulque fodere, Gen. 50. (Genes. 50.) *In sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaam*, hoc est, *emi*. Deut. 2. (Deut. 2 Vulgat. Septuagint.) Hebraicè: *Et aquas fodietis ab eis argento.* Communiter, *Aquam emptam haurietis, & bibetis.* Hinc pro eo, quod est, *Fodi eam mihi*, apud Oseam, Septuaginta habent: ἐμισθωσάμην αὐτὴν: *Mercede eam comparaui.* Isidorus Clarius *emi*. (Isidor. Clar. Pagn. Vatab.) Pagninus, *Possedi eam mihi:* Vatablus, *Comparaui eam.* Itaque iure decertatur, cur pro *emi*, Latinè, *fodi* est; siquidem non is Latiaris est vsus, sicut Hebræus. Non aliter enodant, nisi quòd, Latinis interpretibus in vsu sit Hebraici vocabuli significationem imitari. Ego quidem aliter censeo. Ideò vxor *fodi* dicitur apud Prophetam, quia per coëmptionem ducebatur, quasi emptitium mancipium fieret. Mancipiis autem perfodiebatur (Deut. 15.) auris, vt in comperto est, Deuter. 15. Et quidem auris fodicatione docilitas, & obedientia notabatur, quam debet præstare seruus Domino (Psal. 39.) suo. Ex quo Psalm. 39. vers. 7. eadem vox est Hebraicè: nam vbi noster legit: *Aures autem perfecisti mihi*, transtulit Hieronymus, *Fodisti mihi:* (Hieros. Chald.) Chaldaicè: *Aures ad scrutanda præcepta tua perforasti mihi:* styloque Hebræo est אזנים כריתלי *Oznaim charitali*, *Aures fodisti.* Ecce eadem vox כרה, *Karah*, quæ apud Oseam, & ex qua locum Prouerb. interpretati sumus, *Dominus possedit me*, pro eo, quod est *emi*, & *perfodi*. Superest, ostendamus nuptam per coëmptionem quasi mancipium fieri mariti. Id pulchrè probat eademmet formula, & vsus, de quo Vl- (Vlpian.) pianus in Instit. Fœmina enim, quæ coëmptione nuptui tradebatur, in manum viri conueniebat. (Cicero.) Cicero in Topic. & Boëtius suprà. A manu (Boëtius.) autem mancipium fit: quare Boëtius ait: *Et ita mulier illa posteà erat in manu, mancipioque, id est, potestate mariti.* (Seruius.) Seruius Sulpicius apud Gellium lib. 4. Noct. cap. 3. *Quæ iuncta, consuetaque esset cum eo, in cuius manu, mancipioque*, &c. Aliqui (Isidor.) censuere, inter quos Ribera in Oseam cap. 3. in nuptiis per coëmptionem reciprocam pecuniam dari, ne vxor videretur ancilla. Verum (Seruius.) est, ea verba inesse apud S. Isidorum lib. 5. Etymol. cap. 24. *Nam antiquus nuptiarum erat ritus, quòd se maritus & vxor inuicem emebant, ne videretur vxor ancilla; sicut habemus in Iure.* Scholiastes Isidori aduertit, verba esse transcripta ex Seruio lib. 1. Geotgic. sed tamen apud eum non extare illa verba, *Ne videretur vxor ancilla.*

11. Nobilissima est S. Isidori auctoritas: verùm, si Iurisperitos consulas, priscosque de formula coëmptionis agentes, non inuenies aliquod pretium datum ab vxore in mariti emptionem. Adi (Gellius.) Gellium lib. 18. capit. 6. Nec coëmptio illam mutuam emptionem adsignificet, opus est, cùm in alienatione quarumcumque rerum fieret, veluti in emancipatione filij, & familiæ, & in liberatione sacrarum rerum, vt ad prophanos vsus subseruirent: de quo Carolus Sigonius de anti- (Sigonius.) qu. Rom. cap. 9. & Cicero pro Murena. Sat à (Cicero.) fœmina dari visum fuit, si sub viri manu, mancipioque sese dedebat, seu à parentibus tradebatur. Vnde, vt erudirè scribit Petrus Gregorius lib. 9. Syntagm. capit. 15. *Coëmptio erat qua-* (Petrus.) *dam simulata distractio potestatis, qua tenebatur* (Gregorius.) *mulier, antequàm nuberet, & ex qua in potestatem aliam, mariti scilicet, traducebatur.* Ergo quia nunquam sui iuris fœmina erat, (vt constat ex Liuio lib. 44.) ex hac distractione potestatis coëmptio dicebatur. Euripides apud Petrum (Liuius.) Gregor. (Euripides.)

γυνὴ μὲν ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων
οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.

Mulier egressa domum paternam,
Non est ampliùs parentum, sed mariti.

Nec ideò reciproca emptio, venditioque erat, quia saltem dotem præstabat fœmina: nam aduertit Spondanus, olim maritos dotem dedisse pro vxoribus, non contrà: ex quo Cerdensis lib. 1. Geotgic. Spondano adstipulatus aduocat Ta- (Spondanus.) citum libr. de moribus German. aientem: *Do-* (Cerdensis.) *tem non vxor marito, sed vxori maritus affert.* Sed (Tacit.) quia varij sunt mores gentium, non reluctor aliquid pretij præstitum iri à fœminis, vt sibi maritos comparent. Sat auctoritas Isidori. Quin & Nazianzenus in Carm. virgin. (Naz.)

Venalis est vxori maritus, & (quod hoc est deterius)
Sæpenumerò neque bonus. Et venalis vxor marito,
Sæpè & odiosa: fabricatum malum, neque reiectabile.

Quidquid sit, certum est, illam imaginariam coëmptionem ius, & dominium maritis præstitisse, mancipij causâ, & imaginariæ seruitutis. Quare putauerim, aliquam capitis diminutionis vmbram vxoratis hisce euenire, sicut euenit emancipatis, & arrogatis: quia per imaginariam emptionem emancipatio, & arrogatio fiebat, familiaque mutabatur: de quo Donellus lib. 6. Com- (Donellus.) ment. cap. 16. & Osualdus lib. 21. cap. 5. lit. E. (Osualdus.)

Mariæ pignus, donum antenuptiale, & dos.

Svbsectio Vnica.

Vt qvid sic euagari calamum permisimus? Sanè ob nostræ Virginis obse- 12. quium, cui & ciuilia iura famulari fas est. Pater Diuinus possedit Mariam in initio viarum suarum, per coëmptionem factas nuptias cum illa peregit. Quidnè dedit sancta puella in vulua matris recens concepta, vt reciproca procederet commutatio? Equidem omne procul, & de vlti- (Prou. 31.) mis finibus venit; dos, arrha, & pignus è superis fuit, descendens à Patre luminum. Ideò nuptias has iuxta coëmptionis ritum gestiuimus explicare: in quo, si memineris, plura sunt, quæ nostro accinunt instituto, Virgineoque nimiùm subseruiunt elogio. Stabilitas enim, & constantia hisce nuptiis altè infixa erat; fœmina mariti

S Thom. Bernard. August. ſ. Bernardo homil. 4. ſuper Miſſus eſt, Auguſtino ſerm. 17. de Natiuitat. Ergonè Maria vſque tunc abſque Sponſo? Abſit. Pater Sponſus illius fuit, & ad eamdem progignendam toros vteri, & mentis thalamos, caſtiſſimis amplexibus, ſacra fœcunditate honeſtauit. Mens eſt Ruperti de operibus Spirit. ſanct. lib. 1. capite 7. Sciendum, *Beatam Virginem Mariam templum, & Sacrarium huius Dei, & Domini noſtri Spiritus ſancti, Sponſam eſſe, vel fuiſſe Dei Patris, atque in ea completam eſſe cauſam, cur Synagogam, id eſt, Eccleſiam prioris populi, idem Deus Pater ſe adamaſſe, atque in coniugium aſſumpſiſſe, tam multis teſtetur Scriptura locis.* Nonnè cauſa huius velocis coniugij, eiuſdem Filij generatio fuit? Gignebat Pater ab æterno Verbum ſuum: benigniſſimâ voluntate diſpoſuit in vterum Virgineum eructare: ideò pernix accingitur ad connubium, ne inſtans decedat, quo Maria ſit, & coniux non ſit, Verbique indoles pateretur iniuriam, cui proprium eſt è mente progigni Diuinitate ſemper maritatâ. Quaſi ob hanc Diuini Verbi indolem, quæ antiquam amat generationem, in veteri Eccleſia Mariam iam ſibi copulauiſſe Pater adumbrabat, per oraque Prophetarum, vocalitate, & ſonitu Verbum ſuum quaſi carneo pondère ſolidabat, vt exinde coniugem ſibi conſignaret, & æterni verbi comprobaret miniſtram.

Rupert. Adſit iterum Rupertus capite 8. *Beata Virgo Maria Sponſa Dei Patris erat, & cauſam, pro qua gentis illius Eccleſiam ille ſuam in Scripturis coniugem dicebat, in ea perficere, id eſt, Verbum ſuum, quod modo iam dicto per corda, & ora Prophetarum vocale fecerat, per huius Beatæ Virginis vterum carnem fieri ante omnia ſæcula propoſuerat.* Ingenuè, & acuminatè ſatis. In præfato capite contendit Rupertus Patrem Diuinum Sponſum fuiſſe prioris Eccleſiæ; Filium autem poſterioris, peroptimo indicio: nam Maria pars optima prioris Eccleſiæ fuit. Ideò tam impenſus amor, ardorque flagrans æſtuabat, quo Pater in priore Eccleſia ſuam Virginem deperibat, omnibus genialibus excolens ornamentis, calceans hiacynthino, byſſino cingens, induens polymito, armillis carcerans, torque collum circumdans, coronâque decoris caput redimiens; quæ ſacri ſtyli phaleris

Ezech. 16. deſcribit Ezechiel capite 16. Ardebat *virum meum*

Hier. 3. à Virgine vocari. Hierem. 3. *Saltem amodò voca me vir meus, dux virginitatis meæ tu es.* Quo fructu? Quo fœnore? Vt tota generandi virtus ad Mariani ventris fructum confluerer, Sponſumque nouæ Eccleſiæ generaret Virgo, quæ per antiqua Patris Sponſa fuit. Iam Rupertus: *Sic autem Beata Virgo prioris Eccleſiæ pars optima, Dei Patris Sponſa eſſe meruit, vt exemplar quoque fuerit iunioris Eccleſiæ Sponſæ Filij Dei, Filij ſui.* Et paucis interiectis. *Saltem amodò voca me vir meus. Igitur iſte vir erat. Tota autem talis viri vtilitas, totus fructus, omnis affectus, totus amor, tota virtus, ac generandi vis, quomodo vbi venit plenitudo temporis, in iam dictam Virginem ſe contulerit, ipſa, quæ experta eſt, meliùs nouit.* Ergo Deus Pater vir Mariæ extitit, Hieremiæ vaticinio confirmante, quo non incaſſum vtitur Rupertus ad ſacras has tædas accendendas. Si etenim ſedulo nixu locum verſaueris, ſtupor te corripiet. Quid eſt, quòd vir ille à Propheta inductus, ſic Amaſiam adamabat; & tamen pudicum turbare torum, Virgineumque retegere peplum penitùs recuſaret; vtrumque quippe admonet, & quòd *vir meus*, & quòd *dux virginitatis meæ* vocetur. Mira res! Viri nomen optat ab Amaſia; & tamen viri functiones renuit, & maritalia officia, quæ officinæ pudori, quæ adeò vir iſte facet exoſus eſt, vt imò ſub viri nomenclatura ducem eſſe virginitatis velit apparere. Qualis, rogo, iſte vir, qui viriles functiones obiens, non temerat Sponſam, ſed fœcundat, ducatumque fert virginitatis, & vterum ſobole complet? Sanè ſummus Pater, qui & primus virgo, & ferax

Luc. 1. eſt. *Quomodò fiet iſtud*, dicebat illa, *quoniam virum non cognoſco?* Angelus è veſtigio: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Qualis connexio? Peringenua, ac ſi diceret: Vir, quem habes ab initio, & vir eſt, vt te fœcundet; & dux virginitatis tuæ, ne macula deprædetur pudorem. Quia non pertuliſti virum, nec tori agnouiſti ſodalem, concipies Deum: Altiſſimus tibi vir eſt; virtute te fœtam efficiet, ſimulque dux erit virginitatis tuæ,

August. dum vmbrâ conteget ne temereris. Hinc Auguſtinus lib. 2. de peccat. origin. contra Pelag. capite 40. *Tenet diabolus, liberat Chriſtus: tenet deceptor Euæ, liberat Filius Mariæ: tenet, qui per coniugem venit ad virum; liberat, qui de coniuge natus eſt, quæ non pertulit virum.* Expende hæc vltima. Coniux Maria fuit; ſed virum non pertulit. Nonnè Ioſeph, Mariæ vir? Vir quidem, ſed non pertulit hunc virum Maria, quia viri munus, id eſt fœcunditas vteri nequit erga Mariam euenire, niſi cum ducatu virginitatis nectatur. Virtus Altiſſimi obumbrat: ecce vir virginitatis dux: vir, quà pollet virtute ad fœtum eamque diuinitùs exercet; virginitatis dux, quà obumbrans. Hunc virum pertulit Maria, vtpote quæ concepit, & Virgo eſt. Pergit Auguſtinus: *Tenet, qui cauſam libidinis ſeminauit fœminæ; liberat, qui ſine libidine eſt conceptus in fœmina.*

Maria Patri nupta, capite non minuitur, ſed augetur: cui Deus Pater, Caput *eſt.*

SECTIO II.

18. VT Hoc Virginis noſtræ, & Diuini Genitoris connubium luculentioribus commendetur elogiis, ſacriſque epithalamiis celebretur, iuuat penitiùs rem hanc, iterato pollice conterere, vt ex maiore fructu ſuauiſſimum odorem ſpiret. Quid nobilius Virgini nobilitate ſupernâ potiri? Quid ſplendidius à ſplendore diligi, vt ſimul eluceat, comitibuſque tædiis vterque Parens orbem illuſtret? Verùm, ſi tenaces ſimus eorum, quæ ſuperiore diximus ſectione, nobilitas Virginea primis oculis periculum ſubire videtur: cuius clientelam iſtuc reſeruauimus agendam. Diximus fœminam, quæ per coëmptionem nubebat, mancipium fieri mariti, quippe ſub cuius

Cicer. Boët. manum conueniebat. Id ex Cicerone, & Boëtio, vtroque in Topic. fulciuimus. Opus ergo eſt capite minui, quæ ſic contrahit, eâ ſaltim capitis minutione, quam Iuriſperiti *minimam* vocant: nempe cùm ciuitas retinetur, & libertas; ſed mutatur ſtatus, non vtcumque, ſed per imaginariam venditionem, quæ etiam in arrogatione, ſeu emancipatione fiebat. Capitis diminutio voca-

Cicer. Act. tur, ſi credis Ciceroni in Verrem, quia ademptio de

de capite est. Cecinit Auson. in Gryph.

Triplex libertas, capitis minutio triplex.

Sed quia fœmina caput non habebat, nec enim à fœminis censebantur familiæ, nec sui iuris esse sinebantur: nam M. Portius Cato pro lege Liuius. Petr.Greg. Oppia, de quo Liuius lib. 44. dixit (verba sunt Petri Gregorij lib 9. Syntagm. cap. 5. num. 27.) maiores voluisse nullam, nec ni minimam quidem rem sine auctoritate fœminas agere, sed in parentum, fratrum aut liberorum esse potestate; ideò capite minui forsan non poterat, cui caput non erat. Ex Rupert. nostris luculenter Rupertus lib. 3. in Genes. c. 21. *Rectè ergo non tam dixit: Sub viri potestate eris: nam puerulus sub viri, id est, tutoris, potestate est: sed addidit: Et ipse dominabitur tui; vt nunquam mulier libera sit de subiugo viri, sed eius tam ætas, quàm conditio primùm sub potestate viri tutoris, & deinde cùm in manum viri per legitimas coniugij tabulas venerit, sub dominio viri sit:* Censuit Rupertus capite minui fœminam, quæ in manum viri conueniebat per coniugium: sic enim in eodem capite ait: *Vnde & capite diminuta dicitur mulier, quæ in manum viri conuenit.* Hæc ita de fœminis, quæ ex primigenia labem contraxêre, & in flagitij vindictam sub viri potestate constitutæ sunt, quas par est nunquam sui iuris, & arbitrij esse, quæ serpenti arbitrium subiecere. Ast Maria, quam arbitrij rectitudo commendat, nunquam degeneri impulsu ventilati, caput habet, quæ caput contriuit serpentis, & vestigijs insidiantem subegit, ne in communi decideret ruinâ, sed inconcussâ stabilitate maneret. Ideò, si ad modum ritus coemptionis nuptias contraxit, dixeris forsan capite minutam, quam mariti manus mancipium effecit. In hoc omnis gloria filiæ Regis; in hoc Virginis Matris stemma generosum elucet, quòd, dum Dei Patris Sponsa est, mancipium simul sit, & ancilla, caputque sibi Deus sit.

19. Vis probem, Mariæ caput Deum Patrem esse vt stirpitùs euincam illi nuptui traditam? Quod si in suæ conceptionis instanti; qui potuit ferratū collum dæmoni subiicere, seruilibusque notis Damasc. frontem offerre? Locus est difficilis Damasceni orat. 1. de Natiuit. Mariæ, qui sic Latinè circumfertur: *Spiritalis scala, hoc est Virgo, in terra firmata est, (ex terra enim ortum habet) caput autem ipsius ad cælum pertinet. Omnis quippe mulieris caput Pater extitit, vt qui Filium suum, ac præpotens Verbum, tanquam diuinum, ad spiritale semen emiserit. Propensâ quippe Patris voluntate, ac non ex naturali congressu; verùm ex Spiritu sancto, & Maria Virgine, modo naturam superante, Verbum sine vlla mutatione caro factum est.* Censeo, quòd notho, & illegitimo stylo Latinè audit Græcus Damascenus: quid enim est illud: *Omnis quippe mulieris caput Pater extitit, vt qui Filium suum, ac præpotens Verbum, tanquam diuinum, ad spiritale semen emiserit?* Hiulca quidem periodus, & absque lepore. Miror in hoc non impegisse scholiastem Damasceni, nec alium, quem viderim. Relecta sunt plura verba à Græca origine, quam si consulas, eximium inuenies acumen. ἐπὶ γῆς ἡ τοιαύτη κλῖμαξ, ἡ παρθένος ἐστήρικται, ἐκ γῆς γὰρ ἔχει τὴν γένεσιν. ἡ δὲ κεφαλὴ πρὸς τὸν οὐρανόν. πάσης γὰρ γυναικὸς κεφαλὴ ἐχρημάτισεν ὁ πατὴρ ἀγίῳ, τὴν συναλλαγὴν ποιησάμενος, τὸ θεῖον σπέρμα ... τὸν λόγον. ... ἐξ ἀποστείλας, ... ἀλλ' ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου ... ὁ λόγος σὰρξ ἀτρέπτως ἐγένετο. Ad verbum translata sic sonant. Caput autem ipsius ad cælum pertinet. Omnis enim mulieris Pater vacauit, seu alloquutus est cum Spiritu sancto, faciens commutationem, seu conciliationem; & solùm diuinum semen spiritale, nempe Sermonem Filium suum, in quo omnis virtus est, misit. Cætera plana sunt. Duæ voces nimiùm sunt difficiles, scilicet ἐχρημάτισε, & συναλλαγὴν. Nam χρηματίζω propriè significat, rebus constituendis vaco, ius reddo, de summa reipublicæ tracto, vt ex Diodoro, Luciano, & Demosthene probat Budæus, qui etiam putat apud Damascenum esse simpliciter significare. Quin pro vocor accipitur, vt est apud Paulum ad Rom. 7. Diod. Lucian. Demost. Budæus. Ad Rom. 5. Soph. Συναλλαγὴ solet verti *commercium*, aut conciliatio. Soph. ἐν συναλλαγῇ λόγου in commercio sermonis, seu in commutandis verbis. Sic librata Soph. verba sensum hunc reddent: *Licèt Maria ex terra ortum habuit, caput autem eius in cælo est. Nam qui omnis mulieris est Pater vacans cum Spiritu sancto, reconciliationemque faciens, misit Filium suum, qui diuinum est semen, nam ex Spiritu sancto, & Maria Virgine Verbum caro factum est.* In queis verbis subtile ingenium est. Qualis enim illa ratio ad probandum Mariæ caput in cælis esse, quòd omnis mulieris Pater suum semen diuinum emiserit in Virginem Matrem de Spiritu concipientem? Eximia quidem, & ex Theologiæ arcanis. Sensus est: Qui omnium est Pater benedictus in sæcula, Mariæ non solùm est Pater, sed vir, & maritus, ideò & caput, quia omnis mulieris caput vir est. Vir quidem, quia maritum egit, florentissimâ puritate, honestateque virgineâ, dum Verbum suum in vterum Virgineum emisit: Verbum enim Dei, semen spiritale sanctum, & diuinum est, vtpote mentis genus ex intellectu Patris Diuinitate, ad modum speciei, quæ semen solet dici, fœcundato procedens. Et quia totum diuinè peractum est in Maria, ideò ad concilium huius reconciliationis pertractandæ, accitum Spiritum sanctum inducit Damascenus. Ergo Mariæ caput in cœlo est.

Idem caput Maria habet, ac Vnigenitus Filius 20.
Dei. Paulus ad Corinth. 11. *Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir; caput verò Christi Deus.* Ad Cor. 11. Non parùm confligitur, quo iure, quove sensu Deus dicatur caput Christi, annè iuxta humanam naturam, an iuxta diuinam? Quòd iuxta diuinam naturam Paulus ea verba protulerit, vult Iustinianus nobilis Pauli interpres, ex gemino loco: alter Iustin. est Ambrosij, Tertulliani alter. *Dignum est* (inquit Ambros. Ambrosius) *vt Filij caput Pater dicatur, quasi genitor eius; aliter tamen caput viri Christus est, & aliter vir mulieris, & aliter Deus caput Christi est. Deus autem ideò caput Christi est, quia de eo, vel ab eo genitus est: mulieris verò caput idcirco vir est, quia ex eius costa, Dei virtute, formata est: Christus autem ideò viri caput est, quia per ipsum, cùm non esset, formatus est.* Apprimè distribuit Ambrosius ex multiplici capitis significatu. Nec reluctari fas est, Deum Patrem posse caput Vnigeniti nuncupari, non dispendio æqualitatis, nec ex Arrianorum petulantia; sed originis, & generationis iure: sic enim Pater fons, radix, alicubique auctor; imò apud Græcos Patres, aliquando causa Filij perhibetur. Quæ phrases eò tantùm tendunt, quòd supero Genitori, Vnigeniti generatio fideli confessione adscribatur. Hinc Cyrillus Alexandr. lib. 2. Thes. cap. 3. *Quamuis secundum rationem substantiæ Patris, æqualis, & penitus similis sit; maior*

S. Thom. Bernard. August. 1. Bernardo homil. 4. super Missus est, Augustino serm. 17. de Natiuitat. Ergonè Maria vsque tunc absque Sponso? Absit. Pater Sponsus illius fuit, & ad eamdem progignendam toros veri, & mentis thalamos, castissimis amplexibus, sacra fœcunditate honestauit. Mens est Ruperti de operibus Spirit. sanct. libr. 1. capite 7. *Sciendum, Beatam Virginem Mariam templum, & Sacrarium huius Dei, & Domini nostri Spiritus sancti, Sponsam esse, vel fuisse Dei Patris, atque in ea completam esse causam, cur Synagogam, id est, Ecclesiam prioris populi, idem Deus Pater se adamasse, atque in coniugium assumpsisse, tam multis testetur Scriptura locis.* Nonnè causa huius velocis coniugij, eiusdem Filij generatio fuit? Gignebat Pater ab æterno Verbum suum: benignissimâ voluntate disposuit in vterum Virgineum eructare: ideò pernix accingitur ad connubium, ne instans decedat, quo Maria sit, & coniux non sit, Verbique indoles patere tur iniuriam, cui proprium est è mente progigni Diuinitate semper maritatâ. Quasi ob hanc Diuini Verbi indolem, quæ antiquam amat generationem, in veteri Ecclesia Mariam iam sibi copulauisse Pater adumbrabat, per oraque Prophetarum, vocalitate, & sonitu Verbum suum quasi carneo pondère solidabat, vt exinde coniugem sibi consignaret, & æterni verbi comprobaret ministram.

Rupert. Adsit iterum Rupertus capite 8. *Beata Virgo Maria Sponsa Dei Patris erat, & causam, pro qua gentis illius Ecclesiam ille suam in Scripturis coniugem dicebat, in ea perficere, id est, Verbum suum, quod modo iam dicto per corda, & ora Prophetarum vocale fecerat, per huius Beatæ Virginis vterum carnem fieri ante omnia sæcula proposuerat.* Ingenuè, & acuminatè satis. In præfato capite contendit Rupertus Patrem Diuinum Sponsum fuisse prioris Ecclesiæ; Filium autem posterioris, peroptimo indicio: nam Maria pars optima prioris Ecclesiæ fuit. Ideò tam impensius ardor, ardorque flagrans æstuabat, quo Pater in priore Ecclesia suam Virginem deperibat, omnibus genialibus excolens ornamentis, calceans hiacynthino, byssino cingens, induens polymito, armillis carcerans, torque collum circumdans, coronâque decoris caput redimiens; quæ sacri styli phaleria

Ezech. 16. Hier. 3. describit Ezechiel capite 16. Ardebat *virum meum* à Virgine vocari. Hierem. 3. *Saltem amodò voca me vir meus, dux virginitatis meæ tu es.* Quo fructu? Quo fœnore? Vt tota generandi virtus ad Mariani ventris fructum confluerct, Sponsumque nouæ Ecclesiæ generaret Virgo, quæ per antiqua Patris Sponsa fuit. Iam Rupertus: *Sic autem Beata Virgo prioris Ecclesiæ pars optima, Dei Patris Sponsa esse meruit, vt exemplar quoque fuerit iunioris Ecclesiæ Sponsa Filij Dei, Filij sui.* Et paucis interiectis. *Saltem amodò voca me vir meus. Igitur iste vir erat. Tota autem talis viri vtilitas, totus fructus, omnis affectus, totus amor, tota virtus, ac generandi vis, quomodò vbi venit plenitudo temporis, in iam dictam Virginem se contulerit, ipsa, quæ experta est, meliùs nouit.* Ergo Deus Pater vir Mariæ extitit, Hieremiæ vaticinio confirmante, quo non incassum vtitur Rupertus ad sacras has tædas accendendas. Si etenim sedulo nixu locum versaueris, stupor te corripiet. Quid est, quòd vir ille à Propheta inductus, sic Amasiam adamabat; & tamen pudicum turbare torum, Virgineumque retegere peplum penitùs recusaret; vtrumque quippe admonet, & quòd *vir meus*, & quòd *dux virginitatis meæ* vocetur. Mira res! Viri nomen optat ab Amasia; & tamen viri functiones renuit, & maritalia officia, quæ officiunt pudori, quæ adeò vir iste facere exosus est, vt imò sub viri nomenclatura ducem esse virginitatis velit apparere. Qualis, rogo, iste vir, qui viriles functiones obiens, non temerat Sponsam, sed fœcundat, ducatumque fert virginitatis, & vterum sobole complet? Sanè summus Pater, qui & primus virgo, & ferax est. *Quomodò fiet istud*, dicebat illa, *quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. Angelus è vestigio: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Qualia connexio? Peringenua, ac si diceret: Vir, quem habes ab initio, & vir est, vt te fœcundet; & dux virginitatis tuæ, ne macula deprædetur pudorem. Quia non pertulisti virum, nec tori agnouisti sodalem, concipies Deum: Altissimus tibi vir est; virtute te fœtam efficiet, simulque dux erit virginitatis tuæ, dum vmbrâ conteget ne temereris. Hinc Augustinus lib. 2. de peccat. origin. contra Pelag. capite 40. August. *Tenet diabolus, liberat Christus: tenet deceptor Euæ, liberat Filius Mariæ: tenet, qui per coniugem venit ad virum; liberat, qui de coniuge natus est, quæ non pertulit virum.* Expende hæc vltima. Coniux Maria fuit; sed virum non pertulit. Nonnè Ioseph, Mariæ vir? Vir quidem, sed non pertulit hunc virum Maria, quia viri munus, id est fœcunditas vteri nequit erga Mariam euenire, nisi cum ducatu virginitatis nectatur. Virtus Altissimi obumbrat: ecce vir virginitatis dux: vir, quà pollet virtute ad fœtum eumque diuinitùs exercet; virginitatis dux, quà obumbrans. Hunc virum pertulit Maria, vtpote quæ concepit, & Virgo est. Pergit Augustinus: *Tenet, qui causam libidinis intulit fœminæ; liberat, qui sine libidine est conceptus in fœmina.*

Maria Patri nupta, capite non minuitur, sed augetur: cui Deus Pater, Caput est.

SECTIO II.

VT Hoc Virginis nostræ, & Diuini Genitoris connubium luculentioribus commendetur elogiis, sacrisque epithalamiis celebretur, iuuat penitiùs rem hanc, iterato pollice conterere, vt ex maiore fructu suauissimum odorem spiret. Quid nobilius Virgini nobilitate supernâ potiri? Quid splendidius à splendore deligi, vt simul eluceat, comitibusque radiis vterque Parens orbem illustret? Verùm, si tenaces simus eorum, quæ superiore diximus sectione, nobilitas Virginea primis oculis periculum subire videtur: cuius clientelam istuc reseruauimus agendam. Diximus fœminam, quæ per coëmptionem nubebat, mancipium fieri mariti, quippe sub cuius manum conueniebat. Id ex Cicerone, & Boëtio, vtroque in Topic. fulciuimus. Cicer. Boët. Opus ergo est capite minui, quæ sic contrahit, eâ saltim capitis minutione, quam Iurisperiti *minimam* vocant: nempe cùm ciuitas retinetur, & libertas; sed mutatur status, non vtcumque, sed per imaginariam venditionem, quæ etiam in arrogatione, seu emancipatione fiebat. Capitis diminutio vocatur, si credis Ciceroni in Verrem, quia ademptio Cicer. Act. 18.

de

de capite est. Cecinit Auson. in Gryph.

Triplex libertas, capitis minutio triplex.

Sed quia fœmina caput non habebat, nec enim à fœminis censebantur familiæ, nec sui iuris esse finebantur: nam M. Portius Cato pro lege
Liuius. Oppia, de quo Liuius lib. 44. dixit (verba sunt
Petr. Greg. Petri Gregorij lib. 5. Syntagm. cap. 5. num. 27.) maiores voluisse nullam, nec minimam quidem rem fine auctoritate fœminas agere, sed in parentum, fratrum aut liberorum esse potestate; ideò capite minui forsan non poterat, cui caput non erat. Ex
Rupert. nostris luculenter Rupertus lib. 3. in Genes. c. 21. *Rectè ergo non tam dixit: Sub viri potestate eris: nam puerulus sub viri, id est, tutoris, potestate est: sed addidit: Et ipse dominabitur tui; vt nunquam mulier libera sit de subiugo viri, sed eius tam ætas, quàm conditio primùm sub potestate viri tutoris, & deinde cùm in manum viri per legitimas coniugij tabulas venerit, sub dominio viri sit:* Censuit Rupertus capite minui fæminam, quæ in manum viri conueniebat per coniugium: sic enim in eodem capite ait: *Vnde & capite diminuta dicitur mulier, quæ in manum viri conuenit.* Hæc ita de fæminis, quæ ex primigenia labem contraxêre, & in flagitij vindictam sub viri potestate constitutæ sunt, quas par est nunquam sui iuris, & arbitrij esse, quæ serpenti arbitrium subiecere. Ast Maria, quam arbitrij rectitudo commendat, nunquam degeneri impulsu ventilari, caput habet, quæ caput contriuit serpentis, & vestigiis insidiantem subegit, ne in communi decideret ruinâ, sed inconcussâ stabilitate maneret. Ideò, si ad modum ritus coëmptionis nuptias contraxit, dixeris forsan capite minutam, quam mariti manus mancipium effecit. In hoc omnis gloria filiæ Regis; in hoc Virginis Matris stemma generosum elucet, quòd, dum Dei Patris Sponsa est, mancipium simul sit, & ancilla, caputque sibi Deus sit.

19. Vis probem, Mariæ caput Deum Patrem esse vt stirpitùs euineam illi nuptui traditam? Quod si in suæ conceptionis instanti; quî potuit ferratū collum dæmoni subiicere, seruilibusque notis
Damasc. frontem offerre? Locus est difficilis Damasceni orat. 1. de Natiuit. Mariæ, qui sic Latinè circumfertur: *Spiritalis scala, hoc est Virgo, in terra firmata est, (ex terra enim ortum habet) caput autem ipsius ad cælum pertinet. Omnis quippe mulieris caput Pater extitit, vt qui Filium suum, ac prapotens Verbum, tanquam diuinum, ad spiritale semen emiserit. Propensâ quippe Patris voluntate, ac non ex naturali congressu; verum ex Spiritu sancto, & Maria Virgine, modo naturam superante, Verbum sine vlla mutatione caro factum est.* Censeo, quòd notho, & illegitimo stylo Latinè audit Græcus Damascenus: quid enim est illud: *Omnis quippe mulieris caput Pater extitit, vt qui Filium suum, ac præpotens Verbum, tanquam diuinum, ad spiritale semen emiserit?* Hiulca quidem periodus, & absque lepore. Miror in hoc non impegisse scholiastem Damasceni, nec alium, quem viderim. Refecta sunt plura verba à Græca origine, quam si consulas, eximium inuenies acumen. ἐπὶ γῆς ἡ νοητὴ κλίμαξ, ἡ παρθένος ἐστήρικ(ται), ἐκ γῆς γὰρ ἔχει τὴν γένεσιν. ἡ δὲ κεφαλὴ πρὸς τὸν οὐρανόν. πάσης γὰρ γυναικὸς πατὴρ ἐχρημάτισε πνεύματι ἁγίῳ, τὰς συναλλαγὰς ποιησάμενος, καὶ ὥσπερ θεῖον σπέρμα πνευματικὸν τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν καὶ λόγον. τὸν παντοδύναμον ἐξαποστείλας, εὐδοκίᾳ γὰρ ὁ πατρὸς οὐκ ἐκ συνουσίας φυσικῆς, ἀλλ' ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου ὑπὲρ φύσιν ὁ λόγος σὰρξ ἀτρέπτως ἐγένετο. Ad verbum translata sic sonant. Caput autem ipsius ad cælum pertinet. Omnis enim mulieris Pater vacauit, seu alloquutus est cum Spiritu sancto, faciens commutationem, seu conciliationem; & solùm diuinum semen spiritale, nempe Sermonem Filium suum, in quo omnis virtus est, misit. Cætera plana sunt. Duæ voces nimiùm sunt difficiles, scilicet ἐχρημάτισε, & συναλλαγάς. Nam
χρηματίζω propriè significat, rebus constituendis vaco, ius reddo, de summa reipublicæ tracto, vt ex Diodoro, Luciano, & Demosthene probat Budæus, qui etiam putat apud Damascenum *esse* simpliciter significare. Quin pro *vocor* accipitur, vt est apud Paulum ad Rom. 7. Diod. Lucian. Demost. Budæus. Ad Rom. 8. Soph.
Συναλλαγὴ solet verti *commercium*, aut conciliatio. Sophr. ἐν ξυναλλαγῇ λόγου in commercio sermonis, seu in commutandis verbis. Sic librata verba sensum hunc reddent: *Licèt Maria ex terra ortum habuit, caput autem eius in cælo est. Nam qui omnis mulieris est Pater vacans cum Spiritu sancto, reconciliationemque faciens, misit Filium suum, qui diuinum est semen, nam ex Spiritu sancto, & Maria Virgine Verbum caro factum est.* In queis verbis subtile ingenium est. Qualis enim illa ratio ad probandum Mariæ caput in cælis esse, quòd omnis mulieris Pater suum semen diuinum emiserit in Virginem Matrem de Spiritu concipientem? Eximia quidem, & ex Theologiæ arcanis. Sensus est: Qui omnium est Pater benedictus in sæcula, Mariæ non solùm est Pater, sed vir, & maritus; ideò & caput, quia omnis mulieris caput vir est. Vir quidem, quia maritum egit florentissimâ puritate, honestateque virgineâ, dum Verbum suum in vterum Virgineum emisit. Verbum enim Dei, semen spiritale sanctum, & diuinum est, vtpote mentis genus ex intellectu Patris Diuinitate, ad modum speciei, quæ semen solet dici, fœcundato procedens. Et quia totum diuinè peractum est in Maria, ideò ad concilium huius reconciliationis pertractandæ, accitum Spiritum sanctum inducit Damascenus. Ergo Mariæ caput in cælo est.

Idem caput Maria habet, ac Vnigenitus Filius 20.
Dei. Paulus ad Corinth. 11. *Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir; caput verò Christi Deus.* Non parùm confligitur, quo iure, quove sensu Deus dicatur caput Christi, annè iuxta humanam naturam, an iuxta diuinam? Quòd iuxta diuinam naturam Paulus ea verba protulerit, vult Iustinianus nobilis Pauli interpres, ex gemino loco: alter est Ambrosij, Tertulliani alter. *Dignum est* (inquit Ambrosius) *vt Filij caput Pater dicatur, quasi genitor eius; aliter tamen caput viri Christus est, & aliter vir mulieris, & aliter Deus caput Christi est. Deus autem ideò caput Christi est, quia de eo, vel ab eo genitus est: mulieris verò caput idcico vir est, quia ex eius costa, Dei virtute, formata est: Christus autem ideò viri caput est, quia per ipsum, cùm non esset, formatus est.* Apprimè distribuit Ambrosius ex multiplici capitis significatu. Nec reluctari fas est, Deum Patrem posse caput Vnigeniti nuncupari, non dispendio æqualitatis, nec ex Arrianorum petulantia; sed originis, & generationis iure: sic enim Pater fons, radix, alicubique auctor; imò apud Græcos Patres, aliquando causa Filij perhibetur. Quæ phrases eò tantùm tendunt, quòd supero Genitori Vnigeniti generatio fideli confessione adscribatur. Hinc Cyrillus Alexandr. lib. 2. Thes. cap. 3. *Quamuis secundum rationem substantiæ Patris, æqualis, & penitus similis sit; maior*

Ad Cor. 11. Iustin. Ambros.

maior tamen ipso Pater est, qui eum generat; in hoc solummodo, quia ex eo Filius est; & sic principium Filij secundum originem Pater est. Quod si mulieris caput, iuxta Ambrosium, idcircò vir est, quia ex eius costa prodiuit, quod ex nuptiali iure expen-
Hieron. dit Hieronymus, quid dixeris de muliere Virgine, quæ non ex humano marito ædificata est, sed potiùs ex qua vir oriens ex alto, absque viro processit. Equidem fatearis, opus est, eius caput non tam esse virum, quem Apostolus mulieri præscribit; sed caput, quod arrogat Christo, licèt ex dispari ratione, nempe Deum Patrem, à quo & singulari electione progenita est, & stabili vinculo ducta in connubium.

21. Annè Mariæ caput vir eius fuit, videlicet Ioseph, cui maritali fœdere deuinctam, pluribus infrà conficiemus? Equidem non reluctor in sponso mariti ius in Virginem viguisse: illud à natura, non à piaculi supplicio placidum moderamen, quod viri nobilitas in portionem suam, ex latere dolatam, obtinuit; cui pacatâ, non reluctante subiectione, ipsa se fœmina, etiamsi alberet innocentiâ pristinâ, manciparet. Sic capio quotquot Ioseph Virginei iuris lora dant. Nec etenim fas esse iudico, seruiturem illam, virique dominij censuram, quam pœna mulieri præuaricanti indixit, in Virginem exarsisse: cùm *non sustineret iustitia*, an-
Cyprian. nuente Cypriano, *vt illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quod plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa.* Ergo vir, mulieris caput est, post mulctatam cum sæculi docte fœminam: quatenus ex primo piaculo, è rationis clauo se substraxit, & subiectionis gubernacula excussit. Quare indictum est, vt à quo impleretur ad sobolem propagandam, dedititiâ seruitute frænaretur: & dum illi vterum ministrat ad prolem, non iam caput super humeros censeretur habere, sed solùm ea corporis membra, quæ & gignendis fœtibus, baiulandis, & nutriendis opus erant. Hinc Apostolum velim expendere: *Caput autem mulieris vir.* Curnè mulieris? Quia mulieris vox fœtum concernit, partumque non incongruo stylo prospectat, matremvè, siue vteri feracem adsignificat: de quo pluribus infrà. Suspice, à quo Maria impleta est; cuius amplexu sobolem generauit: hic illi caput erit. Si Virgo cum partu est; & virilem nesciuisse conuentionem oportet, & ob partum nuncupari mulierem. Quòd si partus Deus est; Deus, eius vir fuit; qui & mulierem effecit obumbrante virtute, & Virginem absque exteri
August. viri contagione seruauit. Augustinus lib. de fide contra Manich. *Maria non incongruè propter partum dicitur mulier, Virgo verò, quòd virilem nescierit conuentionem, nec pariendo virginitas eius corrupta sit.* Infrà libræ dabimus Augustinum. Strenuus pro nobis est. Si etenim omnis mulieris caput, vir est, quà mulier significat maritatam; &
August. Maria ob partum mulier effecta est apud Augustinum: perscrutare, à quo partum fuerit aucupata, ipsumque nuncupa virum, & caput Mariæ. Si Pater grauidauit, Pater caput est. Succinit pro cogitatu August. tom. 9. de Assumpt. Virg. capite 4. *Ærumnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransiuit: sed conceptus non multiplicauit, nec sub viri, id est, mariti potestate deguit: quæ integerrimis visceribus, de Spiritu sancto Christum suscepit, & virginitatis integritate manente Virgo permansit.* Vt quid à mariti potestate denudat? Quia virgineo sinu è Superis sobolem hausit?

Quasi viri potestas in vuluæ functionibus sita sit, in thalamique commercio; & quæ virum non nouit, à mulieris probro longiori it: nec illi caput ab humeris deest, quæ viscera non communicat viro: caput habet, quæ vt fœtum edat, commilitone non eget: integra debet esse in capite, non mutila: quæ & integra in vtero est, & non sterilis. Idem est & non cognouisse virum, & non cognouisse caput. Huc aduoco Rupertum, lib. 3. Rupert.
in Cantic. ad illa verba: *Et in vno crine colli tui*, quod in Virgine sic versat: *Iste est crinis colli, humilis cogitatus mulieris caput non habentis, id est, virum, neque habentis, neque habere volentis. Nam caput mulieris vir. Tu capite isto te indignam iudicasti; tu viro, & omni sæculo te indignam existimasti.* Benè suffragatur. Quæ viri pepulit sensum, sub capitis censu non sustinet supputari. Lego in Isidoro de Isolanis 1. part. cap. 16. sic de Iosepho: Isid. de Isol.
Ipse enim sua promeruit iustitia, vt Virgini Beatæ in arca Noë præfiguratæ sponsus, & caput esse meruerit. Sed audi. Vix nuncupauit caput, cùm non capitis, sed manuum functiones adscribit. Pergit: *Ipse eandem gremio gestantem Verbum Dei incarnatum, humanæ signum reconciliationis cùm Deo, obsequio sancto manuum suarum prosequutus est.* Qui nuper adstruxerat caput, quod dominantis nobilitatis organum est, iam deditiriæ seruitutis deputat obsequiis, & à capite ad manus continuâ desilit successione: vt noueris caput Virginis fuisse Ioseph, non in Virginis iugum, sed in officium; non in maiestatis trabeam, sed in præcinctum & obsequentis amictum: vt & nutritium ageret, & suæ Virgini deferret obsequia; vtpote quæ (quod ingeniosè tetigit Isidorus) gremio Verbum gestabat Diuinum, quod vt conciperet, Mariæ vterus quasi caput fuit: in capite enim virgineè, & spiritale intellectus verbum concipitur, & per linguam, quæ in capite est, corporeè dispensatur ad aurem.

Quæ concipit desponsata, cur de conceptu non 22.
instruitur à marito, è cuius capite in fœminam disciplina descendit: cuius ideò in Ecclesia lingua irretitur, quia domi virum habet, à quo documenta capessat? ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesiis ta-* Corinth. 14.
ceant: si quid autem volunt addiscere, domi viros suos interrogent. Cur igitur de cœlo sublabitur Angelus, coniugis magisterium vsurpans, vt instruat de sobole, quam iugali fœdere nouerat illigatam? Quia Mariæ caput Deus Pater erat, qui per Angelum instruit; nec viri potestas hoc sibi poterat munus reputare, qui virginei vteri arcebatur ab vsu; nec illi ius, cui nec virtus. E superis imbuitur Virgo in animo, & ventre. Verbum, quod grauidat vuluam, instruit mentem: vtraque portio Virginea est; non patet marito. Caput, vbi mens; gremium, vbi vulua; parili functione congaudent: vtrobique Virgineum dispensatur commercium: qui vteri dominus; & capitis est. Non in hoc vir illi caput: vnde nec instruit mentem, nec imbuit vterum. Probè sanctus Thom. 3. part. qu. 30. art. 2. ad 2. ex D. Thom.
Augustino mutuans: *Nec sub viri, id est, mariti potestate fuit, quæ integerrimis visceribus, de Spiritu sancto Christum suscepit: & ideò non debuit mediante viro instrui de mysterio Incarnationis, sed mediante Angelo. Propter quod etiam ipsa est priùs instructa ante conceptum; Ioseph autem post eius conceptum.* Ergo quia gloria filiæ Regis ab intus, Psalm. 44.
habuit ab vtero maritali non subiici supercilio: non quia frontem humilis Virguncula erexerit, virique

vtrique renueiit rationabile ferre obſequium, in quibus rerum, quæ ad vterum pertinebant, cauſa noo agebatur; ſiquidem in quem nuptialia iura non graſſabantur. Quibus lua affulget Nyſſeno in die oatal. Dom. vbi agens de Sacerdotibus, quid de Virgioe agerent, conſultantibus, ſic ſubdit. *Etenim natura legi illam ſubiicere, vt cupiam in matrimonio collocata ſeruaret, abſurdiſſimum videbatur. Inſtar enim ſacrilegij fuiſſet, ſi muneri Deo ſacrati Dominus homo fieret. Legibus enim erat conſtitutum, vt maritus dominaretur vxori.* Ergò nuptias inficiatur Nyſſenus, ne viro ſuppeditat, quam virgineæ libertatis nobilitas illuſtrabat; Imò accuratè domioium ablegat maritale, quod noptiarum fœnus eſt, non nuptias; & quia dominium illud in thalami poſt ſſione fundatur: in cuius pruneoris illecebræ, quæ à primo piaculo exaſit, vindictam, huius dominij ſupplicium deſæuit. Alias quòd, vt dominum, coluerit ſponſum humillima Virgo, diait Archiepiſcopus Ca-Capitefont. libr. de virginit agens de Ioſeph: *Siquidem ei Filius Dei ſubditus ſunt, & eum Mater*
Arch.Capit. *Dei tenerrimè dilexit, vt ſponſum agnouerit, & vt Dominum coluerit.*

23. Ioann.19. Ergo Mariæ caput Deus Pater eſt. Io patibulo, morte iam appetente, Matrem ſub voce mulieris compellat Dominus: *Mulier, ecce Filius tuus.* Annè pertæſos tormentorum rabiem, furentemque dolorum tempeſtatem, io hæc tetrica, & acida verba prorupit, nolens Matris vocabulo labra dulcorare, ſed mulieris communi voce pungere dolorem? Abſit. Imò quia eodem ore, *Pa-*
Luc.23. *tris* vocem efformare parabat: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*: ideò mulierem dixit, vt forſan præſignaret à Patre mulierem effectam eſſe, qui ei contulit Vnigenitum, & ea Virgine Virginem Matrem conſtituit, miraculo Dei generationis. Inde ex voce mulieris maior Mariæ beatitudo: ſi etenim beatitas, & vita æterna eſt, vt te cognoſcant Deum, Patrem, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum; ex hac virginea muliere, quæ ideò mulier, quia Mater eſt, Deus Pater agnoſcitur, Filiuſque, quem genuit. Adſit Gaudentius
Ioann.17. Gaudent. ſerm. 9. *Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim; cùm illam Chriſtus mulierem nuncupauerit, quæ & diuino partu ſic cœpit eſſe Mater, vt Virgo ſacratior permaneret.* Nimiùm venuſtè. Nonnè vides, in *Mulieris* vocabulo Gaudentium pangere Mariæ beatitudinem? Nou ob aliam cauſam, reor, niſi quia in Maria *Mulieris* uxor ſuſpicit partum, fœtumque diuinum quem è Patre ſuperno, Virginis vim, hauſit illibatè. Sic Patris voci attexuit Chriſtus Dominus, iamiam ſpiritum agēs, Mulieris nomenclaturam, connubiumque vtriuſ-
Ioan.19.30. que Parentis texexit. *Inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Curnè caput decline vergit; cùm Diuinitatis ſignum eſſet luculentius, ſtantem mori, erectoque vertice, mortis ſibi obſequium accire? Inclinauit quidem caput, quia caput Chriſti Deus, cuius, quia proferebat nomen apud Lucam, eodem ſtylo vterque Euangeliſta deceſſiſſe deſcribere, cenſendus eſt: idem enim fuit, *Inclinato capite tra-*
Luc.23. *didit ſpiritum*, In Ioanne, quod in Luca, *Pater, in manus tuas, commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens expirauit.* Non diſcordat vtrumque: nam inclinare caput, indicium originis à Patre fuit; Patremque conclamare, perſpicuum ſignum æternæ filiationis. Inclinauit caput ad vocem Patris, non ad vocem Dei. Cur ita? Quia non minor Patre eſt, quà Deus; ſed minorem ſe dicit Patre, quà Pater eſt: non quia minor, & inferior; ſed quia de Patre eſt: in quo perbellè æqualitatem maieſtatis, & diſcrimen originis prænotauit. Ingenium eſt Gregorij Bœtici lib. de Trinit. *Etſi ergo, quà Deus,* Greg.Boet. *æqualis eſt Filius; tamen, quà Filius, minor dicitur Patre, id eſt, quà Filius, de Patre ſit; & ideò non dixit: Deus maior me eſt; ſed Pater maior me eſt.* Ideò inclinauiſſe caput, Patrem indicauiſſe fuit. Si ſubtus cruce Mater erat, ibique caput vergit; ex inclinatione capitis, & vocabulo Mulieris edocuiſſe, pronum eſt agnoſcamus, quòd Mariæ caput Pater ſit, vtpote cuius vir; Mulieremque reddidit ex ſacra generatione.

Quòd ſi caput hoc inficieris, abſque capite Virginem Matrem eſſe conaberis. Ea enim proui- 24.
dentiæ ars fuit, quòd io inſtauratione rationalis creaturæ vir è fœmina formaretur, non iam ex viri latere fœmina, quæ potiùs latus viri, thalamumque exornaret, & tenuit. *Quomodò fiet iſtud, quo-* Luc.1.
niam virum non cognoſco? reſpondet Virgo, quæ Mater enuntiatur. Nonne ea noſſe Adami ædificium es? Cur n vitum, cuius es coſta; ob quem & virago diceris, quia à viro ſumpta? Tea loquitur vt fœmina lydereus legatus; ob virum fœmina eſt, cui debuit ſtructuræ materiem. Imò quia fœmina ex viro fuit, ſe virum illum non cognouiſſe fatur, vt munus viri rependat, & gratitudinis ergò; ſicut vir dedit fœminam abſque fœmina, fœmina det virum abſque viro. Nouum Adamum audiſti Chriſtum, nouam Euam Mariam; ſed vbique diſſimilitudinem potiùs agnoſcebam, cùm iuuerſum proſpectarem vtriuſque munus: nam Chriſtus ex Maria, & prima fœmina ex Adamo. Sed reddit vices remuneratorio cenſu Virgo Mater; molimen primæ coſtæ ſoluit cum vtero, beneficiumque fœminæ luit germinans virum, abſque viri conſortio. Noua geneſis inuerſis incipit elementis: ad primas literas in ſyllabas virum irrepſit. Mutatur tranſpoſitæ literæ. Vir eſt à fœmina, & reparat; ſi fœmina è viro deſtruxit. Si vir nunquam ſine gratia præceſſerat, quando ea illo ſopiato fœmina euulſa eſt; eum nunquam ſine gratia fœmina, quando vir oritur ex illa. Iam aduoco Cyrillum Hieroſol. catecheſ. 12. Cyrill Hieroſ.
Mutuata eſt à viris fœmineo generi gratia. Eua enim ex viro nata eſt, & non ex matre concepta; ſed ex ſolo viro tanquam partu edita. Reddidit igitur Maria gratia huius mutuum officium, & non ex viro, ſed ex ſeipſa impollutè ex Spiritu ſancto, virtuteque Dei peperit. In quo loco duo nobis exhibet Cyrillus; & quòd Maria rependerit pro munere viri, virum concipiens; quare alium virum cognoſcere nequiuit, niſi è cuius virtute concepit: & vlteriùs, nunquam aliquo peccato fuiſſe defœdatam, neque ab originaria inquinatam labe, ne fœlicior fuiſſet prima fœmina in generoſæ nobilitatis ſorte, quam oouus vir. Eua etenim decerpta eſt ex viro, nondum à gratia depopulato, & extorri: ſi autem à fœmina, cuius initium ignobilis tenebra fuiſſet, vir nouus ædificaretur, non æquà lance priſtinum lueret fœminæ beneficium: ſiquidem vir oriens non ab vndequaque nobili, generoſàque virgine ſtrueretur, vtpote quæ vectigal dæmoni ſoluiſſet, venenoque colubri in initio conceptionis contabuiſſet ſuffuſa.

Succedat decantatus ille Ezechielis locus cap. 25.
44. verſ. 2. *Porta hæc clauſa erit: non aperietur,* Ezec.44.2.
& vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus

Deus Israël ingressus est per eam: eritque clausa Principi. Quod vaticinium Virginis nostræ fuisse, omnis Patrum, & Interpretum fasio fert: superuacuum est syllabum texere. Helychios hom. t. de laudib. Virg. Ambr. lib de instit. Virginit. cap. 7. Galat. 7. de arcan. fidei cap. 14. Cyprian. in exposit. Symb. compluresque alij. Quid est, quòd viro denegetur accessus, & quasi sceuero obsignetur sigillo, constantibusque vectibus feretur, ne viri patescat commercio, vestigiaque præsentiat, oculosque respicientes recipiat: Nonnè obseruauisti: *Et vir non transibit per eam?* Cur non & homo? Cur non & creatura? Si viri nomen coniugem adsignificat: quid commune coniugi cum porta, cui aditus intercluditur, ab adytisque abigitur, vt procul absistat; nec limen temere vestigiis inhonoris? Sanè si porta hæc, Maria est, scitè sedulus conatus inducitur Domini Dei Israël, quasi zelotypia teuri, ne viri functiones sibi vir extraneus abripiat: amouet virum, nam ipsemet Deus virum agit. clausàque portâ subintrans, virgineo thalamo cubat, vt genitum filium sub virginitatis gignat pudore. Ioseph vir Mariæ est; sed quia virginea porta omnem viri pulsum repellit, virum non cognoscit. Sic explicat August. serm. 14. de natal. Domini: *Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quòd Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et quid est, quòd Deus solus intrat, & egreditur per eam, nisi quia Spiritus sanctus impregnauit eam?* Quod de Spiritu sancto dicit Augostinos, id ipsum de diuino Genitore subcenseas, qui per diuinum flamen, igneamque virtutem in Virginis vtero Filium suum in carne est operatus. In quo adhuc non te prætereat pro Mariani pudoris xeueritate à obseruatio. Non arcetur ab huius portæ ingressu, nisi vir, aoc maritus, qui Ioseph est apud Augustinum: quia nec cogitari poterat, putuisse extraneum aliquem cum hac porta tentare commercium. Imò etiamsi non *vir*, sed *homo* scriptum fuisset, vt legit Augustinus, solùm de Ioseph intelligi valeret.

Hesych. Ambros. Galat. Cypr.

August.

26. Arabic. Hæc lepide fulciuntur, si Arabici versionem consulas: *Hæc porta erit clausa, & non aperietur, & non ingredietur per illam quisquam, nisi Dominus Deus Israël ingreditur per eam, & egredietur ex illa. Clausa ipsius annulo.* Preme ista: *Clausa ipsius annulo.* De anoulo signatorio, quo nimirùm obserata sigillabantur, plena literatura est. Sed quia porta hæc clausa præscribitur, eâ indictione, quòd vir non transeat per eam, maritaliaque sequestrantur officia, quod statim subditur: *Clausa ipsius annulo*; in animum mihi inducit peruenustam antithesim esse; ac si diceret: Nullus alius est huius portæ vir, nisi Dominus Deus Israël, qui annulo suo subarrhauit, dumque se virum dedit, seu maritum, digitum annulo complicuit. Quòd enim annulus stabile pignus sit nuptiarum, à sponsoque sponsæ præstari consueuerit; id experimento est, quòd etiam Pontificio iore ea desponsata præsumitur, vel nopta, quæ annulos io digitis defert. Sic sanciuit Alexander III. Pontifex Summus in c. *Illud* extra, de præsumpt. Quin & apud Terent. in Hecyra act. 5. scen. 3. ex anoulo nuptiæ contractæ cum Philumela probantur. Si autem sciscitaris, cur annulus digitum sponsæ circumdabat, censeo, id ideò, vt non solùm corpus sponsæ, sed etiam cor, & animus intelligatur maritatus, toriquæ singularitati deuinctus, ne adulterino diuexetur affectu, à nuptialique explicetur nexu; sed iugi sodalitio cum corpore in coniugis transeat arbitrium. Id vt probem, sat sit consulere Macrobium lib. 7. cap. 13. Aulum Gelium lib. 10. cap. 10. nam alter ex Disario, alter ex Appione scribit, annulum in digito, qui minimo vicinus est, in læua gestari, ex eo quòd neruus de corda expenditur, illùcque tendit, deciditque: quare priscis visum fuit, quòd ille digitus annulo, tanquam coronâ circundetur. Quæ si ad sponsalitium ritum transferas, facilè causam coniectabis: corona enim, nuptiarum symbolum est. Vt ergo cor etiam nuptui traditum præsignetur, castitatisque iugalis depuretur affectus; ideò cordis digitus nuptiali symbolo, id est, coronâ redimitur. En igitur cur Maria perhibeatur clausa annulo Domini Dei Israël; quippe ipse vir eius est, alteriusque viri arcet contubernium. Quare ab huius annuli signaculo, vel despicio, vel Patres in hoc vnum conspirarūt, quòd virginei pudoris signaculum canantin Maria, ex hac obsignatione portæ orientalis, per quam vir oriens ex alto prædicitur ingressurus. Augustinus serm. 2. de natiuit. *Tanquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adiecit: Quia Dominus transibit per eam. Porta clausa, id est, signacul. in pudoris.* Ambros. lib. de instit. Virgin. cap. 8. *Porta clausa virginitas est, & hortus clausus virginitas, & fons signatus virginitas.* Signaculum hoc ab annulo signatorio Dei Patris dixerim inaratum, pulchro respectu ad duo munia, scilicet & vt per annuli circumductis aureum carcerem, fœdus nuptiarum inter Deum, & Mariam pangeretur; & vt ab obsignata virginitatis annolo portâ, omnis viri arceretur impulsus.

Alexand. Terent.

Macrob. Gelius.

August.

Ambros.

Potestas viri, quæ mulieri supplicium, Mariæ Patris nuptæ gloriosior Nobilitas est.

SECTIO III.

VNicvs ergo Mariæ vir, & caput Deus Pater est: & quoniam Maria collum Ecclesiæ dicitur, huic collo se Altissimi vertex, caputque annectit, vt in carne voa vterque Parens subsistere videatur ad indiuiduam prolé generandam; cùm tamen Pater æternus nunquã carnem gestauerit, sed corporis expers sit. Quàm faustum Mariæ auspicium, cui superum caput contigit, adeò stabili constantia super sactos humeros insidens, vt nunquam truncum, Marianum corpus fuerit ab hoc capite dissociatum. Quare ex maritali dominio noo capitis minutio virgineam decollauit eminentiam; sed potiùs vsque ad supremum soliú exaltauit, virgineaq; subcreuit potestas sub viri Dei dominio constituta. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Sæpè admonui in Altissimi virtute supernum adumbrari Genitorem, qui Altissimus nũcupatur; vtpote qui arduum incolit cacumen, in quo Deitatis fons emanat. Quid est, quòd Patrem obumbraturum nuntius pollicetur? Equidem quòd maritum aget, pallium extendet, obteget virgineæ coniugis caput, superinductoq; amiculo redimiet. Id iamannotarunt alij ex nuptiarum ritu, accitis bonæ literaturæ Auctoribus. Nos alienas segetes demetere non cupientes, fatemur, scitè morem illum flammei & vmbraculi, quo sponsa 47.

Luc. 1.

ſponſa tegitur, dum nubit, ad virtutem obumbrantem noſtram Virginem impunè acceſſiti; licèt nunquam adhuc hoc munus maritandi ſibi Virginem ſub velaminis huius obumbratione, Patri diuino legerim à Neotericis irrogatum: id Spiritui ſancto deferunt, à quo Virginem grauidatam iure conclamant. Aſt & diuino Patri hoc munus adſcribi, ſparſim in hoc opere ex Patrum teſtimoniis conteſtamur.

28. Ergo quia Pater ſuperus virum agit, ideò vmbraculum ſpargit in Virginem. Qualenè? Poteſtatem, virique dominium, quod nupta ſubacta viro experitur. Ne enim vxorata ſubrigat caput, collumque excutiat, iugalibus mariti oneribus inobediens; ideò pondere velaminis in capite grauatur, vt quaſi retinaculo ſuperbiæ, ſarcinâque poteſtatis caput vergat, & inclinet, maritique veſtigiis, defixis obtutibus, intendat. Id à primordio mulieri indictum, Geneſ. 3. *Sub viri poteſtate erit, & ipſe dominabitur tui.* Quidni ſub viri poteſtate? Imò adeò hæc poteſtas in caput fæminæ ob Domini ſententiam exarſit, vt, ne aliquo ſpatio à fœmineo capite diſtaret, ne aliquod interiaceret medium, ſed velox vbique imperium, velocior obedientia ſub vno ſitu illigarentur; ipſamet poteſtas viri ſuper caput vxoris iam non in viro reſidere cenſeatur, ſed in ipſomet fœminæ capite inſidere, & pro velamine ineſſe, ne vlla ſegnities, intercapedove inter iubentis præceptum, & obedientis opus intercedat. Iam calleo Paulum ad Corinth. 11. verſ. 10. *Ideò debet mulier poteſtatem habere ſupra caput.* Ergonè in fœmina poteſtas? Non poteſtas fœminæ, ſed viri; non ſuper caput, ſed ſuprà; quaſi amiculum, & flammeum virili poteſtati ſubiectionis indicium in poteſtatem ipſam tráſierit, & mulieris caput ſubegerit, veluti ſuperinducto onere grauans in ſubiectionis inſigne. Hinc Tertullianus lib. de coron. milit. cap. 14. *Porrò & quod obnoxium eſt velamento caput fœminæ iam hoc ipſo occupatum, non vacat etiam obligamento. Habet humilitatis ſuæ ſarcinam.* Meliùs Theodoretus apud Iuſtinian. *Tegumentum poteſtatem vocauit pro eo, quod eſt, oſtendat ſubiectionem, ſeipſam contrahens.* Quæ verba ſic accipio. A pondere velaminis ſe demittat, contrahatque, velutque curtetur, ſeipſam non ſolùm ſubiectam, ſed ipſam ſubiectionem eſſe oſtendens. Itaque velamen in capite vxoris fæmineum caput obnubit, ne aliud caput oculis proſpectantium obiiciat, niſi viri ſui. Quare non inſuauiter crediderim vxoris velamen poteſtatem vocari à Paulo, impoſitam ſuper caput fœminæ, quòd illa poteſtas caput viri indicet, corpori vxoris affibulatum, propriumque fœminæ caput quaſi abſcondat, & amputet, & ob capitis diminutionem, ancillantiſque ſtatus indicium, caput ipſius viri ſubroget & ſubnectat.

Gen. 3.

Ad Corint. 11.

Tertull.

Theod.

29. Quid hinc ad Mariam, quæ Patri ſuperno vxorata, non ſectionem capitis paſſa eſt; ſed incrementum. Virtus Altiſſimi obumbrat Virgini. Annè in vmbraculo hoc, ſupernoque velamine poteſtas Altiſſimi ſupra caput dilectæ coniugis eſt? Eſt quidem, vt in caput Patris Virgo pertranſeat, ſibique agglutinet, eiuſque maritalis poteſtas pro Mariæ capite ſit. Adgaudeo inueniſſe patronos huic cogitatui. S. Aldhelmus in carm. de laudibus virginit. Gabriêlis nuntium metro vincit:

Aldhel.

Spiritus è cœlo veniet ſanctiſſimus in te,
Virtus ecce tuo confert vmbracula cordi.
Patris obumbrabit te, Virgo, celſa poteſtas:
Quo dicto, Matris turgeſcunt viſcera fœtu.

Zerda, Maria effigies.

En Patris POTESTAS pro vmbraculo, & flammeo Virginis: cùm enim mulier, apud Paulum, poteſtatem habere ſupra caput debeat, vt indicet ſub viro eſſe; ritum hunc noluit deſerere ſupernus Pater, ſed poteſtatem pro vmbraculo in virgineum verticem iniecit, vt nuptam ſibi nuncuparet Mariam, ſtatimque ſacto fœtu viſcera turgerent.

Sed quomodò puella tenera, maſculoque deſtituta vigore, & creaturæ more extenuata, immenſam ſupra caput ſuſtinere potuerit poteſtatem, quæ illicò conſterneret, & labefactaret giganteam molem, caputque lapideum. Demirare prærogatiuam maieſtatis. Vt in diuinæ poteſtatis contubernium Maria alliciatur, omnis ſuper caput eius poteſtas incumbit; quaſi ſimilis ſit maieſtas, ſiquidem vtrique parenti vnus & idem Filius eſt. Quia poteſtas hæc maritale indicat officium, fœcundaſque viri functiones, ideò ſuper caput Virginis ad Filium Dei generandum inficitur, vt cæleſtem Genitorem virum eſſe Mariæ oſtendat. Et quia Filius Dei, qui in eius vtero generandus eſt, ab intellectu Patris procedit, per cognitionemque gignitur: ideò poteſtas hæc veluti velamen in Mariæ capite ponitur; in capite enim ſitus intellectus collocatur. Ne ergo à ratione Verbi Filius Virginis deſciſcat, vtpote virgineè conceptus, quaſi à cognitione iterum procedere præſignatur, dum ſuper caput Mariæ poteſtas Patris inſidere deſcribitur. Verùm ne à pondere ſuccumbat Virgo, ne ab ignito onere abſumatur; ideò poteſtas illa ſub vmbræ temperaturâ tenuatur, quæ, dum teporem, fomentaque tribuat, refrigerium inſpiret. Aduoco Carthuſianum in Euangel. Luc. c. 1. art. 2. *Et virtus Altiſſimi, hoc eſt, omnipotens Deus Pater obumbrabit tibi, id eſt, ſuam poteſtatem immenſam tuæ capacitati contemperabit, vt eius influentiam ferre queas. Itaque non ſecundùm plenitudinem ſuæ claritatis immenſam tibi irradiabit; ſed velut vmbram ſuæ reſplendentiæ cauſans in te, effectum ſuæ poteſtatis exercebit in te, proportionabiliter ad tuam decliuitatem, faciendo in te immediatè per ſe quod in aliis efficit per viri cauſalitatem, ſeu formatiuam virtutem.* Quid eminentius, & venuſtius potuit cogitari? En Pater æternus virum agit Mariæ, quam ſibi locauit in coniugem: *Faciendo*, inquit, *in te immediatè per ſe, quod in aliis efficit per viri cauſalitatem, ſeu formatiuam virtutem.* Virum abſcedere iubet poteſtas Patris, flammeumque abſiſtere, ab vllius creaturæ textorio radio plicatum; ſemet, vt vmbraculo, contegit Mariam, ſibi maritans, vt prolem in eius vtero agat, quam in ſplendoribus ſanctorum non agit, ſed gignit. Ne autem à toto poteſtatis Oceano puella publica abſorbeatur, luciſque à pelago deuoretur, ſtagnans pondus, pontumque remittit, & extenuat, in vmbramque redigit, quæ & ſuam reſplendentiam, reuibrata luce manifeſtet, & iuxta Mariæ decliuitatem effectum ſuæ poteſtatis exerceat. Vult dicere, quòd ſicut vir vxori ſuæ conformatur, temperatque aliquando granditatem, vt poſſit cum coniuge in vnum corpus nuptiali vinculo compaginari; ſic Altiſſimus poteſtatem remiſit, vt virgineo in capite inſideret modulata, & remiſſa. Ideò pulchrè *exercebit*, ait, *in te proportionabiliter ad tuam decliuitatem*: id iuxta metaphoram vmbræ, quæ per cliuum montis ſolet ſe ſubducere, quaſi à lucis pondere per collis præcipitium conſtrata: quæ & lucis temperat ardorem, & eius indicat in cacumine abundantiam.

Carth.

niue candidiùs Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quia quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & iustitia: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. En candor lucis Virginem præoccupauit, ne à communi nigrore fuscaretur. Candorem hunc eius Natalitij festo concelebrat Pater supernus. Nam in die natali ob faustum auspicium albas vestes induere solitos esse veteres, non nimio oleo euincere possemus.
Horat. Tibul. Horat. lib. 2. sat. 2. Tibullus lib. 1.

At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper, candidiorque veni.

Quòd si candidatio Virginis in conceptione ex Spiritus sancti muneribus apud Hieronymum respersa fuit, à quo vnguenta charismatum fluunt; sic in natalitio celebrando vnguentata cuncta destillabant. Tibullius lib. 2. eleg. 2.

Idem. *Illius è puro destillent tempora nardo,*
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Quòd etiam fragrantibus sertis coronarentur capita, cecinit Ouid. 5. Trist. eleg. 13.

Ouid. *Fumida cingatur florentibus ara coronis?*
Micaque solemni thuris in igne sonet?

6. En igitur mirâ concinnitate, eisdem ornamentis, quibus geniales dies instruuntur, sponsaliaque concrepant gaudia, natalis dies excolitur: vt quando de Libano accitur Sponsa, ad tempora coronis cingenda, nobilis habitudo fiat ad conceptionis diem, in quo triumphum egit de Dæmone, cœlestique Genitori in Sponsam nuncupata est. Et quia coniugium hoc stabile, & fixum, nullo vnquam iurgio dimotum, nullâ obiurgatione turpatum, ideò in dies geminantur coronæ, in indicium venustum, & nobile, quòd semper vireant celebrati hymenæi. Placet nota
Delrius. Delrij, qui censuit, quòd quia adhuc durat ardor coniugalis, ideò amatorium munus, corollas pollicetur, etiamsi iam nuptiarum solemnia fuissent celebrata. Probat ex Ouidio:

Ouid. *Quin etiam turdoque licet, missaque coronâ*
Te memorem Dominæ testificare tuæ.

7. Quæ quidem illum mihi cogitatum ingerunt, hanc corollarum repetitionem dicti c. Cantic. 4. manifestare genus illud matrimonij intercessisse inter Patrem summum, & Mariam, quod ex sua natura permanens, perpetuumque est, & quod dirimi non præualet. Scitum est tribus modis nuptias celebrari solitas, de quibus Arnobius
Arnob. lib. 4. *Vxores dij habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt antè quæsitis: vsu, farre, coemptione, genialis lectuli sacramenta condicunt.* De qua diuisione adest Oseas cap. 3. vers. 2.
Ose. 3. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, coro hordei, & dimidio coro hordei:* nam, vt adnotat Pi-
Pineda. neda in præuio Salomone lib. 5. cap. 2. num. 5. ibi farreatio est, siquidem far adhibitum; & coëmptio, siquidem argentei. Res satis in vtraque literatura in comperto est, extantque plura apud Sacra initi connubij per coëmptionem indicia
Gen. 34. & 39. 2. Reg. 3. 1. Reg. 18. 2. Reg. 12. Genes. 34. & 39. 2. Reg. 3. 1. Reg. 18. 2. Reg. 12. & alia id genus. Vnum admoneo, nuptias per coëmptionem contractas stabiles fuisse absque diremptionis spe.
Cicero. Cicero in Anton. *In matrimonio stabili & certo collocaui:* de quo solet accipi Virgi-
Virgil. lianum illud 2. Æneid.

Coniugio iungam stabili, propriamque dicabo.

Alia autem duo genera obnoxia erant diremptioni: vnde diffarreatio apud Festum est dissolutio matrimonij contracti per confarreationem.

Quorsum hæc? Vt noueris, coniugium Virginis Matris cum virgine Patre perpetuum esse, vtpote per emptionem contractum. 8.
Adest decantatus ille locus: *Dominus possedit me in initio viarum suarum:* in quo benè vidit Salazarius Hebraicè pro possedit esse כרה, *Karah*, idem ipsum quod aud Oseam est suprà verbo *fodi.* Prou. Salaz.
Igitur si in initio sic Pater Deus Virginem suam emit, stabile peragit connubium: ideò, dum cœlos ingreditur Sponsa, iterum repetit coronaria serta, æternum, & duraturum coniugium manifestans. In quo adhuc est, quod obserues. Idem locus, qui subseruit ad agnoscendam Mariam Filiam esse Patris, vtpote quam ex Patria potestate in initio viarum suarum possedit; aptissimè conducit, vt ostendatur, Sponsam illico Patris fuisse, quæ sic empta dignoscitur, & possessa. In quo obseruo, nullâ venustiori phrasi, & ex antiquitatis penu depromptâ potuisse declarari Mariam vtroque nexu Patri Diuino esse deuinctam, scilicet & Filiæ, & Sponsæ: nam in nuptijs, quæ per emptionem fiebant, viri ipsi patres constituebantur sponsarum, quæ filiarum locum tenebant. Totam rem addiscas ex Boëtio in Topic. qui tandem ait. *Itaque mulier in viri conueniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coëmptionem, & erat mulier materfamilias viro loco filiæ.* Boët.
Eadem habet Seruius: *Coëmptione verò, atque in manum conuentione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; vt si quis prior fuisset defunctus, locum hæreditatis iustum alteri faceret:* Vide, quantùm assonent ista sacro huic connubio, stabili, & inconcusso Virginis Matris, simulque Filiæ cum Patre superno. Emere autem vxores solebant viri à parentibus. Xenophon: Xenoph.
ὠνοῦνται γυναῖκας παρὰ τῶν γονέων χρημάτων μεγάλων. *Emunt vxores à parentibus pretio magno.* Et alibi: καὶ ἄν σοι ἔστι θυγάτηρ, ὠνήσομαι Θρᾳκίῳ νόμῳ. *Et si vlla est tibi filia, cum Thracia lege emam.* Quòd autem sic quasi empta fuerit Virgo nostra nonnè suadet, quòd in ipso generationis momento in Sponsam accitur, & ab Amana coronatur?

Quibus mirè applaudunt illa Vatis: *Audi Filia, & Vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum, & domum Patris tui.* 9. Psalm.
Quòd enim id in generationis instanti conclamatum, iam alij dederunt ex Leone Imperatore orat. de Incarnat. *Cùm adhuc in lumbis esses, progenitor tuus clamat: Audi filia, &c.* Leo Imp.
Ideò, me iudice, inclinare aurem dicitur, & præmonetur, quia emptitia Sponsa est; sicque quasi perforatur auris, quod proprium emptitij mancipij fuit. Ab aure incisâ, & fodicatâ, & quòd audiat, præmonetur, & simul quòd per coëmptionem subeat connubium: nam in illis verbis Christi Domini, *Aures autem perforasti mihi,* vtrumque innuitur, scilicet & quod formam serui accipit, & quòd illicò vocem Dei audit: siquidem Psalm. 39.
attexitur: *Tunc dixi: Ecce venio.* Audit Maria, cùm gignitur; ne, sicut primigenius, post contractum piaculum vocem Domini audiat, quasi qui anteà non audierit, qui sic obturauit aures suas, vafri serpentis imitator, & cultor. Audit Maria, quia Patri Diuino per aurem maritatur: cùm etenim in id muneris vxoretur, quòd Verbum Dei in vtero gignat, probè ad prima sponsalia inclinare aurem edocetur. Quare Richard. de S. Laurentio lib. 4. *In conceptione Filij misit dilectus* Richard. à S. Laurent.

dilectus eius, id est, Deus Pater, manum suam, id est, Filium, in eam per foramen auris suæ.

10. Iterum: inclinauit autem Maria, dum adhuc vix in vulua coagmentabatur, ne colubri malignam auscultaret vocem, & aurium foramine in mancipium emeretur à dæmone: imò illicò per coëmptionem in Diuini Genitoris sacra, & ius traducta, eius domum nuptiali iure sequuta est. Hunc puto sensum nimis lepidum illorum verborum, *Inclina aurem tuam.* Ex quo illustratur

Oseæ 3. 2. non modicâ luce præfixus Oseæ locus: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis.* Dubitatum est à litteratissimis viris, quid sit, quòd Vulgata nostra verbo *fodio* vsa fuerit? Quamuis enim Hebraicum כרה *charah* emere significet, simulque fo-

Genes. 50. dere, Gen. 50. *In sepulchro meo, quod fodi mihi in*

Deut. 2. Vulgat. *terra Chanaam*, hoc est, *emi.* Deut. 2. Hebraicè:

Septuagint. *Et aquas fodietis ab eis argento.* Communiter, *Aquam emptam haurietis, & bibetis.* Hinc pro eo, quod est, *Fodi eam mihi*, apud Oseam, Septuaginta habent: καὶ ἐμισθωσάμην αὐτὴν: *Merce-*

Isidor. Clar. Pagn. Vatab. *de eam comparaui.* Isidorus Clarius *emi.* Pagninus, *Possedi eam mihi:* Vatablus, *Comparaui eam.* Itaque iure decertatur, cur pro *emi*, Latinè, *fodi* est; siquidem non is Latiaris est vsus, sicut Hebræus. Non aliter enodant, nisi quòd, Latinis interpretibus in vsu sit Hebraici vocabuli significationem imitari. Ego quidem aliter censeo. Ideò vxor *fodi* dicitur apud Prophetam, quia per coëmptionem ducebatur, quasi empititium mancipium fieret. Mancipiis autem perfodiebatur

Deut. 15. auris, vt in comperto est, Deuter. 15. Et quidem auris fodicatione docilitas, & obedientia notabatur, quam debet præstare seruus Domino

Psal. 39. suo. Ex quo Psalm. 39. vers. 7. eadem vox est Hebraicè: nam vbi noster legit: *Aures autem per-*

Hieros. Chald. *fecisti mihi*, transtulit Hieronymus, *Fodisti mihi:* Chaldaicè: *Aures ad seruanda præcepta tua perforasti mihi:* styloque Hebræo est אזנים כריתלי *Oznaim charitali, Aures fodisti.* Ecce eadem vox כרה, *Karah*, quæ apud Oseam, & ex qua locum Prouerb. interpretati sumus, *Dominus possedit me*, pro eo, quod est *emi*, & *perfodi.* Superest, ostendamus nuptam per coëmptionem quasi mancipium fieri mariti. Id pulchrè

Vlpian. probat eademmet formula, & vsus, de quo Vlpianus in Instit. Fœmina enim, quæ coëmptione nuptui tradebatur, in manum viri conuenie-

Cicero. Boëtius. bat. Cicero in Topic. & Boëtius suprà. A manu autem mancipium fit: quare Boëtius ait: *Et ita mulier illa posteà erat in manu, mancipioque, id est,*

Seruius. *potestate mariti.* Seruius Sulpicius apud Gellium lib. 4. Noct. cap. 3. *Quæ iuncta, consuetaque esset cum eo, in cuius manu, mancipioque, &c.* Aliqui

Isidor. censuere, inter quos Ribera in Oseam cap. 3. in nuptiis per coëmptionem reciprocam pecuniam dari, ne vxor videretur ancilla. Verum

Seruius. est, ea verba inesse apud S. Isidorum lib. 5. Etymol. cap. 24. *Nam antiquus nuptiarum erat ritus, quòd se maritus & vxor inuicem emebant, ne videretur vxor ancilla; sicut habemus in Iure.* Scholiastes Isidori aduertit, verba esse transcripta ex Seruio lib. 1. Georgic. sed tamen apud eum non extare illa verba, *Ne videretur vxor ancilla.*

11. Nobilissima est S. Isidori auctoritas: verùm, si Iurisperitos consulas, priscosque de formula coëmptionis agentes, non inuenies aliquod pretium datum ab vxore in mariti emptionem. Adi

Gellius. Gellium lib. 18. capit. 6. Nec coëmptio illam mutuam emptionem adsignificet, opus est, cùm in alienatione quarumcumque rerum fieret, veluti in emancipatione filij, & familiæ, & in liberatione sacrarum rerum, vt ad prophanos vsus subseruirent: de quo Carolus Sigonius de anti- Sigonius.

qu. Rom. cap. 9. & Cicero pro Murena. Sat à Cicero.

fœmina dari visum fuit, si sub viri manu, mancipioque sese dedebat, seu à parentibus tradebatur. Vnde, vt eruditè scribit Petrus Gregorius

lib. 9. Syntagm. capit. 15. *Coëmptio erat qua-* Petrus.

dam simulata distractio potestatis, qua tenebatur Gregorius.

mulier, antequam nuberet, & ex qua in potestatem aliam, mariti scilicet, traducebatur. Ergo quia nunquam sui iuris fœmina erat, (vt constat ex Liuio lib. 44.) ex hac distractione potesta-

tis coëmptio dicebatur. Euripides apud Petrum Liuius.

Gregor. Euripides.

γυνὴ μὲν ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων
οὐ τῶν τεκόντων ἐστίν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.

Mulier egressa domum paternam,
Non est ampliùs parentum, sed mariti.

Nec ideò reciproca emptio, venditioque erat, quia saltem dotem præstabat fœmina: nam aduertit Spondanus, olim maritos dotem dedisse pro vxoribus, non contrà: ex quo Cerdensis lib.

1. Georgic. Spondano adstipulatus aduocat Ta- Spondanus.

citum libr. de moribus German. aientem: *Do-* Cerdensis.

tem non vxor marito, sed vxori maritus affert. Sed Tacit.

quia varij sunt mores gentium, non reluctor aliquid pretij præstitum iri à fœminis, vt sibi maritos compararent. Sat auctoritas Isidori. Quin &

Nazianzenus in Carm. virgin. Naz.

Venalis est vxori maritus, & (quod hoc est deterius)
Sæpenumerò neque bonus. Et venalis vxor marito,
Sæpè & odiosa: fabricatum malum, neque reiectabile.

Quidquid sit, certum est, illam imaginariam coëmptionem ius, & dominium mariti præstitisse, mancipij causâ, & imaginariæ seruitutis. Quare putauerim, aliquam capitis diminutionis vmbram vxoratis hisce euenire, sicut euenit emancipatis, & arrogatis: quia per imaginariam emptionem emancipatio, & arrogatio fiebat, fa-

miliaque mutabatur; de quo Donellus lib. 6. Com- Donellus.

ment. cap. 16. & Osualdus lib. 21. cap. 5. lit. E. Osualdus.

Mariæ pignus, donum antenuptiale, & dos.

Svbsectio Vnica.

VT QVID sic euagari calamum permisimus? Sanè ob nostræ Virginis obse- 12.

quium, cui & ciuilia iura famulari fas est. Pater Diuinus possedit Mariam in initio viarum suarum, per coëmptionem sacras nuptias cum illa peregit. Quidnè dedit sancta puella in vulua matris recens concepta, vt reciproca procederet

commutatio? Equidem omne procul, & de vlti- Prou. 31.

mis finibus venit; dos, arrha, & pignus è superis fuit, descendens à Patre luminum. Ideò nuptias has iuxta coëmptionis ritum gestiuimus explicare: in quo, si meminetis, plura sunt, quæ nostro accinunt instituto, Virgineoque nimiùm subseruiunt elogio. Stabilitas enim, & constantia hisce nuptiis altè infixa erat; fœmina mariti

constituebatur & filia, & mancipium, & vxor: denique vir pro aucupanda, emendaque fœmina Tacit. pretium erogabat: tandem, vt ex Tacito, aliisque didicisti, nihil fœmina pluries pro se offerebat, nisi se. Ergo Maria tota sacris Diuini Genitoris Aldhel. deuouetur; ancilla, Sponsa, Filiaque est, vt ex Aldhelmo, aliisque Patribus in superioribus reliquimus prænotatum. Ad extremum, omnis illius dos, pignus, & arrha ab ipsomet Patre Sponso præstatur.

13. Ex quo lucem accipit duplex locus, nullius oculis non obuius. Alter est Epiphanij in serm. de laudib. Mariæ: *Inuenitur Virgo esse cœlestis Sponsa, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit; dotis verò gra-* Epiphan. *tia cœlum vnà cum paradiso.* Quid est, quòd Epiphanius antenuptialia dona, dotemque simul à Sponso data fuisse Mariæ scribat, cùm donatio propter nuptias, ob æqualitatem dotis, quam sponsa dabat marito, fieri soleret? Maria, quia potiùs Diuini Patris Filia intelligitur, quàm Sponsa; quia emptionis ritu ducitur, nullaque apud ipsam supellex est, quæ non à Diuinitatis thesauro prodierit; nihil gestare potuit, sacroque marito subijcere, quod non ab eius manu ipsi præstitum præexstiterit, & erogatum. Ideò pro dono antenuptiali Spiritus sanctus illi superfunditur, qui ex suapte origine donum est Patris, & filij. Censeo alludere Epiphanium ad sponsalitiam largitatem, de qua Constantinus Cæsar in l. Si à spon- Const. so, 15. C. de donationibus ante nupt. In quo non modicum præsentiri datur. Maria illa *alma Virgo* est, quæ peculiari attributo *abscondita* dicitur, vt Isai 7. communis censeo est, in vaticinio Isai. 7. vers. 14. *Ecce Virgo concipiet*, vbi pro *Virgine*, legitur *alma*. Sponsalitia autem largitas donatia illa significat, quæ triduò, antequam retegatur sponsa, illi mit- Cœlius. Rhod. tuntur. Cœlius Rhodignius lib. 1. cap. 60. Alcia- Alciat. tus lib. 1. ὧς vocant, προσφθεγκτήρια, & ἐπαύλια. Pollux. Pollux lib. 3. cap. 3. ὀπτήρια, & ἀνακαλυπτήρια. Harmenop. Harmenop. lib. 4. promptuarij iuris cap. 7. θεώρετρα. Quæ formè vocabula in eundem significatum conspirantia nam diem, qua sponsa detegitur, præsignant. Cur igitur Spiritus sanctus pro sponsalitia largitate mittitur ad Mariam, cùm potiùs obnubat, & obtegat, quàm retegat: ideò enim superueniens describitur ab Angelo, imò & sub vmbra contegens, & ambiens Virginem suam, vt Anon. cecinit Anonymus alibi datus: *Vmbra sancti Spiritus dedit ei cælitus spirituale pallium, vt non lædat Virginem?* Perbellè Spiritus sanctus tegens, & ambiens, sponsalitiâ largitate præstatur, vt iugiter Maria sacro vaticinio fidem reddat, absconditaque maneat: eo enim iure connubio sistitur supero Genitori, vt ex Virgineis amplexibus virginè grauidetur, dumque concipiat, & pariat, adhuc *alma* sit; & in Diuinitatis penetrali, Spiritus sancti cancellis, qui coronis, & quasi sera Trinitatis est, vtpote eius complementum, contineatur. En mutata nouæ sponsæ indoles: cæteræ reteguntur, hæc ab ipsomet antenuptiali dono amicitur. In quo non segniter indicatur, nuptias has in instanti conceptionis cum Patre Diuino fuisse celebratas: siquidem vt Virginem suam absconderet à circumeunte Dæmone, qui in generationes inuadit, Spiritum sanctum misit.

14. Cur autem, dum dotem explicat Epiphanius, quasi sat cœlum non fuisset, paradisum adiecit? *Dotis verò gratia cœlum vnà cum paradiso.* Graphicè: quia in ipso conceptionis exordio, quando ob originariam noxam, quam proles contrahit, à paradiso detruditur, id est, proscripti Adami, ligonique tanquam metallo deuincti, pœnam experitur: tunc Mariæ pro dote paradisus est, vtpotè quam Spiritus sanctus abscondit, subque vmbraculo texit, & amiculo, ne in illam oculos inijceret serpens. Adami dos sæculum fuit: hanc illi contulit vxor, dum extorrem effecit à paradiso. Mariæ dos ipse paradisus est, quem Sponsus illi sponsalitiâ largitate donat. Difficilis visus est Tertulliani locus lib. de pœnitent. cap. 2. *Nam Deus* Tertull. *post tot, ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata: post condemnatum hominem cum sæculi dote: post eiectum paradiso, mortique subiectum, cùm rursus ad suam misericordiam maturauisset; iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit.* Abundant scholia ad illa verba: *Post condemnatum hominem cum sæculi dote.* Omnis mihi interpretatio friget. Censeo non damnatam à Tertulliano cogitari sæculi dotem; sed quòd homo pulsus fuerit, & condemnatus, vt sibi viueret cum illa dote, quam Dominus illi in supplicij sententia perstrinxit. Nonnè vides annonam; censumque dotalem: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, spinas,* Gen. 3. *& tribulos germinabit tibi?* Quid est, quòd totiès ingeminet Deus *tui*, & *tibi*? Quia illa dos Adami propria effecta est quasi occasione vxoris accepisset, quæ pelluxerat ad piaculum. Profundè dotem appellauit Tertullianus, paradisoque Tertull. contraposuit: nam, vt ex Hotomano obseruo Hotoman. *dotes prædiorum* dicuntur aduentitia emolumenta aliunde quæsita, non ibi innata. Sensus ergò est: Sentibus, & vepricis hirsuta tibi terra asperabitur: dabit spineta pro segete: si cibaria quæras, opus est tibi sudor, aratroque reluctantem terram subigere, hæc tibi sæculi dos est, quippe redditus, & pensitationes istas, non ex se tellus ferebat, non ex natura prædiorum glebæ germinabant; aduentitiæ sunt, aliundeque quæsitæ, nempe ex culpa. Rabanus apud Lippoman. Ge- Raban. nes. 3. *Ante peccatum ergo hominis non est scriptum, quòd terra protulerit nisi herbam pabuli, & ligna fructuosa; post peccatum autem videmus multa horrida, & infructuosa nasci.* Nonnè spinetum hoc dos fuit ab vxore præstita? Audi: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c. spinas, & tribulos germinabit tibi.* Ideò *tibi*, quia causâ tui, & quasi tui annonam. Caietanus inibi, *Notan-* Caiet. *dum, quòd non dicitur: Spinas, & tribulos germinabit absolutè; sed germinabit tibi: pars enim maledictionis est, quòd germinet homini huiusmodi impedimenta, seu aduersantia.* Tellus, quæ cæspitibus frugiferis; suopte ingenio, & naturâ pinguescere debebat, tibi senticosa dumeta producet. Hæc aduentitia dos terrestris prædij erit, quod ob vxoris nimium amorem tibi contigit. Hunc fructum vindemiabis, qui abruptè coniugem deperiens, ficum accepisti pro dote. In quo vide, quantùm dissideat Mariæ dos, quam illi Diuinus Pater largitur: cœlum, & paradisus est, iam depulso serpente, ne insidietur; iam exulante Adamo, Euâque deportatâ, ne lacessat, blandimentisque deliniat ad flagitium. In paradiso hoc spinæ non sunt, non pungunt tribuli; originalis ibi fœcunditas vernat: terra, quam excolit Adam, ex horto sylua facta est, vepribus riget, à fœcunditate originaria desciscit. Quid causæ? Quia homo ab originali desciuit iustitia. Præclarè Lippomanus Gen. 3. *Spinas ergo, & tribu-* Lippoman. *los*

los germinabit tibi. Non respondebit cultura pro voto tuo, labor, & diligentia frustrabitur: ex horto fiet tibi sylua, & ex agro eremus: degenerabit terra ab originali fœcunditate, sicut homo ab originali iustitia. Quid quòd Mariæ dos paradisus sit, si ab originaria iustitia non degenerauit; imò paradisus secundi Adami est? In actibus.

Concil. Ephes.

Concil. Ephes. capite 7. *Sacra Deipara Maria in vnam nos coëgit. Hæc impollutus, & purus ille illibatæ virginitatis thesaurus, decusque, & ornamentum: hæc spiritalis secundi Adami paradisus: hæc reconciliationis salutaris panegyris.* Pulchrè quidem, quia paradisus dicta est, panegyris esse reconciliationis dicitur: nec enim potuit condemnari cum sæculi dote, cui non solum paradisus dos est, sed & ipsa est paradisus.

15. Alter locus, qui ex præfatis illustratur, tritus nimiùm est, & à nobis pluries accitus; Chrysologi est serm. 141.

Chrysol.

Peruolat ad Sponsam festinus interpres, vt à Dei Sponsa humanæ desponsationis arceat, & suspendat affectum: nec auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignerata cùm fieret. Solet expendi Chrysologus, quòd pignerata dicatur in conceptioni exordio, id est pignore, & arrhabone donata in futurarum nuptiarum sponsionem. Sic Illust. P.

Salazar.

Salazar de Concept. capite 42. sæcul. 5. Benè, si voces illæ fauerent, *cui est in vtero pignerata. Pignerata* enim minimè significat *pignore donata*, seu *honestata*; sed potiùs in pignus data; sicut *pignero*, aut *pigneror*, est *rem pignori do*. Aliquandò *pignus accipere* significat, iuxta illud Iuuenal. satyr. 7.

Iuuen.

Cantis & alueolis, & lanam pignerat Atreus.

Esse autem pigneratam Sponso, nusquam in hunc sensum allici, extorquerique potest, quòd ipsamet pignore donata sit, & ornata. Igitur syncerus, & conspicuus sensus est, Christo sponso pigneratam fuisse Mariam, cùm fieret, & gigneretur, ita vt ipsa Virgo pignus sui extiterit. Id ex ritu sponsalium, licèt conuerso, & mutato ordine, ingeniosè depromit Chrysologus. Sanè futuræ sponsæ sponsus arrhabonem dat in futuri coniugij testimonium: ea est enim *arrhabonis* natura apud Suidam,

Suidas.

differtque à *pignore*, quia pignus non ad fidem faciendam dependitur, sicut arrhabo; sed tandiu apud creditorem constituitur, quandiu pecunia apud debitorem est, vt liquet ex Hieronym. in epist. ad Ephes. 1.

Hieron.

Pignus tamen, in obsequium Chrysologi, etiam pro *arrhabone* legitur apud Iuuenal. satyr. 6.

Iuuen.

——pactum, & sponsalia nostra.
Tempestate paras, iamque à tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.

Ideò digito pignus, quia arrhæ nomine annulus in sponsalibus dabatur, vt ex Plinio lib. 33.

Plin. Petr. Greg.

capite 1. obseruat Petrus Gregorius lib. 8. Syntagm. capite 7. Cùm ergo arrhabo, & pignus hoc, testimonium esset, & fides; qua illigabatur sponsus ad coniugem ducendam; satis appositè Chrysologus vult non Mariæ præstitum fuisse arrhabonem, & pignus à Christo, sed quòd ipsa Maria, versâ vice, vt pignus tradita fuerit; vtpote non protelatis nuptiis, & procrastinatis in posterum, sed illicò peractis, & perfectis, eâque celeritate contractis, quòd pignus, quod præcedere assolet connubium, digitoque datur futuræ sponsæ, ipsa Maria sit illicò Sponso tradita. Neque enim ob nuptiarum incertum potuit indigere fide, quæ dum gigneretur, nupta iam est, imò quasi præcurrens, se dedit Sponso, non expectans pignoris tarditatem. Ex quo iam Chrysologi acumen elucet. Nuntius non aufert à Ioseph Virginem, licèt illi desponsata fuerit; sed potiùs reddit Christo, sub cuius manu iam erat, cùm fieret. Discursus Chrysologi est: Sponsalia verbis præsentibus concepta, confestimque per Sponsæ traditionem firmata eam vim obtinent, quòd posterioribus sponsalibus præualeant, etiamsi his concubitus accesserit: de quo Iurisperiti disserunt apud Osualdum lib. 3. Comment. cap. 10.

Osuald.

Igitur licèt Virgo sponsalia contraxerit cum Ioseph, non illi vlla iniuria fit, dum Christo redditur, quæ adhuc Virgo est; siquidem à conceptionis exordio illi pignerata processit. Videbatur pro Ioseph iure reclamari potuisse, quod vbi Matth. 1. vers. 18. legimus:

Matth. 1.

Cùm esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, Syriaca versio *Mechirah*, hoc est *empta*, pro *desponsata*, quasi per coemptionem contracta sponsalia fuissent. Verùm iam edocuimus ad firmitudinem, & constantiam connubij Virginis nostræ cum Deo, illum coëmptionis ritum fuisse adumbratum. Omnis itaque posterior emptio non officit. Ideò Ioseph simul virgo, & maritus est: non aufertur à Ioseph Virgo, sed Christo redditur, cui fuit in vtero pignerata, cùm fieret.

16. Adhuc tamen à constitutis in superioribus deflectere videmur ex discusso Chrysologi loco: Patrem enim Diuinum, Sponsum, & coniugem adstruximus sibi copulauisse Mariam, cùm in vulua compingeretur; & tamen iam nuptias contractas volumus cum Filio. Certè aptius est, & concinnius, tunc Filium Dei Virginem duxisse, quando in die desponsationis suæ, diademate Virgineæ carnis Virgo Mater illum coronauit: quod enim hæc fuisset iucunditatis, & sponsaliorum dies, omnes fermè stabiliunt, ad illud Canticor. 3. vers. 11.

Cant. 3.

Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua in die desponsationis illius. Nec diffidere volo Chrysologum: non enim Christus, id est, Deus Filius, in humanitate, & Diuinitate subsistens, in initio conceptionis Marianæ potuit sibi Virginem nuncupare Sponsam, annulo subarrhare, sibique pigneratam sortiri, nondum tunc Incarnatione peractâ, licèt faustis auibus benè auspicatâ, dum Virgo Mater in eius ministerium conciperetur: & tamen Chrysologus inquit, quòd Christo fuit in vtero pignerata, cùm fieret. Mens igitur est, si præfatis lubens arrideas: Pater superus sibi confestim Virginem maritauit: non alius tenuit eum scopus, nisi vt nuptias pararet Filio suo; ideò sponsalia eius pignus fuere futuri coniugij cum Filio contrahendi: & quia in vna voluntate vnum sunt Pater, & Filius, Christo ex tunc pignerata censetur Maria; vtpote tradita nuptui Patri, eâ vinculi stabilitate, quòd Christi fieret Sponsa, cùm illum in vtero conciperet. Indiuisa Filij, & Parentis Diuinitas huic profuit sapientissimo ingenio, quòd faces accensæ, vnguenta stillantia, textæ corollæ, genialesque laoditiæ pro Patris, & Virginis nuptiis signa essent fidelia contrahendi cum Filio, humanitus accliui, & de cœlo lapso, matrimonij.

17. Ex quo fit, æquo coniugio Christum nuptias contraxisse cum Matre, & cum Ecclesia? quippe in Virgineo thalamo vtrumque peractum fuit. Ideò consensus expetitus à Virgine: quod compertum est ex S. Thoma 1. part. quæst. 30. artic.

1. Bes

S.Thom. Bernard. August. 1. Bernardo homil. 4. super Missus est, Augustino serm. 17. de Natiuitat. Ergonè Maria vsque tunc absque Sponso? Absit. Pater Sponsus illius fuit, & ad eamdem progignendam roseos vteri, & mentis thalamos, castissimis amplexibus, sacra fœcunditate honestauit. Mens est Ruperti de operibus Rupert. Spirit. sanct. libr. 1. capite 7. *Sciendum, Beatam Virginem Mariam templum, & Sacrarium huius Dei, & Domini nostri Spiritus sancti, Sponsam esse, vel fuisse Dei Patris, atque in ea completam esse causam, cur Synagogam, id est, Ecclesiam prioris populi, idem Deus Pater se adamasse, atque in coniugium assumpsisse, tam multis testetur Scriptura locis.* Nonnè causa huius velocis coniugij, eiusdem Filij generatio fuit? Gignebat Pater ab æterno Verbum suum: benignissimâ voluntate dispsosuit in vterum Virgineum eructare: ideò pernix accingitur ad connubium, ne instans decedat, quo Maria sit, & coniux non sit, Verbique indoles pateretur iniuriam, cui proprium est è mente progigni Diuinitate semper maritatâ. Quasi ob hanc Diuini Verbi indolem, quæ antiquam amat generationem, in veteri Ecclesia Mariam iam sibi copulauisse Pater adumbrabat, per oraque Prophetarum, vocalitate, & sonitu Verbum suum quasi carneo pondère solidabat, vt exinde coniugem sibi consignaret, & æterni verbi comprobaret ministram. Rupert. Adsit iterum Rupertus capite 8. *Beata Virgo Maria Sponsa Dei Patris erat, & causam, pro qua gentis illius Ecclesiam ille suam in Scripturis coniugem dicebat, in ea perficere, id est, Verbum suum, quod modo iam dicto per corda, & ora Prophetarum vocale fecerat, per huius Beatæ Virginis vterum carnem fieri ante omnia sæcula proposuerat.* Ingenuè, & acuminatè satis. In præfato capite contendit Rupertus Patrem Diuinum Sponsum fuisse prioris Ecclesiæ; Filium autem posterioris, peroptimo indicio: nam Maria pars optima prioris Ecclesiæ fuit. Ideò tam impensus amor, ardorque flagrans æstuabat, quo Pater in priore Ecclesia suam Virginem deperibat, omnibus genialibus excolens ornamentis, calceans hiacynthino, byssino cingens, induens polymito, armillis carcerans, torque collum circumdans, coronâque decoris caput redimiens; quæ sacri styli phaleris Ezech. 16. describit Ezechiel capite 16. Ardebat *virum meum* Hier. 3. à Virgine vocari. Hierem. 3. *Saltem amodò voca me vir meus, dux virginitatis meæ tu es.* Quo fructu? Quo fœnore? Vt tota generandi virtus ad Mariani ventris fructum conflueret, Sponsumque nouæ Ecclesiæ generaret Virgo, quæ perantiqua Patris Sponsa fuit. Iam Rupertus: *Sic autem Beata Virgo prioris Ecclesiæ pars optima, Dei Patris Sponsa esse meruit, vt exemplar quoque fuerit iunioris Ecclesiæ Sponsæ Filij Dei, Filij sui.* Et paucis interiectis. *Saltem amodò voca me vir meus. Igitur iste vir erat. Tota autem talis viri vtilitas, totus fructus, omnis affectus, totus amor, tota virtus, ac generandi vis, quomodò vbi venit plenitudo temporis, in iam dictam Virginem se contulerit, ipsa, quæ experta est, melius nouit.* Ergo Deus Pater vir Mariæ extitit, Hieremiæ vaticinio confirmante, quo non incassum vtitur Rupertus ad sacras has tædas accendendas. Si etenim sedulo nixu locum versaueris, stupor te corripiet. Quid est, quòd vir ille à Propheta inductus, sic Amasiam adamabat; & tamen pudicum turbare torum, Virgineumque retegere peplum penitùs recusaret; vtrumque quippe admonet, & quòd *vir meus*, & quòd *dux virginitatis meæ* vocetur. Mira res! Viri nomen optat ab Amasia; & tamen viri functiones renuit, & maritalia officia, quæ officiunt pudori, quæ adeò vir iste sacer exosus est, vt imò sub viri nomenclatura ducem esse virginitatis velit apparere. Qualis, rogo, iste vir, qui viriles functiones obiens, non temerat Sponsam, sed fœcundat, ducatumque fert virginitatis, & vterum sobole complet? Sanè summus Pater, qui & primus virgo, & ferax est. *Quomodò fiet istud*, dicebat illa, *quoniam* Luc. 1. *virum non cognosco?* Angelus è vestigio: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Qualis connexio? Peringenua, ac si diceret: Vir, quem habes ab initio, & vir est, vt te fœcundet; & dux virginitatis tuæ, ne macula deprædetur pudorem. Quia non pertulisti virum, nec tori agnouisti sodalem, concipies Deum: Altissimus tibi vir est; virtute te fœtam efficiet, simulque dux erit virginitatis tuæ, dum vmbrâ conteget ne temereris. Hinc Augu- August. stinus lib. 2. de peccat. origin. contra Pelag. capite 40. *Tenet diabolus, liberat Christus: tenet deceptor Euæ, liberat Filius Mariæ: tenet, qui per coniugem venit ad virum; liberat, qui de coniuge natus est, quæ non pertulit virum.* Expende hæc vltima. Coniux Maria fuit; sed virum non pertulit. Nonnè Ioseph, Mariæ vir? Vir quidem, sed non pertulit hunc virum Maria, quia viri munus, id est fœcunditas vteri nequit erga Mariam euenire, nisi cum ducatu virginitatis nectatur. Virtus Altissimi obumbrat: ecce vir virginitatis dux: vir, quà pollet virtute ad fœtum eamque diuinitùs exercet; virginitatis dux, quà obumbrans. Hunc virum pertulit Maria, vtpote quæ concepit, & Virgo est. Pergit Augustinus: *Tenet, qui causam libidinis intulit fœminæ; liberat, qui sine libidine est conceptus in fœmina.*

Maria Patri nupta, capite non minuitur, sed augetur: cui Deus Pater, Caput est.

SECTIO II.



VT Hoc Virginis nostræ, & Diuini Genitoris connubium luculentioribus commendetur elogiis, sacrisque epithalamiis celebretur, iuuat penitiùs rem hanc, iterato pollice conterere, vt ex maiore fructu suauissimum odorem spiret. Quid nobilius Virgini nobilitate supernâ potiri? Quid splendidius à splendore deligi, vt simul eluceat, comitibusque radiis vterque Parens orbem illustret? Verùm, si tenaces sinus eorum, quæ superiore diximus sectione, nobilitas Virginea primis oculis periculum subire videtur: cuius clientelam istuc reseruauimus agendam. Diximus fœminam, quæ per coëmptionem nubebat, mancipium fieri mariti, quippe sub cuius manum conueniebat. Id ex Cicerone, & Boë- Cicer. Boët. tio, vtroque in Topic. fulciuimus. Opus ergo est capite minui, quæ sic contrahit, eâ saltim capitis minutione, quam Iurisperiti *minimam* vocant: nempe cùm ciuitas retinetur, & libertas; sed mutatur status, non vtcumque, sed per imaginariam venditionem, quæ etiam in arrogatione, seu emancipatione fiebat. Capitis diminutio vocatur, si credis Ciceroni in Verrem, quia ademptio Cicer. Act. de 18.

de capite eſt. Cecinit Auſon. in Gryph.

Triplex libertas, capitis minutio triplex.

Sed quia fœmina caput non habebat, nec enim à fœminis cenſebantur familiæ, nec ſui iuris eſſe ſinebantur: nam M. Portius Cato pro lege Oppia, de quo Liuius lib. 44. dixit (verba ſunt Petri Gregorij lib. 9. Syntagm. cap. 5. num. 27.) maiores voluiſſe nullam, nec minimam quidem rem ſine auctoritate fœminas agere, ſed in parentum, fratrum aut liberorum eſſe poteſtate; ideò capite minui forſan non poterat, cui caput non erat. Ex noſtris luculenter Rupertus lib. 3. in Geneſ. c. 21. *Rectè ergo non tam dixit: Sub viri poteſtate eris: nam puerulus ſub viri, id eſt, tutoris, poteſtate eſt: ſed addidit: Et ipſe dominabitur tui; vt nunquam mulier libera ſit de ſubiugo viri, ſed eius tam ætas, quàm conditio primùm ſub poteſtate viri tutoris, & deinde cùm in manum viri per legitimas coniugij tabulas venerit, ſub dominio viri ſit:* Cenſuit Rupertus capite minui fœminam, quæ in manum viri conueniebat per coniugium: ſic enim in eodem capite ait: *Vnde & capite diminuta dicitur mulier, quæ in manum viri conuenit.* Hæc ita de fœminis, quæ ex primigenia labem contraxêre, & in flagitij vindictam ſub viri poteſtate conſtitutæ ſunt, quas par eſt nunquam ſui iuris, & arbitrij eſſe, quæ ſerpenti arbitrium ſubiecere. Aſt Maria, quam arbitrij rectitudo commendat, nunquam degeneri impulſu ventilari, caput habet, quæ caput contriuit ſerpentis, & veſtigijs inſidiantem ſubegit, ne in communi decideret ruinâ, ſed inconcuſſâ ſtabilitate maneret. Ideò, ſi ad modum ritus coëmptionis nuptias contraxit, dixeris forſan capite minutam, quam mariti manus mancipium effecit. In hoc omnis gloria filiæ Regis; in hoc Virginis Matris ſtemma generoſum elucet, quòd, dum Dei Patris Sponſa eſt, mancipium ſimul ſit, & ancilla, caputque ſibi Deus ſit.

19. Vis probem, Mariæ caput Deum Patrem eſſe vt ſtirpitùs euincam illi nuptui traditam? Quod ſi in ſuæ conceptionis inſtanti; quî potuit ferratū collum dæmoni ſubiicere, ſeruilibuſque notis frontem offerre? Locus eſt difficilis Damaſceni orat. 1. de Natiuit. Mariæ, qui ſic Latinè circumfertur: *Spiritalis ſcala, hoc eſt Virgo, in terra firmata eſt, (ex terra enim ortum habet) caput autem ipſius ad cælum pertinet. Omnis quippe mulieris caput Pater extitit, vt qui Filium ſuum, ac præpotens Verbum, tanquam diuinum, ad ſpiritale ſemen emiſerit. Propenſâ quippe Patris voluntate, ac non ex naturali congreſſu; verum ex Spiritu ſancto, & Maria Virgine, modo naturam ſuperante, Verbum ſine vlla mutatione caro factum eſt.* Cenſeo, quòd notho, & illegitimo ſtylo Latinè audit Græcus Damaſcenus: quid enim eſt illud: *Omnis quippe mulieris caput Pater extitit, vt qui Filium ſuum, ac præpotens Verbum, tanquam diuinum, ad ſpiritale ſemen emiſerit?* Hiulca quidem periodus, & abſque lepore. Miror in hoc non impegiſſe ſcholiaſtem Damaſceni, nec alium, quem viderim. Reſecta ſunt plura verba à Græca origine, quam ſi conſulas, eximium inuenies acumen. ἐπὶ γῆς ἡ πνευματικὴ κλίμαξ, ἡ παρθένος ἐστήρικται, ἐκ γῆς γὰρ ἔχει τὴν γένεσιν. ἡ δὲ κεφαλὴ πρὸς τὸν οὐρανόν. πάσης γὰρ γυναικὸς πατὴρ ἐχρημάτισε πνεύματι ἁγίῳ, τὰς συναλλαγὰς ποιησάμενος, καὶ οἷον θεῖον σπόρον πνευματικὸν τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν καὶ λόγον. τὸν παντοδύναμον ἐξαποστείλας, εὐδοκίᾳ γὰρ τοῦ πατρὸς οὐκ ἐκ συνουσίας φυσικῆς, ἀλλ' ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου ὑπὲρ φύσιν ὁ λόγος σὰρξ ἀτρέπτως ἐγένετο. Ad verbum tranſlata ſic ſonant. Caput autem ipſius ad cælum pertinet. Omnis enim mulieris Pater vacauit, ſeu alloquutus eſt cum Spiritu ſancto, faciens commutationem, ſeu conciliationem; & ſolùm diuinum ſemen ſpiritale, nempe Sermonem Filium ſuum, in quo omnis virtus eſt, miſit. Cætera plana ſunt. Duæ voces nimiùm ſunt difficiles, ſcilicet ἐχρημάτισε, & συναλλαγάς. Nam χρηματίζω propriè ſignificat, rebus conſtituendis vaco, ius reddo, de ſumma reipublicæ tracto, vt ex Diodoro, Luciano, & Demoſthene probat Budæus, qui etiam putat apud Damaſcenum *eſſe* ſimpliciter ſignificare. Quin pro *vocor* accipitur, vt eſt apud Paulum ad Rom. 7. Συναλλαγὴ ſolet verti *commercium*, aut conciliatio. Sophr. ἐν ξυναλλαγῇ λόγων in commercio ſermonis, ſeu in commutandis verbis. Sic librata verba ſenſum hunc reddent: *Licèt Maria ex terra ortum habuit, caput autem eius in cælo eſt. Nam qui omnis mulieris eſt Pater vacans cum Spiritu ſancto, reconciliationemque faciens, miſit Filium ſuum, qui diuinum eſt ſemen, nam ex Spiritu ſancto, & Maria Virgine Verbum caro factum eſt.* In queis verbis ſubtile ingenium eſt. Qualis enim illa ratio ad probandum Mariæ caput in cœlis eſſe, quòd omnis mulieris Pater ſuum ſemen diuinum emiſerit in Virginem Matrem de Spiritu concipientem? Eximia quidem, & ex Theologiæ arcanis. Senſus eſt: Qui omnium eſt Pater benedictus in ſæcula, Mariæ non ſolùm eſt Pater, ſed vir, & maritus, ideò & caput, quia omnis mulieris caput vir eſt. Vir quidem, quia maritum egit florentiſſimâ puritate, honeſtateque virgineâ, dum Verbum ſuum in vterum Virgineum emiſit. Verbum enim Dei, ſemen ſpiritale ſanctum, & diuinum eſt, vtpote mentis genus ex intellectu Patris Diuinitate, ad modum ſpeciei, quæ ſemen ſolet dici, fœcundato procedens. Et quia totum diuinè peractum eſt in Maria, ideò ad concilium huius reconciliationis pertractandæ, accitum Spiritum ſanctum inducit Damaſcenus. Ergo Mariæ caput in cœlo eſt.

Idem caput Maria habet, ac Vnigenitus Filius Dei. Paulus ad Corinth. 11. *Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris vir; caput verò Chriſti Deus.* Non parùm confligitur, quo iure, quoue ſenſu Deus dicatur caput Chriſti, annè iuxta humanam naturam, an iuxta diuinam? Quòd iuxta diuinam naturam Paulus ea verba protulerit, vult Iuſtinianus nobilis Pauli interpres, ex gemino loco: alter eſt Ambroſij, Tertulliani alter. *Dignum eſt* (inquit Ambroſius) *vt Filij caput Pater dicatur, quaſi genitor eius; aliter tamen caput viri Chriſtus eſt, & aliter vir mulieris, & aliter Deus caput Chriſti eſt. Deus autem ideò caput Chriſti eſt, quia de eo, vel ab eo genitus eſt: mulieris verò caput idcirco vir eſt, quia ex eius coſta, Dei virtute, formata eſt: Chriſtus autem ideò viri caput eſt, quia per ipſum, cùm non eſſet, formatus eſt.* Apprimè diſtribuit Ambroſius ex multiplici capitis ſignificatu. Nec reluctari fas eſt, Deum Patrem poſſe caput Vnigeniti nuncupari, non diſpendio æqualitatis, nec ex Arrianorum petulantia; ſed originis, & generationis iure: ſic enim Pater fons, radix, alicubique auctor; imò apud Græcos Patres, aliquando cauſa Filij perhibetur. Quæ phraſes eò tantùm tendunt, quòd ſupero Genitori Vnigeniti generatio fideli confeſſione adſcribatur. Hinc Cyrillus Alexandr. lib. 2. Theſ. cap. 3. *Quamuis ſecundum rationem ſubſtantiæ Patris, æqualis, & penitus ſimilis ſit; maior*

Liuius. Petr. Greg. Rupert. Damaſc. Diod. Lucian. Demoſt. Budæus. Ad Rom. 8. Soph. Soph. 20. Ad Cor. 11. Iuſtin. Ambroſ.

maior tamen ipso Pater est, qui eum generat; in hoc solummodo, quia ex eo Filius est; & sic principium Filij secundùm originem Pater est. Quod si mulieris caput, iuxta Ambrosium, idcircò vir est, quia ex eius costa prodiuit, quod ex nuptiali iure expen-
Hieron. dit Hieronymus, quid dixeris de muliere Virgine, quæ non ex humano marito ædificata est, sed potiùs ex qua vir oriens ex alto, absque viro processit. Equidem fatearis, opus est, eius caput non tam esse virum, quem Apostolus mulieri præscribit; sed caput, quod arrogat Christo, licèt ex dispari ratione, nempe Deum Patrem, à quo & singulari electione progenita est, & stabili vinculo ducta in connubium.

21. Annè Mariæ caput vir eius fuit, videlicet Ioseph, cui maritali fœdere deuinctam, pluribus infrà conficiemus? Equidem non reluctor in sponso mariti ius in Virginem viguisse: illud à natura, non à piaculi supplicio placidum moderamen, quod viri nobilitas in portionem suam, ex latere dolatam, obtinuit; cui pacatâ, non reluctante subiectione, ipsa se fœmina, etiamsi alberet innocentiâ pristinâ, manciparet. Sic capio quotquot Ioseph Virginei iuris lora dant. Nec etenim fas esse iudico, seruitutem illam, viriique dominij censuram, quam pœna mulieri præuaricanti indixit, in Virginem exarsisse: cùm *non sustineret iustitia*, an-
Cyprian. nuente Cypriano, *vt illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quod plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa*. Ergo vir, mulieris caput est, post mulctatam cum sæculi dote fœminam: quatenus ex primo piaculo, è rationis clauo se subtraxit, & subiectionis gubernacula excussit. Quare indictum est, vt à quo impleretur ad sobolem propagandam, dedititiâ seruitute frænaretur: & dum illi vterum ministrat ad prolem, non iam caput super humeros censeretur habere, sed solùm ea corporis membra, quæ & gignendis fœtibus, baiulandis, & nutriendis opus erant. Hinc Apostolum velim expendere: *Caput autem mulieris vir.* Cur nè mulieris? Quia mulieris vox fœtum concernit, partumque non incongruo stylo prospectat, matremvè, siue vteri feracem adsignificat: de quo pluribus infrà. Suspice, à quo Maria impleta est; cuius amplexu sobolem generauit: hic illi caput erit. Si Virgo cum partu est; & virilem nesciuisse conuentionem oportet, & ob partum nuncupari mulierem. Quòd si partus Deus est; Deus, eius vir fuit; qui & mulierem effecit obumbrante virtute, & Virginem absque exteri
August. viri contagione seruauit. Augustinus lib. de fide contra Manich. *Maria non incongruè propter partum dicitur mulier, Virgo verò, quòd virilem nescierit conuentionem, nec pariendo virginitas eius corrupta sit.* Infrà libræ dabimus Augustinum. Strenuus pro nobis est. Si etenim omnis mulieris caput, vir est, quà mulier significat maritatam; &
August. Maria ob partum mulier effecta est apud Augustinum: perscrutare, à quo partum fuerit aucupata, ipsumque nuncupa virum, & caput Mariæ. Si Pater grauidauit, Pater caput est. Succinit pro cogitatu August. tom. 9. de Assumpt. Virg. capite 4. *Ærumnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransiuit: sed conceptus non multiplicauit, nec sub viri, id est, mariti potestate deguit: quæ integerrimis visceribus, de Spiritu sancto Christum suscepit, & virginitatis integritate manente Virgo permansit.* Vt quid à mariti potestate denudat? Quia virgineo sinu è Superis sobolem hausit? Quasi viri potestas in vuluæ functionibus sita sit, in thalamique commercio; & quæ virum non nouit, à mulieris probro longiori it: nec illi caput ab humeris deest, quæ viscera non communicat viro: caput habet, quæ vt fœtum edat, commilitone non eget: integra debet esse in capite, non mutila: quæ & integra in vtero est, & non sterilis. Idem est & non cognouisse virum, & non cognouisse caput. Huc aduoco Rupertum, lib. 3. Rupert.
in Cantic. ad illa verba: *Et in vno crine colli tui*, quod in Virgine sic versat: *Iste est crinis colli, humilis cogitatus mulieris caput non habentis, id est, virum, neque habentis, neque habere volentis. Nam caput mulieris vir. Tu capite isto te indignam iudicasti; tu viro, & omni sæculo te indignam existimauisti.* Benè suffragatur. Quæ viri pepulit sensum, sub capitis censu non sustinet supputari. Lego in Isidoro de Isolanis 1. part. cap. 16. sic de Iosepho: Isid. de Isol
Ipse enim sua promeruit iustitia, vt Virgini Beatæ in arca Noë præfiguratæ sponsus, & caput esse meruerit. Sed audi. Vix nuncupauit caput, cùm non capitis, sed manuum functiones adscribit. Pergit: *Ipse eandem gremio gestantem Verbum Dei incarnatum, humanæ signum reconciliationis cùm Deo, obsequio sancto manuum suarum prosequutus est.* Qui nuper adstruxerat caput, quod dominantis nobilitatis organum est, iam deditiiæ seruitutis deputat obsequiis, & à capite ad manus continuâ desilit successione: vt noueris caput Virginis fuisse Ioseph, non in Virginis iugum, sed in officium; non in maiestatis trabeam, sed in præcinctum & obsequentis amictum: vt & nutritium ageret, & suæ Virgini deferret obsequia, vtpote quæ (quod ingeniosè tetigit Isidorus) gremio Verbum gestabat Diuinum, quod vt conciperet, Mariæ vterus quasi caput fuit: in capite enim virgineè, & spiritale intellectus verbum concipitur, & per linguam, quæ in capite est, corporeè dispensatur ad aurem.

Quæ concipit desponsata, cur de conceptu non 22.
instruitur à marito, è cuius capite in fœminam disciplina descendit: cuius ideò in Ecclesia lingua irretitur, quia domi virum habet, à quo documenta capessat? ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesiis ta-* Corinth. 14.
ceant: si quid autem volunt addiscere, domi viros suos interrogent. Cur igitur de cœlo sublabitur Angelus, coniugis magisterium vsurpans, vt instruat de sobole, quam iugali fœdere nouerat illigatam? Quia Mariæ caput Deus Pater erat, qui per Angelum instruit; nec viri potestas hoc sibi poterat munus reputare, qui virginei vteri arcebatur ab vsu; nec illi ius, cui nec virtus. E superis imbuitur Virgo in animo, & ventre. Verbum, quod grauidat vuluam, instruit mentem: vtraque portio Virginea est; non patet marito. Caput, vbi mens; gremium, vbi vulua; parili functione congaudent: vtrobique Virgineum dispensatur commercium: qui vteri dominus; & capitis est. Non in hoc vir illi caput: vnde nec instruit mentem, nec imbuit vterum. Probè sanctus Thom. 3. part. qu. 30. art. 2. ad 2. ex D. Thom.
Augustino mutuans: *Nec sub viri, id est, mariti potestate fuit, quæ integerrimis visceribus, de Spiritu sancto Christum suscepit: & ideò non debuit mediante viro instrui de mysterio Incarnationis, sed mediante Angelo. Propter quod etiam ipsa est priùs instructa ante conceptum; Ioseph autem post eius conceptum.* Ergo quia gloria filiæ Regis ab intus, Psalm. 44.
habuit ab vtero maritali non subiici supercilio: non quia frontem humilis Virguncula erexerit, viriique

vtrique renueric rationabile ferre obsequiom, in quibus rerum, quæ ad vterum pertinebant, causa non agebatur; siquidem in quem nuptialia iura non grassabantur. Quibus lux affulget Nysseno in dienatal. Dom. vbi agens de Sacerdotibus, quid de Virgine agerent, consultantibus, sic subdit. *Etenim naturæ legi illam subiicere, vt cupiam in matrimonio collocata seruiret, absurdissimum videbatur. Instar enim sacrilegij fuisset, si muneris Deo sacrati Dominus homo fieret. Legibus enim erat constitutum, vt maritus dominaretur vxori.* Ergò nuptias inficiatur Nyssenus, ne viro supprimat, quam virgineæ libertatis nobilitas illustrabat? Imò accuratè dominium ablegat maritale, quod nuptiarum fœnus est, non nuptias; & quia dominium illud in thalami possessione fundatur, in cuius procinctu illecebræ, quæ à primo piaculo exarsit, vindictam, huius dominij supplicium deseruit. Aliàs quòd vt dominum, coluerit sponsum humillima Virgo dixit Archiepiscopus Caapitefoot. libr. de virginit. agens de Iosepho: *Siquidem ei Filius Dei subditus fuit, & cum Mater*
Arch. Capit. *Dei tenerrimè dilexit, vt sponsum agnouerit, & vt Dominum coluerit.*

23. Ergo Mariæ caput Deus Pater est. Io patibulo, morte iam appetente, Matrem sub voce mulieris compellat Dominus: *Mulier, ecce Filius tuus.* Annè peractus tormentorum tabiem, furentemque dolorum tempestatem, in hæc retrica, & acida verba prorupit, nolens Matris vocabulo labra dulcorare, sed mulieris communi voce pungere dolentem? Absit. Imò quia eodem ore, *Pater*, vocem efformare parabat: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: ideò mulierem dixit, vt forsan præsignaret à Patre mulierem effectie, quæ ei contulit Vnigenitum, & ea Virgine Virginem Matrem constituit, miraculo Dei generationis. Inde ex voce mulieris maior Mariæ beatitudo: si etenim beatitas, & vita æterna est, vt te cognoscant Deum, Patrem, & quem misisti, Iesum Christum; ea hac virginea muliere, quæ ideò mulier, quia Mater est, Deus Pater agnoscitur, Filiusque, quem genuit. Adsit Gaudentius serm. 9. *Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim; cum illam Christus mulierem nuncuparerit, quæ à diuino partu sic cœpit esse Mater, vt Virgo sacratior permaneret.* Nimium venustè. Nonnè vides, in *Mulieris* vocabulo Gaudentium pangere Mariæ beatitudinem? Non ob aliam causam, reor, nisi quia in Maria *Mulieris* vxor suscipit partum, fœtumque diuinum quem è Patre superno, Virginis viro, hausit illibatè. Sic Patris voci attexuit Christus Dominus, iamiam spiritum agẽs, Mulieris nomenclaturam, connubiumque vtriusque Parentis reteait. *Inclinato capite, tradidit spiritum.* Curnè caput decline vergit; cùm Diuinitatis signum esset luculentius, stantem mori, erectàque vertice, mortis sibi obsequium accite? Inclinauit quidem caput, quia caput Christi Deus, cuius, quia proferebat nomen apud Lucam, eodem stylo vterque Euangelista decessum describere censendus est: idem enim fuit, *Inclinato capite tradidit spiritum.* In Ioanne, quod in Luca, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hec dicens expirauit.* Non discordat vterque: nam inclinare caput, iodicium originis à Patre fuit; Patremque clamare, perspicuum signum æternæ filiationis. Inclinauit caput ad vocem Patris, non ad vocem Dei. Cur ita? Quia non minor Patre est, quà Deus; sed minorem se dicit Patre, quà Pater

Ioann. 19.
Luc. 23.
Ioann. 17.
Gaudent.
Ioan. 19. 30.
Luc. 23.

Zerda, Maria effigies.

est: non quia minor, & inferior; sed quia de Patre est: in quo perbellè æqualitatem maiestatis, & discrimen originis prænotauit. Ingenium est Gregorij Bœtici lib. de Trinit. *Etsi ergo, quà Deus, æqualis est Filius; tamen, quà Filius, minor dicitur Patre, id est, quà Filius, de Patre sit; & ideò non dixit: Deus maior me est; sed Pater maior me est.* Ideò inclinauisse caput, Patrem iodicauisse fuit. Si subtus cruce Mater erat, ibique caput vergit; ex inclinatione capitis, & vocabulo Mulieris edocuisse, pronum est agnoscamus, quòd Mariæ caput Pater sit, vtpote cuius vir; Mulieremque reddidit ex sacra generatione. Greg. Bœt.

Quòd si caput hoc inficieris, absque capite Virginem Matrem esse conaberis. Ea enim prouidentiæ ars fuit, quòd in instauratione rationalis creaturæ vir è fœmina formaretur, non iam ea viri latere fœmina, quæ potiùs latus viri, thalamumque execratur, & renuit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondet Virgo, quæ Mater enunciatur. Nonne ex osse Adami ædificium es? Cur negas virum, cuius es costa; ob quem & virago diceris, quia à viro sumpta? Te alloquitur vt fœminam sydereus legatus, ob virum fœmina est, cui debuit structuræ materiem. Imò quia fœmina ea viro fuit, se virum illum non cognouisse fatur, vt munus viri rependat, & gratitudinis ergò; sicut vir dedit fœminam absque fœmina, fœmina det virum absque viro. Nouum Adamum audisti Christum, nouam Euam Mariam: sed vbique dissimilitudinem potiùs agnoscebam, cùm in vetsum prospectarem vtriusque munus: nam Christus ex Maria, & prima fœmina ex Adamo. Sed reddit vices remuneratorio censu Virgo Mater; molimen primæ costæ soluit com vtero, beneficiumque fœminæ luit germinans virum, absque viri consortio. Noua genesis inuersis incipit elementis: ad primas literas in syllabas vitium irrepsit. Mutantur transpositæ literæ. Vir est à fœmina, & reparat; si fœmina è viro destruit. Si vir nunquam sine gratia præcesserat, quando ea illo soporato fœmina euolsa est; etiam nunquam sine gratia fœmina, quando vir oritur ex illa. Iam adduco Cyrillum Hierosol. catechef. 12. *Mutuata est à viris fœmineo generi gratia. Eua enim ex viro nata est, & non ex matre concepta; sed ex solo viro tanquam partu edita. Reddidit igitur Maria gratia huius mutuum officium, & non ex viro, sed ex seipsa impollutè ex Spiritu sancto, virtuteque Dei peperit.* In quo loco dum nobis exhibet Cyrillus; & quòd Maria rependerit pro munere viri, virum concipiens; quare alium virum cognoscere nequiuit, nisi è cuius virtute concepit: & vlteriùs, nunquam aliquo peccato fuisse defœdatam, neque ab originaria inquinatam labe, ne fœlicior fuisset prima fœmina in genetosæ nobilitatis sorte, quam nouus vir. Ena etenim decerpta est ex viro, nondum à gratia depopulato, & extorri: si autem à fœmina, cuius initium ignobilis tenebra fuisset, vir nouus ædificaretur, non æquâ lance pristinum lueret fœmina beneficium: siquidem vir oriens non ab vndequaque nobili, generosaque virgine stroeretur, vtpote quæ vectigal dæmoni soluisset, veneno que colubri in initio conceptionis contabuisset suffusa. 24. Luc. 1. Cyrill. Hierosol.

Succedat decantatus ille Ezechielis locus cap. 44. vers. 2. *Porta hac clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus* 25. Ezec. 44. 2.

Deus Israël ingressus est per eam: eritque clausa Principi. Quod vaticinium Virginis nostræ fuisse, omnis Patrum, & Interpretum factio fert: superuacuum est syllabum texere. Helychius (Hesych. Ambros. Optat. Cypr.) hom. 1. de laudib. Virg. Ambr. lib. de instit. Virginit. cap. 7. Galtin. 7. de arcan. fidei cap. 14. Cyprian. in exposit. Symb. compluresque alij. Quid est, quòd viro denegetur accessus, & quasi secreto obsignetur sigillo, constantibusque vectibus seretur, ne viri patescat commercio, vestigiaque præsentiat oculosque respicientes recipiat: Nonnè obseruauisti: *Et vir non transibit per eam?* Cur non & homo? Cur non & creatura? Si viri nomen coniugem adsignificat: quid commune coniugi cum porta, cui aditus intercluditur, ab adytisque abigitur, vt procul absistat; nec limen temeret vestigiis inhonoris? Sanè si porta hæc, Maria est, scitè sedulus conatus inducitur Domini Dei Israël, quasi zelotypia teneri, ne viri functiones sibi vir extraneus abripiat: amouet virum, nam ipsemet Deus virum agit. clausâque portâ subintrans, virgineo thalamo cubat, vt genitum filium sub virginitatis gignat pudore. Ioseph vir Mariæ est; sed quia virginea porta omnem viri pulsum repellit, virum non cognoscit. Sic explicat August. (August.) serm. 14. de natal. Domini: *Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quòd Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam? Et quid est, quòd Deus solus intrat, & egreditur per eam, nisi quia Spiritus sanctus impregnauit eam?* Quod de Spiritu sancto dicit Augustinus, id ipsum de diuino Genitore subcenseas, qui per diuinum flamen, igneamque virtutem in Virginis vtero Filium suum in carne est operatus. In quo adhuc non te prætereat pro Mariani pudoris tuenteri â obseruatio. Non arcetur ab huius portæ ingressu, nisi vir, aut maritus, qui Ioseph est apud Augustinum: quia nec cogitari poterat, potuisse extraneum aliquem cum hac porta tentare commercium. Imò etiamsi non *vir*, sed *homo* scriptum fuisset, vt legit Augustinus, solùm de Ioseph intelligi valeret.

26. (Arabic.) Hæc lepide fulciuntur, si Arabici versionem consulas: *Hæc porta erit clausa, & non aperietur, & non ingredietur per illam quisquam, nisi Dominus Deus Israel ingreditur per eam, & egredietur ex illa. Clausa ipsius annulo.* Preme ista: *Clausa ipsius annulo.* De annulo signatorio, quo nimirùm obserata sigillabantur, plena literatura est. Sed quia porta hæc clausa præscribitur, eâ indictione, quòd vir non transeat per eam, maritaliaque sequestrantur officia, quod statim subditur: *Clausa ipsius annulo*; in animum mihi inducit peruenustam antithesim esse; ac si diceret: Nullus alius est huius portæ vir, nisi Dominus Deus Israël, qui annulo suo subarrhauit, dumque se virum dedit, seu maritum, digitum annulo complicuit. Quòd enim annulus stabile pignus sit nuptiarum, à sponsoque sponsæ præstari consueuerit; id experimento est, quòd etiam Pontificio iure ea desponsata præsumitur, vel nupta, quæ annulos in digitis defert. Sic sancioit Alexander III. (Alexand. Terent.) Pontifex Summus in c. *Illud* extra, de præsumpt. Quin & apud Terent. in Hecyra act. 5. scen. 3. ex annulo nuptiæ contractæ cum Philomela probantur. Si autem sciscitaris, cur annulus digitum sponsæ circumdabat? censeo, id ideò, vt non solùm corpus sponsæ, sed etiam cor, & animus intelligatur maritatus, certique singularitati deuinctus, ne adulterino diuexetur affectu, à nuptialique explicetur nexu; sed iugi sodalitio cum corpore in coniugis transeat arbitrium. Id vt probem, sat sit consulere Macrobium lib. 7. cap. 13. Aulum Gellium lib. 10. (Macrob. Gelius.) cap. 10. nam alter ex Disario, alter ex Appione scribit, annulum in digito, qui minimo vicinus est, in læua gestari, ex eo quòd neruus de corde expenditur, illúcque tendit, deciditque: quare priscis visum fuit, quòd ille digitus annulo, tanquam coronâ circundetur. Quæ si ad sponsalitium ritum transferas facilè causam coniectabis: corona enim, nuptiarum symbolum est. Vt ergo cor etiam nuptui traditum præsignetur, castitatisque iugalis deputetur affectui; ideò cordis digitus nuptiali symbolo, id est, coronâ redimitur. En igitur cur Maria perhibeatur clausa annulo Domini Dei Israël; quippe ipse vir eius est, alteriusque viri arcet contubernium. Quare ab huius annuli signaculo, vel desipio, vel Patres in hoc vnum conspirarũt, quòd virginei pudoris signaculum canant in Maria, ex hac obsignatione portæ orientalis, per quam vir oriens ex alto prædicitur ingressurus. Augustinus (August.) serm. 2. de natiuit. *Tanquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adiecit: Quia Dominus transibit per eam. Porta clausa, id est, signacul. in pudoris.* Ambros. (Ambros.) lib. de instit. Virgin. cap. 8. *Porta clausa virginitas est, & hortus clausus virginitas, & fons signatus virginitas.* Signaculum hoc ab annulo signatorio Dei Patris dixerim inaratum, pulchro respectu ad duo munia, scilicet & vt per annuli circumdantis aureum carcerem, fœdus nuptiarum inter Deum, & Mariam pangeretur; & vt ab obsignata virginitatis annulo portâ, omnis viri arceretur impulsus.

Potestas viri, quæ mulieri supplicium, Mariæ Patris nuptæ gloriosior Nobilitas est.

SECTIO III.

VNicus ergo Mariæ vir, & caput Deus Pater est: & quoniam Maria collum Ecclesiæ dicitur, huic collo se Altissimi vertex, caputque annectit, vt in carne vna vterque Parens subsistere videatur ad indiuisam prolẽ generandam; cùm tamen Pater æternus nunquã carnem gestauerit, sed corporis expers sit. Quàm faustum Mariæ auspicium, cui superum caput contigit, adeò stabili constantia super sacros humeros insidens, vt nunquam truncum, Marianum corpus fuerit ab hoc capite dissociatum. Quare ex maritali dominio non capitis minutio virgineam decollauit eminentiam; sed potiùs vsque ad supremum soliũ exaltauit, virgineaq; subcreuit potestas sub viri Dei dominio constituta. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* (Luc. 1.) Sæpè admonui in Altissimi virtute supernum adumbrari Genitorem, qui Altissimus nũcupatur; vtpote qui arduum incolit cacumen, in quo Deitatis fons emanat. Quid est, quòd Patrem obumbraturum nuntius pollicetur? Equidem quòd maritum aget, pallium extendet, obteget virgineæ coniugis caput, superinductoq; amiculo redimiet. Id iam annotaruot alij ex nuptiarum ritu, accitis bonæ literaturæ Auctoribus. Nos alienas segetes demetere non cupientes, fatemur, scitè morem illum flammei & vmbraculi, quo sponsa

47.

sponsa tegitur. dum nubit, ad virtutem obumbrantem nostram Virginem impunè accersiri; licèt nunquam adhuc hoc munus maritandi sibi Virginem sub velaminis huius obumbratione, Patri diuino legerim à Neotericis irrogatum: id Spiritui sancto deferunt, à quo Virginem grauidatam iure conclamant. Ast & diuino Patri hoc munus adscribi, sparsim in hoc opere ex Patrum testimoniis contestamur.

28. Ergo quia Pater supernus virum agit, ideò vmbraculum spargit in Virginem. Qualenè? Potestatem, virique dominium, quod nupta sobacta viro experitur. Ne enim vxorata subrigat caput, collumque excutiat, iugalibus mariti oneribus inobediens; ideò pondere velaminis in capite grauatur, vt quasi retinaculo superbiæ, sarcinâque potestatis caput vergat, & inclinet, maritique vestigiis, defixis obtutibus, intendat. Id à primordio

Gen. 3. mulieri indictum, Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipso dominabitur tui.* Quidni sub viri potestate? Imò adeò hæc potestas in caput fœminæ ob Domini sententiam exarsit, vt, ne aliquo spatio à fœmineo capite distaret, ne aliquod interiacêret medium, sed velox vbique imperium, velocior obedientia sub vno situ illigaretur; ipsamet potestas viri super caput vxoris iam non in viro residere censetur, sed in ipsomet fœminæ capite insidere, & pro velamine inesse, ne vlla segnities, intercapedove inter iubentis præceptum, & obedientis opus intercedat. Iam calleo Paulum ad

Ad Corint. 11. Corinth. 11. vers. 10. *Ideò debet mulier potestatem habere supra caput.* Ergonè in fœmina potestas? Non potestas fœminæ, sed viri; non super caput, sed suprà; quasi amiculum, & flammeum virili potestati subiectionis incidium in potestatem ipsam trâsierit, & mulieris caput subegerit, veluti superinducto onere grauans in subiectionis insigne.

Tertull. Hinc Tertullianus lib. de coron. milit. cap. 14. *Porrò & quod obnoxium est velamento caput fœmina iam hoc ipso occupatum, non vacat etiam obligamento. Habet humilitatis suæ sarcinam.* Meliùs

Theod. Theodoretus apud Iustinian. *Tegumentum potestatem vocauit pro eo, quod est, ostendat subiectionem, seipsam contrahens.* Quæ verba sic accipio. A pondere velaminis se demittat, contrahatque, velutque curretur, seipsam non solùm subiectam, sed ipsam subiectionem esse ostendens. Itaque velamen in capite vxoris fœmineum caput obnubit, ne aliud caput oculis prospectantium obiiciat, nisi viri sui. Quare non insuauiter crediderim vxoris velamen potestatem vocari à Paulo, impositam super caput fœminæ, quòd illa potestas caput viri indicet, corpori vxoris affibulatum, propriumque fœminæ caput quasi abscondat, & amputet; & ob capitis diminutionem, ancillantisque status indicium, caput ipsius viri subroget & subnectat.

29. Quid hinc ad Mariam, quæ Patri superno vxorata, non sectionem capitis passa est; sed incrementum. Virtus Altissimi obumbrat Virgini. Annè in vmbraculo hoc, superoque velamine potestas Altissimi supra caput dilectæ coniugis est? Est quidem, vt in caput Patris Virgo pertranseat, sibique agglutinet, eiusque maritalis potestas pro Mariæ capite sit. Adgaudeo inuenisse patronos

Aldhel huic cogitatui. S. Aldhelmus in carm. de laudibus virginit. Gabriêlis nuntium metro vincit:

Spiritus è cœlo veniet sanctissimus in te,
Virtus ecce tuo confert vmbracula cordi.
Patris obumbrabit te, Virgo, celsa potestas:
Quo dicto, Matris turgescunt viscera fœtu.

Zerda, Maria effigies.

En Patris POTESTAS pro vmbraculo, & flammeo Virginis: cùm enim mulier, apud Paulum, potestatem habere supra caput debeat, vt indicet sub viro esse; ritum hunc noluit deserere supernus Pater, sed potestatem pro vmbraculo in virgineum verticem iniecit, vt nuptam sibi nuncuparet Mariam, statimque sacro fœtu viscera turgerent.

Sed quomodò puella tenera, masculoque destituta vigore, & creaturæ more extenuata, immensam supra caput sustinere potuerit potestatem, quæ illicò consterneret, & labefactaret giganteam molem, caputque lapideum. Demitate prærogatiuam maiestatis. Vt in diuinæ potestatis contubernium Maria alliciatur, omnis super caput eius potestas incumbit; quasi similis sit maiestas, siquidem vtrique parenti vnus & idem Filius est. Quia potestas hæc maritale indicat officium, fœcundasque viri functiones, ideò super caput Virginis ad Filium Dei generandum inficitur, vt cælestem Genitorem virum esse Mariæ ostendat. Et quia Filius Dei, qui in eius vtero generandus est, ab intellecto Patris procedit, per cognitionemque gignitur: ideò potestas hæc veluti velamen in Mariæ capite ponitur; in capite enim situs intellectus collocatur. Ne ergo à ratione Verbi Filius Virginis desciscat, vtpote virgineè conceptus, quasi à cognitione iterum procedere præsignatur, dum super caput Mariæ potestas Patris insidere describitur. Verùm ne à pondere succumbat Virgo, ne ab ignito onere absumatur; ideò potestas illa sub vmbræ temperaturâ tenoatur, quæ, dum teporem, fomentaque tribuat, refrigerium inspiret.

Aduoco Carthusianum in Euangel. Luc. c. 1. art. 8. Carth.
Et virtus Altissimi, hoc est, omnipotens Deus Pater obumbrabit tibi, id est, suam potestatem immensam tuæ capacitati contemperabit, vt eius influentiam ferre queas. Itaque non secundùm plenitudinem suæ claritatis immensam tibi irradiabit; sed velut vmbram suæ resplendentiæ causans in te, effectum suæ potestatis exercebit in te, proportionabiliter ad tuam declinitatem, faciendo in te immediatè per se quod in aliis efficit per viri causalitatem, seu formatiuam virtutem. Quid eminentius, & venustius potuit cogitari? En Pater æternus virum agit Mariæ, quam sibi locauit in coniugem: *Faciendo*, inquit, *in te immediatè per se, quod in aliis efficit per viri causalitatem, seu formatiuam virtutem.* Virum abscedere iubet potestas Patris, flammeumque absistere, ab vllius creaturæ textorio radio plicatum; semet, vt vmbraculo, contegit Mariam, sibi maritans, vt prolem in eius vtero agat, quam in splendoribus sanctorum non agit, sed gignit. Ne autem à toto potestatis Oceano puella publica absorbeatur, lucisque à pelago deuoretur, stagnans pondus, pontumque remittit, & extenuat, in vmbramque redigit, quæ & suam resplendentiam, retibrata luce manifestet, & iuxta Mariæ decliuitatem effectum suæ potestatis exerceat. Vult dicere, quòd sicut vir vxori suæ conformatur, temperatque aliquando granditatem, vt possit cum coniuge in vnum corpus nuptiali vinculo compaginari; sic Altissimus potestatem remisit, vt virgineo in capite insideret modulata, & remissa. Ideò pulchrè *exercebit*, ait, *in te proportionabiliter ad tuam decliuitatem*: id iuxta metaphoram vmbræ, quæ per cliuum montis solet se subducere, quasi à lucis pondere per collis præcipitium constrata: quæ & lucis temperat ardorem, & eius indicat in cacumine abundantiam.

31. En igitur velamen, & potestas, quæ in vxoris capite insigne est subiectionis, humilitatis sarcina, seruitutis stigma; in Maria nobilitatis suggestum est, dominationisque vexillum. Nam Altissimi potestas, dum virgineum caput obnubit, Dei Patris coniugem pronunciat, cui adeò sublimis maiestas insedit, vt illi pro capite sit; vt quæ Filium Omnipotentis gignit, creaturarum habenas moderetur: & ne per tardam ratiocinationem hæc potestas, hocque contubernium, & sacrum connubium arguatur, ipsamet potestas caput Mariæ obumbrat, subsidetque in vertice, vt ex frontis valuis facilè legatur, quòd Maria Omnipotentis est vxor. Euæ dedecus, illi ob noxam inflictum, quando sub viri potestate constituta est Mariæ vertitur in honorem, quam infulæ maiestatis ex nuptiali iure circundant. Hæc enim potestas non virgineū caput obnubit, vt deprimat; sed decorat, vt exprimat connubium: adeóque cum generatione Filij Dei coniuncta est, vt ipse thalamus, in quo à Virgine concipitur, Altissimi potestas sit. Præstò est Gregorius Nyssenus in Cantic. homil. 13. agit de candido, & rubicundo ex Maria genito, sicque proloquitur: *Cuius conceptio duorum à coniunctione profecta non sit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers: cuius thalamus Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans; fax nuptialis, Spiritus sancti splēdor; cubile, vitiorum expers conditio; nuptiæ, puritas incorrupta.* Quàm castus hymenæus! Quàm pudica omnia genialia ornamenta! Quàm mundus muliebris mundus! En ex ritu nuptiarum perstrepunt ista, quæ ingenuè congerit Nyssenus; nubes, id est velamen, quod stylo Pauli, me iudice, nuncupat potestatem; fax, tædæue connubij, coniugatorum torus, cubile; coniunctio. Studuit Diuinitatis germana virginitas nuptias, quas impuritas inquinauit, & ex carnis vepribus sepiuit, stimulisque libidinis vexare non desinit, virgineo more, castissimaque methodo componere, vt addiscat homo vberiorem fœtum ex virgineo connubio innasci, quàm ex polluto thalamo, inquinatisque vinculis assolet edi. Ideò Mariam Patri diuino nubere gestiuit, omnemque nuptialem cultum ex virginitatis penu depromere, vt infinita proles nasceretur, scilicet Christus Iesus, qui vnicus, & immensus est Filius Dei. Fige tibi illud Nysseni: *Thalamus Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans.* Vide Pater, quòd nubes inumbrans fœminam, flammeum, seu amiculum est quod potestatem appellauit Paulus: si hoc fateris, quomodò è capite traducis in thalamum, thalamumque *potestatem* nuncupas, quasi in capite Mariæ thalamus huius sacri connubij sit, in quo potestas, velamen solet inesse? Nimiùm ingeniosè! Quæ Verbum concipit, non incuriosè dixeris thalamum in capite gestare videri, in quo cum spiritali incubet marito, vt progignat filium mentis, cuius situs in capite est. Vlterius, si potestas in capite fœminæ dominantem virum enunciat. Altissimi potestas Mariæ thalamus est; quippe quæ tantùm habet virum Deum Patrem, vt gignat vnigenitum, qui diuini intellectus proles est, in quo sunt omnes thesauri sapiētiæ, & scientię Dei.

Nyssen.

32. Ex quo deduces contorta iacula diuini supplicij, quæ Primigeniam percusserunt, in Virgine nostra obtudisse mucronem, eamque, conuerso stylo, ad supremum fastigium sublimasse: siquidem sub potestate viri est, sed viri, qui supernus est Genitor; qui supereminentem potestatem pro subiectionis flammeo illi impertitur; qui sibi eam delegit in coniugem, vt nouella germina ex nitida virginitatis gleba sese prodeant, & pristinum abstergeretur contagium, quo fæculenta soboles ex nuptiarum thalamo prodire consuescit. Dictum est Euæ: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur* Gen. 2.
tui. Hebraicè est ואל אישך תשוקתך id est: *Et ad* Hebrai.
virum tuum desiderium tuum, seu *appetitus tuus.* Septuag.
Septuag. καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου. *Et ad virū tuum conuersio tua.* Quid est, quòd fœmina plectatur, in eo quòd aueat, & desideret virum, cùm coniugalis amor, si peccatum connubium sit, ritéque geratur, suaui vulnere vtrumque coniugem cruentet, nec sinat esse sui, sed omnem solicitudinem in alterutrius appetitum amandet, & exerceat; nec sic appetere virum supplicio deputetur, sed sapori? Appositè pœnam imposuit sacer iudex in hoc appetitu, & conuersione ad virum. In eo ingenium est: Eua à serpentis virulentis cauillis tenta fuit, nodum tentata; Diuinitatis appetitu Ps. 37. v. 15
contabuit, efferoque desiderio se Deo per scientiam boni, & mali adæquari gestiuit. Semper in sublime appetitus cupido tendit; desiderantis superbia ascendit semper, cùm nullus desideret, quo vilescat, sed quo se proueheat, & fastigiet; illuc omnem dirigit conatum, omnia mouet rudentia, inque exaltationis scopum se conuertit, nec oculos deflectit deorsum: sursum rapitur, vt excrescat. Ergo pœna est: quæ Deo assimilari cupiebas, altumque sapere; deprime supercilium, complica frontem; solùm ad virum erit conuersio tua, eius nutus, ancillæ more, obseruabis; in illum omnes appetitus contorquebis, sub cuius potestate mancipata procūbes. Probè Lippomanus: *Quidquid sub* Lippoman.
potestate alicuius est, ad ipsum semper spectat, semperque id intuetur, id semper exoptat; præsertim si non voluntate, sed naturâ ea subiectiò facta sit. Elegantissima est igitur phrasis Hebraica; ita enim fert natura, vt maiora semper appetamus. Quidquid igitur appetitur, fere maius est. Ad ipsum etiam conuertimur, atque inclinamur. Dicat igitur Deus mulieri; Relicto viro tuo, adhæsisti serpenti, & assimilari Deo desiderasti: deliciæ tuæ erunt subiici viro tuo, ad ipsum semper spectare, & intueri ex animo, omnia, quæ tibi præceperit, exequi. Obserua illud: *& assimulari Deo desiderasti.* In Maria & manet Domini præceptum quo fœminam plectebat; & fœminæ appetitus à serpente accensus, sortem consequitur complementi, miro diuinæ largitatis ingenio. Vir eius Deus Pater est, ad quem conuersio eius sit, omneque desiderium intendat; ne transiliantur iussa Domini legem imponentis fœminæ; & simul priscus ille appetitus inualeat, quo respicere Deum, eiusque similitudinem aucupari fœmina concupiuit: si enim contoralis Dei est, & coniux, per connubij commercium similitudinem Dei venatur, & simul dictis iudicis patet, dum ad virum est conuersio eius. Virtus Altissimi Virginem obumbrat, vt intra conceptaculum maiestatis contegat, ne in aliquid terrenum eius conuersio, & desiderium progrediatur; sed in ambiente nube oculos depascat, ad ipsamque sit conuersio eius. Chrysostomus Chrysost.
homil. 49. in cap. 25. Genes. *Sic poteris parere: Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ne igitur spectes ad terram.* Quæ si connectas cum illis Lippomani: *Quidquid sub potestate alicuius est, ad ipsum semper spectat*, &c. luculentum sensum elicies: Maria non sub terreni viri potestate est, quem spectet, in quem conuertatur: virtus obumbrans ex viro

vito superno est, vt pariat vnigenitum: contegit neobtutus in alterum proiectet; sed illi adhæreat, cuius coniux est.

Deus Pater, & Maria duo in carne vna, *nempe in carneo Filio.*

SECTIO IV.

53. Manet expensum quale contubernium inter Patrem diuinum, & Virginem intercedat. Si caput Virginis est; si eius desideriorum conceptaculum, & scopus; si more nubis ambit, vt intimiùs cum ipsa penetretur: quid coniugali deficit vnioni? Profectò id expetebat vnius indiuisi Filij communio: si enim vniuscuiusque legitimè filius vnus, atque idem est; opus est, fateamur inter vtrumque Parentem, sacrum præcessisse hymenæum, ne notam nothi, & illegitimi subeat filius editus ab vtroque. E costâ viri construitur fœmina, vt assuetum corpori mariti os satagat reuinciri, structuræque pristinæ assui, & in vnam carnem conglutinari. Ideò expergefactus Adamus, nouitate venustę molis illectus, inquit: *Quamobrem relinquet homo Patrem, & matrē, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Sapienter Septuaginta transtulere καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ. *Et agglutinabitur vxori suæ.* Qualenè glutinum hoc? In delirium vsque iuerunt nonnulli apud Eugenium in Cosmopœia ariolantes in innocentiæ statu masculum, & fœminam simul natos iri, naturali ligulâ vinctos, glutinatosque. Abeat somnium istud. Glutinum dicas amoris nexum, commercium corporis, vnitatemque animorum: vt enim affectionis pondere portio corporis viri in virum redire conaretur, ideò artifex fœminam dissecuit è viro; & quia rudis quantitas semel dissecta nescit primævæ substantiæ immergi, alia via ineunda fuit ex spiritus aulâ deprompta; scilicet quòd amore, & desiderio compages iterum dissecti corporis in vnum confluerent, & subtilis affectionis ope ad priscā vnius corporis vnitatem membra redirent. Perbellè Basilius Seleuc. orat. 4. in Adamum: *Hoc nunc est os de ossibus meis. A membro abiunctus philtro vincior: loco seiunctum est, & desiderio coniunctum; qui distulit corpora, animas nostras in vnum contulit. Quomodò alienam reputabo, quæ non extrinsecus, sed à me cepit originem? Quomodò igitur non iterum erimus vna caro, naturæ vi conglutinata, qui anteà cohærentes fuimus.* Accinit Lippomanus Genes. 2. *Nulla erit arctior familiaritas, nullum glutinum amoris synceri, & puri fortius, quàm viri, & vxoris vnicè dilecta contubernium.* Quod caro nesciebat, spiritus edocuit, amor instruxit, disciplinaque mentis inspirauit, quòd in vnum duo regrederentur, & ex desiderio, & affectu vnitas portionibus dissectis renodaretur. Spirituum Pater illustrius connubium cum Virgine pepigit; quam ex mente genuerat, ad virgineum rotum resumpsit, sibique agglutinauit, non extero glutino, sed germani amoris, virtutisque potentis Deum gignere; & dum impleuit carnem fœtu Dei, supremā spiritus puritate sacram coniugem amplexarus est. Obserua, quantùm concorder cum lectione Septuaginta Amadæus, non semel datus, hom. 2. de laudibus Virg. *Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhæsit corde latissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitate tota refundebatur.* Non sat fuit dixisse; *adhæsit corde latissimo Patri spirituum,* iuxta Vulgatum, *adhærebit vxori suæ*; sed & adiecit, *& conglutinata Deo,* iuxta Græcum, *& agglutinabitur vxori suæ.*

Gen. 2.

Septuag.

Eugub.

Seleuc.

Lippoman.

Amadeus.

Spirituum Patri agglutinata Maria, non solùm constanti fibulâ illigatur, sed quasi consolidatur illi, & immergitur ita stricto fœdere, vt ex spiritali penetratione generatiua virtus redundarit in carnem; vt non solùm iam in vno spiritu, sed & in vna carne duo hi sacri Parentes illigati videantur. Si enim eadem vtrique proles est, quæ carne circumdatur, & incarnationis beneficio homo factus est, duo sunt in carne vna. Vnde & spiritu, & carne vniuntur Pater diuinus, (qui inuisibilis & corporis expers est) & virginea Mater, quæ ex redundantiâ dilectionis Vnigenitum Dei corporauit. *Erunt duo in carne vna,* dicebat ille, postquam eluit soporem. Quî vna caro, si duo corpora subsistunt? Annè duæ animæ vnam carnem viuificare valent? Id renuit Philosophia: sed dilectio arguras naturæ leges transgreditur. Animus ardens, coniugemque deperiens, in alterutro coniuge adeò exæstuat, & exundat, vt illius carnem amoris vi informare satagat, extendereque cancellos, propriasque transilire metas, vt sit in eo, quem amat; sicut in eo, quem animat. Nec superuacuus labor, euanidusve conatus. Vnam vterque prolem progignit ex animosa vtriusque virtute, vt portio vtriusque carnis animo viuificatæ confluat in vnam sobolem, in qua tam duplex animus, quam duplex caro, & carnis, & animi venatur vnitatem. 54.

Comprè Hugo de S. Vict apud Lippom. Genes. 2. *Et erunt duo in carne vna, id est, tanta erit dilectio inter virum, & mulierem, quòd vtriusque spiritus nullam habebit differentiam inter carnem à se viuificatam, & carnem alterius dilectam; & si possent, in vna, & eadem carne libenter habitarent. Et quia in re non possunt facere hanc vnitatem, quod possunt, faciunt vnionem dilectione. Vel in carne vna, scilicet in generatione vnius carnis, id est prolis, cooperabuntur.* Peteximiè. Dilectio consequuta est vnitatem in carne, & in generatione vnius prolis coniuges obuiauerunt sibi. Ergonè incorporeus Pater, carnis virgineæ illectus amore, carnem sibi coagmentauit? Ipse quidem non gestauit carnem, qui spirituum apex est; sed tamen vt in vna carne vniretur cum Virgine, Verbum eius caro factum est, carne ex Virgine nundinatâ, quam pretio, & fœnore ditissimæ opulentiæ Maria vendidit Patri Deo, vt carnem indueret Filius eius. Suauiter B. Thomas à Villanoua conc. 1. de Assumpt. expendens illa verba Prouerb. 31. *Sindonem fecit, & vendidit;* sic fatur: *Sindonem, hoc est, mundissimam texuit telam, nitidissimum, purissimam, sacrosanctam illam carnem, quam sapientissimus ille artifex Spiritus sanctus ex Virgineis sanguinibus, veluti ex staminibus in visceribus illius, vt in textorio, sine virili opere intexuit. Illam telam quasi propriam & ex carne eius intextam sapiens Mulier vendidit Deo Patri, vt inde talarem tunicam, & polymitam Filio suo faciat.* Mirabile est, quòd sic distribuat Præsul iste. Si Filius carnem gestaturus erat, cur non Filio carnem perhibet vendidisse, sed Parenti? vel saltim cur non Spiritui sancto artifici, vt in textrinâ vteri corpus intexeret Filio Dei? Communio in prole adegit, vt distributione apposita, Genitori vendidisse dicatur, vt carnis impos, qui inuisibilem lucem inhabitat, carnem

Hugo. de S. Vict.

B. Thom. à Villanoua.

1.ad Tim.6. cum Virgine communem haberet, Filium scilicet Incarnatum: quem non solùm carneum, sed carnem factum esse, forsan ob virgineæ carnis excellentiam,& ob vnitatem in vna carne cum Patre diuino,dixit Euangelista. Ioan.1.

35. Non satista. Sic Pater summus virgineam suæ sponsæ adamat carnem, vt qui incarnationem non subeat, saltim incarnationem amplexetur, Diuinitatisque nube ambiat Filium suum,iam carneum ex Maria; quasi deperiens Marianam portionem,quæ Filium circumdat.Cæsar.dial.1.apud Biblioth.tom.4. *Amplexus autem eam Pater, quæ ex Maria erat, incarnationem Sermonis, è supernis acclamat: Ecce Filius meus dilectus, quo delector. Quibus in verbis intelligit vnicum illum ex se, & ex perpetua Virgine natum nobis Filium Deum, sibi & nobis consubstantialem; ipsi quidem Diuinitate, nobis verò ratione carnis assumptæ.* Non te prætereat illud; *amplexus eam Pater, quæ ex Maria erat, Incarnationem.* Quidnè *amplexus*? Si Incarnatio iam peracta fuit,quæ in assumptione carnis terminum,complementumque inuenit: quî potuit Pater post transacta lustra incarnationem,quæ ex Maria erat,amplexari, cùm neutiquam ipse extiterit incarnatus? Stylus hicce connubio Patris & Virginis obsequitur. Quia in vna carne, scilicet in prole vnâ iam carneâ, Mater & Parens vniuntur;quasi carnem ex Maria, quam non gestat Pater gestiat,& ambiat;incarnationem ex ea dicitur amplecti, quatenus fatetur Filium Virginis suum esse:& ideò,licèt non communis sit incarnatio, communis tamen caro sit, quam,effusâ maiestatis pompâ, Pater in nube declinis ad sinum affricat, mollique gremio blanditur,vt ostendat in vna sobole vtrumque Parentem conuenire. Cæsar.

36. Imò ex hoc carnis coniugalis amore censuerim diuinum Patrem, conniuente aliquo modo stylo,hominem appellari. Audisti parabolam illam ab ore Filij Dei: *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam.* Id de diuino Patre intelligi, consentiens Patrum opinio est: alibi nonnullos notaui. Ergonè Pater homo? Absit Cur igitur nomenclaturam amat, qui non suscipit veritatem? Tantus amor hominis! Si non carnem, saltim carnis vocem sibi nuncupat Parens, & ex Vnigeniti communione humanitatis vocabulum mutuatur. Sicut Filiū instrueret,humanitusque ad induendū hominem exerceret, stylum ipsius Filij humanitati deuincti sibi assumpsit. Sic venustè Origines in Caten.S.Thom. *Homo Paterfamilias Deus est, qui dicitur homo in quibusdam parabolis, sicut si Pater cum paruulo filio suo loquatur infantilia, vt descendat ad verba filij sui, & instruat eum.* Eximia prærogatiua humanitatis! Sese in Trinitatem inuexit nomen Patri, Filio veritatem iniecit: Paterfamilias homo dicitur, Filius homo est: partiuntur inter se fictricis huius solertiæ gloriam: amor in vtroque resplendet, in Patre per appellationem, in Filio per naturam: vtrobique concrepant voces dilectionis ad hominem. Nondum affatim. Ne Filij Diuinitas in periculum verteretur status, ab infidisque negaretur, quasi conuenire cum Deitate nequiuisset, ideò Patrem, quem omnes credunt Deum esse, hominem appellare non veretur Filius ipse; ne vox hominis cum Deitate componi non posse putaretur. Præclarè Chrysostomus in Matth. imperf. *Homo autem dicitur nomine, non natura; similitudine, non veritate. Præscius enim Filius, quia propter appellationem humani nominis, quasi homo purus fuerit blasphemandus, etiam Deum Patrem inuisibilem, hominem appellauit, qui & Angelorum, & hominum naturâ dominus est, beneuolentia Pater.* Quid illustrius? Verùm humanitas, quæ sibi Diuinitatem conciliat, probatque Deum, quem oculis suspiciendum sub carne obiicit, qualis est, nisi quæ ex Virgine desumpta, & in virginitatis officinâ constructa, Deum indicat; adeóque longè est, vt lædat, vt potius ex miraculo generationis ostendat? Auscultare Origenem homil.7. in Exod. c. 15. *Sed vobis ista seruate, & iis, qui acquiescunt vobis, & in coturnicibus agnosci Deum posse putant. Nos autem, quibus in fine sæculi, vel ad vesperam mundi, Verbum caro factum est, in illa carne agnosci dicimus Deum, quam suscepit ex Virgine.* O bellè! Ergo Mariana caro cum Diuinitate paciscitur: quid quòd ab hac humanitate definitus Patremfamilias hominem appellet Filius Dei; ne homo purus censeatur ipse propter humani nominis nuncupationem? Matth.21. Origen. Chrysost. Origen.

37. Deus Pater homo appellatur, vt saltim in stemmate vocis cum humana coniuge conueniat, cuius in spiritu conuentio, & vnitas, carneum edidit Filium Dei. Indixit Apostolus 1. Corinth.11. vers.7. dogma illud coniugatis: *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est; mulier autem gloria viri est.* Qualisnè ista indictio? Operire iubet caput fœminæ, quia gloria viri est; deoperire viro, quia gloria Dei est. Si vtrobique gloria, cur non vtrobique retectio? Gloria propriè est, si credis Quintiliano, *consentiens laus honorum*; licèt distinguat Seneca lib.3. epistol. quòd gloria multorum iudiciis constet, claritas bonorum. Ergo vir gloria Dei est, qui dum è manibus Creatoris constructus prodiit, erecto ad sydera vultu, inibi Creatorem signat, inclamat, ipsiusque laudem, & nomen cæteris creaturis indicit. Quare nè operculo capitis gloriam hanc perstringat, & comprimat, aperto capite incedere iubetur. Fœmina verò ex viri costa fuit; quasi molimen viri, eiusque portio ipsum virum tacito naturæ indicio declarat; ideò gloria eius est: sed tegere caput præcipitur, ne caput habere extraneum à viri capite censeatur, quæ ex costa, non ex capite ædificata est, vt vnum in vtroque insidere caput censeretur: adeò compaginata debet esse viro, vt cùm ipsum prodit & indicat, cum ipso ferruminata putetur. Ideò carnem suam dixit Adamus, licèt non carnem, sed os dederit ad structuram; ne aliquid diuiduum inter alterutrum esset, quod à viri capite fœminam discinderet, & amputaret. Annè Maria gloria viri sui est? Si non noui virum, si non ex osse formata, quæ potiùs virum formauit; si carnis contubernium functionibus viri abnuit, virum celebrare nequibit, eiusque gloriam in capitis suggesto perorare. Sed Mariæ vir Deus Pater est; ideò Maria peruiâ ratiocinatione gloria Dei dignoscitur nuncupanda. Damianus serm.45. *De qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te, Gloria Dei.* Quomodò gloria, si non ex Deo, sicut ex costa Adami, caro eius compacta fuit? Mutatus status. Ideò gloria Dei Patris, quia ex carne Virginis clarificatur Deus, gloriosoque emicat splendore: quippe eius fama mundo innotuit, & ex claritate Filij circundati virgineâ carne, claritas in Patre refulsit. Origenes homil. 6. in cap. 15. Exod. *Equidem quantum possum conicere, videtur mihi aliud* 1.Cor.11. Quint. Senec. Gen.3. Dam. Origen.

esse

esse glorificari, aliud gloriosè glorificari. Nam Dominus meus Iesus Christus, cum carnem ex Virgine Maria pro salute vostra suscepit, glorificatus est quidem. Et statim: *Vis scire, quia glorificatus est? Ipse dicebat: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Si clarificatur Filius, decorem induens in virginea carne, sinuosamque maiestatis trabeam cingulo humanitatis præcingens; Patremque exinde clarificat, vtpote hominibus manifestans, se Patrem habere Deum, qui ex Virgine absque viro genitus inclaret; Pater ex carne Virginis glorificatur, quæ ipsius gloria est, sicut mulier viri. Quare caput velare non debet, sed retegere peplum, gloriæque suggestum erigere vsque ad cœlum: vt duodecim stellis coronetur, quæ amicitur à Sole: cui ignea lampas leue theristrum est: quam gloria Domini vestit, omnisque cœli adornat apparatus.



ACADEMIA X.

An virtus genitrix in vtero Mariano Patri superno valeat appropriari?

Maria Deo Patri nupta, vt Filium eius gigneret, & ab eo.

SECTIO I.

1. VORSVM hic facet hymenæus inter superum Genitorē, & Virginem Matrem insonuit? Quorsum genialis cultus roseum constrauit thalamū, faces illuxerunt, epulaq; condîta cœlestem spirauêre nidorem, cubileq; virgineum distillantib' manauit vnguentis; nisi vt Pater æternus viri munus sgeret in Maria, illamque fœcundaret ad prolem, tumentemque efficeret vterum virgineo pulsu, castissimo illapsu, aureo imbre, floridoque flamine super benedictæ virtutis? Omnis Trinitas virtutem indidit Virgini, vt prolem conciperet diuinam. Assumpsit carnem sola persona Filij; incarnationis tamen sacramentum Trinitas peregit: quidquid enim agitur, ab indiuisa Trinitatis potestate patratur; non quidquid gignitur: nam Filius gignitur in diuinis, cui tota Trinitas artifex non est, ab vtero solius Patris procedere dignoscitur. O quale inuentum, vt à tota Trinitate Filius hicce dimanet! Stetit amor, ablactauit ab vbere Patris, adegit, vt etiam fieret, qui solùm gignebatur, & sic tota Trinitas sibi Filium adsciseeret, in vteroque construeret virgineo; & genitus, & factus esset Filius Dei. S. Fulgentius contra serm. Fastidiosi cap. 8. *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex Matre. Proinde sicut indubitanter prædicamus natum, sic vtique prædicamus & factum. Dicimus enim sine initio natum de corde Patris: dicimus in tempore factum opere Trinitatis. Filium enim suum proprium, & de sua natura Pater genuit, & de natura Virginis fecit. Quidquid autem fecit, cooperante Filio, & Spiritu sancto fecit. Filium ergo suum solus quidem Pater genuit, sed non solus fecit. In Filio enim vnigenito, solius æterna generatio Patris; & in eodem Filio facto, vna totius est operatio Trinitatis.* (6 Fulgent.) Vera sunt ista, fideique robore fulcita, tamen à studiosa, fidelique lucubratione non abhorret discutere, quali ea tribus diuinis personis attributione Theologica possit arrogari generationis huius in vtero Virgineo opificium? Non id derogat operi Trinitatis indiuiso. Ingeniosæ vestigationis munus est scrutari ista. Alijs sua sententia blandiatur: attribuunt tantùm Spiritui sancto, attribunt, & singulariter ipsi Filio. Certū est Spiritui sācto appropriari ab Ecclesia, quæ conceptū de Spiritu sancto prædicat Christum. Qua veritate incōcussâ manente, adhuc tamen disceptari valet, an id Spiritui sancto conueniat; quatenus à Patre in hoc opus missus est: ac proinde peculiari appropriatione Patri diuino fœcundi viri adscribere possimus officium, qui ad prolem suam generandam, virgineum sinum per Spiritum sanctum virtute laxauerit supernâ? Sic penitiorem cum cœlesti Genitore similitudinem Virginis exprimimus, dum ad fœcundum eius thalamum Virginem nostram satagimus introducere, vt quem ille Filium in splendoribus Sanctorum concipit diuinum, Virgo Mater ab illo grauidata concipiat humanum.

Et quidem in hac attributione ipsi sanctæ Trinitati consulitur. Si etenim illud obtinuit Incarnatio, quòd Dei Filius non iam solius Patris progigneretur ab vtero, sed & à communi fieret potentia Trinitatis; sapienter cogitatur, diuino Genitori signanter hoc opus attribui, vt verè Filius Dei agnoscatur à tota Trinitate prodisse, idem ipse, qui in croceis lucibus intra Diuinitatis penetrale generatur: sicque Trinitatis arcanum innotescat. Huc adsit Rupertus lib. 5. in Genes. c. 37. *Christi Filij Dei Incarnationem præsentia sua maiestatis tota Trinitas in hospitio Virginei ventris operatur, & exinde nomen eiusdem Trinitatis, nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti toto mundo publica prædicatione declaratur. Nam Pater est, qui Virginem impragnat; Filius, qui natura induitur humana; Spiritus sanctus, cuius operatione concipit Virgo, quæ virum non nouerat.* En indiuiduum Trinitatis opus: & tamen *Pater est*, inquit, *qui Virginem impragnat.* Si Spiritus sancti operatione concipit Virgo, cur Patri grauidationem itrogat subtilis Abbas? (2.) (Rupert.)

Sed si vir Mariæ Pater est, quid quòd grauidet, impleatque ventrem fœtu Dei? Idem stylus est apud Chrysippum orat. de laudib. Virg. col. 3. *Ipse Pater sibi ipsi desponsabit, Spiritus sanctus efficiet ea, quæ ad desponsationem pertinent, Filius ipsum templi tui decorem assumet.* En Pater perhibetur sponsus, Spiritus autem sanctus geniales parat instructus, & hymenæi ministeriis incumbit: illicóque Filij præsagitur natiuitas, vtpote à Patre in virginea vulua generati. Non dissidet Hesychius serm. de laudib. Virg. col. vltim. *Pater hospitatur apud te, & Spiritus sanctus obumbrat, & assumpta carne, Vnigenitus ex te nascitur.* Quid est illud; *Pater hospitatur?* Censeo alludere ad antiquorum solemnem in hospitando ritum, de quo Budæus in Pandect. expediens illud Plauti in Pœnulo, act. 5. scen. 1. in fine. (3.) (Chrysip.) (Hesych.) (Budæus.)

Deum hospitalem, ac tesseram mecum fero.

In hospitio stabilis amicitiæ necessitudo contrahebatur, tesseraque dabatur hospitibus, quam qui ferebat, è vestigio excipiebatur tanquam amicus,

& verus hospes. Quod quidem necessitudinis ius transibat ad posteros in amicitiæ symbolum, & hospitij fidem. Deus hospitalis *Iupiter Xenius* vocabatur: *Xenium* enim donum significat, dari solitum hospitibus, de quo Martialis integro lib. 13.

Matt. Hospitium igitur amicitia est, necessitudinis iure stabilita, vt qui peregrè proficiscitur, quasi familiarem, & vernaculam aulam, in qua hospitetur, inueniat. Itaque Pater hospitatur in Maria apud Hesychium; quippe in ea necessitudinis, & cognationis ius contraxit, sibique propriam effecit, quæ sterneret thalamum, & intra cubile sinus exciperet: cùm enim sacra Virgo ex amore conce-

Ioan. 3. 16. perit, quippe diligens Pater Filium suum vnigenitum dedit; scitè hospitium Patris, id est amicitia, nuncupatur. Quam vt subintret, hospitalē tesseram ferre diuino Parenti opus est, quippe alium virum non cognoscit. Imò hospitalis tesseræ situs mutatur; non enim hîc in hospite est, sed in hospitio. Virgo nostra tessellata extitit ab initio, vt à diuino Patre agnosceretur; nec alicubi diuerteret, & moraretur tanquam in thalamo, & hospitio,

Prouerb. 8. Rab. Him. nisi in Maria. Illa verba: *Ab æterno ordinata sum,* transfert Rabbinus Himanuel: *à sæculo tessellata sum.* Ea vox Virginis est, quæ hospitalis tessera est, vt in ea hospitetur, & pro hospitij mercede Filium vnigenitum ibi gignat; & Spiritus sanctus obumbret, ne audeat prophanus, & barbarus hospes virgineos thalami turbare amplexus.

Ildeph. Bellè Ildephons. de Virg. Mar. cap. 2. *In hac regione solitudo Deo tantum, & domui: in hac mansione singularitas hospitio tantùm, & hospiti: hic locus cum vno tantum adnectente cohæret.* Quem locum alibi exploremus.

Rupert. Persistit Rupertus in suo cogitatu lib. 1. in Cantic. *Quam non flamma ignis de deorsum; sed desuper Sol decolorauit, quòd salua virginitate grauida esset: quam non vir terrenus, sed Pater cœlestis de Spiritu sancto grauidam fecit.*

4. Nondum rationem subdidimus, cur Patri grauidatio adscribatur; & tamen Spiritus sancti ad grauidam faciendam aduoceretur impulsus? Id perbellè Theologica, & Philosophica ratio suadet. Vir gignit filium mediâ animæ virtute, quæ est in semine per spiritum, quo incalet. Spiritus sanctus à Patre procedit, & Filio, qui Patris virtus est. Hinc appositè nimium Pater dicitur grauidauisse Virginem de Spiritu sancto, Altissimique virtute, vt nitido puritatis flore absque vlla inquinamenti notâ Filius in Mariæ vtero genitus decan-

S. Thom. tetur. S.Thomæ acumen est, quod alibi do 3. part. q. 32. art. 1. ad 1. *Nam ipse Spiritus sanctus est Spiritus Filij secundum illud ad Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui. Sicut autem virtus animæ, quæ est in semine per Spiritum, qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum; ita virtus Dei, quæ est ipse Filius, per Spiritum sanctum corpus formauit, quod assumpsit.* Hinc

Damian. percalleo, quid sibi voluerit Damian. serm. 43. de S. Vict. col. 2. cùm dixit: *Hoc est illud granum sinapis, quod in vtero Virginis Dei Patris manibus seminatum.* Quid est illud, *Dei Patris manibus?* Profectò Spiritu sancto, & Filio Dei, qui manus

Basil. Dei Patris nuncupantur. Basilius lib. 5. aduers. Eunom. *Quænam erunt incorporei Dei manus incorporeæ, quæ firmamentum, & cœlos crearunt? Ille ipse Propheta explanat, cùm dicit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* Apprimè igitur Damianus Deum Patrem manibus seminauisse Filium in vtero Virginis perhibuit, vt incarnationis structuram toti appingeret Trinitati, & tamen Deo Patri adscriberet, signatâ appropriatione, genituram per Spiritum, & Virtutem operanti.

Prouocat Ildephonsus libro contra eos, qui disputant de perpet. virginit. Mariæ, qui ex Petro 5.

Rauennate sic fatur: *Stulte, vnde sordes in Virgine Matre, vbi non est concubitus cum homine pa-* Ildephons. Rauen.

tre? Vnde sordes in ea, quæ nec concipiendo, libidinem, nec pariendo est passa dolorem? Vnde sordes in domo, ad quam nullus hospes accessit, sed solus ad eam fabricator Dominus venit? Insolitus stylus hicce: *non est concubitus cum homine patre.* Ergonè concubitus præcessit cum homine, qui Pater non fit? Absit. Venustissimâ phrasi vsus est Rauennas. Limpiditatem, & nitorem Virgineæ generationis explicare gestiuit: omnem dimouet hominis concubitum: & ne putes patrem defuisse, incubabat enim Deus Pater, hominis patris concubitum abnegauit. Quòd si qui incubat, iam Pater est; nescit generatio aliquo inquinamento notari: concubitus enim eò tendit, vt pater fiat, qui nondum est; è potentia transit ad actum: & ideò opus est, quòd antequam pater appelletur, thalamus polluatur. Cæterùm qui iam Pater est ipsiusmet prolis, quæ denuò gignitur; florida puritate vterum fœcundare dignoscitur: vtpote qui iam antea erat Pater, & sic indoles eius est, absque inquinamento prolem illam æternam generare. Namque si proles ista potuit olim Deum Patrem habere absque vlla castitatis iniuriâ sine coniuge, sine sectione, perpessioneve; potuit vtique & habere Matrem absque hominis pulsu, absque calamitate pudoris, absque homine patre. Profundè

Tertull. de carne Christi cap. 17. *Itaque sicut nondum natus ex Virgine Patrem Deum habere potuit sine homine Matre; æquè cum de Virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre.* Itaque sine homine patre in Mariæ vtero concipitur Filius Dei, vt innotescat ex Deo Patre produci. Tertull.

In quo Tertulliani acumine non prætereundum, quod inlatet, sacramentum. 6. Deus Pater à temporibus æternitatis non ex fœminæ sodalitio gignebat. Renuit Diuinitas diuiduis adiuuari consortiis, & exteris compleri subsidiis. Verùm impossibile erat temporaliter eumdemmet Filium generari à fœmina, thalami experte, iugalisque societatis immuni, quin viri virtus aliqua superiore virtute suppleretur: naturæ enim leges nequit transgredi creatura, quæ ex compositionis ignobilitate, qua constat, componi cum adiutorio indiget, vt fœtum edat; masculaque completi virtute, vt ferax sit. Ideò concinnè satis ille Deus, qui absque fœmina generabat, cum fœmina absque viro generante connectitur, vt gignatur Deus & homo; & humana Mater contoralis fiat diuini Parentis. Probè S.Bernard. Senens. tom. 1. ser. 61. Bernard. Senens.

art. 1. cap. 4. *Impossibile erat Deum cum alia persona generare: impossibile erat Virginem sine persona generare. Accessit ergo Deus ad Virginem, & necesse fuit Virginem generare, & non alium, quàm Deum, & non de alio, quàm de Deo. Sed Deus non potuit generare, nisi Deum de se: & tamen Virgo Deum fecit hominem.* O diuina coniunctio, Dei absque fœmina potentis, fœminæ absque viro feracis! O compar thalamus, in quo virginitas dedit fructum suum! Supremus virgo prole redimitur æternâ, cui necessitas est virgine generare: exarsit virgineè etiam gignere, non iam

et

ex necessitate, sed ex amoris arbitrio. Qualis ars? Supremam Virginem deligit, consensum exquirit, consulit arbitrium, vt iam non ex necessitate, sed ex amore, non in solitudine, sed in consortio, thalamoque, adhuc tamen virgineè progignat. Ideò nouum thalamum parat Maria, priùs per amorem desponsata, vt ex Patre cōcipiat, & Virgo permaneat. Damascen. orat. 2. de Assumpt. Virg. *Oportebat eam, quam Pater sibi desponderat, in filij sui thalamis habitare.* Nonnè sat thalamus erat? Cur thalamos pluraliter efferr? Præclarè generationem duplicem innuit Damascenus, illam scilicet, quæ apud Patrem erat, hancque, quæ apud Virginem peracta est: & in vtroque thalamo considere Virginem, subtili præsentit acumine. Patilitas vtriusque coëgit; quippe vtrobique virgo Pater thalamum implet; & dum Virgini desponsatur, ad illius thalami aduocat participium, vt quæ temporali thalamo concipit, ab ipsomet luminum Patre fœcundata, ad pristini thalami splēdoribus sanctorum suffusi, ex eiusdem Filij communione indiuisâ, admittatur contubernium. Quare vterque thalamus, & vtraque natiuitas vnâ periodo copulatur. Ambros. in epistol. ad Colos. cap. 1. *Vt erudiens omnem hominem in hac sapientia; consummatum eum exhibeat Deo in intellectum Christi, vt mysterium natiuitatis ex Deo, & natiuitatis ex Maria, & totius operis eius cœlestium, & terrestrium assequatur.*

Damasc.

S. Ambros.

7. Succedat S. Leo sermon. 2. de Christi natiuit. *Noua autem natiuitate genitus est, conceptus est à Virgine, natus ex Virgine, sine paterna carnis concupiscentiâ, sine materna integritatis iniuriâ: quia futurum hominem Saluatorem talis ortus decebat: Auctor enim in carne nascenti Deus est. Origo dissimilis, sed natura consimilis, humano vsu, & consuetudine, quod credimus, caret; sed diuinâ potestate subnixum est, quod Virgo conceperit.* Obserua illa, *sine paterna carnis concupiscentiâ*, vt coniungas cum Tertullianicis, *sine homine patre*, & cum illis Rauenatis: *non concubitus cum homine patre.* Quàm concors Patrum accentus! Vt indicent Deum Patrem speciali propensione vterum Virgineum incoluisse, qui germen protulit æternum; non Patrem vtcumque ab hoc sacro thalamo deportant, & dimouent, sed patrem hominem, paternæque carnis inquinamentum: *Auctor enim in carne nascenti Deus est*: Verùm si apud Leonem, originis dissimilitudo monstratur; cur eidem superno Genitori, in quo æterna insidet generandi potestas, originem hanc in carne adscribit? Quòd enim Patrem quasi digito ostendat huic incubuisse sacramento, non inuitè extorquetur ex eo, quòd huius generationis Deum appellauit *Auctorem*. *Auctoris* vox peculiari attributo recinitur Patri, qui Auctor Filij nuncupatur, non æqualitatis iniuriâ, sed diuinæ generationis indicio. Sic Hilarius lib. 9. de Trinit. *Cùm innascibilis Deus ad perfectam diuinæ beatitudinis natiuitatem vnigenito Deo auctor sit, auctorem natiuitatis esse, sacramentum paternum est: cæterùm non habet contumeliam, qui se auctoris sui esse imaginem genuinâ natiuitate consummat.* Ergo licèt tota Trinitas virgineæ conceptionis auctor fuerit; tamen quia similis natura, quamuis dissimilis origo, humanum vsum respuit, diuinam expetit potestatem; congruâ dictione vocabulum auctoris elegit Leo, vt diuinam saperet generationem temporalis ex Matre.

S. Leo.

Hilar.

8. Gaudet supernus Genitor *Auctoris* voce, cùm Filius in Virgine generatur, quasi Auctoris stemma sibi à tota Trinitate præripiens ob speciale connubium cum Maria. At gaudet & Filius simul Filium hominis, Filiumque diuini nuncupari Parentis, vt & Matrem prouehat ad solium, & ab eius vtero non degenere nobilitate prodisse subsignet; sed eo potiùs lucis satellitio, quod ipsum à Patre summo genitum euulget. Luc. 2. querula Mater Filium inter Seniores assidentem alloquitur: *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ad quod ille: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Expende. Ad vocem *Patris* puer Iesus, quasi reluctans, benignâ in Matrem pietate succenditur. Dixerat illa: *Pater tuus & ego.* Quid ais, ô pudica, quæ Angelo, toso suffusa pudore te virum non cognoscere obiiciebas? Cur virum hunc patrem sacri pueri, nedum appellauisti, sed & dedisti primatum; nec enim *ego, & pater tuus* dixisti; sed *pater tuus, & ego?* Vide, Virginum primipila, quòd dignitas tua non patitur te in vna periodo cum humano includi parente, quam Angelus cum diuino inclusit Genitore, ne vel syllabis longius ires ab eo, ex cuius fœcunditate Filij Dei Mater effecta es. Augustinus serm. de Christi Pat. *Christum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei: Ecce concipies in vtero & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Meruerat parere Filium Altissimi, & erat humillima, nec se marito, nec in ordine nominis, præferebat, vt diceret. Ego, & Pater tuus; sed Pater tuus, & ego.* Humilitatis ergo fuit, non noxæ pudoris, iniuriæve virginitatis, patrem hominem nuncupauisse. Sed Filius pro Matre solicitus expungit vocem, dictionem emendat, nec patris vocabulum abradit, sed instruit, qualis intelligendus sit Pater, qui componitur cū Maria, scilicet diuinus; cui Patris nomenclatura ita vernacula, & propria est, vt eum ab aliis diuinis personis discriminet. Græcus apud Caten. D. Thom. *Sed ipse Dominus respondet ad omnia, & corrigens quodammodo dictum eius de eo, qui putabatur pater, verum Patrem manifestat, docens non per infima gradi, sed in altum extolli.* Quòd autem non de tota Trinitate, sed de persona Patris dederit responsum, protulit Beda lib. 1. in Luc. cap. 2. *Non Ioseph, qui nihil in eius generatione præter ministerium præstitit, & affectum; vnde & pro fideli ministerio & ab Euangelista, & ab ipsa Maria pater appellatur: vel ipse Christus suum negat esse parentem, sed simpliciter, & apertè, qui sit verus sibi Pater, insinuat. Non quòd eum quasi Filium quærunt, vituperat; sed quid ei potiùs, cui æternus est Filius, debeat, cogit oculos mentis attollere.* Ast quomodo Patrem nuncupat eundem illum, à quo æternâ generatione procedit puer iste, dum carneus, dum humanus est? Certè qui Pater eius est, dum gignit æternum; non propriè gignens est, dum gignitur temporaliter: Deus tamen est, & Pater eius, sed non propriè gignit vt hominem, ne Trinitati compar vsurpetur opus. Adsit Anselm. in epist. ad Ephes. cap. 1. *Ipse Dominus noster & est Iesus, id est Saluator noster; & est Christus, id est Rex noster, siue Sacerdos. Hoc totum dicitur respectu humanæ naturæ, quia secundùm humanitatem tantùm est Deus Christi, qui secundùm diuinitatem eius, est Pater ipsius. Qui enim in tempore creauit eum ex Virgine, ipse ante omnia tempora de seipso genuerat eum.* Neutiquam negat Anselmus diuinum Genitorem, Patrem

Luc. 2.

August.

Græcus.

Beda.

Ansel.

trem esse Christi,etiam in quantum hominis,cùm prædestinatus sit Filius Dei per vnionis gratiam; & licèt à Patre non signatò generatione concipiatur in Virginis vtero; tamen ex filiatione subsistente,quæ humanitatis terminus est, & hypostasis, in sacram Patris prolem adsciscitur. Mens Anselmi est,quòd cùm Paulus vocat *Deum Christi*, humanitatem solùm concernit,non diuinitatem,in qua non Deus quasi superior,sed Pater Filij nuncupatur. Quare caue,ne ly *tantùm* connectas cum sequentibus, scilicet *est Deus Christi*, vt sensus sit,quòd solùm sit Deus Christi,& non Pater;quin potiùs necte cum præcedenti dictione,vt sit sensus:secundùm humanitatem tantùm,Christi Deus est, qui secundùm diuinitatem eius , est ipsius Pater,& non ipsius Deus.

9. Nescit à Matris virgineæ dictione seiungi Pater diuinus, cùm de Filij generatione disceptatur: vicinis characteribus illigantur,quos indiuisa proles eo nodo constrinxit, qui vertentibus sæculis perdurat implexus. Vis,tenaciùs id fulciamus?Adi Euangelicum vatem : *Antequam sciat Puer vocare patrem suum, & matrem suam , auferetur fortitudo Damasci,& spolia Assyriorum*. Concors Patrum sententia est hic agi de Emmanuele , siue Christo. Iustinus in dial.aduers. Tryphon. Eusebius lib.7. demonst. Euangel. cap.3. Ambros. in cap.3.Luc.Epiphanius libro in compend. fidei cathol. Athanasius de incarnat.Verbi lib.1.Qualisnè Pater hic ignoratus à puero? Augustin. serm.4.in festo Epiphan. *Antequam per humanam carnem humana verba proferret , accepit virtutem Damasci*. Chrysostom.in cap.2. Matth.homil.2. *Priusquam secundum corpus inciperet cognoscere Patrem , aut Matrem , virtutem diaboli subiugauit*. Cui censioni arridet Epiphanius in Anchorat. Ideò scilicet nescuisse vocare patrem, aut matrem pusionem hunc,ne naturæ leges transilire videretur, in periculumque veritatis natiuitas humana procumberet: quippe si illicò editus ex vtero,linguam laxaret in verba, spectrum hominis censeretur,non homo Bene ista,vt pote ex sacrorum tractatorum disciplina. Cæterùm adhuc pungit aculeus,quid est,quòd sedulâ curâ patrem,& matrem coniungat Propheta , cùm sat esset ad teneritudinem puelli explicandam, vnum, aut alterum apponi? Grandi mysterio nectitur vtrumque. Velocitas Verbi Dei ad exuuias diripiendas describitur. Antequam quidem vterum incoleret Matris, Matrem vocare nesciebat, cùm tantùm habuisset Patrem,à quo gignebatur. Cùm eum pudico puerperio Mater edidit, iam Matre , & Patre pollet; vtrumque inuocare quit. Ergo volucris illi fortitudo cantatur,pernixque armorum strenuitas,qui nondum incarnatione peractâ, adhuc se in typis, & vmbris eius exercens, percussit Assyrium, expilauit Samariam , fortitudinem exuit Damasci. Acutè Rupert. in Esai.lib.5. cap.34. *Nunc interim , dum est apud Deum , Deus Verbum nondum caro factum solummodò Patrem inuocare scit : cùm autem Virgo conceperit , & pepererit , tunc demum & Patrem inuocare sciet , & Matrem. Multum ergo accelerabit , multum festinabit, qui antequam nascatur de Matre, antequam Patrem hinc, & matrem inde debeat habere , auferat fortitudinem Damasci ,& spolia Samariæ , Regem quoque Assyriorum percutiat de exercitu suo*. En Pater diuinus , Virgoque Mater propinquioribus syllabis coniunguntur ; vt qui semper Pater est , quando iterum gignitur Verbum eius , à Paterna nomenclaturâ non orbetur ; sed sub Virginea Mariani vteri periodo copuletur castissimis amplexibus cum Matre:quoniam Filius Altissimi, proles,quæ concipitur,nuncupanda est. Imò velocitas illa ad manubias detrahendas, dæmonemque supplantandum ex præmeditato Manæ sinu accensa fuit. Hesychius orat.2.de laudib.Virg. *Vide,quanta,& qualis est Deipara Virginis dignitas. Vnigenitus enim Dei Filius velut infans gestabatur ab ea , & Adamum reformabat, Euamque sanctificabat, excludebat Draconem, & Paradisum aperiebat, sigillum vteri muniens*. Quæ omnia facinora ocyssimâ fortitudine peracta, nimiúmque præcoci lauro redimita virgineis vlnis arrogat Hesychius , prærogatiuæque Matris attribuit : ne dubites, quòd Matris vox etiam mussitata , ad Matrisque vterum ingrediendum procinctus,& incarnationis meditatio impulit Verbum Dei ad domandum Assyrium, subiugandam Samariam, Damascique perniciem.

Hunc vtriusque Parentis nexum amat prædicare Hieronymus lib.13. in Esai. cap.45. *Væ qui dicit omnipotenti Patri : Quare tu generas Filium? & mulieri sanctæ Mariæ : Quid parturis ?* Mirum est,quòd sic concinnet vtrumque,& sub vna execratione plectat Patris , & Matris inimicum; quasi nesciat alterum piaculum ab altero segregari, & qui inficiatur Patrem generare, procliui linguâ Matrem parturire, abnegare teneatur. Quin quasi vnicus ex Matre,& Patre generationis esset status, Matrisque puerperium generationi Patris succedat , sicut dicitur generare vir , parere mater: sic verba composuit Hieronymus , quòd dum de Patre ageret : *Quare tu generas ?* inquit ; dum de Matre : *Quare tu parturis ?* Duas generationes, duasque natiuitates vnius Filij eâ styli concinnitate compressit: quòd velut si in vnam redigeret, vtrique Parenti distribuat officium; generationis, Patri ; puerperij, Matri. Et tamen qui in croceis splendoribus gignitur à Patre , etiam à Patre solo parturitur: & qui parturitur à Matre,etiam à Matre sola generatur. Sed vnitas Filij cōpegit vtrumque Parentem ; generantemque, & parientem sub vno colligauit amplexu , vt à Patre signanter genitus in vtero Virginis, conniuente appropriatione,censeatur,qui totius Trinitatis opus est. Imò prona argumentatione mens benè instructa colligere valet totum esse Dei Patris Filium proprium, & legitimum,ex eo quòd totus est Virginis proprius. Do tibi Alcuin.lib.6.contra Fœlic.col.13. *Ergo si ille, qui natus est ex Virgine, totus est proprius Virginis Filius ; æquum est,vt credamus eundem esse Dei Patris proprium Filium*. Qui neruus in eo tenditur, quòd si Maria totum Filium protulit , vtpote cuius nulla portio adiacentis viri fuit,nullum appendix subsidium ; opus est,quòd iste Filius, tametsi non virum,saltem Deum, Patrem habeat;quod si habere compertum sit, promptum est agnosci,à Patre Deo absque coniugis iugalitate generati;ac proinde totum esse proprium ipsius,nullamq; portionem,sectione intercedenti, illi perire potuisse.

11. Obsistit acriter præfatis Alberti Magni nobilis auctoritas. Differit,cui ex diuinis personis attribuenda sit Christi generatio? Suffragium dat Spiritui sancto. Lubet verba dare in Marial.cap.238. sic disputat: *Quæritur , de quo facta sit conceptio, tanquam de causa efficiente per appropriationem? Videtur, quòd de Patre. Conceptio enim fide generante : Patris autem solius est proprium generare*.

rare. Item generatio temporalis, imago est generationis æternæ: sed illa est de Patre; ergo & ista. Idem est nobis Filium dari, quòd generatio temporalis: sed illa datio est à Patre æterno; ergo & conceptio. Sistit litem Albertus: *Dicimus, quòd hæc conceptio est opus Trinitatis, appropriabile tantum Spiritui sancto rationibus assignatis. Patri autem congruit generatio, quæ est in identitate substantiæ. Omnis enim Pater generat in identitate suæ naturæ & substantiæ, vt Deus Deum, homo hominem. Item generatio temporalis, quamuis habeat cum æterna conuenientiam remotam, non tamen propinquam. In ista enim temporali est differentia eiusdem naturæ inter Patrem, & Filium. In æterna non est differentia eiusdem naturæ, & essentiæ inter Patrem, & Filium. Vnde hoc non appropriatur Patri, sed Spiritui sancto, cuius est donorum distributio.*

12. Fatetur, Spiritui sancto conceptionem hanc appropriari: id nos in inferioribus diuite censu locupletabimus. Non id euertit præfixa, in quibus Patrem ad generationem hanc accimus ob concinnitatem cum Virgine, sacrumque connubium, quod in generandam subolem tendere solet. Spiritus sanctus functiones seminis obiuit, per appropriationem quidem; vtpote qui ex originis indole immittitur, & ex personæ proprietate donum, & amor est, qui vsque ad intranea permeat, & intima penetralia peruagatur. Patrem dicimus generantem, quippe qui & Spiritum sanctum misit in Virginem, & virgineo ambitu amplexus est. Cùm tamen propinquius, & propentius generationi semen sit; ideò Spiritui sancto communi calculo hæc sacra adscribitur generatio. Ast Pater ablegandus non est, vt tot Patrum præiucta testimonia confirmant. Quòd si tibi figas, Carthusianum percallebis de dignit. Mariæ, artic. 11. *Pater tibi vnicum suum, charissimumque Filium misit, deditque. Fecit insuper te suam veram sponsam, eumdem, naturalemque suum Filium ex te gignens. Porro Spiritus sanctus hoc adorando te germine ineffabiliter impregnauit, à quo ipse verè, ac æternaliter procedit.* En vtrique generationem appropriat; Patri, vt gignenti; Spiritui sancto, vt impregnanti: quod nisi distinguas inter generantem, & generantis virtutem; nimiùm friget, confusionisque tenebrâ offunditur. Ergo pro virtute actiuâ Spiritus sanctus fuit. Sic S.Thomas 3.par. quæst.32.art.2. ad 2. *Secundum quod in semine intelligitur, virtus actiua; sic Chrysostomus, & Damascenus comparant semini Spiritum sanctum: secundùm autem quod in semine intelligitur, substantia corporalis, quæ in conceptione transmutatur, negat Hieronymus Spiritum sanctum fuisse pro semine.* Præfatis neruosè adstipulatur Iansenius in concord. cap.3. *Non enim in hac admiranda Christi conceptione Spiritum sanctum intelligere debemus, tanquam generantis Patris supplere locum, ne Christus Filius Spiritus sancti asseratur, quamuis aliquin indiuisa sint opera Trinitatis: sed Deum Patrem obtinere locum generantis; Spiritum sanctum autem à Patre procedentem, locum seminis.*

Carth.

S.Tham.

Iansen.

13. Igitur nostra mens nec hilum deflectit à communi vestigio. Certum est conceptionis virgineæ opus Spiritui sancto appropriari; ideò conceptus de Spiritu sancto in symbolo decantatur: ideò Spiritum sanctum cœlestis nuntius in primatu dictionis collocauit, & à tertiâ personâ Trinitatis, inuerso stylo, sumpsit exordium: *Spiritus sanctus superueniet in te*: ideò de hac conuenientia appropriationis non leuiter dissentiunt Theologi in 3. dist.4. & cum S.Thoma 3.p.q.32. art.1. nosque infra non pauca ingenia ex sanctis Patribus eruta condiemus. Quæ licèt stata, & firma sint, denegandum non est complures suppetere rationes, quæ euincunt diuinum Patrem ad Filium suum, in Mariæ sinu generandum, signatissima attributione cum virtute obumbrante incubuisse: licèt enim totius Trinitatis opus fuerit; Pater tamen Deitatis fons dicitur, & operari per Filium, & Spiritum sanctum, non inæqualitatis periculo, sed ex originum proprietate.

Luc.1.

S.Thom.

Viri Virtus, otiosa esset in Virgine, cui Virtus inerat superi Genitoris.

SECTIO II.

14. LVCVLENTVM, & venustum Marianæ virginitatis argumentum est, quòd proles quæ in eius vtero concipitur, supernum habeat Parentem: si enim Filius æterni Patris concipiendus erat, otiaretur extera generatrix virtus. Etiamsi virginitas Mariæ thalami, virique licentiis suomet candore non obsisteret; aliâ viâ strenuè probaretur, abigendum esse virilis concubitus ministerium: scilicet quia Filius generandus iam habet Patrem. Quare opus non habet hominis virtute posterâ & recenti, cùm necessum sit ex Patris concipi virtute, ne in aleam, & suspicionem diuini generis vocaretur, iacturamque pateretur status. Concilium Calced. act.1. *Deus autem Verbum absque viri præsentiâ secundum voluntatem Dei, qui omnia operari potest, factus in vulua Virginis caro, non indigens viri operatione, aut præsentia: Efficaciùs enim viro inoperata est Dei virtus, obumbrans Virginem eam superueniente Spiritu sancto.* Ingenua ratiocinatio hæc. Abscedat vir: maritalia frigeant officia, non aliquis tepor humanus incalescat: viri præsentia opus non est, nam Filius generandus in Virgine, à Patre gignitur superno; virtutem secum gestat, quâ emanat à Genitore, quaque iterum generari valet in vtero Mariæ, qui omninò extraneus non est ab vtero Patris: sacra virginitas contribulem effecit. Ideò sapienter ea verba composita sunt. *Efficaciùs enim viro inoperata est Dei virtus.* Quidnè est illud *inoperata?* Stylus quidem generationis æternæ, quæ actus immanens est, iugique emanatione intra diuinitatis sinum perdurat: ex quo pluries aduertimus vocari Filium speculum *energiæ*, id est, *inoperationis*. Vt igitur indicetur non egere viri concursu Mariam, quæ concipit Filium Dei; ideò ipsamet virtus Dei inoperari dicitur, superuacaneumque esse quodlibet exterum subsidium.

Con.Cal.

15. In quo non modicè affulget, quale consortium inter Mariam, & Patrem diuinum sit: siquidem adeò eius vterus addictus est, quòd irrigetur cœlestis Genitoris virtute; vt eo ipso, quod Filij Dei Mater fiat, necesse sit opus absistere viri, Patrisque incumbere virtutem. Imò inanis reddi virtus Patris videretur, diuinumque otiari semen, si in Virgine sacra maritum non ageret: sed vis

accede

accederet humanus. Expendere cupio neruosum Tertulliani locum lib. de carne Christi cap. 1. *Non competebat ex semine humano Dei Filium nasci, ne si totus esset Filius hominis, non esset Dei Filius, nihilque haberet amplius Salomone, & amplius Ionâ, & de Hebionis opinione credendus erat. Ergo iam Dei Filium ex Patris Dei semine, id est Spiritu, vt esset hominis Filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda sine viri semine. Vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen.* Præclara sunt hæc, & fonia minis, vt adhuc discussis penitùs fidas. Inane viri semen iure Tertullianus censet, dum succenditur in Hæreticum, virginitatis Marianæ florem impio Aquilone quatientem. Quod argumentum non in virginitate nititur Matris, sed in æterni Patris agnitione fulcitur. Si Pater huius sobolis iugi generatione influit; quid opus marito corporeo: siquidem semen Dei, sicut Verbum Dei nostri, manet in æternum? Qui discursus eam, si placet, lucem habet. Semen Dei ad generationem Filij species est Theologica, vt alibi forsan probo, qua memoria Patris fœcunda concipit, & gignit. Video sic nonnullos Tertullianum accepisse: & quidem inata verum; quoniam nil tam obuium est, speciem intelligibilem intellectuali vuluæ pro semine esse, vt notitia pariatur. Natura diuina pro specie Patri est, vt cognoscendo generet, & generando cognoscat. Hinc aditus est ad Tertulliani acumen. Deus ex viri semine nasci nequibat; quia vacat viri semen apud habentem semen Dei. Quid quòd vacet? Ideóne vir eliminandus? Sanè subtilius nihil. Ideò speciem Dei creatam possibilem esse negant doctissimi Neoterici, quia ipsamet natura diuina ea suo ingenio, indoleque forma intelligibilis est; nec vacare valet inanis, aliaque specie intelligibilis fieri; sicut nec vnio vnione, nec lux luce, quoad germanos effectus possunt affici: naturæ otium impedimentum est. Iam gradus ad Tertullianum. Si semen Patris species est, seu natura diuina prout simplicissima identitate intellectum Patris fœcundat, nec valet exterâ specie adiuuari ad cognitionem, sed ipsamet Deitas intellectui affigitur Beati, vt intueatur; idipsum in genitura Filij continget, nempe quòd non debeat viri semine concipi, alia fœcunditate generari, quàm diuinâ; cùm vacet viri semen apud habentem semen Dei.

Tertul.

16. Ex quo iam lux inclaret Damasceno orat. 1. de Natiu. Mariæ: ὦ θυγάτηρ ἀειπαρθένε, ἀνδρὸς ἡ δεηθεῖσα πρὸς σύλληψιν, ἔχει γὰρ πατέρα ἀΐδιον, ὃν σὺ ἐκυοφόρησας. Id est: *O filia semper Virgo, quæ virili operâ ad conceptionem minimè opus habuisti: sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti.* Expende rationem, demirareque Mariani constantiam pudoris. Ex ingenita indole altè infixa est virginitas hæc ad perennitatem sui. Ratio in eo stat: quòd Mariæ integritas, non alio fœtu impletur, non aliâ conceptione fœcundatur, nisi Filij Dei, qui Patrem habet sempiternum. Quo supposito, grauiter arguitur, virili operâ opus non esse, quippe illemet Patris, opus est virum agat, Virginemque sibi maritet, vtpote qui sempiternus est, semperque Patris munia obit: & vbi suppetit diuina infinito generantis, otiatur inops viri concursus. Hunc sensum amant verba illa: *Sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti*: quæ formaliter debent accipi; id est, qui sempiternus adhuc Pater est, iugisque Genitor, non secum admittit alium Patrem generantem suimet Vnigenitum: sibi suppetit, vt in fœmineo vtero procreet, & progignat; alias virtutis infinitudo læderetur, & generantis curtaretur æternitas. Et quidem pro monstro esset, si duplex pater vnicum filium generaret: licèt enim dispar sit natura, confusionem abhorreret mens, diuinique Genitori fœcunditas, potentiaque notam subiret. Quare vtique consultum, dum vir arcetur Paterque pro viro est; nam & Virginis vernat Virginitas, & Dei Patris ferax viget potestas. Huic sacramento initiata, consecrataque sacræ fœminæ castitas est, quæ vt laxetur in prolem, masculo non eget aratro, nec sulcis discinditur: nam iam Patrem habet ille, quem gignit, illique solùm Mater quærenda erat. Actinit August. lib. 1. de fide contra Manich cap. 23. *Consecrauit autem virginitatem, quia de Virgine nasci voluit: & sola illi Mater in terris eligenda erat ad suscipiendum hominem qui iam Patrem habebat in cœlis.* Premeil od: *Consecrauit autem virginitatem*: id est, Mariæ virginitatem destinauit, & quasi inciso charactere notauit, & distinxit Deus; vt quâ Virgo Deum progigneret; Filium Dei, quia qui Patrem habebat, non iam Patrem poterat vestigare. Quare sola illi virginitas vterum offerre valebat, sola eius vsibus quibat sigillari.

Damasc.

August.

17. Nouus sapor est, si adhuc perscruteris, cur incarnationis statum sibi diuinus Filius decreuit suspexitque. Certè iam Patre fruebatur, iam generationis; diuinæ maiestate pollebat; nondum illi mater erat, non virgineis fœminæ baiulabatur lacertis, non vbera distillantia sugebat: hominem aliàs depetibat Trinitas. Maria lucis decernebatur vsuræ, superbo perfectionum exculta thesauro; non alieno fuco speciem honestatis obtendens; sed innatis naturæ dotibus, & inditis gratiarum cumulis onusta omnem sibi cœli rapiebat positionem. Quid, quòd adamasset Filius, & qui Patrem habebat, Matrem non habebat, in Matrem deligeret, vt iam vtroque Parente fruens omnem generationis modum caperetur? Franco Abb. de grat. noui Testam. tract. 6. apud Biblioth tom. 12. sic Angelum fantem inducit: *Nec ideò te diffidas futuram Matrem, quia nec tuum virum, nec illius nosti patrem. Qui enim te in tempore sibi elegit Matrem, ab æterno iam habet Patrem. Patrem habet, Matrem nondum habet; ideóque missus sum ad te, fide te ei despensare. Accommoda ergo fidem, & suscipe prolem, & beata Mater eris, quia Deum, & hominem generabis. Patrem habet; Matrem nondum habet; ideóque missus sum ad te.* In quo summum Mariæ enitet priuilegium, quòd ad Patris coniugale consortium, quia inibi Mater non erat, lecta sit.

Franc.

18. Ergonè opus erat Matre, cui Patris infinitudo abundabat altitudoque diuitiarum, & generationis gloria suppetebat? Quia Patrem habebat Matrem, nondum, mittitur ad Mariam cælestis interpres? O proficua Diuinitati fœmina! Non quidem indiguit Matre ad generationem è Patre. In eo maior Virginis excellentia, quòd non indiga maiestas, quòd affluens virtus, quòd Pater opulentus, gazisque præpotens virtutis, non ea necessitate sed ex amore, in contubernium Virginem aggregauerit, Patrisque associauerit thalamo, eâ consonantiâ, & accentu, quòd Patrem absque coniuge fœcundum, Mater absque viro ferax comitaretur. Et quidem in diuinis Verbum, licet ex arbitrio non fit ex necessitate non est; sed ex fœcunditate naturæ: imò ideò necessum est generari, quia necessum

cessum est naturam eâ fœcunditate vigêre. Mater igitur pulchrâ analogia non ex necessitate latus superi Patris cingit, sed ex amoris vbertate; & hominis, vt saluetur; & Virginis, vt in tã arduum succrescat statum. S.Leo in epist 97. decret.c.11. *Itaque is, qui ante sæcula omnia est natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus in tempore. Non quia diuina ipsius natura de sacra Virgine sumpsit exordium, nec quòd propter seipsam opus habuit secundò nasci post illã natiuitatem, quam habebat ex Patre; sed quia propter nos naturam sibi copulauit humanam, & processit ex muliere.*

S.Leo.

19. Quæ sententia Leonis in eo niti videtur, si cum Francone, Augustino, Tertullianoque datis adnectas; nempe eam fuisse incarnationis artem, quòd illa, quæ Filius Dei habebat in Diuinitate, nec ad perfectam naturam humanam attinebant, neutiquam nouiter assumpserit, sibiq; congesserit; ne otioso cumulo vacarent, Diuinitatis nobilitas turparetur, & ingenium sacramenti torpêret. Quin Mariæ dignitati consultum est, dum absque vllo inuolucro commistionis, pristina Diuinitatis pignora in eius Filio manserunt, non inutili auctario, quæ eius excellentiam extenuaret. Si iam diuinum Patrem habebat, quid opus humano? si iam diuinum semen, vtquid exoticum? si iam diuinam naturam pleno filiationis pondere, vtquid noua generatio ad Diuinitatem venandam. Eadem subtilis ratio est, cur non humanam assumpserit personam: quippe persona nec diffinitionem, nec substantiam humanæ naturæ componit; & iam Filius Dei hypostasim gestabat æternã. Appositè Ildeph. lib. contra eos, qui disputant de perpet. virginit. Mariæ: *Personam verò hominis ideò non assumpsit, sed tantùm hominem, quia ipse persona tertia cum Patre, & Spiritu sancto, in Trinitate Deus vnus semper fuit. Ideirco iure quod habuit in æternitate, personam non assumpsit, sed hominem in tempore, antea quem non habuit.* Cur personam tertiam dixerit, suprà examinauimus. Si cætera verba tibi figas, adsonam veneraberis sibique constantem Dei nostri sapientiam. Naturam & Matrem, quam non habebat, assumpsit: personam, & Patrem, quem iam habebat, non sibi inofficioso cumulo congessit. Si personam assumeret, maternitas Dei periret Mariæ: si patrem, virginitas.

Ildeph.

20. Hinc ea concinnitas toties decantata ortum habuit, scilicet absque virili accessu Matrem accipere debuisse Filium Dei, qui absque fœmineo accubitu Patrem habebat: si enim opus non fuit iugali toro in generatione ex Patre, vtquid opitulatio viri acciretur ad generationem ex Matre? Non solùm temeraretur Virgo, sed & Patris virginei decorem suspicio inquinamenti notaret. Sat sit S. Eleutherius in confes. de sancta Trinit. apud Biblioth. tom. 15. *Necessarium quidem erat humano generi, vt quem Pater ab initio inuisibilem generat, Virgo conciperet, & Virgo post partum permaneret, essetque in Deo Christus, ante omnia sæcula genitus sine muliebri concubitu ex cælesti Patre, & perfectus homo ex vtero virginali nasceretur absque carnali patre.*

S.Eleuther.

21. Ex quibus iuuat subdere non insubtilem rationem, quare in libro generationis Christi, qui texitur ex Maria, primatum obtineat Dauid, Abrahamique canos Euangelista postposuerit. Annè purpuræ conchylium calamum sarurauit, vt Regiæ dignitati principatum in stemmatis arbore dedisset? Benè. Sed ingeniosior causa subest. Dauid allectus fidibus, canorisq; neruis, Verbum diuinũ recinebat, putoque pectore per oris organũ parturiens, virgineam eius generationẽ ex Maria adumbrabat, Patremq; imitabatur æternum, qui illibato corde Verbũ eructat. Abrahamo promissio Christi facta est, nõ sub dictione Verbi, sed sub voce seminis: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Cùm ergo Maria, in qua figitur generationis arbor, non humano semine, sed mystico spiramine, castissimoque impulsu Dei cõceperit; sicut Verbũ ex diuina natura, sacri seminis, & speciei munus obeũte, concipitur in excelsis: ideò iure præponitur Dauid. Adstipuletur Rupertus in quatuor Euangel. lib.1.cap.5. *Beata anima Regis Dauid, quæ audiuit Verbum Dei, & custodiuit illud, quæ, admissâ castâ Dei Patris copulâ, Verbũ bonum de corde, vel ore eius suscepit; priusquàm Verbi, quod est Christus, quàm carnis Christi Pater esse meruit. Rectè igitur hic Euãgelista Regni Dei Regem Regis patrem in libro generationis præposuit patri, quem Scriptura solummodò seminis, id est hominis enuntiat patrem, dicẽs: Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraham.* Altè cogitauit ingeniosus Abbas. Deus, & homo gignitur in Maria, quæ ex Abrahamo, & Dauide Regium, & fidele traxit genus. In vtroq; progenitore vtraque virginei Filij natura adumbrata præcessit; Diuinitas in Dauide, humanitas in Abrahamo. Ideò Dauid, incalescente spiritu imbutus ex Prophetica cortinâ, diuini Verbi præcentiones eructabat. Qua de causâ apud Rupertum in syllabo Maiorũ Mariæ, Dauid obtinet principatum, præcellitque Abrahamum; non quia ex Dauid non carneum procedat Verbum Dei per Mariam, siquidem generationis humanæ texitur series; sed quia indicauit ex Maria Verbum illud generandum, nõ ex externo semine, sed *admissâ castâ Dei Patris copulâ*. Quæ verba subtile exerunt acumen. Si enim tam præuiâ, mutuâque exercitatione Deus Pater castam copulam cum mẽte Dauidis progenitoris Mariæ meditatus est, vt se accingeret ad progignendum in vtero Virgineo Verbum suum; quàm strictam, quàm sanctam, quàm virgineam copulam cum ipsa Virgine sibi implicaret, vt ex pudico virtutis impulsu Virgo conciperet Filium Dei!

Gen. 22.

Rupert.

ACADEMIA XI.

Superna Virtus, qua concipit Maria; adumbrat virtutem, qua Pater generat Vnigenitum.

Ea Mysterij celsitudo in fœcundanda Virgine eluxit, vt virtus à totâ Trinitate fuisset; & tamen Virtutem, qua Pater æternum generat, delinearet.

SECTIO I.

IN præcedentibus sacras concinuimus diuini Patris, & Virginis Matris nuptias: Virgineis floribus thalamum picturauimus: ex castissimo hymenæo grauidam 1.

Virginem fœtu Dei, ostendere conati sumus. Oportet iam penitiùs, distinctiusque explorare, quantum à sacro Sponso, virtutis hauserit hæc Sponsa pudica. In hoc institutum, connubium celebratum fuit, Mariaque non solùm prædestinata, sed & condita, vt diuini Genitoris fæcundam exprimens similitudinem, & Vnigenitum eius gigneret, & ipsius Patris spectrum, & imaginem humanis oculis exhiberet. Ergo acuenda mens est, ne sterilis, & incultus marceat labor hucusque desudans: & perscrutandum, an vis, siue virtus, qua Virgo generauit Filium Dei, delibatio sit, & quasi descripta portio illius supremæ virtutis, qua Pater gignit in excelsis? Quæ quidem omnino præmoneo, solùm me velle accipienda iuxta analogiam quamdam, cùm certum sit & inconcussum supernaturalem virtutem, qua Virgineus vterus feruidus, & ferax ad sacrum hunc fœtum incaluit, à tota Trinitate effluxisse, supernâque quadam motione, seu qualitate suppleuisse viri defectum. Attamen in hoc ipso indiuiso Trinitatis opere altiùs, & audiùs intellectui perscrutanti, sese auspicatò prodit quædam mirabilis conformitas, & exscriptio illius paternæ virtutis, quæ eundem Filium gignit in diuinis. Quæ si eluxerit, nimiùm rigebit, & aspe rabitur humana mens, si non lubens fateatur; signatissimâ sapientiâ, huius sacræ conceptionis opus excusum, eâ mysterij ingeniosâ celsitudine, quòd & à tota Trinitate patratum se ostendat, & specialiter cælestis Patris generationem adumbret, licèt in vtero carneo, sanguineisque coloribus; vt hoc semel sacramento per fidem amplexato, mens faciliori carcere captiuaretur in obsequium fidei generationis diuinæ; dumque Mariam virgineè suspexerit concipientem, verso poplite, diuinum Patrem generantem adoret.

2. Itaque vt sub hac analogia Paternæ fœcunditatis lineas probemus; validum, & præcipuum argumentum nobis offert cœlestis nuntius in illis verbis: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Expende medullitùs responsum hoc Virum respuit Virgo: armat se virginitatis voto, nec se grauidam fœtu Dei amat, si virginitati calamitas immineat. Generationis sciscitatur modum, quem non dubitat consulturum pudori. Tunc Angelus virtutem Altissimi pollicetur; adeòque in illa omnem generationis periodum construit, vt illicò adiecerit, quasi iam secuta, stabilisque sit conceptio; *Ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hæc igitur Angeli verba à nobis impensiùs conterenda sunt, si forsan latentem spargant odorem, & euincant, quod præfiximus.

Luc. 1.

3. Et quidem quòd *Altissimus* in hisce verbis Patrem indicet, absque vllo puluere fateberis, quisquis sacros tractatores adeas. Sat sit Andreas Cretensis in salut. Deipar. *Voce hac Altissimi, Patris infertur persona*, Titus Bostrensis in Luc. *Obseruare hic autem licet, quomodò dum Spiritum sanctum, Virtutemque, & Altissimum nominans, totam sacratissimam Trinitatem Virgini patefaciat.* Græcus apud Caten. S.Thomæ. *Qualiter Virgini Angelus totam Trinitatem edidit, dum Spiritum sanctum commemorat, Virtutem, & Atissimum.* Quid vltra? Ipsemet Gabriel explicuit; cùm dixisset; *Filius Altissimi vocabitur.* Bernardus hom. 3. in Annuntiat. *Altissimus Deus Pater, quamuis omnipotens sit, non potuit tamen inæqualem gignere Filium.* Et statim: *Genuit Omnipotens omnipotentem, Altissimus altissimum.* Hoc stabilito, *Virtus Altissimi* virtus Patris esse dignoscitur; in qua Filium ipsum intelligi boni interpretes censuere, de quo nos infrà. Nunc autem illud commodè sese proiectat in animum; quod syncerè, voceque tenus *Virtus Patris*, prout Pater est, assolet significare virtutem generatiuam, qua pollens exuberat in Filium, iuxta illud: *Tecum principium in die virtutis tuæ: in splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Hilarius lib. 6. de Trinit. *Ex virtute natura in naturam eamdem natiuitate subsistit.* Cyrillus Alexand. lib. 1. Thesaur. cap. 7. *Generatiuam virtutem Pater habet.* Hilarius dicto lib. 6. de Trinit. *Genitum à te Filium omnipotentia tua virtute non ambigo.* Vocatur etiam vis, potestas, potentia, & facultas generandi vernaculo stylo apud Patres, de quibus Ruizius tom. de Trinitat. disputat. 99. sectione 2.

Andr. Cret. Titus. Bostrensis. Græcus. Bernardus. Psal. 109. Hilarius. Cyrill. Alexand. Hilarius. Ruiz.

4. Ergo vt præmoneret, & indiceret Angelus fœcunditatem, qua virgineus vterus turgêre parabatur, ex Patris fœcunda virtute exemplariter deuenire, & ad eius similitudinem efflorere, cordato charactere vsus est, spondens virtutem Altissimi obumbraturam, scilicet adumbrandam iri virtutem generatiuam, qua Pater Altissimus gignit Vnigenitum. Quare ex virtute generandi, statim subintulit Filium Altissimi vocandum. En sacræ fœcunditatis commercium. Eam accipit Virgo à Patre, Patrique Filium fœcunditatis rependit, eâ virtutis participatâ communione, vt dum Maria è Patre diuino potens generandi poculum ebibere dignoscitur, Pater ipse de hydria virgineæ fœcunditatis bibere perhibeatur. Id conatur generationis similis conditio transcendensque vtramque diuina virtus, vt alternis reciprocisque attributorum dotibus perfruatur: & sicut Patrem in Filio, Filiumque in Patre, circumsessione opitulante fatemur; sic Patrem è Matre dum Mater haurit à Patre, ob generationis communionem bibere dicamus. Audi Bernardum in sermonibus patu. serm. 2. *Quærit Angelus puellam, quam præparauit Filio Domini sui. Bibit ipse de hydria tua, cognatâ sibi virtute delectatus. Sed nunquid non & iumentis potum tribuis? Bibit Angelus, quòd virum non cognoscis; bibant iumenta, quòd de humilitate singulariter gloriaris.* Deinde post pauca: *Sed fortè ne in his quidem duabus metretis plena est hydria tua? capax est etiam tertia, vt non modò Angelus, & iumenta, sed ipse iam bibat Architriclinus. Hoc enim vinum bonum, quod seruasti vsque adhuc, minister Angelus haurit, sed vt ferat Architriclino; Patrem loquor, qui principium Trinitatis Architriclinus iure vocatur. Ait sanè Angelus fœcunditatem Mariæ commendans: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Cum eo solo est tibi generatio ista communis.* Quid pro hac fœcunditate, adhucque discussis nobilius?

Bernard.

5. Ideò ex virtute hac, quæ in Maria incubuit, statim diuini Patris imago resplenduit, eiusque attributa nostris oculis enitêre cœperunt. Quidquid gignit Pater, diuinum est, nihil ibi humanum, nihil carneum, Deus spiritus est. Virgo Deum generat, non nudè, sed hominem; imò quia hominem gignit, qui Deus est, Deum gignere confitemur. Attamen adeò virtus generatiua Virginis in virtutem generatiuam Patris immersa, & absorpta videtur;

videtur; vt totum, quidquid geritur, diuinum censeatur. Adsit Chrysologus serm. 57. *Vbi Spiritus generat, Virgo parturit: totum diuinum geritur, nihil humanum: nec vbi infirmitati locus est, vbi virtus est sociata virtuti.* Aurea verba, sed & ardua nimis. Si virtus sociata virtuti est, aliquid diuinum est, humanum aliquid: & tamen totum perhibetur diuinum. Rursus. Quid est, quòd virtus effectrix sociata virtuti, quasi Virgo virtutem ad diuinæ prolis generationem contulerit, & ex partiali virtute coëunte ad fœmineæ, masculique modum, completa virtus ferax extiterit sobolis procreatæ. Hæc fulcra fonte adhuc stabilitis. Virtus, seu potentia Virginis, quam obedientialem appellant, virtute fœcunditatis supernæ efferbuit in sobolem, igneque calefacta diuino eamdem cum Patre; cuius erat fœcunditas, parturiuit: non quia intra naturæ creatæ dotes potentia inerat, virtusvè ad imperscrutabile Sacramentum edendum; sed quia vulua virginea subiecit receptaculum, sanguinum coëgit portionem, vt ex virtute ex alto absque viri ministerio germinaret. Adeò tamen Virginei stemmatis splendet ornamentum, vt non puderet diuinum Patrem virtutem associare virtuti, & iugali societate Vnigenitum vtrique conformare Parenti: cùm, etsi Virgo humanæ carnis præstiterit & officinam, & massam; ex virginea tamen dignitate, Patri iam affini, totum, quod genitur, diuinum agnoscatur. Meliùs. Quia virtus efficiens nobilior est, & in sobole generanda obtinet principatum, illique generosior causalitas attribuitur; & aliàs virtus sociata virtuti diuina est apud Chrysologum, Patrique generanti non immeritò arrogatur: ideò totum diuinum geri dicitur, licèt ex parte Virginis humanum sit, quod præstatur.

6\. Id etsi verum sit, alia est tamen carnis, alia est Diuinitatis natura. Adueniat quidem virtus in Virginem; fœcundam reddidit, & vberem; impleuit ventrem, laxauit in prolem: sed ex Virgine corpus oritur, vt & virtus maritet, & Mater det Diuinitati, quid gerat. Ambrosius libro de Incarnat. c. 6. *Virtus venit in Virginem, sicut & Angelus ad eam dixit: Quia virtus Altissimi obumbrabit te. Sed natum est corpus ex Virgine, & ideò cœlestis quidem descensio, sed humana conceptio est. Non ergo eadem carnis potuit esse, Diuinitatisque natura.* En ex virtute superna, Virginisque virtute Diuinitas simul & humanitas mirâ temperaturâ condita sunt. Virgineus venter miscuit vinum, vinúque respuens, in quo est luxuria, vino bono lætificante cor madefacta est; vt Verbum è corde Patris eructatum in hilari corde, diuinísque charismatibus circumfluo susciperet. Præuenit virtus Dei, voluamque impoluit, vt efferueret in prolem. Caro quidem generanda, quà caro erat, maritum expetebat ad thalamum, viri officium ad ventrem; attamen quia fœcunditas Dei Patris ex suamet ratione impulsuque ad diuinam personam producendam vergit, viri munus præoccupauit, præripuit occursum. Quare caro, quà virginea, quia Dei seminis contribulis, festinâ Diuinitatis irrigatione madens, virilis sodalitij non expectauit commercium. Hic latet nucleus, si frangas Ambrosij verba lib. de Incarnat. cap. 9. *Caro enim Domini, Spiritu in Virginem superueniente, generata non expectauit virilis, fœmineique coitus solemne commercium: caro verò nostra, nisi virilis iuxta, fœmineusque sexus genitalia sulcis naturalibus obducat semina, intra viscera nescit maternâ formari. Et tamen cum generationis fuerit causa diuersa; carnis tamen in Christo cum hominibus vna natura est.* Singularia sunt illa in Ambrosio: *Generata non expectauit virilis fœmineique coitus solemne commercium.* Qualis ne solemnitas hæc? Qualis expectatio? Equidem satiùs Chrysologus Virginis videtur honestati consulere serm. 140. *Nec aufertur à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignerata, cum fieret. Christus ergo suam sponsam recipit, non præripit alienam; nec separationem facit, quando suam sibi totam iungit in vno corpore creaturam.* Non igitur æmulo conflictu caro festina, ocyor viri cursu generata cucurrit, quasi timens à coniugij vsibus seminari: siquidem nec Christus sponsam præripuit alienam; nec Virgo fuit casu, sed arbitrio: cùm etiam ab exordio oppignerata fuerit Christo, cùm fieret. Sed mens Ambrosij perspicua est ex præfatis. Caro Christi, quà caro, nostræ similis, communi semitâ, communi censu, communi conceptione, & puerperio, vt non alterius naturæ censeretur, videbatur nascitura. Nuptialis torus, solemne commercium est ad carnis generationem: solemne, id est, quod solet, & assueuit sic contingere. Ideò hanc innatam carnis propensionem respiciens Ambrosius, loquitur: *Generata non expectauit virilis, fœmineique coitus solemne commercium.* Ratio, quia cùm Filij Dei esset, humano accubitu non egebat, sicut nostra. Vnde statim subdit: *Caro verò nostra, &c.* Itaque non expectasse *concubitus solemne commercium*, propter diuinæ carnis dicitur reuerentiam, quæ carne nostrâ non naturâ, sed statu nobilior virgineam sibi volam vendicabat; nec vt fieret, turpia carnis vincula exigebat, cui virtus Patris præstò aderat, vt gigneretur.

7\. Adeò virtus hæc obumbrans Virginem, Patrem diuinum illi vendicat, & attrahit, vt agat maritum; vt ipsamet virtus stylo personæ, siue suppositi tractetur, & maritare sibi Virginem dicatur observatâ phrasi diuinorum, in quibus abstracta pro concretis accipiuntur, & vt pote in se subsistentia, suppositorum officiis efferuntur: sic enim dicitur, quòd Pater est paternitas; virtusque generatrix non distinguitur à Patre. Quod vt respectu Mariæ aliqualiter inualeat, virtus ipsa diuina dicitur sibi Virginem maritasse; quippe Pater hac virtute fœcundus eam sibi maritauit, vt Filium gigneret Vnigenitum. Amœnitis Prudentij metro, cuius carmina cecinit S. Ildephons. libro de S. Maria.

Intactam thalami virtus diuina puellam
Syncero afflatu per viscera casta maritat.
Incomperta ortus natiuitas, iubet, vt Deus esse
Credatur Christus sic conditus: innuba Virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sensit amoris.

8\. Virtus diuina maritare præscribitur, vt hoc Diuinitatis stylo, Altissimo maritatam fuisse Virginem præsignetur. Quod non perfunctoriè, & casu sic profertur; sed vt appareat, quòd qui ex hac virtute generatur, ita Dei Filius sit, vt non homo Deifer censendus sit, sed Deus carnifer; ne ex humanitate in vtero generata fœmineo Diuinitas obscurari putetur; sed potius inibi palàm fiat, quòd ex virtute diuina, caro illa compacta est, Deumque ex virtute arguat effectrici. Athanasius serm. de Deipara col. 8. Ἀγιάζεται τοίνυν τῷ ἐπελεύσει τῷ ἁγίῳ πνεύματος ὁ παρθένος, καὶ δυναμωθεῖσα ἐν τῇ ὑψίστου δυνάμει συνέλαβε τὸ κατὰ τὸν ἐπιδέξασθαι αὐτὸ ὑπομένει, μὴ τῷ θεῷ. ὥστε τὸν μὲν αὐτ-

Chrysol. / Ambros. / Prou. 9. / Eph. 3. / Psal. 103. / Ambros. / Chrysolog. / Prudentij / Athan.

Zerda, Maria effigies.

αὐτῆς τῇ θεότητος φύσει καὶ τίκτει τοῦτον σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα κατὰ τὴν τῶν δύο φύσεων ἰδιότητα ἐκ δύο καὶ ἐν δύο δογματίζομεν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως ἀδιαιρέτως οὐ θεοφόρον ἄνθρωπον. ἀλλὰ σαρκοφόρον θεόν. *Sanctificata igitur superuentu Spiritus sancti Virgo, & virtute Altissimi grauida eum gestabat; qui ex sua propria essentia Dei erat Filius pro vnica eius Diuinitatis natura: & gignit eundem incarnatum, & hominem factum secundum duarum naturarum proprietatem: eumdemque duplicem, & vnum ex duobus constantem, immutabiliter; atque indiuisim credi oportere statuimus; non quidem Deiferum hominem, sed carniferum Deum.* Si Diuinitas, & humanitas absque confusionis concretione, sub vna hypostasi sacrum nexum inuenerunt in Christo; cur sicut Deus carnifer dicitur, non homo Deifer efferatur; alternisque vicibus ex vtraque natura attributa prouenianti? Expende, quid præmisit Athanasius: Altissimi diuina virtute grauidam præcinit Mariam, ab Altissimoque impletam. Ex quo facilis deductio est, quòd Filius illâ virtute opitulante genitus, præ se fert Diuinitatem, Deus carnifer est, confestim se Diuini Patris prolem enuntians non verò homo Deifer, ne cum censu cæterorum hominum supputetur, qui ob sanctitatem, & iustitiam, benignam Dei voluntatem sibi merentur, Deiferique dicuntur.

9. Ex quo lux effulget illi dubiolo, quod apud Matthæum non insuauiter excitatur; cur in libro generationis Iesu Christi, repetitis vicibus, verbo *genuit* vsus fuit, cùm *gignere* fœminæ sit, *generare* autem viri? Isidor. Hispalens. lib. 1. different. *Generare masculos dicimus.* Id non contemnendo mysterio forsan effectum est. Christus ex progenitoribus Mariæ, iuxta ipsius Mariæ concursum, descendere censendus est. Cùm igitur virtus efficiens in viri supplementum diuina fuerit, nec externus vir generauerit, sed sola genuerit Virgo: ideò illa vox, quæ gignenti Virgini competit, eius progenitoribus arrogatur; vt ipse stylus retroactis sæculis indicaret, illum à Maria gignendum, cuius ad genituram supernus Genitor virum agens, imperiti parabat virtutem, nec fore virum, qui generaret, sed solam, quæ gigneret, Virginem. In hunc sensum expendit Glossam Albertus Magnus in c. 1. Matth. Verba Glossæ hæc sunt: *Matthæus ponit, Genuit, & non, Generauit: forsan, vt ille cognosceretur in fine ostensus, de quo dicitur: Ego hodie genui te.* Albertus sic fatur: *Quare dicitur hic Genuit, cùm generare dicatur esse viri, gignere autem vxoris, secundùm illud, quod dici consueuit, quòd generare est agentis, gignere patientis, & materiam exhibentis? Ad hoc dicit Glossa, quod Genuit, ponit, vt ille cognoscatur, qui dicit: Ego hodie genui te. Et est sensus Glossæ, quòd Christus à Patribus non descendit nisi secundùm corpulentam substantiam, quæ est sicut principium materiale: sed efficiens faciendo, non generando, fuit Spiritus sanctus.* Benè quidem Albertus: ast in verbis Glossæ alius sapor blanditur. Si enim *gignere* principium materiale notat, quomodò Pater in generatione æterna: *Ego hodie genui te*, inquit; non verò ait, *generaui?* An quia in illa voce *hodie* ob taxatum tempus, quod in æternitate nequit præscribi, temporalis præsignatur Filij Dei generatio in vtero Virgineo? Non desunt nobiles Interpretes, qui sic autumant. Ideò autem *genui*, & non *generaui*, non intortè dixeris delectum, vt stylus Mariani concursus à Patre Diuino præsignetur amari; vtpote quæ sola genuit absque viro; nec ipse Pater verè genuerit in vtero Virgineo, sed fecerit fœtum illum: attamen quia ex communione Filij connubium pepigisse cum Virgine dignoscitur, congruè illi arrogatur generatio? eadem tamen phrasi, qua propriè effertur de Maria, nempe verbo *gignendi*, eo sedulo conatu, quòd nullum principium generans, quale, vir est, in vterum Virgineum appulisse putetur. Subtilia sunt hæc. Verùm *gignere* apud bonæ notæ Auctores de viro & fœmina circumfertur, vt & Albertus adnotat: quin & *generare* de fœmina dixit Plinius lib. 8. c. 44. Passim tecinitur carmen illud.

Fœmina sola parit, generat vir, gignit vterque.
Vir sponsam ducit, sed sponso fœmina nubit.

Quæ ex significatione vocum erui nec absonum est, nec incommodum; cùm seueræ nimis, & tetricæ frontis esset abnuere, non multum ponderis inesse in ea Patrum concordi loquendi formula, quam sub vna ferula didicisse videntur, cùm Incarnationis versant Sacramentum, generationisque Filij Dei in vtero Virginis: vtuntur etenim eisdem fermè vocibus, quibus virtus, & vis generandi in Patre Diuino solet describi. Iam de virture probos testes adhibuimus. Quòd in Patre generandi vis sit, pluries repetit Athanas. dial. 1. de S. Trinit. contra Anomæum, *Vteri nomine genitricem vim ipsius hypostaseos intelligito.* Nonnè diuina vis in Virgine, cùm concepit, cùm peperit? Hesychius de laud. Virgin. serm. 1. col. 2. *Ego quemadmodum ille, vim partus citra disquisitionem curiosam diuinam agnosco, & sentio.* Chrysologus serm. 140. *aduertat vestra charitas consensisse Virginem salutationi non verborum, sed rerum: & vocem fuisse non communis obsequij, sed supernæ vim totam fuisse virtutis.* De potentia, seu potestate, qua Diuinitas fœtum hunc eduxit Virgineum, plures suppetunt Patres vicinâ sectione accersendi. Itaque si virtus, vis, potentia, seu potestas generandi Theologico charactere de solo Patre effertur in diuinis, tamque amico calamo, sociâque manu virtus, vis, & potentia de Diuinitate effertur, cùm Filius Dei gignitur in Maria; non instabili fulcro dixeris asseri Patris Diuini, nobili attributione, fœcundum concursum adumbrari, quo Maria & eius Vnigenitum gignat, & eius similitudinem, & imaginem reddat. Nec pudeat vti fœminæ testimonio, quæ Patris imaginem illicò confessa est, postquàm in corpore Virgineo virtutem agnouit. Proba Falconia tract. 2. de myster. nou. Testam. c. 2. apud Biblioth: tom. 4.

Extulit os sacrum diuinæ stirpis origo.
Missa sub imperio, venitque in corpore Virtus
Mixta Deo; subijt chari Genitoris imago.

Imò quia ex virtute superna Verbum carni Virgineæ insertum fuit; etiam quatenus ex vtero Mariæ illuxit, lumen de lumine profertur. Qui stylus diuinæ generationis est; nec potest temporali competere, nisi quatenus Mariæ vterus diuinâ virtute accensus, igneâque vi Patris, ardens supponatur, & ex ea genuisse Verbum, quod verè lumen est. Sic accipe S. Prosperi carmen, quod suprâ, non in hoc institutum, expendebamus. Epigr. de Incarnat. Verbi Dei sic canit.

Hinc Verbum carni insertum, carnemque receptans,
Nec se confundit corpore, nec geminat.
Sic naturam hominis virtute augente supernâ,
Esset vt in vtero lumine lumen homo.

Potentia

Matth. 1. Hispal. Gloss. Alb. Mag. Plin. 10. Athan. Hesych. Chrysolog. Prob. Falc. S. Prosp.

Potentia Patris, qua Deum Filium generat, grandi Sacramento describitur in Maria.

SECTIO II.

11. ALtissimi Virtus, qua gignit Vnigenitum intra Diuinitatis vterum, *potentia* solet nuncupari. Epiphanius hæres. 37. *Vox Pater, plus est, quàm nomen ingeniti: in ingenito enim non apparet Patris potentia.*
S. Thom. S. Thom. 1. p. q 41. art. 4.
S. Fulgent. S. Fulgentius in obiect. 5. Arrian. *Genitori, quod nefas est, potentia naturalis adimitur, si Filio Paterna substantia æqualitas abnegetur.*
Hilar. De quo adi Hilarium lib. 7. de Trinit.
Cyrill. Cyrillum lib. 2. Thes. cap. 1.
Athan. Athanasium lib. 2. de vnita substantia Trinitatis,
August. Augustinum lib. 3. contra Maxim. cap 12.

12. Anne huius potentiæ adumbratio, dum Maria concipit, elucet? Ausculta ipsam, quæ, vt tympanistria facta, hymnum post Filium conceptum modulatur:
Luc. 1. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Cur *qui potens*, non verò *qui omnipotens?* Certè communiori phrasi erga ea, quæ ad extra fiunt, non potens, sed omnipotens Deus solet efferri. An Theologico stylo inter diuinas personas distinguit, nuncupatque potentem ex generationis potentia Patrem? Sanè dum sic distinguit, *qui potens est*, compte dixeris significasse Patrem Athanasius contra Gregal. Sabellij:
Athan. *Cum Dei potestas Filius sit, ideóque plenè, & ad perfectum potens est Pater, quoniam Pater potestatis est.* Quia Maria generationis Filij Dei in suo vtero asserebat prodigium, magnitudinemque ineffabilis muneris resonis concinebat obsequijs; & *potens* dicitur Deus erga generationem Vnigeniti; vnde potentia ad actus personales circumfertur; potiùs *potentem*, quàm *omnipotentem* dixit, licèt illa potentia etiam omnipotentia nuncupetur. Quo non leuiter innuit vterum Altissimi obumbrantem, potentiam fuisse, cuius feruore concepit. Præstat vti S. Bernardino Senensi tom. 3 de septem verb. B. Virg. serm 9. art. 2. cap. 1.
S. Bernard. Senens. agit de opere Incarnationis, & ait: *Ista quippe magna non solùm creaturis sunt maxima; sed etiam maxima, & insuperabilia sunt illi, qui potens est, imò omnipotens est, & sanctum nomen eius.* Et post pauca: *Quòd ipsa fuerit potens Dei Filium generare, & talia magna recipere, non sua virtuti attribuit, sed ei, qui potens est, qui suam potentiam in humilitate Virginis voluit honorare.* En potentia Virginis ad gignendum cum Patris potentia componitur. Ideò ante illa verba dixerat Maria: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:* id est, vt iam alibi obseruauimus, non deficiet vlla generatio à mea beatitudine prædicanda; etiam illa, quæ apud Patrem est me dicit beatam: cuius compertum est signum, quia ille, qui potens est, scilicet qui generat, fecit mihi magna. In quo quidem diu perstitit Virgo: sic enim assensum
Luc. 1. Angelo subiecit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Nonnè conditionem attendis? Non aliter fiat, nisi iuxta ea, quæ pollicitus es, nempe quòd Filius à me gignendus, à Patre gignitur, eiusque Filius est vocandus.
Gerson. Gerson tract. 1. sup. Magnif. col. 1. *Nunquid tibi parum videtur magnificata B. Maria Virginis anima, quæ operationi supra modum fuit ausa præbere consensum? Fiat, inquit, mihi secundùm verbum tuum: id est, Fiam Mater Filij, cuius est Pater Deus. Quid excelsius, quid sublimius, & magnificentius poterit cogitari? Quod & vidit, cùm prophetice subiunxit: Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quare opportunè, quia post illud *Fiat*, peractum fuit totum, quod spoponderat legatus; paruo interstitio attexit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est:* quippe inter *fiat*, & *fecit*, nullum intercessit instans: & cùm in illo verbo *Fiat* sibi Patris Filium allicere decreuit, & corporare, idem significauit, ac si diceret: Fiat mihi Filius hic ex parte illius, qui potens, aut omnipotens dicitur ad generandum in diuinis. Simon de Cassia lib. 2. de B. Maria c. 10. Sim. de Cas.
Fiat mihi secundùm verbum tuum, vt concipiam, & pariam Altissimi Filium. Nec alias Virgo dedisset assensum, nisi verbum Angeli per omnia seruaretur: nisi sibi secundùm verbum Angeli expositum, ex parte Omnipotentis fieret conceptus, & partus. Ex parte Omnipotentis non incongruè dixeris; *Ex parte eius, qui Omnipotens est, Filiumque generat:* sic etiam Filium appellat Hilarius libro 6. de Trinit. *Omnipotentem te scio, nec conscia tibi* Hilar.
tantùm, atque ipsi Vnigenito tuo natiuitatis inenarrandæ expectare rationem. Nesciuit Virgo nisi ab Omnipotente compleri: nec annuit votis Angeli, nec naturæ captiuæ clamoribus consuluit; nisi ea conditio seruetur, quòd ille, qui potens est, Vnigenitum conferat in vtero, & sit vtrique generatio communis, licèt ex dissimili natura, dissimilis sit maiestas, & gloria.

Hæc est diuina potentia, quam sub virtutis 13.
obumbrantis voce spopondit Angelus, potentia enim Patris Virginem obumbrauit, cui fœcunditatem ad conceptum impertita est. S. Gregorius Thaumat. serm. 2. de Annunt. in fine: *Tu in sum-* Thaumat.
mis spiritalibus regnis, lucis splendore coruscas, vbi glorificatur Pater, omnis principij expers, cuius obumbrantem habuisti potentiam: adoratur Filius, quem secundùm carnem peperisti: celebratur Spiritus sanctus, qui in tuo vtero natiuitatem noui Regis peregit. Patris potentiam obumbrantem Virginem attribuit Thaumaturgus; cùm tamen natiuitatem in vtero peregisse Spiritum sanctum perhibeat. Nonnè natiuitas hæc in vtero, generatio fuit? ideò illicò natiuitas nuncupata, quia Filius, qui gignitur à Virgine, idemmet est, qui in vtero Patris diuini simul gignitur; & nascitur; neque inter conceptum, & natiuitatem intercapedo vlla distenditur, tarditas immoratur: idem illi nasci, & concipi est, quem infinitudo fœcunditatis æqualem edit cum Genitore. Si ergo Virginis fœtus in eius vtero natus dicitur, vt appareat eundem ipsum esse, qui à superno exoritur Genitore: cur hæc natiuitas, seu conceptio adscribitur Spiritui sancto, præsertim postquam Patris potentiam obumbrantem dixerat Thaumaturgus? Pereximiè, & adsonè ad illud Angeli: *Quod enim* Luc 1.
in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quia Patris potentia fœcunda in geminâ personâ productâ explicatur, Filio scilicet, & Spiritu sancto; vt omnis hic potentiæ congestus cumulus, diuesque alueus in aluum Virginis proflueret: ideò ex potentia Patris Spiritus sanctus, veluti prolificum semen, inditur, vt gignatur Filius Dei, & Diuinitatis potens pondus declinet in Virginem. Quare & potentia ad hanc generationem Patri adscribitur, & Spiritui sancto generatio. Sic euodabis Augustinum serm. 10. de Natal. Domin. *Virginitatis* August.

Zerda, Maria effigies.

iura seruabis, Filium habebis, & nomen Virginis non amittes. Tanta est enim diuina illa potentia, vt & Matrem reddat fœcundam, & virginitatem seruet illæsam. Ideò benedicta inter mulieres, quia ex Spiritu sancto concipies, vbi non est carnalis maritus, sed diuina dignoscitur virtus. Ecce pro marito diuina virtus, & potentia; & tamen Spiritui sancto affigitur conceptio.

14. Quæ Augustini ratiocinatio non patitur præstolari; sed rationem confestim expetit, cur potentiam, qua Virgineus vterus sanctificauit adhuc florens, Patri irrogetur? Diximus id ideò, quia potentia hæc ad primam ex diuinis personis sigillata, fœcunditatem exprimit, qua Filius generatur. Subsignat huic cogitatui Augustinus; attamen subtiliùs meditatur id etiam euenire, quia virginitatis, & generationis amicus nexus nescit nisi à diuina Patris potentia plicari; ideò ait: *Tanta est enim diuina illa potentia, vt & Matrem reddat fœcundam, & virginitatem seruet illæsam.* Annè de omnipotentia agit Augustinus, quæ miraculorum est artifex, & naturà aduersantium consolidatio? Equidem fortunatò sub vna voce duplex tegitur Sacramentum. Potentiæ diuinæ fuit, quòd vireret virginitas, fœcunditate turgente; quòd aperiretur fœcunditas; obsignato pudore: id naturæ leges præcellit, sub omnipotentiæ iure definitur. Verùm hoc aliis etiam miraculis commune est. Singulare prodigium fuit, quòd non solùm à potentia diuina patraretur hic aduersantium extremorum concursus; sed & quòd sub eodem vocabulo referret diuinam potentiam, illam nempe, quæ in Patre ad generationem insidet Vnigeniti. Quam si explices, inuenies esse summam virginitatem fœcundam, summamvè fœcunditatem virgineam: nam virginitas, quæ in tota Trinitate tenet principatum; prout à Paterna hypostasi sigillatur, fœcunditas est, constituitque Genitorem & Virginem. Hæc est potentia, quæ in Virgine nostra per sacras vmbras exscripta delituit. Ex quibus manet elucidatus Augustinus. Vis probem, formam Marianæ virginitatis cum Patre diuino connecti, vt eius in illa exculperetur imago? Iam alibi dedi S. Hieronymum in serm. de Assumpt. Virg. opus est audias. *Quod si minus est in illis, quàm in Matre Domini, imò quia est, habetis prolem fœcundam, & Virginem perpetuam: quia sicut in comparatione Domini nemo bonus; ita in comparatione Matris Domini nulla inuenitur perfecta, quamuis eximia comprobetur. Vnus est Pater noster, qui in cœlis est; vnus & Magister: vna est & forma Virginitatis in Maria, cui vos omnes, vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in sculptura Spiritus sancti.* Ab vno Patre vna forma virginitatis in Maria apud Hieronymum decantatur: profundè quidem, quia Paternitas diuina, sicut & aliæ proprietates personarum *forma* dicuntur; & in Patre sacra hypostasis, forma virginitatis, & fœcunditatis est, quæ exculpitur in Maria. Hinc Thaumaturgus serm. 1. de Annunt. *Dominus tecum, & non terrenus sponsus, sed ipse sanctificationis Dominus, Pater castitatis, incorruptionis auctor, qui ex terra virgine creauit hominem, & ex illius latere, ac costa Euam assumpsit.* Quanto pipere respersa sunt illa: *Non terrenus sponsus sed Pater castitatis*: ac si diceret: Adte nullus appellare potest maritalibus officiis, qui non simul fœcundus sit, & virgo; castus, & prolificus: ideò terrenus sponsus exulat, Pater castitatis tecum est, qui transcendenti dignitate simul Pater Filij, Paterque castitatis est, id est, non solùm castus, & fœcundus, quasi diuersis muneribus, sed eo ipso, quòd Pater est, adeò castus est, vt castitatem gignat; & in generatione, qua solet periclitari castitas, castitatis Pater euadat.

Hieron.

Thaumat.

15. Ideò cùm consensum præbuit Virgo, vterumque dicauit ad fœtum, virgineo assensu fœcunditati virgineæ Patris se applicuit, propiúsque accedens, diuinæ castitatis radium experta est, vt quæ conceptura erat Paternæ castitatis Filium, sacram potentiam hauriret, diuinæque castitatis imbueretur affectu. Quod quidem pronum erat; siquidem quò altiùs creatura in superiora sublimatur, attingere necesse est supernæ castitatis fastigium in quo, tanquam omnium simplicissimo perfectiones, quæ subtus dispersæ sunt, coëunt in vnum, & ideò virginitas, & fœcunditas copulantur. Cùm ergo Maria ad Patrem supremæ castitatis ascenderit, ipsam castitatem experimento capessere necessum fuit, vt iam Mater, & Virgo non solùm ab omnipotentia, quæ totius Trinitatis communis est, redderetur; sed etiam per nimiùm consonam attributionem, à generatiua potentia, quæ Patris Diuini proprietas est. Quem sensum non inuitus amat S. Bernardinus Senens. tom. 3. serm. 6. art. 2. cap. 3. *Fulsit in experimento Diuinitatis, quia cùm Deus sit summa puritas & castitas, vt in ipsum non possit intrare, nisi cor absterssum, & mundum, & hoc non à carnalitatibus solùm, sed etiam ab omni phantastico cogitatu; constat, quòd quantò altiùs in diuina ascenditur, tantò diuinæ puritatis regio fortiùs à mente sentitur. Ergo cùm Virgo per hunc consensum in Dominum vere concipiendum ascenderit, oportet hunc consensum sensu, & affectu diuinæ castitatis ineffabiliter fuisse imbutum.* Sublimis cogitatus hicce est. Ex ipsomet assensu ad vterum implendum virginitas arguitur in Maria; cùm tamen nihil aduersantius in pudorem irrumpere soleat, quàm vteri tumor, filiique conceptus: & tamen venusta argumentatio est, & robusta. Si enim supernus Pater eomet, quòd gignit, Pater castitatis est, in eiusque Filij genitura assentit Maria; eo ipso, quòd gignit, pudicoque consensu concipit, castitate diuinâ imbuitur, experimentoque diuinam fœcunditatem addiscit.

S. Bernard. Senens.

16. Ex quibus agnosces Patris potentiam, quæ sub imagine fragrantem Virginis sinum irrigauit, virgineam fœcunditatem esse, qua Maria erudita, & imbuta concepit Filium. Ideò *virtus obumbrans* promittitur, vt dixi, id est, potentia, seu potestas Altissimi obumbrans, & protegens. Aptissimo quidem significatu: nam qua potentia est, obumbrat, id est, protegit, quod Potentium, & Optimatum proprium est, quia non solùm inferioribus antestant, sed vmbrâ maiestatis fouent, & defensant; & quà hæc potentia virginea fœcunditas est, obumbrat, id est, & refrigerium præbet, æstum dimouens impudicum, & mariti supplet occursum. Suprà expendi Nyssenum: oportet omnino iterato versare, vt eius sensum oppido eruamus, qui proprius huius instituti est: hom. 13. in Cant. agens de candido, & rubicundo, sic fatur: *Solum ex vniuersis hominum myriadibus de puritate virginea electum esse, cuius conceptio duorum à coniunctione profecta non sit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers: cuius thalamus Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem*

Nyssen.

nitatem ipsam inumbrans: fax nuptialis Spiritus sancti splendor: cubile, vitiorum expers conditio: nuptiæ, puritas incorrupta. Quid est *Altissimi potestas* pro thalamo? Suprà explicuimus de velamine fœminei capitis, quod *potestatem* appellat Apostolus. [1.Cor.11.10.] Nunc genuinum significatum appetimus. Quod Angelus *virtutem* dixit, *potestatem* appellauit Nyssenus, quam *potentiam* censeo, ex stylo Theologico illam adscribente primæ personæ ad generationem: *potentiam* enim, & *potestatem* eodem sensu accepit Ambrosius agens de Filij Dei generatione lib.4. de fid. ad Gratian. cap.4. [Ambros.] *Generatio non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ.* Et infrà: *Generatio in paterna proprietate non in iure est potestatis.* Quod non ideò protulit grandis Doctor, vt abnueret potentiam generatiuam Patris, quam adstruit S.Thom. 1.p.q.41. art.4. [S Thom.] sed vt doceat non superiorem Patrem censendum ex proprietate gignendi. Aliàs Fulgentius aduersus potentiam hanc negantes inclamat in obiect.4. Arrianor. [Fulgent.] Dum igitur sic distribuit Nyssenus, quòd Spiritus sanctus in connubio Virgineo fax nuptialis sit, quæ splendet, & ardet; thalamus autem sit Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans; in nube, thalamo, & potestate omnem generationis supellectilem coëgit, vberique Patris vuluæ adscripsit: vt eadem innasceretur proles, placidoque agnosceretur amplexu à Patre luminum, qui in splendoribus enititur. Potestas igitur Patris, virginea fœcunditas est: ideò *thalamus*, quia fœcunditas; ideò *nubes* virginitatem inumbrans, quia virginea, pulchrè à Nysseno perhibetur. Quare sapienter, cui thalamus, virtus, & potentia Patris adest, pro nuptiali face Spiritus sanctus est, vt in omnibus sit æqualitas, totumque negotium non ab exteris emendicetur officiis, sed vernaculis peragatur obsequiis, & intraneis fœcundæ potentiæ Patris operationibus constipetur; nullaque alienæ naturæ inducatur persona, cùm tres suppetant ad opus Virgineum; pro face Spiritus, pro toro fœcunditate Pater, pro prole Filius.

17. Patris potentiam in Virginem officioso munere delapsam fuisse, etiam alij Patres fatentur, dum tribus sanctæ Trinitatis personis per attributionem officia dispensant. Richard. à S. Laurentio [Richard à S. Laur.] lib.4. col.38. *Supponit hæc dictio, Dominus, pro Trinitate personarum: quia potentia Patris, sapientia Filij, benignitas Spiritus sancti conceptum Virginis operabantur, & partum.* Et lib.5. p.571. *Sicut ex Patre omnia operabatur, sic & ad ipsum, & in ipsum omnia pro gratiarum actione referebat.* Et lib.3. col.16. *Pater potens, cui cōpetit vis irascibilis, roborabat eam contra extollentiam superbiæ: Filius sapiens, cui rationalis, contra insipiditatem totius voluptatis prauæ; Spiritus sanctus, cui concupiscibilis, contra venenum totius malitiæ.* S.Bernardus [S.Bernard.] serm. de B. Maria: *Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam.*

18. Si autem scire cupias, cur Angelus non dixerit: *Potentia Altissimi obumbrabit tibi*, sed *virtus Altissimi*; præstò aderit ratio perexcelsa. Vltimum potentiæ *virtus* dicitur, quia in omni potentia est aliquid supremum, quasi apex, vltra quod progredi non valet; quod virtus dicitur. [S.Thom.] S.Thom. opusc.21. de dilect. Dei cap.23. *Quælibet potentia habet vltimum. Sed vis est idem, quòd potentia; virtus autem est vltimum potentiæ.*

Vt igitur eluceret vltimum diuinæ potētiæ iamiam in vtero Virginis exprimi, dixit Gabriel: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* In quo duo præbuit. [Luc.1.] Primum est, quòd potentia Dei se vltimare parabat in Virgine, id est, ad extremum suæ virtutis progredi, summam in illa operationem exscribens, quę in Dei altissimis generatio Filij Dei est, inoperatioque solet dici largo stylo, cum operatio non sit, sicut nec factio. Vltimum potentiæ Patris, omnibusque abstractius, & sublimius est, quòd Filium gignat, eâ infinitudinis exondantiâ, vt nequeat intra Diuinitatis aulam alterum filium generare, vtpote exhaustâ potentia propter excellentiam, & exuberantiam generationis. Hæc igitur potentia Patris sic eximia, virtus est; qui nouam generationem, licèt eiusdem Filij, in Mariæ vtero patrare meditatus est, quasi illa potentia iterum se vltimaret, iteratâ eiusdem Filij generatione. Ideò virtus Altissimi Virgini spondetur, vt similitudo penitiùs inualesceret. Ingenium est Alberti Magni in cap.1. Luc. ad illa verba. [Alber. Mag.] *Vocabitur Filius Dei. Ideò enim quod potentia Dei se in te vltimat, & ad virtutem se contrahit, summam, & de altissimis Dei sumit operationem, & ad similitudinem Dei operationis educit effectum, sola carne obumbratam: ideo, inquam, quòd nascetur, vocabitur, & erit Filius Dei.* En quia se vltimauit potentia, non solum virtutis sibi capessit insigne; sed similitudinem genitricis virtutis in diuinis, expressit in Virgine; vt sacra proles Filius Dei diceretur, & esset.

Aliud, quod latet in illa voce *virtutis*, ad communem Diuinitatis prospectat omnipotentiam sub eadem potentiæ, & virtutis distinctione. Dei vltimata potentia, quæ *virtutis nuncupatur*, eâ infinitudine pollet, quòd porrigat se in omne id, quod contradictione terminorum non destruitur; quæ statis naturæ legibus non obtemperat; nec obsignatis effectricium causarum cancellis terminatur; sed in omne possibile prætendit potestatem. Igitur quia in Maria supremus omnipotētiæ effectus peragebatur, humanitasque Diuinitati supra miraculum assuebatur in hypostasi: ideò omnipotentia nomine *virtutis* insignitur, virtusque obumbratura præcinitur, quippe edocemur in vltimum potentiæ aduentum esse. Ausculta iterum Albertum in cap.2. Luc. ad verba: [Alb. Mag.] *Et virtus Altissimi: Quia virtus est vltimum illud, in quo stat potentia, non valens in amplius aliquid; & sic virtus est potentia, vel potestas vltimata: Dei autem potentia vltimata infinita est, & omnipotens. Vt enim ita dicam, Deus plusquam omnia potens: potest enim multa, quæ nunquam fuerunt; & tamen esse poterant secundùm Dei potentiam infinitam. Et hoc ostendit in Filio, quia nihil maius facere potuit, quam hominem, & talem & tantum, quantus est ipse.*

Virtus Altissimi obumbrans Virginem, fœcunditatem Patris, generationisque diuinæ depromit arcanum. Vbi pulchra de hac vmbra.

SECTIO III.

FOECVNDITATE Patris illita fuisse viscera Virginea, nullū illustrius argumen- 19.

 tum

rum euincit, quã virtutis Altissimi obũbratio. Sub hac nube diuinæ pluuiæ libemus rore, quo maritatam è superno amplexu puellã, imbreque diuinæ vuluæ roscidam demonstrabimus. Meditabar numquam absque nube Patrem, Vnigeniti generationem protulisse. In Thabor, Matth. 17. *Vox in nube audita est, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Cùm in cœlum ascendit Patris ad gremium, Actor. 1. *Et videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Ergonè, vt thalamus, quo iugiter gignitur, soboles Diuina, inaccessibilis lucis vmbraculis cingi indicetur, semper nubes adest, quo inibi generationem esse declaret? Profectò sub nube connubium, imò coniunctio sponsorum ad inuicem designatur: ex quo nubendi verbum ad rem vxoriam, de quo iam alij plura congesserunt, ex Eustathio Odyss. A. Diogeniano Cent. 2. Prac. 47. Aristeneto lib. 1. epist. 21. & lib. 5. epist. 10. Nubes igitur appositè eligitur, quoties Pater generationem sub vmbroso symbolo ostendit. Iam ergo calleo verba illa Gabrielis, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideòque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quasi diceret: Altissimi virtus, generatioque Patris, sub nubis vmbraculo semper mortalibus indicitur, qui genitale secretum superni thalami nesciunt, nisi sub sacrorum velaminum obscuritate prospicere. Nubes illa, id est, ad prolem fœcunditas, vterique diuini feracitas tibi inseritur, vt Virginea eiusdem sobolis Mater euadas, nuptialique fœdere summo Parenti nupta, sub nubis vmbraculo ex eiusdem impulsu concipias. En nubes vtrobique, in cœlo, in monte, in Maria; vt vtrobique diuinæ generationis pateant indicia. Frui licet S. Maximo homil. 3. in Pentec. *Nubes ergo ab oculis Apostolorum suscepit Saluatorem. Illa enim est nubes, quæ ascendentem suscepit Christum, quæ & testimonium Christo etiam in monte perhibuit. Non igitur nubes suscepit Christum; sed Deus Pater recepit Filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliori complectitur.* Et statim: *Post Crucem enim, post iniurias, post inferos, non est magius Christo refrigerium, nisi quod virtute Diuinitatis obumbraretur, sicut in natiuitate eius ad Mariam dicitur: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Altissimus ergo Pater, qui, nascente Christo, obumbrauit in virtute Mariæ, ascendentem eum suscepit in nube.* Vt quid tam iterata in triplici manifestatione nubes, nisi quia cùm Pater nube Filium ascendentem amplectitur, molliori gremio, S. Maximi stylo, recipiens, æternam generationem, quæ poterat videri per interiectam Incarnationis œconomiam, quadam quasi parenthesi intercisã, æterno impetu continuari dignoscitur? Quod & in Thabor euenit, vbi Filij generationem, coruscantibus Montis scopulis, conclamauit. Vnde id ipsum peragendum in Incarnatione fuit, vt, dum Mater in intemerata vulua conciperet, Pater generationem non intermittere censeretur, cùm nubis vmbraculum stabile testimonium proferret.

Matth. 17. · Actor. 1. · Eustath. · Diogen. · Aristen. · Luc. 1. · S. Maxim.

20. Per vmbram igitur fœcunditatis veritas innotescit. Si autem veritas, cur solùm in vmbra Altissimi virtus spondetur? Ingeniosè quidem, & setiò, si mentem acueris, Se deuouit Virginitati Maria; sicut virgula fumi in aris pudicitiæ corpus virgineum suffiuit: nec Matris honorem pudori præponit; magis candorem amat, quàm purpuram. Desine, Virgo, quasi reluctantes querelas: adeò in virginitate excreuisti, vt ad Virginitatem Patris aliquali perueneris vicinitate. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid quod obumbret? Annè virginitatis fames saginabitur; & compos desiderij euadet vterque, Virgo, & Deus; Virginitatis illa, Maternitatis hic? Euadet quidem. Si Patrem intuearis, virgo fœcundus est; & concipit, & virgo manet. Hæc virtus Altissimi obumbrabit tibi. Concipe; procul absistat vir, Virgo es. Sed vt quid obumbrabit? Hîc procumbat mens, & inæstimabile mysterium adoret. Mirum est, quòd vmbra promittatur germinandæ segeti: nam *nocent & frugibus vmbra*, canebat ille Eclog. 10. Et Plinius lib. 17. cap. 12. *Quibusque satis vmbra, aut nutrix, aut nouerca est.* Benè. Imò ipsa virtus generatrix descendit in vmbra. Iam explico. Cùm vmbra per pauimentum efformatur, Solis ab interiecto corpore excussâ luce, inuersis membrorum sitibus depingitur corpus; incipit à pede, desinit in capite. Arborem videas in cacumine montis satam; hinc inde ramorum explicat brachia, depexam comam frondosâ pompâ in vertice pandit. Sol, seu oriens, seu occubans, luce ferit, & arboris vmbra declinis cadit per montis præcipitium, & cliuum. Oculos erige, cernes in vmbra arboris truncum sursum, deorsum caput: sic quod prius, nouissimum est; quòd nouissimum, prius. Quid prius est in Patre, vt Pater est? Virtus generandi Filium: imò & Dei natura stat in cognitione sui ipsius, quæ in Patre generatrix est potentia. Quid posterius respectu Dei? Creatura. *Cùm transierit gloria mea, posteriora mea videbis.* Corpus assumam, homo efficiar; tunc pasces obtutum; nunc opprimêris à gloria, si audes obiicere pupillam. Deus itaque generandus est homo in vulua Virginea. Sol ille illuminans mirabiliter à montibus æternis. Descendit virtus Altissimi, sed in vmbra, vt deorsum sit Deus, sursum creatura; deorsum id, quod prius in Deo est, scilicet Diuinitas, generandi virtus, Verbum Dei; sursum homo. Quare sicut ex vmbra cognoscitur corpus; sic ex virtute generandi, Incarnationis Sacramentum patet in Virgine, nempe homo Deus, Deus homo. Solet Latinè audiri Nyssenus: iuuat Græca dare, quibus subtilius acumen. Sic tom. 2. orat. in Natal. Dom. Καθάπερ γὰρ ἡ τῶν σωμάτων σκιὰ τῷ τύπῳ τῶν προηγουμένων συσχηματίζεται, οὕτως ὁ χαρακτὴρ καὶ τὰ γνωρίσματα τῆς τοῦ ἡμῶν θεότητος, ἐν τῇ δυνάμει τοῦ τικτομένου διαφανήσεται, εἰκὼν καὶ σφραγὶς καὶ ἀποσκίασμα καὶ ἀπαύγασμα τοῦ πρωτοτύπου διὰ τῆς τῶν ἐνεργειῶν θαυματοποιίας δεικνύμενος. *Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur; sic forma, & indicium Diuinitatis Dei in virtute ipsius, qui paritur, ostenditur, & imago, & signum, & adumbratio, & splendor exemplaris per admirabilem rerum affectionem demonstrabitur.* Sic ille. Ergo ex virtute ipsius, qui paritur, Diuinitatis ostenditur indicium, sicut vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur. Inuersim scilicet, vt quæ priora in corpore, posteriora appareant in vmbra. Hinc vix nuntium audierat Chrysologus, & scitus prorumpit, serm. 142. *Audistis in terris Deum in cœlis hominem Sacramento incomprehensibili collocari.* Ecce vmbræ ingenium. Ecce Mariæ virginitas virginitatem æterni Patris sibi deuinxit; vt in Verbo concepto, homo surgeret ad superiora, caderet ad ima Deus. Suspice genealogiæ Christi arborem, vmbræ indole delectaberis.

Virgil. · Plin. · Exod. 33. · Psalm. 75. · Nyssen. · Chrysol.

Matthæus

Matth. 1. Luc. 3. Matthæus descendit ab Abrahamo vsque ad Virgineum vterum, vt descendat Deus, & fiat homo: Lucas ascendit à Ioseph Virginis viro vsque ad Deum, vt ascendat homo, & fiat Deus. Nec scalam prætereas: facit vmbram, etiam in nocte: ascendunt Angeli, vt hominem, Deum pangant: descendunt Angeli, vt Deum, hominem fateantur. Gen. 18. 12. Rupert. Rupertus in Genesim lib. 7. c. 22. *Descendendo, Deum hominem factum, ascendendo, fateatur Deo hominem vnitum. Idcircò rectè duo generationis huius prædicatores Matthæus, & Lucas ascensum hunc, & descensum sibi diuiserunt; vt ille ad Abraham descenderet vsque ad Virginis vterum; hic ab ipso, qui putatur filius Ioseph, ascenderet vsque ad Deum.* In conceptionis momento cur *Ecce ancilla*, fatur Genitrix; & tamen *Fiat mihi secundum verbum tuum?* Vt arboris inuerteretur status, ad seruitutis infimum caderet Deus; ad Verbi, quod erat apud Deum, surgeret homo. Ildeph. Ildephonsus lib. de virginit. Mariæ capit. 8. *Vt haberet ancilla in subdito Dominum, ancillam Dominus in prælato: pro humanis humiliantur diuina, & in diuinis subleuantur humana.* Accinit Bernard. Bernardus serm. 3. super Salue Regin. *Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, & homo sublimis.*

21. O fœlix indoles vmbræ, cuius commercio Virgo Mater cum Patre Diuino nectit contubernium! Fœlicius ingenium Valentini delirii ex Gnostica secta, qui inter alia dogmata dicebat, Christum à Matre extra secula constitutâ genitum esse cum vmbra quadam. Præstat rem ab Epiph. Epiphanio auscultare contra hæres. libr. 1. cap. 31. propinquius ad finem: *Terminos item duos asserunt* (scilicet Valentinus) *alterum inter profundum, ac reliquum complementum, distinguentem genita sæcula ab ingenito Patre: alterum separantem ipsorum Matrem à complemento. Sed & Christum non à sæculis, quæ in complemento sunt, emissum esse, sed à Matre extra constitutâ ex præstantiorum sententia genitum esse cum vmbra quadam. Et hunc quidem, vt qui masculus esset, à seipso vmbram dissecuisse, & ad complementum recurrisse: Matrem verò relictam cum vmbra, euacuatam spiritali substantiâ alium Filium protulisse. Et hunc esse opificem, quem etiam omnipotentem dicit, subiectorum.* Sic è cerebro hæreticus effutiebat. Mentitur iniquitas sibi. Sed Matri, etiam dum errat, obsequitur: nec valuit inter decliuea delitiorum anfractus Matrem à Patris ingeniti similitudine discernere, nec absque vmbra cogitare. En à Matre cum vmbra quadam genitus Christus perhibetur; & vmbra omnipotentem opificem ortum ex insomnis Gnosticorum refert Epiphanius. Non est hæc vmbra, quam dissectam promis, obscurisque, & Cimeriis tenebris obumbras, Valentine, ex qua Mater fœcundata concepit. Vmbra ingeniti Patris est, non spiritali substantia euacuata, sed virtute Altissimi adumbrata, per quam vulua Virgineæ Matris Diuini Patris sobolem concepit, vt ex profundo ad supremum, gratiâ opitulatrice, ordo inuerteretur, homine ad supremum ascendente, Deo in inferiores partes terræ descendente, vt impleret omnia. Ad. Eph. 4.

22. Ps. 109. Sed si ex superna fœcunditate concipit Mater, quid est, quod in vmbra, dum in splendoribus Pater? *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te*, Vnigenitum alloquitur Parens. Non ibi corpus opacum vmbram fecit; sic in nitidis solùm splendoribus genuit. Cur in vmbra sub Maria? Quia interiectitius vterus obiecit molem: sic ipsemet, qui in splendoribus natus, nascitur in vmbra. Sed adeò vmbra splendidum custodiuit, quia ex carne Mariæ vmbra fuit; vt idem ipse etiam sub vmbra natus, Filius Altissimi vocetur, sicut ii sub splendore. Quàm mellitè Bernardus S. Bernard. sermon. de Natiuitat. Mariæ: *In splendoribus sanctorum, inquit, ex vtero ante luciferum genui te: Verum id quidem Pater. At Mater sanè eundem ipsum in splendore non genuit, sed in vmbra, non nisi eâ tamen, qua obumbrauit Altissimus.* Expende illud *Eumdem ipsum*, quasi tanta sit Maria vt, etiamsi concipiat in vmbra, concipiat splendentem, nam non in vmbra nisi quia adumbrauit Altissimus; quasi eadem esset virginea fœcunditas, quæ in superis concipit, & in imis; in splendore, & in vmbra.

23. Quid Deiparâ dignius? Cum Diuinitate paciscitur; corpus dat, lumen accipit; inde vmbra. Expetiit eius virginitas incarnandum, non Patrem, non sanctum Spiritum, sed Verbum Dei. Cur sic? Quia Verbum lumen est intellectus, quo mentis aula claret: sic passim philosophi. Vnde Filius Dei, quia Verbum, splendor Patris dicitur à Paulo. Ad. Hebr. 1. Sub vmbra igitur conceptura Virgo lumen hoc exigebat, vt corpori, quod ipsa ministrauerat, insertum vmbram efficeret. Passim circumfertur Gregorius Magnus 18. Moral. Greg. Mag. *Per obumbrationem enim vocabulum incarnandi Dei vtraque natura significatur: vmbra enim à lumine formatur, & corpore: Dominus autem per Diuinitatem lumen est: quia ergo lumen incorporeum in eius erat vtero corporandum, rectè ei dicitur: Virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Diuinitatis.* Qui locus communis est. Sed hinc insurgo. Virtus Altissimi obumbrat, vt corpus fiat; non ergo ex corpore vmbra. Rursus. Si vmbra præit, vt ab ardenti Diuinitatis face acies virginea non hebetetur, nec perstringatur ad ignem; quidnè interiicitur, quod temperet ignem? Sanè nil medium interfuit inter Diuinitatem, & corpus, tùm in vnum substantialiter coaluerunt corpus, & Diuinitas. Sed Aquilina lumina lumine non franguntur, nec hæsitat intuitus, dum generosus est pullus. Lippientes mortales vel ad Diuinitatis vmbram cæcutiunt: Maria totam ebibit Diuinitatem, nec cilia mouet. Quidquid ardorem temperat, ex Maria est: corpus ex ipsa compactum luci obiicitur, ipsa sibi tegumentum est: quia caro virginea Mariæ adeò sapit virginitatem fœcundam, vt à se discat fœcundo lumine non terreri. Cupin ab hac cogitatione Amadeum homil. r. de laudib. Virg. Amad. *Obumbrabit ergo tibi, quia luci se inaccessibili assumpta à Verbo humanitas obyciet, cuius obiectu lux illa temperata castissima viscera tua perfundet.* Quid ais, ô Beate; Si humanitas ex Maria est, & suffert lucem humanitas? vt quid humanitas temperat lucem, vt sufferat Maria? Quia ipsamet Maria est vmbra sui. Adeò manentibus oculis lucem prospectat æternam, vt quod ex ipsa est, ipsam valeat obumbrare, si forsan eguerit vmbra, quæ lumen concipit. Ast virtus Altissimi est, quæ obumbrat; cur id arrogat Amadeus humanitati? Quia in humanitate fœcunda Virginitas, quæ virtus Altissimi est, splendet. Imò & ipse Christus Deus, & homo, lumen, & caro, obumbrat Virginem, à qua conceptus, quasi dederit ipsa, quod obumbraret: nam ipse sine ipsa nô habet corpus,

pus, & vmbra non sine corpore est, quamuis adsit lumen. Sanctus Thomas 3. part. quæst. 32. art. 1. ad 1. *Virtus Altissimi, id est, Christus, obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Diuinitatis: vmbra enim à lumine formatur, & corpore.*

S.Thom.

24. Si ex corpore, & lumine vmbra tremulis lineaminibus, opacitate percussâ figuratur; corpusque ex Virgine acceptum, lumini Diuinitatis obiectum vmbram effinxit; quomodò Angelus *Virtus*, inquit, *Altissimi obumbrabit tibi*? non enim obumbrat lumen, quod corpus excussis splendoribus ferit; sed potius corpus radiis perculsum obumbrat; nec ad Solis vmbram, sed ad æstum exit: sub vmbroso tegmine carpis soporem; non sub nuda Solis ardentis rota recubas, vt refrigeteris ab vmbra. Certè adeò corpus ex Maria genitum diuini luminis sapit indolem, vt, dum corpus adumbraturum spondendum esse videbatur, virtus Altissimi, quæ lumen fœcundum est, obumbratura promittatur; nempe illa Diuinitatis virtus, quæ ad fouendum grauidandumque vterum necessaria fuit. Difficilem expendamus Augustini locum in 2. p. Quæst. ex nouo Testam. q. 51. *Superueniens ergo Spiritus sanctus in Virginem, sanctificauit eam opere suo, efficiens corpus sanctum ex ea, in quo Virtus, quæ dicitur Filius, nasceretur: cuius obumbratio in Virginem, hoc est, vt de immensitate Diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur, virtus Dei esset, qui Dei virtus, nec non & Deus. Nihil enim de Deo est, quod non dicatur Deus. Nam hoc corporeum est, vt sit in carne aliquid, & caro dici non possit, vt pili, & ossa, & nerui, &c.* Non facilis explicatus est illorum verborum: *Vt de immensitate Diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quantum posset capere humana natura* Et totus statim incumbit, vt illud quasi dissectum, & libatum ex Diuinitate, diuinum sit, cùm in sectiones diuidi nequeat immensitas, quin Diuinitas vtrobique subsistat. Cur S. Doctor curtè immensitatem decerpit, nec totam in vtero Virgineo describit, sed aliquid immensitatis? Et sanè de Christi corpore id neutiquam profari poterat, cùm in illo habitet plenitudo Diuinitatis corporaliter. Virginem Matrem, me iudice, suspicit, cui opus fuit imbui virtute ex Alto, vt Altissimi conciperet prolem. Virtus itaque obuenit Altissimi, quæ sinum fœcundaret ad fœtum: attamen necessum est, vt iuxta humanæ naturæ receptaculum attemperaretur, sicut intellectibus Beatorum Diuinitas vnita, immensitatis infinitudinem coërcet iuxta luminis gloriæ quantitatem. Ideò igitur illa virtus sub vmbra indicitur, & obumbratura spondetur, vt ex vmbræ natura, quæ ex corpore interiecto resultat, respectus ad carnem indicaretur, & iuxta capacitatem eius taxata fœcunditas appareret: cùm reuerà non cum tota infinitudine exigebatur ad generationem temporalem sub humanitate, quali apud Patrem generatio indiget æterna. Attamen quia, etiamsi vt homo, Deus erat à Virgine concipiendus, diuinâ virtute superni Patris opus fuit, & immensitatis splendore. Hanc censeo Augustini mentem, vt iam non per salebras lubrius fluere videatur stylus in illis: *Cuius obumbratio in Virginem, hoc est, vt de immensitate Diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur.*

S.August.

Ad Col. 2. 9.

25. Eumdemmet explicatum habet obumbratio apud Hieronymum, qualem ex Gregorio, Augustino, & Thoma præscripsimus, sic enim tom. 7. in Psalm. 17. ad illa, *Sub vmbra alarum tuarum protege me. Vmbra* (inquit) *duabus rebus constat, lumine, & corpore. Per lumen Diuinitas, per corpus humanitas intelligitur. Vnde & Maria dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quæ si non fractâ nuce, ex cortice solùm censeam, vix mysterij percalleo subtilitatem. Non enim Virginis curis affatim consuluisse videretur Angelus, si iuxta præfata verba solutionem dubij ex virginitate obiecti præberet. Fiet istud, ò Virgo, non turbato pudore, quoniam obumbrabit te Filij tui humanitas ex lumine Diuinitatis excutiens vmbram. Paranda etenim erat enodatio ex antecedentibus ad ipsum Filium, qui nasciturus efferebatur: semel enim iam conceptâ prole, nil timendum erat castitati. Quare ipsemet Filius, postquàm fuisset in carne conceptus, non potuit sui ipsius conceptioni vt vmbra destinari. Nec id Hieronymus, & dati Patres præscriptis in verbis exigunt. Mens igitur est: Ipsamet humana caro adhuc Virginea, ex Diuinitatis fœcundo lumine ferax obumbrabit tibi; nec viri patieris iniuriam, quæ ex Altissimi concipies splendore. Obiice corporeum vterum diuino lumini, quod iamiam imbueris; & ex superno lumine, corporeque tuo vmbra resiliet, quæ vtrique medebitur æstui; diuino, vt iuxta capacitatem naturæ creatæ temperetur; naturæ generantis, & illecebræ, vt impetare non præ tentet.

Hieronym.

26. Adhuc tamen nondum huius vmbræ plenum apprehendimus Sacramentum. Scias generantem in semine à se deciso, suæque baiulo virtutis, vmbram sibi similem deponere, vt in similitudinem sui efformetur fœtus, speciem repræsentet, figuramque consignet iuxta præscriptam vmbræ formam. Ergo Diuinus Pater; dum supernâ virtute Virginem obumbrauit, Genitoris fungens officio, vmbram sui in vterum Virgineum incussit, vt diuina soboles formaretur. Sic ex Origene Albertus Magnus in cap. 1. Luc. ad ea verba: *Obumbrabit tibi: Maiestas Dei infinita in puritate Virginis, tanquam in speculo sibi obiecto, refulsit, & vmbram in ea suæ similitudinis reliquit. Sic ergo vmbra similis virtuti Altissimi in vterum Virginis immissa, vocatur vmbra: sicut enim natura generantis vmbram sibi similem relinquit in semine, quæ partum, & conceptum format humanum; sic supermundana, & diuina illa Patris virtus vmbram suam produxit in Virginem, quæ conceptum, & partum formaret diuinum. Et hæc est omnibus alijs melior expositio ab Origine accepta.* Iure extollit Albertus hunc explicatum, qui nostro sensui mirè adstipulatur: aurea enim periodo includit, quidquid in toto hoc opere nitimur explicare. Nec eludi valet spes, cùm hîc omne suffragium ab Alberto promeruimus. En in Maria Patris diuini similitudo. En generationis æternæ in eius vtero fidelis vmbra. En potentis virtutis depositum, speculum emanationis æternæ, synceraque Paternæ potentiæ exscriptio, nedum libatio. Virtutis suæ vmbram reliquisse in Virgine Patrem, propter Diuinitatis Theologicam reuerentiam cordatè dicitur; ne putetur ipsammet increatam virtutem Patris, fœcunditatemque supernam absque aliquo intermedio producto Virgineam vuluam grauidasse. Id quidem absonum est, & insipidum.

Alb.Mag.

spidum. Produxit sanè suæ virtutis vmbram, motionem dicas, siuè qualitatem aliquam, qua impelleretur, & ferueret Virginis vterus, nec viri indigus esset: ast in ea ex indiuisa Filij vnitate, suæ similitudinis vmbram duxisse procliue est, cogitemus, ex similitudine effectus, ex voluci celeritate actionis, ex Virgine fœcunditatis miraculo.

27. Hunc cogitatum iuuat, & adauget, quod Pater in diuinis adumbrator est, & absque vicissitudinis obumbratione, dum ex suamet concipit substantia, suimet imaginem depingit Filium. Sic ipse Filius, dum Patris splendor est, & figura substantiæ eius, vmbra est, quia imago. Demirare dignationem. Superus Pater vt sui vmbram, seu imaginem concipiat Maria, se adumbrat in illa, obumbranteque virtute, resculpit. Oportuit priùs cum Patre similitudinis inire commercium, vt Patris imaginem in vtero pudico conformaret. Sic enucleare cupio communem Athanasij locum, nondum benè discussum, serm. de sanctis. Deip. *Obumbrauit Mariam virtus Altissimi corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde, lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est Deum formæ expertem, in se concipi, vtpote obumbrante illam virtute Altissimi, & vmbras, lineamentaque quasi faciente.* Obserua: *Et diuinæ vmbræ imaginem induxit.* Vmbra, corporis imago est; imago igitur vmbræ erit imago imaginis. Estnè in diuinis vmbra? Est quidem non euanida, sed stabilis; non obscura, sed candor lucis æternæ, non tremula, sed stans. Est Filius, Patris imago intellectus penicillo ducti. Inducit itaque Pater imaginem diuinæ vmbræ in Maria, vt eisdem lineamentis vtrumque repræsentet, & diuinam vmbram, scilicet Filium, & diuinum Patrem, cuius imago, & vmbra Filius est. Colligat ergo lineamenta Maria, & totam Trinitatem spiret, dum in se concipit Deum, formæ expertem. Hæc ita pro Athanasio, quatenus Latinè circumfertur. Si Græcè noueris, adeasque Græcum, aliter iuxta proprietatem verres illa, quæ circumferuntur: *Obumbrauit virtus Altissimi corroborans eam, & diuinæ vmbræ imaginem induxit.* Græcè est: ἐπεσκίασεν ἡ δύναμις τοῦ ὑψίστου δυναμώσασα αὐτὴν καὶ σκιᾶς θείας ἐμφάσεις ἐμποιήσασα. Id est, Obumbrauit virtus Altissimi corroborans eam, & conspicuitates, seu demonstrationes, apparitionesvè diuinæ vmbræ faciens Ἐμφάσεις Budæo teste, id significat, non autem *imaginē*. Quare sensus erit: Ex virtute generandi conspicua effecta est, & manifesta diuina vmbra, scilicet tam diuina Patris virtus, qua Filium in secreto gignit latibulo, quam ipsemet Filius, qui vmbra lucida, & imago Patris est. Quæ consonant alijs verbis, quæ nuper ex Nysseno retulimus: *Indicia Deitatis Filij ex virtute generandi patebunt.*

Athan.

Budæus.

Nyssen.

28. En sacra lineamenta, & vmbræ conspicuam reddunt cum Patre cœlesti Virginis similitudinem. Quare post virtutis obumbraturæ promissum se pictoriam tabulam exhibuit Maria, vt inducerentur vmbræ, lineæque traherentur, si audeas Theophilacto, qui in c. 1. Luc. illa verba: *Ecce ancilla Domini*, sic exponit: *Tabula sum pictoria: pingat pictor, quod voluerit; faciat Deus, quod voluerit.* In quibus Patris obumbrationem prospectari, potest persuadere Michael Psellus de operat. Dæmon. apud Biblioth. tom. 11. *Vt Dei Verbum conciperet, simul atque Virgini virtus Altissimi, Patre ita volente, obumbrauit.* Quid est, *Patre ita volente*, nisi quia Pater ex voluntate, & dilectione adumbrator fuit Virginis, qui ex natura, & ex intellectu adumbrator est Filij in diuinis. Quæ quidem adumbratio sic in picturæ modum exponitur, vt etiam eo significatu communior, & non proprior significatus exprimatur, quatenus *obumbrare* solet exponi pro potentem reddere ad prolem; de quo aliqui minùs honestè disceptaut. Breuiter Euthymius: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi: Idem quoque indicat hic sermo: Virtus Dei proteget te, potentem faciet te ad huius rei operationem.* Ideò forsan vterque explicatus amicè cohæret; quia Genitor, vt diximus ex Alberto, vmbram suam in vtero fœmineo relinquit, vt ad imaginem suam fœtus edatur.

Theop.

Mich. Ps.

Euth.

Imò, vt omnis impudici æstus scintilla abigeretur; & tamen generatio contingeret, virtus Altissimi sub obumbrationis stylo spondetur. Do S. Ephræm de Marg. pret. *Possum ostendere Patrem, qui non genuerit. Palmarum mares, qui dicuntur, dum obumbrant fœminis, fructuosas illas efficiunt; cùm tamen neque illis misceantur, neque vllam ipsis substantiam præbeant: & ficulnearum quoque nonnulla fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur.* Ex quo illicò infert: *Quemadmodum igitur ista quamuis non generent, patres appellantur; ita & Ioseph Pater est dictus, licèt maritus Virginis non esset.* Quo S. Ephræm vtitur argumento, vt euincat iure Iosephum, etiamsi non genuerit, Patrem nuncupari: possumus non iniuriosè frui, vt ex virtutis vmbraculo quo Pater diuinus Virgineum sinum protexit; etiamsi inibi verè non genuerit Vnigenitum, quē generatione progignit æternâ (quippe, vt plures obseruauimus, qui in quantum Deus genitus est à Patre, non factus, in quantum homo, factus est à Patre non genitus) Pater meritò nuncupetur non solum ex eo, quòd hypostasis, quæ terminat humanitatem, verè Filius Dei est: & vlterius ex eo, quòd totus Christus prædestinatus sit Filius Dei, ex quibus titulis stricta generationis proprietas arguitur; verum, etsi omnia illa defuissent filiationis insignia; adhuc ex virtute obumbrante Patris, etiam absque generatione, Pater aliquomodò diceretur, quemadmodum de ficulneis, & palmis obumbrantibus scribit Ephræm, quod patres appellātur, quia, quamuis non generant, obumbrāt. Stupor est animo meditanti quot titulos inuenerit Pater cælestis, vt Pater diceretur eius sobolis, quam Virgo Mater progignit, & illigaret sibi cum hac sacra fœmina consortium. 29.

Ephr.

Ergonè Ioseph obumbrauit Virginem concipientem? Sanè id videtur innuere præfatâ argumentatione S. Ephræm. Obumbrauit quidem nuptiarum velamine, vt & partus, & Mater à liuidis eriperetur calumniis, & sub vmbella, seu vmbraculo matrimonij, spicula aduersus pudorem contorta profligaret. S. Gregor. Nyssen. orat. in Christi Resurr. *Quoniam enim ita dispositum, & destinatum erat, vt & diuinus partus obumbraretur, & sanguinarijs Iudæis non manifestaretur, quod circa ipsum tempus, quo ad lectum coniugalem ducenda erat Virgo, ex Spiritu sancto concepisset, quemadmodum literis mandatum est, quod & vir huius, & pater Iesu vocatus sit Ioseph.* Quæ cùm ita sint, duplex innuitur obumbratio; altera virtutis Altissimi, qui cùm vir nō sit, viri imitatur officiū; altera Ioseph, qui cùm vir sit, munus maritale 30.

Nyssen.

tale nō agit. Hæc vmbra alterā vmbrā abſcondit, & obūbrat,eā Sacramēti ſapientiā, quod quia partus diuinus erat,ac proinde ſolùm Deus, & Maria debebant concurrere ad conceptum, & ſub virtutis diuinæ generantis adinſtar,vmbrâ peragi opus erat: ſed aliàs myſterium hoc ſanguinarijs Iudæis regi oportebat; aliud vmbraculum neceſſium fuit, non quidem fœcundum ſicut primum,ſed potiùs quod fœcunditatemdiuinæ vmbræ ſub virilis fœcunditatis adumbratione occultaret. Quæ mens Nyſſeni eſt,ſi præfata eius verba verſaueris.

31. Imò hæc vmbra Diuini Patris intentum Dæmonem,& virgines obſeruantem excuſſit,& fefellit: nam & generatio quidem ſubſequuta fuit;& tamen quia ſub vmbraculo peracta eſt, caligantibus ille tenebris cæcutiuit,qui,quantumuis callidus, & vafer, in ipſomet generationis opere eluſus,& illiſus fuit; quippe ea diuinæ ſapientiæ ars interceſſit, quòd vmbra in duo munera ſubſeruiret, nempe vt & diuinitùs ex roſida huius vmbræ fœcunditate gigneretur proles; & quatenus vmbræ proprium eſt tegere, & amicire; callido Dæmoni conceptus tegeretur. S.German. orat. in Natiuitate Mariæ: *Salue non manu factum tabernaculum, atque à Deo conditum, in quod ſemel in conſummatione ſæculi ſolus Deus, ac ſummus Pontifex introiuit,occultè in ſe rem faciens diuinam; ſanctorum alterum velamen, in quo elegans propitiatoriū, ſeuoperculum arcæ teſtamenti veteris,& Cherubinicum venerandum vmbraculum, quatenus Dominum in vtero, ſub velamento vterum geſtans, abſcondiſti.* Pulchra ſunt illa: *Occultè in ſe rem faciens diuinā.* Vide quo ſtylo Virgineam generationem Germanus expromit: ſicut enim honeſtâ voce res coniugalis, ſeu vxoria ſolet dici, ne aures ab impudico vocabulo flagellentur, adeò ex Diuinitatis limpida & ſancta virginitate hæc ſacra generatio contigit in Maria, vt res diuina nuncupetur: & ideò in vtrumque officium delecta eſt vmbra,vt ſimul tegeret,& protigaret ad fœtum;& ſimul abſcōderet vterum, & vterum geſtauiſſe Virginem effecerit. Qui ſenſus latet in illis: *Dominum in vtero ſub velamento vterum geſtans,abſcondiſti.* Quòd enim hæc vmbra, non ſolùm texerit, & occultauerit, quod aliarum vmbrarum eſt, ſed & conceptum peregerit,quod & nullius eſt,prodidit Alb.Magn. ib cap.1. Luc. *Vmbram in ea ſuæ ſimilitudinis reliquit, quæ conceptum diuinum perfecit, quod nulla vmbra alterius rei facere potuit.*

S.Germ. — Alb.Magn.



ACADEMIA XII.

Quòd Pater per cognitionem ſui generet Filium, Maria concipiens oſtendit.

Maria non cognoſcens virum, cognitioni Deitatis intenta concipit, vt Verbum Dei eſſe fœtum oſtendat, quem per cognitionem Pater progignit.

Sectio I.

1. Manet in præcedentibus expenſum,generatiuam virtutem, potentiamque Diuini Patris in Maria fuiſſe adumbratam, vt Filius gigneretur Diuinus,& ſublimi maternitatis prærogatiuâ imaginem ſuperni Genitoris Virgo referret. Hæc in cōmuni dicta ſunt.Præſtat adhuc intimiùs perſcrutari, quænā ſit virtus hæc generatiua Patris, vt firmiùs, & ſolidiùs exploremus,an indicia ſuppetāt ſecura,quòd repræſentata extiterit in Maria; vt conſona, quantum patitur creaturæ tenuitas,ſimilitudo cum Patre ex diuinæ gratiæ largitate,præſtita Virgini probetur.

Pater ſuperus intellectu progignit: ideò Filius Verbum eſt,ideò virtus generatrix, cognitio, & ſapientia, quatenus ſigillata à paternitate, & conſtituta in diuina perſona. Quod cùm notum ſit, non opus eſt confirmemus: ſat ſit Theophylactus in Ioan. cap. 1. *Impoſſibile eſt Deum eſſe abſque ſermone, & ſapientia, & virtute. Idcirco, quia Verbum, ſapientia, & virtus Patris exiſtit Filius, credimus ipſum ſemper fuiſſe apud Deum, hoc eſt, cum Patre.* Obuius eſt Auguſtinus trito loco lib.15. de Trinit.c.14. *Nouit omnia Deus Pater in ſeipſo, nouit & in Filio, ſed in ſeipſo tanquam ſe ipſum; in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de omnibus, quæ ſunt in ipſo.* Quare Filius Dei ex cognitione mentis procedens,mentis germen nuncupatur. Dionyſius Alexand. de quo Athanaſius in epiſt. de ſentent. Dionyſij: *Eſtque mens, quia per ſe exiſtit Verbi Pater: Verbum autem veluti Filius mentis, quod, vt ante mentem extiterit, impoſſibile eſt, ita nequaquam ſine ea, ſed vnà cum ea extitit, & ab illa progerminatum eſt. Eodem quoque modo Pater maximus, & inſolidum mens, Filium ſuum Verbum, interpretem, & nuntium ſui habet.* 2.

Theop. — Auguſt. — Dionyſius

Igitur vt ex accordi Patrum concentu exactè probemus, quanta fuerit parilitas in Maria concipiente Filium Dei cum Patre per intellectum, & cognitionem generante, incumbendum nobis eſt ad diuinæ ſapientiæ laudem, & profuſi amoris erga Mariam præconium, vt euincamus Virginem noſtram cognitioni Diuinitatis intentam, in vtero conſeuiſſe Verbum Dei, ne ab æterna generatione degeneraret, & ad modum virtutis Altiſſimi, quæ dum generat, cognitio eſt, concipere in carne aliquomodo videretur. Hoc ſi nanciſcimur, fortunatam ſatis videbimus lucem. Ergo hîc oleum erogandum. 3.

Se genitricem audit Virgo,& pudoris rubuere lilia; deliquium crederes in pudico flore: virginitatem deperibat,perire non patiebatur. *Quomodò fiet iſtud*, ait, *quoniam virum non cognoſco?* Sed quomodo inſcia viri,quæ obnupſiſti Ioſeph, Regia Virgo? Sponſum ignoras contribulem? Sed ſponſum noſcit, non noſcit virum, id eſt; maritum, viri munus obeuntem. Cognitio hîc, vt Scripturæ vſus fert, coniugalem rem præſignat. Enodat Angelus protinus dubium: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Filius Altiſſimi vocabitur.* In quibus verbis omnem Virgini quæſtionem explicuit. Græcus apud Caten. S.Thomas. *Sed conſidera, qualiter Virgini ſoluit dubium Angelus, ac explanat intemeratum connubium,& ineffabilem partum.* Sed in quo enodata difficultas; quæ inerat cognitionis viri defectu? Quia virtus Altiſſimi ſpondetur, & ſic cognitio requiſita ad Verbi Dei generationem. In Patre diuino ipſemet intellectus. qui cognoſcit, generat abſque ſordis vmbra. Promittitur ergo Virgini virginea fœcunditas, qualis in Patre eſt. Ne virum non cognoſcere opponas, Virgo; Verbum Dei erit Filius tui; vnde virtus, ſeu cognitio 4.

Luc.1. — Græc.

tio Patris, qui cognoscens generat, obumbrabit tibi; virtus enim Altissimi generantis fermè semper cum sapientia, & cognitione connectitur, vt apparet ex præfatis verbis Theophylacti: *Impossibile est Deum esse absque sermone, & sapientia, & virtute.* Et ex Hilario lib. 12. de Trinit. *Tecum perfecti Dei, qui & Verbum tuum, & sapientia & virtus est, absoluta generatio est.* Damasc. in epist. de Trisag. *Hac Filius Verbum, sapientia Dei, & virtus.* Itaque pro ignorato viro adumbrata cognitio Patris, quæ virtus generatrix est, inditur virgineæ vuluæ. Quare pulchrè subintulit Angelus ad verba Virginis, *Quoniam virum non cognosco*, absque vlla intercapedine: *Virtus Altissimi obumbrauit tibi*; quasi vnam periodum efficeret. Imò si interrogationem appingas immediatè ad illa, *Quomodò fiet istud?* ipsamet Virgo respondet, dixerim: *Quoniam virum non cognosco.* Suffragetur Richardus lib. 3. de laudib. Virgin. col. 8. *Istud Quomodo, non est dubitationis, sed admirationis: vt sit sensus: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco; id est, admirabili modo fiet, verèque admirabili, quia virum non cognosco.* Et Angelus statim: Ideò quia non cognoscis, cognoscitiua Patris tibi suggeritur virtus, quia qui generandus est λόγος est, & intellectus Altissimi terminus, Hesychius de laudib. Virgin. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. τουτέστιν, εἰ ἐγίνωσκες ἄνδρα, οὐκ ἂν ἔτεκες θεόν, ὃς ἠθέλησε μορφὴν λαβεῖν ἐν σοὶ διὰ σὲ χωρὶς φθορᾶς δουλικήν. Id est: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: hoc est, Si cognosceres virum, non pareres Deum, cui visum est ex te, propter te, citra corruptionem, serui formam sumere.* Et post pauca, vocat prolem hanc ex Maria genitam λόγον, Sermonem, & rationem Dei.

5. Te aduoco ad Adamum. Ablegatur à Paradiso, & statim *cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit.* Cur exinde concubitus *cognitio* appellatur? Audi Lippomanum in caten. *Quia verò semen virile à cerebro capitis, quod est locus cognitionis, descendit per venulas, quæ sese ramificant per dorsum hominis, & propagantur; hinc est, quod in Hebraismo concubitus ipse cognitio vocatur. Vnde & hîc dicitur: Cognouit autem Adam vxorem suam.* Pulchra sunt hæc ad institutum. Quæ concipit ex concubitu, cognoscitur, & cognoscit; sed pollutus æstus, mentis opus suffocat: vnde generatio creaturæ, carnis, non animi est: & quamuis nuncupetur cognitio, libidinis illecebra vocabulum degeneri voluptate deturpat. Solùm Pater Deus cognitione generat: & quoniam cognitionem viri execratur Virgo, cognitionis diuini Patris virtus illi prolabitur. Infœlix Adam, audisti, *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Et posteà, *Cognouisti vxorem:* quasi impudicus ille concubitus ex illa scientia, & cognitione, quam promisit serpens, euenerit. Non illa fatue, est cognitio Dei, quæ generat: non virtus Altissimi, quæ obumbrat; sed quæ in Virgine vsque ad miraculum depingitur. Ideò quia non cognouit virum, generat Deum, cognitione supernâ adstipulante, vt intellectu in cælestia leuato, obtutuque mentis in superna defixo, in cognitionemque diuinorum intento, Virgo sapiens conciperet in vtero germen Dei. S. Ioannes Chrysost. hom. 49. in c. 25. Genes. *Et quomodò fiet istud, inquit, quoniam virum non cognosco? Sanè propter hoc erit quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires. Itaque quam ob rem dubitas, eam ob rem crede.* Et post pauca: *Sic poteris parere, virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ne igitur spectes ad terram, è cælis operatio venit.* Qualis, rogo, inductio hæc, *Ne igitur spectes ad terram?* Annè oculorum officium opus vuluæ solicitat? An intuitu peragenda soboles pangendum prolis corpusculum? Sanè illustrius nihil; quasi cognitione, & intuitu generatio contingeret, intellectus Virginei instruuntur oculi, vt non hæsitanter respiciant Deum: sic enim Deus concipit, Deum intuens, cui vulua mens est; cui vterus, cognitionis aula.

Adamus quidem cognouit vxorem; conceptionē autem nō cognouit, quæ intra latibulum vuluæ sensus latebat humanos: sic torpet stolida caro, & illecebræ sordibus obcæcata, ipsum inet, quod agit, ignorat; eiusdem fœtus, quem gignit, inscia est. Secus Maria, quæ carnis supergressa leges, in carne functiones spiritales præcellit; ignorat virum, noscit conceptionem: nec solùm callet cōceptum; sed quia cognoscit, & consentit, concipit. Membrorū mutantur officia; corporis moles acuitur in spiritū, & quidquid in Virgine est, in virginitatem cōspirat fœcundam: sic ex virginitate cognitio viri ablegatur, ex fœcunditate cognitio fœtus intenditur. S. Ephræm de Marg. pret. *Beatissima Virgo Deum Verbum tota suscepit corpore, simplicitateq; naturæ, & non curioso, ac redundanti motu Deitate impleta est. Cognoscebat conceptionem; at viri congressum, & consuetudinem ignorabat: & intelligebat quidem inhabitatorem suum latentem; sed appetitū superflua corruptelæ experta non erat, omniaque ad pudicitiam concurrebant membra, proprij impetus, & appetitus oblita.* Benè quidem cogitauit. Obserua membrorum concursum ad pudorem, vt ignoraretur vir, conceptioque agnosceretur. Fœcundus pudor omnia membra acciuit, ne per aliquem sensum spectrum obreperet viri, & ad modū spiritus absque partiū distinctione, sanctum, quod in vtero agebatur, omnis sacra Mariæ portio intelligeret: quia Verbum Dei cōcipiebat, quod mentis, & spiritus soboles est, & ex cognitione virginea generatur. Inde Laurentius Iustin. ser. de Annunt. column. 4. *In hoc sacramento interuenit totius Trinitatis summa dignatio, Patris videlicet mittentis auctoritas, sancti Spiritus veneranda operatio, & ab ipso Verbo humanæ naturæ susceptio. Interfuit etiam cœlestis nuntij vera assertio, & virginalis pudicitiæ illibata cognitio.* Quid opus fuit cognitio virginitatis ad generationem? Incomparabilis nouitas, & sacrum diuinæ sapientiæ inuentum. Vsque ad Virginem Matrem cognitio viri præcedebat ad fœtum; sed quæ obturparet pudorem, quæ honorem infringeret castitatis. Inuertitur ordo in Maria, in qua tunc adest cognitio virginalis pudoris, cùm peragitur generatio, vt ex cognitione simul, & virginitate concipiat.

7. Voluit Deus, qui nihil sine paradigmate, & ideis operatur; cui generationis æternæ deficiebat idea, quippe inoperabilis est illa, sicut increabilis; similem in Virgineo vtero resculpere, vt saltim generatio à Patre superna exemplar fuisset, & idea generationis à Matre temporalis. Virgo erat Pater Deus, cui vulua pudica, diuinitate imprægnata, Deum sibi parturiuit. Præter Deum in cœlestibus, esto tot virgines sint, quot Angeli cœlites; nullus potuit imprægnari virgo, nec etenim nisi in Numine virginitas, & fœcunditas obuianerunt sibi.

O fors mortalium! Virgo in tellure sata ex Dauidica stirpe progenita, quasi cœlestis virgo impręgnatur: virum ignorat, conceptum noscit. Audi Petrum Cel. de Panib. c. 21. *Clibanus est Virgo in Ioseph desponsatione; thalamus in Spiritus impręgnatione; templum in Filij natiuitate. Quasi plebeia quidem desponsatur, sed tanquam cœlestis virgo virtute diuina, Ioseph ignorante, impregnatur: tanquam templum, agni caro in visceribus maternis, & sanguine purificatur.* Iam didicisti, quid sit illud: *tanquam cœlestis virgo virtute diuina, Ioseph ignorante, impregnatur.* Quid igitur cœlestibus virginibus irrogat Cellensis tumentem vterum; viscera feracia? imò qui neque nubit, neque nubitur Angelus est; non solùm sterilis, sed prolis incapax. Non ergo Maria quasi cœlestis Virgo impręgnatur, sed supra cœlestem virginem. Sed in eo acumen. Primus virgo Pater est: etsi impensiùs quæras, nullum in cœlestibus inuenies cum partu virgineum, nisi ad Altissimi solium eucharis. Vt igitur noueris non alijs ex cœlestibus Mariam comparandam, nisi Deo, sat fuit Cellensi dixisse, *tanquam cœlestis virgo impregnatur.* Perbellè illud, *virtute diuina, Ioseph ignorante.* Inlatet subtilitas. Nisi virginitas vireret, vir cognouisset, nec arceretur ignarus: ideò pro viri cognitione virtus diuina impręgnatura subintrat. Qualem putas, nisi qua cœlestis ille virgo, supernus Genitor fœcundatur in prolem, cui cognoscitiua virtus pro semine est, annuente Angelo: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Quid quòd obumbret? Virgo virginitatis amans, illibata viscera etiam maiestati gignendæ recusabat, nec temerari patiebatur pudoris aulam. Si ex fœmina nascitur, caro fiet: si caro ex carne, æstus libidinis virgineum florem succidaneo fato decoquet, & extinguet. *Quomodò fiet istud?* Ne paueas strenua Virgo; vtrumque componendum deuoueo. Homo nascetur, & Deus: quâ ex carne, homo; quâ ex virtute diuina floridum tui sinum consecrante, virgineus partus Deus prodibit. Nec noscis Ioseph, nec ab ignorante nosceris: germinabis virgo; en diuinæ virtutis indicium, qua cœlestis virgo impręgnatur. Accinit pulchrè D. Vigilius contra Eutych. lib. 5. ex S. Leone. *Natiuitas carnis manifestatio est humanæ naturæ; partus Virginis, diuinæ est virtutis indicium.* Virtutem hanc intelligo generatiuam; quæ in Altissimo ad concipiendum Verbum feruet, & in cognitione stat.

Petrus Cel.

Mar. 12. 25.

D. Vigilius.

8\. Huius superbenedictæ virtutis cognitio Virgineum vterum implet, non cognitio thalami, nec experimentum mariti. Angelus sic pauidam erigit puellam, sic cogitabundam accendit: *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* Qui timorem satagit propulsare, supponit timorem. Annè timuerat Virgo? Certè solùm lego; *Turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Vndène Angelus coniectauit timuisse? Seriò Altissimi virtutem promissurus, quæ in cogitatione, & cognitione est, cognitionem aliam expellere conatur Gabriel, quæ si illius virtutis non sit, infirmi timoris fuisse putatur. Ne cogites, virgo sacra, te inualidam, & inertem ad strenuum opus, in quod deligeris; ne te cognoscas infirmam: obtutum fige in robusta virtute, qua iamiam imbueris. Si virtus tibi est, nullus adest infirmitati locus; gratiæ fœcundæ plenitudo te replet. Cognosce virtutem, Filium generabis. Infirma sit mulier, quæ à marito complétur; quæ cogitat, quæ sunt viri, quæ virum cognoscit; cui virtus perficitur ex viro; nec prorumpere potest in prolem, quin masculâ vi animetur ad fœtum. Tu, Virgo cogitas, quæ Domini sunt: sic cogitans non turberis, quia ex hac mentis cogitatione fœcundaberis. Tu sola conscia virtutis es; quia tua tota est, tibi præstita ab altissimo: pro gemino coniuge humano suppetis vna; nec viro indiges, vt grauideris. Profundè Chrysologus serm. 144. *Ne timeas Maria, Quare? Quia inuenisti gratiam. Timet, non qui inuenit, sed qui perdit. Inuenit, inuenit hæc concipiendo superni germinis gratiam, quæ pariendo non perdidit virginitatis insignia. Timor non est, vbi diuinum est negotium, non humanum; vbi virtutis conscientia est, non pudoris.* Expende hæc vltima, difficilis est connexio vocum. Si pudor pudicitia est, si pudicitia castitas; quomodò in virgine non est conscientia pudoris? Quòd pudor castitas sit, non extero teste indiget, sat sit Chrysologus ser. 145. *Sicut ergo manente virginitate Mater est, ita coniux dicitur, pudore permanente.* Infrà diffusè discutiemus, an propriè fuerit pudor in Virgine, & Chrysologum, explorabimus. Nunc aliter explicandus est. Profectò *Pudor* pro probro, & dedecore etiam accipitur, præcipuè ex libidine, quatenus excitat pudorem. Et ne prophanos consulam, in hac eâdem re virgineâ perspicuus suffragatur Athanasius in disput. contra Arrium: *Qui nouissimis temporibus propter humani generis salutem à Patre missus, verum hominem in mundo gestauit, atque inuiolabiliter de Maria Virgine sine humani pudoris permixtione suscepit.* Itaque facilis sensus in Chrysologo, si his arrideas. In Maria virtutis conscientia est, non pudoris, id est, non libidinis, non probri, procacitatisque, quæ genas verecundiâ solet suffundere. Non cognouit libidinem, sed virtutem; scil. virtutem generandi; quæ in diuinis, ex cognitione diuinitatis est; in humanis, ex cognitione viri. Insolitum prodigium experta est: non cognouit illecebram, quia virtutem diuinitùs generandi cognouit. Altior adhuc mens Chrysologi ex ipsomet Chrysologo (vel fallor) ostenditur, si pudor iuxta significatum communem pro castitate accipiatur, Generatio extra pudoris, virginitatisq; sphæram, & scholam est. Non generationis disciplinæ virginitas incumbit; nec studet proli innupta Virgo, quæ potiùs cogitat, quæ Domini sunt. Fœcunditatis virtus negotium, quod in vtero gerebatur, cognouit in Virgine, non virginitas: cùm virginitatis claustra nil sensissent sigillato pudore, & iam vterus tumebat à fœtu. Ideò in Maria conscientia virtutis fuit, non pudoris: id est, quòd cognouerit se cōcipere; non ex cognitione virginitatis fuit, sed ex cognitione fœcūdæ virtutis, quæ illi ab Altissimo impensa est. Id acutè Chrys. meditabatur ser. 142. *Beata, quæ diuinū pignus sic suo suscepit, & seruauit in pectore, vt illud tota corporis extera nescirent. Beata, quæ quod de supernis, Angelo referēte, susceperat; sic menti suæ soli cōmisit, & credidit. Intra donum Virginis negotium cœleste sic geritur, vt manentibus claustris ipsa domus septa non sentiant.* Locum hunc infrà illustriori luce perfundā: sat nunc sit pro commentario verborū, quæ discutimus ex Chrysol. Itaq; si virtus sola, id est, feracitas, & fœcūditas scit, quod intra sinum geritur Virgineum; ignoratque pudor, cùm alio tramite sit itum in vuluam; scitè dixit: *Conscientia virtutis est, non pudoris.* Imò si virtus Patris diuini est ad Vnigenitū concipiendum; scientia, & cognitio est, quæ, dum Virginem imbuit, meritò conscientia nuncupatur, vt Matris cum Patre similis genitura monstretur.

Luc. 1.

Ibi.

1\. Cor. 7. 34.

Chrysol.

Chrysol.

Athan.

1\. Cor. 7.

Chrysolog.

Quòd

9. Quòd autem conscientia pro compari aliquorum scientiâ accipiatur, recens non est. Tacitus lib.13. *Assumptis in conscientiam Othone, & Claudio Senecione adolescentulis decoris.* Budæus scholiat, id est, *quos participes esse voluit consiliorum, & conscios:* sicut & illud Cicer. 2. de finib. *Vt hominum conscientiâ remotâ nihil tam turpe sit, quod voluptatis causâ non videatur esse facturus.* Sola Virgo consilij diuini conscia fuit, quæ conscia virtutis, ignara viri, genitricisque potentię non exors. Quòd autem conscientia hæc solius Dei, & Virginis fuerit, euenit: quia tacitò, secretoque illapsu, sicut bibulum vellus rore perfunditur, in Virginem se dederit virtus, & Verbum Dei, sæculo ignorante, inscioque Ioseph: ad quem compressa in Matre, non exundauit conscientia; quippe cuius scientiæ opus non fuit, sicut nec cognitionis, quæ in concubitu est ad conceptum. Ambrosius serm.9. de natiuit. Christi: *Hodierna die secundùm carnem natus est Dominus, ita secretò, ita silenter, vt ortum eius sæculum penitus ignoraret. Ignorauit enim sæculum, quia & extra conscientiam patris conceptus, & extra ordinem naturæ natus. Nam Ioseph conceptum suscepit Filium, quem non genuit: Maria partum edidit, quem sexus consuetudine non creauit.* Demirare accordem Patrum concentum. Ecce conscientia apud Ambrosium, quam denegat Ioseph, non Virgini: & si memineris, quòd viri concubitus cognitio appellitatur, toto acumine potius es: cùm explicans Ambrosius, quare extra conscientiam patris conceptum, protulerit Filium Dei, ne scientiam diuini Patris, & virtutem negare putaretur, adiicit: *Nam Ioseph conceptum suscepit Filium, quem non genuit.* Quia generatio, scientia, & cognitio est; non vlli credita, nisi Virgini.

Tacitus. Budæus. Cicero. Ambros.

10. Denique vt dictis fidas, nec refrageris diuini Patris virtutem genitricem, quæ in cognitione stat, in Virgine nostra fuisse adumbratam; obsecro, quomodò distribuat Bernardus trium personarum officia in Virgine serm. de B. Maria: *Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humiliationis, Spiritus sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam.* Quid est, quòd tam iugi stylo Patri claritatem, rationis lumen, potentiamque ad Virginis Matris dotes attribuat? Quid quòd potentiam rationis lumini, & claritati adnectat, nisi quòd genitricem virtutem perhibuisse moduletur, quæ potentia dicitur; & cùm in cognitione stet, claritas lumen, & ratio nuncupetur? Sic Basilius in orat. aduers. eos, qui calum. quòd tres Deos col. *Deus occurrentem voluntati habens potentiam genuit.* Epiphanius hæres.78. *Pater plus est quam nomen ingeniti. In ingenito enim non apparet Patris potentia.* An hæc in ratione est, seu ratione potitur? Audi Nyssenum orat. Catech. cap. 1. *Qui fatetur Deum non carere ratione, omnino assentietur eum, qui non caret ratione, habere rationem. Atqui humana quoque ratio æqui voce dicitur. Si ergo dicat se rationem, & verbum intelligere ad similitudinem eorum, quæ sunt in nobis; sic ad sublimiorem deducetur opinionem.* An hæc ratio, lumen, & splendor est? Audi Damascenum lib.1. de fide cap.18. *Verbum est naturalis mentis motio, veluti lux ipsius, & splendor.* Igitur si hæc à Patre Virgini præstita, Bernardus pro asserto est, qui iterum sic fatur: *Hinc in eius mente Solem posuit rationis; Solem, qui lucem diuinæ cognitionis faceret.*

Bernardus. Basil. Epiph. Nyssen. Damasc. Bernard.

Maria stupet, cogitat, contemplatur, dum concipit, vt diuini intellectus Filium, more cognitionis; gignat in vtero.

SECTIO II.

NVLLA nobiliori semitâ gradi poterimus ad persuadendum in Virginem nostram Altissimi virtutem, quæ in perspicua Diuinitatis cognitione est, fuisse deriuatam: quam si sedulò perscrutemur Virginis statū, quem habuit in Incarnationis momento, eiusque animus quid versauerit, exploremus. Quod consequi faciliùs valebimus, si Angelico nuntio, vtriusque factum examinauerimus alloquium. Iam aliquid de turbatione Virginis, elapsâ sectione, prælibauimus: opus est penitiùs introspicere, cur turbatur valida Virgo, totisque pauet artubus, quæ validam, & robustam Dei substantiam mox conceptura paratur? Si Angelorum assueta spectris erat, & commercio; cur stupet ad Angelum, quæ super Angelos obtinet principatum? O qualis ars in cœlesti legato! Opus erat Virginem extra se abduci, rapi diuinitùs, in diuina excedere mente, ecstaticisque luminibus absorberi; vt quæ genitura Deū erat, in arduis Dei excessibus, & in cœlesti se sisteret cognitione. Ideò ab insolita, & eminente ipsius laude nuntium orditur: eâ rhetoris excellentiâ, quòd humillimam Virginem, abiectéque de se sentientem quasi à laudis falcino timentem turbaret, & ex nouitate præconij extra se duceretur, altoque stupore abstraheretur à sensibus, & à diuinâ contemplatione absumeretur. Contigit auspicatò. Turbatur Virgo, non in Angelo, sed in sermone; & in qualitate salutationis cogitabunda, omnes eius partes dignoscitur euoluisse: & cùm salutationem Dominus, & gratiæ plenitudo composuerat, indubium est cogitationem in Deo saturauisse. Ergo turbatur ex humilitate Virgo à laudis auditu, & Angelus laudem eius lectissimâ arte decantat, vt præ humilitate extra se rapta, aciē cogitationis in Diuinitate configeret, & Verbum Patris in vtero gigneret cognoscendo, siquidem à Patre cognoscente progignitur. Adsonè S. Bernardin Senens. serm.36. de amore incarnante p.3. *Et Angelus facit ipsam attentam laudando eam à plenitudine omnis gratiæ singularis, quam dare posset vni creaturæ Deus omnipotens secundùm suum posse ordinatum: quia verè cognouit creatorem suum, & omnes alias creaturas propter excessum gratiæ suo intellectui diuinitùs attributa.* Nondum acumen Senensis: audi: *Et Angelus vsus est maiore rhetorica, qua quisque vti poterat, vel imaginari. Nam si ipse dixisset: Tu, ô Maria, es maior ribalda, quæ est in mundo, non ita admirata fuisset, quia ipsa reputasset ipsum dicere verum propter profundam eius humilitatem. Vnde admirando turbata fuit de tantis, & cum tanto eloquio, & per tam excellentem nuntium laudibus sibi attributis.* In quo loco duo sortimur; & quòd in profundiorem diuinorum cognitionem extra sensuum vsuram illecta excesserit Virgo, laudem admirata; quam semper pertæsa, si aliquando aures eius flagel 11.

S. Bernard. Senens.

flagellabat, statim elidebat in Deum, illúcque impetu rapidissimo ferebatur: & quòd hac arte vsus fuerit Angelus, vt eius mentem acueret, & propensiore vinculo per cognitionem Diuinitati illigaret, & sic conciperet Verbum Dei.

12. Annuit Virgo sacra, diuinitúsque concita cœlestibus pulsibus agitatur, organaque cuncta Virginei corporis conticescunt, quæ impensa cogitatio deprædatur. Tota in contemplatione sustollitur, tota in cœlestium commoratione suspenditur, donec auctor carnis carnē in eius vtero indueret. Sic virtutis Altissimi deriuat participiū, qui Deū cognoscens generat Deum. Quantum hilaresco Chrysologi acie serm. 117. (Chrysol.) *Sanguis siluit, caro stupuit, soporata sunt membra, & aula Virginis tota est in cœlesti commoratione suspensa, donec auctor carnis, carnis sumeret indumentum, & fieret homo cœlestis, qui non solùm terram redderet homini, sed homini donaret cœlum. Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. Ergo virtutis est caro conscia non doloris, quæ magis pariendo integritatis augmenta suscipit, damna pudoris ignorat.* Omnia sunt aurea. En rapitur Virginea mens, pronisque euehitur in cœlum, cœlestibus stationibus intenta, vt ex cognitione gigneret, quæ virtutis Altissimi habebat contubernium. Vnde illustria illa: *Ergo virtutis est caro conscia, quæ damna pudoris ignorat.* Cuncta cognitionem spirant. Qualisnè virtutis, ô Chrysologe, conscia caro est? Qualem putas, nisi virtutis Altissimi? O caro spiritu doctior! Ergo quia Virtus Patris, Virgineam carnem fouendo imbuit, spiramineque fecundo ad prolem igniuit; ea cognoscitiua virtute caro conscia fit, sicque sapiens Verbum gignit.

13. *Et cogitabat, qualis esset ista salutatio.* En Incarnationis negotium à cogitatione incipit. Quā adsinnè? Verbum generandum erat in Virginis sinu; nulla aptior via potuit aperiri, vt se proderet Verbum esse Patris, summique intellectus genitā Rationē, quàm quòd Mater, dum gignere parabatur, in diuinis abstracta cogitaret: verbum enim à cogitante progignitur. S. Fulgentius lib. 3. ad Monim. cap. 7. (Fulgent.) *Sicut de tota mente nascitur Verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea verbum non sit; ideò verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est.* Sacram demirare disciplinam. Cogitat Virgo, & cogitando verbum producit in mente, exercens se ad conceptionem Verbi Dei in vtero: ex cogitationis etenim natura facilè in diuini Verbi itur experimentū. S. Basil hom. 16. in illud: (Basil.) *In principio erat Verbum*, sic inquit: *Cur Verbum? Quoniam imago est Genitoris, quemadmodum ferè verbum nostrum, quod totius nostræ cogitationis imaginem refert.* Cogitat Maria, mentisque imaginem sibi repræsentat, quia imaginem Patris in vtero sculptura, nullo potuit stylo doctiori progredi, quàm priùs in sua mente per cogitationem, imaginis erahere lineas. Anselmus in Monol. cap. 31. (Anselm.) *Cùm mens rationalis seipsam cogitando intelligit, imago ipsius nascitur in ipsa cogitatione: imò ipsa cogitatio sui est imago.* Hæc rationalis mentis natura est. Ideò rationalis Virgo, Angelo impellente, longa cogitatione immoratur, & in salutatione Angelum retardat, eam discutiens, eiusq; imaginē oculis mentis intuens obuersantē; vt ea mēte perueniret ad vterum, & in intellectus aula de disciplina gignendi Verbi instrueretur. Andreas Hier. (Andr. Hierosol.) in salutat. S. Mariæ: *Disertè valdè Euangelista adiecit dicens: Hæc autem cogitabat; ratiocinatrice nimirùm pura mentis facultate probans, & examinans id, quod cogitaret; ne quod diceretur, sibi temerè arriperet.* Id est, ne absque præuia cogitatione, mentisque obtutu, intellectualique imagine, diuinæ imaginis sibi præsumeret conceptionem. Quare diu in cogitatione perstitisse notatur in ipsa voce *cogitabat*. Albertus Magn. in cap. 1. Luc. (Alb. Magn.) *Et cogitabat, quia in ipso momento erat in cogitando: præteritum enim imperfectum actum continuat in præsens.* Sicut *erat*, vox æternitatis est; sic diverim, de hac voce cogitabat, quæ ad generationem æterni Verbi aptissima est: nam Pater ex æterna cogitatione sui Verbum producit. Anselmus (Anselm.) in Monol. cap. 46. *Verbum rei est ipsa cogitatio. Hinc liquidò animaduerti potest de summa sapientia, quia de æterna memoria coæternum Verbum nascitur.*

14. Ideò forsan sensim, & pedetentim graditur Angelus, quasi stillatim depromens sacramentum. Cur non è vestigio inquit: Concipies Deum; sed, *concipies filium?* Cur diuinitatem Filij longā circumlocutione retardat? Cur Dei Filium nuncupandum iri pronuntiat; nec illicò inquit; Filius Dei erit? Cur Dauidicum solium filio generando ariolator, & in terrenis detinetur auspiciis, antequam æternitatem celsitudinis illi decantet? Certe si obseruaueris, fermè iam in nuntij coronide tantùm præsagiuit illi regnum æternū: *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Et tamen statim in limine dixerat: *Dominus tecum* Diuinitatē pignoris breui dictione innuens. Ars fuit, & consilium. Vt ex protractis moris, tardaque discussione longiùs Virgo intenta raperetur, aciemq; mentis subtiliùs in diuinis acueret, & maturiùs incarnationis sacramento mentem impleret, quæ ad implendam vuluam instruebatur. Angelus extendit sermonem, duratque in nuntio, ne abruptâ breuitate fidem Virginis lædat, mentem obruat; & vt Virgo diutinâ contemplatione, antequam generet, mentem in mysterio depascat. Venustè B. Th. à Villan. (Th. à Vill.) conc. 1. de Annunt. *Miro sapientiæ artificio vtitur in prodendo mysterio, non totum simul effundens, ne fidem illius obruat, sed paulatim circumscribendo. Vnde non ait, Concipies Deum, aut Dei Filium; sed concipies Filium: nec statim Deum fore pronuntiat, sed Deitatem eius longo sermone describit.* Cunctantes stillicidia diuinitatis ex Gabrielis decidunt ore, vt sugens Virgo, intimiùs imbuatur, sicque intellectuali alimento saginata, totaque in Deum abrepta, ex mente ad ventrem facilè prosiliat; & conserat Verbum Dei.

Compertum est communiter apud Patres, quæ recapitulationem dici Mariam, quatenus, inuerso molimine, illa ex viro sumpta est, vir autem Christus ex Maria. Ergo suspice constructionem Primigeniæ: *Immisit Dominus soporem in Adam.* (Gen. 2.) Vt quid soporatur vir, obtusisque sensibus amouetur? Sanè Septuaginta soporem hunc ἔκστασιν *ecstasin* appellant, (Septuag.) anagogicam scilicet abstractionem, mentisq; excessum, vt in Diuinitatis ingrederetur abyssum, dum fœmina ex latere detorquebatur. Augustinus (August.) lib. 9. de Genes. ad lit. cap. 19. *Per hoc etiam illa ecstasis, quam Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per ecstasim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei, intelligeret nouissima.* Sic & S. Bernardus (S. Bernard.) serm. 2. de Septuag. & ex Hebræo etiam vertit (S. Hieron.) *ecstasim* S. Hieronymus in traditionibus Hebræis (Abul.) cap. 45. *Raptum* appellat Abulensis, *syncopem*, 15.

Olea

Oleast. Theodor. Rupert. Oleaster; *ecstasim* etiam Theodorus apud Lippoman. vbi Rupertus: *Sopor vtique, quem Dominus Deus immisit, non vigilias rationis claudere debuit, sed obturatis quinque sensibus corporis sensum mentis liberum reliquit, vt scire posset, quid erga se ageret omnium artifex, Sapientia Dei.* Si autem rogaueris, cur sic amouetur à sensibus, in ecstasimque rapitur Adamus, cùm costa auellitur, & fœmina ædificatur? Dicam id sic effectum, quia illa constructio typus erat, & anagoge coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, id edocente Paulo ad Ephes. 5. vers. 32. (Ad Ephes 5. Græcus.) *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Appositè Græca εἰς χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν: Id est, *in Christum & Ecclesiam*: quasi terminus illius operis, mysticaque significatio Christus esset, & Ecclesia. Ergo immittitur ecstasis, vt illius typi significatũ agnosceret Adamus, propheticoque spiritu præuideret, Christi scilicet aduentum, & ex eius latere Ecclesiæ ædificium. Sic S. Hieron. August. & Leo. Quomodò autem Christum præuideret, nisi eius ex Virgine præcalluisset ortum, ac proinde in ipsomet typo agnouisset virum, ex fœmina cõstruendum esse absque viro grauidâ, sicut fœmina ex eius latere peragebatur, nullo illecebræ pungente pruritu? Vnde dixerim, duarum rerum anagogem, & typum in illa ædificatione fœminæ præludisse, scilicet & Christi formationem ex Maria, & constructionem Ecclesiæ ex Christo, vt non solùm coniunctim accipiantur illa, quæ ex Græca dedimus, *in Christum, & in Ecclesiam*; sed etiam separatim, & singillatim, siquidem Græcè est, *In Christum, & in Ecclesiam.* Ergonè Spiritum sanctum superuenturum in Virginem præuidit Adamus, idcóque per ecstasim abreptus est? Certè nondum Spiritus sancti vocabulum insonuerat vsque ad Virginem, vt alibi dedimus ex Ambrosio, & Ruperto: & tamen per ecstasim illam cecidisse Spiritus sancti vim super Adamum scribit Tertullianus lib. de anim. c. 11. (Tertull.) *Cecidit enim ecstasis super illum Spiritus sancti vis, operatrix prophetiæ.* En Spiritus sanctus in ecstasi: quia Christi typus agebatur, de Spiritu sancto ex Maria concipiendi.

16. Ergo si Virgineæ generationis præludium agitur appositè stupor ecstasis rapit Adamum, vt in incommutabilis veritatis persistat intuitu, & indicet Virginem per stuporem, & ecstasim sublimandam esse, quando vir oriens ex alto ex eius vtero compingatur. Chrysol. serm. 57. in symbol. Apostol. (Chrysol.) *Soporatus est Adam, vt de viro virgo sumeretur: nunc sit puit Virgo, vt vir repararetur ex Virgine.* Quòd autem stupor hic Virgineus, ecstasis fuerit, innuit August. de vit. eremit. ad Sor. c. 47. tom. 1. (August.) *Cum beata Virgine ingressa cubiculũ, libros, quibus virginis partus cum Christi prophetatur aduentu, euolue: ibi aduentum Angeli præstolare, vt videas intrantem, audias salutantem, & sicut repleta stupore, & ecstasi dulcissimam dominam tuam cum Angelo salutante salutes.* Oportuit contemplationis pennis ascendere, vt descendentem Deum per mentis susciperet ascensum. Quare in contemplatione fuisse Virginem ex hac ratione probat Alb. Magn. in Marial. pag. 10. (Alb. Magn.) *Mouēs non quocunque modo se habens mouetur, sed approximatiuè oportet esse: sed Dominus appropinquauit Beatæ Virgini descendendo: ergo ipsa appropinquare debuit ascendendo: ergo debebat leuare se supra se, & hoc quoad contemplationem.* Eâdem ratiocinatione vtitur S. Bernardin. Senens. tom. 3. serm. 3. art. 2. cap. 1. (S. Bernard. Senens.) *Per noctem, contemplationis super splendentem caliginem intellige, in qua nocte hæc Virgo surrexit, & apice affectionis in æterna se sustulit, Verbum de sinu Patris rapuit, omnique creatura suum auctorem, & principium restituit.* En in ecstasi, & contemplatione Virgo. Ideò turbatio stupor fuit, ne iam stupeat Adamus; adeò sedulus Angelus stupori, & turbationi è vestigio Spiritum sanctum adiungit, vt spiritalibus delinita delicijs, vnguentisque delibuta in sacro persisteret stupore. Chrysost. vtrumque connectit homil. 49. in c. 24. Genes. (Chrysost.) *Obstupefacta est, & admirata. Quid igitur Angelus? Spiritus sanctus superueniet in te.*

17. Itaque priùs scientiæ suauitate dulcorata fuerunt Mariæ labia, vt statim vterus impleretur. Philippus Abbas in Cant. lib. 4. c. 24. (Philip. Abb.) *Docet per Angelum Dominus Virgini se præsentem; infundit scientiam, melle suauiùs dulcescentem: gustatâ scientiâ, vel sapore melleo, quem præmittit, per eundem nuntium, conceptum quasi lacteum repromittit. Non enim de conceptu posset illa satis credula præmoneri; si non de diuina præsentia gauderet certiùs edoceri: nisi sciret, & sentiret sanctum sibi Spiritum desuper aduenire, cuius vmbrâ sanctum efficitur, quidquid illa dicitur parturire.* Hæc ille, expendens illa verba: (Cant 4. 11.) *Mel, & lac sub lingua tua.* Sed si lingua sensus est, per ecstasim stupet Virgo; quomodò sub lingua lapidum lac, melleaque scientia? Pereximiè. Non enim abalienata à sensibus, syncopeque, seu raptu amota à corporata functionibus Virgo fuit, cùm turbata describitur, nec cùm concepit Filium Dei. Imò, quia in carne Verbum generatura instruebatur, oportuit, carneis sensibus inconcussis, interritam stare; & tamen in animo anagogicis collustrationibus enitêre, Diuinitatisque cognitione potiri, vt compar proportio seruaretur, & sub lingua, scilicet sub sensibus, stabilis, & immota diuinum ebiberet lac, quod in vtero carneo coalescere festinabat. Discrimen in hoc fuit ab Adami sopore, qui sensus obruit, illorumque perstrinxit aciem, ne vel ad auulsionem doleret, vel ad fœmineæ ædificij turbaretur spectrum. Fortior, & solidior Maria; etiamsi mente excedit, carneis sensibus stat, cuius cor, & caro exultauerunt in Deum viuum: (Ps. 83.) nec paratat stupidum deliquium pati corpus Virgineum, è quo mox Verbum Dei induere corpus parabat. Imò tota Maria peruigili acumine intendit, & carnâ animo, & corpore Deum, & hominem in sinus suâ sistere contendit. Ideò Angelus, qui iugiter vigilat, & in sapientia indefessus perdurat, mittitur ad Mariam; vt Incarnationis mysterio sapientissima famularentur officia, & sacræ intelligentiæ subseruirent. Angelus absque corpore, qui intelligentia dicitur; Maria cum corpore, & animo intenta, vt Verbum Patris ederet corporeum. Vide differentiam. *Misit Deus soporem in Adam, & Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* Præclarè S. Bernard. Senens. tom. 3. serm. 6. art. 3. c. 3. (Senens.) *Ob hoc enim Angelus ad eam missus est, vigil ad vigilem, Gabriel ad Virginem. Vnde Daniel. 4. mysticè scriptum est: Ecce vigil, & sanctus descendit de cælo. Non enim sicut ad primum hominem, vt de eo fieret fœmina, missus est sopor in Virginem; sed vt de ea incarnaretur Sapientia Dei: Missus est Angelus ad Virginem, vigil ad vigilem, vt esset tanti secreti conscia: necnon & voluntaria, atque prompta cooperatrix, & ministra.* Ex quo disces, cur non in somnis apparet Angelus Mariæ, & tamē Ioseph in sõnis apparuisse describitur. Profectò Iosephi caro,

corporeaque ministeria mariti ablegata fuerunt à Virgineo sacramento: non ex Ioseph, sed ex Maria Verbo Dei caro pendebatur: ideò sopitur vir, carneique sensus sopiantur; nec exigitur caro vigilans ad mysterium, imò sedulâ curâ omnis vmbra virilis carnis arcetur. Sat eft, instruatur in mente, vt spiritalibus adoret obsequiis, colat officiis, cui nequiuit carnis offerre per viri thalamum, famulatum. Ideò cum instruitur de mysterio, iacet soporatus, sensuumq; stupore decumbit, vt solùm in animo addiscat ab Angelo sacramentum. Maria vigil, & intenta adest ad conceptum, non dormiunt sensus, non caro recumbit, nec corpus sopore detinetur, quia caro ministranda erat Filio Dei; quare & animi, & sensuum cognitio opus fuit, vt & cognosceret, quod agebatur in carne, & quia Verbum caro fiebat, mens, & caro Virginis obseruaret. Iuuat B. Thomas à Villanoua conc. I. de Annunt. *Decebat tantum mysterium Virgini pranuntiare, quia testem decebat fieri mysterij, quod agebatur in ea, non casu, sed legatione præuentam; magnumque ex hoc fides nostra testimonium parabatur. Propter quod non in somniis ei Angelus apparuit, sicut Ioseph; sed palam, ac vllus tanta res relinqueretur scrupulus.* Ideò in somnis dixerim apparuisse Ioseph, quia solùm in nomine pater erat illius conceptos, quem de Spiritu sancto esse in vtero Virginis nuntius asserebat, vitque diminutè, id est, neutiquam ad thalamum, erat Mariæ: homoque in somnis, diminutè homo est. Abulensis in cap. I. Matth. q. 56. *Angelus aut simpliciter apparat Ioseph, sed apparuit in somnis: apparere autem in somnis diminuit de ratione hominis simpliciter, sicut homo pictus, vel mortuus diminuit de ratione hominis simpliciter. Ideò licet dicatur, quod apparuit Angelus Ioseph, non sequitur, quod Ioseph vidit eum: quia non dicitur simpliciter; quod Angelus apparuit Ioseph, sed quod apparuit ei in somnis* En quando Ioseph diminutè homo est, Angelus annunciat mysterium, quia diminutè quoad totum, diminutèque pater est Virginei Filij, nec attinet ad eius carnem hæc foboles; sed potiùs caro iacet, cùm illam addiscit. Maria, quæ carnem dat, in vigili carne noscit sacramentum, & in lumine cognitionis diuinum lumen corporat in vtero. Ideò in animo & corpore crediderim amictam Sole fuisse, quæ perfecta mulier appellatur, vt intra sapientiæ lucidissimum orbem intus, & extra immersa credatur, quæ Solé in vtero gestat. Quod pulchrè aduocat Senensis ad Incarnat. homil. tom. I. serm. 51. art. 3. c. I. *Ipsa tunc facta est Mulier amicta Sole, quia ipsa illa diuina Sapiētia, qua Deus ab æterno mundum sibi reconciliare disposuit plenissima fuit: quam non solùm per diuinam reuelationem præsciuit; verùm & cuncta, quæ ad incarnati Verbi Dei mysteria pertinebant, certo experimentō cognouit.*

Filius Dei apud Patrem ex Trinitatis gignitur intuitione, Maria Trinitatem intuens gignit eumdem.

SECTIO III.

18. Luc. I. PERSPICVAM in concipiendo Verbum Dei, cognitionem Diuinitatis, ex superna collustratione, in Virgine nostra tunc temporis super mirifica lumina excelluisse, Gabrielis sponsio confirmat. *Virtus Altissimi obumbrauit tibi.* Defectum cognitionis obijciebat Maria; ignatam se viri validâ profitebat constantiâ. At Angelus ex indole generandi Filij, perspicacis intuitus acem per vmbræ promissionem abstergit: ab vmbra lucem intellectus pollicetur, & sub caligine aperit splendorem. Qualis nexus hic? Si Virtus Altissimi iuxta præfata, virtus eius generatria est, ac proinde nobilissimæ Diuinitatis cognitio; quomodo spondetur in vmbra, siquidē spiritalis cognitio, sicut & verbū, mentis lumen est, lumini autē vmbra refragatur? Profectò subtilius nihil. Virtus sapiens Altissimi, quæ splendidum inbar, igneaque lux est, sub vmbra Virgini promittitur, vt Virgo perspicaciùs videat, viuaciùs intendat, solidiùs agnoscat, & dum diuino exercetur intuitu, ex vtero Verbum progigneret, cuius indoles est exorta ex vtero splendoribus sanctorum circumfuso, id est intellectuali lumine, vtpote cui vterus in intellectu Patris est, è quo lumen intellectus, Sancti ad beatitudinem capessendam delibant. Acumen igitur in eo stat, quòd vmbra plurimùm mortalis oculos iuuat, quippe adunat lucē, pupillam cōfortat, iubarque temperat: ideò nigrescunt super oculos supercilia, vt pupillæ sub cauis foraminibus protectæ, ab vmbra firmentur, tutòque radios emittant, & recipiant. Ergo Mariæ ad mysterij, & Diuinitatis cognitionem vmbra spondetur, vt ex virtute cognoscitiua Altissimi mens eius adunata, & compressa visiuos radios firmius, & illustrius eiacularetur. Ingenium est Alberti Magn. in c. I. Luc. *Habet etiam vmbra visus temperamentum. In hoc enim, quòd lucem temperat, lucem visiuam adunat, & adunando confortat. Propter eam etiam, vt dicit Basilius, natura oculum sub profundo ciliorum locat, & supercilia nigra desuper ordinat, & disponit, vt vmbra ex hoc resultans, visum in se adunet, & sic virtutem visiuam colligendo, fortiorem reddat. Hinc est etiam, quòd & nos, quoniam diligenter, & longè videre nitimur, manum latam super cilia ponimus, vt ex obiectu manus, sparsus visiuus colligatur radius, & in seipsum collectus fortior fit, & visum acuat, ad diligentiùs, & fortiùs discernendum, quod videre desideramus.* Et statim: *Sic igitur, ò Beata, obumbrauit tibi virtus Altissimi, vt visu mentis tua adunato, mysterium posset à te cognosci.* Quid est, quod Virgini sciscitanti generandi modum, Angelus affatim satisfaciat his verbis, sic ab Alberto expensis: *Obumbrabit tibi virtus Altissimi, vt visu mentis tua adunato, mysterium posset à te cognosci?* Certè quia Verbum Dei generandum esse indicauit, quando sub virtutis Altissimi vmbrâ cognitionem Virginis acuendam, & adunandam esse spopondit, vt ex cognitione, & consensu in vtero generaret Filium Dei.

19. Luc. I. Ideò plures ex Patribus sub vno explicatu coniungunt illa duo: *Spiritus sanctus superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi:* vmbraculum enim ad Spiritus sancti protegentem referunt virtutem. Et quidem non inuenustè potest hæc interpretatio illustrari. Ergonè idem est superuenire Spiritum, & obumbrare? Idem sanè; quod enim aliquid circumdat, & protegit, si maius eo est, quod sub se cōcludit, obumbrat quidē, sicut in superueniente nube super fastigium montis prospicere licet. Sic nubes superueniens obumbrauit discipulos in Thabor. Quid est igitur superuenire, & obumbrare Spiritum sanctum? Super oculos Virginis obijci, omnemq; intuitus sphæ- Matth. 17.

ram

tam occludere, ne aliud conceptura Deum, nisi Deum inspiciat: veluti si gigas in homuncionem superueniat, & obumbret, ne oculos extra gigantem emittat. Vt sola nosceret Virgo, quòd sola Trinitas in sola Virgine operabatur, Spiritus sanctus, qui complementum Trinitatis est, eius vndequaque obiectatur prospectui. Sic Trinitatis vmbra præuenta Virgo, quod gignit in vtero, persona Trinitatis est; virtus, qua gignit, ex Trinitate procedit. Huc compello nunquam benè discussam S. Bernardi mentem hom. 4. super Missus est: *Fortasse propter hoc maximè dictum est: Obumbrabit tibi: quia res nimirum in sacramento erat, & quòd sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari: soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* Statim te feriet illud: *quòd sola per se Trinitas, in sola, & cum sola Virgine voluit operari.* Quid est id, *quòd sola per se Trinitas?* An Trinitas potuit sibi commilitonem addicere, socium ad opus accersere, cui nec consiliarius est, nec adiutor? Sed pulchrè dictum: licèt enim in cæteris generationibus operetur Deus, tamen sola Trinitas; sed & vir. Virum non cognoscit Virgo; ideò sola Trinitas operatur: & vt solam Trinitatem cognoscat, quæ ignorat virum, se Trinitas obiicit, & obumbrat, & sola soli in generationis miraculo retegitur.

Bernard.

Isai. 40. 13.

20. Qui locus, & vmbræ ingenium ad acuendum intuitum peridoneæ, grandem nobis præparat occasionem, vt demiremur, quàm strictè & religiosè ductæ sunt lineæ in generatione Verbi ex Maria iuxta similitudinem generationis ex Patre. Dissidium scholasticum est, nimisque academicus pulvis agitatur, an Verbum Dei ex cognitione intuitiua trium diuinarum personarum procedat. Nobilior Theologorum pars affirmationi mordicus adhæret, cui & nos in Academiis Theologicis subsignamus. Non vacat Auctores congerere. Sat est Aug. lib. 15. de Trinit. c. 14. *Tanquam seipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus, aut ampliùs esset in eius Verbo, quàm in ipso. Ideò Verbum hoc verè veritas est quia quidquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est.* Ratio ipsa euincit, quia Verbum Dei, vtpote infinitum ex suæ originis naturâ debet adæquari ad omnem Patris cognitionem, quæ exilisesset, procul à comprehensiua, si tres personas perfectissimo intuitu non attingeret. Ergo idipsum in generatione ex Virgine non modicâ analogiâ, comprobatur: quam Trinitas non solùm in sola iuxta Bernardum; sed & cum sola operatur, id est, sese obiectat illi, vt reserato amictu per nobilem reuelationem Trinitatem agnoscat Virgo, dum formatur in vtero fœtus, & vndequaque constet esse Verbum Dei, qui gignitur: siquidem ex tam illustri cognitione iuxta modum capacitatis humanæ per virtutem Altissimi eleuatæ, generatur. Ideò sedulus Angelus totam in illo instanti Trinitatem Virgini declarat superuenientem, & penitus protegentem, vt obuersetur ante Virginis oculos in instanti peragendi conceptus. Quòd sub obũbratione tota Trinitas circumuallatura descritur, obseruauit Titus Bostrens. in c. 1. Luc. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hoc est, vndequaque circũdabit te, induet te, circumuallabit te, complectetur te. Obseruare hic autem licet quomodo, dum Spiritum sanctum, virtutemque, & Altissimum nominat, totam sacratissimam Trinitatem Virgini patefaciat.* En amplexus, & indumentum, ne oculos emittat extrinsecus, sed totam in obumbrante obiecto depascat agnitionem. Idem explicatus est apud Euseb. Emisc. in c. 1. Luc. *Hic est modus pariendi: ita concipies, ita paries: iam nihil est, quod te vlteriùs interrogare oporteat. Spiritus enim sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi, quæ obumbrabit tibi, & amplexabitur te, totamque intus & extra muniet te. Quod autem ait Spiritus sanctus superueniet in te, hoc exposuit dicens: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: hæc enim virtus communis est totius Trinitatis.* Expende illud: *Hic est modus pariendi: ita concipies:* quæ euincunt à fideli Virgine solùm modum quæsitum fuisse, dum Angelum sciscitatur; quòd Patres cõfirmant. August. q. 19. in Numer. *Modum quæsiuit Virgo, non de virtute Dei dubitauit.* Ambr. in Luc. Bern. hom. 4. super Missus est. Sed nobiles Interpretes vexat, quid sibi velit interrogatio illa: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco,* siquidem legerat Maria in Propheta: *Ecce virgo concipiet?* Male se euoluunt ab hac difficultate, qui in hoc scirpo nondum quæ-runt. Imò ideò se virum non cognoscere exprimit Virgo, vt ostendat esse virginem illam, quam prædixerat Vates: adhuc tamen rogat, quomodo illibata virginitate, cui cognitio viri deest, peragendum sit generationis sacramentum; nam sciebat per fidem Patrem diuinum virginem gignere, non tamen sine cognitione sui, totiusque intuitione Diuinitatis. Sciscitatur igitur, an sit alius modus virgineæ generationis præter eum, quo intellectus incorruptè, & illibatè gaudet ad Verbum sui generandũ. Ideò illicò Angelus Virginis intellectui sanctam obiicit Trinitatem, vt illam cognoscens, progignat in carne, quod est omnibus mirabilibus mirabilius. Vnde Eusebius: *hic est modus pariendi; ita concipies,* &c. ne cognitio deficiat huic super benedictæ geniture. Et quidem dixerat Angelus: *Concipies in vtero, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius.* Duplicem patrem nuncupauit Filio, Altissimum, & Dauid: quà ab Altissimo, è mente progignitur; quà à Dauid, carneam exigit vuluam. Erigit ergo mentẽ Virgo sciscitans, quomodo gignendus, intenta generationi ex Altissimo. Andr. Cret. de laud. Virg. *Filium vocans Altissimi, & patrẽ pueri Dauidem nominans, erexit omninò mentẽ eius subitò. Vide Virginis quantus intellectus fit: vt enim audiuit hæc, dixit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

August.

Tit. Bostr.

Euf. Emis.

August. Ambrof. Bernard. Luc. 1. Isai. 7.

Andr. Cret.

21. Quòd autem in Incarnationis instanti Trinitatem, tanquam obiectum, speciali reuelatione agnouerit Virgo, id admonet, quòd sub præscriptis verbis consenserit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* id est, vt alibi explicui, iuxta omnia, quæ proposuisti, scilicet quòd superueniat Spiritus, obumbret virtus, adsit Altissimus, fœtus sit Filius Patris: nec, nisi in illo momento omnia hæc Maria in mente versaret, potuisset sic paciscens assentiri. Cum igitur tunc patrata fuerit Incarnatio, scire deducitur tunc genuisse, quando in Trinitatis obiectum ferebatur. Præstat frui S. Bern. Sen. tom. 3. ser. 6. art. 1. c. 1. *Consideremus obiectum, in quo consensit; quod quidem fuit Filius Dei Iesus Christus. Sed impossibile fuit eam in tale, ac tantum obiectum dignè consentire, nisi omnem affectum mentis suæ in illud proiecerit, & erexerit. Hoc autem erat summè dilatari, & erigi in abyssum Trinitatis, & vnitatis, id est, in personalem, & originalem habitudinem, secundùm quam in semetipso existit, & refertur ad Patrem, & Spiritum sanctum à se procedentem.* Quid illustrius: Quare ex generatione Filij Dei probat Virginem

Bern. Sen.

Cath. ginem Trinitatem agnouisse Catth. lib. 2. de dign. Mar. art. 11. *Vniuersa Theologorum intentio circa personarum Trinitatem, Christique humanitatem principaliter versatur. Quis verò Christi sic humanitatem agnouit, vti ea, ex qua illa sumpta est? Porro cui sic Trinitatem speculari credi valet concessum, vt ipsi, in qua tota tam incomprehensibiliter egit, ac superuenienter, quæ ipsum Deum verum veraciter genuit?* Obserua illud: *in qua tota tam incomprehensibiliter egit, ac superuenienter.* Ex superueniente Spiritu sancto, quando Virgo Filium Dei generabat, totam Trinitatem agnouisse argutè edocet Dionys. Carth. quia cum Spiritu S. tota Trinitas superueniens se obiectauit; & mentis B. Thom. à Villanou. oculos Genitricis allexit. B. Thom. à Villan. S. Bernard. vestigia tenens conc. 1. in Annunt. sic fatur: *Quibusdam placuit ideò Spiritum obumbrasse Mariæ, quia sola tanti mysterij secreta nouit, & soli concessum experiri, excessus mentis, & illustrationis radios, quos concipiendo, & pariendo pertulit. Ne tamen solius Spiritus S. sed totius Trinitatis virtute hoc opus mirificum in eius vtero patrandū agnosceret, sapienter adiecit: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Altissimus namque, Pater est, & virtus Altissimi, Verbū est Patris, quorū indiuisâ virtute non in tota Trin. sed in solo Verbo perficiēda erat incarnatio.*

22. Si autem sigillatim descenderis scrupulosiori examine ad eruendas politiores rationes, quibus argutè innotescat Mariam ex signatissimo Dei consilio tres diuinas personas in sacræ generationis instanti agnouisse; oppido inuenies, quod desideramus persuadere. Plures qui negant ex totius Trinitatis cognitione per se, vt aiunt, requisitâ, Verbum à diuino Patre procedere; vel inuiti fatentur, reluctatique nequeunt procedere ex cognitione Patris, & Filij. Ratio prompta est: nam Verbi productio, actus intellectionis est Paternæ; intelligi, generari est: id ergo intelligitur, quod gignitur; neque ignorari potest soboles, quæ ab ipsa scientia generatur. Cùm autem Filius Patrem indicet è vestigio: & quæ relatiua sunt, à simultaneâ non diffideant cognitione; luculenter deducitur ex vtriusque scientiâ diuinum Verbum exoriri. Sic Vasq. edisserit P. Vasq. tom. 2. in 1. p. disp. 142. c. 3. Hæc lacteâ semitâ facilè ducuntur ad Mariam. Agnouit in momento Incarnationis Filium Dei, ipsiusque virgineæ conceptionis percalluit sacramentum; ac proinde supernum Genitorem ex relatiuorum naturâ opus est intellectus acie attigisse, vt aliquantulum declini Diuinitatis opulentiâ resciberetur in Virgine supernæ generationis partici- August. pium. Præclarè August. serm. 18. in Natal. Dom. *Hac die est natus ex Virgine Matre, qui ante sæcula æternus est genitus ex Deo Patre. In illa natiuitate ex impassibili nascitur Genitore; ex ista, incorrupta natus est Virgine: illā solus Pater sciuit, ipse, qui genuit; hanc in se sola Virgo, & Mater intemerata cognouit, quæ virū in concipiendo non pertulit.* En vtrique Parenti similis cognitionis causa præcinitur. Quàm ex Theologia illud, *solus Pater sciuit, ipse, qui genuit!* vtpote quia generatio scientia est, mente sobolem legit, Filium intellectu progignit: nec oculos valet auertere à sacra genitura, quæ spiritalibus oculis, dum gignitur, obiectatur. Quàm ingeniosa illa: *Mater intemerata cognouit, quæ virum in concipiendo non pertulit!* ac si diceret: Quæ virum non cognouit, cognouit generationem: in vtroque miraculum. Stolidæ fœminæ, luxus inquinamento sordentes, virum quidē cognoscunt; sobolis tamen genituram ignorant. In Maria vtrumque diuinum; & quòd absque cognitione sordiū, & quòd cum cognitione conceptus gignit. Ideò signatè crediderim secretū huius sacræ generationis solùm inter Patrem, & Mariam, Patrū accordi sententiâ decantari; scilicet quòd solus Pater nouerit, solaque Virgo percalluerit. Nonne & nouit Ioan. 1. Filius, qui Vnigenitus in sinu Patris ipse enarrauit? nōne & Spiritus sanctus, qui scientiā habet vocis, & à Verbo procedens, Verbū clarificat? Certè. Attamen in eo acumen est, quod Filius, seu Spiritus sanctus non noscūt generando: solus Pater gignit, dum noscit; sola Virgo ex incōparabili diuini Parentis similitudine, sacraque diuinitus collustratione, dum ipsummet Filium Dei gignit, agnoscit; & discit experimento, ac si vulua, qua concipit, mens fuisset: ideò virtus Altissimi obumbrans indicat secretum hoc soli Patri, & Virgini retectum, sub vmbraque sigillatum. Albert. M. c. 76. *Virtus* Alb. Mag. *Altissimi obumbrabit, hoc est illum modum, de quo Spiritu sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus sic in sui secretissimo consilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus qui tantùm notus est Patri, notus fit & tibi: ac si Angelus respondeat Virgini: Quod à me quæris, quod in te modò experieris? Scies, scies, & fœliciter scies, sed illo Doctore, quo & auctore. Ego autem missus sum virginalem conceptum nuntiare, non creare: nec potest doceri nisi à donante; nec potest addici nisi à suscipiente. Ex quo colligitur, quòd beatissima Virgo de incarnatione, & de Filio Dei incarnato habuerit cognitionem, quæ fuit supra fidem, quòd scilicet tantùm notus esset sibi, qui notus erat Patri, quod non potest intelligi de cognitione fidei, per quam notus erat & multis, ex his autem concluditur, quòd cognitio beatissimæ Virginis fuit supra fidem, & super omnem cognitionem puræ creaturæ existentis in via.* Certum est hanc Deiparæ cognitionem supra fidem fuisse. Annè per experimentum scilicet ipsius Incarnationis? Sic enim Anselm. protulit lib. de Anselm. Excel. Virg. cap. 7. *Multa in se non solùm simplici scientiâ, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat, de mysteriis Domini nostri Iesu Christi.* De hac experientia intelligit Albertum P. Suar. tom. 2. in Suarez. 3. p. disp. 19. sect. 2. dum vocat hanc cognitionem supra fidem. Attamen licèt reluctari fas non sit plurima, quæ suprà captum sunt, sapido experimento Virginem præsensisse: in plurimis autem fatendum est, non solùm aliud vidisse per sensum, & aliud credidisse per fidem: verùm & aliud per supereminentem scientiam, diuinitùs illustratam agnouisse. Nam Filij Diuinitas, eiusque ad Patrem hypostasis relatiua nullâ potuit sensibili experientiâ prægustari, nisi accederet supernaturale lumen, quod mentem subleuans Virgineam, in Sanctæ Trinitatis agnitionem impelleret.

Attamen quia hæc suprema cognitio effusis 23. dulcedinis charismatibus, quibus & ipsa caro imbuta madebat, hilarata fuit: inde est, quòd omnem exuperauerit scientiā, cùm animus, & caro, sensus, & spiritus amica societate tam exundanti incarnatæ sapientiæ pelago fruebantur. Philip. Abbas in Phil. Abb. Cant. lib. 4. c. 23. *Veritatem venturam nullus præcedentium sic expressit, quomodò Virgo sancta, cui diuina bonitas hoc concessit, vt supra quam ab homine, vel ab Angelo dici posset, incarnati Verbi mysterium expressiùs, & sensibiliùs ipsa nosset.* Bernard. Senens. tom. 2. serm. 51. art. 3. c. 2. *Habuit actualem,* Senens. *& experimentalem sensum filiationis Dei intimè cogitando, & saporando, quanti Filij erat Mater.*

Ex quo noueris, quàm virulentum sustulerit perfidiæ

perfidiæ caput, & serpentinis euomuerit venena pectoribus hæreticus ille, qui blaterabat latuisse Virginem putatiuæ generationis sacramentum, de qua hæresi sic habes apud Origenem in Apolog. (Origen.) *Alij verò ex Virgine quidem eum credunt esse primogenitum, sed putasse se magis Virginem peperisse, non tamen verè peperisse confirmant. Latuisse quippe etiam Virginem putatiuæ generationis, asserunt sacramentum.* Mentita est iniquitas sibi. Imò latuit hæreticum Maria, quæ cùm Mater effecta fuerit ob similitudinem cum diuino Genitore capessendam, omnem sacræ generationis qualitatem debuit percalluisse. Quare apud Nazianz. in carm. de Christo patiente col. 9. (Nazianzen.) ipsa Virgo fatur: *Enixa sum illum, sed scio quonam modo.* Quia Verbum concepit, & peperit, conceptum, & partum Virginem cognouisse promptum est, eâ sapientiæ singularitate, quòd conceptionis, & parturitionis modus & omnibus esset occultus, & soli Virgini manifestus. Vtrumque ratio vna conciliauit, scilicet quòd Verbo Dei grauidaretur: nam quà Verbum, mentisque soboles, intimo illapsu, secretissimoque descensu vsque in vterum permeauit, nulla gressuum vestigia relinquens, nulla sacramenti hominibus indicia dispergens: & quia Verbum ex Genitore cognoscente procedit; vt eius indoles seruaretur, oportuit ex cognoscente concipi genitrice. Hic sensus, nisi fallor, inlatet in Tertulliano, dum aduers. Iud. c. 12. (Tertull.) inquit: *Natiuitatem eius quis enarrabit? quia nullus omnino hominum natiuitatis Christi fuit conscius, in conceptu, cùm Virgo Maria Verbo Dei prægnans inueniretur.* En vtrumque: & negat alteri cognitionem, & Virgini fœtæ Verbo Dei indicat adscribendam. Difficilis tamen est huius Tertullianicæ textutæ nexus. Quid est enim illud: *Nullus natiuitatis Christi fuit conscius in conceptu?* Confundit natiuitatem cum conceptu, & vel commiscet tumultuariè has admodum distinctas actiones; vel in conceptu natiuitatem præsagit. Profundè loquitur Auctor iste, neruosisque lacertis, quoquò vult, oppugnat. Ea est natura Verbi, quòd à mente generatur: idem est illi concipi, & nasci; nec dissidet generatio à puerperio, cùm eius cunabula in ipsa intellectuali vulua sint, à qua gignitur. Ideò Verbum simul à Patre generatur, & oritur: & quia, dum Virgineum vterum subintrauit, Verbi indolem non amisit; ideò nasci dictum est in vtero, cùm primò conceptum. Id didicimus ex Angelo: (Matth. 1.) *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Igitur nullus hominum potuit esse conscius huius sacræ natiuitatis, quæ in conceptu fuit. Agnoscit enim quisquis natiuitatem eius, qui in lucis funditur vsuram, cùm oculis incipit mortalibus apparere; cæterùm intraneum conceptum, recénsque fœtum coagulatum nequit intueri, mole carneæ quantitatis obstipante. Ex hoc capite venustè colligitur Mariam agnouisse conceptum, quippe cui etiam in vtero natum fuit Verbum Dei, quia illicò perfectus fœtus, cùm primum extitit grauidata. Quare ob singularis in vtero natiuitatis rationem; absque iniuria molis corporeæ agnitum dixeris à genitrice, siquidem intra illam etiam natiuitas fœtus fuit, quando in aliis solet esse conceptio. Iam clara est sententia Tertulliani, *quia nullus hominum natiuitatis Christi fuit conscius in conceptu, cùm Virgo Maria Verbo Dei prægnans inueniretur.* Quæ verba transcripsit S. Isid. Hispal. lib. 1. cont. Iud. cap. 10. (Isidor.)

Nonnè intueris consultissimam prouidentiam? 25. Mittitur cœlestis interpres, qui priùs Virgini retegat mysterium, & ita comparantur diuini effectus consilia, vt antequam discedat Angelus, fœta sit virgo; neque inter vtrumque cesset alloquium quousque Verbum vterum impleat. Vt quid tam velox generatio; & quæ procrastinata tardauit per sæcula, ocissimè coram ipso legato perficitur; dumque Virgo consentit, se sentit grauidatam? Huc tetendit consilium, quòd verbo Verbum conciperet, & ne forsan ignara gigneret, & oblita, in ipsamet aula scientiæ, Angelicæque disciplinæ, qua eius mens instruebatur, Mater fieret: ne, quem conciperet, ignoraret; sed linguâ, visu, & auditu sanctam conceptionem præsentire valeret, dum Angelum, Dei nuntium & audiebat, & intuebatur. Richardus Eremita aliquantulum adstipulatur in Enarrat. in symbol. Apost. apud Bibliot. tom. 15. (Richard. Erem.) *Annuntiatio congrua fuit, vt non ignoraret, quem conciperet, & vt rectissimè posset testificari de sua conceptione, de visu, & aud. .u Angeli.*

26. Non sat ista. Verùm, vt aliquando adnotauimus, impotentem sui animum rapit, quòd in breui nuntio, nimiùmque castigatis, & præcisis verbis toties ingeminauerit *Filij Dei* vocem. (Luc. 1.) *Paries Filium, Filius Altissimi vocabitur, Vocabitur Filius Dei*; & si placeat tibi, etiam filiationis diuinæ indicium aliquantulum appatet in illis: *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum*; quia omne Verbum solus Filius Dei est, sic enim Athanas. Epist. decret. Nicæn. Syn. (Athan.) *Non enim multa verba sunt, ne vnumquodque eorum sufficiens habeatur; sed vnum Verbum, vt illud solum perfectum esse intelligatur. Et quemadmodum vnus est Deus, necessarium est quoque vnam esse imaginem, quæ ipsius est Filius.* Vt quid tam accuratus conatus in huius sacri repetitione vocabuli? Equidem vt in ipso sconceptu tota Virgo imagine Filij Dei medullitùs imprimeretur, & in eius auditu, memoriâ, linguâ, mente, diuini Filij obuersaretur species, & omnis Virgineus sensus intus, extrà hac vnâ cogitatione raperetur; & sic ex vi affixæ mordicùs cognitionis, in vtero gigneret Filium Dei. Certè hæc solet esse concipientium indoles, quòd fœtum efforment iuxta similitudinem eorum, quæ in animo versant, seu sensu: perspicax enim cogitatio formans extrinsecùs intus transmittit, eorumque anima satiata typis rapit species eorum in propriam qualitatem. Sic Isidorus lib. 12. origin. (Hispalensis.) *Nam & columbarum delectores ponunt pulcherrimas columbas iisdem locis, quibus illæ versantur, quo videlicet rapiente visu similes generent. Inde est, quòd quidam grauidas mulieres vetant intueri turpissimos animalium vultus, vt Cynocephalos, & simias, ne visibus occurrentes, similes fœtus parere faciant.* De quo pulchri sunt Augustini loci q. 93. in Genes. & lib. 18. de ciuit. Dei c. 5. (August.) & Hieronym. orat. (Hieronym.) in traditionibus Hebraic. dum ingenium Iacobi versant, qui multicolores virgas, pecudum generantium obiecit obtutibus, vt maculata vellera fœtibus obuenirent. Genes. 30. vers. 35 (Gen. 30.) Iam alij adnotarunt locum Plinij lib. 7. c. 12. (Plinius.) cuius verba, quia apprimè conducunt instituto, non licet præterire: *Similitudinum in mente reputatio est, in qua creduntur multa fortuita pollere: visus, auditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu: Cogitatio etiam vtriuslibet animum subito transuolans effingere similitudinem, aut miscere*

scere existimatur. Ideóque plures in homine, quam in cæteris animantibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit; cum cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque in suo cuique genere. Certè ex Altissimi virtute desuper infusâ, & superueniente Spiritu sancto, diuinitùs Virgo concepit Filium Dei: nec ex propensioris imaginationis motu, immissarumque specierum valido incursu, similitudinumque impressione indiguit, vt imaginem cœlestis, Verbum scilicet Patris conformiter in vtero generaret. Attamen contemnendum non est miro consilio effectum fuisse, quòd in ipso conceptionis instanti in Diuinitatis immersa pelago nihil aliud audiret nisi Deum, Deique Filium, vt adsonè vterus, quod ipsa cogitabat, transcriberet, & ex aure ad mentem, ex mente ad ventrem proclinior semita sterneretur. Quoties Deum ingeminat! *Dominus tecum.* Secundò: *Gratiam apud Deum.* Tertiò: *Filius Altissimi vocabitur.* Quartò: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid.* Quintò: *Spiritus sanctus superueniet.* Sextò *Virtus Altissimi obumbrabit.* Septimò: *Vocabitur Filius Dei.* Octauò: *Non erit impossibile apud Deum.* Vix verbum cadit, quin Deus: vt Deum concipiat, Deum audiens, & cognoscens; idemque sit conceptus, & obiectum. Hinc illa: *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* Secundùm quale? Omne nuntium vnum verbum est *Deus.* Ergo secundùm verbum fiat; gignam quem audio. Secundùm Deum fiat, qualiter Deus concipit Deum, Deum cognoscens. Curnè *mihi*, & non *ad me?* Quia priùs ad illam factum est Verbum Dei, Filiique nomen, & imago obuersabatur, vt pòst fieret illi. S Bernardinus Senens. tom. 3.
Senens. serm. 6. art. 3. cap. 3. *Fit planè, vt iuxta Angelicum dictum conciperes Dei Filium. Fiat mihi secundum verbum tuum. Mihi dicis, non ad me, quasi dicat: Quod in aure mea factum est per Angelicam salutationem, & in mente mea per fidei conceptionem, fiat mihi, id est, in vtero meo per diuini Verbi Incarnationem.*

17. Similitudines ergo Filij Dei in vtero generandi ante virgineos præludunt conspectus, eloquiique Angelici nitore vermiculantur; vt ex aureum ornamentis, intus veritate Verbi diuini
Cant. 1. impleatur. Quod mirè fulcitur ex illo Cantic. 1. vers. 10. *Murænulas aureas faciemus tibi vermicu-*
Septua. *latas argento.* Quæ verba Septuaginta connectunt cum subsequentibus, sicque vertunt, *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoadusque Rex sit in recubitu suo.* Qua-
Nyssen. re sic coniunctim exponunt Nyssenus homil. 3.
Origen. in Cantic. Origenes hom. 1. & 2. August. lib. 1.
August. de Trinit. cap. 8. Damian. epist. 38. Ambrosius
Damianus. serm. 3. in Psal. 118. vers. 1. Hieronymus libr. 1.
Ambros. contra Iouinian. Theodoret. Tres Patres, & alij.
Hieron. Quid est, quòd pro murænulis vertant Septua-
Theod. ginta ὁμοιώματα χρυσίου. *similitudines auri?* Quid
Tres Patres. iterum est, quòd hæc ornamenta offerantur Spon-
Bernardus sæ, donec recubet in eius roseo sinu Rex; Non
Iustus. hæc monialia Sponsum obtulisse, sed Sponsi
Orgel. sodales, aulicosque, scilicet Angelos. scribit Ber-
Anselmus. nardus serm. 41. Iustus Orgelit. Anselmus, &
Rupertus. Rupertus? Quale ornamentum murænula sit,
Hierony. dubitatum est. Hieronymus epistol. 15. ad Mar-
Cassiodor. cel. explicat, *quòd murænulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catenâ contexitur.* Cassiodorus: *Murænulæ ornamenta sunt colli virginalis, & puellaris: videlicet virgula auri perplexa, intermixtis nonnunquam pulchrâ varietate subtilissimis argenti filis.* Ast in hoc loco verius existimo accipi pro inauribus cum Bernardo, & Anselmo, quorum verba iam do. Ergo luculentus sensus sit: Angelus alloquitur Virginem, pluries hinc inde Verbi Dei per efformatas voces similitudines repræsentat, suggerit, & proiectat argenteo eloquio, quibus figurans diuinum illud aurum, quod Sapientia, & verbum Dei est, sensim formas, & species immitit, donec ipsa diuinitus concipiat, fitque Rex in accubitu suo. Qui cogitatus validè adiuuatur ex Bernardo suprà: *Aurum Diuinitatis est fulgor, aurum Sapientia, quæ desursum est.* Bernard.
Hoc auro fulgentia quadam quasi veritatis signacula spondent se figuraturos superni aurifices, atque internis animæ auribus inserturos. Quod ego non puto esse aliud; quàm texere spirituales quasdam similitudines, & in ipsis purissima diuina Sapientiæ sensa, animæ contemplantis conspectibus importare. Et statim: *Significare videtur non modo similitudines intus per Angelos suggeri, sed nitorem quoque eloquij per ipsos extrinsecus ministrari.* Anselmus: *Murænula dicitur à murana, quæ plicat se in orbem, & significamus per muranas sententias orbiculatas, & perfectas, quibus ornant Sancti aurem interiorem, id est, intelligentiam; aureas, id est, diuinâ sapientiâ, & charitate conditas: vermiculatas argento, id est, distinctas eloquio optimo.* Anselm.

Quæ si quis menti infixerit; nimiùm rigebit, 28.
nisi datis manibus, in præfatum iuerit cogitatum, scilicet, quòd hic Canticorum locus propendeat, & suopte ingenio vergat ad Angeli colloquium cum Virgine; qui, dum toties Filij Dei vocabulum geminauit, eiusque qualitatem, mores, & genus expressit, quid aliud egit, nisi aurificis cœlestis arte murænulas aureas contexere: scilicet similitudines Verbi Dei, per vocem, quæ similitudo verbi intellectualis est, auribus suggerere Virgineis, vt ab hac impressione argenteis, & aureis notis eloquij sacri, Rex in eius vtero accumberet? Quibus lubenter Origenes adstipularetur, qui hom. 1. in Cant. postquam ad præfata verba dixerat: *Si enim qui per Angelos habitus est sermo: ipsi ergo erant velut actores appositi paruula Sponsæ, donec mitteret Deus Filium suum natum ex muliere:* non longo interuallo subdit: *Indicant ergo, quòd ipsi faciant Sponsæ non aurum, sed pro aureo similitudines auri; & non vnam similitudinem, sed multas.* Breuiùs Gregor. Nyssenus dicto tom. 3. *Tibi faciemus quædam veritatis simulacra; & quasdam similitudines, quæ non possunt accuratè, & exactè ostendere, quæ inest, mentis conceptionem. Tu autem his acceptis fides habitaculum eius, qui in te est habitaturus per eam, quæ est in te, habitationem: eius enim eris & sedes, & domus.* Cur autem tam operoso nixu pro murænulis aureis *similitudines auri*, argenteasque cælaturas transtulerint Septuaginta; pleniùs mysterium explanat. Vox, vt dicebam, similitudo Verbi mentalis est, non ipsum verbum. Angelus nequibat per Virginis aurem Verbum Dei ingerere; nec ipsius vox erat Verbum Incarnandum, quod nonnulli hæretici stolidè somniarunt; ideò similitudines solùm auri, non ipsum aurum, id est, Verbum Dei spopondisse à se fieri Angelum præcauetur, vt ex præuia similidudine ipsamet Verbi diuini substantia homo in vtero Origen. Nyssen.

gigne

Athan. gigneretur. Præclarè Athanaſ. in hom. de ſanctiſ. Deip. *Aue gratioſa, Dominus tecum. Etiam hic animaduertimus vocem illam ſalutationis Angeli eſſe vocem, quæ pro ſono ſuo, quo efferabatur, ſignificationem habuit, verùm eam ipſam nequaquam fuiſſe Filij hypoſtaſim, aut carnem eſſe factam; ſed pro ſuo ſono, loquendique ratione diuerſam fuiſſe à Verbo Dei, quod in vterum Virginis pariter deſcendit: prorſuſque blaſphemias dicunt; qui autumant vocem Angeli fuiſſe materiam, ſubſtantiamque Verbi.* En Angelus non aurum, ſed ſimilitudinem auri offert: murænulas aureas contexit ſolùm vermiculatas argento, id eſt, ſtigmatibus, & punctis affabrè variegatas, crebriſque punctionibus emicantes, non aurum ipſum, non Verbum ſubſtantiale Dei: id enim ſolùm à Patre luminum in vterum Virginis deſcendit, vt rex accumberet in accubitu ſuo, dum ſimilitudines illas, vermiculataſque inaures, vocem ſcilicet, nuntiumque aduentus Verbi Dei Angelus auribus Virgineis indebat.

29. Hebr. Gen 24. Vulgat. Ambroſ. Delrius. Iuuat adhuc ex Hebræo lectio: *Imagines maſculinas faciemus tibi.* Originem huius lectionis ignoro, ſolùm ſcio, quòd Geneſ. 24. verſ. 22. vbi Vulgata habet *Protulit vir inaures aureas*; Græcè χ ... , vertit Ambroſius *Virias*, vt obſeruat Delrius in Cant. cap. 1, ſect. 2. Ex quo crediderim cum illa verſione Hebraica hanc Ambroſij benè componi: *Viria* enim, ſi à viro deriuantur, rectè cum maſculinis cohærent. Quid eſt, quòd imagines maſculinæ promittantur Sponſæ ab Sponſi ſodalibus, & pediſſequis, quouſque Sponſus ipſe Regio diademate cinctus in accubitu ſuo recumbat? Profectò id probè comparatum: nam vt Maria in ſuo ſinu acclinem conciperet Regem, interim maſculinis, virilibuſque exercebatur imaginibus per Prophetarum vaticinia, quæ virum orientem ex alto Marianis conſpectibus iugi Scripturarum ſerie proponebant. Nonnè maſculinæ imagines erant,
Zach. 6. 12. Luc 2. Iſai 9. Ierem. 31. *Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur: Mulier circumdabit virum: Puer datus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.*
Alanus. Scitè Alanus apud Delrium dicta ſect. 2. *Has murenulas, id eſt, diuinas ſententias ediderunt ſancti Patres in laudem Virginis, & honorem: Flos de radice eius aſcendet; Mulier circumdabit virum. In Sole poſuit tabernaculum ſuum: Lapis exciſus de montibus ſine manibus.* (Iſai. 11. Pſalm. 18. Dan. 2.) En quot præludebant imagines argento diuini eloquij vermiculatæ, vt paſceret oculos Virgo ſacra, & ex earum hauſtu, propenſiorique conſpectu, ſenſus ipſe, & caro addiſceret virum in vtero gignendo circumdare.

30. Liquet ex his Mariam in conceptionis inſtanti Filium Dei, eiuſque Incarnationem, & in Virginea vulua conceptionem percalluiſſe; intrinſecus quidem per ſpeciale lumen, reuelationemque ſingularem. Annè intuitiuà cognitione? Si ſemel verum ſit in eo momento diuinam eſſentiam viciſſe, de quo infrà; promptum eſt aſſerere, in totius Trinitatis iuiſſe viſionem, cui cenſioni libens accedo. Cæterùm non audeo profari Virgineum intuitum pertimatum eſſe cognitione intuitiua ipſam ſacram generationem, coagmentationéque fœtus, quam artifex Spiritus ſanctus affabrè conſtruxit: quin potiùs obſeruo Patres aliqualiter refragantes. S. Greg. Nyſſ. hom. 13. in Cant. *Vtque Virgo ipſa non cognouit, quo pacto in corpore ipſius corpus illud Diuinitatem recipiens coaluerit; ſic ne partum quidem ſenſit.*
Nyſſen. Forſan Nyſſenum poteris expendere de cognitione ſenſibili, vel de ea, quæ impudicam concernit voluptatem: ſubdit enim illic: *Idcirco & electus fuit, & vtraque parte naturæ ordinem immutauit. Nec enim è voluptate cœpit exiſtere, nec per dolores in lucem prodiit.* Sed inficiatur Chryſolog. ſerm. 141. *Cogita, verum poſ-* Chryſol.
ſis ipſas Dei manus operantes ſanctum ſibi corporis templum intra aluum genitricis audax, & curioſus arbiter intueri, conſpectibus tuis abſconditum ſeculis nudare myſterium, reuelare tibi ipſis Angelis inuiſibile ſacramentum; & ita cœleſti fabricæ præſidere, vt deprehendas liquidò in, quomodò Deus penetrale clauſæ carnis intrauerit; quemadmodum ſacri corporis in illo venerabili vtero præter Virginis conſcientiam lineamenta pinxerit; quomodò præter concipientis ſenſum manſura ſeculis oſſa ſolidauerit. Quæ Chryſologi verba non ſolùm ſenſibilem, ſed & ſcientificam cognitionem excludunt. Verùm cùm etiam ab Angelis hanc releget intuitionem, duo poſſumus conjectare: Quod primò agat de ipſomet ſacramento, quatenus diuinitas inſcrutabili modo ſibi carnem vnierit, humanitatemque hypoſtaſis Verbi aſſumpſerit. Id non opus eſt Angelos etiam cœlites percalluiſſe, cùm attineat ad liberum Dei decretum, benigniſſimamque voluntatem, qua illum modum elegit; nonquidem Diuinitati adauctum, ſed humanitati deuinctum. Et quidem cùm ex diuinæ ſubſiſtentiæ infinitudine illa terminatio libera deuenerit; quid quòd Angelum latuerit, niſi ſpecialis retegat reuelatio? Agit ſecundò de ipſa corporis in vtero concretione, coagmentationeque membrorum, quam Angelos latuiſſe non crediderim, niſi prauos, quos vmbra ſancti Spiritus profligauit, ne Virgineum odorarentur myſteriũ; operculumque fuit connubium, ne Dæmonis audax irreperet intuitus. Præter Virginis conſcientiam lineamenta ducta, membra ſolidata, modulataque organa forſan dixit Chryſologus; quia nec ſenſit auelli portionem, nec vllam naturæ cunctationem, perſcriptaſque ſtationes expectauit in efformando fœtu, qui ſubitò in perfectam coaluit ſtructuram. Lineamenta enim præiacta dicebant, qui pedetentim, ſtatiſque naturæ moris, molitum corpus autumabunt, Theoph. in cap. 1, Luc. Theoph.
Quiſpiam forſaſſe dicet, quod ſicut pictor primùm delineat, & lineas induit; & deinde perfectum colorem addit: ita & Dominus ipſe ſibi carnem condens & imaginem hominis formans, primum delineauit illam in vtero Virginis, compacta ex ſanguinibus ſemper Virginis carne, quam deinde paulatim figurauit. Sed hoc dubium. Licèt dubium dixerit Theophylactus, liquidò conſtat eliminandam eſſe hanc opinionem.

De primo modo, quem expendimus in Chry- 31.
ſologo, pronum eſt explicare Athanaſium hom. Athan.
de Deipara: *Cùm igitur diuerſa ſit à voce Archangeli hypoſtaſis Verbi, & Filij Dei, ſimul ac aperirentur aures Virginis per Angelicum ſonum, introgreſſa eſt in eam Diuini Filij eſſentia, adeò vt nec ipſa Virgo, hæc cognouerit: cognouerit autem Dei Filius, quo pacto introierit.* Quod intellige de abſtruſo, & ineffabili modo, quo diuina hypoſtaſis ob ſui infinitudinem ſe dedit humanitati, ipſamque ſubſiſtere fecit. Id Athanaſius à Virgineo relegat obtutu: agit forſan iuxta ipſius ſacramenti innatum amictum, propriumque ſecretum, non attendens ad alicuius reuelationis prærogatiuam, quam fas eſt, interceſſiſſe, conniuentibus obſequiis adnuamus; præcipuè ſi Deum tunc temporis videbat, vt nobilis Patrum chorus decantat.

Quin

Quin introëuntem, & accedentem Dominum Virginem sciuisse prodit Ildeph. de Virgin. Mar.
Ildeph. cap. 2. *Definito tempore, hunc, qui venit, egredi sentit, & placido egressionis læta processu, aliter procedentem inspicit, quam accedentem sciuit.* Indidem generationis modum agnouisse Guerricus Abbas
Guerr. præconatur serm. 1. de Natiuit. B. Mariæ: *Sed loquatur Mater ipsa, quæ sui conscia est mysterij, & nos edoceat, quomodo, vel quod ipsa genuerit.* Secretum hoc inter Virginem, & spiritum san-
Chrysol. ctum, obsignatum fuisse, videtur innuere Chrysologus serm. 61. *Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Spiritus, & Virgo copula terrena non est, cæleste sed est secretum: hinc est, quod nascitur, est diuinum. Ergo quod natus est, confitendum est; quomodò natus est, tacendum est: quia quod secretum est, sciri non potest; quod clausum est, nescit aperiri; quod singulare est, non refertur exemplo.*

52. Hæc, vt puto, satis euincunt, quam strictim ex diuinæ sapientiæ inenarrabili abysso seruata sit similitudo inter æternam ex Patre, & temporalem ex matre generationem, semper sub vmbra, & analogia, ne creatura cum increato contendat; ne humana se ingerant diuinis; ne discrimen abnegetur ob imaginis excellentiam, quando in pluribus dissimilitudo facessit. Ast inficiabitur nemo grandem palmam, triumphumque penicillum sacrum sustulisse, qui sic vmbras admouit, condiuit colores, lineamenta deduxit. Nam vidisti Verbum Dei, quod ex sanctæ Triadis cognitione gignitur à Patre, se Virgini Matri retexisse, dum in eius vtero conciperetur, vt se Matrem nosceret, etiam dum gigneret, ac proinde Filium,
Luc. 1. eiusque Patrem eodem tractu intueretur. Ideò forsan dixit Elizabeth: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* iam exinde Matrem nuncupans ante puerperium, quia Virgo se Matrem agnoscebat. Simile de diuino Parente protu-
Cyrill. Alex. lit Cyrillus Alexand. lib. 1. Thesaur. cap. 8. *Si Pater scit semper se Patrem esse, semper in se cognitionem de Filio suo habet. Pater enim ad Filium & est, & dicitur.* Ex quo loco non segniter arguitur Verbum Dei formaliter, & per se ex sui intellectione exoriri, siquidem exigit, quòd dum gignitur, se sciat Pater.

53. Dixeris, nondum specialiter nos egisse de Spi-
Vasquez. ritu sancto præcognito à Maria, dum conciperet Verbum. P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 142. cap. 4. totis rudentibus intendit Verbum non progigni ex prærequisita Spiritus sancti cognitione. Diffiteor omnino, alibique hanc abigere sententiam non erit operosum. In Virgine absque puluere id propugnari compertum est, quam Spiritus sanctus superueniens circumdedit, & ambiuit, vt omne oculorum præoccuparet spiritum, vmbramque effingeret, vt temperatâ luce faciliùs mentis radius in spirituale emitteretur obiectum. Vnde S. Bernardin. Senens. tom. 3. serm. 6. art. 1.
Senens. cap. 2. *Consideremus obiectum, secundùm quod consensit, quod quidem fuit Spiritus sanctus, id est, ille superineffabilis superaduentus ab Angelo, imò à Deo sibi per Angelum promissus ad eamdignè tanto Filio sanctificandam, & replendam, & immutandam corporaliter in prolem ex ea, & in ea, spiritualissimo, & supernaturalissimo modo formandam.* Læta seges acuminum ex Patribus sese huc inuissa dabat de hac Spiritus sancti ad Mariam amicâ exhibitione; sed non locus hic est, infrà edisseremus.

Maria in Incarnationis instanti vt Deum concipiat, Deum videt.

SECTIO IV.

ADHVC discussa quasi absque fundamento nutabunt, si non solido fulciamus calamo Mariam in Incarnationis instanti, claræ beatitudinis portione ditatam vidisse Deum, non sub ænigmatibus sacrorum velaminum, sed perspicuâ luce per lumen Virgineæ menti affixum. Si hoc semel verum est, Trinitatem tunc temporis suspexisse absque vllo negotio suadebitur, cùm diuinam essentiam absque sacris hypostasibus cerni nequire, nobilior, & sapientior sententia sit. Quin diuinum Genitorem ex cognitione Deitatis progignere Verbum, nullus adhuc inficias iuit. Quare opus est, id studiosa euincat elucubratio, dum Virgineum sinum diuino fœtu repleri conspicit, vt magis inter vtrumque Parentem sacra similitudo intendatur. 34.

Sanè iam perdocti Neoterici floridum Patrum illigauere fasciculum, qui sentiunt Beatam Virginem, dum in vita ageret mortali, Deum aliquoties conspicuâ intuitione vidisse. Communi- 35.
cet huic sensui, vt fertur, suffragantur, Albertus Alber. Mag.
Magn. in Marial. cap. 132. S. Bernardinus Senens. Senens.
tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. Dionysius Carthus. in Carthus. S. Bernard.
Dionys. de cœlest. Hierarchia, artic. 18. S. Ber- D. Anton.
nardus homil. 4. super Missus est; & serm. 3. de Rupert.
Ascens. D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 17. §. 1. Gerson.
Rupert. lib. 3 in Cant. Gerson. alphab. 82. lit. R. Vbert.
Vbertinus Casal. lib. 1. arbor. vit. cap. 9. Con- Suar. Salaz.
gerunt hos P. Suarius tom. 2. in 3. p. disp. 19. sect. 14 Salazarius tom. de Concept. cap. 32. Quibus ego plures alios addiderim.

Richardus à S. Laurent. lib. 4. de laudib. Virg. 36.
Maria virtute contemplandi quodammodo patria Richard.
donata est, vnde de ea dictum est Sapient. 18. Cælum attingebat stans in terra. Honorius in sigil. B. Mariæ cap. 1. apud Biblioth. tom. 12. *Ipsa etiam* Honor.
Beata Virgo oculus est columba, quia prauia dux est Ecclesiæ. Absque eo dulci affectu, qui intrinsecus latet, in Dei solius conspectu. Guerricus serm. 4. Guerricus.
de Assumpt. *Gaudebat vacare, & videre, quoniam Iesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudij, summaque delectationis omnibus, qui Iesum diligunt; sed præ omnibus illi, quæ genuit Iesum. Cui sicut singulariter excepta gratia Deum generandi, sic & prærogatiua gloriandi in eo, quem genuit. Omnino singularis gloria Virginis Matris, videre Deum Regem omnium in diademate carnis, quia coronauit eum, vt & Deum agnoscat, & adoret corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo.* Non iuuat vltrà congerere, ne absque discussione teperamus verba, quæ iamiam in hac sectione subiicimus.

Dubium est, quo tempore hæc visio Dei euenerit Virgini. Licèt de aliis temporibus hinc inde soleat disceptari; fixa tamen prædictorum Interpretum mens, Incarnationis tempori, lubente manu, calculum ferunt. Sic D. Antoninus suprà. 37.
S. Bernardinus Senens. tom. 4 serm. 56. Albertus D. Antonin.
Magn. in Marial. cap. 149. Et quidem, me iu- Senens.
dice, hinc lucem venabitur obuius, & difficilis Alb. Mag.

Petri

Damian. Petri Damiani locus in ſerm. de Aſſumpt. à nullo quidem non decantatus, neſcio, an expenſus vſque ad nucleum: *Caro enim Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuerſa eſt.* In quorum verborum enodatione, nimis tumultuatiæ varietatis cauſa eſt, quod à ſuis ſedibus auellantur, ſecenturque à prioribus, & poſterioribus, cum quibus aſſuta natiuum ſui libenter reddunt explicatum. Cenſent aliqui hîc Virgineæ conceptionis, qua concepta fuit, limpidum ob gratiam à Damiano pangi candorem: alij ſe neruum fœliciter tetendiſſe putant, dum Damianum intelligunt de carne Chriſti aſſumptâ ex Virgine quæ in candorem lucis æternæ conuerſa eſt, vtpote à Verbi hypoſtaſi terminata, & aſſumpta. Sed Benedictinus Cardinalis hæc ſcholia non ſuffert. Dexteritate ingenij Virgineam Mariæ deuotionem tractat, qua ſicut ſuffimentum thuris in cœleſtem ferebatur intuitum. Indidem continentiam eius, & virginitatem ſub myrrhæ ſymbolo præconatur, deſcribitque aſcendentem per contemplationis exceſſum cum aromatibus myrrhæ, & thuris, in quibus & caſtigatio carnis, & Diuinitatis cultus exprimitur. Subdit ergo hæc aromata in Maria ſacrum odorem ſpirauiſſe, vtpote cuius caro maculas Adæ non ſenſit; imò per virginitatis, & continentiæ myrrham vegetum, & floridum ſeruauit vterum; & tamen fœta fuit: adeóque continentiæ puritas excreuit, vt & Deum conciperet, & in ipſo conceptu candorem lucis æternæ viderit, dum superueniente Spiritu ſancto Verbum, quod genuit, ſpectauit. Iam totus Damianus: *Nominantur ſpecies, ac quibus aromatica virgula ſublenatur, myrrha, & thuris: myrrha corpora diſſoluta conſolidat, thus autem Deo in oratione accenditur. In myrrha continentiam, in thure deuotionem intellige. Caro enim Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuerſa eſt. Porrò quis eius deuotionem votiuis laudibus poterit adæquare, cùm rememoret ſuperuenientem Spiritum, Filium conceptum, Deum natum.* Igitur *in candorem lucis æternæ conuerſa eſt*, neutiquam intelligenda ſunt, quod ſingularis Marianæ continentiæ puritas per conuerſionem, & tranſmutationem ſui tranſierit in candorem lucis, id eſt, Verbum Dei; ſed quòd ſeſe verterit ad videndum Verbum, quod concipiebat: quod phraſi Hiſpanica meliùs explico, hoc eſt, *no que ſe voluio en la luz eterna, ſino que ſe voluio azia la luz eterna.*
Ioan. 1. Luc. 22. Matth. 9. Marc. 8. Nam conuerſum eſſe, & videre paſſim iunguntur in ſacris. Ioann. 1. verſ. 38. *Conuerſus autem Ieſus, & videns.* Luc. 22. verſ. 61. *Et conuerſus Dominus reſpexit.* Matth. 9. cap. 22. *At Ieſus conuerſus, & videns.* Marc. 8. verſ. 33. *Qui conuerſus, & videns.* Ergo quòd Virginea caro maculas non ſenſiſſet Adami probat arguiè Damianus ex eo, quòd in generando fœtu temerata caro fæcibus putidis ſordeſcere ſolet: at Maria tunc temporis, quo gignebat, ipſummet candorem lucis æternæ
Ap. 27. 29. cõuerſa vidit, beantiſque portione gauiſa eſt, quę in verbo fruitur, nihilque in eam coinquinatum ſubintrat. Imò tunc dicitur aſcendiſſe ſicut virgula fumi euaporata ex aromatibus myrrhæ, & thuris, de quo Bernard. ſerm. de B. Maria: *Credendum eſt frequenter eam ad montem myrrhæ, & ad colles thuris ſublimaſſe in cellam vinariam, ſuû prone nouit, & voluit gloriam Deificam & ſupercœleſtem reuelaſſe notitiam.*

Zerda, Maria effigies.

Ex quo explicatu non in ſubtilis probatio ſubſilit, quòd Beata Virgo tunc diuinam viderit eſſentiam, cuius viſio conſpectui Verbi ſolet adſcribi. Sanè cum primùm ſaſcitatur de Sponſo, in ea verba prorupit Amaſia Cant. 5. *Dilectus meus* Cant. 5. *candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Cur ſic incandens amore, candoris ebur rubicundo præpoſuit fœmina pulchra, Mater intacta, quæ non candorem dedit, ſed ruborem; non Diuinitate, ſed ſanguineæ carnis purpuriſſo depinxit? Si ſic à candore Sponſi exæſtuat illecta, candorem illum perſpicaciter aliquando ſpectauiſſe neceſſum eſt: & ſi cum rubicundo connectit, coniectare fas eſt tunc vidiſſe candorem, cùm ipſa ruborem carnis indidit flaueſcentis. Anaſtaſius Synaita. Syna it. lib. 4. in Hexemer. albedinem, & ruborem de Diuinitate accipit, & humanitate, itaut priùs candor fuerit, deinde rubor: *Patruelis meus albus, & flauus: nempe Deus, & Adam: albus propter Diuinitatem, flauus propter humanitatem; æqualem etiam videmus compoſitum Solem album; & flauum.* Theod. Theodoretus: *Priùs ponitur candor, quam rubedo; Deus enim ſemper fuit, factus autem eſt homo, non dimittens id, quod erat, ſed addens, quod non erat. Et quidem in principio Verbum erat apud Deum, ipſe candidus, ſicut Pater, totus candidus nobis deſcribitur a Daniele.* Candorem igitur deperit Dan. 7. v. 9. Maria, hacquenotà interrogat de Sponſo pediſſequas, non quòd ipſæ candidum vidiſſent, quibus Diuinitas operculo carnis tegebatur; ſed quòd ex rubicundo, quod miſcuit Mater virgineè, poterant coniectare candorem, & in Diuinitatis aſſurgere cognitionem. 38.

Quod autem candorem hunc proſpexerit, quando rubicundum concepit, apprimè probatur ex eo, quòd ex fulgore diuino concepiſſe iam alibi dedimus ex Damaſceno, qui in Cantic. Eccleſ. Damaſc. od. 3. ſic canit. 39.

Virginem, quæ ſine ſemine,
Ex fulgore diuino
Peperit Chriſtum gemmam
Omnium pulcherrimam,
Collaudemus.

Meditor, quòd fulgor ipſe, de quo Damaſcenus, candor lucis æternæ ſit: nam Symmachus vertit Symm. λαμπρὸς id eſt, *reſplendens*, ſicut niues ſplendeſcere ſolent ex verbere lucis, radiiſque refractis. Beatitudinis enim candor ideò fulget, & lumen eſt, quia Verbum Dei eſt fons luminis ex ſua origine, ſplendorque Patris. Quare idem eſt apud Paulum: *Cum ſit ſplendor Patris* & apud Sapient. Ad Hebr. 1. *Candor eſt enim lucis æternæ.* Stylus eſt Empyrei, Sap. 7. è cuius penu ornamenta deprompta fermè deſcribuntur albida, eo flore candoris, qui ſplendor ſit, vt iam alij adnotarunt apud Luc. cap. 24. verſ. 4. Luc. 24. vbi veſtes fulgentes Angeli induunt, & tamen in albis dicuntur apud Ioannem 20. verſ. 12. & cum Ioan. 20. Marc. 16. *ſtola candida* apud Marc. 16. verſ. 5. Ergo ex fulgore diuino concipit Virgo, vt ſimul concipiat, & videat Deum, & in eius lumine conſpiciat lumen; & patriæ experiatur delicias, cœleſtibuſque gaudiis, & æternâ dulcedine ſaturetur. Adeſt pro hoc cogitatu Hugo Victor. in Hug. Vict. explanat. in Cant. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Statim ergo adueniente Spiritu ſancto in Virginem, & omnium gratia virtutum ſacroſanctum habitaculum in aduentu Filij Dei replente; dubium non eſt, quin cœleſtium gaudiorum, & æternæ dulcedinis miram, atque inenarrabilem ſuauitatem Virgo ipſa conce-*

T *perit*

perit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit, & quod non capit mundus, totum se intra Virginis viscera collocauit. Quid est *cum toto maiestatis suæ fulgore?*
Sap 7 16. Respexit puto, ad illud: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis.* Splendor quidem, & fulgor de lucidissimo candore solet efferri, qualiter nimiùm extersa arma, æraque à radiis percussa eiaculantur. Vnde Horatius 1. ser. satyr 4.

Horat. *Hunc capit argenti splendor, stupet albius ære.* Et lib. 3. carmin. ode 13. *O fons Blandusiæ splendidior vitro.* Ergo idem fuit fulgore, seu splendore diuino illibatam Mariam gignere, quam in ipso geniturae momento Diuinitatis radiis, cœlestisque beatitatis illuminari scintillis, & in candorem lucis æternæ mundissimos figere obtutus. Ideò enim lumen gloriæ mentem eleuat Beati, quia lumen lucisque æternæ candor eius affigitur menti; cum quo priùs debet aliquomodo conformari per lumen delibatum, vt posteà Dei visionem parturiat. Id euenit in Maria, cuius vtero Sol affigendus priùs illam irradiauit, inbarque transfudit, vt simul videret, & gigneret, candorque lucis æternæ, qui splendor Patris est, esset in eius vtero virgineo candor; in eius mente lux, & splendor, geminàque functione & conciperetur, & conspiceretur.
Bernard. Bernardus in serm. de verb. Apocal. *Ipse enim Sol iustitiæ de te processurus, ortum suum, quadam matutinâ irradiatione praueniens, in te lucis suæ radios copiosissimè transfudit.*

40. Mirum est, quòd illa verba Apocal. 21. vers. 2.
Apoc. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo,* Virgini nostræ adscripserint Rupertus, Bernardus, & alij, cùm Virgo non descenderit de cœlo nec sanctam illam Hierusalem incoluit, antequam cœlestem Sponsum in thalamo
Ps. 17. 10. pudico susciperet. Quid est, quòd, dum sponsalitiùs canitur hymenæus, tunc de cœlesti Hierusalem descendere perhibetur Sponsa, cùm potiùs Sponsus de cœlo descendit, & homo factus est? An quia inclinauit cœlos, & descendit, secum traxisse cœlos præcinitur? Certè Hierusalem ciuitas *visio pacis* est, adeòque Beatorum est aula, & Deum videntium regio, vt in visionis nomen transierit. Ergo cùm Maria sponsalia peregit, Incarnationi consentiens, ita in visione pacis, beatitasque participio illustrata fuit in ipso momento, vt cum Verbo de cœlo descendente, translatitio lepore, descendisse dicatur, & adeò transfusam esse; & immersam in gloriosæ pacis visionem, vt ipsamet Hierusalem nominetur. Hæc illi tunc temporis cœlestis gratia fuit, id est, portio gratiæ consummatæ, scilicet gloriæ. Sic ex-
August. penderem Augustinum lib. 20. de Ciuit. Dei c. 17. *De cœlo descendere ista ciuitas dicitur, quoniam cœlestis est gratia, qua Deus eam fecit.* Quid est, *cœlestis est gratia?* Alij aliter suis accommodant institutis hunc locum. Cœlestem gratiam intelligo, qualis in cœlis est, nempe gloriam, quæ gratia consummata dicitur. Quasi dixerit: Intellectualibus creaturis, quæ in via sunt, non cœlestis gratia præstatur; sed gratia viatorum, quæ gloriæ radix est: sanctæ autem ciuitati cœlestis gratia illicò im pensa, vtpote cui beatitudo cœlestis indebatur. Hæc facilè transcribes ad Virginem, quæ, dum fiebat ciuitas Altissimi, cœlumque Dei, in eius vtero gestari, ipsa Dei gloria cœpit nuncupari. Da-
Dam. mianus serm. 45. *De qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te, gloria Dei:* Id est: Idem fuit, quod fieres ciuitas Dei, quam quòd gloria Dei: quippe quando te incoluit ille, simul te beauit, & licèt raptim, & perfunctoriè, te glorioso lumine igniuit, vt tdens, & caro fœtæ redderentur, illa Deo viso, hæc genito.

Et quidem si in Incarnationis limine exordium Angelici nuntij fuit: *Aue gratia plena,* 41. Luc. 1.
quid post gratiæ plenitudinem potuit suppetere, nisi aliquale consummationis participium; Gratia quidem radix gloriæ est: si autem iam plenitudine turget; quis inficiabitur in gloriæ florem aperiri, erumpereque in beatitatem, vtpote cui otium non est, & post plenitudinem coronâ consummationis apparet redimiri? Virgo gratiâ plena, iamiam conceptura Deum perhibetur: igitur in ipsa cóceptione benigna ratio suadet, quòd reuelato amictu, saltem ad instans, cœlum mente attingeret, fieretque Hierusalem cœlestis, seu visio pacis cuius vterus non Beatorum: sed Beantis aula fiebat. Quare opus fuit, quòd illa plenitudo gratiæ, radix inciperet esse gloriæ, non serò procrastinandæ, sed iam prægustatæ. Adsit S. Epiphanius Episcop. Constant. orat. de laudibus Virgin. *O Beata Virgo, quæ gloriam cœlestem portasti.* Et iterum: *Aue* Epiph. Const.
gratiâ plena, quæ cœli circulum habes, & Deum incomprehensum angusto potissimum loco in te ipsa contines. Aue splendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehensum contines Deum. Quid dicam? quid proloquar? quo pacto prædicabo gloriæ radicem? Cuius loci momenta explanabimus infrà. Ne autem prædicta sint absque teste; Maria ciuitati sanctæ Hierusalem meritò comparatur, quia Deum vidit. Audi Rupertum libr. 6. in Cant. qui Cant. 6. 3.
explicans illa verba: *Pulchra es, amica mea, suauis,* Rupert.
& decora sicut Hierusalem, sic inquit: *In quo suauis, & decora sicut Hierusalem; In eo videlicet, quòd & anima tua supernam videt pacem, & ex visitatione tui discunt animæ plurimæ cœlestem ducere conuersationem. Vnde dicuntur, vel sunt Filiæ Hierusalem, quia optimam eligunt partem.* Sic etiam Honorius explicans de Virgine: *Sicut Hierusalem, id est, sicut cœlestes Angeli, qui vident faciem* Honor.
Patris, & fruuntur pace Domini.

Obseruatio plena pipere sit, quòd vbi Vulgata 42.
legit, *Suauis, & decora sicut Hierusalem,* ex He- Vulg.
bræa voce תרצה, *Thirsa*, pro qua extat *suauis?* Hebr.
omni versione Græca est *beneplacens:* nam Septua- Septuag.
ginta ὡς εὐδοκία, *vt complacentia*, Simmachus Symm.
εὐδοκητή, *beneplacens.* Aquila κατ' εὐδοκίαν, *secun-* Aquil.
dùm beneplacitum. Quid est, quòd *beneplacens* dicatur, quando cum visione pacis, & cœlesti Hierusalem componitur? Certè vxor est, sacraque dilectu visitata ad cœlestis gloriæ prægustationem, quasi recensionem, præcentionemque. Nonnè audiuisti in Thabor; in quo primitiæ gloriæ, sacraque antiloquia perstrepebant: *Hic est* Matth. 17.
Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui? Luc. 12.
Quin in beatitudinis sponsione idem verbum est: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Igitur *benè complacens* Maria dicitur sicut Hierusalem, quia illi Regni beati præludia ostensa sunt, & sub Spiritus sancti nube reuelata Diuinitas, quando gratiam maternitatis inuenit: tunc enim in Maria benè complacitum est Filio Dei. Epiphanius in An- Epiph.
chor. col. 42. in fine, *Quoniam multa millia in terra erant, & Maria sola gratiam inuenit, & in ipsa elegit sanctam carnem: & propterea est illa,*

in

S. Leo. *in qua ipsi benè complacitum est.* S. Leo serm. 2. de Natiuit. Christi: *Oportuit, vt primam Genitricis integritatem, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, Diuini Spiritus virtus infusa seruaret.*

43. Hebraicè legendum esse putant nonnulli, *Pulchra es, amica mea, vt suauitas ipsa, seu beneplacentia,* quasi pulchritudo cum signo beatitudinis connectatur, nempe cum complacentia, & cum Hierusalem. Id ad Mariam facilè duceret Gerson. Gerson. tract. 3. super Magnificat, col. 10. dum sic ait: *Intellectualem pulchritudinem praecessit, & inchoauit illa pulchritudo mentis, quam habuit in via ter beata nostra Domina; dum contemplationi dedita fuit assiduè: quantum status patiebatur exilij, dum exultauit spiritus eius in Deo salutari suo: quia respiciebat Dominus humilitatem ancillae suae. Ille enim respectus, cum Deus immutabilis sit, quid aliud erat, nisi candela talis pulchritudinis, talis exultationis in mente Mariae humilis ancillae suae?* Et statim: *erat tunc spiritus Mariae, licèt in corpore, quasi nihil de corpore, portaret. Hinc defecisse, hinc extra se fuisse, hinc in atriis domus Domini, hinc in extremis maris habitasse.* Intuere, quando mentis excessus, pulchritudo, & lumen acciderit, nempe in filij conceptione, nempe quando & exultauit spiritus, & Deus respexit humilitatem. August. Id expressit Augustinus tom. 9. tract. 24. super Magnificat: *Ad hanc contemplationis lucem Mariae mens eleuata fuerat, quae caelestis patris dulcedinem in verbis expressit, quam ineffabiliter comprehendit. Nam cùm se magnificare Dominum perhibuit, reddendam vniuersis aeterni muneris maiestatem interna visione contueri se manifestè declarauit. Cùm verò se in suo exultare salutari asserit, gestum se interna dulcedinis percepisse ostendit.*

44. Dionysius Carthus. Finiat Dionysius Carthusianus lib. 2. de dignit. Mariae. art. 18. *Quomodo ergo hanc gratiam non praestitisse credendus est, quam prae cunctis tam ineffabiliter elegit? Adhuc quid mirum, si in hac quoque vita Deus praelectae Virgini suam essentiam dedit per speciem intelligere, cuius, atque ex qua ipse naturam veram dignatus est assumere? Si ipsa dedit Deo esse, quod ipsa est, cur non ei dedisset Deus intelligere, quod ipse est?* Quae ratiocinatio pro instanti Incarnationis oppugnat; tunc neminem fecit Virgo Deum: ne autem cunctanter gratitudinis protelaretur remuneratio, opus fuit illico debitum humanitatis sui per claram exhibitionem Deitatis. Cui Carthusiani sensui applaudit Guerricus Guerr. trito loco: *Communicasti mihi, quòd homo sum; communicabo tibi, quòd Deus sum.* Non etenim potest intelligi de aequali communicatione, siquidem Maria non effecta sit Deus, sicut Deus homo. Manifestatio ergo Diuinitatis hac pignoris remuneratoriâ largitate innuitur.

45. Athan. Praefixa tamen non leuiter turbat S. Athanasius serm. de Deip. col. 7. *Obumbrauit eam virtus Altissimi corroborans eam, & diuinae vmbrae imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est, Deum forma expertem in se concipi. Non enim suspicandum est, quòd secundùm naturae suae proprietatem Virgo in se habitantem Deum videre potuerit; aut quòd ipsa animata, rationalisque, & intellectualis incarnatio conspici valuerit; sed quatenus possibile fuit, vtpote obumbrante illam virtute Altissimi, vmbras, lineamentaque quasi faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, Deum in se habitantem.* Locus hicce plusculum nobis olei erogaret, ne ab aliis Patrum sententiis procul abesse Athanasium fateremur; nisi ipsemet non inuitus innueret intelligendum esse iuxta solam ipsius generationis naturam. Quippe ex virgineae conceptionis miraculo non statim euincitur sacram Virginem Diuinitatem introspexisse: illud enim solùm suadet quaedam lineamenta, vmbrasque Deitatis ipsomet experimento didicisse Mariam, cui intraneum magisterium inspirabat, obumbransque virtus per rimulas quasdam raptim scintillas emittebat. Quod insinuauit S. Bernard. Senens. tom. 1. ser. 61. art. 1. cap. 12. *Quod à me quaeris, ignoro: Virtus Altissimi obumbrabit tibi, aeterna sapientia Doctor, qui sibi solùm hoc altissimum mysterium reseruauit, te per illuminatissimam experientiam edocebit.* Senens. Nouum miraculum necessum fuit obuenisse praeter Incarnationis Sacramentum, vt Maria diuinitùs intueretur Deitatem. Quam puto mentem Athanasij, qui potiùs plurimùm euehit Virginis excellentiam, cui lineamenta, vmbrasque ex vi ipsius Incarnationis inductas esse fatetur, vt ex vi ipsius mysterij, praerogatiua aliquomodo Diuinitatis experiretur scintillas.

ACADEMIA XIII.

Pater ex spiritali comprehensione Deitatis Deum gignit. Maria singulari carneae comprehensionis prodigio gignit eundem.

Maria vterus ex virginitate faecunda, comprehensione Dei beatur: quod intellectus creatus nec diuinitus valet sortiri.

SECTIO I.

1. DIVINVS Pater non solùm ex cognitione sui, Verbum progignit; verùm illa cognitio comprehensio est, eâ infinitudine perfectionis pollens, quod penetret quidquid in Deo est supereminenti scientiâ, cuius nobilitatem, & intentam aciem nihil latet obiecti. Ideò vnus est Pater, vnum Verbum progenitum; ne si frusta, & sectiones cognitio illa discerperetur, vnaquaeque portio non comprehensiuam sortiretur virtutem. Gregorius Nyssenus in vita S. Gregorij Thaumaturgi scribit Nyssen. Ioannem Euangelistam, Maria iubente, haec verba ipsi Thaumaturgo à sensibus emoto suggessisse: *Vnus est Deus Pater Verbi viuentis, sapientiae, substantiae, & potentiae, & figurae aeternae: perfectus perfecti Genitor, Pater Filij Vnigeniti: Vnus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, figura, & imago Deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum vniuersarum comprehensiua.* Quibus verbis omnis Theologia Diuinae generationis, auspice Mariâ, inspiratur. Ergo non sat est Mariam per cognitionem Diuinitatis, triumque Personarum illustrem intuitum in arduum intellectualis

statûs fastigium euectam fuisse, dum Verbi Dei in eius vtero peragebatur conceptio, vt diuini Genitoris affatim imitetur exemplar: siquidem comprehensionis illi deficit participium. Nec etenim, quamuis augustissimo mentis sinu, potuit interminabile Deitatis pelagus littore circumdare mentis, & vsque in infinitum permeare: cùm ipsa Deitatis lux, ex ardentissima infinitudine, impedimento sit.

2. Quid est, quòd post illa verba, nuper explorata
Cant 6. *Pulchra es, amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalem*, è vestigio subinfert: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*. Si nuncupauerat Amasiam nomine Hierusalem, quæ visio pacis est, beatitatisque sedes: cur iam, quòd oculos aliorsum auertat, nec figat in Sponsum, qui auolat, & subterfugit, deprecatur? Profectò venustè ostenditur hac aduersâ dictione Sponsi, quòd Maria videre potuit ex gratia Deum, comprehendere nequiuit. Auolare dicitur Sponsus ad videntis intuitum, ne, dum prendi videtur, comprehendi censeatur: se proripit ab oculis, quasi iam tentus, ne contentus sit: subsilire dicitur & subterfugere, vt per venustas has vicissitudines attingi sciatur, penitiùs stringi non putetur. Perpulchrè Na-
Nazianz. zianzenus orat. 1. *Quantumque percipitur, tantumdem semper se subducit, amantesque sui ex eo, quod fuit ac velut iam comprehensum, se proripit, ad*
Rupert. *superna illicit*. Iam de Maria Rupert. lib. 6. in Cant. *Et tunc, quando me præsentem habuisti præsentiâ temporali, oculos tuos, tam mentis, quam corporis, semper in me fixos habuisti: & nunc, quando secundum corpus absens tibi sum, me spiritualibus oculis iugiter contemplaris. Auerte oculos tuos: auerte, inquam, ita vt prudens sit contemplatio, sciendo quod sim incomprehensibilis ego dilectus tuus, ex eo quòd sum Deus, cuius substantiam, vel naturam quantò quis contemplatur subtilius, tantò ad comprehendendum insufficiens inuenitur*. En auolat Sponsus; en quod dicebat Gerson su-
Gerson. per Magnificat alphab. 82. *Nonnè sicut in rimula quadam exilis coruscationis, dum oculos ferit amicans flamma, mox disparens, ita fulgurabat in mente Mariæ splendor diuinæ gloriæ?* Et inde canit illud pastoritium: *Et fugit ad salices, & se*
Virgil. *cupit ante videri*. Quæ mirè adsonant Nazianzeno, & illis, quæ solent circumferri ex Ma-
Greg. gno Gregorio lib. 10. Moral. cap. 7. *Angelica enim vel humana mens, cùm ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creatura, coangustat, & super se quidem per prouectum tendit; sed tamen eius fulgorem comprehendere, nec dilatata sufficit*.

3. Ex quibus apparet, Mariam à cognitionis comprehensiuæ deficere perfectione, quæ super omnium cœlestem chorum ardua est, & sublimior. Attamen ne comprehensionis vmbra deficeret illi dum Deum gignit, noua, & insolita ex diuinæ sapientiæ consilio semita aperta fuit, per quam comprehensio de Virgine caneretur. O qualis ars! Quia mens Virginea Diuinitatem comprehendere non valebat, itum est ad vterum, carneaque comprehensio inuenta fuit, quæ totam Diuinitatem contineret, strictisque cancellis ambiret per exquisitum virginitatis ingenium: vt etiam in hoc, quod nimium imparticipabile est, Maria superni Patris attingeret contubernium, & sub nouæ comprehensionis analogia gigneret Verbum Dei, quod ex comprehensione mentis generat Deus. Hùc intentum te volo; & opibus sanctorum Patrum fruens, & altitudinis Sapientiæ Dei pronus obstupebis arcana.

Quid est, quòd post Incarnationem Verbi Dei prima, & suprema Virginis laus beatitudo est? 4.
Illicò Elizabeth *Beata, quæ credidisti*: statim Ma- Luc. 1.
ria: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Denique Mulier de turba: *Beatus ven-* Luc. 11.
ter, qui te portauit. En vtrobique pangitur beatitudo, non mentis, sed carnis: nam Elizabeth, & Maria ex generatione Verbi Dei beatitudinem prædicant; fœmina autem, quæ sustulit vocem ipsummet ventrem cecinit beatum. Eò tendebat mysterium, quòd Maria diuinæ beatitudinis aliquomodo eminentiam detineret. Diuinus Pater non aliter beatus est, nisi quà comprehensor sui, eius etenim cognitio comprehensio est. Maria quidem per intuitionem Dei beata fit; comprehensionis tamen sortiri non præualet celsitudinem. Modus igitur inuentus est, per quem in nobili aliqua consideratione, eo ipso quòd Beata dicatur Virgo, comprehendisse fateamur. O bellè! Beatus venter est, ideò comprehensor, vtpote cui contigit beatitudo, quatenus mote mentis Deum prendidit; & comprehensio, quippe non aliter prendidit, nisi incircumscriptum circumscribens. Epiphanius de laudib. Virgin. *O vterum cœlo am-* Epiph.
pliorem, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum portasti. Ast huic cogitatui facilè aduersabetis. Nam comprehensio, quæ de vtero prædicatur, materialis est, & corporea: beatitudo autem, & comprehensio Diuinitatis est omninò intellectualis, stat in Dei intuitione, cuius impos sensus est, nedum venter: vnde vteri corporeæ comprehensioni intellectualis illa, quæ spiritui solùm conuenit, nequit respondere. Verum est vteri comprehensionem, quia corporea est, non sapere spiritualem intuitionem Dei: attamen adeò peculiari illapsu immersa est tota Deitas in vtero Virgineo, vt quasi tota Virgo intellectualis esset, ipse vterus intellectum sapiat, & Deum comprehendisse communi Patrum phrasi dicatur. Iam intelligo, cur ab vtero Maria *intellectualis* nuncupetur: ad cuius suffragium offero Epiphan. supra de laudib. Virg. *Ipsa est clibanus intellectualis;* Epiph.
qua ignem, & vitæ panem habebat. Et alibi: *Fidei mensa intellectualis, quæ panem vitæ mundo suppeditauit*. Et statim: *Aue sanctissima Virgo, quæ velut rubus intellectualis absque combustione Diuinitatis ignem tenes. Clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulit*. Omnia hæc ab vtero texuntur elogia: vterus enim clibanus, mensa, rubus est. Cur perpetuo stylo intellectualis asseritur? Quia totam Dei substantiam mirâ capacitate ad vmbram intellectus diuini, conclusit. O Mariæ caro! Non solùm commercium habet cum spiritu, sed spiritus dotes transgreditur Spiritus, licèt beatus nunquam cõprehensor est: immensum Deitatis mare intueri valet velut è ripis, non tranare; altius est, nec absorberi patitur abyssus sacra. Vterus Mariæ eò comprehensor, quò beatus, est. Sic accipio Gregorium Nyssenum serm. de ortu Christi: *In aliis* Nyssen.
omnibus vix anima pura sancti Spiritus aduentum acceperit; hic autem fit caro spiritus receptaculum.

Oportet hanc comprehensionis nouitatem perpendere, & explicatu depromere. Quia vteri est, 5.
corporeæque molis, quantitatiuæ rei exemplo debet exponi. Comprehenditur quantitas, quando tota sub caua superficie ambienti continetur,

sicut

sicut aqua scypho circumdatur, sicut vnguentum sub phiala. Comprehensio, quasi orbicularis quidam amplexus est, ita rem stringens vndequaque, vt vel tantilla pars sub manu comprehendentis pressa maneat. Id in intellectuali comprehensione protulit Augustinus in libr. de videndo Deum ad Paulin. *Illud comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem.* Mariæ vterus adeò circumdedit, & ambiuit Deum hominem, vt nihil extrà superfuerit, quod intus non fuisset. Nonnè audis: *Fœmina circumdabit virum*, quod nouum fore pollicetur Propheta: *Nouum faciet Dominus super terram?* Quare nouum, si quæque mulier grauidata fœtum suum circundet? In eo nouitas, quòd Marianus vterus ita circundedit, vt nihil eius extra fuerit. Id contigit ex virginitatis singularitate. Quæ concipit ex viro, non ita totum ambit, quòd comprehendere possit dici, quippe temeratus pudor, & fractus, non sic circumdari fœtum permittit, quòd illum corporis externa non sentiant: ad comprehensionem autem exigitur, quòd vndequaque circulus, & ambitus comprehendentis maneat infractus: nec ad externam superficiem aliquid sublatentis quantitatis euadat. O Mariæ integritas fœcunda! Subsignatum extitit claustrum pudoris, pellula non dirupta: conuexa superficies corporis non nouit fœtum, vtpote quæ nec virum: totus erat intus: sic vterus comprehensor fuit. Gratus esto, dum do Chrysologum ser. 142. *Beata, quæ diuinum pignus sic suo suscepit, & seruauit in pectore, vt illud tota corporis externa nescirent. Beata, quæ quod de superis, Angelo referente, susceperat, sic menti suæ soli commisit, & credidit. Intra domum Virginis negotium cæleste sic geritur, vt manentibus claustris, ipsa domus septa non sentiant. Beata ergo, & verè Beata Maria, quæ præter generandi curas tantam germinis peruenit ad gloriam.* Totus huic te deuoueas acumini, si Virgini inseruis. Ex eo beatam prædicat Chrysologus, quia manentibus claustris, ipsa domus septa non senserunt; tota corporis nescierunt externa. Sed cur nescierunt, si Mariæ fuere? Eiusdem carnis fuere septa, cuius intraneum cubile. Virginitas in causa fuit: solida mansit caro, quæ nec virum cognouit, nec iactatam. Nihil ab extrinseco sumpsit fœtus, qui totus ad intra fuit conceptus. Nequit concipi comprehensio, si aliquid foris maneat: totum inlatens est sub superficiei ambitu interioris. Hæc ergo nouitas est à Vate prædicta Guerricus serm. 3. in Annunt. *Hoc est circumdabit; non de consortio virili suscipiet, sed de sola intra semetipsam concipiet, & solius materni corporis inuolucro vestiet.* Probè *solius materni corporis inuolucro*, quia mulier ex viro grauida, etsi infantulum solius materni corporis videatur inuolucro vestire; attamen, quia extera masculi portio indita est, vt gigneretur fœtus, non vndequaque circumdat, quod fracta integritas persuadet.

6. En ergo Diuinitatis ingenium. Inuenit modum, quo comprehenderetur à creatura, & sinuosam maiestatis trabeam maternæ vuluæ cingulo comprimeret, eâ industria, vt Virginei corporis claustra nescirent, quod intus agebatur; & ita comprehensio fuisset conceptio Virginalis. Quare contigit vtrumque & quòd incircumscriptus circumscriberetur, & quod illibato pudore Virgo generaret. Antiquior Chrysologo Hieronymus sic expendit illud Prophetæ: *Faciet Dominus nouum super terram*, &c. in serm. de Assump. Virg.

Verè nouum, & omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, quando Deus, quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, vt viuere possit, sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustra nescirent; sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset; & sic inde exiuit, vt esset, sicut Ezechiel fatetur, porta omninò clausa. Obserua illud: *Vt corporis claustra nescirent.* Ex quibus videtur accepisse Chrysologus illa: *Tota corporis externa nescirent:* & illa, *Vt manentibus claustris, ipsa domus septa non sentiant.* Apprimè cumprehensionis natura ex virginitate Genitricis à Hieronymo definitur. Hospitium ventris conclusit immensum, & exundantia Diuinitatis lacinia virginea zonâ coëgit, & repressit. Ideò forsan in vellere Gedeonis bibulo cœlestis roris, aureæque pluuiæ stillis madente, Mariana virginitas, imbre diuino fœcunda, adumbrata fuit, quia Gedeon *circuiens in vtero* interpretatur; solaque virginitas ferax Mariæ circumdare potuit immensum. S. Paterius apud Gregor. Mag. lib. 1. in lib. Iudic. cap. 1. *Gedeon interpretatur circuiens in vtero:* Iud. 6. 37. *Dominus enim noster per maiestatis potentiam omnia complectitur; & tamen per dispensationis gratiam intra vterum Virginis, humanitatem sumens, venit.* S.Paterius.

Quid habeat prodigij vteri Mariani comprehensio? Præclara ratio, cur in illo non coarctatus sit Deus?

SECTIO II.

7. CERTE diu hærebam in expendenda causa stuporis, qui Patrum, & totius Ecclesiæ abducit, & agitat mentem, dum vnâ voce contendunt efferre prodigium, scilicet, quòd incomprehensum vterus Virginis comprehenderit; quòd, quem cœli capere non poterant, suo gremio contulerit Virgo, quòd metam inuenerit, qui absque metis vllis propagat positionem; quòd tenellis vlnis stringitur, qui immensitate orbem complet. Rogo, quid huic stupori admirationem solicitat? Immensitas quidem carcerata non est; non curtata libertas, non pedicis illigata potentia: Diuinitas, dum vterum incolit, suæ dominationis spatia non deseruit: humanitas, quæ in ventris orbe prenditur, taxatâ quantitate definitur. Ergo non est, cur stupeat animus; siquidem incomprehensa Diuinitas non comprehenditur, non circumscribitur immensitas; nec nouum est, quòd infantilis humanitas sub materni vteri cingatur spatiis. Vnde S. Paterius suprà: *Quis est ergo circuiens in vtero, nisi omnipotens Deus suâ dispensatione non rediments, Diuinitate cuncta complectens, & humanitatem intra vterum sumens? In quo vtero & incarnatus est, & clausus non est: quia intra vterum fuit per infirmitatis substantiam, & extra mundum per potentiam maiestatis*, Attamen imò laxandæ sunt habenæ stupori: id enim immensa pietas cogitauit, quòd in vna persona Deitas & humanitas nectercntur, & in vnius fœminæ vtero sacra hæc coagmentatio coalescet, vt idemmet, qui immensus est, & incircumscriptus per Deitatem, per pueri tenellum corpus mensuraretur in vulua, & sic haberet vtrumque, extendi, & premi; circumscribi, & excurrere; dilatari, & stringi. S.Pat.

August. — Ier 31. — Chrysolog. — Guerr. — Hieron.

Quare vterus, in quo hoc prodigium patratum est, dum incomprehensi comprehensor fit, meritò animum à sensibus amouet, & arripit in stuporem: id enim nautiquam cœli consequuti fuerant; nec throni in quibus Deus sedere dicitur, nanciscebantur, quia adhuc extrà totus erat Deus: sed qui in vtero Virginis clausus est, non totus tunc extrà erat; quippe Deus erat homo, & homo io vtero claudebatur. Dionysius Carthus. de dignit.
Carth. Mariæ art. 22. *Nil horum sic singulariter, sic mirabiliter potest dici Dei thronus, quemadmodum venter tuus benedictus. Numquid enim illorum quidpiam Deum circumscribit, aut ideò Dei thronus est, quoniam ipsum realiter in se claudit, & non potius ratione vel illuminationis, vel operationis, vel certa gratia specialis? Alioqui si ideò Dei thronus creatura dici queat, quoniam in se essentialiter eum habet: eum ipsius illimitata natura omnibus insit, ipsorum vnumquodque Dei thronus existeret. Sed en, ô prælecta, vnicaque Dei, quem totus non capit orbis, in tua se clausit castissima viscera, mansitque in tota Diuinitas corporaliter, resedit in te Deus materno commensuratus loculo, qui neque in supercœlestibus thronis metiri valet.* Sic in Concilio
Con. Eph. Ephesino cap. 7. *Quis vidit, quis audiuit vnquam tale? Incircumscriptus Deus vterum subhabitat: quem cœli non capiunt, venter complexus est Virginis.*

8. Ideò forsan illicò discessit Angelus, postquàm Maria subiecit assensum, vixque Virgo fœderi maternitatis se subdidit, cum pernix ille remeauit. Nonnè inurbanitatis potuit insimulari, qui sic incomptè, & minùs aulicè subricuit, tergaque dedit; nec rependit grates Virgini consentienti? Ast excusat Gabrielem prodigij singularitas. Assuetus est Angelus intuitioni Diuinitatis, quam suæ menti baiulat affixam: verùm dum magis intuetur, magis agnoscit incomprehensibilem esse, nec ita posse ab aliquo spiritu teneri, quin maneat infinitum, quod non capit, quin ab infinitis haberi possit. Cernit iam in instanti Virginei consensus à fœmina Deum circumscribi, & ita illigari, vt non quidquid est (siquidem iam est homo) io alio loco sit; sed totum intra puellaris gremij retinaculum arctetur: ideò attonito stupore perculsus, ignorat verba facere; sed
Chrysol. redux ad cœlum tacitus abscedit. Chrysologus serm. 142. *Stupet Angelus totum Deum venire intra Virginalis vteri angustias, cui tota simul angusta est creatura.* Angustus dicitur vterus non Deo, non sibi; sed cum cœlestibus claustris comparatus, ingentique orbis spatio: verùm angustior, & diffusior omnibus Diuinitati est, siquidem Deum continet, quem cœlestis ambitus non ambit. Nec sibimet angustus est: imò spatiosior omnibus vteris fœmineis. Petis rationem? Quoniam eum illecebræ sarcina nunquam occupauit; nec vllam exteram portionem admisit, propriamvè amisit; cuius illibatus pudor amplam integritatem fatetur. Ob hanc spatiosam Virginei ventris amplitudinem Deum hominem absque vllis angustiis comprehendit. Fruere Hesychio
Hesych. homil. de S. Maria col. 1. in princip. *Hic dies festus omnem gloriam superas, vtpote qui contineas solemnitatem Virginis, quæ vsque adeò omnibus antecellit, vt ipsum Deum Verbum volentem susceperit, quem ipsa citra vllam loci angustiam comprehendit.* Quid est *Citra vllam loci angustiam?* Iamdixi: Virginitas amplificauit spatia, vteriq; laxauit orbem, quẽ non passa est aliena accessione occupari.

Sic breuem ob quantitatem vuluam, ob castitatem amplissimè Virgo dilatauit; postquam Angelus loquutus est, vt supra Angelicam puritatem protenderet imperium: quia quem Spirituum virginitas non capit, suo gremio comprehendit. Da- 9.
Dam. mianus serm. 11. de Annunt. col. 2. *Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, quæ postquam ei loquutus est, sensit Deum suis illapsum visceribus, maiestatemque illius Virginalis ventris breuitate conclusam. O venter diffusior cœlis, terris amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia continentem!* En quàm spatiosus sinus; & tamen breuis vulua est. Quid est, quòd tam amplè hæc aula Virginea porrigatur? An quia corrumpi nequiuit, & cœlorum adinstar, vllius sectionis non potuit vulnus sufferre, nec peregrinis impressionibus agitari; sed circulum integrum custodiuit, non vlli corruptioni obnoxium? Bellè quidem sic cogitabis: maximoperè enim immensitatis diuinæ excellentiam extollit, quòd illam cœli capere non possint; & tamen amplissimi spatij cœlum sit; & vlteriùs semper infractum, nullisque rimulis dehiscens, discedensque; sed quasi æneum ob incorruptionem est, & sic aptum ad capiendum continendumque quidquid ingreditur in illud. Maria & circulum cœli habet ob integritatem, & diffusior cœlis est; sic incircumscriptum comprehendit: & absque vlla coarctatione circumdat. Hunc sensum subodoror in Epiphanio Epiph.
suprà de laudib. Virgin. *O vterum impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum portasti! O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti!* Appositè postquàm impollutum vterum dixerat, circulum cœlorum habere subtexit, quibus circulus integer est, nullisque passionibus obuius, aut ictibus terrenis fatiscere potest, & in frusta secari; sed quia cœlis ampliorem esse perhibuit, non coarctauisse Deum subdidit.

In quo non insubtilis adhuc superest cogitatus, quare in vtero Virginis non coarctatus sit Deus. 10.
Certè quando infans in vtero est; pars viscerum Matris, portioque vuluæ solet nuncupari: vnumquodque autem non coarctatur, si coniunctum sit cum toto, cuius portio est, etsi intra strictum latibulum subsit: neque enim angustias patitur pars aquæ sub abyssi carcere contenta, quia pars abyssi est; illuc fertur, quocumque fertur. Cæterum infans, qui io vtero mulieris est ex maritalibus officiis grauidæ, aliquomodò coarctatur, & angitur: quia non totus matris est, sed etiam pars viri, iuxta quod non etiam dixit? *Parsque tui latitat corpore clausa meo.* Ideò angustus illi locus aliquomodò est matris vulua, egredique cupit ad comparem sui, scilicet ad patrem. Sacer Mariæ fœtus totus eius fuit, & ita plenè pars viscerum eius, quæ virum non cognouit: sic absque vlla coarctatione est, & absque angustia circumscribitur, vtpote qui cum Patre, quem habet, adhuc manet totus, & in ipsomet vtero vnum est cum illo. Clauditur ergo absque vlla pressura in Virginea cella homo Deus, quia qui consubstantialis est Patri, in Matre Virgine genitus inest. Græcus in Græc.
Catena S. Thomæ ad illa verba Luc. 1. *Filius* Luc. 1.
Altissimi vocabitur: Nam & ante sæcula fuerat consubstantialis Patri. Hunc ergo concipiens, huius Mater efficieris: hunc Virginalis cella concludet, cuius cœleste spatium capax non extitit. Si dum Filius Virginis Matris fit, Filius Altissimi vocatur, quia consubstantialis est Patri: ergo

secum

secum in vtero Patrem habet: vnde angustia illi vterus non erit, cùm totus sit ibi vterque Parens, à quo est; nec vlla portio extrinsecùs venit à viro, Berno. ad quem egredi concupiscat. Berno Augiens. de Purificat. Virginis huic potest cogitatui famulari.

Cum Patre formans omnia,
Formatus est ex fœmina,
Nullo virili semine,
Sed custu matus Virgine.

En intra ipsam fœminam, Patrem habet, cum quo format vniuersa; non tamen extrinsecus vir est cùm Virginea Genitrix caruerit. Pars ergo solius Matris est.

11. Ideò cùm nascitur, cum Patre diuino alloquitur: *Quia tu es, qui auulsisti me ex vtero matris* Psal. 118. Tertull. *meæ.* Sic legit Tertullianus de carne Christi cap. 20. Quid est, quòd auelli dicatur, siquidem quod auellitur, lacerat, & disrumpit id, à quo auellitur; quod patientis virginitas non patitur, quæ non passa est in generando iacturam? Egoquidem sic meditor. Quòd auellatur infans in puerperio, matrisque vuluam abscindat, in causa pater eius fuit: nam quæ ex viro concipit, in partu fatiscere opus est, vt pristina thalami voluptas, doloris vectigal pendat in nixu. Ergo sic Mariæ Filius agit cum Patre: Tu es, qui extraxisti me de ventre: nisi tua voluntas mihi indiceret ortum, vt animam ponerem pro mortalibus; non erat, cur ab vtero Matris meæ egrederer: quippe nôn per virum genitus, ad quem prodirem, in vterum subintraui. Ideò, quamuis impercussâ vuluâ natus sim; adeò cum vtero Matris quasi portio solius adglutinabar; vt auulsum me putem, & veluti Tertull. discerptum. Tertullianus supra ex hac auulsione confirmat vtero Matris adhæsisse, intendens ex eo hæreticum castigare, qui à Maria genitum esse Dominum inficiabitur. *Audi*, inquit, *Dominum Patri Deo colloquentem: Quia tu es, qui auulsisti me ex vtero matris meæ: Quid auellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, inhæsumque est ei, à quo, vt auferatur, auellitur? Si non adhæsit vtero, quomodò auulsus est?* Et statim: *Etiã cum quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur, & conuiscaratur cum eo, cui adglutinatur, vt cùm auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid, à quo auellitur, quasi sequelam quandam abruptæ vnitatis, & traducis mutui coitus.* Quæ Virgo peperit, nequiuit sauciari per partum, abruptâ vnitate, & euiscerato pignore, ita vt raperet secum aliquid matris, qui totus matris fuit, nec per traducem mutui coitus generatus: quæ verba Tertulliani sunt, qui forsan iam exinde virginitatem in puerperio abnegare orsus est. Verùm hæc non parùm admonent, quanta extiterit Filij Dei cũ Virginea vulua Matris vnitio, vbique pacata, & suauissima sedes, quam nullæ premebant angustiæ; siquidem cum Patre, & Matre contubernio fruebatur: nec ad quærendum patrem humanum illi poterat inesse cupiditas.

12. Ex quo Virgineus vterus omni spatiosior loco prædicatur; quippe qui Deum & hominem conclusit. Talia inuente demitate. Quidquid ad In- Phil. 2. carnationem spectat, sub inuenti nouitate solet Heb. 9. efferri: sic *habitu inuentus vt homo*: sic *æternâ* Luc. 1. *redemptione inuentâ*: sic *inuenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies, & paries.* Inuentum quidem, seu inuentio solet accipi pro artificiosa quadam structura, & molitione, qua aduersæ res per volubilis alicuius ingenij artem colligantur, & aliquid nouum oculis obiiciunt. O quale inuentum, quod incomprehensus comprehendatur, simulque incomprehensus maneat: quòd incapibilis capiatur à curto fœminæ sinu; & tamen adhuc nullis possit præpediri cancellis! Id nostri Dei amans hominem effecit sapientia; sibi carnem præmeditata est, sibi gremium fabricauit Virgineum, vt dum sub carne tegeretur, à Diuinitate non diminutus, simul caperetur vt homo, & omne litus sua immensitate emarginaret vt Deus! Ecce inuentum diu quæsitum. Ecce locus diu defossus, vt immensum caperet, & omnibus creaturis latior existeret. Fulbert. Carnot. serm. de Nat. Mar. Fulbert. col. 2. *Cunctam superexcellit in præminendo creaturas Euangelicam dignitatem. Et vbi vsquam inueniri poterat locus, qui infra se concluderet maiestatem coæqualem Patri, nisi vterus Mariæ ante sæcula præscitus? In hunc siquidem tota Diuinitas cum humanitate versata est; & qui in coæqualitate cunctu disponebas cælestia, & terrestria in Virginea perangusta septu venturam, & promissam præparabat carnis sua redemptionem.* Expende illud: *Et vbi vsquam inueniri poterat locus.* En inuentum, seu inuentio stupendæ nouitatis vterus Mariæ fuit, in quo tam dissita coaluerunt extrema, & ars nimium artificis Dei excelluit; quippe cùm locus hicce paruus in se esset, & angustus, supereminentior omnibus creaturis, etiam Angelica dignitate ideò dicitur, quia, vt ex compositione totius orbis constat, corpus, quod præminet, grandius, & latius est aliis, quæ subtus insunt. Quare arguitè Fulbertus præeminentiam vteri Virginei probauit super Angelos, quia nullus vnquam inueniri poterat locus, qui infra se concluderet maiestatem coæqualem Patri: ita tamen, vt adhuc coæqualis, & immensus permaneret, quod fuit huius mirabilis inuenti prodigium. Cosmas Cosmas. Hierosol. Hieros. hymn. 4. vtrumque iungit, & quòd incap- Petr. Clun. tibilis fuerit, & quod captus: *Incaptibili Deo in ventre capto, & lætitia, mundo parta, te laudemus, Deipara Virgo*, Petr. Clun. epistol. 7. ad Gregorium: *Licet incomprehensibilem comprehendit.*

Adhuc tamen pipere sunt plena illa Carno- 13. tens. *Et vbi vsquam inueniri poterat locus, qui infrà se concluderet maiestatem coæqualem Patri?* Si infrà se conclusit, spatiosior, & protensior ipsâ maiestate fuit. Inuenit modum maiestas, quòd minor, & cõstrictior fuisset vtero Mariæ, vt nequiret cõiungi Maria, & Filius Dei, qui in Maria, quã Mater, in grandiori sinu illum includat. Si forsan Luc. 1. adeò signatè explicuit Angelus Virgini: *Concipies in vtero.* Et confestim repetens adiecit: *Hic erit magnus*; vt quæ ob plenitudinis gratiæ salutationem præ humilitate se turbauerat, agnosceret quali capacitate protensum etiam carneum sinum haberet, siquidem ille, qui magnus vbique est; iamiã in eius vtero parabat includi. Benè quidem coniungitur magnitudo Filij cum vtero Matris ad probandam Virginis amplitudinem spatiosam, quam plenitudo gratiæ compleuit, & ad Filiũ Dei capessendum expansam reliquit, & vacuam: nam quoties Filius Dei componitur cum Maria Matre, debẽt latiora describi attributa quoad molis quãtitatem, vt illum comprehendat, & concludat. Concinnè Hesychius Presbyt. Hieros. homil. 2. Hesychius. de Deip. *Surge, Domine, in requiem tuam, & arcam sanctificationis tuæ, quæ est haud dubiè Virgo Deipara. Si enim tu es gemma, meritò illa est arca; & quia Sol existis, necessariò Vir-*

go vocabitur cœlum : cum sis flos immarcescibilis, profectò Virgo erit planta incorruptionis, & paradisus immortalitatis. Legitimas nectit illationes Hesychius. Gemma, Sol, Flos, Christus est: ergo Virgo Mater erit Arca, Cœlum, Paradisus. Grandior est arca gemmâ, non pretio, sed spatio: grandius cœlum Sole, non iubare, sed mole: grandior paradisus flore, non odore, sed glebâ.

14. Indidem illud pungit ex Carnotensi: *Vbi usquam inueniri poterat locus*, &c. *nisi vterus Mariæ ante sæcula præscitus.* Quæ singularitas in vtero Mariæ est, quòd ante sæcula fuerit præscitus, cùm id nulli non creaturæ commune sit? An, ne nouitet absque vestigatione repertus locus hicce vteri putaretur, iam diu præscitum fuisse præmonetur; Inuenitur enim res, quando diu quæsita acquiritur? reperitur autem, quando sese casu obiectat, iuxta illud 2. Metam. *Tu non inuenta, reperta es.* Bernard. hom. 2. sup. Missus est: *Ad Virginem nec nouiter, nec fortuitò inuentam, sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, & sibi præparatam, ab Angelis seruatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam.* Benè ista. Sed ante sæcula præscitus vterus Mariæ, vtpote locus inuentus, qui incircumscriptum Deum concluderet, innuit tam exinde locum sibi Diuinitatem præfigurauisse; ne fastidiosus inquisitor infulcet vestigando, vbinè esset Deus, antequam visibilem hunc mundum molitetur? Certe in se erat, qui sibi locus, sibi immensitas est. Verum libeat meditari Si adhuc mundo constructo, nullibi priùs tanquam in loco, ambituque circumdante Deus est, vel fuit, nisi in vtero Mariano; inibi tantum potuit esse ante mundi constitutionem, iuxta ideam, & exemplar æternum loci operandi, in quo postea inhabitaturus erat. Ergo in Maria ab æterno in mente opificis ordinata, ex antiquis antequàm terra fieret, quasi iam velut in adumbrato loco requieuerat Dominus, qui eam iuxta Bernardum in serm. de B. Maria quasi mundum specialissimum creauit: in hoc enim institutum effecta est, vt Deum caperet incapibilem. S. Methodus hom. 3. in Purific. *Tibi, inquam, quæ verè Regina es, quæ verè Dei legislatoris animata arca, quæ verè capax cœlum ad Deum, qui nusquam alioqui capi potest, recipiendum facta.* Aurea sunt illa: *Nusquam alioqui capi potest*; ne alium locum Deo indefessus vestigator inquiras, nisi Mariæ vterum: dum eam antiquitùs ordinabat; si alicubi, inibi erat, in cuius præmeditato throno linebat opificium.

Ovid.
Bernard.

Prou. 8. 23.

S. Method.

15. Ast tunc Deus corporis expers, loci ambientis nequibat indigere cancellis; nec Mater erat corporea, nec carneus Filius: solùm vterus in mente præscitus non poterat aulam ministrare Deitati. Verum est: sed quia Filius Dei Verbum erat Patris, in quo cuncta condenda parabantur; dumque ex vtero Patris gignebatur, ex vi originis sapientiam hauriebat creaturarum opificem; inibi iam vterum Matris prospectabat, quem in creaturarum ordine primùm per communicatam sapientiam à Patre intuitus est, si semel Maria, quæ eandem cum Christo positionem in decretis sortitur, inter omnes creaturas primogenita censetur. Si Verbum Dei tam præpropere vterum Matris in sapientia, per generationem accepta, præordinatum inuenit; quid quòd in illo se iam præuideret, quasi locatum, & circumscriptum per præscientiam futurorum, quæ coëxistere æternitati ratione diuini intuitus dicuntur? Quid quòd illicò, dum totus erat in Patre, totum se videret in Matre, cuius virginitas in causa fuit, quòd totum intra se contineret, nec vllam eius portionem permitteret homini patri, vtpote qui Deum Patrem habebat, & vtrobique absque perpessione genitus, absque vlla continentur angustia. His adstipulari potest Damasc. orat. 2. de Assump. Virg. *Nisi quis fortè rem rectè intelligens, eam cœlis quoque incomparabili præcellentia modo superiorem esse dicat. Etenim is, qui cœlorum architectus, & conseruator est, qui rerum omnium conditarum, tam mundanarum, quàm mundo sublimiorum, tam in aspectum cadentium, quam ab oculorum sensu remotarum artifex, cuius nullus in omnibus rebus locus est; in eâ à seipso sine semine infans effectus est, eamque latum sua omnia complectentis, ac solius Deitatis promptuarium reddidit: totus nempe citra permissionem vllam in ea collectus, ac totus intus manens, locumque, qui comprehendi nequeat, sibi ipsi habens.*

Dam.

16. En adhuc discussa miré ex Damasceno fulciuntur. Diximus, Ideò vterum Mariæ amplissimum esse locum genito Dei, quia nulla vnquam mulier tam spatiosum infantulo ventrem parauit, siquidem quæque mater exteri spermatis, vitiisque sarcinæ sordibus priùs præoccupat vuluam, quàm concipiat. Mariæ autem amplus, & profusus sinus apud Damascenum est, vtpote in quo *sine semine infans effectus est.* Diximus, absque vlla angustia vuluam Matris incolumisse, quia mulierum non fuit passa iacturas, nec cognouit virum, cuius pars fœtus est, & ad quem per natiuitatem regredi concupiscit; sed totus erat intra Virginem, qui etiam Patre Deo intra vterum Matris fruebatur. Ideò comprehensum fuisse ab vtero dicebamus. En Dmascenus: *Totus nempe citra perpessionem vllam in ea collectus, ac totus intus manens, locumque, qui comprehendi nequeat, sibi ipsi habens.* Nodum tamen implicant illa verba: *Eamque latum suo omnia complectentis, ac solius Deitatis promptuarium reddidit.* Quid est, quòd solius Deitatis promptuarium velit Virginem Damascenus; Imò non ex Maria Diuinitas, sed humanitas fuit desumpta. Quare Methodius in Hypap. *Salue humanitatis Filij fons: salue humanitatis vmbraculum.* Dicerem non illepidè: *Solius Deitatis promptuarium* alludere ad statum illum, quem in diuinis decretis diximus Virginem nostram fuisse aucupatam, vbi cum solâ agebat Deitate, cum eaque erat cuncta componens, ludensque coram ea diuinam mentem suo Virgineo hilarabat obiecto, ex quo, veluti ex promptuario, arcanæ creaturarum recreandarum rationes prodibant, siquidem omnes in Christo instaurandæ iam ex antiquo consilio parabantur. Ast, si benè periodum construas, perspicuam Damasceni mentem prospectabis. Sic construe: *Eamque latum promptuarium reddidit, Deitatis sua, quæ sola complectitur omnia*: nam quæque alia res præter Deum non vbique diffunditur, sed taxatâ præmitur metâ. Quare appinge incisum post vocem *solius*, & lege, *Sua omnia complectentis ac solius*; siue post vocem *Deitatis*, vt vox *solius* non cum promptuario nectatur, sed solùm cadat super *complectentis.*

Dam.

S. Method.

Prou. 8.

Præfata huius singularis comprehensionis acies obtundi videtur, ex eo quò non specialis posset

p ssi Virgini decantati sublimitas ab hac in vtero Dei hominis comprehensione. Nam nec Diuinitatem vulua compressit, nec in continenda, & locanda humanitate prærogatiua singulari potita fuit: Christus etenim non solum vterum incoluit Virgineum: sed & post puerperium hæc illa ingressus, per taxatam corporis quantitatem occupans locum, iuxta loci naturam ab vltima ambientis superficie includebatur. Quid est ergo, quod tam iugi Patrum stupore hæc vteri Virginei concrepet singularitas, quòd locus fuerit incircumscriptæ Deitatis, postquam carnem induit, siquidem id etiam de præsepio valet efferri, in quo recubuit infans strictâ fasciâ cinctus; quia non erat ei locus in diuersorio? Profectò totuâ fronte factos tractatores, hymnosque Ecclesiasticos perleges, insolitam aliquam Virginei vteri prærogatiuam in hac locali comprehensione inficieris quæ super cœlorum fastigia prouehitur, & supra naturæ Angelicæ excellentiam leuatur. Plurima quidem in hoc vtero singularitatum prominet seges, ex quibus signatissimè continuâ celebritate hæc Dei hominis inclusio recinitur. Non ignobiles dedimus adhuc. Potissimam causam iudico, quoniam Virgineus vterus in Deo locando & primatum, & principatum tenuit; nam & primus fuit, qui Deum conclusit, & ad incircumscriptum circumscribendum cætera creaturarum loca erudiuit: nec id solùm, quin potiùs vocabile effecit, dum fecit humanum. Quòd Deus comprehensibilis a loco sit, Mariæ debet creatura: mensuram illi præfigit Mater; nec solum hominibus conspicabilem, sed & sensus expertibus creaturis circumscriptibilem dedit. Nazian. orat. 39. *Deus homo efficitur, & qui super cœlum cœli ad gloriam suam, ascendit, hominis filium esse, & vocari sustinet, vt qui naturâ sua comprehendi non potest, comprehendatur intermediâ carne, tanquam velo quodam interiecto.* Et statim: *Non modo Deus nutiuitati, & mens carni, & id, quod circumscribi non potest, mensuræ iungitur; sed & virginitati quoque procreatio.* Obserua aduersatiuam istam: *Sed & virginitati quoque procreatio:* quasi hoc propensiori impetu mentem in excessum arripiat, quàm quòd Deus carni, incircumscriptio mensuræ iungatur. Et quidem id cum neruo dixit Nazianz. non præcedentes aduersantium inter se rerum pacatæ colligationes ab hoc virginitatis, & fœcunditatis fœdere manarunt. Quòd enim incomprehensus mensuratur, cingitur laxus, prenditur velox, solidatur spiritus, è virginitate fœcunda venit, cuius in vtero coalescens caro has qualitatum inimicas indoles pacauit.

Luc. 2. 7.

Nazianz.

Immensitas Mariani vteri, qui vsque ad Spiritum, imò ad Terminum *Dei Patris se extendit.*

Svbsectio Vnica.

18. Hic in circumscribendo Deum pudici ventris primatus, licèt aliquantulù temperet; non tamen vsquequaque animum sedat: quippe effusa nimis in huius vteri amplitudine, & capacitate præconandâ Maiorum nostrorum liberalitas in aliquid aliud spatiosæ singularitatis intendit. Et quidem quamuis vmbra Virginea immensum Deum capiat, non exinde moles vteri subcrescit, cuitaque dilatatur mensura: alia autem amplitudo illi arrogari non præualet, vt pote carni nobis contribuli. Quod est ergo, quòd cœlorum latitudinem, terrarumque diffusas plagas, pelagi vndosos sinus amplitudine sua præcellere, accordi decantetur stylo? Aut ideò, quia spiritualibus profecit spatiis; etsi vasa carnis angusta fuerint, dilatauit charitas, gratia ampliauit? Benè quidem: nam & Angelus *Inuenisti*, inquit, *gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero:* quasi gratia illa ad vterum retendisset amplificandum. Damasc. orat. 1. de dorm. Virg. *O quonam pacto eam, quæ cælos amplitudine superauit, cælum suscepit! Quonam rursus pacto tumulus eam, quæ Dei conceptaculum fuit, cepit? Certè ita est, cepit, & tenuit. Non enim corporea molis ratione cælum amplitudine superauit (quonam enim modo corpus, quod tribus cubitis constat, subtiliusque in dies fit, cæli latitudini, atque longitudini, comparari queat?) Verùm per gratiam potius magnitudinis omnis, & latitudinis modum superauit.* Verùm si gratia animi fuit, non corporis, quid prodest ad vteri super res corporeas excessum? Stat Guerricus: *Quia quod deerat corporalis spatij, mentis compensabat amplitudo:* indeque supra cœlorum laquearia, operitque superbi cœlesta prodigium, vteri extollit latitudinem: *O vterum, qui cœlum et septem circulis constans, & capacior illis exstitit. O vterum septem cœlis sublimiorem, atque latiorem. O vterum, qui es octauum cælum septem firmamentis celsiorem.* Quæ quidem, licèt multum sonent, vestigatori tamen nondum aperiunt nucleum; semper nutat mens: quare ex amplitudine mentis Mariæ protuberet extra taxatas sphæras caro, vterusque in tam longas dissipetur regiones?

Luc 1. Damasc.

Guerric.

Ne te moret, subtilis ratio est virginitatis gratia, quæ sanctum ventrem irrigauit, Matrisque corpus affecit, vt quæ caro erat, supremum conciperet Spiritum. Nequit longiùs protendi alicuius potentiæ sphæra, quàm si in alterius dissitæ potentiæ protendatur obiectum, veluti quòd visus odoretur, audiat palatum, aspiciat totus: inter quæ obiecta iam porrecta distantia est, quòd implicet visum odorari, audire palatum. Nil longius à carne, quàm spiritus: ideò nec diuinius fieri valet, quòd sensilia corporis Deum videant; ideò gratia, quæ supernaturalitatis spiritalis tradix est, nequit in carne subiectari. O Virginis carò. Inuenit gratiam Maria, vt conciperet; tosciam ida imbre diuino viscera Spiritus sanctus fouit, virtus Altissimi perpluit in carnem, Deus impleuit vterum. Vide, quantù dilatata fuerit caro hæc, quæ in tam extremam suâ amplitudine distantiam iuit. Nec iam miteris cœlorum cameratos fornices, spatiosâ dilatatione, exuperare vterum, qui vsque ad summum spiritum, carnem operculum extendit. Benè ergo ex gratia, vteri latitudo suppleri perhibetur, quasi corporalia gratia fuerit, quæ sic corpus supra spirales functiones expandit. Adnoto Idiotam c. 6. de Virg. Mariæ: *Inuenisti gratiam apud Deum, ô dulcissima Virgo, Gratiam, inquam, corporalem, quia fuisti vas innocentia purissima sine macula, & labe, & virginitatis primipila sine corruptione fœcunda, sine fastidio grauida, & sine dolore puerpera.* Adnota illud: *Inuenisti gratiam corporalem*, & præfatis adstipulaberis. Nouum gratiæ elogium est: infrà 19.

Idiota.

fi à proprio loco discutiemus. Quantumuis cœlum orbem suum explicet; quantumuis sublime propaget imperium; nunquam extra fines suos poterit transilire. Mariæ vterus, corporeus cùm fuerit, vsque ad terminum Diuini Patris expansus peruenit, suumque reddidit, & integro conceptaculo strinxit. Quid diffusius?

20. Hoc vt benè calleas, & in Maria aliquale participium immensitatis agnoscas, oportet ampliùs explicare hanc, quam adstruimus, rationem, quare vteri Virginei latitudo tot excessibus celebretur. Compendio dicam. Quia caro non solum protracta peruenit ad ea, quæ sunt spiritus, & in longissimum tetendit obiectum, quod sub sensu cadere non poterat, nec sub carnis taxatis metis includi: verùm etiam extensa fuit ad concipiendum, nedum ad suscipiendum Filium æterni Patris, qui Terminus eius est, & omnes creaturarum terminos præcellit: nam quatenus Verbum est, infinitam terminat intellectionem: quare *Terminus*, & *logos Patris* à Patribus nuncupatur, vt ex Cypriano, Nazianz. & aliis, sectione sequenti probabimus. Ergo qualis maior potest concipi latitudo, sublimitas, & profundum quam illius carnis, quæ ea, quæ spiritus sunt, supergrediens, vsque ad terminum infinitum infiniti Spiritus non solùm tetendit, & attigit; sed ita eum conclusit & ambiuit, vt tam immensi termini terminus effecta sit? Do Damascenum in carm. de Christi Natiuit.

21. Damascen.

Ῥίζας φανεῖσα τῆς ἰεσσαὶ Παρθένε,
Εὐ?ι παρέλθεις τέρμονας βροτῶν τέρμονας τ᾽ οὐσίας
Πατρὸς τεκοῦσα τὸν πρὸ αἰώνων λογὸν,
Ὧ εὐδόκησεν αὐτὸς σφραγισμῶν.
Νηδὺν διελθεῖν τῇ κενώσει τῇ ξένῃ.

O Virgo radix, cui priùs Iesse fuit,
Excedit omnes terminos mortalium,
Æuo priorem dum Patris logon paris,
Transire vt ipse, se nouo vacuans modo,
Clausum per vterum voluit expertem viri.

Acumen in singulis fermè syllabis est. En logos Patris cum Virgine componitur: en quia logos Patris, per clausum vterum transire concinitur; & quia logos Patris; Patris terminus est, vtpote Verbum, quod intellectionem terminat; dum hunc logon parit Virgo, omnes terminos mortalium excedere perhibetur. Hæc est verborum illorum energia.

Excedit omnes terminos mortalium,
Æuo priorem dum Patris logon paris.

22. Hinc in Mariæ carne dotes efuxère mentis, quæ carnem non cognouit: vix autem Spiritum sanctum audiuit, cùm vterum non recusauit, quasi ad sibi cognatum, & notum, & qui solus eius fuisset obiectum, cùm aliàs caro concupiscat aduersus spiritum, & omnium extrema sit inter vtrumque distantia. Chrysologus serm. 142. *Nec iam caro ad carnem, sed Spiritus sanctus superueniet in te: quia quod de carne natum est, caro est; & quod de spiritu, sanctum est.* Non dialectica hæc partitio videtur: sic debebat elicere: *Et quod de spiritu, spiritus est.* Vidit id Chrysologus. Sed quia nascitur de Spiritu sancto in Maria Deus homo, Verbumque caro fit; non dixit: Spiritus est, sed *sanctum*, vt consortium inter carnem, & spiritum ostenderet, & Domini carnem ad modum spiritus cum integritate Virginea fuisse conceptam. En ex gratia, & spiritu amplificatus vterus immensum comprehendere valuit: quod adeò gratiæ opus fuit, vt ex immmensa Mariæ gratia ad hanc comprehensionem valeat argumentum, & alternis vicibus ex immensi conceptaculo immensa Virginis gratia deducatur. S. Bonauentura in spec. B. Mariæ lect. 5. *Immensa certè fuit gratia, qua ipsa fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cœlo maior est continere potuit. Quis est cœlo maior? Certè ille, de quo Salomon ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt; quantò magis domus hæc, quam ædificaui? Non vtique domus per Salomonem ædificata, sed domus per illam significata Deum capere potuit. Tu ergo, immensissima Maria, capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo; quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.* S. Bonau.

Chrysolog.

Chrysol.

Mirus est Bonauentura in hoc argumentationis genere, quo contendit, immensam fuisse Mariæ gratiam, qua super Angelicas enituit acies. Probat, quia vas, conceptaculumque illius gratiæ baiulum; immensissimum, inquit, fuit, cuius protensum spatium argutè deducit ex incircumscripti Dei circumscriptione, & complexu. Certè aduersâ semitâ progreditur Seraphicus hic: mirè tamen pro Virginis excellentia exerit ingenij lacertos. Si roges, cur in cœlesti sede vnus Beatus altero perfectiùs Diuinitatem intueatur, capaciorique mentis aulâ Diuinam recipiat Essentiam, qua fœcundatus in nobiliorem exeat intuitionẽ? Dicam: quoniam maius lumen eius affigitur intellectui, cuius opitulatione robustiùs, & expeditiùs videt. Si vrgeas, cur huic potiùs, quam illi, lumen inditur excellentius? Afferam: quia altiorem, aptioremque, & ad recipiendum quasi profundiorem animam habuit, cuius cauitatem spatiosiorem, diffusiúsque receptaculum gratia, seu charitas perfodit, & intimiùs explicuit: quare ad perfectiorem beatitudinem capessendam reddidit ampliorem. Sapienter S. Thom. 1. part. q. 12. art. 6. in corp. *Intellectus plus participans de lumine gloria perfectiùs Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloria, qui plus habet de charitate: quia vbi est maior charitas, ibi est maius desiderium. Et desiderium quodammodò facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati. Vnde qui plus habebit de charitate, perfectiùs Deum videbit, & beatior erit.* Cur ergo retrogradâ ratione vtitur Bonauentura in Maria, scilicet ex capacitate immensa vasis, immensam gratiam coniectans & ex incomprehensi comprehensione protensum conceptaculum arguens; Id Virginis excellentia deposcit, cuius caro ita super spiritus vertices subleuatur, vt quando in aliis latius lumen ex latiore arguitur gratia, latiorque gratia ex anima profusiore, per actusque spiritales capaciore effecta; in Maria tandem peruenitur ad vterum, & ex eius immensitate, per maternitatis gratiam, immensum circumscribente, immensitas gratiæ probatur. Beatus in vtero mentis Diuinitatem concipit, eóque perfectiùs eius parturit intuitionem, quò animus eius per gratiam excreuit, plicatosque sinus extricauit. In Maria gratiæ quantitas, & numeri impos incrementum iuxta carnis amplitudinem mensuratur: amplitudo autem hæc non ex alia mensura dignoscitur, quàm ex Dei hominis inclusione. 23. S. Thom.

Ex quo fateberis, quantum traxerit hæc vteri Virginei comprehensio ab spiritali mentis intuitione, 24.

tione quæ in nulla creatura, quantumvis satagat, & contendat, potest ad comprehensionis peruenire fastigium. Ideò obseruata sunt in hoc vtero, quæ mentis propria sunt. Verbo concipit Maria, per aurem fœtamanet; sic concipit mens, non corpus. Si igitur venter tumet ex aure, & tamen Verbum Patris sub sinu comprehendit, scitè nuncupatur beatus, non solùm ea beatitudine, quæ cœlitibus inest, sed per vmbram, & participium illius, quæ in Patre supein est, qui ex Diuinitatis comprehensione vterum gestat Diuinitate impletum. Ideò super Angelos vterus hic it:: illi etenim, quãtumuis magis ac magis intendant, nunquam mente circumscribunt Deitatem: hic verò, licèt mole corporeâ circumdet; sapit tamen mentis munus, vtpote per aurem, & Verbo fœtus: quare non modica spiritalis comprehensionis lux in eo est. Huc

Chrysost. accerso Chrysostomum in Annunt. Mariæ apud Metaphrast. *Noua res hæc est. Quem metuunt Cherubim, quem Seraphim intueri non possunt, quem omnes Virtutes Angelicæ comprehendere nequeunt, specials quodam modo nuntiatur cum puella Virgine conuersaturus, & ingressus per auditum ei promittitur. Numquid potest Virginis vterus eum capere, qui comprehendi non potest? Verè mysterium magnum, & mirandum.* Sic ille.

ACADEMIA XIV.

Incarnatio ex Maria non stultitia, non phantasia; summa sapientia, & *Ratio* est, sicut in generatione ex Patre *Ratio*, & Sapientia.

Maria Filium Dei gignens, eum esse Rationem *à Patre manifestat.*

Sectio I.

1. 

A Conceptione Virginea, quam in superioribus expendimus, plures excellentiæ dimanãt, quæ spectabile nimis, cælestibus spiritibus venerandum Incarnationis Sacramentum exponunt.

1.Cor.1.25. Adhuc discussa lætam nobis mysteriorum segetem parant, vt incomparabilis eluceat Incarnationis sapientia; nec scandalum sit Iudæis, Gentibusvè stultitia, quòd Deus, cuius natura sublimitas, cuius potentia infinitudo, fœminei vteri latebras incoleret, & tenelli corpusculi intra maternum ergastulũ retinacula pateretur humana. Aduersus stultitiæ calumniam adeò strenuè concertatum fuit, quòd ipsamet generatio, vt illicò sapientissimum Dei præconaretur consilium, ex virtute Altissimi, quæ sapientia, cognitio, & Ratio est; & per cognitionem Matris, mentisque flagrantissima lumina; & in Filio Dei, qui ex vi originis Sapientia est, peracta fuerit. Ergo quòd prodigium hoc barrendum, ingens, index sit diuinæ Rationis, licèt super rationem creaturæ; sapientissima Virgo declarauit, ipsammet Rationem concipiens: declarauit & Filius, qui sinum non deserit Patris, sinum Matris incolens, ne degeneri partu stultescere putaretur.

Ergo si Filius Patris superni Ratio est, & Verbum; Matrem eligat, quæ dum gignat, & pariat, Rationem ipsum manifestet, & quidquid in hoc sacro auditur opere, Rationem spiret. Ast qualis creatura huic functioni continget? Virgo, quæ innocuo, albidoque vtero concipiat. Quæ fœcunditate? Equidem si Filius concipiendus Ratio est; si conceptura Mater, Virgo; fœcunditas, Ratio sit, id est, virtus Altissimi, qui in summa cognitione est; ideoque Rationem gignit, cum Rationalis ipse æternùm sit. Verba sunt Athenagoræ in legat. pro Christianis: *Deus in se ipse logon, hoc est, Verbum, aut Rationem habet, cùm Rationalis ipse æternùm sit.* Tertullianus contra Prax. c. 5. *Non Sermonalis à principio Deus, sed Rationalis etiam ante principium.* Quare Ratio, igitur Virgo concipit? Vis respondeam? Quia Ratio Deus est. Id pulchrè Arnobius in conflictu Arnobij, & Serapion. *Serapion dixit: Et qua Ratio poterit me docere, quòd Virgo concipit, Virgo peperit, Virgo post partum permansit? Arnob. dixit: Hæc Ratio est Deus omnipotens.* Scio, non nostro cogitatui adstipulari videri Arnobium, vtpote cui alia *Rationis* acceptio, dum ad omnipotentiam reuocat Sempinnem, sicut eodem stylo vtitur Augustinus epist. 3. *Si rationem postulas, non erit mirabile: si exemplum requiris, non erit singulare: tota ergo ratio facti est potentia facientis.* S. Fulgentius homil. de die 5. Paschæ: *Respice ab initio miracula Domini tui, & redde mihi de singulis rationem. Vir non accessit, & Virgo concepit. Redde rationem, quomodo sine masculo Virgo conceperit. Vbi defecerit ratio, ibi est fidei ædificatio.*

2\. (Athen. · Tertull. · Arnob. · August. · Fulgent.)

3\. Sed liceat Arnobij verbis, esto non mente, frui. Quare Virgo concepit? *Hæc Ratio est Deus.* Quia Deus Ratio est, Virgo gignit intemerato sinu. Nescit intellectus fœculentis iniuriis dehonestari, dum gignit: *Nec enim mens nostra* (verba sunt Theodoreti in epit. diuin. decret. cap. 2.) *Sermonem parturiens opus habet commixtione fœmina, aut sectionem, fluxionemvè sustinet; sed vt quæ perfecta ipsa est, perfectum Sermonem efficit.* Sic Deus Rationem gignit. Sic Maria, licèt è carne in vtero, Rationem ipsam gignens, Virgo est, ex Ratione Patris fœcundata. Quæ verborum Arnobij interpretatio mirè fulcitur ex Theodoto in homil. de Natiuit. Saluator. *Vide, quomodò factum est inopinabile Sacramentum, transcendens naturæ rationem. Quia enim est Verbum Dei, palam est; & ideò virginitatem non soluit. Quæ parit carnem puram, virginitatem amittit: sed quoniam natus est carnaliter Verbum Deus, custodit virginitatem, seipsum Rationem ostendens.* Quòd Virgo concipiat, duo nectit, virginitatem scilicet, & fœcunditatem. Theodotus virginitatem probat, quia fœtus Verbum Dei est, quod mentem corrumpere nescit, seque Rationem ostendit, dum ex vtero prodiit illibato. Curta quidem, & dimidiata probatio: superest enim percontari? Esto, non temeretur conceptu, qua virtute absque viro concepit? Eadem vtrobique ratio. Quia ratio Deus est: quia Verbum se Rationem ostendit: quia virtus Altissimi, generatrixque potentia obumbrabit. Ab ipso fœtu ferax facta est, à diuina Ratione grauida. Quare quidquid in vtero fuit,

(Theod. · Theodor.)

fuit, Ratio fuit. Ideò Virgo virgineè concipit, virgineè enititur, vt inter humanitatis amictum Ratio diuini Patris appareat: nec contra Rationem esse ostendatur, quod sapiens virginitas vtriusque approbat Parentis. Athanasius de Incarnat. Verbi Dei col. 14. *Id quoque perquàm admirabile, quòd simul & vt homo viuebat, & vt Verbum, Ratioque Patris omnia viuificabat, & vt Filius Patris aderat. Vnde neque Virgine pariente, partus affectiones sentiebat, neque, dum in corpore esset, coinquinabatur, sed potiùs corpus sanctificabat.* En ex eo, quòd se Verbum, Rationemque Patris ostendebat, Genitricem Virginem sibi delegit, quæ exteræ fœcunditatis impos imbui debegit, quam à fluente tore eloquij Dei, scilicet per virtutis Altissimi sapientem imbrem, quo cælitus madefacta pignus, quod gignebat, Rationem, & Sapientiam esse monstraret. Athan.

4. Ex quo quoddam mirum perpetratum est, nempe quòd corporeus, qui magis à sensilibus organis, potentiarumque, quæ cognitioni subseruiunt, dissidet instrumentis, quasi Rationalis effectus fuerit, quin & sanctus: quæ duo spiritus, seu mentis propria sunt, subtiliorémque animæ portionem decorant, & afficiunt. Nonnè audisti: *Concipies in vtero*, paruâque morâ: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* En vtrumque, & sanctum, & Filius Dei, qui Ratio Patris est. Si hæc inferenda erant; cur addidit: *In vtero*, cùm potius dicendum crederetur: *Concipies in mente?* ex proprietatibus enim effectus origo dignoscitur, & sapor aquæ calliculi, per quem transit, indicat naturam. Vterus fæculento situ sordet, omnium membrorum penipsema vsque adhuc. Quis sic putaret inferendum, ex vtero concipiente, sanctum nascetur, & Ratio. Si sic caro progressa est; quid relinquitur intellectui, in quo ratio sedet! quid animæ, in qua sanctitas? Desinas obstupescere: vterus hic Mariæ est, ideóque Rationale sanctuarium. Quomodò, si omninò carneus est? Subsignans virginitas sanctum reddit, Ratioque Patris implens, Rationalem. Breuiùs: In eo Verbum incoluit: sibi ergo & sanctitatem, & Rationem vindicauit. Petrus Damian. serm. 45. de Natiui. Virg. col. 1. *In hoc Rationabili Sanctuario, hoc est, in Beatissima Virginis vtero, multò mirabiliùs, multóque fœliciùs dignatus est manere pro nobis, in quo Verbum caro factum est.* Compendio rem pressit, & expressit. Et quidem cùm persona Filij ex suapte origine Ratio, & Sapientia dicitetur; & virtus, qua gignitur in Excelsis, in Ratione, & Sapientia sit: aliàs vtrumque in vtero Virgineo se prodidit? Filius quidem in veritate Altissimi virtus in vmbra; pronum est, quòd vteri tabernaculum, quamuis rationalia non peragat ministeria; mysteria tamen supremæ Rationis continens quasi ratione præditum efferatur. Damascenus orat. 1. de Natiu. Virg. *Cadat illud Spiritus tabernaculum, quod Moses in deserto ex pretiosa, atque omnis generis materia construxit, atque etiam ante istud Patris Abrahami tabernaculum, viuo, & ratione prædito Dei tabernaculo. Hoc enim non actionis dumtaxat, atque potentia diuinæ conceptaculum fuit, verum essentia, ratione ipsiusmet personæ Filij, ac Dei, Ingenuè.* Acsi diceret: Cætera tabernacula diuinæ actionis & potentiæ erant conceptacula, nempe effectuum, & illustrationum, quæ ab omnipotentia in maiestatis, & diuinæ præsentiæ Luc. 1. Dam. Damasc.

signum patrabantur. In illis quidem sapientia Dei scintillabat, sui inspirans indicia, quippe omnipotentia, si nobilissimis attideas Theologis, ex sapientia, & voluntate coalescit. Cæterum in Virginei ventris tabernaculo non dumtaxat actio, & potentia Dei, qua voce generatiua virtus nuncupari solet, per vmbram incubuit: verùm & ipsamet Deitas sub Rationis, & Sapientiæ attributo, scilicet ratione Diuinæ personæ, quæ Ratio est, vtpote Verbum, & Filius Dei. Ideò tabernaculum istud. Patris ratione præditum asserendum est. Iuuat hunc explicatum Damascenus ipse, qui orat. 1. de dormit. Mariæ sic fatur ad Virginem: *Ex te illa Diuinitatis flamma, ille Patris terminus, ac Ratio, suauissimum illud, & cæleste manna, nomen illud nominis expers, atque omne nomen superans, lumen illud sempiternum, & inaccessum corporeo modo pullulauit.* Quid illustrius? Expende hæc: *Patris terminus, ac Ratio, corporeo modo pullulauit.* Quod pullulat, assurgit à radice, iuxta illud 2. Georg. Idem.

Pullulat à radice aliis densissima sylua.

Ex intraneo arboris succo pulluli, stolonésve erumpunt, dumque gemmascunt, arboream radicis produnt virtutem. Quid est ergo, quòd Ratio ex vtero Virginis, corporeo modo pullulet, nisi quòd ipsemet vterus iam virtute Altissimi, iam rationis vmbra perfusus præexstiterat, vt Ratio Patris è carne, carneè prodiret; è corpore corporeo modo pullularet? In quo aliud mirum inlatet, quòd Verbum Dei non solùm Ratio, sed etiam terminus diuinæ mentis est, vt suprà diximus, & hîc testificatur Damascenus: *Ille Patris terminus:* & tamen quod pullulat, nondum peruenit ad terminum, sed egredi incipit ex radice, sicut ex nouello palmite vitis dicitur pullulascere apud Columell. Ex Mariæ vtero, qui recens pullulat, iam *Terminus* est, & quidem infinitæ cognitionis, scilicet diuini Genitoris. Nescit Virginea huius vteris fœcunditas alio fœtu satiari, nisi eo, qui, etiam, dum, puellus nouiter gignitur, omnis consummationis vidit finem; & Terminus Dei Patris est. Ipse Damascenus in carm. de Christi Natiuit. alibi expendendus id ipsum innuit. Vigil. Colum. Damasc.

Accinit Gregorius Nazianzenus orat. 38. n. 20. *Illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris Terminus, & Ratio; ille, inquam, ad imaginem suam se confert, & carnem ob carnem gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iungitur, vt simile per simile repurget.* Omnia, quotquot pertinet ad Verbum Dei, attributa ex Theologia colligit Nazianzenus. Omnia processionem ab intellectu demonstrant: & quidem affabrè, & appositè nimis, vt Incarnationis scopus eueniret. *Carnem*, inquit, *ob carnem gerit.* An ob carnem Virgineam, quam delibauit à Matre? Id non insubtiliter poterat cogitari. Sed mens Nazianzeni est humanam carnem ob humanam carnem gerere non dubitauisse; vt spurcissimas abluens à carne sordes iuxta mentis spiritualis terminum, & Rationem, quæ lumen, & splendor est nitidam, & spiritalem redderet: sic simile per simile repurgans. Id autem non facilè sortiretur, nisi caro, quam gereret, virginea foret ex Matre, nitens, & albicans; & ad ipsius Verbi spiritalem modum, omnibus inquinamentis defæcata. Quod nec ad vnguem contingere valebat, nisi priùs virtute simili, qua Terminus ille, & Patris ratio gignitur 6. Nazianz.

in

in excelsis, fœcundata caro Virginis Matris præiret, vt Verbum carnem ob carnem gerens, simile per simile repurgaret. Hæc ars fuit, vt rationalis homo, qui iam agro victitabat, frondesque legebat, brutescenti pabulo adscitus, vt pote qui, cùm in honore esset, non intellexit, adrationem iterum rediret, ad Patremque in quo fons Rationis sicut & Deitatis est, perduceretur. Quid magis à ratione discretum, quàm caro? Quid plus à ratione extorre, quam venter? Ideò in fœmineo ventre Ratio Patris includitur, illabitur in Virginem: ne iumentis comparatus homo desperet? sed quantumuis carneus sit, per carnem à Virgine decerptam, quam ipsa ratio, & Sapientia inhabitat, redux tendat ad Patrem, à quo irrationali piaculo deuiauit. S. Cyprian. de idol. vanit. *Hic est virtus Dei, hic Ratio, hic Sapientia eius, & gloria: hic in Virginem illabitur; carnem, Spiritu sancto cooperante, induitur. Deus cum homine miscetur; hic Deus noster, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem.* Concinnè vtrumque coniunxit, quòd Ratio sit, sapientiaque Dei; & quòd in Virginem illabitur, cuius scopus est, vt hominem perducat ad Patrem. Quàm illustris sententia! Pater rationem, Sapientiam, Virturemque sui præstat fœminæ, vt eademmet Ratio, & Sapientia reuoluto circulo, hominem, qui per fœminam à ratione deciderat, ad Patrem reuocaret.

7. Ex his lumen accipit S. Anselmi metrum, forsan, nisi ex præfatis difficile enodationi; sic in Psalt. Virg. p. 3. pro conclusione Salutationum concinit. — Anselm.

Aue gemma singularis,
Habens scripta mysteria
In aeterni Pontificis
Rationali posita.
Aue sola virginitas,
Cuius Deus fœcunditas
Nostrum superhumerale
Diuina fit ex virtute.

Quid est, quod gemma singularis in Rationali posita Virgo decantetur? Certè de Rationali sic præscribitur Exod. 28. *Pones in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* En ratio, logos, veritas, & doctrina, quæ ad Patris diuini fœcunditatem attinent, & cœlestis prolis indicant proprietatem. Ex quo meritò *Rationale* Maria dicitur, cui diuina virtus fœcunditas fuit; & quia in Deo fœcunditas Deus est, Deus ipsius Virginis fœcunditas perhibetur. Sic enucleabis illa carmina. — Exod. 28.

Aue sola virginitas,
Cuius Deus fœcunditas
Nostrum superhumerale
Diuina fit ex virtute.

8. Non inamœnam excitat quæstionem, qualis gemma ex illis, quæ in Rationali, diuite nitore, micabant, Maria sit apud Anselmū? Quatuor quidem ordines lapidum inerat Rationali; vnusquisque triplici gemma coruscabat, quas si perspicuo lumine collustres, in vltima serie Onychinum inuenies, medium inter chrysolitum, & beryllū. Huic pretioso vnioni Virginem nostram adfibulare contendo, vt pro coronide, consummationeque sit: & cùm arcanorum Dei, rationumq; finis, & cōsummatio soleat appellari, in ordine extremo nectendam censeo. Inuitat nos lapis ipse. Onyx (Author est D. Isidorus l. 16. c. 18.) habet in se permixtum candorem in similitudinem vnguis humani, & est ruber, de quo Plinius lib. 37. c. 5. Quid pulchrius pro Christi specie? *Candor est lucis aeternæ,* Sapient. 7. sed in similitudinem vnguis humani, quia *in similitudinem hominum factus,* ad Philip. 2. cui color ruber, nam tinctis è redemptionis coccineo cruore vestibus, *rubrum est indumentum eius, & vestimenta eius quasi calcantium in torculari.* Candidus & rubicundus sponsus est. Annè eadem gemma Virgini Matri? Sanè si in Rationali virginitas eius est, cuius Deus fœcunditas, ipsemet lapis, in quo huius fœcunditatis terminus tenidet, Verbum nempe, Ratioque Patris, debet illi vindicationis iure attribui, Quibus nō leuiter astipulatur S. Germanus orat. in Natiuit. Virg. *Gaude manifestorum rationale. Salue legis, atque gratiæ mediatrix, veteris, nouique testamenti sigillum, totius Prophetiæ clarissimum supplementum.* Et post pauca: *Gaude quæ ab initio nostræ figurationis finis es eorum quæ ad nos sunt Diuinorum oraculorum, ac prædictionum diuinæ gloriæ aenunciatio.* In Rationalis fine Maria Onix est, in qua lucis diuinæ candor, Ratioque *habitu inuentus vt homo.* — Isidor. — Plin. — Sap. 8. — Philip. 2. — Esai. 63. — Cant. 5. — S. Germ.

Hinc quidquid in Maria fuit, Ratio fuit, quæ Rationem ducem sequuta, sibi Diuinitatem, quæ in intellectione, & ratione est, promeruit, virginibusque sequentibus post eam Rationis vexillum leuauit vt animo, & corpore, mentis opus peragāt. Gregorius Nyssenus de virgin. c. 2. *Quod enim in Maria Virginis inuiolata corpore effectum est, perfecta Christi Diuinitate, quæ in ipsa Virgine eluxerat: hoc ipsum in omni animo contingit, qui sit castitate ornandus, rationemque ducem in virginali vita sequatur.* Benè de Maria meruit Nyssenus: eius corpus cum sanctis animis componit, carnemque virgineam in exemplar, & signum spirituum subducit: vt sicut in Mariæ vtero perfecta diuinitas extitit; sic pedissequæ post eam adolecentulæ, Rationis ducatum insectentur in animo. Cuius compositionis feruor frigeret, nisi in Mariæ carne Ratio diuina illuxisse apud Nyssenum statueretur. Ideò perfectam Diuinitatem dixit in eius corpore illuxisse, eâ emphasi, quòd in homine ab originaria deturbato iustitia non perfecta Diuinitas mansit: sola enim Diuinitatis imago licet turbatis coloribus, relicta fuit, sed quia aduersus Rationem intumuit, similitudo perijt. Quàm grande Mariæ præconium! *Perfecta Christi Diuinitate, quæ in ipsa Virgine eluxerat.* Quid est perfectum est in Virgine Deum? Quòd qui sibi semper perfectus est, in vltimo actu, qui omnem excludit potentiam extiterit in Maria. Probat S. Thomas Deum esse perfectum. 1. p. q. 4. art. 1. in corp. *Agens in quantum huiusmodi est in actu: vnde primum principium actiuum oportet esse maximè in actu, & per consequens maximè esse perfectum: secundùm hoc enim dicitur aliquid esse perfectum; secundùm quod est actu.* Ex quo esse Diuinitatem perfectam in Virgine, perspicuè euincitur significare, quod fuerit iuxta perfectissimum actum sui, qui per nostrum concipiendi modum, potentiam generatiuam Patris vltimò terminat, & in extrema perfectione constituit. Hæc summa actualitas in carne Virginis adumbrata est; in qua Filius idem generatus enituit, vt obstupescat omnis animus, & curuis obsequijs Virgineum corpus demiretur, in quo perfectio diuinæ virtutis, perfectusque de perfecto extitit, quæ vocabula diuinæ generationis sunt indicia. S. Ambrosius lib. de Filij Diuinit. cap. 7. *Tantus est* — 9. — Nyssen. — S. Thom. — Ambros.

Zerda, *Maria Effigies.* V *Filius,*

Filius, quantus videbitur esse Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta, consūmataque virtute, sicut Apostolus dicit; In quo omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter habitat.

10. Si quidquid in Maria fuit, Ratio fuit: annè Ratio Spiritus sanctus, qui superuenit in Virginem, sacraque viscera fluidis charismatibus irrorauit? Equidem Spiritus sanctus non ex intellectu procedit diuino: amor est, ideò ex personali proprietate Ratio, seu logos nuncupandus non est: attamen quia Spiritus est, & Deus, communi sapientiâ potitur, eodemque met communi pollet intellectu. Vnde ratio illi est, sicut & mens. Annè & se Rationem ostendit in Virgine? O Virgo sapiens! Quæ ex ratione, concipit supernâ, Spiritum sanctum sibi adsciscit, vt totus ipse in Ratione sit: nec timendum ei ab vteri fœminei colluuione, cùm Virgo Mater ex Ratione diuina concipiat. Hùc

Rupert. aduoco Rupertum lib. 1. de operibus Spirit. sanct. c. 14. Non horruisse Virginis vterum Filium Dei, & Spiritum sanctum, probans, sic loquitur: *Deus nullis sensibus fungitur: Deus Dei Filius non sensu, sed ratione agit; imò ipsa sempiterna Ratio est. Igitur nihil erat, propter quod creaturam suam, id est, naturam fœmineam obhorreret Dei Filius, præsertim quam illi præparasset, quamque ab omni corruptione immunem conseruaret hic sanctus Dei Spiritus, qui totus in Ratione est.* Expende hæc vltima. Præparauit Virginem Spiritus sanctus, qui totus in Ratione est. Imò, totus in voluntate, & amore, ingeniose Abbas: cur nouitet à Filio vocabulum mutuasti? Iure quidem: nam cùm vterum incolit Virgineum Spiritus sanctus, totus in Ratione est, totus in Altissimi virtute, quæ obumbrat Virginem. Vnde in Virginem Spiritus superueniens, necessum est, quòd si virtus illa Ratio est, totus Spiritus in Ratione sit.

Maria diuinæ Rationi vicinior demonstrat, Deum hominem à se genitum non esse Phantasiam *&* spectrum, *sed* Rationem, & Veritatem.

SECTIO II.

11. Eò siue vecordia, siue amētia hominū peruenit, vt Christi Dñi corpus ex Maria cōstructū phantasma dicerent, simulatorio spectro, circulatorumq; præstigiis oculos illudens, non verum, nō carneum, & solidū: Sic cæcutiebat Marcion, cuius mastix est Tertullianus: sic & Ma-

Vinc. Lirin. nichæi, de quibus Vincentius Lirinen. aduers. hær. *Manichæorum sit ista dementia, qui phantasiæ prædicatores aiunt Filium Dei Deum, personam hominis non substantiuè extitisse, sed actu putatiuo quodam, ac conuersatione simulasse.* Sic & Acuanitæ, Manis Persæ discipuli apud Epiphanium in

Epiph. S. Ignat. S. Anast. Theod. S. Prosp. Tertull. summa contra 80. hæres. Aduersus quos agunt S. Ignatius epist. ad Trallian. S. Anast. lib. 5. de rect. fidei dogmat. Theodorus Presbyter de Incarnat. Domin. S. Prosper sentent. 64. Tertullianus lib. de carne Christi cap. 5. & passim Patres. Quid est, quod in tam vesanam fatuitatem extorsit? Credentem; ipsius Incarnationis prodigium, tam inopinabile inuentum, quod diuina Sapientia cogitauit, & ex distantissimis colligauit naturis. Id hominum superbum captum, iugoque fidei non acclinem sic territauit, vt ne sublime, & præexcelsum faterentur, cuius ignorabant maiestatem, in stolidum declinantes delirium, figmentum dicerent, & phantasiam: ne Deum ex fœmineis sanguinibus concederent rubricatum, ex visceribusque emissum, verum hominis carnem gestantem, de quo multus est Athanas. lib. 3. de assumpt. homin. col. 7. Athan.

12. Crediderim quòd mysterij sublimitas ipsâmet solidâ veritate fefellit hæreticos, mentisque reddidit impotes, qui supercilia subrigentes noluerunt inseruire veritati. A sensibus ipsis exterminati perierunt, iuxta sensus, phantasiam esse iudicantes duarum naturarum in vna hypostasi nexum. Equidem cùm extrema distantia, naturæque dissimilea compingontur, monstrum, & spectrum oculis obiectatur attonitis, veluti si homano capiti ceruix iungatur equina, vel sicut Interpres Orphei Hecaten depingit tricipiti formâ. Inter. Orph. Præcipuè nam Deitas, & humanitas in infinitum distant, & dissident: igitur homo Deus phantasia videtur esse & monstrum. Sic arguit D. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. S. Thom. argum. 2. *Quæ sunt in infinitum distantia, inconuenienter iunguntur: sicut inconueniens iunctura esset, si quis pingeret imaginem, in qua humano capiti ceruix iungeretur equina: sed & Deus, & caro in infinitum distant, cùm Deus sit simplicissimus, caro autem maximè composita, & præcipuè humana: ergo inconueniens fuit, quod Deus carni vniretur humanæ.* Sic ille. Nonnè, vt scribit August. l. 3. Augus. de Trin. cap. 27. vna persona coaluit ex tribus, scilicet Verbo animâ, & carne? Apud Aristot. monstrum est φύσεως παράβασις, id est, *naturæ transgressio.* Aristot. Si forsan his imaginibus deceptus hæreticus Filium Dei non hominem verum, sed phantasiam dixit? Phantasia est spectrum ex dissimilibus compactum. Cicero 1. Academic. *In qua primùm de sensibus ipsis quædam dixi noua, quos iunctos esse censuit, è quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille phantasiam, nos visum appellemus, licet.* Cicero. Sic fermè commenta, & spectra efformantur, qualia solent accidere febricitanti, cui ex febris ardore, æstuante cerebro, insomni noctu subsiliunt, phantasmatibusque per sensuum receptacula vagè immixtis, stupidéque confusis se produnt monstra, ex distantium congressu naturarum, quæ & territant animos, & illudunt. En diuini amoris prodigium, quale oculis portentum exhibuit, quod ex eminentia, & sublimitate caligantem in luce vexauit hæreticum, qui figmentum putauit, quod ignorauit mysterium.

13. Sed accede hæretice, accede ad Virginem, & illuminare. Virgo sapiens ostendit phantasiam nō esse, sed veritatem. Qua arte? Subtili. Nunquam mens, & ratio phantasmata patrat: ea enim per internum sensum corporeis speciebus aberrant, organisque sensilibus absque metro delirant. Ratio, & mens altior est: nescit his simulatoriis exerceri præstigiis. Phantasia in ratione non est, sed in sensu: intellectus sapiens, cuius obiectum veritas est, naturaque rei, monstra non didicit concinnare. In Maria, ipsamet diuini Patris Ratio concipitur, adeóque vicina diuinæ Rationi est, vt quamuis extrema tam distantia, Deitatem scilicet, & carnem, in vtero coagmentarit; phantasia quidem non sit, sed veritas, soboles illa, veriorque, quàm Adam, quoniam ex diuinæ Rationi vicinâ materiâ, Virgine scilicet, compacta fuit. Præstat frui Ruperto libro 1. de operibus. Spirit. Rupert. Sanct. cap. 11. *Non ergo melior, aut sapientior est*

artifex Spiritus sanctus, quam Deus Pater, licèt iste nouus Adam, qui de Spiritus sancti operatione conceptus est, melior, ac dignior illo sit vetere Adam quem fecit Pater; sed melior terra, melior, & diuinæ Rationi vicinior à Spiritu sancto materia sumpta est. Irreligio esset perfunctoriè transire subtilem admodum, nostroque instituto appositum cogitatum. Ideò ex virginea Mariæ gleba meliorem Rupertus Adamum constructum esse perhibet, per Spiritum sanctum primigenio Adamo, cuius structuram Patri attribuit: non quia melior artifex, cùm idem ingenium, eadem vtrique potentiæ nobilitas; sed quia melior terra, melior, & diuinę Rationi vicinior materia electa est, scilicet Maria. Certè illustrius nihil. Ergonè excellentia cœlestis Adami supra limosum, & terrenum, non in opifice, sed in materiæ est? Deus homo nascitur ex Virgine, excellentiam hausit à Patre nec auctarium ex incarnatione valet adipisci, qui plenus est: & tamē Marianæ carnis origini nobilitas deputatur? Sed ex præfatis lux fit Ruperto. Ideò cœlestis Adam Adamo vetere nobilior editur, quia nascitur Filius Dei, adumbratâ Patris fœcunditate, quæ in Ratione, & cognitione est, nempe obumbrante virtute Altissimi, qua priùs Virgo Mater imbuta, diuinæ Rationi vicinior facta est. Ecce igitur acumen. Terra pristina humefacta in limum, lutea, glutinosa, insipida, & rationis expers, materies extitit Primigenio: ideò terrenus homo ex figuli digitis erupit. Terra noua, sacra, benedicta, fota Deo, virtute Patris impregnata, ipsimet Rationi, qua Pater sobolem gignit, vicina in ipsam sobolem concipiendam parata est. Quid quòd illustrior prodeat Adam, nec in opifice disparitas sit, sed in materia? Quomodò igitur phantasia fingeretur, personatáque humanitatis laruâ, impostura esset caro, non veritas; si ex Ratione phantasmata nesciunt coalescere, & Virgo, ex qua corpus desumptum est, diuinæ Rationi propinquior assidet? Ideò ex arcana ratione templum in vtero Virginis ædificatum non patitur, phantasma vocari: nam post Virginis assensum, constructum est, assensusque Virginis arcanam Dei insequutus est rationem. Theodoretus dial. 2. *Volvit post sanctæ Virginis assensum sibi ex ipsa templum arcana* RATIONE *ædificare, & id sibiipsi ex ipsa conceptione vnire, non coæternum ex sua substantia cælitus allatum corpus; sed id ex nostra substantiæ massa, hoc est, de Virgine Maria, sumens, & sibi vniens, non visum, aut phantasma apparens, sumptas nostræ naturæ primitias sibi vnijt.*

Theodoret.

14. Ergo ex arcana ratione concipiens Virgo, omnem phantasiæ calumniam retundit, vtpote quæ summam Patris rationem ingressa dignoscitur, quæ Verbum eius ex intimis secretis, & arcanis arripuit; nec nisi sapiente virtute grauidata concepit. Quia Virgo peperit, Circulatores illi effutiebant, vacuum esse ludibrium, inanemque phantasiam humanitatem à Filio Dei gestatam: nimirum quia natura non suffert veritatem inesse carni, quæ ex Virgine putatur suscepta. Suo mucrone confoditur hæreticus. Imò quia Maria Virgo peperit, solidissima veritas in homine gestato præostenditur. Quippe concipere nequiuit cum adsonâ ad diuinum Genitorem proportione Vnigenitum eius, nisi virtute Altissimi obumbrata in eius secretum, sapiensque penetrale, quod Ratio & cognitio est, per mentis permearet ascensum, vt viri declinatis officiis, eiusque cognitione repulsâ, totus vterus diuinâ perfunderetur sapientiâ: & qui carneus est, intellectus munus obiret, Verbum Dei in carne progignens. Honorius super Cantic. c. 1. in sigil. B. Mariæ apud Bibliot. tom. 12. *Anima Maria Christum dilexit; ideò omnia secreta Patris ei notuerunt. Vbi pascas, vbi cubes in meridie. Castissima Virgo Maria fuit meridies de Spiritu sancto splendens, & feruens, in qua Christus declinauit æstum libidinosum. Ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum, id est, notifica omnibus, quòd in me requieueris, ne hæretici dilacerent me dicentes: Si Virgo peperit, phantasma fuit.* Perbellè præmiserat secretum Patris Virgini innotuisse, & in eius virginitate cubauisse Filium Dei, vt posteà subtili acie hæreticos percelleret, qui ex virginitate parientis, stolidâ argutie, partus phantasma coniectabant. Si enim secretum Patris, dum gigneret, innotuit genitrici, in quo sapientiæ apex est; quomodò non veritas illuxisset in fœtu? Obiectum intellectus est veritas: intellectus autem virgineè concipit, & parit; dumque se intelligit, ab ipsomet impregnatur, quod gignit. En Patris secretum est, quod, dum se intelligit, gignat Vnigenitum: & quidquid ibi ad genituram attinet, veritas sit, vtpote ad intellectum pertinens. Honor.

15. Si Verbum ex Maria generatur virgineè, veritatem de terra oriri necessum est, & ex virginitatis prærogatiua maius argumentum ad veritatē ostendendam depromi. Id non operosè ex trito S. Leonis loco deduces serm. 4. de Natiuit. *Æqualis per omnia Patri dignatus est esse vnus mortalium, electa sibi Matre, quam fecerat: quæ saluâ integritate virgineâ, corporeæ esset tantùm ministra substantiæ, vt humani seminis cessante contagio, nouo homini & puritas inesset, & veritas. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo; & nullum est in vtraque substantia mendacium.* Quid est, quòd humani seminis contagium arcere opus Leoni fuerit, vt veritatem Dei hominis propugnaret, cùm potiùs, quia Virgo peperit, mendacij insimuletur humanitas? Neruosè quidem S. Pontifex decertauit. Quod puluerem cier, hæreticosque in arma præcingit, est non capere, quî fieri valeat Deum, & hominem in veritatem carnis probra, calamitatesque conceptus, & puerperij subisse, luteumque pondus librauisse in Deitatem, solidamque crassitiem in spiritum inuexisse supernum. Adest Maria: contagio non temeratur virili; vt dum gignit hominem, prodat Deum; dumque concipit virgineè Verbum, veritatem vtriusque naturæ manifestet: nam nisi Deus esset, vterus non abigeret virum; nisi esset homo, vterum non impleret carneum. S. Leo.

16. Adhuc in illis latet arcanum: *Nullum est in vtraque substantia mendacium.* Qui Christum carnem gestauisse simulatam, phantasiamque corporis adstruebant, parcebant quidem Diuinitati; nec illam præstigiis irrogabant. Cur igitur pro Diuinitate vindex est S. Leo, eamque in communem causam cum humanitate defendit, ab vtraq; substantia mendacij ablegans suspicionem? Id Virginis inspirauit honor. Eadem status iactura vtrique substantiæ est, si semel vni, imminere debet & alteri: quas nexus vnionis coëgit, nequit iniuria in calumniis malignis segregare. Si humanitati mendaciū inesset, cur impunè Diuinitas abiret? Nescit Maria gignere hominem, quin Deum, quæ Deum, quin hominem, generare nesciuit. Simulatoria, & imaginaria Diuinitas Christi erit, si hæc notâ humanitatem obturpet. Vel Deus phantasma

Tertull. putetur, vel caro veritas. Præclarè Tertullianus lib.3.aduers.Marcion.c.8. *Et ideò Christus eius ne mentiretur, ne falleret, non erat, quod videbatur, & quod erat mentiebatur, caro nec caro, homo nec homo: proinde Deus Christus nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portauerit? An credam ei de interiore substantia, qui sit de exteriore frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto?* Caro desumpta ex Virgine eamdem debet cum Deitate sortem subire: vel hæc phantasia est, vel illa non est. Colligatio vtriusque alterutram secum trahit; nec substantia carnis absque diuina hypostasi persistit, nec absque Altissimi virtute vterus Virgineus maiestate intumuit Deitatis.

17. Luc 1. Cur *concipies in vtero*, dixit Angelus? Plures sparsim in hoc opere causas accersiuimus: accipe nouam. Spondebat genitricem virtutem desuper prolapsuram, ab Spiritu sancto fœtam iri, ab Altissimi ambiendam vmbrâ. Hæc omnia Diuinitatem sonabant, non carnem; ideò prudenter adiecit *Concipies in vtero*, vt præter Deitatis veritatem, hominis veritas præstrueretur: solus enim Marianus vterus vtramque poterat sub vna periodo pangere veritatem. Non puduit coram Virgine vterum nominare, vt à figuræ calumniâ partum præmuniret Virgineum. Chrysolog. Chrysologus serm.144. *Timor non est, vbi diuinum est negotium, non humanum.* Et statim: *Ecce concipies in vtero. Propter reuerentiam dixisse suffecerat, Concipies; quod exaggerat in vtero, quid est? Vt conceptus esset veritas, non figura: vt partus esset proprietas, non imago.* Mariæ vterus omnem euanidæ figuræ suspicionem eludit, in quo præstigiatorum cœtus eliditur. Et quidem semper per imagines se videri volebat Deus, siue ageret ducem, siue lampadibus, crebrisque fulgoribus montem obduceret, siue brachiis premeret Patriarcham, siue cum Patre gentium conuiuaretur. (Num.14. Exod.19. Gen 32. Gen.18.) Cur figuras pertæsus satagit iam veritatem esse, cùm ex fœmina egreditur, omnia conducens, quæ veritati sunt: nam Angelus mittitur, qui totus intellectualis, mensque totus, cum veritate, quæ obiectum est, perpetuum habet contubernium? Ioan 1. Verbum gignitur plenum gratiâ & veritate; Spiritus sanctus supereuenit, cui, qui mentitur, vestigiis lubricus statim occumbit: Patris obumbrat virtus, & sapientia, veritas denique de terra recinitur exoriri. (Actor.5.3. Psal.14.) Id effecit Mariæ virginitas, quæ nescit imaginarium hominem parturire, omneque dedecus humanæ carnis in honorem conuertit, diuinitùs concipiens, & pariens, omniaque veritatis testimonia sibi adsciscens. Chrysol. Chrysolog. serm.148. *Quare modò putatur iniuria, quando Deus per se fecit in te, in se clementer excepit, & in homine se verè videri voluit, in quo ante imaginario voluit se videri; deditque, vt proprietas esset ipse, qui ante, vt similitudo esset, acceperat? Concepit Virgo, Virgo peperit: non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas, quidquid est humani pudoris, excusat.* Quare vel abnuendum est Mariam peperisse, vel Dei hominis veritas veris, & non deceptis oculis conspicienda. Vtrumque eadem lineâ metiendum, vt vel in vtroque mendacium, vel in vtroque veritas subsistat. Nam si semel Virginis vterus creditur enixus absque phantasmatis inuolucro, veritatis cultus subiiciendus soboli est, carnisque soliditas asserenda. Tertull. Tertullian. de carne Christi cap.1. *Sed & qui carnem Christi putatiuam introduxit, æquè potuit natiuitatis quoque phantasmata confingere, vt & conceptus, & pregnatus, & partus Virginis, & ipsius exinde infantis ordo τῷ δοκεῖν haberetur. Planè natiuitas à Gabriele annuntiatur. Quid illi cum Angelo Creatoris, & Virginis vtero?* Ac si diceret: Si semel Virginei vteri efficaciam prospectaret, non eius sensus vacuis imaginibus illuderetur. Virgo vindex veritatis est; nec vllius Filij portionis patitur iacturam; sed ex veritate conceptus, inanem euentilat spectri figuram.

Ergo suismet iaculis percutitur amens hæretici perfidia, qui ex Virgine patiente non putabat 18. veritatem corporis solidati potuisse: quare in similitudinem carnis venisse tantùm effutiebat Deum, quasi moli corporeæ thalamus opus fuisset, virique amplexus, qui Virgineum vterum macularet. Aberrasti miser, mediaque in luce sub vesanæ ignorantiæ tenebris offendisti. En vtrumque Virgo nostra dilucide demonstrat, & quòd in veritate carnis peperit Deum, & quòd in similitudinem carnis peccati. Obserua Pauli solertiam: non Ad Rom.8. dixit: In similitudinem carnis vtcumque, ne præstigiatoribus circulantibus ansam præstitisset erroris, sed carnis peccati: ex Virgine enim desumpta est forma serui, non culpa: nec potuit communibus malignitatis iniuriis labefactari, qui in ipsomet peccati limine, nempe in generatione obtruncauit peccatum. Gignit Maria Virgo. Hæc fœcunda virginitas duo vindex asserit: & quòd fœtus veritas sit, non mendacium, quia immediatè à diuina virtute, feruidoque Altissimi fulgore, in quo mentis opus, veritasque scintillat, concipiens, nullum potuit in sobolem mendacium traducere: & quia non ex æstu, toroque concepit, nequiuit culpam traiicere, sed culpæ tantùm similitudinem, scilicet carnem morti obnoxiam, sanguineis passionibus rubicandam: is enim erat generationis fructus, redemptio. Bed. in lib. quæst. q.15. Beda. *Si enim diceret Christum imaginem carnis habere, iam videretur illi hæretico consentire, qui Christum asserebat imaginarium, & phantasticum corpus habuisse. Vt illi, qui dicit: Si virgo peperit phantasma fuit. Ideò dicendū est Christum missum fuisse, non imagine, sed similitudine carnis, non carnis simpliciter, sed carnis peccatricis, quia Christus non similem carnem sed veram, & verum corpus habuit.*

Igitur quos generatio Virginea non instruit, 19. sed adhuc transeunt in figura, nec superbiam ad robustam veritatem corporis Dominici supprimunt; ipsamet generatio castiget: quippe eorum semina corrumpi necesse est, qui contribulē suæ carnis substantiam phantasma dicunt. Quâ causâ? Quia extra naturæ terminos non gradiuntur, sed putant solùm ex fœtido semine posse verum hominem gigni: ideò semen eorum exterminandum est, scilicet eiiciendum extra terminos generationis, vt in ipsamet genitura corrumpantur. Sic explico difficilem locum S.Optati lib.4. contra Parmen. S.Optat. *Sed fac, vt singulariter dictum sit, hoc de hæreticis dictum est, apud quos sunt sacramentorum falsa connubia, & quorum toris iniquitas inuenitur: vbi in exterminium fidei corrupta sunt semina, dum Valentinus Filium Dei in phantasmate, non in carne fuisse contendit, fidem suam, suorumque corrupit. Natiuitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt Filium Dei in carne natum de Virgine Maria.* Venustè quidem cogitauit Optatus. Sensus est: Qui corpus Dominicum ex Virgine genitum, phantasma esse contendunt,

contendunt, quia de volutabro, cœnosoque generationis humanæ sapore victitaut: nec credunt absque luxu, illecebrisque veram carnem construi posse, sed intra naturæ terminos diuinam includunt potentiam, ab ipsamet impuræ generationis colluuie plectendi sunt. Adsono quidem supplicio; nam cùm seminis terminus generatio sit, in illis tamen erit corruptio: ac proinde extra suum terminum prouenientes in corruptelam, siquidem è Virgine veram generationem abnegarunt. Quæ subtilis enucleatio est verborum 1 (Ps. 15.) *Fidem suam, fuerunt que corrupit. Natiuitatis eorum semen exterminatum est*, &c. Corruptio quidem illis est, quod aliis solet esse generatio: siquidem in generatione virginea corrumpuntur: quæ adeò aduersus omnem corruptelam decertat, mortisque conuudit imperium, vt non reliquerit sanctum suum videre corruptionem; adeòque in veritate strenuè Dominicum corpus obdurauit, vt qua in non opinabili carne Christum produxit, Christus in vero corpore resurrexit. Quam puto (Theod.) Theodoreti mentem lib. 1. Hist. Eccles. c. 4. *Post hac scimus futuram resurrectionem à mortuis, cuius fuit Dominus noster Iesus Christus prouincia, qui cum corpore vero, non opinabili natus ex Virgine Maria, in consummatione sæculorum peregrinus inter homines ad reprobationem peccati.*

20. Maneat ergo ideò Deum, verum hominem gestâsse, nollis circulationibus illudentem, quia ex Virgine natus est, virginitas veritatis assertrix est. Quoties verum dixeris, Virginem commemores; quæ ex virtutis Altissimi veritate non ex vito, sed ex vero concepit veritatem, id est Verbum Dei. Sic expendo (Cyrill. Hierosol.) Cyrillum Hierosol. catech. 12. de incarnato Christo: *Et nos recipiamus Verbum Incarnatum verè non ex voluntate viri, & mulieris (vt heretici dicunt) sed ex Virgine, & Spiritu sancto secundum Euangelium, Incarnatum, non in apparentia, sed in veritate. Et quòd ex Virgine verè humanitatem assumpsit secundùm Euangelium, non in phantasmate, sed verè de Virgine homo factus.* Quid est, quòd toties ingeminet *Virginis* vocem, vt humanitatis veritatem enunciet? Nescit à veritatis asserto Virgo secerni, nec enim nisi de Virgine veritas oritetur, quæ ex intellectu Patris virgineo progenita, similem vuluam, Virgineam scilicet, licet carneam, ingressa est, vt vtrobique veritatem esse ostenderetur. Diuinitas, & humanitas in vnam personam coluit. Inextricabilis cogitatui nexus hic est. Terretur oculus mentis, tanquam si in visum inciderit, & spectrum: verùm si memor fuerit factam hanc absque confusione misturam in cratere Virgineo conditam fuisse ab ipsa sapientia temperante, metui parcet, animosque sumens, Virgine doce, veritatem esse proclamabit, non apparentiam. Sapiens mistura dedecus phantasiæ non patitur. Miscuit Sapientia Diuinitatem, & humanitatem iuxta illud (Prou. 9.) Prouerb. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Quotquot autem de Sapientia diuina efferuntur, Ecclesiastico ducta facilè confluunt in Mariam. Vnde illa verba & Trinitatis, & Mariæ sunt: vtrobique sapientia. (Richard à S.Laur.) Richardus de S. Laurent. libro 1. de laud. Virg. *Bibite vinum, quod miscui vobis. Deus enim Trinitas aquam humanitatis cum vino Diuinitatis miscui, quando humanam naturam diuinæ vniuit: & Beata Virgo miscuit, quando vnionem credidit, & ei consensit. Panem illum similiter ipsa nobis confecit: ipsa est enim Sara, quæ miscuit tria sata farinæ, Gen. 18. Diuinitatem, animam, & carnem.* Ecce panis, & vinum ex dissitis naturis: nec phantasia est, vbi miscens Sapientia est. Zerds, Maria effigies.

21. Statutis adhuc acriter obsistere videtur Zachar. 9. vers. 17. (Zach. 9.) *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* En panis, en vinum, quod miscuisse Sapientiam diximus, scilicet Deum hominem in Virginis vtero. E vestigio autem Propheta cap. 10. orditur: (Ibi. cap. 10.) *Petite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis.* Pro *niues* vertunt (Septuag.) Septuaginta *φαντασίας*, leguntque; *Dominus faciet phantasias.* (Ps. 71. 6.) Certè id electorum frumento, vinoque (Ioan. 15. 1.) virgines germinante, in imbreque serotino (Ioan. 5. 35.) Christus intelligitur, descendens sicut pluuia in vellus, qui vitis est, qui panis de cœlo descendens. S. Hieronymus (Hieron.) inibi: *Nos frumentum electorum, siue iuuenum, & vinum germinans virgines, siue vinum boni odoris ad virgines, intelligimus Dominum Saluatorem.* Et statim cap. 10. *Petite à Domino, vt det vobis pluuiam serotinam, vt Christus, qui promissus est, veniat.* Igitur si Christus sub imbre serotino deposcitur, Domioumque phantasias facturum, spondetur, hactenus discussa corruunt. Absit. Imò si introspexeris Zachariæ arcanum, mysterij profunditatem veneraberis. Dissident Interpretes huius Prophetæ in allegoria, vel potiùs in significatu, qui ex ipsa litera in tempus gratiæ dimittitur. Conspirant fermè in eo, quòd in hac pluuiâ serotinâ doctrina Apostolorum intelligitur, cuius ad benignos imbres maturuere fructus, incrementumque turgentibus aristis acceperunt.

22. Ego quidem censeo luculentissimâ phrasi Deum ex Virgine oriundum à Vate prædici, eâ verborum affluentiâ, & proprietate, quæ conceptionis eius diuinitùs operatæ articulat mysterium. Dixerat: *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius*: eius, inquam, id est non terræ, de qua immediatè: *Quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius*; sed Dei: nam, vt adnotauit Ribera (Ribera), Hebraicè, & Græcè ly eius masculioi generis est. Ergo quid bonum, & pulchrum eius, qui (Ioan. 12. 24.) pulcher est ex pulchra Virgine genitus; nisi (Ioan. 5. 50.) quòd frumentum sit per Diuinitatem cadens in (Ephes. 5. 18.) terram, descendens de cœlo, & per humanitatem vinum non ex luxuria, sed ex Virgine, virgines generans. Id vt suadeat Vates, confestim accendit animos, vt ora laxent, huncque Virgineum imbrem molliorem niue, pretiosiorem auro petant à Domino. Et exemplò expendit sub stillantis pluuiæ, imbrisque placido descensu, generationis Virgineæ modum: *Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis.* Tota sententia sub velamine illius vocis *niues* inlatet: nam Hebraicè (Hebr.) est חזיזים *Chazizim*; quod variè, licèt in vnum institutum, solet verti: nam (Hieron.) Hieronymus Iob. 28. vertit *procellam.* (Chald.) Chaldæus *nubem*, (Symm.) Symmachus *strepitum vocum*, qualiter reboat nubes concussa vento. Id pulchrè *phantasias* reddiderunt Septuaginta: cuius vocabuli vim scite, calluit (Eugub.) Eugubinus in cap. 28. Iob. significaterque ait appari- (Sanch.) tiones, seu coruscationes. Ex quo puto hausisse Sancium, dum in hoc locùs inquit: *Sunt autem apparitiones illa, seu phantasia, coruscationes, aut fulgetra qua emicant è nubibus, qua forè esse non solent sine pluuia, & cum his plerumque contingit imber serotinus.* Cur autem fulgurantium nubium micantes hiatus *phantasias* dixerint Septuag. ratio est, quia

quia percellunt, & terrent prospectantium animos; ideóque solent etiam appellari spectra. Nouit id inibi Theodoretus: *Etenim ipse pluuia auctor, & aliarum rerum opifex, quæ timori esse solent hominibus, fulgura enim in pluuiam fecit. Hæc eiusmodi phantasiam appellauit, nempe exterrentia homines.* Quare censent nonnulli pro *nubes* irrepsisse *niues* in translatione Hieronymi, vt liquet ex Sancto Pagn. in Lexic. Alij autem eumdem significatum agnoscunt in nube, & niue, quòd nix propter candorem valdè videatur, & receptaculum pluuiæ sit, sicut nubes.

Theod. — Sanct. Pag.

23. Hoc vaticinio sic madente ex pluuia effusa à nube coruscante, mirificè explicuit Zacharias modum, quo Virgo sacra conceptura erat; non in phantasia quidem, id est apparentia, & phantasmate: sed in phantasia, id est fulgetra, & coruscatione, quæ omninò primo significatui opponitur. Nam virtus Altissimi obumbrans, ex qua Virgo concepit, vt pluries diximus, fulgetra fuit, seu fulgor diuinus, quasi delibatio quædam illius ardentissimi luminis, quo per intellectum in splendoribus gignitur Verbum Dei; quod ideò lumen de lumine dicitur: quare stultum ex hac fulgetra hominem efformatum, esse vacuum ludibrium, seu phantasma apparens. S. Ephr. de Marg. pret. col. 4. *Quis non credat Deum ex corpore hominem esse generatum? Margaritam non concharum coniunctio format, sed fulguris, & aquæ commistio. Sic & Christus ex Virgine conceptus est, nec in figura spirituali factus est*: Et aliquibus interiectis; *Non vt induens Diuinitatem, sed vt Margarita ex fulgetro aquæ Diuinitatem habens. Intellige coruscationis, & aquæ commistionem, & Christi parabolas admirare, & credas reuerà ex muliere natum esse Christum.* Quid illustrius pro phantasiis, coruscationibus, & fulgetris, quas cum pluuia, & imbre Septuaginta coniungunt? Quid firmius contra phantasias, & præstigia, quæ noui illi ariolatores comminiscuntur? Certè ex fulgore, & pluuiâ Virginem concepisse stylus Patrum est. Clemens Alexand. lib. 1. Pedag. c. 6. col. 11. *Dominus autem Christus fructus Virginis non beata duxit vbera fœminea, nec ea ad nutrimentum delegit; sed cùm amans, & benignus Pater Verbum impluisset, ipsum iam spiritale alimentum factum est bonis.* bene coniunxit *impluisset Verbum, fructus Virginis, alimentum bonis*: quæ admodùm Zachariæ phrasi applaudũt. Damasc. in Cantic. Eccles. *Ex fulgore diuino peperit Christum gemmam.* Quòd autem sub nube per pluuiam terram fœcundante, totum mysterium peractum fuerit, iam alij adnotarunt in illis verbis: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: Græcè ἐπισκιάσει, quòd Hebraicè est העבנן *hehbenin, nube obducere*, id est, *impluere.* Nec otiosè & extraneè assumuntur ad explicandam conceptionem Filij Dei in vtero Virginis. Non id ex fatidico stylo, & poëtica fronte, sed admodùm appositè; nam in pluuia doctrinam, & alloquium passim apud sacra innui obuium est. Deuter. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Et quia diuina persona, quæ conceptionem subiit, Verbum Dei est, ab ore Patris fluens; ideò sub roris, & imbris, & placidique stillicidij dictionibus, eius frequentatur memoria: fulgor autem, & quidquid ex aula lucis est, constat ad intellectum attinere, cuius verbum, & spiritalis fœtus lux, & lumen dictitatur. Quare cum in Maria, virginitate teste, seruatus est in conceptu modus, quo gignitur Verbum, ideò lectissimo, & nitidissimo sermone sub imbre, fulgetrâ, splendidisque coruscationibus nubis explicuit Zacharias Virgineæ generationis mysterium.

S. Ephr. — Clem. Alex. — Damascen. — Luc. 1. — Deut. 32.

Nec nimiùm sensum extorquebis, si semel concesso, quòd Incarnationem Verbi hoc loci vaticinetur Propheta in voce phantasiæ, quam Septuaginta eximiâ intulerunt eloquentiâ, præsagium subodoreris humanitatis, quam sibi iam tunc meditabatur Verbum Dei. Quippe in naturâ diuinâ ex suopte originis ingenio sapiens, & ipsa sapientia est; in humanitate autem non aliter scientiâ humanitùs adquisitâ pollere poterat, nisi per conuersionem ad phantasmata ope intellectus agentis. Mira dignatio, quod sapientiæ apex, altitudoque diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, hominibus fiat contribulis, & præter beatam, & infusam scientiam, adeò cum pueris communicare non destiterit, vt sensim, & cunctanter ex his, quæ passus est, dicere non recusauerit, phantasmatibusque vsus fuerit per scientiam adquisitã. S. Tho. 3. p. q. 9. art. 4. ad 2. *Oportuit autem, quod etiam secundùm hunc respectum anima Christi scientiâ impleretur, non quia prima plenitudo mentis humanæ sufficeret secundùm seipsam; sed oportebat eam perfici etiam secundùm conformationem ad phantasmata.* Igitur Verbum Dei indi humanitati, in phantasmatibus immergi fuit diuini intellectus terminũ: & ita hominem pientissimo amore deperire, vt ille, qui seipso sapientia est, erga aliquem scientiæ modum ad phantasmata conuerti indigeret. Meritò conclament Septuaginta: *petite à Domino pluuiam in tempore serotino*, Id est, quòd descẽdat pluuia in vellus in plenitudine tẽporis: & Dominus faciet phantasias, id est verbum suum perpluet in carnem, in qua phantasmatibus vtatur, vt addiscat obedientiam experimento flagrorum, & crucis. 24.

S. Thom.

Quod si phantasia visum, & spectrum sit extra naturæ terminos proceritate, patulàve mole, dissimiliumque naturarum concretione attonitos amouens intuentium sensus: ita donorum imbres, effusaque diuinæ largitatis pondera per Incarnationem Verbi Dei, duarumque naturarum in vna hypostasi prodigium irrupere; vt ad eorum supereminentem excellentiam exprimendam non alio possit propheticum os vti vocabulo, quam phantasiæ. Sic enodat Hieron. ibi vocem istam: *Vt Christus, qui promissus est, veniat, & tribuat vobis rores, & niues, pro quibus, nescio, quid volentes Septuaginta phantasias interpretati sunt; nisi fortè magnitudinem gratiæ, admirationemque donorum, nomine phantasiæ voluere describere.* Nescit stylus exuberantem donorum profluuiem aliâ dialecto, aptiorique idiomate proferre, quam voce phantasiæ monstrique, quod, vt ex Aristotele dicebamus, naturæ transgressionem significat, metasque, & cancellos præscriptos rebus eminenti sublimitate præcellit. In quo non leuis Virginis nostræ eminet excellentia, cuius proles Deus, & homo phantasia non est, vtpote ex prudente Virgine, Rationisque, & Sapientiæ Patris contribuli sapiens soboles: cùm tamen si naturarum distantia ingensque beneficiorum pelagus in tanto munere suspiciatur, non alio poterat nomine describi, quàm phantasiæ, prodigiique. 25.

Hieron.

Sublimitas mysterij ob stuporem, quem incutit meditantibus, ingentemque magnitudinem, qua grauescit, phantasia dicitur apud Hieronymum. Deest in mortalis literaturæ syllabo, & elencho nomen, quod exprimat tanti prodigij nouitatem, scilicet quòd diuinus radius æternaque 26.

corusca

coruscatio,& fulgetra in Virginem ingrueret placido illapsu,benignoque fomento,illumque carne vestient Virgo. Forsan ideò Tertullianus hoc ipsum versans, Gentesque alloquens, fabulæ voce, & mythologiæ, qua Gentes deliniebantur, exprimere ausus est in Apologet.cap.21. *Iste igitur Dei radius,vt retrò semper prædicabatur,delapsus in Virginem quamdam, & in vtero eius caro figurata nascitur homo Deo mistus. Recipite interim hanc fabulam,similis est vestris;dum ostendimus,quomodò Christus probetur,& qui penes vos eiusmodi fabulas æmulas ad destructionem veritatis istiusmodi præministrauerint:* Quid est,quòd sic calamum extermines,styloque in solescat sertus Tertullianus? Quomodò fabula est radius Dei in carne, si radius ille Ratio, Veritas, Sapientia, & logos est,vt ipsemet tertio quoque verbo in eodem loco describit? *Ostendens sese Verbum Dei,id est λόγον, illud primordiale progenitum virtute & ratione comitatum, & spiritu instructum, eumdem, qui verbo omnia & faceret, & fecisset.* Annè fabulam dixerit more Gentium,quas ipsi credebant veritates? An sicut phantasiæ vocabulo ob magnitudinem, & stuporem istiusmet Incarnationis, Septuaginta vsi fuerunt fabulæ dictione. Aset iste vtitur:Certè fabula apud sacra cum stupore,ænigmateque coniungitur plures, quando sic ingens, & insolita res proponitur,vt stupescat auditor. Id obseruate licet ex cap.28. Deuter. vers.37. apud Delrium in adagiis veteris testam. adag.c.34. nam vbi legitur: *Eris perditus in prouerbium, ac fabulam*, legunt Hebræi: *Desolaberis in stuporem*: sicut Hierem. 35. vers.9. *Et ponam eos in stuporem, & in sibilum.* 2. Paral.7.21. *Et domus ista erit in prouerbium, & dicent stupentes.* Benè ista. Verùm syncerus Tertulliani explicatus est, quem vidit Pamelius: alludit enim ad fabulam de Ioue, aurì specie delapso in sinum virginis Danaës,siue Danaidis, de qua nuper præmiserat: *Aut in aurum conuersum Danaidis. Iouis ista sunt, & Numina vestra.* Ergo cùm Inquit: *Recipite interim hanc fabulam: similis est vestris:* mens est: Quid renuitis radium in Virginem delapsum, si aurum creditis in lasciuam? Radius in Virgine veritas est: aureus ros in meretrice fabella; si fabulis creditis, interim hanc fabulam amplexemini, nisi fabulæ mendacium vos demulceat, veritas acescat.

Tertull. · Deut.28 · Delrius. · Hebræi. · Hierem.35. · 2.Paral.7. · Pamel. · Pamel.



ACADEMIA XV.

Maria ex amore gignit Filium Dei, quem Pater gignit ex cognitione, quæ in Deo natura est.

1. Luc.1



PEr viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos Oriens ex Alto, sacramentū pietatis efficiens generationem filij nobis dati, nobis nati, qui non arbitrio, sed naturâ per intellectū procedit Genitoris. Inde ex simili fœcunditate dispar discernitur generatio, nec vndequaque similitudinis gratia côtingit, cùm altera ex gratia sit, altera ex proprietate. Attamen vt ex sacri industria penicilli, quantùm possibile in creatura est, generationem è Matre delineauisse,generationem è Patre monstretur; visum est hanc struere Academiam, vt etiam disparitas hæc Virgineis plurimum intendat obsequiis.

2. Pater Diuinus non voluntate genuit Filium, sed intellectu;non arbitrij licentiâ,sed naturâ;nô affectu,sed indole,ne liberalis, & gratuitus censeatur influxus, cùm Pater naturâ sit,non concessione,vt Basilius dicebat lib.4.contra Eunomium. Id disputant Scholastici in 1.distinct.6,& 1.par. S.Thom.quæst.41.art.2. Hinc nec præcessit consilium,nec deliberatio,quamuis amor, & voluntas concomitans, generationem hilarauerit. Ast in Virgine non solùm libera, & ex dilectionis Dei thesauris generatio fuit;sed etiam Virginis expectauit consensum, vt amor concipere ostenderetur,& Patris supremi,& inferæ Matris. Hæc stata, firmaque sunt. Sed gratæ, placidæque disputationi paramus, quid adhuc in his, communionis inter Patrem Diuinum,& Mariam sit; quantumque constiterit generationis Diuinæ innata,absque liberâ contingentiâ propensio, ex libera in vtero Virgineo conceptione, quam que concordi adsonent sapientiâ, & Patris necessaria, & Matris voluntaria generatio.

Basilius. · S.Thom.

Maria ex amore, consensuque voluntatis concipiens, Filium superni Patris Deum esse demonstrat.

SECTIO I.

3. ARrivs, & Eunomius Filium Diuinum voluntate productum dicere non verebantur; vt creaturarum censui adscriberent: vtrumque liberè fuisse contendebant, vt sacrilego piaculo, omnium Conditori abnuerent Deitatem. O vesanæ impietas audaciæ! Quid frustra captiosis innectetis retibus, infaustisque nequitiæ nexibus illaqueatis? Cupis ex Matre VOLVNTATE genitum, vt neges Deum? Ecce Dei nostri fœliciùs decertat amor: Ea vtitur supremi altitudine consilij, vt Vnigenitus, etiam ex Matre voluntate sit; & tamen qui sic ex amore genitus, Deus sit, & appareat. Ideò ex Virgine volente nascitur, non necessitatis, sed amoris impulsu; vt non ex voluntatis pharetrâ tela in filij Diuinitatem depromas, sed potiùs in Matre ex amore concipiente, Deum fateatis. Quod Arriani ex Matre VOLVNTATE genitum Filium Dei asserebant, perbellè prodidit Nazianzenus orat. 35. num. 20. Audi: *Vel volens, inquiunt; Filium genuit, vel nolens? Ac deinde nexibus, vt quidem ipsi putant, vtrimque aduersarios colligant; neu tamen firmis, sed perquam etiam imbecillis. Si enim nolens inquiunt, vim ergo illi allatam necesse est. Et quisnam est, qui vim intulit? Quoque modo cui vis allata est, Deus esse potest? Si autem volens; ergo Filius, voluntatis est filius? Quo igitur modo ex Patre progenitus est? Ita nouam quamdam Matrem* VOLVNTATEM, *Patris loco, comminiscuntur.* Quàm stolidus cauillus hic! Quia in his, quæ naturaliter insunt, licèt libera voluntas princi-

Nazianz.

pium non sit, non tamen vis inditur voluntati; sed placida complacentia comes est, hilarisque in innato pignore delectatio. Sic Patres stultitiam irrident Arrianorum. Cyrillus lib. 1. Thesaur. cap. 8. colum. 2. August. lib. 15. de Trin. cap. 20. Nazianzenus suprà num. 26. Athanasius tract. 4. contra Arian.

Cyrillus. August. Nazianz. Athan.

4. Sed ingeniosiùs diuina Sapientia argumentum enodauit. Pater nec liber, nec inuitus, nec extraneo lacessitus imperio; sed iubenter, lætâque naturâ, necessitate perfectionis, non coactionis, Filium gignebat. Irruit aduersus sobolis Diuinitatem Hæreticus, voluntati, arbitrioque irrogans; vt auferat Patri; vt probet creaturam. Stetit amor, & placauit, versutiamque VOLVNTAS ipsa fefellit. Matrem decernit, quæ non nisi præuiâ voluntate gignat vnigenitum; vt etiamsi è Matre liberè prodeat, Deus sit: & quem in diuina natura per voluntatem gignere nequiuit Pater, gignat amore Mater: & licèt ex Matre voluntate edatur, Diuinitas imperturbata micet, vterusque Virgineus asserat Deum, dum concipit ex consensu. Diuini Filij generatio indicitur Virgini, an velit? Eius consensui ineffabile subiicitur sacramentum; vt simul ipsemet, qui Filius naturæ, sapientiæque est, Filius voluntatis innascatur, scilicet & voluntatis Patris, quia ex charitate in vulua Virginea serit; & voluntatis Matris, quia ex delectu amoreque parit. Ecce Mater VOLVNTAS, Arriane, & tamen Deus est ex Patre genitus. Vtor Bernardo homil. 3. super Missus est: *Concipies, sed sine peccato: grauida eris, sed non grauata. Qualem Filium? Illius eris Mater, cuius Deus est Pater. Filius paternæ charitatis erit corona tua castitatis.* Quid ais, mellite Pater? Filius non paternæ charitatis, sed sapientiæ est: non voluntate gignitur, sed naturâ. Si Filius charitatis est, Filius voluntatis est. Quid est enim charitas, nisi voluntas? Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 20. *Voluntas Dei, si propriè dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui sancto competit, sicut charitas. Nam quid est aliud charitas, quàm voluntas?* Ecce tibi, apud Bernardum, charitas Mater: ergo Mater voluntas est? An ideò cum Hæretico abnuit Patrem qui paternam protulit charitatem? Cæcutiebat ille apud Nazianzenum suprà: *Quo igitur modo ex Patre progenitus est? In nouam quamdam Matrem voluntatem, Patris loco comminiscuntur.* Bernardus, & Patrem & charitatem confitetur: Charitas enim hæc Paterna est; & si Patris, Pater non abnuitur. Ideò *Paternæ charitatis* filius nuncupatur: quia diligit mundum Pater, vnigenitum tribuens; diligit Mater vtero suscipiens; vt iam homo factus & Patris simul, & voluntatis sit; simul ex charitate, & sapientiâ: idem enim, qui Filius Paternæ charitatis Virgini præstatur, sapientia Paterni cordis nuncupatur. Lege vlteriùs Bernardum: *Filius Paternæ charitatis erit corona tua castitatis, sapientia Paterni cordis erit fructus vteri Virginalis.* En nectit vtrumque. Ideò Filius est, quia ex sapientia Paterni cordis innascitur, intellectuque in similitudinem naturæ exoritur. Sed postquàm Mariæ eademmet proles suggeritur, hic homo Deus Filius Paternæ charitatis, voluntatisque est; quippe amor, thalami impleuit officium. Adhuc tamen Filius à naturâ, intellectuque est. Ideò *corona* consultò dicitur, quia corona id, quod primum, seu priùs, est, vtpote rediens caput. In Patre autem Diuino priùs concipitur intellectio, in qua Dei natura à Doctissimis statuitur. Ideò meritò Filius *corona* Patris cœlestis nuncupatur à Synesio hymn. 1.

S. Bernard. S. August. Nazianz.

Synes.

Supersubstantialis verò fons
Coronatur pulchritudine prolis.

Vnde filij, sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ coronam fœcunditatis efformant. Eademmet proles, quæ corona superni Patris est per naturam, corona Marianæ castitatis e st per amorem. Psal. 127.

5. Vlteriùs adhuc, dicitur corona, vt stemma nobilitatis diuinæ præferat, & Virgineum intellectualis generationis modum ostendat, quæ absque scissurâ, hiatuque, inuiolabilis circuli gyro completur, dum Pater cognoscens se, & in se reuertens gignit Filium. Ideò profundè Bernardus, vt Filij per intellectum Patris generationem panderet, etsi per Patris dilectionem in Maria veluti expansam & protractam, coronæ selegit attributum. *Filius Paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis.* Sic forsan Bernardus cogitabat, vt & fœcunditatis diuinæ participium (quæ Virginea est, & æterna) in Maria, quæ ex voluntate Patris genuit; & Filij Diuinitatem, ex Maternæ castitatis coronâ patefaceret. Corona enim, siue circulus, & rotunditas obuium emblema æternitatis est, quin & Virginitatis fœcundæ, quia ex virginitate per fœcunditatem in virginitatem redditur: denique & emanationis intellectualis Patris cœlestis, qui à se per cognitionem progrediens, non verò egrediens, cognoscendo se, æternè, & virgineè generat Filium. Richardus de S. Laurent. lib. 10. de laud. Virgin. expendit illud 3. Reg. 10. *Et summitas Throni rotunda erat in parte posteriori.* Sic meditatur: *Quod rotundum est, ab eodem in eodem terminatur, quasi in circulo; & figura circularis significat æternitatem. Pars Throni anterior status Virginis ante partum; posterior, status post partum; aliquando autem fuit, quod Mater non fuit; sed quandoque fuit, semper Virgo fuit; & ita à Virginitate per fœcunditatem redit ad Virginitatem. Igitur in summitate, Mariæ maternitas; in rotunditate, æterna virginitas; in posterioritate, gloria æternitas figuratur.* En imago generationis æternæ per intellectum; vbi à virginitate per fœcunditatem ad virginitatem redditur, vbi æterna virginitas, qualis in intellectione spiritalis est, enitescit. Quare in corona, circuloque rotundo, intellectus æternus à se, & in se progrediens, innotescit. Pergit Richardus: *Forma rotunda signat æternitatem. Per hanc summitatem throni significatur intellectus Mariæ, qui est in anima superior, æternorumque capax, & eorum, quæ sursum fuit, nihil quærens, nisi æterna.* Igitur Paternæ charitatis Filius (ideò charitatis, quia in Virgine per dilectionem genitus) corona Patris diuini, & Matris Virginis est, Diuinitatem manifestans, & se naturâ Filium esse pronuntians.

Richard. à S. Laurent. 3. Reg. 10.

6. Ex quo lux oritur difficili loco Ioann. 3. *Quæcumque ille fecerit; hæc & Filius similiter facit; Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Incutiunt non modicam litem verba hæc his, qui certum esse fatentur, Filium non ex dilectione Patris, sed ex natura, intellectuque oriri; dilectio autem, voluntatis, non intellectus est. Si verba libres, ex præfatis enodabis. Agitur certè de Filio Dei incarnato. Quà homo quidem, Filius dilectionis est ex Virgine, Ioan. 3.

ex Patreque diligente: attamen ipsemet ex scientia Patris, naturâque esse monstratur. Voluntas, & intellectus obuiauerunt sibi, dum secunda obuenit generatio: siquidem quia Filius hic, ex charitate absque viro ex Virgine conceptus est, Patris æterni genus ostendit: quatenus Pater huic ipsi Filio dilectionis, *omnia demonstrat, quæ ipse facit.* Hæc enim demonstratio, æterna natiuitas est: non etenim priùs noscit Pater, deinde monstrat; sed potiùs noscendo, & demonstrando

Augus. gignit. Augustinus tract. 21. in Ioann. *Videre enim Patrem, hoc est illi esse Filium. Sic ergo demonstrat Pater omnia, quæ facit, Filio, vt à Patre videat omnia Filius. Videndo enim ille natus est, & ab eo est illi videre, à quo est illi esse, & natum*

Hilarius. *esse, & permanere.* Accinit Hilarius 7. de Trinit. *Demonstratio operum nihil aliud hic à nobis, præterquàm natiuitatis fidem ingerit, vt subsistentem Filium ex subsistente Deo Patre credamus.* Igitur dilectionis Filius, quia Virginis est, se Patris filium esse per intellectionem ostendit; nec valet à demonstratione, visioneque, quæ natiuitas diuina est, hæc Filij incarnari dilectio secerni. Quare in præfixo Ioannis loco non Deus seorsim ponitur, sed homo Deus; homo, ex dilectione genitus; Deus, ex demonstratione natus. Quod suboluit Epiphanio; sic loquitur hæres. 69.

Epiph. pag. 67. *At postquàm rursus venit Dominus noster, & carnem induit, & homo factus est, & inter nos conuersatus est, habuit autem ad Iudæos sermonem, qui putabant ipsum, quæ Patris sunt, dissoluere, volens reducere mentem, vt ne humanitati ipsius solùm attenderet, dixit: Nihil facit Filius, nisi viderit Patrem facientem, vt ostendat opus Filij esse opus Patris, & Patrem complacentiam habere in ipsius totius operationis dispensatione.* Sic ille.

7. Ergo infinitus Dei amor ad extra progrediens: in Virginis vtero consequutus est, quem infinitus Dei intellectus intra Diuinitatis recessum naturaliter habet, nempe Filium, qui Deus sit. O dilectum diuinæ voluntatis complementum! Ideo sedulus conatus est, vt voluntatis in Incarnationis sacramento primatus celebretur, quasi gestiat Trinitas hac sacrâ sobole voluntatem diuinam coronare, & ex amoris prodigio illam manifestare fœcundam non solùm ad producendum Spiritum sanctum in diuinis, sed & ad generationem nouam, licèt temporalem, & carneam, eiusdem Filij Dei in humanis. Miraberis, si Patres auscultes, qui vno accentu, sicut vno spiritu imbuti, iam separatim cuique ex diuinis personis, iam coniunctim toti Trinitati conclamant, voluntatem incaluisse ad diuinum Filium in Mariæ vte-

Ambros. ro conferendum. Ambrosium, & Hesychium dedi supra: ille Psal. 1. vers. 3. *Imitator erit Domini Iesu, qui est lignum vitæ, lignum sapientiæ,*

Hesych. *plantatum in vtero Virgineo voluntate Patris.* Hic hom. de laud. Virg. *Vt pote qui contineat solemnitatem Virginis, quæ vsque adeò omnibus antecellit, vt ipsum Deum Verbum volentem susceperit.* Expende illud Ambrosij *voluntate Patris*, & illud

Synait. Hesychij *Verbum voluntatem*, Anastasius Synaita de duce die cap. 13. *Nouerint hæretici eum ex sanctissima Virgine, quasi Deum sponte sua natum; simul tamen vt hominem, infantium instar, flebili voce lacrymasse.* Sensus est: Tenellus pusio recenter emissus ex vtero Matris, lacrymis innatans, crebrisque singultibus flebiles querelas ingeminans indicare videtur, & suadere, non voluntate suâ nasci; sed impellente naturâ exeri ad lucem. Christus infans lachrymosus exoritur, è puellisque fletum mutuauit; nec naturæ pepercit, vt se verum hominem declararet. Annè admonent lachrymæ se inuitum nasci? En Synaitæ cogitatus. Flet vt homo; sed sponte suâ nascitur vt Deus. Quod Filius iste Deus sit, ostenditur, quia ex voluntate genitus, ex voluntate nascitur, idem ipse, qui Deus esse ostenditur in diuinis, quia apud Patrem per intellectum generatur. Lachrymatur tamen in ortu, quis pro homine nascens, hominis suscepit affectum.

Gregorius Nyssenus orat. in Christi resurrect. 8.
Maria Dei parens, virginalibus, atque innuptis Nyssen.
partibus non solutis, Dei voluntate, & spiritus sancti gratia genuit sæculorum opificem ex Deo Deum Verbum. Obserua illud, *Dei voluntate:* cùm tamen posteà totam Trinitatem discretè exposuerit: nam *ex Deo Deum Verbum*, Filius ex Patre est; & Spiritus sancti persona luculenter exposita in illis; *Spiritus sancti gratia genuit.* Vt indiuisim affluxisse diceret trium personarum voluntatem ad Filium in Virgine gignendum, in voluntate vnitatem sedulo stylo præmisit Nyssenus.

Moses Mardenus in profes. fidei apud Biblior. 9.
tom. 14. *Descendit vna ex personis tribus, de vo-* Moses.
luntate ipsarum trium: quæ sunt vnum: eaque Mard.
erat persona Filij, mansitque in gremio sanctæ Virginis Mariæ, filiæ Dauidis, non relinquens tamen locum suum. Pondera ista, *non relinquens tamen locum suum.* Qualisnè locus in immenso? Si nullis metis cingitur Diuinitas, nullisque terminis immensitas circumscribitur; nullus locus poterit ambire Filium Dei. Certè Filij diuini locus, vterus Patris ingenuè dici valet, quippe vterus ille nitens, intellectus fæcundus est: ea est autem intellectus natura, & munus, quòd obiecta ad se trahat, & spiritali conceptaculo includat: voluntas verò potiùs trahitur à rebus, illúcque fertur, vergitque, quò pondus amoris inclinat. En igitur acumen. Verbum Dei in intellectu Patris erat, intraneis quasi penetralibus inclusum: arsit amor, extraque deduxit, vt iuxta voluntatis indolem, quæ extra se fertur, progrederetur in Virginem. Id trium personarum voluntas peregit. Ast licèt voluntatis modum Filius Diuini intellectus fuerit insectatus; non tamen locum suum dereliquit, id est, intellectualem Genitoris vuluam deseruit; sed in maiorem Virginis gloriam totus erat in Patre, cùm totus in Virginis incolatum descenderat.

Ex quo, eò diuina voluntas progressa est vt il- 10.
le Filius qui vtpote per intellectum procedens, & Psal. 39. 9.
erat, & in principio nuncupabatur Verbum, iam Mariæ ex benignissima voluntate datus, genitus, & natus, *Voluntas Patris* diceretur. Disces ex prima voce, quam ipse Filius in Virginea vulua satus, laxauit: *Scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui:* quasi diceret: Volui, vt ille Filius, qui genitus est, non factus; fieret in vtero Matris per voluntatem. Vnde eius nomenclatura in conceptionis initio *voluntas Patris* sit. Huc aduoco Guerricum serm. 1. in Guerr.
Assumpt. *O Maria, non vocaberis, ait Dominus, vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra desolata: vt quia Virgo, ideò sis infœcunda: sed vocaberis voluntas mea, id est, dilectus meus Filius in ea.* Vide quale nomen, Interprete Guer-

rico,

rico, genito ex Maria imponitur. Non aliâ quidem ratione, nisi quia Pater fons Deitatis est. Vnde qui per indiuisam Trinitatis voluntatem conceptus in Virgine fuit, signatè *voluntas Patris* appellatur. Præcipuè quia ardentior amor, iuxta nostrum conceptum, in Patre flagrasse concipitur; qui sic mundum dilexit, vt quem sibi per intellectum gignebat, totum per voluntatem Vnigenitum daret. Hinc apud Andronicum diál. contra. Iud. in Bibliot. tom. 14. sic Filius Dei in rubo loquitur ad Moysem: *Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, olim in Virginis vtero benignitate æterni mei Patris, & ter sancti Spiritus ope degam.* In his *ter sancti Spiritus* totam Trinitatem intelligo, quippe trisagium non solet de vna tantùm personâ proferri: ideò tamen specialiter benignitatem Patris apposuit, vt maior amoris appareret excursus. Quare Patris benignitas eum Spiritu sancto, qui ex sua processione amor est, solet illigari. Damasc. orat. 1. de natiu. Virg. *Summus ille Deus præfinitum à se ante sæcula consilium iuxta arcanam, atque omnem sermonis facultatem superantem Patris, cognatique Spiritus voluntatem, in opus perducere cupiens, ad nos terrenos per carnem accessit.*

Andronic.

Damascen.

11. Et orat. 2. de Assumpt. Virg. *Quo nempe pacto ipse à sua maiestate haud quaquam excedens, ad sublimitatis parentem exinanitionem, benigna Patris, ac Spiritus voluntate descenderit.* Insolita nimiùm est ista sententia Damasceni. Quid est enim illud; *ad sublimitatis parentem exinanitionem?* Quisnè parens iste? Certè exinaniuit semetipsum formam serui accipiens: attamen non ab exinanitione parente, sed à sublimi Virgine natus est. Non potuit ampliùs & Damasceni progredi subtilitas, & Filij Dei sublimitat exinaniri. Adeò, sequestratâ Diuinitatis maiestate, depressit gloriam, supereminentemque altitudinem declinauit, vt hominum manciparetur obsequiis; vt non solùm se exinaniuisse dicatur, sed & Filium esse exinanitionis; vt maior, propensiorque, vtpote ex genere, appareat exinanitio. Equidem inanescere non valet res, dum subsistit, nisi totum, quod est, alterius sit: quod duobus modis contingit, vel per seruitutem, vel per amorem. Seruus, quidquid est, Domini est, cui vitæ, necisque datur imperium. Amans, quidquid est, non sui sed amati est: rapitur voluntas, placidâque obsidione animum diligentis captiuat, impotemque sui, amoris efficit mancipium. Ergo ideò se exinaniuisse dicitur Filius Dei, apud Paulum, quia formam serui adijcitur accepisse. Ideò sublimitatis diuinæ parens exinanitio nuncupatur apud Damascenum, quia subditur, quòd benignâ Patris, ac Spiritus voluntate ad exinanitionem descenderit Filius Dei. Vbi voluntas est, irrequietusque amoris ad transformationem impulsus, intus in se euacuari, inanescereque videtur amans, & in amati transiuisse naturam. Igitur Filius Dei non solùm formâ serui susceptâ, exinaniuit semetipsum; sed quia ex voluntate Patris, ardentique sancti Spiritus æstu, in naturam transiliuit humanam; licèt sublimitatis supernæ non amisit statum, ipsius tamen sublimitatis, quod magis est, exinanitionem pro parente suscepit, vt modis omnibus totus in vsus erogaretur humanos. Iam clarus est Damasc. *Quo nempe pacto ipse à sua maiestate haud quaquam excedens, ad sublimitatis parentem exinanitionem benignâ Patris, ac Spiritus voluntate descenderit.* Vel si mauis (& in idem

Ad Philip. 2.

recidit) *sublimitatis parens exinanitio*, voluntas, & amor, ex quo Filius Dei genitus est, scitè vocatur: quippe, vt diximus, voluntas extra se fertur, & quasi à sedibus auulsa, sibi inanescit, illicque tracta declinat in amatum.

12. Parum hoc. Exinanitio *Parens* Filij Dei effecta est: quia Maria cùm concepit; & ancillam se prodidit, & amantem; vt vndequaque esset exinanitio, & illi duo modi, quibus quis exinanitur, dum alteri se dat, nempe seruitus, & voluntas, in Virgine sacrâ inuenirentur. Audisti: *Ecce ancilla Domini*, momento conceptionis sacræ. Ex quo forsan formam serui accepisse dicitur Filius, vt alibi adnotamus, trahens seruitutis vocem à Matre, quæ cum ingenua esset, se in generationis instanti perhibuit ancillam, vt seruile stigma fronti prolis inureret. Audisti: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* En voluntas, vt ex amore conciperet paternæ dilectionis Filium. Si non credis, consule Dominum. Dicunt illi: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Ast ille: *Quæ est Mater mea? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Ergonè reiecit Matrem, acidoque contemptu respuit vterum genitricis? Absit. Nusquam latiùs excellentiam sustulit Matris. Si Filius dilectionis est, quem dedit Pater, quia mundum dilexit; quem edidit Mater, quia amans consensit, & extra se excedens, per placidum amoris triumphum in ipsiusmet amoris & voluntatis non solùm imperium, sed naturam transiuit: quæ Mater illi asserenda est, quæ voluntas non sit? Retexit mysterium, qui tali methodo illa verba contexuit. Genuit voluntas Verbum vitæ in vtero Virginis. Qualisne? Et Patris, & Mariæ. Efficax vis amoris à Genitoris vbere traxit Filium; à Mariæ voluntate, & dilectione traduxit in ventrem. Sic Maria amauit, vt quem Pater ex infinitudine intellectus progignit, non in aliena, sed in ipsamet regione, scilicet in intellectu, Virgo ex eximiu voluntatis excessu, etiam in vtero generaret; vt & carne, & amore Mater esset. Præclarè Guerric. serm. 4. de Assumpt. *Itaque Mariam quæ secundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Iesus probat, quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater: Vocaberis voluntas mea. Igitur vbi eam visus est ignorasse Filius, ibi ampliùs honorasse inuenitur, dum ei scilicet materni nominis honor duplicatur, pro eo quòd eundem Filium, quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.* O quot modis gignitur Deus ille, cui generari proprietas est! Semel apud Patrem, bis apud Matrem: semel ab intellectu Genitoris, geminâ autem sorte à Maria; voluntate scilicet, & vtero. Quia Patris intellectus infinitus est, totum se exerit in infinitum Verbum; nec suppetit locus alteri soboli, vbi impleta manet vulua generantis. Nequit Deus gignere nisi Deum: semel autem Deo genito, generandi vis exhauritur. Mariæ, iam per voluntatem Matri, adhuc vterus suppetebat implendus, non altero Filio, sed eodem, vt maternitatis titulus geminaretur, & defectus infinitatis, quam habere non præualet creatura, aliquantulum per numerum suppleretur.

Luc. 1.

Ibi.

Matth. 12.

Guerric.

13. Quamobrem citra infinitatem, Marianæ voluntatis in supremum verticem excreuit excellentia supra omnem Angelicum, & humanum amorem. Id par fuisse, si impensiùs rem meditetis,

ris, addisces. Nam quòd potentia ad alienam transiliat sphæram, extraneisque se functionibus ingerat, supremæ, & abstractioris virtutis est. Quòd sensus superior, & communis se obiectis quoque sensuum immisceat, dignitatem eius enunciat, vt scribit S.Thom. 1.p. quæst.1. art.3. art.2. Vteri officina extra voluntatis regimen est: nec valet efficere voluntas, quantumuis strenuos, & robustos actus intendat, quòd aluus pignore impleatur, fœtuque turgeat; id naturæ est, non arbitrij. Maria dum per voluntatem consentit ad prolem, eam ingerit in vterum, quasi expatiato, & protracto munere potentiæ spiritualis ad carnem. Qualis maior potest concipi voluntatis intensio, & latitudo? Vlterius. Per voluntatem, & amorem adhæret creatura Deo suo: attamen nexum hunc licèt inuisceratum, culpa discindit. Potestnè cogitari vinculum cum Deo, quod implicuerit voluntas, tam arctum, & inextricabile, quod nec peccato valeat disrumpi? Dicam. Maria per voluntatis consensum Mater Dei effecta est, eâ carnis communione, & vinculo, vt nequeat dissoluere culpa, quam per impossibile perpetraret. En nexus à voluntate cœpit, quem tamen noxa discindere non præualet. Semper etenim carnis persisteret communio, qua Mater Filio Dei illigatur, nec ingruens peccatum secare quiuisset. Vide, quale excellentiæ teneat cacumen voluntas Virginis genitricis. Vtramque rationem censeo sublatere in S.Bernard. Sen. ser. 9. de flamm. flamm. 2. *Nota, quòd si omnes creaturæ Angelicæ, & humanæ recolligerent suum velle simul in vna voluntate, non haberent tantam vnionem cum Deo quantam habet Beata Virgo Maria sola: quia hoc suum consentire, & velle effecit ipsam fieri Matrem Dei, in tantum quòd Deus non posset ipsam separare à se.*

S. Thom. *Senens.*

Cor Mariæ præ amore hausit Verbum è corde Patris eructatum.

SECTIO II.

14. ADHVC in superioribus Verbum Dei apud Patrem ex natura, intellectuque adstruximus genitum, voluntate tamen comite. Ex Maria licèt origine vuluâ conceptum fuit, naturáque elaborante per vteri latebras: tamen primatum obtulimus amori, cuius ab igne, constipatum corpus extitit, spiritus sancti opifice ingenio discussum: vt sic eidem proli duplex obueniret generatio, licèt nouis dotibus, non contrariis; licèt inuersis attributis, non aduersis. Siquidem in generatione à Patre natura pellexit amorem; in conceptione à Matre amor naturam traxit: ne voluntatem puderet, sacræ illius sobolis productionis officia non inseruisse primariis. Vt igitur hæc firmiora, politioraque maneant, alterum fulcrum ex corde subiiciamus.

15. *Psal. 44.* Pater Filium genuisse corde perhibetur. Scitum est illud Psalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Licèt etenim nullæ membrorũ compages, nec organicæ distendantur in Deitatem portiones, tamen, quia cor nobiliorem in animali statum, situmque sortitur, è cordeque cogitationes exire dicuntur, dum suo repit stylo creatura, cor Patri attribuit: vt ex præcipuo fonte æternum Verbum scaturire præsignet. Præcipuè, quia cor sedem animi, soliumque censebant Antiqui: vnde cor pro anima passim accipitur. Hom. 15. Iliad. φίλον ἄιον ἦτορ. *Spirabam dulce cor*, pro *dulcem animam.* Collub. lib. 2. τῆς λίπεν ἦτορ. *illius cor*, id est, *anima destituit.* Cic. 4. Tuscul. *Aliis cor ipsum animus videtur.* Et 2. de finib. *Neque enim sequitur, vt cui cor sapiat, ei non sapiat palatum.* S. Thom. opusc. 45. *Et fortè secundum hunc intellectum, dixerunt quidam motum cordis esse ab intelligentia, in quantum posuerunt animam ab intelligentia esse.* Id ideò, quia cor motuum, spirituumque dispensationem gubernat, de quo adi Galen. lib. 9. de vsu partium. Procliuiùs autem est, quòd cordi affigatur amor, quàm intellectio; affectus, quàm ingenium; appetitus, quàm cognitio. Quare & vulneratur Sponsus, Amasiæ corde, & vbi thesaurus, ibi cor; & quidquid ad amoris spicula, iaculaque venenatur, ex cordis emitur officinâ. Id cum compertum sit, non eget opere. Ex quo iam immioet difficultas. Si in corde amor; cur ex corde Patris Verbum eructatur, cùm tamen non ex amore gignatur, sed ex intellectu. Intellectus quidem non cordi, sed cerebro adest. Vnde S. Tho. in 3. dist. 13. q. 2. art. 1. ad 5. docet cor esse primum principium membrorum, & virium vitalium; caput verò principium sensuum, & motus. Attamen ideò Verbum è corde eructatum proferri putauerim, quoniam simul vtrumque significat, & cognitionem, & amorem, vtpote, animum, vt probauimus, in quo intellectus, & voluntas, tanquam duo gemina sunt. Cor itaque ad diuinæ generationis sinum accersitum: vt appareat non inuitum, sed lubentem, non coactum, sed amantem Patrem gignere, ex natura, quidem, & intellectu, attamen voluntate comite per amorem. 16.

Homer. *Colubes.* *Cicer.* *S. Thom.* *Galen.* *Cant. 4.* *Matth. 6.* *S. Thom.*

Annè Virgo è corde genuisse profertur? Equidem, vt non dissimile originis obtigisset principium, cognitionemque & amorem in generatione è Matre concurrisse dignoscatur; è corde Patris eructatum, in corde Matris insitum, & conceptum Verbum Dei non sine mira concinnitate profertur. Richard. de S. Laurent. lib. 2. de laudib. Virg. *Ex corde Beatæ Virginis processerunt fides & consensus, per quæ duo initiata est salus mundi, & ipsum cor eius præ omnibus creaturis dignum inuentum est, exeuntem de corde Paterno, primò suscipere Vnigenitum Dei: quando scilicet cor Patris eructauit verbum bonum. quod de sinu Patris egrediens in sinum Matris Virginis se recepit. Item in corde ipsius & vtero misericordia & veritas sibi obuiauerunt cùm diuina iustitia paci porrigeret osculum salutare.* Eo explicatus apprimè cordis situs, cur vtrique generationi adscribatur? Scita partitio! Ex corde Virginis fides elicitur & consensus. In corde Virginis misericordia, & veritas sibi obuiauerunt. Vtrobique intellectus, & voluntas, amor & cognitio copulatur. Nonnè obseruasti? Fides & consensus ex Virginis corde prodeunt. Fides intellectus est, consensus voluntatis. Consimilia ex parte Filij dignoscas. Misericordia, voluntatis est actus, veritas adscribitur intellectui. Vtrumque è cordis latebris proficiscitur. Vtrumque ex Patre Diuino prodire fatemur. Sed in Patre priùs veritas orta est, intellectusque fœcunditatem explicuit; deinde processit amor. Vnde priùs naturâ intelligitur genuisse, deinde amauisse progenitum. Mater ex amore potiùs concipit; vnde apud illam priùs misericordia, deinde veritas: nec fides, quæ intellectus actus est, conceptionem perficere valebat, nisi amoris, voluntatisque pignus in exhibitione consensus subderetur. 17.

Richard à S. Laurent.

En

18. En inuersas cordis functiones, & tamen eiusdem Verbi conceptio versatur. E corde edit Pater: sed priùs ibi veritas, cognitionisque sapiens terminus elucet. Mater cordi inserit; sed bonitas obtinet principatum: vt quem natura edidit in diuinis, edat in humanis incalescens amor. Obserua non segnem verborum delectum, & situm. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Priùs *Verbum* deinde *bonum*; vtpote quia Verbum cognitionem terminat, veritatisque lumine radiat; bonum autem amoris obiectum est. Cùm igitur eructans Pater, id est gignens in veritatem, sapientiæque terminum tendat; attamen comitatur amor: inde bonum Verbo adiicitur, vt ex situ dictionum omnis Theologiæ in hac diuina generatione explicetur status. Ast quia in Incarnatione primas partes egit amor, qui suâpte indole pergit in bonum; & ex amore Verbum in vterum Virginis descendit: priùs *bonum*, deinde *Verbum*, non absque subtilitate nuncupatur. Sic expendo Damascenum orat. 1. de dormit. Mariæ in fine: *Tu verò bona Domina, bonique Verbi Parens, vtinam nos inspicias, ac res nostras arbitrio tuo regas & moderens, fœdissimarumque nostrarum affectionum impetum comprimas, fluctusque compescas, atque ad tranquillum diuinæ voluntatis portum dirigas.* Nonnè obseruanisti inuersum stylum? Pater dum Verbum bonum eructat, Verbi boni Parens dignoscitur. Mater bona, bonique Verbi Mater præcinitur. Non pereunt syllabæ; sed mutantur; non liturantur in Virgine, sed eædemmet inuersis dictionibus effetuntur: vt credideris ipsummet Verbum concepisse ex amore, quem Pater concipit ex intellectione. Vtrumque per *cordis* emblema, piis mentibus retegendum, absconditur.

Damasc.

19. Ex quo non insuauiter intelligi autumo id, quòd ex S. Brigitta lib. 1. Reuelat. circumfertur: *Cùm Filius meus* (verba sunt Beatæ Virginis) *nasceretur ex me, sensi ego, quòd quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me.* Cur non totum cor; sed sectam portionem curtâ, & compressâ largitione præsignat? Satiùs consuleretur amori, si totum cor ad prolis fugam eodem tramite egrederetur è Matre. An quia sectio diriorem incutit dolorem, quàm auulsio? Crediderim id ex præfata cordis diffinitione euenire. In corde amor & cognitio præscribitur; sed solemniùs amor vtpote sensui intimiùs & acutiùs inhærens. Vnde quæ dimidium cor enixa est in puerperio, amorem indicat peperisse: & quia partus conceptionis appendix est, & sequela, nonque paritur, nisi quod in genitali secreto vulua compressit, quæ amorem peperit, amorem concepisse, opus est. Cùm tamen non amorem, sed sapientiam (si Filij diuini propriatatem percalleas) & pepererit, & conceperit; ex amoris igne noueris concepisse, quæ cor dimidium edidit in puerperio.

Apud S. Brigit.

20. Sed quomodò dimidium cor quasi Virgini Matri abscissum, amputatumque in puerperio asseritur? Annè in corde, & non in vtero concepit? Absit. Tempestate Caietani ille error exortus; illicóque punitus occubuit. Dicebat Virginem Matrem in corde concepisse, ex tribusque guttis sanguinis circa cor liquentibus coaluisse fœtum. Elimat strenuè hoc nouitatis piaculum Caietanus 3. p. quæst. 35. art. 5. Et quidem Matris sapientiæ derogat, & maternitatem sauciat. Sapientiæ quidem notam stoliditatis inurit, quæ Angelo conceptum enuntianti respondit: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & tamen si cor pro vulua, sanguisque ille pro semine extitisset, ignarè obiiceretur viri defectus; cùm ad cordis fœtum, nec thalami, nec maritalis muneris subsidio opus fuisset. Debellat maternitatem: quippe si assuetus prolis situs impletus non est; absque causa Mater diceretur: cùm muliebris cōcursus deficeret, nec prægnans vtero inani dici valeret. Quæ Angelicæ cautioni aduersantur, Scripturæque sacræ perspicuo Matre opponuntur. Angelus enim inquit: *Ecce concipies in vtero & paries filium.* Et scriptura prægnantem asserit, narratque puerperium. Quæ in corde concipienti absona sunt, & aliena. Vnde finit Caietanus: *Tollit ergo veritatem Maternitatis Beatæ Virginis respectu Christi error iste. Vnde statim damnatus fuit, me præsente.*

Caiet.

Luc. 1.

Caiet.

21. Si hæc ita sunt: cur & apud Richardum, & apud Brigittam ad conceptionem Christi cor Virginis opitulatum, & in natiuitate quasi discissum, laceratumque præscribitur: velut si cordis fibris inuolutus filius nasceretur? Sed nec illi errori suffragantur, nec vterum Virgineum patiuntur inanem. Nequiuit ingenium aptiorem corporis inuenire portionem, quàm cor; vt fœcundum Virginis prædicaret amorem, tenerumque & suauem monstraret affectum, quo Virgo Mater æterni Patris Filium concepit. Quin vt generatio ex Matre non contumeliosa genito proditer; sed immaculata, voce cordis effertur: sicut Patris Diuini generatio cordi attribuitur, vt Virginea puritas ostendatur. Præcipuè, quia cùm priùs mente, quàm ventre concepisse dicatur; quid quòd è corde ad vterum conceptionis huius commercium exhibitum decantetur, cùm cor pro animo vsus ferat efferri? Imò corde fœliciùs gestauit Verbum, quàm carne, siquidem fœliciùs est, quod nobiliùs; nobilius, quod antiquius; & cùm Patre Diuino, etiam idiomate vernaculo conuenire Virginem Matrem, sublimen assurgit in gloriam Augustinus lib. de sancta virginit. *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœliciùs Christum corde, quam carne gestasset.* Non dixit, *quàm vtero gestasset*, sed *quàm carne:* & tamen non scita diuisio hæc videtur, cùm cor caro sit. Sed in Augustino duo sortitis. Primum, quòd propinquitas materna non nisi in vtero concipienti potuit obtingere: cùm de gestante in corde nullam maternitatem agnoscat Augustinus. Sic fulcias, quæ ex Caietano disseruimus. Secundum est accipi cor pro animo spirituve: siquidem contraponitur carni.

August.

22. Sed nondum tuta quies. Igitur animo, cordeque gestauit Virgo Deum: si non corporeum, non vt Filium: si non vt Filium, quid nouum hæc gloria singularis efflagitat præconium? Nullus Iustus est, qui non mentis sinu Deum baiulet, cuius non sit gemula mens: siquidem inhabitat per gratiam in corde iustorum; & dum amoris, intuitionisque in se animus radicem habet, Deus animum incolit, & anima Iusti sedes est sapientiæ, ad eumque omnis confluit Trinitatis sanctæ comitatus. Diffitendum non est aliquid speciale nobis de Virgine Matre suaderi, cùm animo concepisse, nec solùm vtero, Patrum solemni celebritate cantatur. Quare cor ad conceptionem præparauisse lego, vt conciperet Redemptorem. Id inter miracula recenset Augustinus lib. 4. de symbolo ad Catechumenos: *Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem: aluus tumescit virgineus, claustrum pudoris permanet. Impletur* August.

vterus

vterus Matris sine vllo complexu Patris, fenit prolem, quæ se ignorat coniugem : Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur ; Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit Mater & Virgo, fœta & intacta; nascitur filius sine homine Patre, qui fecit & ipsam Matrem. Inter mira, quæ colligit Augustinus, est illud *à Virgine cor præparatur, Christus fide concipitur*; & statim : *Miraris hæc?* Quasi nouitas adigat ad stuporem; quòd Virgo pudica, dum audiuit in vtero pignus concipiendum, non vterum, sed cor præparauisset. Nec inanis sedulitas, & superuacua solicitudo, quippe illicò adnectitur *fide concipitur*. Si ex fide concepit ; quid quòd præparet cor ad genituram? Et quidem sapiens puella, dum virginitatis decorem expolire gestiebat, nec croco sanguinis ad conceptionem necessarij infici & purpurari; candorem opposuit : vt muricem maternitatis eluderet. Audiuit posteà absque vitio grauidandam : ideò peruiâ ratiocinatione statim confugit ad cor parandum, quamuis absque næuo, absque vllius prauæ cogitationis ramento limpidum, & nitidum custodiret : quoniam generationem Virgineam didicit ex supero Parente, qui, cùm per cognitionem gignat, corde, id est, spiritu cognoscente gignere dicitur. Nec spes elusit, cùm mox corde parato, fide concepit : *A Virgine cor præparatur : Christus fide concipitur.* Nonnè nouum, in cœlestis Genitoris sinum assurgere creaturam, & illius gremium imitari, quem luminum, igniumque micantia agmina circumdant?

23. Igitur licèt omnes Iusti Deum animo, gratiâ obstetricante, parturiant; tamen id in Maria singulare, quòd, vt conciperet in vtero, priùs exemplar præcesserit conceptionis in corde, ibique diuinâ animi vuluâ fœtum suum efformauit, vt eâdem limpiditate, & nitore posteà conciperet in corpore ; & vtrobique generationem addisceret ex diuina. Adeòque similis corporeà generatio spiritali cordis euasit, vt ferè eadem conniuentibus oculis videatur, vnamque pro alia reciprocâ, & quasi synonymâ acceptione videas haberi : siquidem cùm Augustinus aluum Virgineum tumentem absque viri complexu protulisset, Angelumque loquentem induceret; ad cordis per fidem conceptionem repentè transiliuit oratio; nec censuit amputatum primæ conceptionis sermonem, qui putauit eundem. Quæ quidem ex eodem Augustino stabiliuntur, cùm lib. de sancta virginit. cap. 6. sic inquit : *Oportebat caput nostrum propter insigne miraculum secundùm carnem nasci de Virgine; quo significaret, membra sua de Virgine Ecclesia secundùm spiritum nascitura. Sola ergo Maria & spiritu, & corpore, & Mater, & Virgo, & Mater Christi, & Virgo Christi. Ecclesia verò in Sanctis Regnum Dei possessuris, spiritu quidem tota mater Christi est, tota Virgo Christi : corpore autem non tota, sed in quibusdam Virgo Christi, in quibusdam Mater, sed non Christi.* En igitur quod peculiare, mirúmque in Maria : vt sit Mater corpore, & spiritu, sicut & Virgo corpore, & spiritu ; adsonâ vndique generationis specie : adeòque persimili, vt quasi eludatur intuitus ab aspectu, alteramque censere pro altera videatur. Nonnè attendis? Concepit Maria mente, & ventre; corde, & carne, spiritu, & vtero : & tamen vt exemplar haberet Ecclesia, & ideam, ex qua Christum spiritu conciperet; *Oportebat*, inquit, *caput nostrum propter insigne miraculum secundùm carnem nasci de Virgine ; quo significaret, membra sua de Virgine Ecclesia secundùm spiritum nascitura*. Satius esset nasci de Maria spiritu, vt spiritu de Ecclesia nasceretur; vt parilior eluceret conformitas, & fidelioribus lineis duceretur imago : siquidem procliuior est inter spiritum & spiritum similitudo, quàm inter spiritum, & carnem. O Mariæ dignitas illibata! Imò quasi vtrâque generatione, tanquam si vna fuisset, Augustinus subtili deceptione falleretur, carneam pro spiritali apposuit, spiritalem carneæ adiecit ; vt vtero dotes animi tribueret, & ex corde ad ventrem non distincto charactere permearet.

August.

24. Mariæ cor vteri laxauit angustias, & spiritalibus amplificauit spatiis, vt posset capere Filium Dei. En venusta ratio, quare dicatur Virgo corde concepisse, vt facilior sit assensus fidei, edoctusque intelligat, quomodò immensum venter incluserit fœmineus. Et quidem ampla est animi latitudo, nec strictis corporis cancellis premitur. Vulua, quà fœminea, breuis erat; nec poterat tam validæ substantiæ continere gigantem : accessit cor Virgineum supernis virtutibus excultum, animique dotes vtero tribuens, angulos dilatauit : & ex corde & vulua, ex mente & ventre, patulum, & amplum conceptaculum ad immensum capessendum effecit. Guerricus serm. 3. in Annunciat. *Si attendas angustias vteri, locus prorsus angustus est; si latitudinem cordis, thronus grandis est, propter quam etiam vterus tanta maiestatis capax factus est.* Expende rationem latitudinis vteri, quam à cordis latitudine mutuauit. Imò ex hac cordis & vteri communione, quæ quasi disrupto intermedio pariete, latissimam aulam protendit, pronum est, non absque occasione meditemur, vteri & cordis reciprocis, & synonimis vocibus nomina misceri, alternisque vicibus pectus pro vtero, vterum pro pectore dici : vt spatiosus Virginei palatij sinus appareat, quem spiritalis expandit latitudo. Sic capies Chrysologum serm. 140. *Vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cœlis gloriam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat.* Quid est, quòd pro vtero mercedem conquirat, si hospitium in pectore fuit? Nonnè vides? *Sic Deum in sui pectoris capit hospitio.* Et statim : *Pro ipsius vteri mercede conquirat?* Pereximiè. Inter cor Virgineum, & vterum, nulla discretionis intercapedo distenditur : vnum ex duobus cubile virginitatis laxitas ampliauit : quia spatiositas dos est amoris, ex quo concipiebat. Prodest Senensis tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1. *Quo factum est, vt non solùm fide, & dilectione Christ conciperet corde : verùm etiam & carnem illius ex purissimis sanguinibus eius, diuini amoris superexcessiuus ardor in Virgineo vtero sine virili consortio formaret.* Ec corde ad vterum Virginea semita fuit, amicaque familiaritas : vt Deus homo sinum haberet, quem incoleret.

Guerr.

Chrysol.

Senens.

25. Priùs in corde concepit; vt Verbi, postquàm emitteret puerpera ex vtero, custos maneret æternà : nec vacuum doleret gremium, quæ pleno pectore possidebat. Ne vnquam orbaretur à pignore, ex corde, & vtero spatiosior aula effecta fuit; vt, cùm impleti fuissent dies, vt pareret, absque taxatis mensibus cor grauidaretur à fœtu. Enititur : mapalia linquunt pastores, se deuouent infanti : cœlitum chori choreas hilares efformant, gloriam

Luc.2. gloriam canunt, perpluunt lucem: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Cum quonè conferebat? Sanè collatio non nisi inter duos est. Quisnè inhabitat Virginis cor, si iam natum ex vtero Verbum est? Vix enixa dedit puerum stabulo, & quasi maneret intùs in cordis cubili, confert adhuc, & colloquitur. Qui vuluam deseruit, cor non liquit: qui recubat in præsepio, pectus perambulat Virgineum: animi latitudo non vacat, licèt iam venter inanis sit: Deus in hac statione resedit, homo recedit ab vtero: habet cum quo conferat Virgo Mater.
Simon de Cassia. Simon de Cassia lib.2.de B.Maria cap.20.*Fit semper collatio duorum inter duos, aut plures? aut ad inueniendam concordiam eorum, quæ dicuntur, aut ad percipiendam doctrinam: sed in corde suo conferebat, vbi nullus, nisi solus Deus.* Cur non conferat cum Ioseph? Cur non cum Simeone? Mysteria abstrusa Sacerdotem decent, cordisque in latebris non sustinent sepeliri. Imo quia vterus virum non cognouit, nec sustinuit virginitatis aperiri secretum, quoniam Verbi Dei generatio sigillum pudoris expetebat; consonè nimium Virgo procedit, dum nulli hominum recludit cor, ibique secreta sigillat: nam in corde eius Verbum Dei permanet adhuc; cordisque, sicut & vteri, signaculum amat, & vectem. Iniuria pudoris esset, si cordis infringeretur custodia, dum illibato pudore vterus subsignatus vigebat. Vtrobique Verbum, vtrobique Virgineam seram exoptat. Bellè
Ambros. Ambrosius lib.2. in Luc. ad illa verba: *Conferens in corde suo: Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ non minùs ore pudico, quàm corpore argumenta fidei conferebat in corde.* Silentium Virginis mitè castitati deputat Ambros. In quod non alia ratio potuit impellere, nisi quòd adhuc cor grauidum Verbo Dei remanebat, quod intemeratà vulua temerari non patiebatur. Hoc pudicitiæ ius fuit. Præclarè Beda apud Caten. S.
Beda: Thom. *Virginalis enim pudicitiæ iura custodiens, secreta Christi, quæ nouerat, nemini diuulgare volebat; sed conferebat ea, quæ facienda legerat, cum his, quæ iam facta cognouit, non ore promens, sed clauso in corde custodiens.* Aduerte illud; *Virginalis pudicitiæ iura custodiens.* Nonnè impensius eluceret virginitas, si à superueniente Spiritu se diceret fœcundatam à superna nube perplutam, absque contagione virili? Tacuisse, ius pudoris fuit: quippe non violatur sinus, in quo verbum Dei fœtus est: edocuit vterus signaculum cordis.

Cordis Patris cum vtero Virginis commercium.

SECTIO III.

26. QVID quòd Patris cor cum vtero Virginis componatur; & quasi indiuisus sinus vterque, in vnam sobolem conspiret construendam? Imò cor Patris cum vtero Virginis pàciscitur, fœdusque conferens, inserit Verbum, quod eructat. Animum acuit studiosum hæc diuini cordis cum vtero Mariano consensio, hæc ad idem pignus societas, vt mutuis, alternisque respe-
Dam. ctibus sese feriat vterque situs. Damianus serm.43.
Psalm 44. *Filius Dei totus, & integer eructatus est de corde Patris in vterum Mariæ.* Ideò Pater Verbum bonum eructauit. Non vrbanus, imò rusticalis videtur stylus: nam ex infarto stomacho ructus personat, quasi recurrat, regrediaturque cibus per guttura, quando iam stratâ semitâ ad ventrem ibat. Igitur ructus cum ventre aliquali affinitate componitur. Iam ergo non abhorreas vocem; comprioremque desideres. *Beatus venter, qui te portauit:* statimque Dominus: *Beati qui audiunt* Luc.11.
Verbum Dei, & custodiunt illud. A Mariæ ventre ad Verbum Dei peruio calle transilit Dominus; quid quòd Pater Diuinus Verbum bonum eructauisse dicatur, vt ructus iste Patris cum vtero Matris concilietur? Nonnè audis *Dies diei* Psalm.17.
eructat Verbum? Ecce ructus; ecce verbum, ecce duo, dies, & dies: quia duplex Parens, & Pater, & Mater: ille corde ructar, vt hæc vtero ebibat: ille per intellectum, quasi infinitudine cognitorum incrassatus, ex redundanti intellectione Verbum eructauit, & quasi pro oneris leuamine se egerit in prolem. Cum tamen Verbum similem ei ex quo ructatum, sinum concuperet; virgineus venter adstitit, qui è corde Patris hauriret, leuaretque Patris sacrum onus, ventri reddens, quod eructabatur à corde. Faueat huic cogitatui Bernardus serm. in Natiu. Mariæ: *Sapien-* S.Bernar.
tiam in supernis hauriens, vberiùs nobis Maria refundit. In supernis planè & vltra Angelos, quæ Psalm.17.2.
Verbum ex ipso Patris corde suscepit, vt scriptum Psalm.18.2.
est: Dies diei eructat verbum. Vtique dies Pater, siquidem dies ex die salutare Dei. An non etiam Virgo dies? Et præclara. Altè, & profundè rem meditatus est. Cor Patris, & ventrem Matris ex aduerso, non aduersis, sed mutuis sese liminibus respicientes, apposuit, vt Virgo Mater per oris osculum ructum hauriret. Nec alium diem illucescere nouit digniorem, qui potuisset diei Patris societate gaudere, quàm virgineum, cùm vbique absque noctis nigrore iugis lux resplendeat.

Quæ sententia in eo, me iudice, nititur, quòd commercium colloquij, confabulationisque non est, nisi vt verbum, conceptusque è mente loquentis solutus in simili sinu ab audiente recipiatur. Vndelicet cuiusque cogitatio per oris, linguæque instrumentum alteri per aures auscultanti mandetur; tamen non requiescit, nisi ad potentiam similem ei, à qua egressa est, attingat. Quare quæ ab intellectu exiuit loquentis, quousque ad intellectum appulerit audientis; nequit inter vtrumque colloquij iniri consortium. Hinc inter similes solùm nectitur fabulatio; *Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam:* non diei nox, non nocti dies, sicut nec homo bruto, nec brutum homini conceptum ingerit, conserit alloquium. Iam scis quò tendo. Eructat Verbum Pater, sensit, accipit, imò concipit Virginis vterus. Nonnè similis videtur vtraque potentia, & qua egreditur Verbum, & in qua subsidet? Sanè nihil subtilius, verius nihil. Si Pater loquitur, & quasi attactu, pulsuque speciei illicò venter contremit virgineus, similitudo inter vtrumque sinum absque vllo negotio probatur: sicut, dum quod loquetis, mente concipio, è mente simili conceptum hunc prosilisse confirmo: aliàs non ad simile gremium tam concito gradu cucurrisset. Mariæ *anima liquefacta est, vt dilectus loquutus est.* Annè Cantic.5.4.
solùm anima? Imò *venter meus intremuit ad tactum eius.* Non carnis pedicis carneus Mariæ venter præpeditur: virginitas communionem effecit. Rupertus de operibus Spirit.sanct.lib.1.c.12. *Imò* Rupert.
hic maximè in vterum Virginis Verbum bonum

cor

Cor Patris eructauit. Quid est *hic maximè?* Quia in hunc sinum collimabat, in hoc tendebat conceptaculum, vtpote simile illi simul, à quo eructabatur. Quare & Pater eructauit, & ipsum Verbum, quasi peruio tramite ex Patris egrediens
Auguſt. corde, se in matris vterum infudit. August. lib. 4. ad Catech. cap. 8. *Vt illa maiestas procedens ex corde Patris infunderet se in vterum Matris.*

28. Pſal. 44. Pſal. 48. Nec deserere oportet adhuc, quam sapienti delectu vox *ructus* apposita: *Eructauit cor meum Verbum bonum*, si cum illis contingas, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Anne dissimilis vtriusque chori concentus? Verbum ad scientiam, & mentem attinet; imò terminus scientiæ, & receptaculum est. Igitur quod dies diei eructat, simile est ei, quod nox indicat nocti? Illico raptor in paradisum. Scientiam serpens instillare tentauit Primigeniæ. Virus euomuit, eructauit in scientiæ promissione venenum, ventrem infarcire pomo suasit, cuius ructus in omnem personaret progeniem: O malesuada fœmina! O malesuada fames! Quid scientiæ cum ventre? Sciennam promittit coluber, & vt sibi vendicet assensum, alliget fidem, ventrem aggreditur oocrare: *Eritis sicut Dij scientes.* Quàm nigrâ
Gen. 3. societate nox illa nocti scientiam indicauit? Nox serpens, nox fœmina: ergo sit dies, quæ alteri diei scientiam eructet; ventremque satagat implere, non iam scientiam qualemcumque spondens sicut Dei, sed scientiam Deum, sed Dei Verbum. Ideò sedulò eructari conclamat, vt & ad ventrem pristinum aeore pomi ructantem alluderet, & ventrem virgineum adnotaret, cui Patris cor Verbum
Bernard. inspirat, & eructat. Bernardus iterum opituletur in sermonibus paruis serm. 5: *Nox nocti indicat scientiam. Serpens nox propter malitiam; mulier nox propter ignorantiam: Dies diei eructat Verbum. Deitas virginitati de vtero Paterna maiestatis in vtero Materna integritatis.* Diuini consilij inæstimabile Sacramentum! Ars artem fefellit. Inuenit serpens scientiæ introitum in ventrem, noxia-
Deu. 32. 15. Pſal. 48. Phil. 3. lis pomi ferculo propinato. Incrassatus est dilectus, impinguatus, & obesus ructum transmisit ad posteros, nec scientiam fortius; imò, cùm in honore esset; non intellexit. Non scientia ventri est, sed cordi, heluo, fatue: cuius Deus venter est, sciens non est; sed insipidus, & stolydus. Stat Pater, sibique oppignerauit aduersi Nebulonis inuentum. Ecce iam scientiam, & verbum eructat; sed non nocti, imò diei Virginco, ventri scilicet pudico absque grauedine, absque adipe, absque illecebrosa epularum ingluuie pleno; sed charismatibus, sed odoramentis, sed Verbo Dei.

29. Igitur ex corde Patris ad vterum Virginis iam peruius trames est, iam semita euntis, redeuntisque Verbi consecrata vestigiis, & vtrinsque Parentis oppigneratur officiis: vt dediscat homo per voluptatis illecebram, per illicem pomi, è ventre sperare Deitatem, scientiamque, quam spoponderat scelestus ille delusor; solùmque in corde Patris, & in ventre Virginis Verbum quærat. Vlteriùs meditari fas sit, inter Patrem diuinum, & Virginem mortuata vocabula, reciprocatasque dotes. Mater non concipit in corde: quia corporeæ soboli latebras vteri, sinusque maternos natura molita est, quibus gignatur, & vsque ad puerperium statutis mansionibus crescat. Pater cœlestis vterum non habet: quippe nec corpus, nec membra spiritum aggrauant, & mole premunt. Ex vtero autem genuisse dicitur, vt ad modum nostrum res diuinas officiosâ manu tentantes, agnoscamus proprium, non nothum, illi Filium subesse; sicut qui ab vtero gignitur, proprium Genitricis est pignus. Sic aduersus Eunomium Basilius lib. 5. *Ex* Baſil.
vtero ante luciferum genui te: non quoniam vterum Deus habeat, verùm quoniam propria sua, & non notha genitura ex vtero parentum nascuntur, vterum se ipsum ad generandum habere Deus dixit, ad confusionem impiorum, vt saltem suam considerantes naturam, proprium Patris fructum, sicut ex vtero suo natum, Filium esse prædiscant. Propriùs autem cor Patri attribuitur, quàm vterus, vtpote spiritalior vox, defæcatior, & quæ vitarum prænotat fontes, exquisitioraque spirituum promptuaria ministrat. Vterus autem sanguinum est officina, extorum pars, & fœculentis naturæ colluuionibus sordidata. Ideò non sic Patrem diuinum decet vocabulum istud, sicut cordis vox, licèt absque vlla iniuria decoris illi appingatur vterus: cùm non ob id corporea arrogentur membra; sed actus, & functiones, quas spiritaliter agit, ex vernaculo apud res creatas idiomate assignentur.

Videas tamen vteri voce Patrem delectari cœ- 30.
lestem, nec pudet vox, nec piget stylus, cùm ipse Pſalm 109.
prædicet Altissimos, dum Filium alloquitur: *Ex* Ad Hebr. 1.
vtero ante luciferum genui te. Quod Paulus apud Hebræos extollens inclamat: *Cui enim Angelorum dixit Deus: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* Quid est, quod in vteri dictione sic sibi Deus gloriosus complaceat? Censuerim, post præuisam Vnigeniti Matrem, cuius vterum nec horruit genitus, nec genitor; ideò allectum ab vtero Patrem, vt demulsus vteri Virginei candore, & venustate, non solùm iam cordis sibi vocabulum amaret, quo Verbum eructauerit bonum; sed & vteri, quo Filium genuit naturalem. Imò meditor, Matri Virgini Filium generanti permisisse cordis vocabulum, sibique vterum nuncupauisse; vt & vocibus assimilarentur alteruis, quia eiusdem sobolis pignore fruebantur. Iam itaque cor Virgini adscribitur, vt Verbum concipiat per fidem; vterus Patri, vt Filium gignat per naturam: & quasi ex communi censu, socioque thesauro, cor & vterus promiscuis vsibus vtrique Parenti deuouentur, & permutationis fœdere cor Patri Virginem arripuisse, Patrem à Virgine vterum sibi conciliauisse dignoscitur. Cant. 4. dulci querela eiulat Spon- Cant. 4.
sus: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum.* Si vulnere recluditur cor, pessulumque infringitur ad ingressum; Sponsa nè vulnerat, vt prædetur, sacroque furto sibi cor Patris iam amore saucium sibi conuellat? Sanè sic putauerim euenisse, cùm sobolem Virgo Mater è Patris sinu deuinxit. Sibi enim Verbum in corde Patris latitabat, nec pessulum erat, nec vectes, quibus illud absconditum latibulum clauderetur; non claue, sed vulnere amoris opus fuit, vt absconditus Filius raperetur. Quare cor Patris vulnerauit Virgo, Verbum sibi rapturas & cùm auellere nequiret à corde, cui identitatis compago in eâdem naturâ conglutinat, totum sibi cor rapuisse necessum fuit, vt, dum Materno conciperet vtero, corde sacro concipere diceretur. S. Bernardinus Se- Bernar.
nens. tom. 1. serm. 61. art. 1. cap. 4. *O ineffabilis* Senenſ.
humilitas Creatoris, ô incogitabilis virtus Virginis Matris, ô incomprehensibilis altitudo mysteriorum Dei! Vna mulier Hebræa fecit inuasionem in domo Regis æterni, vna puella, nescio quibus blanditiis, nescio quibus cautelis seduxit,

decepit, & (vt ita dicam) vulnerauit, & rapuit diuinum cor, & diuinam sapientiam circumuenit. Propterea conqueritur Dominus de Beata Virgine, Cant. 4. Vulnerasti cor meum; vbi Glossa, Pro amore tuo carnem assumpsi. Ecce raptum cor rapto Filio.

31. Hinc operosum non est explorare Alberti Magni sensum in Marial. cap. 194. *Intima viscera misericordiæ Patris intrauit, & ei Filium vnicum, & Vnigenitum de corde extraxit.* Multum audet Magnus iste. Quod ex visceribus extrahitur, rapiat secum necesse est, aliquid viscerum: sic dicebat Tertull. lib. de carne Christi cap. 20. expendens illud Psalm. *Extraxisti me ab vtero. Etiam cùm quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur, & conuisceratur cum eo, vt cùm auellitur, rapiat secum ex corpore aliquid, à quo auellitur.* Quid si non extraneum, sed idem? Pater quidem, & Filius vnum sunt: si è visceribus, & è corde Patris extraxit Virgo Filium Dei, cor sibi, & viscera Paterna traxerit, opus est, & corde Patris potiri, quæ pignore potiebatur. Ideò ipsa canebat, in ipsis Patris visceribus Filium Dei visitare terram. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Vide, Mater, quòd orientem ex alto Vnigenitum ex mente Patris, ex tuis visceribus genuisti: non ergo in visceribus Patris, sed in tuis visitauit nos: estò per viscera Patris in tui vterum se infuderit; non in eius visceribus, sed in tuis, vtpote vt homo, non in apparatu Diuinitatis, nos visitauit. Obserua impensè illud, *In quibus*; id est, in ipsismet visceribus. Probè, & sapienter. Intrauerat Virgo intima viscera Patris: extraxerat Filium. Quid quod auulsisset cum Filio viscera, cor que rapuisset Paternum; vt ex vtero Matris editus, adhuc intra Patris viscera subsidens homines visitaret? Quæ eò tendunt vt addiscamus, qualis inter supernum Genitorem, & Virginem Matrem indiuiduæ necessitudinis intercedat communio. Protulit id Rupertus lib. 1. in Cant. ad illa verba: *Introduxit me Rex in Cellaria sua*: sic pro Virgine fatur: *Qui enim Verbum suum, quod erat, & est in corde suo, mihi totum infudit: quomodò non etiam cum illo mihi omnia donauit? Non enim introductio qualiscumque hæc debet intelligi; sed introductio cum iure possidendi.*

32. Quin adeò Diuinitatis cumulus, congestaque gloriæ opulentia Verbo Dei fœtam Mariam impleuit, vt in cellaria Regis se immissam decantet. Cur Regem nuncupat? Cur pluraliter *cellaria* dicit: quando vna Deitas vnum cellarium est? Non potuit aptiùs explicare abundantiam. Vt de superbis opibus fidem faciat, Regem compellat, à quo accepit: nec singularitate cellarij posse sibi credi sperans, delegit numerum: satiúsque duxit per pluralitatem thesauros diuitiarum exprimere, quàm diuinæ consulere Vnitati; quæ, cùm vna sit, sic se diuitem prouidit in Virgine. Philippus Abbas in Cant. cap. 14. col. 2. *Sponsus ergo Virginis non incongruè Rex vocatur, quo nomine eius & potentia, & abundantia commendatur: qui etiam non cellarium, sed habere cellaria memoratur: vt eius longè maior esse copia doceatur. Quia enim in cellariis, quàm in cellario plura certum est contineri, in multa potius, quàm in vnum Virgo se perhibet introductam, innuens se absconditos sapientiæ, & scientiæ thesauros assequutam.*

33. Ex hac opum affluentia, & Paterni cordis possessione, puto Patres sic aliquando styli laxauisse lora, vt dixerint Mariam de corde Patris Filium rapuisse. Iam dedi Bernardinum suprà: accipe iterum alio loco tom. 3. serm. 5. art. 2. cap. 1. *Verbum de sinu Patris rapuit, omnique creaturæ suum auctorem, & principium restituit*, Franconius Abbas de grat. nou. Testam. tract. 6. apud Biblior. tom. 12. *Vbinam terrarum tam speciosa Virgo inueniri posset, quæ Regem cœlorum oculis caperet, quæ Filium Dei de sinu Patris alliceret, & in amplexus suos vinculis charitatis piâ violentiâ captiuum traheret?* Cur tam insolita nota Virgini Matri inuritur, furtique insimulatur, & raptus; quando ex vltronea, & lubenti diuini Patris voluntate Vnigenitum aucupata fuit? Annè vt ex amore concepisse credatur, expilauisse dicitur sacros Diuinitatis thesauros, potentesque gazas furto amouisse? Non reluctor huic cogitatui, qui mihi ante oculos obuersatur ex amoris stylo: *furtum* enim pro *amore* aliquando sumi adnotarunt literati. Virgil. 10. Æneid.

——*Quæ causa fuit consurgere in arma,*
Europamque, Asiamque, & fœdera soluere furto?

Vbi pro furto solet *amor* intelligi. Aliter hanc sacram deprædationem, & furtum explico. Fur pro *seruo* pluries accipitur. Obseruauit Seruius ad illud Virgil. Eclog. 3. *Quid Domini facient, audent, cùm talia fures?* Circumferuntur verba Plauti: *Tu trium literarum homo vituperas me*, hoc est, *tu fur*: agebat autem de seruo. Maria in Incarnationis instanti se ancillam Domini proclamauit; seruilique stigmate se nuncupans notatam, in secretum Patris ingressa est, & Diuinitatis diuitias voce ancillatus eripuit. Quare non infacetè rapuisse dicitur Filium Dei, quæ, dum se mancipium protulit, concepit. Denique rapuisse dicitur: quia tam ingentibus valet opibus, copiosisque instruitur facultatibus Virgo Mater; vt quasi per furtum in tam locupletem fortunam venisse videatur, omniaque Deitatis spoliauisse promptuaria.

Mutua compensatio Cordis, *& Vteri inter Patrem, & Mariam, ob similitudinis excellentiam.*

SECTIO IV.

ANNE pro corde à Patre accepto vterum Virgo idem Patri rependit? Equidem iam vterum lego in Patre, postquam Filius genitus ex Matre est: verba etenim illa, *Ex vtero ante luciferum genui te*, cùm attexta sint illis, *Dixit Dominus Domino meo*, ipso Domino edocente, post Christum præuisum fuere prolata. Matth. 22. vers. 44. *Quid vobis videtur de Christo? Cuius Filius est? Dicunt ei David. Ait illis. Quomodò ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis?* Vterus igitur iam, liberiori stylo, diuino arrogatur Parenti, nec horret vteri vocem, postquàm Filius non horruit Virginis vterum? Potiùs in ipso corde, quo Filium gignebat æternum, quemdam vterum rimor: forsan quia Mater pro deprædato corde vterum ipsi Patri redonauit. Ergonè in corde Patris vterus? Nazianz. orat. 49. *Eructauit cor meum Verbum bonum. Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde, quàm de Paterno pectore, & vt ita dixerim, de vtero cordis Dei credimus extitisse.* Nec casu, lubricoque calamo

Alber. Mag. — Tertull. — Luc. 1. — Rupert. — Cant. 14. Phil. Abb. — Senens. — Francon. — Virgil. — Seru. — Plau. — 34. — Matth. 22. — Nazianz.

clamo cordi Patris vterum Nazianzenus assigat: accinit enim Ambrosius eisdem verbis lib. de Filij Diuinit. cap. 2. (Ambros.) O sacra, ô superbenedicta permutatio, in qua fœnus, sorsque vtrique contingit contrahentium! Virgo Mater cor rapit Patri, rependit vterum; & tamen in Patre cor & vterus inueniuntur. Pater vterum accipit Matris, largitur cor; & tamen in Matre vterus, & cor, diuite penu in Filium concipiendum coiêre. Imò, quia amor cor duplex in duplici non patitur amante; generatio tamen Patris, vtpote æterna, & spiritalis, à generatione temporalis Matris distinguitur; vterusque distinctus distinctam indicat generationem: & geminum vterum, vnumque cor gemino Parenti adscribamus: vt & eiusdem Filij duplicem confiteamur generationem; & vnum cor inter amantes duos.

355. Quorsum hæc, nisi vt, Fide edocente, fatearis de Patre æternùm generante Filium cor, & vterum proferri; non quia illi hæc organa subsunt; sed quoniam generationis, cognitionisque, & amoris hæc apud nos vocabula actus præsignant. In quo illud apprimè caue, ne Verbum ab æterno eructatum, Filium autem in tempore, à Deo genitum cum Arrianorum execrabili stoliditate pronunties. Simul Patri diuino cor, & vterum consecres, & deuoueas: cor, quo Verbum bonum eructet; vterum, vt Filium, qui à Verbo non dissidet, & ex vtero gignat ante luciferum. Ineptiebant illi dicentes ante Incarnationem non fuisse Filium; fuisse autem ante Incarnationem Verbum. Audi Athanasium orat. 5. contra Arrianos: (Athan.) *Illos ad istum modum disputatis, ad aliud defugiant, dictitantes, non hominem esse Filium, nec vtrumque simul coniunctum; sed in principio Verbum simpliciter appellari: ex quo autem homo factus esset, iam inde eum Filium fuisse nominatum: non enim antequàm homo apparuisset, Filium fuisse, sed Verbum duntaxat. Et vt Verbum caro factum est, cùm antè caro non esset; ita Verbum Filius caro effectum est, cum anteà Filius non esset.* Itaque cor ab æterno concedebant Patri ad eructandum Verbum; Vterum ab æterno, abnegabant ad gignendum Filium. O quales nugæ! O qualia insipientium deliria! Cùm idem ipse, qui dixit: *Eructauit cor meum Verbum bonum*; inclamauit: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Si ex corde æternum, cur non ex vtero; cùm sicut vterus carneus sit, carneum sit cor, & vtrumque propriè de homine; de Deo autem iuxta similitudinem actus proferatur? Dicebant de vtero genitum nuncupari: quia in futurum, Prophetico more, generatio ex vtero spondebatur, cùm ex vtero Virginis caro fieret. Mentita est iniquitas sibi. Cur etenim non & de Verbo Propheticè dictum credant: *Eructauit cor meum Verbum bonum?*

356. Itaque Patris cor eâdem vetustate gaudet, qua vterus: non signi intercapedine vnum ab altero differt; cùm potiùs vterus Matris præsignet in corde Patris æternum vterum præcessisse, quippe non alius Filius gignitur à Virgine, quàm qui æternùm Filius gignebatur à Patre. Curta, & auara insipientia est, cor Patri concedere per sæcula, abnuere vterum, cùm cor, & vterus etiam in Virgine Matre ad gignendum Filium, Verbumque Dei nesciant separari. Pluribus id differit Athanasius. Libemus aliqua: (Idem ibi.) *Sed mihi id dixerint: est quidem in vetere Testamento de ea habita mentio, sed Prophetica more in futurum rem gerendam significans. Igitur & de Verbo quoque Propheticè istiusmodi dicta fuerint: non enim hoc Propheticè, illud alterum non Propheticè.* Et paruo interuallo: *Iam si ex vtero de homine dicitur, nimirum ex corde de homine dicetur: nam si vterus hominis est, etiam cor hominis fuerit, & ad corpus referendum est. Quod si ex corde æternum quiddam, etiam ex vtero æternum quiddam in fructu suo significare debet.* Cui sententiæ ea vis est: Cor & vterus creaturæ sunt membra, non Dei si voci inhærendum, non sensui: sono, non actui significato per vocem, vtrumque in tempore obtigit Verbo, cùm ex Virginis vtero prodiuit, corde per amorem ardentis attamen si semel cor per cognitionis actum ad Verbum eructandum ab æternitate Patri tribuitur, vterus non nisi stolidè illi per æternitatem denegatur, cùm non aliud significet, quàm Paternæ arcanum substantiæ, vt gignat prolem. Ambros. lib. 4. de fide ad Gratian. ad illud *Ante luciferum genui te*: (Ambros.) *Quod ideò vtique dixit, non vt corporalem aluum declararet, sed vt proprietatem veræ generationis ostenderet.* Et statim: *Est quidem vterus Paterna arcanum substantiæ, interiusque secretum, quod non Angeli, non Archangeli non aliqua creaturarum potuit penetrare natura.* Quem locum explicabimus infrà.

357 Igitur ab vtero Virginis Matris edocti vterum Virgini patri asseramus, sicut & vtrique cor. Imò vt hoc vtriusque Parentis gloriosum contubernium celebremus: siquidem cor in vtroque vnum, ob amoris vinculum: vterumque geminum, ob distinctas generationes suprà dicebamus inesse: non inamœno calamo subdere fas sit, in vno corde duos vteros, seu ventriculos inueniri, de quibus Hippocrates in lib. de corde: (Hippocrat.) *Hi verò*, id est, duo ventriculi, & sinus, *fontes sunt humanæ naturæ, & hi flumina sunt, quibus totum corpus irrigatur, atque hi etiam vitam homini conferunt.* Præstat auscultare Plinium lib. 11. cap. 37. (Plinius.) *Cor animalibus cæteris in medio pectore est, homini tantùm infrà læuam papillam, turbinato mucrone in priora eminens, vt pariat præcipuam vitæ causam, & originem, prima domicilia intra se animo, & sanguini præbet sinuoso specu; & in magnis animantibus triplici; in nullo, non gemino.* Hos ventriculos latebras animæ appellari censeo. Tertullianus aduersus Marcian. (Tertull.)

Per latebras animæ serpis manente veneno,

Virgilius 10. Æneid. (Virgil.)

Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Adi notam Cardensis inibi; (Cardensis) & vt elucides Ambrosium, qui vterum Patris diuinæ substantiæ secretum appellat, vterumque Patris cordi, sicut & Nazianzenus dat; obserua illud Statij 2. Thebaid. (Statius.)

——————Sæpe aspera passum
Vulnera; sed nullum vitæ in secreta receptum.

En igitur in vno corde duos ventriculos, duos sinus, duo ora; vt in corde Virginis Matris, Patrisque diuini duos vteros non diffiteatis, ad Filij Diuini duplicem generationem. Adest Ambrosius serm. in Octau. Epiph. (Ambros.) *Sinu igitur retinetur à Matre, cum nascitur; sed Pater ei sinus sui vterum iugiter subministrat.* En geminus sinus, & vterus. Cupis in hoc corde secreta? Rupertus de operib. Spiritus sanct. libr. 1. cap. 9. (Rupert.) *Hæc Virgo non vtcumque aspectui eius præsentabatur, sed de secretis Paternis totum se inserebat illi Verbum Dei, Verbum Deus.* Honorios cap. 1. in sigil. B. Mar. *Anima Maria Christum dilexit; ideò secreta Patris ei innotuerunt.*

Forsan cordis Paterni vterum assueta his sacri (Honor.)

Zerda Maria, effigies.

 pectoris

pectoris latebris, vitæque secretis Maria *Mentem* Luc.1,51. *cordis* nuncupauit, cùm canebat: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Cur mens cordi alluitur? Curvè in corde sublatere concinitur? Equidem latibulum cordis Patris sacra Virgo sapienti perscrutata experimento, mentem inibi esse præsensit, quasi cordis ventrem: ideò sanè mentem, quia fœtus Diuinus, qui, quasi ex vtero, Filius progignitur, ex mente Verbum exoritur; non quòd vtraque dissideat proprietas, sed quòd vtrumque habet, qui ideò Filius est, quoniam in similitudinem naturæ progreditur: ideò Verbum, quia per intellectum procedit, imaginemque Patris effigiat. Maria non intellectu gignit, sed carne; vtero, non mente: ast quia illibatò, virgineè, & cordi Patris affixa, concipit Verbum Dei; in corde Patris mentis latibulum inuenit: vt ex mente, quæ propriè spiritus est: & ex corde, quod carnis est portio, vtramque generationem, spiritalem scilicet, & carneam manifestet. Fecit igitur potentiam in brachio suo Deus: quod sic accipio: potentiam fecit generatricem in Virgine, vt Dei brachium, scilicet Filius Dei conciperetur; &, dum cordis sui mentem, vterum nempe, vterique fœtum Virgini Matri transfudit, superbos dispersit, erecta supercilia complicuit, contriuit inimicos. Aliquid habet Hug.Vict. Hugo Victorius in Adnot. Allegor. in Luc. lib. 4. cap. 1. *Ideò fecit potentiam in brachio suo. Brachium eius Filius eius est. Potentiam in brachio fecit, quia per id, quod factum est in ipso redemptum est, quod factum est ab ipso.* Et statim: *Quid est mente cordis sui? Mente cordis sui dispersit eos, profundo consilio suo dispersit eos. Profundum erat consilium, vt pro homine Deus homo fieret.* Quæ verba traxit August. ab Augustino tract. 24. in Magnificat.

39. Itaque mens cordis sui reuelatur, cum Deus homo in vtero Matris fit, & omni naturæ, etiam Angelicæ, illa mens, seu vterus cordis diuini ne- Matt.18,10. gatus, soli Virgini communicatus resplenduit. Vt quid soli Virgini, si Angeli vident faciem Patris; &, vt Genitorem respiciunt; nec perscrutari valent fœcundam generantis potentiam, quin vuluam, vterumque percalleant. Profectò huc seruatum Ambros. nondum hunc, quem suprà data Ambrosij verba implicant lib. 4. de fide cap. 4. *Est quidem vterus Paternæ arcanum substantiæ, interiusque secretum, quod non Angeli, non Archangeli, non Potestates, non Dominationes, non aliqua creaturarum potuit penetrare natura.* Quid est, quòd intuitionem Diuinæ generationis Cœlitibus Beatis deneget Ambr. cùm certum sit, sanctos Angelos, hominesque beatos sanctam suspicere Trinitatem, perscrutari origines, lumineque infusos superno Deitatis penetrale videre? De intima penetratione, quæ ad comprehensionis culmen attingat, capias Ambros. Sed quia Virgo Mater illam vteri naturam, vt naturam, penetrauit, altiùs rem meditor. Natura radix generationis est, operationisque principium: (pluries nomini) Virgo Mater Altissimi gignens, *Filium fructificauit natura sine viro:* S. Ephrem. verba sunt S. Ephrem de Margarit. pretios.) id est, naturâ parens est, naturalique vuluâ, etiam si ex supernaturali virtute, concepit. Mira res quod vterus creatus vteri diuini germé producat! Quid fiet, cùm naturæ vires non suppetant Sacramenti prodigio? Vterque vterus penetretur, virtus incubet Altissimi, interiora penetret, roteque fœcundet, vt quasi ex duobus vteris penetratis vnus idemque Filius edatur. Id nulla natura vnquam obtinuit, nisi Virginis; non Angelus, non Cherub, non Dominatio, non potestas. Iure igitur dicat Ambrosius, quòd vterum Diuinæ substantiæ *nulla potuit penetrare natura*, cùm non alia natura inueniatur, ex qua Filius Diuini vteri pullulet, & effloreat, nisi in Maria, quæ supernaturalem naturam, vt naturam, sortita est, scilicet quatenus operationis generationisque Filij Dei principium extitit, vt alibi dissero.

Vis probem penetratam sacratissimo illapsu 40. naturam, vt idemmet, qui gignebatur ex Patre, Genes.49.7. gigneretur ex Matre. Genes. 49. vers. 25. *Deus* 23. *Pater tuus erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vuluæ.* Ambros. de benedict. Patriarch. cap. 9. legit: Ambros. *Propter benedictionem vberum, & vuluæ, benedictionem Patris tui, & Matris tuæ.* Hoc auspicium Christi Saluatoris est, desideriique collium æternorum. Cur igitur vuluam vtrique copulauit Parenti, cùm Pater diuinus absque corporeis organis spiritus sit, cui non vulua fœtu tumet onusta, sed intellectus lumine genito splendet. Non piguit Patrem vocabulum ex Matre: non puduit vuluæ secretum sibi adsciscere, vt vernaculum vtrique eiusdem vocis subseruiret idioma, cùm eadem vtrique proles innascebatur. Nescit benedictio discretis Patrem & Matrem honorare præconiis. Vulua in Patre est, siquidem in Matre est: nec dedecet stylus, quem non dedecet contubernium. Vtraque generatio sub vna vulua dignoscitur, & in vmbra Matris, Patris fecunditas adumbratur. Ast esto, vuluâ Patri ob Matris propinquitatem adscripserit: cur non geminam vuluam, sed vnam vtrique præstitit Parenti? Profectò id acuminis indiuisa fœcunditas exigebat. Si Filius vnus, si vna virtus: cur vuluæ, oriante calamo, geminatur vocabulum? Fruere Ambrosio suprà. *Quod autem ait: Et vuluæ benedictionem Patris tui, & Matris, si vuluam solam Mariæ velimus intelligere; cur vtrumque benedictione coniunxerit, latebit causa. Potuit enim dicere de sola vulua Matris. Sed pulchriùs arbitror, vt secundum spiritale mysterium intelligamus vtramque generationem Domini Iesu, & secundum Diuinitatem, & secundum carnem; secundùm Diuinitatem, quæ ante sæcula est genitus ex Patre.* Et post nonnulla. *Sed sicut illam ex Patre generationem intelligimus, ita etiam ad consummationem fidei generationem Mariæ intelligamus, quando benedicitur vulua Matris, illa vtique Mariæ virginalis, quæ nobis edidit Dominum Iesum.* En gemina Christi substantia non vnicâ periodo solùm, sed & vnicâ vuluæ voce profertur. Ne à Diuinitate extorris humanitas, nec ab humanitate Diuinitas panderetur. Pater & Mater in vna vuluæ dictione copulantur. Pergit Ambros. *Geminam igitur Propheta in Christo substantiam declarauit, Diuinitatis & carnis: alteram ex Patre, alteram ex Virgine; ita tamen vt non exors suæ esset Diuinitatis, cùm ex Virgine nasceretur.*

Cur consummationem fidei asserit vnam res- 41. pectu alterius generationem? Cur iterum non generationem ex Maria, sicut generationem ex Patre apposuit; sed generationem Mariæ? Annè de generatione agit, qua Maria genita; an qua Maria genuit? Sanè Theologicè; ne vel similitudini deficiat vocabulorum delectus. Distinguitur generatio, & origo in actiuam, & passiuam: illa Patris est, hæc ex Patre. Sic generatio Mariæ dicitur, quæ

quæ Patris origini aſtinæ reſpondet,& ſcitè componitur cum generatione ex Patre, vtpote cui idemmet Filius indiſcretu fœdere innaſcitur. Curta, mutilaque fides eſt, quæ vnam abſque alia generationem attingit. *Ad conſummationem fidei generationem Mariæ intelligamus.* Si non conſummata fides abſque huius cognitione eſt; annè conſummata generatio abſque hac ſecunda generatione dignoſcitur? Profectò generatio Patris omnis conſummationis, infinitudine virtutis effluente, videt finem: attamen quia Verbi eſt, ſpiritaliſque conceptus; non vndequaque, quoad nos ſaltem, videbatur complete, donec ſecunda nobis generatio, quaſi per corporeæ linguæ miniſterium primam, & priſtinam declararet. Expendimus

Ambroſ. Athan. Nyſſen. Ambroſium ſuprà Academ. 1. n. 64. ibi dedimus Athanaſium; pulchrum hîc attexamus Nyſſeni locum ex quæſtionibus. *De eo, quod eſt ad imaginem Dei, & ſimilitudinem:* ſic fatur: *Generatur in corde Verbum generatione quadam incomprehenſibili, atque incorporeâ, manetque intus incognitum; at ſecundâ generatione corporeâ per labra generatur, tuncque omnibus innoteſcit: ſed ab anima tamen, quæ ipſum genuit, non auellitur.* Deinde ad Dei Verbum gradum faciens, ſubdit: *Genitus eſt inuiſibili, & inexplicabili, atque incomprehenſibili ratione, ex Patre ante ſecula, eratque incognitus tanquam in anima quadam apud Patrem, quouſque tanquam ex corde quodam ex ſacra Virgine ſine corruptione, ſine ſemine, ſecundùm carnem generatus eſt, mundoque ſe prodidit, nihil ab occulta Dei Genitoris Paterna ſubſtantiâ ſeparatus.* Cur generationem ex vtero, cordis nuncupauit? Prodeſt maximoperè præfatis in præcedentibus; vbi ex corde, & vtero Virginis vnam puritatis aulam constructam diximus. En quàm propinquus ſinus Patris, & Virginis: alter anima, alter nuncupatur cor, vt vtriuſque puritas celebretur in eo: alter ab altero diſſimilis; quòd Patris occultat, & ſerat; Matris retegit, & edidit; ille ſubſilenti gremio recondit, iſte quaſi corporeo labrorum ſtrepitu pronũtiat: ille ſpeculum eſt apud Patrem; hic & apud homines: vt didiceris, in Virgineu virgineum, in corporeo ſpiritalem; & in Matre pudica Patrem fœcundum perſcruteris. En hæc & fidei conſummatio eſt, & quaſi generationis extrinſecum complementum.

42. Bernard. Ergo ſecunda generatio, Patris ſecretum reſerauit? Sic velim verſare Bernardum homil. 3. ſuper Miſſus eſt: *Pater tecum, qui Filium ſuum, facit & tuum. Filius tecum; qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſeruat Virginale ſignaculum. Spiritus ſanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum ſanctificat vterum.* Qualenè ſecretum genitale reſerauit Filius? Bernardi contextura Mariæ ſecretum præſignare videtur. Attamen, ſi liceat piis mentibus pium ſubdere cogitatum, vtrumque ſecretum intelligerem ſub Mariano. Nam ſi mordicùs, quæ ex Nyſſeno præſcripſimus, tibi figas. generatio ex Patre vectibus occluſa coruſcis ſecretum genitale habitabat, tuncque reſeratum fuit, cùm ſecunda generatio loquuta eſt Sacramentum. Igitur vtrumque pariter ſecretum retectum ob Virgineam vuluam fœcundatam agnoſcitur, & vtraque genitalis origo eiſdem manifeſtationis modulis inſonat. Filius ſibi reſerat genitale ſecretum, nouum in Maria, in Patre antiquum: noſcitur vtrumque, cùm Verbum per puerperij vocem auditur. Id in Sponſa quondam deſiderij ardebat incendium, Cant. 8. *Quis det te fratrem ſugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat?* Cant. 8. Ad quæ S. Amadeus de laudib. Virginis, homil. 1. *Inueniam te (inquit) foris in luce, qui es ſecretum Patris; inueniam te apparentem in carne, qui lates in inuiſibili maieſtate: inueniam te Sponſum procedentem de thalamo, qui in ventre Virginali cõceptus es de Spiritu ſancto.* Amad. Expende illud: *Inueniam te foris in luce, qui es ſecretum Patris.* Et quidem intra genitale Diuinitatis ſecretum, Verbum Dei ſecretum delitebat. Nec poterat corporaliter euulgari, niſi obſignata Mariæ Virginea fœcunditas reſignaret.

Ex hac Patris & Mariæ indiuidua conſuetudine crediderim, diſſidium ortum fuiſſe in explicatu 43. Dauidici carminis: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Pſal. 109. Nam alij ex Maioribus noſtris vterum Patris æternè generantis intelligunt; alij Matris vterum, ex quo ſub noctis vmbris ante roſcidam auroræ lucem enitente puerperâ Chriſtus natus eſt. Primæ generationi ſuffragantur Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 14. Hieroſolymitan. catech. 11. Irenæus lib. 3. cap. 6. Theodor. 2. de curand. affect. Græc. Ambroſ. Apocal. 2. & alij innumeri. Quod defenſat Euthymius; quin & Athanaſius orat. 5. contra Arrian. col. 18. *Vterus, & cor id, quod proprium eſt, & genuinum demonſtrat: nam & nos id, quod nobis genuinum eſt in prole, ex vtero habemus. Quid garriant de genitura ante luciferum? Ego libens dixero. Si illud de genito ante luciferum partum Mariæ mirabilem demonſtrat, multos etiam alios ante exortum eius ſtellæ in lucem eſſe editos.* Cyril. Alex. Cyrill. Hieron. Iren. Theodor. Ambroſ. Euth. Athan. De Mariæ vtero accipiunt Iuſtinus in Triph. Euſebius apud Agelium. Heſychius apud Lorinum. Victor Vticenſ. 2. de perſecut. Vandal. Iuſtin. Euſeb. Heſych. Vict. Vtic. Verùm quid eſt ſingulare ex vtero dici progenitum? Quia ex ſolo vtero, vbi vir non appropiat, nec tinea corrumpit, ſed ſpiritus & vulua ſubſeruiunt. Præclarè Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcion. cap. 9. Tertull. *Nos edimus Euangelia nocturnâ natiuitate declarantia Dominum, vt hoc ſit ante luciferum, & ex ſtella Magis intellecta.* Et ſtatim: *Sed nec generaui te, edixiſſet Deus niſi Filio puero. Nam, etſi de toto populo ait; Filios generaui; ſed non adiecit ex vtero. Cur autẽ adiecit, ex vtero tam vanè, quaſi aliquis hominum ex vtero natus dubitaretur; niſi quia curioſius voluit intelligi in Chriſtum: Ex vtero generaui te, id eſt, ex ſolo vtero, ſine viri ſemine, carni deputans ex vtero ſpiritum?* Acet Tertullianus litem ſiſtit, & in vna vteri voce vtrumque componit Parentem, Genitorique Deo vterum deputat Mariæ, quam Spiritus, vt conciperet, irrigauit. Præclara ſunt illa: *Carni deputans ex vtero ſpiritum*; quaſi deputetur ſpiritui, quod carnis eſt: & quod ſpiritus eſt, carni deputétur. O qualis Mariæ cum Genitore ſupero familiaritas! Non erogantur vocabula: ſat eſt ſimplex vteri vox. quæ alterna viciſſitudine, pacatâq; ſocietate iam Patri, iam Matri attribuitur. Hinc vtrumque generationem in hoc loco intelligit Auguſtinus l. 3. contra Maxim. capite 18. Auguſt.

* *
*

Prodigium amoris Mariani est: Non solùm velle quod gignit, nec solum gignere velle; sed & gignere, quia velit.

SECTIO V.

44. SVPERERAT adhuc accuratiùs discutere, quanta prærogatiua fuerit in Maria, per voluntatis consensum concepisse, quod fuerit ex amore grauidatus pudor, incoloque fœto virginitas tumuisset. Pater diuinus absque deliberatione, & concilio gignit Vnigenitum: Mater virginea ex consilio & electione procreat, cæteræ matres non ex consensu suscipiunt prolem, non ex necessitate, sed contingenter; non quia voluntas in dixit, sed quia Deo lubuit. Obserua discrimen, & modos demirare sapientiæ. Cur consensus expetitur à Virgine, rogatur electio, & quasi ad fœdera, pactaque voluntas expectatur ad fœtum? Vt nouus, & mirus concipiendi modus ex diuinæ sapientiæ, amorisque euolueretur arcano. In reliquis matribus ex voluntate, voluptateque contingit thalamus; proles tamen non ex voluntate, sed ex contingenti naturæ sorte generatur. Consensus totum efficit, non fœtum. In Maria ex aduersores. Dissentit ad virum, consentit ad Filium. Filius ex voluntatis pulsu illicò gignitur: viri procul abest impulsus. Se abnuit thalamo, se iunxit soboli. Quod extra voluntatis tribunal est, voluntati subiicitur Virgineæ: quod voluntati subditur, relegatur. Quia vult, concipit; nec succumbit. Vos nuptæ, filios non solùm concipere vultis, sed ardetis: nec tamen genitura obedit desiderio; quia cõcupiuit libido: neque vtrumque è voluntatis sinu potuit obrigisse & voluptas, & proles. In Patre denique cœlesti generatio absque electione est, & arbitrio; sed dum sibi complacet in Filio, quem gignit, sibi generanti consentit: voluntas simul, & natura adest, hæc radix est, illa comes.

45. Amad. S. Amadæus homil. 5. de laudib. Virgin. *Quæ Mater dilexit Filium suum, vt ista; Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres; sed vnicus Patris piâ electione, & gratuitâ bonitate, Matris visceribus influxit. Hoc est, vnde magis diligebat.* Pulchro situ electio, bonitasque gratuita ponitur inter Patrem scilicet, & Matrem, vt vtriusque censeatur electio, Patris scilicet, & Matris. *Vnicus*, inquit, *Patris piâ electione, & gratuitâ bonitate, Matris visceribus influxit.* Non id Euæ sexui, non Adami posteritati obuenit. Naturæ dispositio ex contingenti qualitatum statione præstat, Deique præcipuè concursus sobolem, quam licèt amabat spes coniugum, non iubebat. Id Mariæ proprium est, non datur alteri, non solùm velle quod gignit, nec gignere velle; sed & gignere quia velit. Ideò Pater supernus sibi Virginem maritauit, vt ex vtriusque electione conciperetur, qui ante electionem & consilium gignitur in Excelsis. Quantus amor Matri, quæ ex electione, amoreque non concubuit, sed genuit; non arrisit

Eccli. 24. viri deliciis, sed vteri fructui consensit! Virgo Mater pulchræ dilectionis quia Mater Filij ex dilectione est, ex electione, ex consilio. Parentes filios amant; quia generantis portio in genito fuit parsque viscerum proles est, corporisque materni delibata substantia. Ideò amor, artifex vnionis, satagit per affectus gluten reuincire ad parentes naturam filij, quam dissecuit partus, generatio diuisit. Verùm si ipsemet amor opifex prolis fuerit, illamque in vtero compegerit, & quasi coagulum agglutinauerit; imò vuluam accenderit, & fouerit, ipsiusque generationis causa extiterit, & origo: qualem putabis esse amorem huius parentis ad filium? Sanè exuperat vniuersos. Nam si pars substantiæ parentis traductæ in sobolem, ratio est, quare parens sobolem amet; admodùm feruentiùs adamabit, si ipsemet amor generantis pars geniti sit, vtpote per amorem in vtero compacti. Ea est energia in meditatione Amadei, qui amoris Virginis, Matris erga Filium extollit excellentiam; quia non ex sorte, casuvè concepit; sed ex electione gratuita, bonitate, & amore.

Contendunt virtutum actus intra Virginis aulam, in sacræ generationis ministerio obtinere primatum. Decertat humilitas locum præripere viciniorem, & in iamiam generantis lingua, humilis ancillatus verba deponit. Studet fides eleuare vexillum, dumque nuntio credidit Virgo coagmentari cupit fœtum in ventre. Nec ignauiter marcet spes, quæ in voce illa *Fiat*, desiderantis explicat affectum. Ast triumphum egit charitas. Quo iure? Nam munus amoris est transformatio, & vnitio: forma autem sobolis, formam sibi transcribit genitoris, communioque substantiæ generantem illigat, & genitum. A se abducitur per amorem Virgo parens, & ab eius igne liquefacta, virginei sanguinis portionem transfert in Filium, totaque in vnius carnis communionem pertransit. Dionysius Carthus. in Luc. cap. 1 art. 2. *In Incarnationis mysterio, vtriusque naturæ immediatam, & hypostaticam vnionem pensando, Virgo sacra per charitatem, eiusque ardentissimum actum fuit summè, & immediatè disposita ad Vnigeniti Filij Dei conceptionem. Nam charitas, præstantissima, atque diuinissima, Deoque placentissima virtus est, coniunctionem, transformationem, & insolubilem colligationem efficiens.* Benè quidem charitatis, & amoris inter cæteras virtutes victoria fuit: nam aptissimus est amor ad munus generationis obeundum, ex transformationis arte, & ingenio. 46. Dion. Cart.

Audisti non semel: *Fortis est vt mors dilectio.* 47. Cant. 8. Id partum, nisi & fortis sit, vt vita, seu vitæ primordium, nempe generatio. Cur ne fortis vt mors? Nam sicut mors animum à corpore auellit, eoque auulso, quasi vita fuisset ignis, corpus in cineres manet solutum; sic amor animum in amatum abducit, subtilioríque vulnere & nexum corporis reliquit infractum, & ad amatum transilire facit amantem. Incinerescit amans, interioque flammâ depastus non iam sibi viuit? nec tamen cadauer est. Ideò non solùm fortis vt mors; sed fortior morte fit amor: quippe robustioris fortitudinis est, absque occisione, corporisque calamitate mortis effectu peregisse. Maius ingenium erit, si vitâ se fortiorem exhibeat. Vitam generatio largitur: eget tamen duplici virtute, scilicet gemini parentis, vt virtus sociata virtuti, fortior, & robustior incumbat. Sic vnit cum sobole genitorem, & per carnis commercium, vtrumque parentem in vnam sobolem transformat. Segnis quidem vis, & imbecillis, quæ ad opus vitæ illecebrâ eget impudicâ, numerumque

emen

emendicat,& amplexum exoptat. Ergo magnanimus,& acer instillat amor: sit fortior vitâ, qui fortis vt mors est. Filium in vtero Virgineo gignit, stricto nexu cum genitrice colligat, pangit sacratum corpus intra vuluam, illique vitam inspirat; & tamen sola Mater adest, arcetur vir: nec geminus concursus optatur, nec erubescit pudor; sed floret vernantior, turget maturior, omnisque fructus generationis decerpitur; & tamen castitas passa non est. Quid cum neruoso amore contendet, qui absque masculi subsidio & gignere valet, & signaculum pudoris non valet abrumpere. Id strenue in Maria consequutus est. Ideò, dum virginitatis amans illa, se virum non cognoscere fatur, illicò Angelus amoris aduocat ingenium, & Spiritum sanctum, qui ex processione amor est, in generationis sortem promittit: adeóque in eius efficaci robore confidit, vt, quasi iam illa peracta fuisset generatio, de natiuitate tractet. Nonnè vides? Luc. 1. *Spiritus sanctus superueniet in te: ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nondum fœta est Virgo, & iam agit de puerperio? Quam fortis amor! Quia Spiritum sanctum ad conceptum spopondit, de veloci generatione securus, vteri tempora, spatiaque transiliens Angelus, iam peruenit ad partum. Huic cogitatui adstipulantem desidero Ildephons. serm. 1. de Natiuit. Virg. (Ildelph.) *Cum Dominicum illi partum Angelus nunciasset, illa castitatis conscia, diuina dispensationis gratiâ Angelo respondisse fertur: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Angelus ei placido vultu respondit: Spiritus sanctus superueniet in te. Non expauescas partum, Virgo, nec metuas: tantùm ama, & peperisti: Spiritus enim sanctus superueniet te: proinde non est, quod metuas. Tunc enim sequeretur dolor partum, si præcessisset libido conceptum.*

48. Mirum est illud: *Ama, & peperisti.* Hoc grande summæ dilectionis Sacramentum est: pharetrata charitas omne sagittarum pondus denudat. Amat Filius Dei ex amore concipi qui ex cognitione in diuino Patris sinu concipitur. Ama, & ecce peperisti. Quàm velox rapiditas ad conceptum! Si ex amore fœta concipiet, nondum impleti sunt dies, vt pariat. Cur ocyus generatione puerperium? Et si ocyus; *ama*, dicas, & *paries.* Si enim dum nunc amat, iam peperit; non ex amore imprægnabitur Virgo pudica, cùm nondum inferuuerit æstus amoris. Adeò ardet Filius Dei ab amore se prolem audire; vt etiam ex amore futuro præsens generatio peracta, apud Ildephonsum, censeatur; quasi ex amoris flamma à tergo feruor fuisset emissus, quo vterus in diuini Filij partum incaluisset. Ergo amor & virginitatem custodiuit, & prolem dedit, & parentem transformauit in Filium. Fortior generatione est, quæ ex coniugali conatu contingit.

49. Diuinus Pater absque perpessione generat, absque affectu. Quamuis non gignat ex amore; dum gignit, Filium amat: nec impurà voluptate voluntatis actum moratur. Mater pudica illecebram, perpessionemque pudoris à voluntatis obiecto eliminat: omnis Marianæ voluntatis terminus Filius diuinus est, quem gignit. Cæteræ matres prius voluptati voluntatem, ad licunt, illecebræ se mancipant: hoc tramite ad sobolem itur. Attende gradus, vide discrimina, vt discas, quàm noua genitricis forma Maria est, quæ, dum concubitum non pertulit, Filium tulit. S. Fulgentius de Incarnat. cap. 6. (Fulgent.) *Deum Dei Filium conceptura, viri coitum nec pertulit, nec voluit; sed virginitatem retinens & mentis, & corporis, ab eo, quem conceptura, & paritura erat, donum incorrupta fœcunditatis, & fœcunda integritatis accepit. Ita Deum Verbum sanctum, quod caro factum est, Virgo sancta concepit.* Si conceptura, coitum non voluit, & à conceptura consensus exquiritur ad conceptum: ergo Filium voluit, noluit voluptatem, nouoque itinere ab imprægnatione incepit voluntas, non à concubitu, & in partus gaudio quieuit. Sed quomodo à Filio fœcunditatem accepit, quis coniugij non permisit amplexum; si potiùs, quis se Matrem esse consensit, suscepit Filium? Quia fœcunditas, virginitas, & Filius ex amata virginitate processit; & adeò voluntas Mariæ suimet auctoris artifex apparuit, vt subitò Mater ex dissensu ad torum, ex consensu ad prolem fuerit affecta.

Igitur sicut natura Patris, prout Patris est, priùs tendit in Filium; sic Virginis voluntas, & consensus primario impulsu, pondereque in eundem Filium concipiendum allicitur; nec aliâ intermediâ morâ detinetur. 50. Secus in mulieribus accidit coniugatis, quæ antequam filium, voluntatis exercitio, prendant & contingant, iam fatigata voluntas actibus interiectis lassescit, illecebrosis ambagibus detenta, licèt tandem perueniat ad prolem, in pluscula frustra, sectionesque diuisa, pertingit Mariæ amor non excursibus, non euagantibus diuiditur riuis; sed pleno gurgite integer, & concitus currit ad Filium, omnesque voluntatis actus, tanquam dissecta flumina, pelago cogit in vno, vt nihil effluat, quod Filij amor non sit. Audi. Mariæ consensus nec cœlestis legati verbis detinetur; sed intermedium iter transiliens, statim peruolat ad prolem: & cùm necessum fuisset præire nuntium, vt adesset assensus, audit quidem Angeli verba; non autem verbis sed rebus voluntas sacra consentit, ne remoraretur voluntatis actum, quem Filij generationi dicabat. Quale acumen in Chrysologo serm. 140. (Chrysolog.) *Et cogitabat Virgo, quæ esset ista salutatio. Aduertat vestra charitas, vt diximus consensisse Virginem salutationi non verborum, sed rerum; & vocem fuisse non communis obsequij, sed supernæ vim totam fuisse virtutis.* Id sic meditatur Chrysologus quia putat verba salutantis Gabrielis non segnia, solumque vrbana, & ex comitate fuisse; sed quasi efficacia; vel saltem enunciatiua nouæ gratiæ fœcunditatis, quæ ad illa verba vterum irrigauit, Deumque iamiam ventri deuinxit. Sic etenim præmisit in illo sermon. 140. (Chrysolog.) *Ingressus ad eam dixit: Aue gratiâ plena, Dominus tecum. In hac voce oblatio est, oblatio muneris, non salutationis officium. Aue, hoc est, accipe gratiam. Ne trepides, ne sis solicita de natura. Gratiâ plena. Quia in alijs gratia, in te tota gratia plenitudo pariter veniet. Dominus tecum. Quid est in te Dominus? Quia ad te non visitandi studio, sed in te nouo nascendi illabitur Sacramento.* Sed nondum, ô Auree, consensit Virgo, siquidem auspicium hoc verborum est, & totius legationis exordium; & tamen iam Deus viscera complet? Imò illicò ad rem, licèt non ad verborum demulcentem sonitum consensisse scribit Chrysologus in profatis verbis: ne, etiam in hac opinione, (quæ aliquorum Patrum fuit, Incarnatione scilicet ad illa verba *Dominus tecum* contigisse) absque Virgineo consensu conceptionem factam fuisse dignoscatur.

Si

51. Si ad illa verba *Dominus tecum*; consensit, iuxta Chrysologum, Virgo; ne sine consensu Deus carnis assumeret portionem: si consensus hic, naturâ gignentis Patris vestigia describit; gradum facias ad Patrem diuinum. Volens genuit, non quidem quia voluit; sed quia Deus. Proprietas Deum constituit Genitorem, non sors, nec sera voluntas. Dum Deus sibi, secumque Deus est, iam Pater est, naturæ opus præcedit voluntatem: ex natura Deus sibi, Deus secum est: igitur ex natura iam Pater, non ex consilio. Sic Epiphan. hæresi 69. *Neque volens genuit, neque non volens; sed in natura consilium transcendente. Natura enim est Deus consilium excedentis.* Et alibi: *Natura ipsi est Deitas, nec consilio opus habens.* Dum Dominus tecum est, Virgo sacra, concipis Deum ex consensu; sicut dum Deus secum sibi ipsi est, Deum gignit ex Natura. En parilitas.

Epiph.

52. Singularis hæc generationis sors, in qua vxor auricula; consensus, matrix, Verbum fœtus est: ratiocinatio præcedit; consilium vocatur; consulitur Mater; natura consulit, consuliturque naturæ. Non sic in Patre superno, non sic; sed ibi deliberatio non est, vbi liber respuitur inuentus, necessitas fœcunda prorumpit in prolem, non leges rogat arbitrium. Sic contendit Cyrillus Alexand. dial. de Trinit. lib. 2. *Ratiocinatio est, quòd in operalibus quidem volitio, & nolitio locum habeant: in generatione autem non item: & causam quærentibus responderi solet, quod quibusdam celebre est hac decantatum. Natura consulebat, cui leges non sunt curæ.* Ex quo probat Filium Diuinum apud Patrem non per consilium, aut deliberationem progenitum. Vnde Epiphanius hæres. 69. *Natura ipsi est Deitas; nec consilio opus habens, nec sine consilio quid faciens; sed simul ex seipso omnia habens.* Sed ecce tibi, Alexandrine, generatio ex consilio, suasu, & consensu. Legatur Angelus vt Virginem alloquens edisscat nurum, non impellat Verbum, sed leni, tranquilloque fœdere infundat: & generatio fiat illicò, cùm arriserit, cùmque consentiens vox insonuerit. Equidem nunciatio non in aliud tetendit, quàm in consensum Virginis prælibandum: Sic S. Thom. 3. p. quæst. 33. art. 1. *Annuntiatio enim ad hoc solum necessaria esse videbatur, vt Virginis consensus haberetur.* Quid causæ, vt consensus exquiratur, consiliumque ad generationem Vnigeniti, cujus apud Patrē generatio naturalis omne cōsilium, & electionem anteuolat? Profectò vt omnibus modis Vnigenitus iste nasceretur, & ex natura absque arbitrio; & ex vtero cum consensu. O amor artifex! O irrequiete fabricator amorum! Necessaria generatio superi Genitoris munus non est; quia libera non est; non illam beneficium edidit, sed natura. Gratuitæ generationis adinuenit ingenium, vt nec gigneret Mater, nisi lubens; nec Pater offerret pignus, nisi volens.

Cyrill. Alexand.

Epiph.

S. Thom.

53. Sed vide quòd vbi natura supperit, otiatur ars; vbi ars non est, consilium, & deliberatio relegatur: nec generatio est artis, sed naturæ, vt innuebat Cyrillus suprà datus. Ideò inuenta generatio est, quæ simul connubium sit, vt nuptias credas, cùm illam auscultas. Consentit Pater, consentit Virgo; non vt priùs thalamus pateat, ardeant tedæ, veniat hymenæus, pòst gignatur Filius; sed Filij conceptio matrimonium fit. Præclarum inuentum, vt idem instans nuptijs contingat, & fœtui; & sicut ex consensu nuptiæ, sic ex consensu generatio. Nuptiæ non ex natura sunt sed ex arbitrio; non insitæ, sed electæ: generatio non ex arbitrio, sed ex natura est. Coniungatur vtrumque in vnum (ô qualis sapientia!) vt quà nuptiæ, ex consensu; quà generatio, ex natura sit opus, & nouo concilietur acumine, Filij Dei conceptio cum arbitrio. Profundè S. Thomas eam docet expetiri causam consensus. *Vt ostenderetur esse quoddam spiritale matrimonium inter Filium Dei, & humanam naturam; & ideò per Annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ.*

S. Thom.

54. Sed si matrimonium duorum est, fœtus vnus; quomodò generatio ex consensu est matrimoniū? Mirâ subtilitate ex Mariæ consensu demonstratur, quòd Filius, quem gignit, Deus sit; qualiter idipsum ostenditur à Patre generante, non ex libero assensu, sed ex natura. Apud Patrem naturaliter gignitur, quia naturâ Deus est: & si ex deliberatione, arbitrioque prodiret, Deitatis luce non potiretur, siquidem *Generatio æterna* (verba sunt Damasceni) *natura opus est, & ex substantia eius profecta. Creatio verò à Deo, cùm voluntatis opus sit, non coæterna Deo est.* Id, quod natura obtinet in Patre, voluntas, & consensus sortitur in Virgine; scilicèt, quòd Vnigenitus monstretur Deus. Quid causæ? Reddam. Nam si generatio ipsa matrimonium est, & ideò solicitatur consensus; & matrimonium non est nisi duorum: vbi duæ naturæ coïerunt in vnum, qualem prolem putas, nisi Deum? Nequit naturarum numerus in vnam coalescere hypostasim, nisi persona Deus sit, alteraque ex naturis, diuina. Si ex consensu Virginis Deo caro contingit, Diuinitatique sponsatur homo; igitur qui ex consensu gignitur, Deus enunciatur; sicut dum concipitur ex natura. Augustinus serm. 21. de temp. *Assensum tuum Angelus præstolatur; inde est, quod nuntius iste moratur.* Et post aliqua: *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Nec morâ, reuertitur nuntius, & nuptialem torum ingreditur Christus. Accepit stolam carnis in thalamo Virginis: intra thesaurum maiestatis sacculum carnis cepit: Diuinitati sponsatur homo, præmium accipit caro.* En illicò ad consensum generatio; ad generationem connubiū, thalamusque iugalis: quia, qui gignitur, Deus & homo est.

Damasc.

August.

55. Amore itaque concipit Maria licèt concipiat & naturâ, vt disrumpatur hæreticus, qui ex voluntate productum Verbum Dei esse contendebat, vt & naturâ Filium, & naturâ Deum sacrilego abnegaret flagitio. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Absit viri contagium, carnisque licentia. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid est quod priùs Spiritum sanctum cœlestis nuntius commemorat, deindeque adiicit Altissimi virtutem? Sanè licèt æqualis, indiuiduaque sit sanctæ Trinitatis maiestas; Pater origo, fonsque Deitatis est. Cur virtutem Altissimi non priori situ locauit? Quòd si sat fuit Spiritus sanctus, vt generationis sacræ perficeret opus, vt quid virtus Altissimi subditur? Certè præit Spiritus sanctus, quia conceptio hæc ex amore est. Virtus Altissimi statim apponitur, vt & verè Filius Dei, qui concipiendus est, credatur; & tamen ex diuinæ voluntatis termino, qui Spiritus sanctus est, opifice construi demonstretur. Amor pangit fœtum, & Deus suscipit Filium. Ideò Spiritus sanctus accitur, quia Incarnatio opus est amoris: ideò virtus aduocatur Altissimi, quia Filius Altissimi vocandus est ille, qui nascetur ex Virgine in amoris abyssum immersa

Luc. 1.

mersa. Naturâ Filius Dei manet, adhuc nouiter ex misericordia generatus. Misericordia ad voluntatem attinet, Filius Dei ad intellectum Patris, & naturam; & tamen Spiritus sanctus apex amorum vtrumque copulauit, & quòd naturâ maneret Filius Dei, & quòd misericorditer in Virgine gigneretur. S. Fulgent. S. Fulgentius ad Donat. lib. vnic. cap. 6. *In illa natura Dei Patris, quæ esse non cœpit, de æterno Patre coæternus est Filius inenarrabiliter natus: in natura Virginis, quæ esse cœpit ex tempore, de temporali Matre temporaliter est idem Filius misericorditer generatus.* Obserua hoc, *Idem Filius misericorditer generatus.* Idem concipitur Filius; & tamen misericorditer, nempe ex dilectione.

56. Athan. Nec præfatis obesse potest, quod protulit aduersus Anomæum Athanasius in dialog. 2. de Trinit. Εἰ γὰρ, καὶ αὐτὸς βουλήσεως, καὶ θελήσεώς ἐστιν Υἱὸς, οὐκ ἔστι μονογενής, πολλῶν ὄντων τῶν κατὰ βούλησιν ἀποκυηθέντων. γέγραπται γὰρ· βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας. *Si & ipse voluntatis Filius est, nempe non est Vnigenitus, cùm multa sint, quæ peperit voluntas. Scriptum est enim: Volens genuit nos verbo veritatis.* Imo etenim ex adhuc elaboratis feritur hæreticus, qui voluntatis Filium Verbum Dei effutiebat: Ideò quidem, vt captiosis tendiculis creaturam esse demonstraret. In quem scitè iaculum istud contorquet Athanasius, non iam Vnigenitum iuxta hæretici versutias nuncupandum, cùm plura voluntatis diuinæ germina sint, omnes scilicet creaturæ, quæ ab omnipotentiæ effectricis sinu promanant. Attamen id ingeniosi amoris ars effecit, vt & Vnigenitus ex Maria per dilectionem gigneretur, Trinitatisque voluntate incumbente, ex sinu Virgineo prodiret; & tamen Vnigenitus permaneret: nec Spiritus sancti, cui voluntas attribuitur, Filius esset, sed solius Virginis, Patrisq; Diuini; nec creaturarum humili germanitate supputaretur in calculo. Nonnè adhuc ex Maria natus est idemmet, qui à Patre progenitus, & vtriusque vnigenitus nuncupatur ne cum extraneis voluntatis filiis, creaturæ dedecus, ignobilitatemq; quæ Deum dedecet, sustineat? Vis probem? S. Ephr. Audi S. Ephræm de Transfig. Domini, ad illa verba: *Hic est Filius meus dilectus. Maria ipsum appellat Filium, non separatum corpore humano à Diuinitatis eius gloria. Vnus quippe est Deus, qui in corpore visus est in mundo. Gloria eius diuinam significauit naturam, quæ est ex Patre; & corpus eius humanam indicauit naturam, quæ est ex Maria. Idem Vnigenitus ex Patre, & ex Maria Vnigenitus.* En Vnigeniti pignus vtrobique: nec vulgo miscendus eorum, quæ voluntate Trinitatis extra Deitatem creationis opificio producuntur. Licèt ex voluntate sit, & amore, Verbum veritatis manet, lumen de lumine, Vnigenitus ex Genitore, ex Genitriceque, eò enim quo lumen, Verbumque est, licèt ex consensu, amoreque Virgineo progenitus, Geom. Vnigenitus perseuerat. Id metro nectit Geometra hymn. 1.

Χαῖρ' ἀποθρεψαμένη παντρόφον ἡ σὺ θηλῇ
Πηγὴ φαεινῶν πηγὴν θρέψει' ἕνα τριάδος.

Gaude, quæ vberibus lactauisti omnia alentem,
Vt fons luminum alens ex Triade Vnigenam.

In generatione ex Patre princeps est natura; comes, amor: in generatione ex Matre princeps est amor natura seruit.

SECTIO VI.

STABILIVIMVS in superioribus Filium Dei non per voluntatem, & arbitriũ à superno Genitore exoriri, sed ex natura per intellectum, vtpote cui prima cõperit origo, & intellectio vel naturam diuinam constituit, vel vicinius illi adnectitur. Non leuis tamen puluetis concitationem moueri credideris, quomodò voluntas, quæ à diuina natura nec sectione discernitur, nec numero, generationi Filij non incubuerit, præsertim quia non ignobiles Patres voluntari arrogent Vnigenitum, dilectionique sacram genituram adsciscant. S. Bernardus homil. 4. super Missus est: *Porrò necesse erat non modico latitiæ, & amoris praueniente inflammari incendio, quæ Filium Paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuerat conceptura.* S. Ephræm. in opuscul. fusiori de Confess. *Voluntas necessitatem exterminauit, vt non asseramus voluntate necessitati subiectâ naturaliter genitum esse Dei Filium.* Hilarius libro de Synod. *Natiuitatis in eo adeò perfecta natura est, vt qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio eius, ac voluntate nascatur.* Desero alia; si plura cupis adi Ruizium tom. de Trinit. disp. 93. sect. 4. & 5. Non difficilis enodatio est, sed pacata in his tranquillitas, si noueris naturam diuinam in Patre per intellectum radicem esse diuinæ generationis, voluntatem autem esse comitem: tùm, quia non distinguitur à natura: tum, & præcipuè, quia voluntas tam dignâ prole hilarescit, totâque dilectione prosequitur naturalem illam Deitatis perfectionem, quæ sic præcedit voluntatis impulsum, & pulchra sobole reddit Deum Parentem. Non ibi vlla vis infertur. Pater, & Filius in sacra origine sibi complacent, & congaudenter currit cum natura voluntas; nec tamen à voluntate potest procedere, qui naturaliter ex prima intellectione progreditur. Cyrillus Alexandrin. dial. de Trinit. libro 2. *Est enim absque voluntate, quæ est naturaliter, cùm voluntas cum natura eius simul currat, vt sit, quæ est.* Igitur quasi ducatum in generatione diuina fert natura, insequitur voluntas: nec potest amor exulare, cùm innascitur pignus, ad se alliciens totius amoris impulsum. Venustè Athanas. orat. 4. contra Arrian. *Aliud est enim dicere voluntate genitum; aliud verò, quòd proprium iam ex natura Filium constitutum amat, & vult.* Nec præfati Patres, aliorumque, quæ solent accersiri, suffragia aliud exoptant, quàm vel indiuisam naturæ, voluntatisque diuinæ adstruere substantiam; vel nobilem & pulchrum Filium, iam genitum ex natura, voluntatem pellicere, vt ametur.

Hæc ita in generatione pristina Inuersis characteribus procedit noua ex vtero Virgineo, vt sacer circulus, quasi retrogrado gyro, euolueretur. Apud Patrem priùs natura sobolem educit, deinde voluntas assecla trahitur in sobolem; gignere non præualens, quam amat iam generatam. Apud Virgineam Matrem tem ex aduerso medi-

tate.

tite. Ancillantibus natura inseruit obsequiis; sed causa generationis princeps amor est, quia Spiritus sanctus est. Fruor Magno Basilio homil. de
Basilius. Mag. humana Christi generat. *Ideò Deus in carne, quòd maledicta in carnem hanc sanctificari, debilitatam corroborari, alienatam à Deo reconciliari oportebat. Sed quæ huius dispensandi negotij officina: Virginis corpus. Quæ principes causa generationis? Spiritus sanctus, & virtus Altissimi obumbrans.* Quàm partitè, ritéque distribuit, sacrique negotij causas recenset! Virginis corpus dispensandi negotij nuncupat officinam, innuens naturam solùm ministrauisse materiam, & vernulæ more in inferioribus fuisse officiis occupatam. Principem causam Spiritum sanctum appellat, deindeque virtutem Altissimi attexit. En principatum dat amori. Inuersim olim res agebatur. *Tecum*
Psalm. 109. *principium in die virtutis tuæ.* Ex vtero ante luciferum ex natura genuit Pater. In vtero Virgineo tecum princeps Spiritus sanctus, vt gignatis. O amoris ars, ordiri ab amore, quod æternùm orditur à natura! Si apud Patrem natura in generatione princeps est, voluntas insequitur, quasi comes; apud Matrem voluntas princeps adest, siquidem princeps Spiritus; natura autem seruiens insequitur, & ministrans. Id fulcit S. Tho.
S. Thom. in 3. dist. 3. quæst. 2. art. 2. in corp. *Materia enim, quam Virgo ministrauit, fuit materia, ex qua naturaliter corpus hominis formari potuit: sed virtus formans fuit diuina. Vnde simpliciter dicendum est, conceptionem illam miraculosam esse, naturalem verò secundùm quid.* S. Gregorius Nyssen.
Nyssen. hom. 13. in Cant. *Solus hic, noua quadam partus specie, in hanc vitam venit: cui ad nascendum natura non cooperata est, sed seruiit.* Loca ista infrà discutiemus. Sat sit, si his didicetis inuerso ordine ob Mariæ excellentiam præcessisse virgineam in sacro vtero conceptionem, ac in Patre superno. Si enim per naturam, tanquam per principem causam, fœtum hunc gignere quiuisset, non esset Filius Dei. Ideò idem ipse, qui apud Patrem innascitur. Virgini inseritur, quasi ordine præpostero, sed necessario commutato; scilicet, quòd voluntas, & amoris vertex Spiritus sanctus, vt princeps insisteret conceptioni naturaque seruiret, quando apud Patrem generantem natura princeps est, & insectatur voluntas.

59. Hinc forsan illud Angeli: *Dominus tecum.* In
Luc. 1. quibus verbis coniunctio quædam duorum indicatur ad aliquid construendum. Cur non *Tu cum Domino*, inquit, sed *Dominus tecum?* Certè qui ignobilior est, ad nobiliorem solet accedere, esseque cum illo, seu colloquens, seu ministrans. Et quidem vt Domini primatum in Incarnationis opere perpetrando demonstraret, *Dominus tecum* inquit, innuens quòd licet Mariæ vterus concursum præbiturus sit pudicum tamen ad fœtum Dominus præcipua causa est. Annè sub voce *Domini* Spiritus sanctus inest? Si Spiritus sanctus amor est, quem putas Dominum cum Virgine, nisi Spiritum? Ex hoc amoris, & Mariæ iugali
Bernard. thalamo, naturâ famulante, gignitur Deus. Audi Bernardum serm. 4. super Salue Regina: *Dominus tecum. Dominus autem Spiritus est. Spiritus ergo sanctus magnificauit facere tecum. Magnificauit, inquam facere in te duo opera sua. Vnum erat, dum dignam te fecit, quæ Dei Filium concipere posses, & parere: alterum quando ex tua carne sancta, ac digna, carnem Filij Dei formauit.* Si versaueris verba, statim offendes. Priùs dixerat: *Magnificauit facere tecum*, quasi ad sodalitium, comparemque concursum Virgo, & Spiritus sanctus iungerentur. Cur illico mutauit stylum: *Magnificauit, inquam, facere in te duo opera sua?* Ergone confestim pœnituit contubernij nec iam cum Virgine, sed in Virgine opus dicitur peragendum? Sapiens Bernardus non inficiatur Virgineæ naturæ officium, sed eius obsequium principatui sancti Spiritus subiecit. Ideò *in te* adiecit, qui *tecum* præmiserat, vt vtraque voce & naturæ ministerium ad generationem accommodum, & Spiritus sancti primatum detegeret.

Id forsan piperis in Damiano est serm. 11. de 60.
Annunt. *A Deo electam, & præelectam totam* Damian.
eam rapturus erat sibi Spiritus sanctus, & cœlestibus insigniturus ornamentis, Quid Damianus hoc ingenioso ausu opinari prætentat, dum Spiritum sanctum sacrâ prædâ rapuisse sibi à Diuinitate Virginem ostendit? Incarnationis opus, Spiritus sancti functioni, peculiari attributione adscriptum prodere, charismataque in Virgine perpolienda, ornandoque sinu, ex eius penu fuisse deprompta; eamque personam, quæ amor est, voluntatisque terminus, speciali pondere incubuisse, vt Filius gigneretur in vtero, qui in croceis intellectus splendoribus gignitur à Parente? Rapuisse igitur à Deo electam, & præelectam Spiritum sanctum, idem est, quod ad Spiritus sancti munus, officiaque, & Virginis, & prolis attinuisse, accommodatione Theologicâ, Sacramentum; licèt totius Trinitatis opus fuit: quia Spiritus sanctus amor est. Hinc putauerim effectum fuisse, quòd nunquam Gabrielis ministri Incarnationis labia soluerentur, quin *Spiritus sancti* vox insonaret, ne opus diceret, & sileret auctorem Præclarè Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto Ambros.
cap. 5. *Ipse secundùm carnem Dominus, cui Angeli seruiebant, Spiritu in Virginem superueniente, genitus sit; sicut & secundùm Matthæum ad Ioseph Angelus dixit quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est, Et secundùm Lucam dixit ad Mariam: Spiritus sanctus superueniet in te. Opus ergo Spiritus Virginis partus est: opus Spiritus fructus est ventris.* Si ventris fructus est; ergo & ventris opus debeat iure nuncupari. Cur Ambrosius sic distribuit, quòd opus Spiritus sancti, fructum verò ventris esse proclamet? Graphicè. Arridet præfatis. Vterus quidem germen edidit, sed Spiritus sanctus, effectrice virtute, & imbrem suggessit, & calorem. Amoris nexu pudico colligatur vterque Spiritus sanctus, & vterus Mariæ: Spiritus agricola est, vterus gleba: opus ab illo, fructus ab hac erumpit, vt primas functiones ferat amor eiusque nutui natura mancipetur.


Ast si Spiritus Sanctus est, quid sibi cum sanguineo vtero, cum carnea vulua, cum corporeis extis, & visceribus? Hic Filius ex natura Virginis gignendus est: ergo nisi corporeo insistat vtero qui fiet conceptio prolis, quæ licet Deus, humana destinatur? Non piguit Spiritum sanctum corporalem vterum incolere, vt amori Filius pangendus dabeatur, licèt Spiritus sancti filius non futurus, sed Virginis, cuius naturam desumpsit. Hinc paro lucem difficili Anselmi loco de excellent. B. Anselm.
Virg. cap. 4. agit de amore Virginis ad Filium, cui nullum comparandum esse definiens sic prosequitur: *Nec mirum: ipse enim Spiritus Dei, ipse amor omnipotentis Patris, & Filij, ipse per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur; ipse, inquam, corporaliter, vt benè dicam, venit in eam singularique*

rique gratia præ omnibus, quæ creata sunt siue in cœlo, siue in terra, requieuit in ea. Nosti illicò nodum oon segniter plicatum io illis verbis: *ipse, inquam corporaliter, vt benè dicam, venit in eam.* Quid audes Theologorum fax? Spiritus sanctus non assumpsit corpus ex Virgine, non Incarnationis subiuit œconomiam: licèt coagolandu corpori studuit, corpus nun sibi coagmentauit, sed Filio Dei. Quid est ergo, quòd corporaliter in eam veuisse pronunties, Spirituique corpus extraneum, & graue membrorum onus appingas? O quantus amor Spiritui sancto; quàm sacra cupido Vnigenitum Dei, si non sibi Filium, saltem Filium Virginis compingere, Marianique sinus in nola coagulare, vt & se fœcundum audiat, & Filium genitum ex amore! Ideò non iam solam mentem incolit Virgineam, animique gaudet fouere recessus; sed vsque ad corporis penetralia subintrat, visceribus se insinuat castis, præcordia peterrat, & corporei cubilis abstrusa rimatur, veluti si corpori immistus, corporaliter venire dignoscatur. Itaque corporaliter venisse dicitur ab Anselmo, non quia corpus assumpserit, sed quia è mente, quæ Spiritus sancti aula est, in Matris corpus fouendum, imbuendumque protraxerit charismatum, & gratiarum effectus; vt quidquid virgineum esset, in conceptionis instanti, feruido amoris cremaretur incendio, Spiritusque sancti præsentia vaporaret. Anselmum ex Bernardo alibi, Bernard. enuclea homil 4. super Missus est: *Si autem iam Spiritus sanctus erat in ea, quomodò adhuc tanquam nouiter superuenturus repromittitur?* Et post pauca: *An prior quidem gratia eius repleuerat mentem, sequens & etiam ventrem perfundere debeat, quatenus scilicet plenitudo Diuinitatis, quæ ante in illa, sicut in multis Sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat?*

62. En Spiritus sanctus solicitat, vt ex amore Virgo enitatoe; nec poder aduentus in corpos, dum gestit ex corpore, Dei Vnigenitum modulari. Amore rigat viscera, vt fœcundet; nec extranei seminis patitur mioisterium, cùm amoris calore fouere sufficiat vterum mox Deum geniturum. B. Ivo. B. Iuo Carnot. Episcop. serm. de Annunt. *Spiritus sanctus superueniet in te. Non enim sicut quidam fatui, & erronei cogitant, Spiritus sanctus in ea vicem exhibuit seminis, sed quia tanta ei diuini concessa est vis amoris, quæ ita illam mente, & corpore inuiolatam custodiret, vt nullus ei concupiscentiæ carnalis æstus præualere posset: sola meruit eligi, de cuius immaculato corpore corpus immaculatum sibi aptaret, qui ante tempora prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Seminis vocabulom apud Iuonem Spiritus sanctus recusat, cùm apud plures Patres admittat, quos alibi cumulabimus. Et quidem vicem seminis obiisse ratione virtutis, non verò substantiæ coporeæ, docet S. Thomas 3. p. q. 32. art. 2. ad 2. S. Thom. Alia subtilis mens Iuonis est. Negat fuisse semen, ne Pater Christi esse dicatur; & probat fuisse amorem, qui nec in diuinis, intellectualis seminis munere fungitur. Non ille genitor est personæ diuinæ: id solùm Patris, & Mariæ pignus est, & insigne. Patri semen, vt supra dicebamus, ad genituram species intelligibilis, id est, natura, prove memoriam reddit fœcundam, esse circomferror. Spiritui sancto, qui ex vi originis amor est, semẽ illud, seo species ad gignendum Filium non tribuitur: ideò nec in vtero Virgineo secundùm hanc rationem, seminis obiit functionem, quia genitor non est. Attamen qoi sibi non est semen nec genitor; in Virgine Matre effectricis virtutis habet officium: cùm totum mysterium ex charitate sit, & voluntate. Guitmundus Archiepisc. Auersan. in confess. de Trinit. *Hinc est, quod de Spiritu sancto conceptus dicitur, quia Spiritus sanctus charitas est, & totum hoc mysterium operata est.* Guitm. Amor princeps generationis caosa, quidquid naturæ est, obnubit, & cõdit. vt sui scintillas, & ignitionem halans, accedeotis concursus tegat sodalitium.

63. Nec prætereire fas est illud Cantic. 3. *Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, mediâ charitate constrauit.* Cantic. 3. Quid est mediâ constrauisse charitate purpureum ascensum? Anoè pro stromate charitas, quæ pauimentum purpurei ascensus obtegat, & vestiat, ne lubricus vestigiis claudicet incessus? Equidem sicut aurea aula, silice area, concusso stipite terra constetni solet, Rex sapiens charitate ferculum constrauit; ne vel pes, vel fimbria aliquid præter charitatem attingeret; nec oculus nisi charitatis hilararetur prospectu, nec laciniis obreperet attactus puluis, sed amor. Attamen censerem, quòd mediâ charitate constratum ferculum pulchrè describitur, vero omni ferculo nil mediet, nisi charitas; charitas mediom sit ad reclioatorium aureum, medium ad ascensum purpureum: scilicet Incarnationis, fœderisque nuptialis vtriusque naturæ charitas mediatrix sit, cui omne negotium delegatum est, vt quod geritur, charitatis functione geratur. Quod ex eo fulcitur, quòd Spiritui sancto, qui charitas, & amor est, tanquam medio, in vtero Virgineo adscribitur sponsalium apparatus. Hesych. serm. de laud. Virg. *Ipse Pater te sibiipsi desponsabit, Spiritus sanctus coefficiet ea, quæ ad desponsationem pertinent, & Filius ipse templi tui decorem assumet.* Hesych. En non solùm in medio Spiritus sanctus, sed vt medius occurrat, adsit arbiter, thalamique intercessor insistat, mediatorisque munus obeat. Quin non solùm charitas mediatricis intercedit ope, sed quasi stroma, sedileque est, quo Verbum insidet Incarnatum: ita vt sicut locus ambit locatum, sedesque sedentem sic continet, vt vndequaque cingat, & amplexu stringat, & arctet; sic Deus homo in charitate, quasi in sede, sedeat, & vndique à charitate circomagatur: vt & circoitus charitas sit, & virginei vteri circulus, non nisi charitate constratus circumdet Incarnatum: quia ex charitate concipit, ex charitate parit, & spirat vndequaque charitatem. Vnde tam reclinatorium, quàm ascensum charitate constrauit, ingressum scilicet, commorationem, & egressum, vt omnis sibi sedis ambitus charitas fuisset. Cupio ab hac meditatione Richardum à S. Laurent. lib 10. de laudibus Virg. *Christus ergo faciendo sibi sedem in ferculo, quæ erat media inter sedem, & signa ipsius ferculi, charitate constrauit, id est, complanauit: vel constrauit, id est, ad insidendum parauit, sicut equus sternitur, cùm in eo sedes paratur. Sedem ergo ferculi ex charitate constrauit, quia non nisi in charitate manet, residet, aut quiescit.* Richard.

* *
*



ACADEMIA XVI.

In Maria gignente *Natura*, & *Gratia* obuiauerunt sibi: vt Patrem ex natura gignentem describeret.

Maior in Maria celsitudo, quod supernaturaliter *gigneret*, *quem Pater generat* ex natura.

SECTIO I.

1. IVINVS Pater, virgineaque Mater ex indiuisæ cōmunione prolis sacris nexibus vinciuntur. Vtrūq; soboles vna commendat: quæ literaliter vtrobique genita, quia altera non est, in plura similitudinis argumēta deducit. Probauimus in superioribus Patrem naturâ Filium genuisse, non arbitrio; non voluntatis negotiante electione, sed intellectus naturali conatu. Diximus Matrem assensum subiecisse conceptui, ex voluntateque fœtam amoris incaluisse contactu. Dispar omnino origo hæc est. Discrimen opus erat inter generationem æternam & temporalem. Attamen vt in hac disparitate & Dei nostri benignitas, & sublimitas Virginis inclareat; adhuc discutere oportet, quid in Virginis conceptu natura profuerit? quo factum fœtum fouerit obsequio, conduxerit ancillatu? vt compareat naturâ verè Virginem genuisse, licèt virtute ex alto fuerit impleta, ne illi quis inuideat hanc è supero Genitore dignitatem traxisse.

2. Et quidem quòd Deus Pater naturaliter gignat non eget calamo, sed fide. Id passim Patres aduersus Arrianos propugnant. Athanas. orat. 2. contra Arrian. Basil. homil. 28. contra Sabellian. Cyrillus Alexandrin. lib. 1. Thes. cap. 8. Audi Hilarium li. 6. de Trinit. *Ex se Vnigeniti sui naturalis docetur natiuitas.* Damascen. lib. 1. Fidei cap. 8. *Generatio sine principio, & æterna naturæ opus est.* Athanasius orat. 4. contra Arrianum. *Quemadmodum bonus semper natura: ita semper genitabilis naturâ Pater.*

Athan. Basil. Cyril. Alex. Hilar. Damasc. Athan.

3. An Maria naturâ genuit? Chrysol. serm. 146. *Sic Christus, quod nascitur, non est consuetudo, sed signum: non est natura, sed virtus: non ordo est, sed potestas: & est cœleste miraculum, ratio non humana.* Et sermon. 140. *Aue, hoc est: Accipe gratiam. Ne trepides, ne sis solicita de natura.* Augustinus sermone 17. de temp. *Christum Virgo peperit: mutatur natura, deletur & culpa.* Chrysip. serm. de Deipar. *Aue, quæ vuluam adepta es præter naturam.* Quid plures? Ergo nimiùm deficit à similitudine superni Genitoris Virgo Mater? Imò in hoc illustrior Virgini claritas affulget. Supra miraculum est, gloriosiúsque Virgini, sortiri per gratiam id, quo Pater Diuinus per naturam potitur. Impossibile fuit Altissimo sobole caruisse: non illi gratia succurrit, vt gignat; sed natura placidâ necessitate impellit ad fœtum. Si naturâ Deus est, quid quòd Deum generet? Virgo Mater & eodem Filio gaudet genito, & eiusdem naturæ cum Patre non est: cense de miraculo, vt de dignitate censeas. Ausculta Bernard. Senens. tom. 1. serm. 61. cap. 12. *Et quidem quòd Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cùm ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale: imò impossibile est, quòd non generet Deum propter suam fœcunditatem. Sed quòd fœmina conciperet, & pareret Deum, est & fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim (vt sic dicam) fœminam eleuari ad quamdam æqualitatem Diuinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum: quam æqualitatem creatura nunquam experta est.* Quid nobiliùs? Igitur magis accedit Deo Patri, fœlicioríque cum illo similitudine pollet Virgo Mater, supra naturam concipiens: siquidem, vt concipiat, quamdam cum illo, annuente Bernardino, æqualitatem nacta, quod Pater non munere, sed natura tenebat; non naturâ, sed munere obtinuit. Radix huius Deificæ dispositionis est, quam dedit S. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. *Omne, quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliquâ dispositione, quæ sit supra suam naturam.* Quod rēpit in imis, sydera non digito tangit, nisi priùs eleuetur in æthera; viciniamque syderum, quam natura non dederat, det volatus. Maiori attonitus stupore feriris, dum sic arduum iuxta cœlum conspicias, quàm si ab initio natura cœlesti situi affixisset id, quod ab imis in superna cōsurgit. Maria ex terra orta, ex hominibus assumpta, gratia subleuante, in Altissimi pignus sustollitur: quod natura non ferebat, adepta est virtus; in æqualitatis supernæ portionem arripitur: in illa prodigium est, quod in Deo Patre natura: si naturaliter gigneret, remaneret in imis, nec Deo pro sobole frueretur: propinquior est Patri per naturam, Mater per gratiam.

Chrysol. August. Chrysip. Senens. S. Thom.

4. Imò tota Maria super naturam euecta est, naturæ pactis, altiorque sanctionibus. Vis probem? Communis est Ildephonsi locus in lib. de partu. Deip. *Quid est, quòd legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus?* Ergonè supernaturalis fœmina est? Spiritus sanctus solùm superuenit ad conceptum: vtquid Ildephonsus tempora laxat, spatia distendit, vniuersamque fœminam à functionibus eripit naturæ, ne iura commaculent, quam arduam suspiciunt? Id pulchrè, & ex ingenioso fonte de quo pluribus suprà Acad. 7. Maria etenim, quidquid est, Incarnationis est opus iuxta Ildephonsi disciplinam: hic scopus, hic Marianæ existentiæ finis. Quid ambigis naturâ sublimiorem agnoscere sacram fœminam, si Incarnatio super naturam est, cui tota Virgo deuouetur? Id sapienter subintulit Damasc. orat. 1. de natiuit. Mar. *Vitam naturâ præstantiorem habebis, non tibiipsi. Nec enim tui ipsius causâ progenita es. Quocirca Deo habebis, ob quem in vitam prodisti, vt orbis vniuersi salutis administram te preberes, atque antiquum Dei consilium, hoc est, Incarnationis Verbi, ac nostræ Deificationis per te impleretur.* Libra rationem, cur naturâ præstantiorem dixerit Virginem: *Nec enim tuiipsius causâ progenita es.* Tetendit existentia in generationem Filij Dei: prælecta, vt fieret Mater: quare, quia super naturam Mater, super naturā Maria, licèt ex natura est. Deus sic super omnem naturam sublime inhabitat solium, vt nec naturæ vocem admittere dixerit Theoph. in illud Ioannis 1. *Deus erat Verbum*, asserens *Verbum*

Ildeph. Damasc. Theoph.

Dei

Cyril. Alex. *Dei esse super naturam*, Cyril. Alex. l. 7. Thes. c. 1. *Supernaturalem Dei substantiam* appellauit. Quid quòd ipsum Verbum in Virgine super naturam concipiatur, & ipsa Virgo super naturam eleuetur: vt in vtroque confinio collocata habeat ex natura, quòd fœmina sit, quòd vuluam ministrauerit ad conceptum; habeat super naturam quòd virgo genuerit? Sic Deus & natura est, & super naturam. S. Germ. Præclarè S. Germanus in natiuit. B. Mar. *Natura sine patre Filium, sine doloribus natura præter naturam induxit vi supernaturali, naturæ opificem generare.* Luculento compendio rem dedit, vtrique officium, supernamque virtutem explicuit.

5. Adeò naturam Virgo Mater supergressa est humanam, vt gignens virgineè non solùm inlatentem geniti reuelet Deitatem; sed humanitatis assumptæ veritatem tegere videatur. Iuuat expendere Dionysium Areop. epist. 4. ad Caium Monach. sic præmittit: Areop. *Idemque cùm ad essentiam assumendam venisset, essentiam accepit, qui omni essentia superior est: & quæ hominis sunt, supra hominem gerebat. Quod declarat & Virgo, quæ supra naturam parit: & aqua profluens, quæ pedum ex materia, terraque concretorum grauitatem, onusque sustinet; nec cedit, sed vi naturam superante, conglobata fuit, vt ne diffunderetur.* En Diuinitatem absque anxia vestigatione à Virgine patiente retectam prodit, partumque virgineum cum vndarum obedientia sub Dominicis pedibus componit adeóque virgineum Filium super naturam genitum fuisse contendit, vt in ea verba insolita nimis, & audaci proruperit Theologia. Do Græcè, καὶ γὰρ ἵνα συνελόντες εἴπωμεν, οὐδὲ ἄνθρωπος ἦν· οὐχ ὡς μὴ ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἐξ ἀνθρώπων ἀνθρώπων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ ἀνθρώπων ἀληθῶς ἄνθρωπος γεγονώς. Id est: *Nam, vt summatim dicamus, ne homo quidem erat.* Quæ te cogitatio cepit, Dionysi, Theologicum fastigium? Ergonè non homo, qui verè genitus, verè ex homine natus? Statim frœna premit, stylumque tegens, inquit: *Non quòd non esset homo, sed quod ex hominibus natus, homines longè superaret, & supra hominem verè homo factus est.* Sed cur rogo, in priora verba sic prorumpens insiluit. *Nam, vt summatim dicamus, ne homo quidem erat*, si continet statim orationis cursum? *Non quod non esset homo*, &c. Id quidem Dionysij calamum impulit, quòd virgineè genitus; & quamuis genitus homo, quà ab homine matre, non tamen vt homo solùm, sed etiam supra hominem, quà à Virgine, etiamsi cætera sit homo. Do scholium Georg. Georgij Pachymeræ in Epist. Dionys. inibi: *Tametsi Iesum profitemur hominem esse, idque ex Virgine Matre, & nostra substantiæ participem: sed & adopertam in se eiusmodi affirmatio, arcanamque vim retinet negationis, quæ nostræ etiam mentis transcendit aciem. Quisquis enim audit hoc, mox respondet: Non simpliciter homo, quandoquidem ex Virgine prognatus est: sed supra humanæ naturæ conditionem, etiamsi cætera sit homo.* O quanta in virgineis Mariæ infulis maiestas! Vt hominem pariat Dauidicæ stirpis Regia Virgo decernitur: & tamen in ipsa virginitate hominem abscondit, reuelat Deum: & etiamsi cætera sit homo; quà ex Virgine, non vt homo, id est, non vt solet homo concipi & nasci, procedit. Quæ periphrasis tutior est, cùm verè homo natus ex Virgine sit, vtpote cui humanitatis vterus extitit officina: sed quia præter morem hominum homo gignitur, eà voce sic expensa vtitur Dionysius.

6. Operæ pretium est subdere alium Dionysij Areopagitæ locum de diuinis nominibus. cap. 2. Areop. καὶ τὸ μὲν ἀνθρωπικῶς αὐτὸν οὐσιῶσθαι, μυστικῶς παρειλήφαμεν· ἀγνοοῦμεν δὲ ὅπως ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων, ἑτέρῳ παρὰ τὸν φυσικὸν θεσμὸν διεπλάττετο. Id est: *Atque eum quidem viri figuram, naturamque assumpsisse mysticè accepimus: sed ignoratur, quomodò ex Virginis sanguine aliâ lege, quàm quæ à natura præscribitur, formatus, fictusque sit.* Cur viri figuram apposuit iniuriâ veritatis? Imò confestim adiecit *naturamque assumpsisse*, ne humanitatis veritas pateretur. Copulauit vtrumque, vt hominem, & super hominem esse decerneret, qui ex humana fœmina, sed virgine genitus euasit. Ex quo Deitatem probat toto illo capite, abditæque generationis modum adnectit Dominicis gressibus super fluctuum globos, liquidamque & fluxam maris planitiem. Verùm obserua in editione Græca non scribi *ex Virginis sanguine*, sed *ex virgineis sanguinibus*: sicut aliàs pluries transtulit Latinus, licèt consortia latinitatis virgula reluctetur, vt alibi adnotamus. Censerem hoc pulchro compendio præternaturalem virgineæ generationis modum describi: vnde subdit *alia lege, quam quæ à natura præscribitur, formatus fictusque sit.* In quonè acumen? In eo sanè, quia humana proles non tantùm ex sanguine sed ex sanguinibus coagmentatur, coëuntibus spermatibus masculi & fœminæ. Sanguis enim concoctus, elaboratusque semen est, dumque in muliebris vuluæ conceptaculo coalet vtrumque formatur fœtus. Sic Ioan. 1. Ioan. 1. *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Vbi Græcè ἐξ αἱμάτων eodem stylo, quo apud Dionysium. Suffragetur Augustin. August. tract. 2. in Ioan. *Sanguina, vel sanguines non est latinum: sed quia Græcè positum est pluraliter, maluit ille, qui interpretabatur, sic ponere, & quasi minùs latinè loqui secundùm Grammaticos, & tamen explicare veritatem secundùm auditum infirmorum. Ex sanguinibus enim maris & fœminæ homines nascuntur.* Subdit scholium Lucas Burgens. Luc. Burg. *Non ex sanguinibus*, inquit, *maris & fœminæ, interprete Augustino, non ex commistis, corruptisque viri ac mulieris seminibus: nam ex purissimo sanguine concocto sperma tam viri, quàm mulieris generatur.* Et statim: *Præstat intelligere Ioannem propriè loquutum significare voluisse humanam generationem diuersis, quamquam secreto quodam naturæ artificio in mutuam harmoniam redactis, sanguinibus constare.* Si sanguines de re thalami dicuntur, cur ex virgineis sanguinibus fictus formatusque Dominus apud Dionysium perhibetur. Si enim Virgineè; superfluit numerus: nec solùm otiatur, sed obest. Imò mysterium retegit pluralis numerus cum virginitatis attributo coniunctus; in eoque supernaturalitas huius conceptionis ostenditur. Sacra fœmina non iuuamine viri indiguit ad fœtum: sanguis vnus pro sanguinibus fuit, non quia simul matrem efficeret & patrem, sed quia opitulatione supernæ virtutis, numeri impleuit officium, fœminei sanguinis singularitas. Ergo & sanguines, & virginei benè illigantur: vt appareat non curtam, inopemque ex defectu masculi generationem fuisse, nec ex viri accubitu compositam; sed vtrique difficultati sat fuisse fœminam supernaturali vi adiutam, quæ & integram sobolem & virgineè concepit.

7. Cur concepisse dicitur, si nullam viri hausit virtutem; nec vuluæ conceptaculo masculi sanguinis compressit portionem? Sanè id significare

dices conceptionis vocabulum, si consulas Albertũ Mag. in illud Luc. 1. *Ecce concipies in vtero*, vbi hanc sibi difficultatem medicatur. Quidquid diuinum, quidquid virgineum est, Mariæ celsitudini fert opem. Prodigium miraberis. Si libata fœmina concipere dicitur, quia in eius vtero virtus viri fœdo inquinamento recipitur: Maria dicitur concipere, quia virtutem Spiritus sancti concepit, vt conciperet Filium Dei; adeóque eius dignitas euehitur, vt, licèt prauo intellectu & illicito cogitatu dixerint nonnulli Mariam Spiritum sanctum concepisse, vt Filium Dei gigneret, quasi parũ esset maiestati virgineæ intermediâ Spiritus sancti concepisse, seu recepisse virtutem. Audi
Alb. Mag. Albertum suprà: *Si autem ad hoc dicatur, quòd concepit corpulentam substantiam Virginis, & Spiritum sanctum, qui illam substantiam formauit; incongruum est & illicitum, quia Spiritus sanctus eò quòd est immensus, non concipitur, nec includitur alicubi. Vnde dicendum, quòd cum sua corpulenta substantia concepit virtutem Spiritus sancti, qui illam corpulentam substantiam, primò decidit à sanguine Virginis, & posteà conuertit eam & formauit, & figurauit, & in membra distinxit & animauit.* Quid de hac supernaturali Virginis generatione nobilius! Adhuc audieras Mariam Filium Dei concepisse: iam apud Albertum habes ex vocis *concipere* proprietate, virtutem Spiritus sancti concepisse: non quidem quia Spiritum sanctum, eiusque virtutem genuerit, sicut conceptio frequenti vsu pro generatione accipitur: Sed quia à Spiritu sancto fœcundata perhibetur, delecta vox est ex thalamo: vt quod natura fœculentiâ sorde consequitur, supernaturale sit in Maria.

Maria per gratiam & naturam gignens, Dei-virilem Christi operationem præsagiuit.

SECTIO II.

8. DISCEPTATIO Theologica est, an generatio Christi naturalis fuerit, an mira-
Magist. S. Thom. culosa? Discutitur in 3. dist. 4. & apud S.Thom. 3. par. quæst. 33. art. 4. Profectò plura intercessère in Virginea vulua, quæ ex naturæ officina deprõpta, pro natura suffragãtur: plura ex Altissimi virtute & Spiritus sancti ãplexu effluxerunt, quæ supernaturalitatem euincunt Iudicium ferat S.Thom. 3. p. q. 33. art. 4. in corp. *Si cõsideremus id quod ex parte materia cõceptus, quã Mater ministrauit, totum est naturale. Si verò consideremus id quod ex parte virtutis actiua, totum est miraculosum. Sed quia vnumquodque magis indicatur secundùm formam, quàm secundùm materiam, & similiter secundùm agens, quàm secundùm patiens: inde est, quòd conceptio Christi debet dici simpliciter miraculosa & supernaturalis, sed secundùm aliquid naturalis.* Sic acciperem Nyssenum ho-
Nissen. mil. 13. in Cant. *Solus hic noua quadam partus specie in hanc vitam venit: cui ad nascendum natura non cooperata est, sed seruijt.* Seruijt natura apud Nyssenum, quæ apud Thomam ministrauit. Verba transpositâ locutione inuertere video Bona-
Bonau. uenturam in 3. dist. 4. q. 2. sic concludit: *Concedendum est ergo quòd illa operatio non fuit naturalis omnino, imò aliquid habuit supra naturam* S.Thomas, *secundùm aliquid naturalis.* Bonauentura *aliquid habuit supra naturam.* Alter miraculo, alter naturæ dat suffragium. Sistamus litem ex Filio, in quo plura ex natura, plura supra naturam coierunt. Ergo pietatis & venerationis fuit, quasi vmbras in Matre præcessisse eorum, quæ in Filio futura parabantur; velut si imitantibus vestigiis in se traduceret, quæ in generationis instanti virgineum compegêre conceptum: & iudiuisâ societate virtus Diuina, & fœmineæ naturæ munus negotiaretur in Virgine, vt posteà Deitas & humanitas sibi obuiarent in Filio. Ambros. in lib. Ambros.
de Incarnat. cap. 6. *Secundùm naturam se obtulit nostram: vt vltra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præmium est. Multaque in eodem & secundùm naturam inuenies, & vltra naturam.*

Quid autem ex Filio ad Matrem gignentem 9.
transilimus, vt inter miraculum & naturam pacata sit quies? Sanè venerabilior semita est in laudibus Marianis per Diuini Filij dotes ire, vt ad granditatem Matris deuota vestigia pertingant. Meditabat Filium ex Virgine genitum Theandricam, id est, Dei-virilem operationem instituisse, quatenus ex Deo homine actio effluebat, quem nec humanitatis pudebat, quâ Deum; nec Diuinitas supprimebat, quâ hominem. Hoc actionum genus me iudice, priùs sic appellauit Dionisius Areop. Areop.
epist. 4. ad Caium: *Ex hominibus natus homines longè superaret, & supra hominem verè homo factus sit: & Diuina, non quatenus Deus est, perficit; nec humana, quatenus homo: sed postquam Deus factus est homo, nouam quamdam ex anima & humana compositam operationem apud nos instituit.* Mendum quidem irrepsit: nam dicendum ex *Diuina & humana*: Græcè sic lego καὶ ἀνδρωθέντος Θεῦ καινήν τιν' θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. *Postquam Deus factus est homo, nouam quandam Dei-virilem operationem nobis instituit.* Annè hæc operatio composita ex Diuina & humana sumpsit exordium in Virgine generante, ibique prælusit in vmbra, vt posteà illuxisset in corpore? Equidem id innuere videtur Dionysius: *Et supra hominem verè homo factus sit*: velut si ex conceptione virgea ad Christi Dei-virilem operationem sumeret argumentum, eâ ratiocinatione: In Virgine concipiente Altissimi virtus Deitatis opulentia, Spiritus sancti intercessêre charismata, simulque Virginis natura genitricis munere fungebatur: fœmina & Deus operi insistebant pudico, ne in generationis instanti alter ab altero segregatus, sacræ genituræ deroget. Ea fuit argumentosa sedulitas Diuini concursus & humani, vt exinde in eodem instanti, formato fœtui operationis Dei-virilis disciplina inderetur. Quam generosa Virginis excellentia! Priùs in illa quædam vmbræ actionis Dei & fœminæ exercentur, vt posteà in Filio Dei-virilis innotésceret operatio. Ergonè hæc actio virginea dici poterit Dei-fœminea? Non audeo. A nouitate vocum abhorrendũ præcipuè, nam Dei-virilis operatio personam à qua egreditur, Deum & homiem esse præsignat. Sat est sic exercuisse Virginis Matris dignitatem, vt in ea vna indiuisa actio à Deo simul & fœmina proueniret, singulari Deitatis incursu: vbi ex parte superna Spiritus sanctus olei supernaturalis erogauit cellaria, & tota Deitatis incubuit plenitudo; & ex parte Virginis natura virginei sanguinis apothecam subiecit, sacrique liquoris, fœmineo more, licèt virgineo miraculo, repressa

stillici

stillicidia concessit: vt simul præter naturam, & secundùm naturam Christus euaderet; qui nec totus de Deo, nec totus de Virgine, licèt totus Dei Bernard. & totus Virginis sit S. Bernard. hom. 3. super Missus est. *Vel potius vnus Christus fieret, qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, & totus Virginis est.*

10. Quid sublimius Virgini, quàm in eius vtero documenta elementave Dei-virilis operationis adumbrati? Id forsan innuitur in illis: Luc. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: ac si diceret: Opus est quòd ab Altissimi absorbeatis virtute: & vt Deus homo euadat; Deus & fœmina coniungantur, conceptioque fiat vtriusque opitulatione concussus: & tunsmet sanguis vmbram, id est, virtutem accipiat à Deo, qualiter vir vmbram in semine relinquit, vt homo euadat, qui ab homine generantur, formamque à genitore transcribat. Ergo priùs Virgo conceptura Deum, Deum sibi compingit, & quasi conglutinat, vt ex Deo & Alber. Mag. fœmina Deus homo generetur. Id alibi expensus innuit Albertus Mag. in c. 1. Luc. *Sicut natura generantis vmbram sibi similem relinquit in semine, qui partum conceptum format humanum: sic supermundana & diuina illa Patris virtus vmbram suam produxit in Virgine, quæ conceptum & partum formaret Diuinum.*

11. Vis probem, generationem ex Virgine auspicium fuisse sacri compositi ex Diuina & humana Luc. 1. operatione? Angelus ait: *Ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Curnè sic appellationi insistit? Qualia signa Filium Dei prodet? Euth. Sanè Dei virilis operatio. Euthim. inibi: *Ideò quoque sanctus infans, inquit, qui ex te nascetur, vocabitur à fidelibus Filius Dei propter diuina opera vnitæ sibi Diuinitatis.* Quare autem addidit: *Quod nascetur ex te?* Quia in generatione virginea, eius nominis secutum præmittebatur auspicium, vtpote ad quam & Deitatis virtus, & fœmina concurrebat: vt exinde & Filius Dei, & Filius hominis vocaretur. Pergit Euthymius. *Quia Spiritus sanctus superueniet, in te & virtute Altissimi obumbrabit; ideò quod nascitur, erit sanctum, siue Diuinum.* Ergo ad modum generationis attendit Angelus, & scitum argumentum è generante Virgine per virtutem altissimi obrumbratâ ad Diuinitatem Filij deducit. Quare, quia vnum ex altero argutè deriuatur, non acquiesco Maldonato, qui separat & disiungit, licèt plurimùm nostro cogitatui arrideat: bonus auctor est; verba auscul- Mald. tes: *Non placet interpretatio Euthymij, qui tantùm intelligit, Christum vocandum ab hominibus Filium Dei, propter admiranda, atque diuina opera, quæ facturus erat. Non enim eam causam Angelus reddit, quamobrem Filius Dei vocandus esset, quòd diuina facturus esset opera, sed quod Spiritus superuenturus in Virginem, eamque virtus Altissimi obumbratura esset.* Multum laboris impendit, vt suadent illud Angeli: *vocabitur Filius Dei*, de sola conceptione, humanaque generatione intelligendum, quatenus non à viro, sed à Deo virtute Spiritus sancti facta fuit. Congratulor huic Doctori, benè de virginea generatione merenti: cæterùm idipsum non Euthymium subterfugisse præmonui, qui aptè vtrumque subintulit, alterumque ex altero deduxit, videlicet Virginis Filium, Dei Filium vocandum fore, & quia diuinitus concipiebatur in Virgine, & quia procliui sequelâ diuina fuerat opera patraturus.

12. Deus & fœmina Deum hominem produxerunt. ... *Zerda, Mariæ effigies.*

Nec tot syllabis opus est: sat est, produxit Virgo Mater; vt Dei & fœminæ agnoscatur concursus; quâ Mater, naturæ conceptaculum, sanguinis concretionem, alui officinam; fœtusque baiulum sinuum præmonet impendisse: quâ Virgo, Deitatis reuelat in valido iuuamine largitatem. Id benè distinxit Georgius Pachymera in Dionys. epist. 4. Georg. ad Caium. Meliùs Chrysippus serm. de Deip. Op- Ch y p. timè S. Ephræm de Margar. pret. quem iuuat dis- S. Ephr. currere. Sic præmittit: *Margaritam non concharum coniunctio format, sed fulguris & aquæ commistio. Sic & Christus in Virgine conceptus est citra aliquā voluptatem, dum Spiritus sanctus ex eius massa assumptionem Deo constituit, formauitque.* Ecce Virginis, Spiritusque concursus, quasi fulguris & aquæ commistio, vt Dei & fœminæ, ne dicam Dei fœmineam, sentias actionem. An id, quia in genito duplex natura, nexu, non confusione? Pergit: *Duarum naturarum est particeps hic lapis pretiosus: vt ostendat Christum, cùm Verbum sit Dei ex Maria Virgine natum, non vnicam particularem habuisse naturam.* Et post aliqua: *Verùm perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus.* Aurea sunt hæc, indiuisâque partitionis acie rē distribuit S. Ephræm: *Homo ex homine, Deus ex Deo.* Annè hominem solum humana fœmina concepit? An Deum solum Deus in vtero Virginis adstruit? Absit. Cur igitur sic secat hominem à Deo, appingitque hominem homini, Deumque Deo? Annè sicut vitalitas visionis beatificæ intellectui irrogatur; supernaturalitas lumini; sic ex Dei, fœminæque sacro congressu ad sobolem, Diuinitas sobolis Deo, humanitas fœminæ adscribitur? En igitur Dei & fœminæ operatio, vt ex ea proditet ille, qui Dei-virilem operationem eliceret. Ergonè sic patiemur concussum, vt dissecta pars auarâ acuminis acie Deo, fœminæque tribuatur? Absit iterum. Imò si vna fœmina, Virgo & Mater est, absque patris iactura Deus homo integrè illi debetur. Si Virgo parit, ne longis periodi vestigationibus fatigeris; quod antè diuidebas, iterum adnecte. Si homo ex homine, Deus ex Deo, iam ex Virgine Christus, qui vtrumque coëgit hypostasi vna, Deusque homoque est. Hæc vis inlatet in illis: *Homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus.*

13. Iuuat hunc Dei & fœminæ operationis, quam generationem Dei hominis intelligimus, explica- Damasc. tum Damascenus orat. 1. de natiuit. Mariæ: *O quot miraculorum & cuiusmodi fœderum hæc filiola, hæc sterilitatis fœtus! Officina extitit Diuinitatis nimirum & humanitatis.* Quomodò officina Diuinitatis, si Deitas in Virgine facta non est, licèt Deus homo factus sit; An, si Deitas posset fieri, non in alia officina, nisi in Virgine strueretur? Sanè officina communi, solemnique stylo locum significat in quo opera faciunt artifices; ex quo quandoque ipsam solet significare operationem, fabricatio- Plinius. nemvè. Plinius lib. 31. c. 2. *In magnis siquidem corporibus, aut certò maioribus, facilis officina sequaci materia fuit.* Ergo non passiuè, vt dicitur, sed actiuè; nec ex parte termini, sed principij, præconium hoc virgineum acciperem, nempe quod virginea generatio, vtpote à Deo, fœminaque profluens, in Deum hominem tendens, actio fuerit Dei & naturæ Virginis; quæ vtriusque officina effecta est, vt Deus homo construeretur.

14. Ex quibus iam liquet, Mariam & per naturam, & supra naturam concepisse: vt iam exinde inciperent supera inferioribus coniungi, humanis

 diuina,

Thaum. diuina. Stylus hic Patrum est. Thaumat. serm. 1. de annunt. *Secundùm naturam, eò quòd more nostro & tempore motus, gestationisque seruato, protulisti: at præter naturam, aut potius supra naturam, quia supernè diuinum Verbum aduenit, & in sancto tuo vtero Adamum reformauit, ac fœcunditatem Spiritus sanctus sanctæ Virgini præbuit.* Chrysip. Chrysippus de laud. Virg. col. 2. Chrysost. Chrysost. homil. 49. in c. 24. Genes. Quid plures? Richard. à S. Laurent. Omnes modi quasi suopte impetu ad Virginem generantem concurrerunt. Richard. de S. Laurent. lib. 4. de laudib. Virgin. pag. 758. *Fecit siquidem in ea aliquid, quod fuit contra naturam, aliquid, quod fuit secundùm naturam; aliquid, quod fuit supra naturam. Contra naturam infirmitatis nostræ fuit, quod Virgo concepit, secundùm naturam, quòd in vulua conceptus & formatus: supra naturam, etiam conditionis primæ quòd sine virili semine Virgo concepit.* Quid vltra? In virginea generatione simul conuenerunt virtus innata, infusa & increata. S. Bonauent. S. Bonauent. lib. 4. de Christi humanit. c. 10. *Virtus innata materiam ministrauit: virtus infusa purificando ad vnionem Verbi adaptauit: virtus increata subitò perfecit, quod natura non potuit, nisi successiuè.*

15. Parum ista, nisi obsequium Virginis, & similitudinis ad superum Genitorem accersamus Patres, qui hanc Virginis genituram, naturalitatis vocabulo insigniere. Athan. Athanas. de salut. aduent. *Sed quia Deus Vnigenitus decreuerat ex plenitudine Deitatis suæ, primi illius, exemplarisque hominis informationem instaurare: & ex vtero Virginis nouam constituere in seipso, naturali genitura & cognitione, quæ dolorem non haberet.* Si naturalis genitura est? ecce Patris generantis stylus, de Basil. quo Basil. lib. 5. contra Eunom. Naturâ & *essentialiter genuisse* profert. Ephr. S. Ephræm ab Athanasio non dissidet de Marg. pret. In quibus non supernaturalitas denegatur, sed generationis veritas adstruitur: & quia vulua, etsi virginea; si semel fœcunda est, natura est.

16. Idem. Hæc de generatione: quid de partu? non tædeat auscultare difficilem locum S. Ephræm suprà: *Infans Deitatem perfectam continebat, quæ sub natura simplici tenebatur: ac propterea vi illius, qui in ipsa erat, Virgo instar cochleæ naturaliter peperit, & vt mulier effecta est.* Annè censoriâ virgulâ feriendus Ephræm, qui naturaliter peperisse Virginem libero calamo describit? Id quidem in Patre superno profertur, de quo Hilar. Hilarius l. 6. de Trinit. *Ex se Vnigeniti sui naturalis docetur natiuitas.* Mutuauitne stylum à Patre, quæ potiùs supernaturali peperit miraculo? S. Elig. Certè S. Elig. homil. 2. in Purificat. *Contra naturam*, inquit, *Maria parit.* Alger. Algerus lib. 1. de Sacram. cap. 9. *Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine.* Nic. Episc. Nicolaus Episcop. Methonens. de corp. & sang. Christi apud Biblioth. tom. 12. *Cùm supra naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex Virgine sit natus.* Non id quidē detractat S. Ephr. qui supernaturalitatem agnouit, cùm dixerit: *ac propterea vi illius, qui in ipsa erat, naturaliter peperit.* Ecce vim fassus est supernam sacri fœtus: naturaliter tamen peperisse dixit, quia verè peperit naturali situ, naturalique temporis lege; non verò naturæ impetu, non nixu parientis. Sim. de Cass. Simon de Cassia de Verbo incarnato lib. 2. cap. 4. *Non natus potestate parientis, non naturæ impetu.* Attamen temporis, situsque legem dixit Damascen. Damascenus de orthod. fide lib. 4. cap. 5. *Sic nimirum, vt consueto more pareret, cæterùm supra naturæ modum gigneret.* Euseb. Eusеb. Cæsar. de demonstrat. Euang. lib. 4. cap. 10. *Christus more nostro est editus, sed non tanquam homo, verùm vt Deus, de purissima, nullasque experta Virgine nuptias.* Ildelph. S. Ildephons. lib. de virginit. Mar. cap. 1. *Humana quidem natiuitate, humana lege, humano sensu, humana conditione, humana veritate; illæsa, incorrupta, inuiolata, integerrima verè. Diuino autem munere,* &c. Chrys. Chrysost. homil. 49. in c. 24. Genes. *Oportebat autem & partim cum nostra natiuitate communicare, & partim alienum esse. Et quomodo? Audi: Nam de vtero prodire, commune habet nobiscum: absq; nuptiali autem congressu nasci supra nostram est natiuitatem. Naturale est conceptum fieri in vtero: supra naturam humanam est absque commistione esse pregnantem.* Goffr. Denique Goffrid. serm. 3. in natiu. Dom. *In quantum natus est de fœmina, natus est lege hominis: sed amplius lege Dei natus est, quia sine peccato, & sine dolore, & corruptione Matris.*

Et quibus constat, quot obsequijs in Virginem concipientem gratia concurrerit & natura, lex Dei, & fœminæ lex. 17. Attamen quia generatio hæc amoris fuit ostentum, recensioque attributorum Dei, & ingens Omnipotentiæ apparatus; miraculosa simpliciter dicenda est. Hinc tota ratio ineundi sacramenti in Virgineo sinu Spiritus sanctus indicitur, humanæque operationis non perstrepit vox. Amor princeps generationis causa, quidquid naturæ est, obnubit, & condit, vt suæ scintillas & agnitionem halans, accedentis concursus tegat sodalitium. Forsan ideò Angelus, dum modum Virgo sacra sciscitatur originis, Luc. 1. Spiritus sancti nomine venerando prolato, totum tolerauisse negotium putauerit; nec naturæ meminit, dum mysterij recolit dignitatē. Photo. Abb. Adsit lux Photoni Abbati Pruniensi lib. de magna domo Sapient. *Nulla humani operis perstrepente inquietudine, Spiritus Domini, qui super aquas ferebatur, virtute sua superueniens, Virgini obumbrauit, & de carne illius Verbo incarnato materiam carnis formauit. Sic in fabrica huius domus, quā sibi Sapiētia ædificauit, Spiritus sancti operatio perfecit, vt sine semine visceribus Virginis se infuderit, & eā fotu suo, velut ouum volucris supersedentis, separata mysterij maiestate, ad fœcunditatem perduceret.* Quid naturam torpore incusas, segnitiemque euanidam illi imponis, dum nullam concrepuisse humani operis inquietudinem adstruis? Nonnè naturæ humanæ concursus in fœmineo gremio, Incarnationis sacramento seruiuit? Sanè triplex in quacumque naturali conceptione interuenit actio, quod seriò Suar. disserit P. Suarez 2. tom. in 3. p. quæst. 32. disp. 10. sect. 1. Prima, in vulua fœminea sanguinis congregatio: secunda, fœtus inculta, incomptaque formatio: tertia, decora iam & perpolita. Et quidem prima actio vtero Virgineo non neganda est, qui potuit naturali vitalitate sanguinem ministrare, licèt etiam in ea ob velocitatem, & quia fuit absque virilis impulsus excitatione, miraculum extiterit. Cur igitur omnem ablegat humani operis vocem Photo? Profectò virum explodit solum, non fœminam. Cura fuit opificem vndequaque amorem præconari, qui tarda molimina recusans, cuiusque naturalis iuuaminis operit consortium, vt solum videatur natura comitari, non agere; quippe in Patre natura princeps generationis est, comes amor.

Sed quomodò ad conceptionem hanc Spiritus sanctus, qui terminus voluntaris est, accitur, vt 18.

atri

artifex; & Mariæ voluntas consulitur, vt consentiat: & sic opus non naturæ, sed supernaturali attribuatur impulsui: si virtus generatrix Virgini præstita, non virgineæ voluntatis arbitrio, sed naturæ cursu operabatur? Sic torquet argumentum S. Bonauentr. in 3. dist. 4. q. 2. *Si aliquis operatur secundum potentiam diuinitus sibi collatam, operatio illa naturalis dicitur, non miraculosa; pro eo quod, licèt virtutes naturales omnes collatæ sunt ei diuinitus: tamen operatio egrediens à potentia intrinseca, naturalis est, & exercetur naturaliter, nisi egrediatur voluntariè: sed potentia generatiua collata fuit ei (nempe Virgini) nec cooperabatur ipsi virtuti agenti voluntariè: ergo videtur, quòd cooperetur potentiæ naturali, & naturaliter agenti.* Sic arguit pro naturæ suffragio: solutionem infrà ex ipso subiiciemus. Verùm non suffert animus subticere hoc argumentum, non suscipi pro natura patrocinium videri: quia quidquid in Virgine è supernis fuit, amori deputatur, sanctique Spiritus amplexui, moremque voluntatis seruauisse videtur; qui, vt ex amore Virgo conciperet, libentem eius expetiuit assensum. Si vulua cooperatur amori; quid renuis voluntatem adesse? Ergo virtuti agenti voluntariè cooperans Virgo, non naturâ sed arbitrio, processisse probatur. Hæc tamen non vigent: quoniam licèt voluntaris fuerit consentire Angelo nuntianti; semel virtute desuper inditâ, gignere non voluntatis fuit. Imò in eo amoris inualuit consilium, quòd natura ancillaretur amori, amorque naturam impelleret, vt ille ducatum ageret, hæc in odorem officiosa traheretur; omneque opus Spiritui sancto attribueretur, ne deficiat pro principe causa generationis, amor & voluntas.

Bonauent.

19\. Sed adhuc Bonauenturæ argumentum ferit, probans non miraculosè, sed naturaliter conceptionem Virginis euenisse: Quoniam, licèt miraculum fuerit ex virtute superna fœcundam reddi Virginem ad conceptum; semel autem hac virtute præstita, iam sibi fœtum natura coagmentat: sicut si semel lumine visus perfundatur cœcus, vt palpebras, ciliaque gubernet, intendat pupillas, lumina tractet, non extero indiget patrocinio. Non igitur miraculum est, dum gignit Virgo, licèt miraculum fuerit generationis efficientem. Verùm quid naturæ leges inuenire solicitas in Maria, quæ miraculorum officina est? Non solùm miraculum fuit, virtute diuinitùs illapsa, Virginem fœcundari; sed & virginem manere, dum genuit. Ideò deligitur Maria ad Filium Dei generandum, vt non solùm virtutem genitricem cœlitùs sortiretur ad sobolem; sed adhuc, virginitatis decore perseuerante, conciperet. Obserua Virginis responsum: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quid est, quòd inter omnes generandi modos, qui illi occurrere potuerunt, solùm memorat generationem ex viro, vt excludat & deieret? O grande pro virginitate votum? Acsi diceret. Etsi virtute genitrice polleam: etsi supernis qualitatibus imbuar, fouearque diuinitùs, vt fœcunder: nisi adhuc gignens, virgo maneam, fœcunditatem funditùs abhorreo. Ideò miraculum fuit, quòd maneret virgo, quod erat; & inciperet esse genitrix, quod non erat. Non sic Sara, non sic Elizabeth, & quarum arida vulua diuinitùs incaluit ad prolem; sterilitatem enim, qua languebant, amittunt, dum laxantur in fœtum: nec simul manere præualent sterilitas & fœcunditas. Id Mariæ miraculum

Luc. 1.

post fœcunditatem est, quòd & virgo maneat, & mater fiat. Quòd cœcus, medicatâ iam potentiâ, videat miraculum vltrà non est: quia ad sonum naturæ actum natura cognoscit: naturalis est illi visus, licèt supernaturaliter indita virtus. Id perbellè Bonauentura pluribus differit in præfata quæst. 2. ad 3. *Quoniam virginem manentem, Virginem concipere, hoc est supra terminos naturæ: hinc est, quòd, quantumcumque conferatur sibi potentia, adhuc tamen est operatio mirabilis. Vnde duplex fuit hoc miraculum, videlicet in potentiæ collatione, & in ipsa operatione. In fœcundatione autem mulierum sterilium, sicut Sara, & Elizabeth, solum fuit miraculum in restitutione potentiæ, in hoc, quòd est ibi sterilis fœcundata: sed non fuit ibi miraculum in executione, quia non simul mansit sterilitas & fœcunditas: imò fœcunditas abstulit sterilitatem. Hoc autem fuit singulariter admirabile, quòd fœcunditas Virginis Mariæ non abstulit virginitatem; sed nec virginitas exclusit fœcunditatem,* Bonauent.

In Maria gignente per gratiam elucet strictus naturæ *significatus, qui ad Deum contractus ostendit, quare secunda Persona sit Filius. Plura de Virginea fœcunditate.*

SECTIO III.

20\. **S**At hæc non sunt, nisi quam ex Sancti Spiritus feruente flammâ absque viri contactu Virginem concepisse præaiximus; naturam hausisse ad sanctam prolem generandam probemus. Sic natura & arbitrium, sic indita virtus, & elicitus amor obuiabunt sibi. Sic superi Patris resculpetur origo, dum simul supernaturalis virtus superueniens ad Diuinum fœtum præscribatur; & in Virginea Matre, sublimiori quodam, & inextricabili modo; Diuinæ naturæ participatio eniteat; vt supernaturalis quædam natura redderetur, Patrem Deum imitans, in quo strictim natura residêre concipitur, vt prolem pariat Diuinam.

21\. Obseruo, naturam multifariam accipi. Vel enim laxo explicatu pro essentia, substantiave accipitur. Sic Theodoretus apud additiones ad Breuiar. liberati cap. vltim. *Natura, & substantia in nullo significatorum differunt, nisi nomine.* Ambros. lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 9. prope med. *Si de nomine substantiæ, aut naturæ Diuinæ voluerint dicere, facilè reuincuntur, quia & vsiam Græcè, & Latinè substantiam frequenter Scriptura memorauit. Et Petrus vult, nos, vt legimus, Diuinæ consortes fieri naturæ.* Augustin. serm. 38. de tempor. non longè post med. *Vnum naturæ nomen, quod dicitur Deus, substantia, vel essentia.* Hilarius lib. de Synod. *Cùm ergo essentiam dicimus significare naturam, vel genus, vel substantiam, intelligimus eius rei, quæ in his omnibus semper esse subsistat.* Quod licèt apud Patres solemne ferme sit, nempe ad Deum translatas hac voces eodem significatu pollere: non defuere & pristinæ, & nostræ tempestatis Theologi, qui naturæ nomen ex Philosophica, strictaque disciplina aduocent ad Deum cum significatu physicis obuio,

Theod.

Ambros.

August.

Hilar.

oio, negato semper imperfectionis næuo. Physicus autem naturam ab essentia distinguit, quòd hæc prædicatis suis contenta sit; illa vlteriùs in proprietatum germina erumpat. Quare Philolophus definit. 2. Physic. cap. 1. sub init. per principium motus & quietis: quin naturam à nascendo & germinando dixit Athanasius tractat. de Athan. diffinitionibus, colum. 3. Ex quo etiam apud Deum discrimen aliquod inter naturam & essentiam agnouit S. Thomas 1. part. quæst. 39. art. 2. S. Thom. ad 3. *Quia natura designat principium actus, essentia vero ab essendo dicitur; possunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia: sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est vnum esse. Et ideo magis exprimitur vnitas Diuina per hoc quod dicitur, quod tres personæ sunt vnius essentiæ, quam si diceretur, quòd sunt vnius naturæ.*

22. Imò adeò discrimen hoc pressiùs inualuit, & strictiùs, vt non indocti Neoterici, dum rationem vestigant, quare Spiritus sanctus filius non sit, in naturæ strictiorem sese recipiant explicatum. Censent etenim in Patre Diuino, Filioque naturam propriè dictam inesse, quatenus principium est productionis ad intra. Vnde quia Dei Verbum haurit à Patre naturam, adeò fœcundam & feracem, vt Spiritum sanctum producat, Filium esse nituntur; cùm Filij, generationisque proprium sit, strictam naturam per originem accipere. Sic, vt fertur sensêre Richardus Victorin. lib. 6. de Trinit. cap. 18. & 19. Bonauentura in 1. dist. 13. quæst. 2. artic. 1. quæst. 2. Alensis 1. par. quæst. 42. membro 2. §. 1. Godfredus quodlib. 3. quæst. 3. apud Aureol. in 1. dist. 3. artic. 1. Ioannes Maior. in 1. distinct. 3. quæst. Petrus Cameracensis apud Gabriël. distinct. 13. init. quæst. Et ex Nouioribus Pater Zuniga tractat. de Trinitat. disput. 2. dub. 20. à membr. 9. Recentes docti sequuntur. Discutimus nos in Academiis Theologicis. Alij mitiùs naturæ acceptionem sumentes, distinctum constitutiuum essentiæ & naturæ impartiuntur; naturam solùm in ordine ad personas contemplantur, essentiam vllis respectibus exuunt. Quid nos censemus iudicij inter sententias hasce, non locus hic absque puluere pacatus, absque iurgio floridus admittit: alibi dissero. Nunc tamen pro Virginea maiestate negotianti, præiacta sensa amplexari religio est: nec deiecto in suorum Auctorum abire vestigia, dum Dominæ meæ impendo famulatum.

Richar. Victor. Bonauen. Alensis. Godfried. Ioannes. Maior. Petr. Cam. Zuniga.

23. Aio igitur: Virgo Mater, tametsi super naturam conceperit, ob conceptionem Filij Dei, aptissimo attributo, ineffabili sacramento, *Natura* venit nuncupanda, eo significatu, quem apud diuina præmisimus. Nec refugies, si quæ prælibauimus, tibi figas: Ideò secundam personam in Diuinis Filium exoriri, quia naturam strictim accipit, dum eam haurit fœcundam ad personam Diuinam producendam. Index ergo naturæ Patris Filius est. Nonnè & parilis index naturæ Matris, siquidem idem ipse est, qui exoritur, principiumque supponit in Virgine, Diuinæ personæ productiuum, esto id supernaturale sit, & virtute Altissimi compleatur? En naturæ vbertas, en fœcunditas quæ Patris Diuini naturam prodit. Mitus est S. Ephræm. qui singulis quoque syllabis S. Ephræm. naturam ingeminat in Virgine. De Margar. pretiosa; *Filium fructificauit natura sine viro. O magna mysteria! O cœlestia decreta! Quia peperit natura non proprium: & Filius natus est, non ex viro procreatus. Virgo facta est Mater, & natura fons; aluus nutrix, & puella adiutrix, ac socia. Assumptio ex vbertate naturæ, & generatio ex impletione, atque fœcunditate determinata ipsi naturæ.* Quid toties naturæ vox flagellat aures, O Syre, cùm, quidquid in Maria est, naturæ legibus altius esse prædiximus? Theologicè nimis & ex seria fronte S. Ephræm naturam in Virgine censuit, quia Patri persimilis, vbertate virtutis, hilarique naturæ prouentu eumdem Filium germinauit, naturà quadam supernaturali, & ex Trinitatis eruta thesauro. Quare in stylo persistens, post integram columnam charactetem resumit Ephræm: *Sed Infans perfectam Deitatem continebat, quæ sub natura simplici tegebatur: ac propterea vi illius, qui in ipsa erat, Virgo instar cochleæ naturaliter peperit, & vt Mulier affecta est: nullâ tamen ratione, rursus natura, sicut conchyliorum plicis, ac finibus, vsu venit ad virginalem statum recurrente. Non perdidit sigillum natura Virginis.* De quo locis suprà egimus.

Ad quod succedat non inuulgatis Andreæ Hierosolymitani locus, qui apud serm. 2. de Annunt. 24. Andr. Hieron. fertur: *Mulier, quæ cœlorum superauerat naturam puritate. Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis. Prima natura proximò accedens ad Deum opificem omnium generationem.* Conflictum adhuc est, cur primam naturam nuncupauerit Andreas, præcipuè cum Angelis comparans, à quibus paulominùs diminuta Psalm 86. est natura humana, quæ inerat Mariæ? Lego, eruditos quosdam ad prædestinationis album confugisse, in quo primò inscriptam primiceriam Virginem defensant. Sed mentiar, vel non odorati sunt inlatentem Hierosolymitani sensum, qui subtiliorem indaginem exoptat, penitioremque & peritiorem curam. Prima natura Virgo Mater est: quia sicut Pater per naturam propriè dictam Filium progignit, quatenus natura principium est productionis ad intra, Diuinæque personæ radix; sic Maria in huius originis euecta sodalitium, licèt, quà fœmina, Adamique progenies, inferiorem Angelis essentiam interceperit; tamen miraculo Dei generationis tota in naturam propriè dictam transiuit, qualis in cœlesti Patre renidet, ratione generationis Diuinæ personæ. Luculenter se explicuit Andreas, dum naturæ contulit primatum; tum ex miraculo Dei generationis, tum ex accessu ad Deum opificem omnium generationum. Vt fatear, hunc locum non inueni in serm. 2. de Annunt. in quo citari solet: vtpote quòd sermo ille non extet, quòd sciam. Solùm vnicus de Annunt. apud Andream sermo est. Extat tamen locus hic lucidior, & exactior in homil. 1. de dormit. B. Virgin. in Bibliot. Homil. Gerardi Mosani: *Erat autem spe-* Andr. Hieron. *ctaculum verè nouum, & quod non poterat consequi cogitatio. Mulier, quæ cœlorum superauerat naturam puritate, in adytorum, quæ sunt in cœlis, sancta commeans, & ingrediens. Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationū; Mater, quæ ipsum viuere pepererat, consequuta vita finem partui non absimilem & miraculum Deo & fide dignum.* En primam naturam protulit, quia primum naturæ germen, qui Filius Dei est, peperit. Sterilis Angelus filium non gignit. Seraphim natura, accidentis nempe, intellectionis, & volitionis productione contenta est; substantiam non

nouit

nouit fœtu. Quid quòd in natura præcellat Maria, cuius vterus naturæ promptuarium & fertilissimus ager ipsomet frutice, quo natura Patris, redimitur? Quare sicut excellentiam in natura, miraculum generationis euincit, sic & naturæ primatum. Ex quo alibi ipsemet Andreas ait: *Et reuerâ omnes superauerit, quæ sunt in generatione natura, magnitudine.* Cætera præfixi loci alibi expendimus.

25. Quia Deus nascitur ex Virgine, prima natura Virgo nuncupatur. O quali ingenio! Natura sanè à nascendo dicitur, quasi natiuitas ab eo dicta, quòd aliquid nasci faciat. Vnde Plinius naturam, *parentem* appellauit. [Plinius.] Et Cicer. 1. de Diuinat. [Cicer.] *Parere*, inquit, *quadam Matrona cupiens, dubitans essetne prægnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam, retulit; negauit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse.* Igitur quidquid ad conceptum est, natura est. Vnde natura philosophicè differt ab essentia, quatenus ista radicem operationis præsignat; hæc silet. Equidem Deum *naturam* appellabat Seneca, [Seneca.] seu totius generationis opificem lib. 4. de beneficiis. Natura ergo ipsa à quo orietur, si principium ortus est? O quanta fœcunditas, quæ natura naturæ sit, id est, quæ naturam germinet pro sobole! Ergo cùm Maria Deum edidit, qui natura est, meritò & natura, & prima natura nuncupanda. Hæc super omnia ineffabilis gratia est. Fauet Augustinus [August.] tractat. de Assumpt. Virgin. colum. 1. *Ineffabilem sanctificationis gratiam, quam concipiendus præbuit, conceptus & natus non abstulit. Quæ quantum in corpore valuerit Virginis, illi soli notissimum est, qui de eius natura naturam suscepit, quam condidit.* Natura triphariam est apud Augustinum. Nam qui naturam condidit, si Senecæ arrideas, natura non immeritò nuncupatur. Omni nobilitatis vertice præcelsior dignitas Marianæ naturæ. Naturæ ipsi de sua natura naturam præbet, & omnium Genitori generationem dispensat, vt alterno reciprocentur munere, & Genitor rerum à Maria natus, & mater Genitoris à genito procreata. Quare id supra omnem feracitatem in hac Virginea gleba assurgit, quòd ipsum naturæ colonum germinauerit. Sic in Concil. Ephes. cap. 7. [Concil. Ephes.] *O vtere, in quo arma aduersus mortem fabrefacta sunt. O aluum, ex quo naturæ colonus sine semine exortus est.* Id pulchrè tractat Carthusianus [Carth.] Dionysius de dignitate Mariæ, artic. 18. *Nil Deo causalius, nil eo fœcundius. Si creatura aliqua, nedum consimilis, sed eiusdem quoque cum Deo productrix sit germinis, haud dubium eam Diuinitati effectam simillimam.* Et statim: *Qui cunctis causaliter fœcunditatem præstitit, à tua beatissima fœcunditate profluxit. Vnde in te tanta fœcunditas, nisi correspondens quoque tibi inexisteret bonitas?* [Chrysolog.] Ideò Mariam voce *genitricis*, & *naturæ* antonomasticè insigniendam esse innuit Chrysologus serm. 146. *Aut genitrix quando non, quæ sæculorum generauit auctorem? Principium dedit rebus natura Virgo Mater, semper nouerca corruptio.* Peroptimè Mariæ nomine nuncupat naturam: nam Virgo Mater, Mariæ nomen est. Aptum muneri vocabulum. Nondum aratro subacta, ligone contusa, sarculo defossa, imbre madefacta, tellus prima dedit fructum suum: inde incepit aperiri natura, cùm nondum inquinamenta subisset. Virgo mater vocatur, dictione mutuata à Maria, vt alterna vice illi nomen naturæ rependat, quæ sæculi generauit auctorem.

Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes. 26. [Luc. 1.] Quid tibi cum omnium generationibus, Virgo pudica, quæ nec thalamos didicisti, nec hymenæos; quæ nec virum nouisti, nec generationum artes, & officia? Se Matrem canebat Genitoris iam prima natura effecta, ex quo quasi totius naturæ officina omnium ad se generationes aduocabat. Iam calleo Andream Hierosolymit. sermon. in salut. Angel. ὁ κατὰ φύσιν ἅγιος, ἐν τῷ παρθενικῷ τῆς φύσεως ἐργαστηρίῳ, τῷ τ' ἐνανθρωπήσεως λόγῳ παραδόξως ἑαυτὸν συνέπηξεν. [Andr. Hierosol.] *Salua sis immensi gaudij Genitrix. Qui suapte natura sanctus in vtero Virginali, seu naturæ officina, quoad incarnationem mirabiliter seipsum conclusit.* Quidnè illud *seu naturæ officinâ?* Officina locus est, in quo artifices formant opera effectricia, reponunt instrumenta, totiusque practici opificij tumultuarius sonus concrepat. Si Mariæ vterus naturæ officina est, & naturæ generationem insigitat, omnium generationum quasi opifex apparet, vel saltem theca, repositoriumvè. Et quidem id absque negotio fateberis, cùm illa Ecclesiastici verba 24. cap. 26. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini,* [Eccles. 24.] concors Ecclesia arroget Mariæ.

Quidni naturarum officinam compelles, si in ipsius vtero tam dissitæ naturæ compaginem, 27. complexumque tam arctæ contiguationis inuenêre, quòd nulla ætatis contumelia effringere valebit? Dices: Natura Diuina genita non est in vtero Virgineo, sed humana, quam Diuinum Verbum sibi adsciuit. Non igitur vterus naturarum officina efferendus, quippe cui alterius naturæ nec genitura contigit, nec opificium. Verum est. Sed nec apud Patrem Diuinum natura gignitur, solum Filius generari dignoscitur: quid quòd eadem obseruentur in Matre? Imò vt appareat Filium in Maria concipi, qui naturam Patris propriè dictam, & cum stricto fœcunditatis accipit significatu: ideò forsan audio; naturam genitam à Patre, nostram naturam à Virgine suscepisse, vt pudica vulua vtriusque naturæ officina sit. Difficilem euoluo S. Fulgentij locum, lib. vnico de fide ad Petrum, col. 2. in fine: [S. Fulgent.] *Illa enim natura, quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam sine peccato suscepit, vt nasceretur ex Virgine. Nec enim natura æterna, atque diuina temporaliter concipi, & temporaliter nasci ex natura humana vllatenus posset, nisi secundùm susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter conceptionem, atque natiuitatem ineffabilis in se Diuinitas accepisset.* Extra Theologiam Fulgentius abire videtur, in absonamque deflectere sententiam: quippe natura Diuina nec à Patre gignitur, nec à Matre genita dignoscitur. Ausculta Magistrum in 1. dist. 15. [Magist. sent.] *Qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura Diuina, quæ sola est vniuersorum principium, præter quod aliud inueniri non potest: & illa res non est generans, nec genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit: vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura.* Rusticus Card. disp. contra Acephal. id latè prosequitur. Censeo non extra lyram canere Fulgentium, nec naturam Diuinam gigni voluisse, sed Filium; vel quia à natura Diuina non distinguitur, sicut similes Patrum propositiones suprà ex S. Thoma extricabamus: vel (quod nostro assonat instituto iuxta præfixum *naturæ* explicatum) ideò naturam sem-

per

per à Patre genitam manere dixit, à Matreque temporali concipi, vt naturam propriè dictam, Diuino Filio insitam proderet, ideóque genitum, quia natura illi, vt natura, communicata est Quam concipi in Virgine, obsequente parumper calamo, forsan perhibet, vt vtriusque naturæ Virgineum vterum officinam præconetur. Quantus amor impercussæ vuluæ, floridi sinus! Vel ipsa Deitas, si fieri posset, abstracta etiam personalitate, concipi auet in Virgine. Quòd autem non naturam genitam, sed Filium genitum ex natura, & Patris in

Fulgent. Excelsis, & Matris in inferis, senserit Fulgentius, testis ipse sit contra sermonem Fastidiosi cap. 8. *Proinde sicut indubitanter prædicamus natum, sic vtique prædicamus & factum. Dicimus enim sine initio natum de corde Patris: dicimus in tempore factum opere Trinitatis. Filium enim suum proprium, & de sua natura Pater genuit, & de natura Virginis fecit.*

29. Si hæc sanè tenueris, non iniuriosè præteribis Patres, quotquot Mariam officinam nuncupant naturarum. Sic tom. 1. Concil. in actibus

Concil Eph. Concil. Ephes. capite 7. *Sacra Deipara Maria in vnum nos redegit: hæc vnitarum inter se naturarum officina: hæc salutaris reconciliationis panegyris: hæc thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsauit.* Explicat *officina* vocabulum dictio *thalami*, in quo fit, qui gignitur. Olim genitus, temporariâ mensurâ fit in Maria: Deitas non capessit initium, non sub officinæ instrumentis euadit; nec currente rota, è manu procedit artificis, quæ omnium artifex est. Industrius amor inuenit modum, quo & Diuinitas non fieret, & Deus fieret homo: vt vterus Marianus obsequium officinæ præberet. An quia Fabro lignario dispensata fuit, filiique Fabri nomen traduxit in prolem? Imò fabro vterum non permisit, nec sibi satis artis humanæ putauit officium, quæ totius naturæ Opifici aptam officinam præbebat: nec aliâ potuit affatim compleri virtute, nisi Spi-

Basil.M. ritus sancti, qui omnium artifex est. S. Basil. M. hom. de humana Christi generat. *Quæ huius dispensandi negotij officina? Virginis corpus. Quæ principes causa huius generationis? Spiritus san-*

Ioan.1. *ctus & Virtus Altissimi.* Imò ea est cum tanto opifice huius officinæ apta concinnitas, vt Verbum, per quem omnia facta sunt, dum se totum effundere parabat & transmittere in humanam naturam; dum se deiecit in Virginem, in officinam se proiecisse dicatur: eò vterus iste efficaciæ per-

Epiph. uenit. S. Epiph. in Anchor. *Euacuauit seipsum, formâ serui assumptâ: non plenitudo imminuta est, sed vt ostenderet, à cælo transenacuatum in humanum naturam, hoc est, in officinam Mariæ.* Et alibi: *Ipse enim Saluator sanctus est, qui de cælis descendit, qui in officina Virginis salutem nostram operari dignatus est.* Hæc faustum sortientur explicatum,

Damasc. si perpenderim Damasc. orat. 1. de natiuit. Mat. ὢ πόσων θαυμάτων, καὶ οἵων συναλλαγμάτων τοῦτο τὸ θυγάτριον ἐργαστήριον γέγονε, [illegible] θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος, πάθους, καὶ ἀπαθείας, ζωῆς καὶ θανάτου, ἵν᾽ ἐν πᾶσιν ἡττηθῇ τὸ χεῖρον ὑπὸ τοῦ κρείττονος. Id est: *O quot miraculorum, & cuiusmodi fœderum, hæc filiola, hæc sterilitatis fœtus, officina extitit, Diuinitatis nimirum & humanitatis; passionis & impassibilitatis; vitæ ac mortis: vt scilicet in omnibus rebus id, quod inferius erat, à præstantiore vinceretur.* Cum neruo, Diuinitatis & humanitatis officinam appellat, contrariarumque rerum sapientis connexionis conceptaculum; vt virginitate per Spiritus sancti impulsum elaborante, non iam vt in cæco & confuso chao, frigida pugnarent calidis, & candida nigris; sed *in omnibus id, quod inferius erat, à præstantiore vinceretur.* Valida & potens energia in illis verbis inlatet, quasi dixerit: Non sic coaceruatim, tumultuarioque congressu dissimiles illæ naturæ coierunt, vita & mors; passio & impassibilitas; Diuinitas & humanitas, sicut in phantasmate & spectro, absque acordi conciliatione deformes glomerantur species, vt sic permaneant nullo temperaturæ modulamine ligatæ: sed potiùs tanquam in officina solet æs, argentum, & ferrum existere, vt artis ope mollita, naturam quidem non perdant, sed in nobiliorem fortunam adsciscantur. Affabrè Virginea officina humanitatis & Diuinitatis, passionis & impassibilitatis; vitæ ac mortis, Virgo nostra est; vt mors in vitam, passio in impassibilitatem, homo doleret in Deum. En cur non monstrum, & phantasia sit ex hac sapienti officina homo Deus, de quo suprà disseruimus.

Ergo in sinu Virginis duplex natura conspirauit. Ergo Virgo natura est, quæ Vnigenito Patris dedit naturam: imò ideò prima natura, quia naturam illi præstitit secundam. Perbellè Geometra hymn. 1 de Deip. 30.

Geom. *Gaude, naturam Christo impertita secundam?*
Nempe vt mortalem iungeret æthereæ.
Gaude, miscens naturam haud misto integra partu,
Carne Deo exhibitâ, carne carente notis.

Secundam naturam appellat humanam Geometra, cùm tamen post Angelicam numerum subintret. Sed strenuè quidem; vel quia intellectum humanum eiusdem speciei potuit censere cum Angelico; vel quia natura hæc è Virgineis visceribus decerpta, situm supergreditur Angelorum ob fœcundam virginitatem, cuius Angelus expers est, de quo alibi. Fœlix, per quam qui primus omnium, qui princeps est, secundam naturam concinitur delibare.

Adhuc præfata in redundantem Marianæ Virginitatis feracitatem contendunt, omnique naturâ fertiliorem proclamant. Natura præsagit fructum, accingitur ad opus, & in germinum prouentus exuberat. Virginitas sterilis est; nec numerum amat, sed cœlibem cupit vnitatem. Hinc virginitas & natura nexum respuunt, dexterasque iungere recusant. Quid igitur? En Virginea natura inuenta est. Qualem putaueris? Maria est: quà Virgo, sibi venusta, sibi compta Diuinam allicit sobolem; concipit, quà natura. Hinc *Virgineam naturam*, quasi quodam excellentiori, & singulari elogio Mariam appellat Epiphanius Cypri Episcopus in Orat. de Diuini corp. sepult. [illegible] *Quemadmodum enim obsignatis, ab ipsa natura inditis patefacientibus vterum claustris Virginea natura Christus ex Virgine natus est: sic Christi regeneratio, cùm non essent aperta sepulchri sigilla, facta est.* 31. / S. Epiph.

Imò, quod plus est, subiicio. Natura docet Mariam Virginem. Timebis à paradoxo. Virginitas etenim cum partu supra naturam est. Sed do Epiphanium Episcop. Constantien. lib. 3. contra Hæreses: *Sancta Maria vox Virgo est, & non mutabitur: impolluta enim permansit sancta. Ipsa natura non docet vos? O nouam insaniam! ô noua* 32. / Epiph. Const.

negotia

negotia! De hoc loci egimus supra. Armabat pharetram aduersus Marianæ virginitatis hostes, quos ab ipsa natura de virginitate perhibet edoceri. *Ipsa natura non docet vos?* Natura docere nequit, quod addiscere nequiuit. Ast inen acumen. Virginitas in Maria natura est, nempe generationis principium, ortusque Dei sub humano corpore. Vterus, in quo semel Deus fœtus fuit, inquinari non præualet, spurcitiisque fœdari libidinis. Natura igitur, id est, natiuitas, seu natiuitatis radix, Deiparæ virginitatem asserit, nulli obnoxiam dedecori illibati pudoris: natura quippe, fœcunditas, & virginitas æternâ sibi germanitate corrident. Si virginitas transit in naturam, si natura in virginitatem, sicut virginitas hæc nequit concipi sine partu, sic nec partus sine virginitate comite quit cogitari: nulla potest vberior concipi fertilitas; ipsemet Deus, qui natura est, pro fructu est. Ideò Virgineæ fœcunditatis ingenium attribuendum, quòd eundem, qui à Patris fertili vulua, indefessa generatione prorumpit, gigneret incarnatum. Ast si semen nullum fuit, nec vulua natura erit, nec fœtus fructus: si nec fructus; quomodo fœcunditas: nec etenim terra nostra vberi glebâ fœcunda est, si non nouerit dare fructum suum! Absit. Imò fœcunda nostra Virgo est, vt Filius quamuis ex semine viri non genitus, quia fructus ventris est, ex feminis propagine efferatur. Audi Apostolum ad Rom. 1.
Ad Rom. 1. *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas de Filio suo, qui factus est ei, ex semine David secundùm carnem.* Quomodo ex seminè viri Paulus enuntiat genitum quem intacta nesciens virum Mater concepit, qui absque spermate, thalamoque ingali Virgineis illapsus visceribus, Patris sinum non temerauit, sed extendit? Iterum repetit Paulus 2. ad Timot. 2. *Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex*
ad Tim. 2. *semine David secundùm Euangelium meum.* Equidem vt fructus terræ nostræ dignoscatur, nostræque Virginis fertilis genitura, ex semine David conceptus pronuntiatur; quippe ex Dauidica carne, quæ in Maria cum vbertate conciliauit pudorem. Licet non ex semine viri concepit; quia Virgineus sanguis ex Dauidica vena per successionis calliculos deriuatus pro semine fuit, totumque officium impollutum obiuit ingenii; ex semine
S. Ferrand. David Christus perhibetur. Pulchrè S. Ferrandus in Epist. ad Anatol. *Vbi potuit fieri de semine David, si sine homine Patre natus est? Qua ratione ergo fieret ex semine David, nisi carnem suscepisset ex Matre quæ pertinebat ad semen David? De semine enim David Maria, & de carne Maria Christus: quamuis sine semine maritali, tamen cum proprietate naturæ. Propter hoc & Psalmista cantat: Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Nota illa: *quamuis sine semine maritali, tamen cum proprietate naturæ.* Naturam cum Virginitate attexit.

33. Non potuit aptiùs Virgineæ fœcunditatis excellentiam extollere. Naturæ proprietas quid, nisi fœcunditatem, indicit; quæ, dum sine viri obtigit contagio, non è foris emendicato semine, ineffabilis naturæ præsagit diuitias, & in ardui Numinis fructum assurgit? Forsan in huius typum prima naturæ hilaritas, frugiferaque suppel-
Gen. 1. lex ex virginitate fuit. Dixerat Deus, Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* En feracitas, fructuumque vbertas addicta arboribus, quæ quasi sub imbris concubitu, sub Solis brachiis gemmascunt in frutices, virescunt in folia, turgescunt in poma; & succis redundantibus, ab imis radicibus in arduas comas vegetans humor, redundat in floridam vitæ largitatem. Si ignoras quid fœcunditas sit, egredere in agros, manè surgas in vineas, repertisque puerperiis viridaria enixa collustra, vt naturæ mireris officinam. Ad quid hæc pro Mariæ Virgineâ fœcunditate? Annè in arboribus virginitas est? Recole Genesim: *Et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, & cuius semen in semetipso sit super terram.* Ligni pomiferi expende attributum. O virgineè! *Cuius semen in semetipso sit:* ergo non externum, non excerptum, non ab extraneis officiis concu- Rich. à S. Laurent.
ceptum. Richard. de S. Laurent. lib. 13. de laudib. Virg. col. 1105. in medio: *Cuius semen in semetipso sit super terram. Aliarum enim arborum, vel lignorum, hoc est, aliarum Mulierum semen, ex quo fit fructus, in se non est, sed in alio; hoc est, in viro; quia fructus, id est puer, ex semine nascitur vtriusque: sed hoc benedictum lignum in semetipso, id est in se solo habuit & semen & fructum, id est, filium suum, quod vtique est super terram, id est, humanam naturam, & hoc exsuperat omnem sensum.* Ideò, dum Maria promittitur, lignum pomiferum enuntiatur.

Esai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, &* 34.
flos de radice eius. Ergone virga Virgo? Sanè pro Isai. 11. Num. 17.
virginitate flos, pro fœcunditate virga. O quàm fœcunda! Nonne vidisti Aaronis virgam germinantem, Numer. 17. En virgam cum germine bis, vt reperta fœcunditas innotesceret. Igitur sicut nec absque germine terra; nec absque fructu lignum, ne Domini præceptum inanescat; sic nec absque filio Virgo, nec virga absque flore. Audi D. D. Vigil.
Vigilium contra Euthych. lib. 3. *Germinet terra herbam virentem & cæt. Si ergo generis sui natura germina & fructum propria qualitatis ex sese ligna producunt, non dubium est Iesseica radicis virgam, beatam videlicet Mariam, natura sua germen, id est Dominum Iesum ex sua carnis materia protulisse.* Pandeta rationem, quæ fulcro eget, ne labatur. Quia ligna pomifera ex sese fructum producunt, necessum arguit Vigilius, *Mariam natura sua germen, id est, Dominum Iesum ex sua carnis materia protulisse.* Nec alius ex Virgine oriundus erat, nisi Dominus, quà Deus; S. Bernar.
nisi Iesus quà homo Deus. Idipsum enucleat Bernardus homil. 2. super Missus est. *In hoc Isaiæ testimonio florem filium, virgam intellige Matrem: quoniam & virga floruit absque germine, & Virgo concepit non ex homine.* Nodum non insubtilitet inuenio apud Bernard. dum ait: *Virga floruit* Genes. 49.
absque germine. Nam Genes. 49. Iacob Christum prædicens inquit. *Ex germine, fili mi, ascendisti.* S. Vigil.
Quod versans S. Vigilius suprà sic fatur: *Mariam Iacob in suis benedictionibus declarat, dum sub persona Iuda prophetiam appellat, & dirigit in Christum, dicens: Ex germine, fili mi, ascendisti; non dit ex semine, sed ex germine, illius sine dubio virga, quæ de Iesse horta radice, nouo miraculi genere, Christum Dominum germinauit.* En Vigilius germen dat virgæ, Bernardus negat. Sed Virginea Mariæ fœcunditas conciliat vtrumque. Germen est, quod ex arborum nascitur oculis, generationisque principium. Oculi in arborum surculis sunt, surculus autem optimè depingitur à Varrone de re rustica cap. 49. *Altera species*

est

est ex arbore in arborem inserendi, nuper animaduersa in arboribus propinquis. Ex arbore enim, in qua quis vult habere surculum in eam, quam inserere vult, tumulum traducit, & in eius ramo praciso, ac diffuso implicat. Est igitur frustum arboris, quod ab arbore resecatur, & ad alias producendas inseritur. Iam igitur enodo. Virga Iesse absque germine extero fronduit, floruit, fructificauit: edidit tamen germen, nempe Christum, qui nobis insertus surculus est nouæ regenerationis principium. Non igitur hîc illud Poëtæ inuenies. 2. Georgicor. *Hinc aliena ex arbore germen includunt.* Sed ex sacra virga germen innatum, adeò fœcunda vt possis cum Cicer. 2. de Orat. precari: *Amabo te, da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos.* Igitur Bernardus, dum germen virgæ negat, extollit virginitatem: Virgilius dum asserit, fœcunditatem adstruit: ille exterum inficiatur, ne polluat; iste innatum fatetur, ne sterilem patiatur: apud illum, germen semen viri est; apud hunc, Christus. Vnde dixerat: *Beatam Mariam natura sua germen, id est, Dominum Iesum ex sua carnis materia protulisse.* Vt virginitas & fœcunditas concordi concinnitate canantur. Quod vtrumque floridè depinxit Petrus Cellensis de Panib. cap. 21. *Nostra virga, seu Virgo fronduit, credens Angelo floruit concipiens in vtero; germinauit pariens ex vtero.*

Virgil. Cicer. Petr. Cel.

35. Fœcunditas adhuc talis audita non erat in terra nostra. Vnumquodque lignum, iuxta Domini vocem, faciebat fructum iuxta genus suum: germen de natura eiusdem virgulti, vnde prorumpit, subsistentiæ suæ formam accipit, & liberali gratitudini rependens, naturæ suæ germina propagat. Quis ab vno surculo geminam naturam egerminauisse nouit? Non aliud ex alio, sed in sui generis specie redundanti sese egerit munere, & successiuis originibus natu am conseruat primigeniam. Noua huius virgæ fœcunditas, à qua duplicis naturæ pullulat germen. Christus vnus ex natura humana & Diuina compactus. Hoc proprium naturæ huius virgæ est; hoc singulare, vt statim Deus sit, qui è Virgine homo concipitur. Id energiæ inuenio apud S. Paulinum Aquileiensem contra Fœlicem lib. 3. *Illi igitur homini qui ex Virgine natus est, singulari munere præ cæteris Sanctis datum est, vt statim ex quo in vtero Virginis cœpit homo fieri, esset & Deus. Vnde & eadem gloriosa semper Virgo Maria non solùm hominis, sed & Dei Genitrix credenda est.* Nouo stylo Diuinitatem appingit Virgineæ proli; quasi ideò Deus ille homo, quia ex Virgine non nisi Deus homo poterat enasci. Meliùs. Quia statim ex quo in vtero Virginis cœpit homo fieri, esset Deus. Mira pro fœcunditate panegyris! Demirare vberem naturæ proprietatem, quam auiditate, & vbertate producendi, non alius fructus saturat, nisi Deus. Vix tetigit vterum Virgineum homo; & Deus est, imò idem fuit, si ad instans prospicias, hominem incepisse, & Deum esse. Effutiebat Fœlix hæreticus Christum non statim Deum ab vtero Matris, à conceptione Virginis; sed post vitæ curricula, post Patris testimonium extitisse. O infœlix stultitia! O Fœlicis blasphemia! Quantùm huius vteri, naturæque dotes ignoras, qui sic sterilem cum homine solùm pro pignore blaterabas! Si semel hominem confiteris ab vtero, fatere & Deum. Sic Paulinus lib. 4. *Hæc ergo vnitas & veritas in Christo nequaquam post Virginis partum cœpta, sed in ipso Virginis vtero coniuncta, atque vnita est. Diligenter etenim præcauere debemus, vt Christum non modò vnum post baptismum, vel resurrectionem, sed semper vnum, ex quo conceptus est in vtero Virginali, confiteamur.*

S. Paulinus. Idem.

Pulchriùs Hilarius in lib. 2. de fide: *Vnus Vnigenitus Deus in corpusculi humani forma, sanctæ Virginis vtero insertus adhæresceit; qui omnia continet & intra quem cuncta sunt, humani partus lege profertur.* Nouus etiam character est iste, quasi priùs in corpusculo humano consitus Deus, posteà Virgineo vtero insertus adhæresceret, nec ab origine trunco, videlicet vtero Matris, traheret originem. Sed eadem est Hilarij sententia, ac Paulini. Vt doceat, quòd statim ille homo satus à Virgine, & in Virgine, Deus steterit; illicò, dum corpusculum ad taxatas naturæ leges, lineasque, & filamenta subitâ operatione Spiritus sancti præcucurrit, insertus fuit Vnigenitus Deus, vt Maria Vnigeniti esset Mater, quæ absque mora in sanguineo corpusculo, quasi insertum germen sortita fuit. Vocabulum mutuauit Hilarius ab agricolis. Germen inseri dicitur; & surculus, qui ab vna arbore alij affigitur. Inseuit Pater germen suum Vnigenitum corpusculo ex Virgine sato, non homini. Theologicè & seriò verba librauit Hilarius, vt nulla intercapedo inter hominem & Deum iniecta censeretur. 36.

Hilarius.

Dixi alibi, adeò Mariæ fœcunditatem excreuisse, vt quem infantulum concepit, conceperit & virum: nescit enim paruulis prouentibus hæc virga redimiri; sed eius flos virens vir est; flos oriens, vir oriens exalto. Quid miraris iam virum iuxta Hieremiæ vaticinium: *Fœmina circumdabit virum*, si statim in vtero Deus est? Id neruosè arguit Bernardus homil. 2. super Missus est: *Cur denique dubito virum fuisse in vtero, quem inibi Deum fuisse non ambigo? Minus quippe est esse virum, quàm esse Deum. Sed vide, si non etiam hanc Hieremiæ nouitatem, Esaias lucidissimè aperit, qui nouos superius Aaronicos flores exposuit: Ecce, inquit, Virgo concipiet & pariet filium. En habens fœminam, scilicet Virginem. Vis & de viro audire, quid sit? Et vocabitur, ait, nomen eius Emanuel, id est nobiscum Deus.* En virgam, florem, virum, & Deum lepidissimâ structurâ attexit Bernardus. Quantùm virga præcoci saltu præcucurrit, adeò in altum erecta fœcunditatis succo, vt idem fuerit flori ab ea concipi, quod ascendere: *Et flos de radice eius ascendet.* Nota stylum, morabeтis vbertatem. 37.

Hierem. 31. Bernard.

Gratia in Maria quasi modum Diuinæ naturæ sortitur: non accidentibus pro sobole contenta est: per eam gignitur, qui per Naturam apud Patrem.

SECTIO IV.

SACRAMENTVM inæstimabile fidelibus mentibus aggredimur inspirare. Satis superque dictum manet, quomodò super naturam natura Virginis, vituaque generationis ministra supergressa est, concipiens Deum patrem & hominem: vt sibi naturaliter, & tamen ex diuina virtutis largitate esset Filius, qui naturaliter 38.

turaliter gignitur apud Patrem. Intensiùs elucubrandum est, regiosiúsque examinandum; quomodò coniunctæ sint in Virgineo sinu natura, & gratia. Si hanc radicem eruamus, nobilissimum huius miraculi adiscemur fastigium. Tibi mordicus figas, quæ in præcedenti sectione stabiliuimus circa strictum naturæ significatum, quatenus in Deo est fœcunda radix producendi Diuinam personam. Ergo liceat sic nobis profari: Gratia in Maria diuinæ naturæ modum, nedum participium sortita est, eâ participatæ similitudinis abundantiâ, vt per gratiam Virgo Mater naturaliter gigneret, quem per naturam propriè dictam generat Pater. Hic huius sectionis scopus sit.

Gratia participium diuinæ naturæ est. In quonè? Quoniam radix est videndi, & amandi Deum: attamen amor, & visio accidentia sunt, quia ex gratia, quæ accidens est, qualitatis indolem non amittunt. Si inuenias gratiam, à qua non accidens, sed substantia; nec quæque, sed diuina procedat: qualem putaueris eius nobilitatem, quæ sic diuinam naturam hausit stricta sorte, vt non tantùm Dei intuitione, & amore gaudeat pro pignore; sed Deo genito locupletetur pro germine? Ecce iam tibi gratia fœcunditatis Virgineæ Matris: Non solùm sibi accidentibus lineamentis naturem rescripsit diuinam, sed illam iuxta naturæ modum sortita est, adipiscens diuini Patris Filium, ob cuius productionem, iuxta multorum placitum, natura strictè dicta adscribitur Patri, vtpote origo, & radix productionis intraneæ. O gratiæ inuentum! Iam extra Deitatem gratia consequitur, quod intra Deitatem natura. Generatio in Patre gratia non erat? Inuenit Maria gratiam, qua Patris gigneret Vnigenitum. Sanè de Patre sic fatur Richardus Victor. lib. 6. de Trinit. cap. 1. *In diuina natura nihil est, vel esse potest ex operante gratia. Quod enim ex sola operatione gratiæ, pro auctoris beneplacito, potest esse, vel non esse. Sed tale aliquid non potest esse in ipsa Diuinitate: alioqnin mutabilitas ei inesset; nec veram æternitatem haberet. Nihil itaque ibi est, iuxta donum largientis gratiæ, sed totum iuxta proprietatem exigentis naturæ. Sicut enim innascibili naturale est, ab alio non procedere; sic sanè ei naturale est de se procedentem habere.* Richar. Victor.

40. Ergonè Filius Altissimi non ex gratia, sed ex natura; quia possibilis non apparet gratia, cui persona diuina per veram productionem germen sit? Adsit fœmina: inueniat gratiam. Quid turbaris, Virgo pudica? *Ne timeas, inuenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries Filium.* Mutauisti voces, Angele, vel deliquium passus ab vtero errauisti, non loquens falsa, sed enuntians vera? Gratia nequit concipere filium, sed natura. Si post gratiam illicò adnectit. *Ecce concipies, & paries:* ergo gratiam explicat, dum generationem exponit. Scito verborum delectu vtitur Gabriel. Nouum inuentum ex Virginis artifice virtute pronuntiat. Modum inuenit Virgo, quo ex gratia gigneretur, qui semper gignitur ex natura. Ideò inuentum gratiæ explanans, adiecit: *Ecce concipies, & paries.* Basilius Seleuciens. orat. in Annunt. *Gratiam inuenisti apud Deum. Deinde gratiam, quæ omnem excedit gratiam, exponens, subdit: Ecce concipies in vtero, & paries Filium.* Vt autem huic cogitatui fidas, alios accipe patronos. Bonauentura in Specul. B. Mariæ lib. 6. *Vide, quomodò Gabriel asserens, Mariam inuenisse gratiam, statim eam gratiam specificans, subiungit. Ecce concipies in vtero. O quàm magnum, & omnibus sæculis inauditum, quod Virgo in vtero concepit, Filium Altissimi peperit!* Eusebius Emissen. in cap. 1. Luc. *Inuenisti gratiam. Si vis audire quam gratiam? Ecce concipies in vtero. Hæc causa illius salutationis: hoc missus sum nuntiare tibi.* Epiphan. in Anchor. *Maria sola gratiam inuenit, & in ipsa elegit sanctam carnem, & propterea est in illa, in qua ipsi benè complacitum est.*

Luc. 1. Seleuciens. Bonauent. Euseb. Emiss. Epiph.

Ergo qui ex natura genitus, non factus, erat ex Patre; factus generatus ex gratia in Maria: ergo iam Filius Dei effectus gratiæ est, quam Virgo inuenit, modumque diuinæ naturæ adepta; non accidentibus solùm, erumpentibusque virtutibus contenta est, sed ipsâmet vnigeniti substantiâ pro effectu potitur. Do Augustinum lib. vnic. de Assumpt. Virg. cap. 1. *Ab homine factus homo, ab ea naturam sumens, non originem, sanctificante Spiritu sancto tuo in ea verum humanum ad conceptionem Filij tui, cuius dignitatis, & gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* En effectum gratiæ appellat. Accinit Dionysius Carth. lib. 2. de dign. Mariæ art. 18. *Hæc nempè gratiæ suæ altitudo consistit, quòd vteri, omnipotentisque Dei vera Mater facta est, quæ, vt opinor, comprehendi nequit, nisi ipsa per donum Dei videatur per speciem maiestas.* Hæc vis in Dionysio est. Nequit comprehendi causa, quin cognoscatur effectus: opus est igitur Mariam vidisse Deum. Probat, quia vidit suam gratiam, cuius celsitudo, cùm in maternitate constiterit Filij Dei, nequit intellectu tractari, quin Deus videatur. Quo nihil valet cogitari sublimius. Hinc illud Chrysologi serm. 142. *Virgo, te gratia Matrem præstitit, non natura.* Ergonè gratia gignere nouit, sibique, quod naturæ proprium, arripere; Inuenit gratiam Maria, nouumque naturæ modum induxit, vt gratia naturam impelleret, & supremum naturæ modum suprema gratia sortiretur. Sic Andreas Hierosoly. in Salut. S. Mariæ, col. 9. *Qualisne illa esset salutatio? Quasi diceret: Num sola ego inter mulieres nouum naturæ modum inducam?* En nouus naturæ modus, quod gratia quasi natura sit, eâ significatus districtione, vt radix fiat non tantùm supernaturalis accidentis, sed & supernaturalis substantiæ, nempe Filij Dei. Gratia naturam induit, & Virgo generauit. Hanc energiam cupio in Ephræm de Margar. pret. *Non ampliùs propendens erat gratia; sed dum iure optimè, incorruptionis vim illi præbet, fides naturam adduxit. & hanc excipiens gratia non ampliùs esse corruptibilem passa est: verùm sibi ipsam adiunxit. Atque ita facta est Sancta Maria non iam mulier, sed Virgo, & gratia plena.* Qui locus non absque salebris est; infrà tractabitur. Fauet nimiùm præfatis, cùm sensus sit, gratiam sibi naturam adsciuisse, vt iam muliebris Mariæ natura sobole diuinâ, & virginitate gauderet. Quare gratiæ deputatur maternitas. August. lib. vnic. de Assumpt. *Quam tanta comitata est gratia, vt Mater Dei dicatur, & sit.* 41.

August. Carthus. Chrysost. Andr. Hierosol. S. Eph.

Sed vide, quod gratia, vtpote spiritalis, in anima subsidet, non in corpore, in quo fœtus gignitur. Vlteriùs, gratia non natura est, sed naturæ delibatio, dum in actus efferuet intuendi, & amandi Deum. Benè est. Mariæ nouitas nouam inuenit gratiam, quæ fructum propagaret ad corpus, impleret vterum, & ex nobilitatis celsitudine gratia corporalis aliquo modo valeret nuncupari. Alibi dedi Idiotam: præstat iterum aduocare cap. 6. de Virgine Mar. *Inuenisti gratiam apud* 42. Idiota.

Deum, ô dulcissima Virgo: gratiam, in quam, corporalem; quia fuisti vas innocentiæ purissimæ sine macula, & labe; & virginitatis primipila: sine corruptione fœcunda; sine fastidio grauida, & si ne dolore puerpera. Quàm insolitum elogium! *Gratiam inuenisti corporalem.* Noua gratia hæc, quam non didicit schola; siquidem gratia, de qua tractat, supernaturalitatis spiritalis fons est; non molis quantitate grauatur, non corpore præpeditur, cùm animi sit. Virgineus vterus Filio diuino grauidus, corporeo sinu gratiam inclusit increatam: quid quòd inuenta gratia, qua sic affectus est, corporalis nuncupetur? Ideò rationem subdit Idiota: *Quia fuisti sine corruptione fœcunda, sine fastidio grauida, sine dolore puerpera.* Assentit Bernardin. Senens. tom. 1. serm. 52. cap. 2. art. 1. *Gratia plena, gratia, inquam scilicet corporali, spirituali, & singulari.* Odo Episcop. in opusc. sacro: *Quid de corpore Virginis dicemus, de qua natus est Dominus? Certè de illa dixit Angelus Gratia plena. Si plena, nihil eius omnino erat vacuum gratiâ.* Id omni mysterio sublimius, quod gratia, quæ virtutum origo, & radix est, mentesque incolere solet; quasi alueum emarginans, propaganfque situm, etiam corporale Virginis hospitium inundauerit, vt ornaretur vterus, aula Dei futurus. Petr. Cluniac. epist. 7. ad Greg. *Hac virtutum vniuersarum gratia cunctis creaturis excellentius illud Omnipotentis Creatoris, non tantum spiritale, sed etiam corporale hospitium impleri, & ornari decebat.* Obserua illud: *Hac virtutum vniuersarum gratia;* quod est attributum gratiæ habitualis, vt pote à qua, velut è radice, virtutes pullulant vniuersæ; & tamen eâ corporeum Virginis hospitium ornatum fuisse adstruit Cluniacensis: qua exaggeratione, carnei habitaculi ad gratiam increatam, id est, Filium Dei recipiendum, exprimit dignitatem.

Idem. Bernard. Senens. Odo Episc. Petr. Clun.

43. Institutum diuinæ sapientiæ à primordio fuerat, magna nobis promissa donare, vt diuinæ essemus consortes naturæ. Reptabat homo, caudam serpentis sequutus, corpore nudus, à sacro participio extorris, non iam Diuinitatis candidatus per gratiam; sed nigro squalore fœdus per culpam. Quî diuinæ naturæ resumeret consortium? Perdidit imperitus primæ gratiæ elementa, facilè dediscens spiritalem disciplinam, quam illi opifex in spiraculo afflauerat. Nondum erat magister corporeus, quem corporeus homo sequeretur, & carneo obiectu manuduceret ad spiritum. Ergo diuini altitudine consilij Virginea fœmina creatur, in qua non solum gratia, quæ diuinæ naturæ participium est, constanti stabilitate maneret, sed gratia increata etiam sub eius carne tegeretur; nec solùm in latebris animi spiritali gratiâ polleret, sed & ad corpus gratiæ porrigeret principatum, vt corporeus homo per Filium Dei ex vtero Virginis corporeum in diuinæ naturæ participium remearet. Sic expenderem S. Athanasium disput. contra Arrium in Nicæno Concilio col. 8. in fine: *Hic igitur & Verbum, & Deus, & Sapientia, & Virtus Patris, cùm incorporeus esset, vt Deus, & Pater suus, ob nostram salutem ædificauit sibi domum in vtero Deiparæ Mariæ si ne commercio virili. & homo factus est, & seipsum exhibuit exemplar omnis virtutis, vt, qui eum sequi vellent, quasi in diuino itinere haberent vestigia, ad quæ similes facti, diuinæ naturæ participes redderentur.* Cõsilium demirare Sapientiæ. Pondus est in illis: *Cum incorporeus esset, vt Deus, & Pater suus.* Nondum gratia corporalis effulserat, nondum caro in Deum exultauerat viuum, nec humani status conditio, diuinæ naturæ obiectum per sensuum organa haurire valebat. Ex carnea Virgine nascitur homo Deus, non virili temerata commercio, sed naturæ diuinæ locupletata virtute, vt ex Matre & Filio haberet homo vestigia, quæ in Diuinitatis participium sequeretur.

S. Athanas.

O quale per corporalem gratiam inuentum! Vix animum piaculi sordibus inquinatum gratia deseruit, cùm sensit corpus, & quasi à veste, qua operiebatur, se nudatum erubuit; corpus impedit dæmon, qui à gratiæ diuitiis depopulauit animum. Nonnè vides? Tot corpori flagra, tot calamitatum supplicia ex abscessu gratiæ, euenêre. Puluereo addicitur interitui, ligoni mandatur in escam, à viridario deportatur; &, ne repatriaret, igneo metallo paradisi valuæ cinguntur. Sic elisa caro, sic mulctata, quia à gratia exciderat spiritus; cùm tamen gratia non carnis, sed spiritus sit. Ergo ignobilem notam caro deponat; eò dignitatis ascendat, vt etiam in vtero gratiam sibi mancipet increatam: & inuidus dæmon tabescat, qui, cùm spiritus sit, nec creatâ saltem gratia potitur: & gladius flammeus perstringatur, non iam in carnem habilis, quæ in Maria sic ad Patris superni naturam euecta est, vt eiusdem Filij radix extiterit, & origo. Adsit Gerebertus ser. in Assumpt. Virgin. apud Biblioth. tom. 10. *Tu tot diuinis muneribus functa, tu tantis cælestibus muneribus compta: tu tam granditer gratia Dei es referta, vt per florem tui Virginalis vteri Omnipotens Pater superaret tenebrarum principem, mortis auctorem, & amoueret à Paradisi auditu gladium flammeum, atque versatilem, & cælestis Regni fidelibus aperiret portas, quas clauserat antiqui hostis calliditas, & priorum parentum, præsumptuosa temeritas.* Cur non abscedat è muro paradisi Cherub, versatilemque gladium in vagina recondat, ostia permittens homini, quem olim arcebat, vt hostem? Cur non decidat tenebrarum princeps, & sub inuidiæ gemat liuore; si summa gratia in carne Virginis habitauit, & cuius impotes sunt, nec concipere præualent administratorij spiritus, vna fœmina traduxit ad vterum? Angelus spiritus est, non hac gratiâ corporeâ potuit pollere, quæ Angelos non apprehendit, sed semen Abrahæ, vterum nempe Virgineum; qui, quà vterus, ignobilior totius carnis portio est: vt carnis dedecus sanaretur, & animo noxio pararetur medela. Obserua stinè? Rogat modum Maria, quo absque viro conceptura sit. At Angelus illam ad Spiritum sanctum remittit: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Si Gabriel spiritus est, nunquamque à gratia discedit: cur non exponit gratiam, qua in vtero conceptura Virgo est? Quia dixerat: *Concipies in vtero.* Hæc gratia corporea: hæc increatæ gratiæ in vtero conceptio; hæc gratia Matris, quæ naturæ diuinæ modum imitata, non iam accidentibus contenta est; sed solùm substantiâ Filij Dei pro fœtu complerur; non Angelici spiritus est; tantùm Spiritus sanctus eam præualet explanare, qui & infundere præualet. S. Cyrillus Hierosol. catech. 17. *Docuit enim id Gabriel, dicens ad eam: Nuntius ego sum eorum, quæ fieri debent; sed non cooperator, quamuis Archangelus. Et vt non ignores, quid mei sit muneris, gaudium ego annuntiabo tibi: quomodo autem parias, non à mea est gratiâ: Spiritus sanctus superueniet in te,*

44. Gereb. Ad Hebr. 2. 16. Luc. 1. Cyril. Hierosol.

Ecco

45. Senens. Ecce noua gratia in vtero Virginis, de qua Bernardinus Senens. tom. 3. sermon. 2. cap. 2. art. 1. *Quam Pater misericordiarum, & ante sæcula Deus perpetuam prædestinauit in Virginem, Filius præelegit in Matrem: Spiritus sanctus noua gratia domicilium præparauit.* Cur noua gratia nuncupatur? Quoniam antiqua solius animi penetrale imbuebat, nec corporeis dilatabatur spatiis, rudibusque membris sacra pignora dispensabat. Mariæ vterus inuenit, qui carni consuleret, & gratiæ generans auctorem, supremâ gratiâ refertus est. Ambrosius in cap. 1. Luc. Ambros. *Bene enim sola gratiâ plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consequuta est, vt gratiæ repleretur auctore.* Quæ verba Beda. repetit Beda in cap. 1. Lucæ.

46. Apoc. 12. 1. Si caro Virginis increatam gratiam sub ventris amiciebat operculo, eritnè Sacramentum, quale definitur, *Sensibile signum insensibilis gratiæ?* Profectò ab vtero Maria signum prædicatur; nec signi vocem habet, nisi à vulua. *Signum magnum apparuit in cælo.* Signum dixit, & confestim nuncupauit mulierem: *Mulier amicta sole.* An quia traxit vocabulum à peplo, à crepidaque, quam Sol vestiebat, Luna calceabat; & tamen Sol & Gen. 1. 14. Luna à primordio signa digna dicuntur: *In signa, tempora, & annos?* Imò signum mulier est, quia confestim subditur: *Et in vtero habens, clamabat.* Si clamore præsignabat fœtum; si supernam gratiam vterus præsignabat: cur non signum diceretur, nonnumque cœlestis plagæ Sacramentum? Esai. 7. 14. Non dissidet Esaias: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Qualenè? *Ecce Virgo concipiet.* En ab vtero signum vtrobique. Accessit Verbum ad carnis elementum, & fit Sacramentum. Bernar- Senens. din. tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 1. *Fuit Beata Virgo signum magnæ gratiæ in Incarnatione Filij Dei demonstratæ, & datæ. Signum enim aperit, & claudit, quod signatum est: sic Beata Virgo in immaculato vtero suo ex dono gratiæ magnæ, & infinitæ clausit, & aperuit Filium Dei pro nobis, quando Verbum caro factum est.* Quid quòd ex vtero Mariano Euangelicæ gratiæ in rebus corporeis Sacramenta deuenerint, si Virginea caro nobile auspicium fuit, inuisibilemque gratiam per visibile corpus corporeis obtutibus præsentauit?

Et quidem gratia pristina per os fœminæ, quæ piaculi pomum dedit in ventrem, exuerat, desolatamque reliquit, carnis iniuriis deditam; quippe membris omnibus in flagitium vsa est, oculis, auribus, manibus, & palato: & vt omnis caro à noxialis illecebræ vesceretur flagitio, misit in stomachum, è cuius officina omnes corporis Luc. 3. artus nutriuntur. Ergo consona fiat reparatio. Statim Angelus: *Aue gratia plena.* Qualisnè plenitudo? Quæ & animum repleat, & corpus, omnemque possideat portionem, superueniat in Virginem, infarciat vterum, eúque plenitudinis Mariæ carnem saturet, vt veluti spatia indigens propagare, aliud corpus ex eius corpore constituat, & per vterum non solùm ad Virginis, sed ad totius corporis Christi membra, quæ sunt fideles vnguento defluente decurrat. Fruamur Hugone Hugo. Vict. Victor. in Allegor. de Verbo incarn. collat. 3. *Verè Maria gratia plena fuit. Primum gratia super eam, postea gratia in ea, deinde gratia ex ea. Super eam ad obumbrationem: in ea ad fœcunditatem: ex ea ad saluationem. Venit enim gratia, vt humanam naturam visitaret: & intrauit ad eam, vnde exierat. Per fœminam enim exierat, & per fœminam intrauit.* Quid pulchrius? Vis, cætera, quæ præmisit, probet? Pergit: *Et venit gratia primum in ipsam, deinde descendit in illud, quod erat ex ipsa, & sumpsit de carne Virginis naturam: vt prius in ipsam totum effunderet, quod per ipsam postmodùm redemptis omnibus exhiberet. Ideò gratiâ plena, de qua ortus est fons gratiæ.*

Zerda, Mariæ effigies.

Qui est: *Inuenisti gratiam apud Deum*, post- 48.
quàm in vestibulo ipso gratiâ plenam protulit? Luc. 1.
An super plenitudinẽ alteri gratiæ locus remansit? Si forsan in plenitudine gratiæ vniuersitatem spiritalium documentorum (vt aliàs Tertullianus lo- Tertull.
quitur) quæ per gratiam habitualem eueniunt, innuit? Ideò *Dominus tecum*, ait, quoniam Dominus per hanc gratiam in anima est. Posteà nouam gratiam exponit, vteri nempe, sobole diuinâ fœcundi. Obseruasti stylum? In prima gratia *Dominus tecum*, dixit: in hac singulari: *Inuenisti gratiam apud Deum*; mutatâ quidem semitâ, quasi in prima Dominus appulisset ad Virginem, in secunda Virgo subleuata in cœlestia, miro fastigio sisteretur apud Deum: & tamen si hæc vteri est, potius in vterum Deus dignoscitur descendisse. Præclarè distinxit. Imò, quia gratia inuenta naturæ modum sortita est, propinquitatemque ad supernum Patrem, qui per naturam gignit Vnigenitum; ideò per hanc gratiam Maria statuitur apud Deum familiaris, & similis, & propinqua. Albertus Magnus in Marial. cap. 237. *Singularem Virginalis vteri fœcunditatem inuenisti apud Deum;* Alb. Mag.
apud, dico, propinquissimâ similitudine, dignitate, familiaritate, natura vnitate.

Quid est autem, quòd *inuenisse* dicatur? Non 49.
potuit aptiori vocabulo ineffabile explanari my- Ad Philip. 2. 6.
sterium. Deus non inuenit gratiam, sed creat. Altissimi Filius non inuenit, sed habet, cui natura absque libero dono subest Deitatis. Elatus Ange- Esai. 14. Gen. 3.
lus non inuenire, sed rapere tentauit. Primigenius non inuenit, sed celeri munere datam celeri perdidit excidio. Simon Magus non inuenire, sed
emere meditatus est. Ergo vox inuenta est, quæ Act. 8. 18.
concinnè, venustoque compendio prodigium gratiæ explicaret in Virgine, in qua gratia increata Filij fuit. Similitudo cum natura Patris, quam deprædari Lucifer aggressus fuerat, emicuit. Originalis gratia, quæ fuit in Adamo, inclaruit. Spiritus sanctus, quem numismate Cæsaris mercari Magus ardebat, toto apparatu superuenit. Ergo Maria nec habuit à natura gratiam increatam, nec rapinam arbitrata est, nec originalem amisit, nec spiritalem emit; sed omnem hunc gratiarum inuenit thesaurum, quia venit in illum, quia quæsiuit. Quàm benè Albertus suprà: *Ne timeas, in-* Alb. Mag.
quam, quia inuenisti: non creasti, vt Deus noster semper habuisti, vt Filius tuus: non rapuisti, vt primus Angelus: non perdidisti, vt primus Parens: non emisti, vt Simon Magus; sed inuenisti, quia quæsiuisti. Inuenisti, inquam, gratiam increatam, & in illa, & cum illa omnem creaturam.

Marianæ gratiæ plenitudinis sequela procliuis est generatio Filij Dei.

SECTIO V.

Irreligiosum esset ab inuentu nouæ gratiæ, quę Filiũ Dei Virgineo seuit in vtero, ampliori explicatu calamũ sequestrare. Gratia hæc cu Diuini Patris natura cõtendit; non Deitatis

accidentali participio, spiritualique virtutum radice contenta est, qualis gratia habitualis; sed ipsummet Vnigenitum Patris, naturæ sibi attrahit functiune, gignitque in sinu superi pignus Genitoris, ex cuius largitate gratia transiuit in naturam, Virgo in fœcundam, in hominem Deus. Prima Gabrielis vox, Marianæ gratiæ plenitudo fuit. Cur sic'io limine profundit elogium? Iam inde vterum Deo implendum præsagiuit. Deus gignit Deum, quia plenus Deitate est; & ex plenitudine exuberans, se egerit in Filium, quia prima persona est; nondumque fœcunditatis opulentia, ingensque abundantia Deitatis per feracissimam sui indolem sedata est, sed adhuc stagnate concipitur: ideò Filium gignit, qui sacrum mentis quasi exoneret pondus, & vbertatis diuitias indiuisâ naturâ percipiat. Ergo quia idemmet Filius ex gratiæ beneficio concipiendus erat in vtero, appositè cælestis interpres à gratiæ plenitudine auspicatur, confestimque adiicit: *Dominus tecum*; quasi appendix esset, & sequela ad gratiæ plenitudinem Filius Dei in Virgine, sicut ad naturæ plenitudinem Filius Deus in Patre. Ergonè *Dominus tecum* Filius in vtero est? Augustinus
August. serm. de Natiuit. *Tecum magis, quàm mecum: ipse enim in tuo est corde, tuo fit vtero, adimplet ven-*
Hierony. *trem, adimplet mentem.* Sic & Hieronymus in serm. de Assumpt.

51. Si nondum Virgo subiecit assensum; si adhuc in vestibulo Angelus est, labiaque soluit salutans; si nondum Spiritus spondetur amplexus, nondum vmbræ ab Altissimo irrigua nubes: quomodò tam intempestiuo prouentu fœtus iam vterum implet? Si forsan gratiæ plenitudo, compendiosa totius Sacramenti definitio fuit, longamque nuntij seriem quasi in recapitulatione com-
August. pressit? Ausculta August. lib. 2. de Symbol. ad Catechum. *Quæ est gratia huius fœminæ, quæ virum nesciens, virum portat? Quæ est gratia? Audite Gabrielem Archangelum eam salutantem, Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Quando Angelus istam Virginem sic salutauit, tunc eam Spiritus sanctus fœcundauit: tunc illa fœmina virum sine viro concepit: tunc est repleta gratia, tunc Dominum suscepit, vt esset in ea, qui fecit eam.* Quid est, quòd Doctor grandis ad illa verba salutantis, *Aue gratia plena*, Spiritu sancto iam fœcundatam asserit, cùm nondum Deus satus in vtero, donec Virgo subderet assensum? Non patitur August. gratiæ plenitudinem absque pignore in vtero. Quia gratia fœcunditatis Virgineæ fuit; statim ad gratiam associat prolem, sicut ad naturam absque intercapedine, moràque proles ipsa superno adnectitur genitori. Quare ocior aliis August. dum gratiæ huius timatus est naturam, illicò conceptum attexuit: *Quando Angelus istam Virginem sic salutauit, tunc eam Spiritus sanctus fœcundauit: tunc illa fœmina virum sine viro concepit.* Ephaticum est illud: *Sic salutauit.* Quo salutationi donorat gratiam; miroque nexu tria iungit, gratiam, fœcunditatem, Filium: sicut in Patre Deo est natura, fœcunditas, Filius. Et quia in Patre absque vlla tarditatis segnitie illicò fœcunditas naturæ, illicò Filius fœcunditati non tam succedit; quàm accedit: sic statim ad nouam Virginis gratiam fœcunditatem applicuit, ad fœcunditatem Filium; nec in reliquis nuntij verbis moras traxit. Hæc velocitas Virginem in Paternæ naturæ celerem
Andr. Cret. fœcunditatem inuexit. Huic censioni se dat Andreas Cretens. de laudib. Virg. col. 9. *Dominus tecum est, qui à sinu Patris auelli non potest: in tuo autem conceptus vtero est.* Et statim: *Dominus tecum: Patris luminum Filius ab æterno ex ipso genitus; temporali verò natiuitate ex carne tua progressus, qui totus supernè in sinu Patris est; infernè autem tecum totus in vtero tuo est; ille ipse tecum, & intra te est: præueniendo namque te insiluit, ac tuum superingressus corpus est.* En illud *Præueniendo namque te*: velut si non spectauisset spatia assensus; sed ex plenitudine gratiæ statim efflorecet in vtero.

Mirum est in hanc sententiam nobiles Patres conspirasse. Damianus serm. 1. de Natiu. Virgin. 52. Dam.
Laurentius Iustin. serm. de Anunt. Imò in con- Laurent. Iustin.
cil. Calced. act. 1. ex Petro Alexand. in lib. de Deit. Concil. Calced.
Verbum caro factum est; tunc videlicet, cùm Angelus sacram Virginem eiusmodi ratione salutauit: Petr. Alex.
Aue gratia plena, Dominus tecum: hoc est, Dei Verbum nunc tecum est. Quis in tam inopinum sensum adegit, cùm ex ipsa Euangelij serie, totiusque Angelici nuntij stylo liquidò cõstet, nondum peractam fuisse Incarnationem, quousque Virgo subiecit assensum? Præcipuè nam scribit Luc. 1.
Lucas c. 2. nomen Iesu vocatum esse ab Angelo, priusquàm in vtero conciperetur: Quare in prima salutatione, nondum eo nomine prolato, conceptio peracta non est. In animum inducere nequeo, perfixus Patres illi se in rigore deuouisse sententiæ. Benè P. Suarius 2. tom. in 3. p. disput. 9. Suarius.
sect. 4. in fine: *Intendunt*, inquit, *docere conceptionem esse perfectam in toto illo colloquio salutationis Angelicæ, & totum illud comprehendunt in primis illis verbis salutationis.* Summa, & caput totius legationis in primis verbis præiuit, breuibusque syllabis sublimitas mysterij stricta est, quã deinde sacro commentatio cœlestis explanauit interpres. Ideò Patres pro toto nuntio primæuas illas dictiones assumunt. Ratio prona est: quia post gratiæ plenitudinem, in qua proxima Virginis aptitudo ostendebatur, vltimaque dispositio, diuinæ formæ conceptus erat attexendus, vt illicò indicaretur, qui iamiam post completam periodum vterum erat impleturus. Id sapienter docuit S. S. Thom.
Thomas 3. p. q. 30. art. 4. *Præmisit idoneitatem eius ad conceptum, in hoc quod dicit: Gratia plena: expressit conceptum, in hoc, quod dicit: Dominus tecum.* Nec vult S. Thomas, conceptum iam fuisse Filium in vtero; sed conceptum in vi nominis pro Filio posuit, qui singulariter iam erat in Virgine, Ildeph.
vtpote paruo interuallo concipiendus. Probè. Ildephonsus serm. 3. de Assumpt. Virg. *Sentiebat Angelus, in Beata Virgine iam specialiter Dominum inesse, & futura nouerat diuini mysterij Sacramenta. Ideò tam reuerenter ait, Aue gratia plena: deinde, quàm eximium, quod infert: Dominus tecum. Non enim dixit: Dominus sit tecum, quasi visitandi gratia; sed, Dominus tecum, quia in te nouo nascendi illabitur Sacramento.* Vides, nondum genitum asseruisse; sed quòd iam exinde ob breue interstitium illabi videbatur in Virginem. 52.

Verùm cur Angelus, dum salutat, non rhetorem agit; sed in ipso prolegomeno, antiloquioque totam legationem effundit? Quàm prodigus secreti Gabriel reserat, quod obliquis prœmiis Græcus.
debuerat integere! Græcus in Caten. S. Thom. in Luc. *Dominus tecum. Hoc autem est totum legationis complementum, Dei enim Verbum, vt Sponsus, supra rationem vnionem efficiens, tanquam ipse germinans, idemque germinatus,*

totam

totam naturam humanam sibi ipsi conformauit. Cur sic intempestiuus legationem in exordio compleuit? Quia opus fuit ordiri à gratiæ plenitudine, vt sibi Virginem captaret attentam, & præ humilitate ab insolito attonitam elogio: post gratiæ autem plenitudinem non alia dictio apposite cohæreret, nisi vel Filius genitus, vel saltem sacræ generationis indicium. Festiuâ lepiditate Andreas Episcop. Hierosol. in serm. de Annunt. depingit Angelum quasi nutantem in delectu vocis, per quam legationem ordiretur: post serum, & serium deliberationis indicium sic apud Andream secum fatur Gabriel: *Quam aduentus mei causam primam dicam? Num gaudij, aut Domini mei inhabitionem, ac Spiritus inuasionem, vel Altissimi obumbrationem? Sic etenim Virginem exhilarabo. Indicabo ei statim rem illam admirandam? Accedam propiùs, & salutabo eam, acclamando submissè: Aue?* Tundem decernit Angelus, animo volutans non statim reserare prolem, sed à gaudio ordiri, demulcere aures, excutere metum. Accedit; & tamen, quasi decreti sui immemor, totum in primoribus verbis nuntium emittit: quia gratiæ plenitudo, quam de Maria profert, ad Sacramentum diuinæ prolis retegendum adegit. iam Andreas: *Ad eam ingressus est, & Virginem compellauit, dicens: Aue gratiosa, Dominus tecum. Qui ante te, hodie vnà tecum est, & ex te paulò post nascetur. Illud quidem ab æterno, hoc verò ad tempus. Papè immensam illam humanitatem! papè illam bonitatem! Non fuit contentus gaudij signa prodidisse, nisi lætitiæ quoque auctorem in vtero Virginis deprædicasset. Hoc enim, quod ait: Dominus tecum, ipsum adesse Regem clarè significat; totum, inquam, eum in ipsa esse in corpus coactum.* Non compegit corpus vsque ad assensum Virginis. Cur tam præcoci fœtu protinus turgere vterum, & id exprimere nuntium, sensit Andreas? Quasi gratiæ plenitudo, etiam exaudita, inanem Deo ventrem non patiatur.

Andr. Hierosol.

Andr. Hierosol.

53. Sic Deitatem sibi conducit in Maria, vt gratiæ plenitudinis salutatio in in inopinos addixerit sensus. Stupebis, si non desipis, ad id, quod subiicio. Censuere aliqui (ô hominum ingenia, ô huius gratiæ vsque ad miraculum cumulata sublimitas!) illam vocem Angeli, qua dixit: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum*, fuisse Filij hypostasim, & carnem esse factam. Cæcutiunt sanè. Sed, bone Deus, qualis huius gratiæ celsitudo prodigij, vt eius radiis lippientes humanæ mentis oculi ferirentur, & inscitiæ linguæ in tam insolitæ laudationis deflexerint delirium? Adeò coniuncta est gratiæ Virginis plenitudo cum Filio Dei, vt solùm ipsius plenitudinis gratiæ vocem Verbum Dei esse, Filium Patris, & carnem factam in Virgine protulissent. Vide, quantus sit in hoc errore deierando Athanasius in homil. de sanctiss. Deipar. *Aue gratiosa, Dominus tecum. Et iam hic animaduertimus, vocem illam salutationis Angeli esse vocem, quæ pro sono suo, quo efferebatur, significationem habuit: verum eam ipsam nequaquam fuisse Filij hypostasim, aut carnem esse factam; sed pro suo sono, loquendique ratione diuersam fuisse à Verbo Dei, quod in vterum Virginis pariter descendit; prorsusque blasphemias dicunt, qui autumant vocem Angeli fuisse materiam, substantiamque Verbi.* Hæc ille. Quid in hoc genus dementiæ potuit impellere, penitùs ignoro; nisi quòd Filij hypostasis ad plenitudinem Deitatis in Patre, necessariâ generatione sequatur, fœcundamque eius mentem redimiat, & ad congestam diuitiarum opulentiam, & quasi saginatam, & saturam primæ personæ mentem eructetur. Quare ad gratiæ plenitudinem, pronâ illatione, videatur, Virgineum vterum impleuisse, eâ exuberantiâ gratia insinuatur, vt in ipso gratiæ vocabulo inuolutum Verbum Dei Virginem intrauisse putauerint.

Athan.

Non sat ista: *Beatus venter, qui te portauit*, è turba mulier ad Christum loquuta est. Intempestiuum nimis elogium apparet. Caro non nisi ab animæ redundantia beatur; gloriosas reliquias à beatitate animæ cadentes, fœlici communione participat. Si adhuc Maria in via est, nec animum in Deitatis intuitione lætificat; quî beatus vterus? Si forsan, quia gratiâ increatâ plenus fuit? Si quia plenitudo creatæ gratiæ seuit in illo Filium Dei, procliuique argumento beatum reddidit, & gloriosum? Nec similitudo deficiet: nam in plenitudine Deitatis vterum Patris in splendoribus Filius inhabitans, splendor gloriæ dicitur, Paternæque beatitudinis claritas, & index. Gratiæ plenitudo consummationem sapit; consummatio autem gratiæ, beatitudinis gloriam infert. Sit lux Odoni Episc. Camerac. in opuscul. *Gratia plena. Si plena, nihil eius omninò erat vacuum gratia: nihil ergo eius peccato vacabat, cuius totum gratia implebat. Igitur gloriosus sexus, gloriosus venter, gloriosa viscera, gloriosum totum, quod totum gratiâ plenum.* Pulchra quidem, & ingeniosa illatio! Gratia repleuit totam Virginem; ergo & gloria totam: ab vtero, & visceribus gloria decantanda, quia vterus, & viscera gratiæ plenitudine fuerunt infusa. Ideò *gloria filiæ Regis ab intus.* Curnè *ab intus*; cùm intùs, & extrà gloriâ perfundatur Beatus? Nam ab vtero gloria Virginis prædicatur, quam plenitudo gratiæ totam præsumpsit; & plenum dicitur, quod impletum intus existit. Damascenus orat. 1. de Natiu. Virg. *Hæc fœmina summo Regi Deo tanquam fimbriis aureis amictam virtutum elegantiam offert, Spiritusque sancti gratia coronata, cuius gloria interna est; nimirùm ventris fructus.* Maria non lumine beatitatis, nec gloriæ cœlestis amplitudine ditata est, antequàm è viuis decederet: & tamen à plenitudine gratiæ gloriosus, & beatus eius vterus decantatur, quatenus in eo viuidæ lineæ ducebantur, & in vmbra exercebatur experimentum torrentis gloriæ, & voluptatis, quo potanda in cœlestibus erat.

54. Luc. 11. 27.

Psalm. 109. Ad Hebr. 1.

Od. Camer.

Psal. 44.

Damasc.

Psal. 35. 9.

Cupis, gratiæ consummationem appellari, è cuius inuasione, & impetu Filium genuit. S. Tho. 3. part. q. 27. art. 5. ad 2. *In conceptione Filij Dei consummata est eius gratia, confirmans eam in bono.* Quid est, quòd insolito stylo sapiens Doctor consummatam Virginis gratiam appellet, cùm dictio hæc character Beatorum sit, nec in viatorum syllabo computetur; Agebat de plenitudine gratiæ, cui Filij Dei addicta conceptio beatitudinis vocem permisit; quæ cùm in Deitatis tentione sit, visum est Deum satiùs tenere, quæ concipit Deum, quàm qui capit; quæ gignit, quàm qui videt. Ergonè iam in vtero Maria beatur? Neutiquam quidem, si rigorem amas: non illi deficiebat tentio, sed fruitio. Pergit S. Thom. *In sui verò glorificatione consummata est eius gratia, perficiens eam in fruitione omnis boni.* Expende medullitùs verba ista. Stabilis sententia S. Thom. est, beatitudinem non in voluntatis actu, sed in intellectu iuxta omnem eius essentiam consistere: quare non in fruitione, sed in Deitatis tentione constituit: quo munere fungi

55. S. Thom.

fungitur intellectus, dum nobili statione ad sui
conceptaculum res trahit, & spiritali sinu pren-
dit, & ambit. Quomodò ergo in glorificatione
Mariæ consummatam fuisse eius gratiam pronun-
tiat, perficientem eam in fruitione omnis boni,
cùm fruitio non formalis beatitudo sit, sed indi-
uiduus beatitatis comes, & appendix? Plurimùm
de Maria meruit Theologiæ lumen, & apex. Di-
xerat, consummatam fuisse Virginis gratiam in
Filij conceptione: & quia ineffabili Sacramento
sic gignens, Deum tenuit, nobiliori prodigio,
quàm Beatus, in vtero quidem, qui beatæ men-
tis fungebatur officio; ideo consummationem
gloriæ Virginis in beatitudine, non per tentio-
nem, quæ intellectus est, explicuit; sed per frui-
tionem, quæ voluntatis: quasi non alia illi gloriæ
portio deficeret, nisi fruitio, & gaudium; vtpote
cui tota plenitudo Deitatis corporaliter sub carnis
conceptaculo infixa fuit.

56. Damasc. Ex quo lucem amat difficilis Damasceni locus
orat. 2. de dormit. Deip. *Mors enim eos perficit,
beatosque ostendit, id videlicet ipsis afferens, vt in
eorum virtutem nulla iam mutatio cadat: minimè
tamen hoc in te vsurpauimus; nec enim mors tibi
beatitudinem attulit, nec migratio perfectionem
conciliauit. Omnium etenim bonorum initium, me-
dium, & finis, securitas etiam, ac vera confirma-
tio in illa seminis experte conceptione posita fuit.* In-
solito ausu progreditur Damasc. Virginis beatitu-
dinem à Filij conceptione, non à mortis sopore
trahit, vt hæreditas Domini, Filij concepti fuerit
merces: nec protelauit in tempus, quo dedit di-
Psal.126 3. lectæ suæ somnum. A perfectionis incremento
migrationem orbat; à beatitudinis dono mortem:
ne actum ageret vtraque, plenamque repleret,
beatamque bearet, cui Filij conceptio perfecta
Cant 3. 6. vitæ possessio fuit. Ergonè postquàm ex flagran-
tissimo amoris incendio, sicut virgula fumi pig-
mentarij pulueris sursum euaporata, cœlestem au-
lam sacris odoramentis suffiuit, non nouæ gloriæ
ingens pelagus experta est, quam à dextris collo-
cauit Filius, cælestesque spiritus placidâ subie-
ctione coluerunt? Sanè sic loquutus Damascenus
confirmationem in gratia ab omni peccati conta-
gione libera innuit, à conceptione Filij ei obue-
nisse; non verò illico intuitionem Dei, in qua bea-
titudo est, immaturo ille munere præstat, quam
præstitit mors, & ex amoris flamma in Dei pro-
spectum sacram intellectus aciem extersit. Verùm
inficiabitur nemo, quò progressa fuerit Marianæ
gratiæ plenitudo, qualibus cum natura Patris gau-
deat priuilegiis, cui sic proclius fuit diuini Filij
generatio, gloriæque prologus, & præludium.

57. Profectò beatitudo Virginis, gloriaque cœle-
stis à conceptione Filij Dei hausit mensuram, di-
dicit quantitatem, singularique ideâ, quasi typus
fuit, & exemplar futuræ in cœlestibus beatitudi-
nis: ideò exinde incepisse, conniuente calamo, non
inscitè profertur; quando certâ lege & gyro in
eius vteri circulo, ingentis gloriæ Matris, Filius
Luc.1. parabat abyssum. Nonnè ipsa protulit: *Ecce enim
ex hoc beatam me dicent omnes generationes?* Rem
August. partitè dedit S. Augustinus serm.25. de Sanctis:
*O fœlix obedientia! O insignis gratia, quæ, dum fi-
deliter humiliter dedit, cæli in se opificem corporauit!
Hinc promeruit gloriam, quam ipse postmodùm
innuit; Ecce, ait, ex hoc Beatam me dicent omnes
generationes.* Quid multum est promeruisse glo-
riam Mariam à robustæ obedientiæ actu, ab stre-
nua fide, ab insigni gratia, qua cœli in se opifi-
cem corporauit: siquidem id commune est cuius-
que supernaturalis meriti dignitati? Non hac vul-
gari acceptione meriti mens Augustini delecta-
tur; subtiliùs procedit in illis: *Hinc promeruit
gloriam.* Diximus suprà, stare beatitudinem in
perfecta possessione Dei, qua mens Beati per sum-
mi boni tentionem ditatur, cui Deus se arctissi-
mo vnit illapsu. Cùm igitur Mariæ vterus sum-
mum bonum orbiculatim circundans possedit,
sibi beatitudinem adumbrauit, quamque meruit,
descripsit. Ergo hinc promeruit gloriam, quia
cœli in se corporauit opificem. Cui sensui prom- Epiph.
ptus adest Epiphan. de laudibus. Virg. *Aue gratia
plena, quæ cæli circulum habes, & Deum incompre-
hensum augusto potissimùm loco teipsa contines.
Aue splendidum cælum, quæ in cælis incomprehen-
sum contines Deum. Quid dicam? Quid proloquar?
Quo pacto prædicabo gloriæ radicem?* Viuidiùs
adhuc alibi inquit: *Quid dicam, & quibus verbis
explicabo gloriam radicitùs fundatam?* In quo
elogio id acuminis est: Quæque gratia habitua-
lis est radix, & semen gloriæ, venaque fontis in
vitam æternam salientis: quoniam ab illa virtu-
tes emanant, quæ amandi, & videndi Deum pi-
gnora sunt. Quare iuxta charitatem viatoria, bea-
titudinis mensura taxatur. In Maria sublimior
gloria aliam expostulauit mensuram, non à cha-
ritate distinctam; sed in amoris sublimitate loca-
tam. Gratia eius sic euecta fuit, vt Deum in vtero
corporaret; ideò gloria ad huius gratiæ celsitu-
dinem metienda fuit; ab vtero exscribenda figu-
ra: &, quod in hectypis accidit, ad vnguem vsque
lineamenta ducenda. Quòd si vterus circulus fuit,
& incomprehensum corporeo circumdedit ambi-
tu; quid de gloria animi dices? annè comprehen-
sio erit? Non sanè: implicat id contingere crea-
turæ. Vteri comprehendentis gratia comprehen-
sionem Deitatis in animo præsagiebat Virgineo:
vide, quanta Marianæ beatitudinis excellentia?
Verùm, quia capax animus non fuit, & in hoc
vteri prærogatiuæ cessit: quidquid citra compre-
hensionem est, gloriæ Virginis concedere non
detrectes. Hæc est gloria apud Epiphanium radi-
citùs fundata: fructus enim nobilitas ex genero-
so stipite eruditur; nec à radicis virtute deflectit,
quod genus à radice trahit.

Hæc, quæ discussimus, Virgineæ gratiæ pleni- 58.
tudo nos edocuit: quæ & consummationem, quæ
in gloria est, sapit, & gloriam ab Vnigenito à Pa-
tre, quem in vtero genuit Maria. Finiamus in eo,
à quo traximus exordium. Forsan ideò turbata
est Maria, nec ad Angelicum terretur nitorem;
sed quia se gratiâ plenam auscultat. Cur nutat ad
vocem, impauida ad Angelum, quoniam consum-
mationem gratiæ sonat, quæ vox Empyrei est; ideò
peregrina, cœloque deuincta. Angeli, ministratorij
sunt spiritus, adstant hominibus, excubias agunt,
terræque plagas reuisunt: attamen gratiæ cõsum-
matio non contingit in terra; patriæ dos est, non
datur viæ. In Angeli salutatione peregrinatur; ideò
hæret nutabunda Virgo ad insolitum, & alterius
regionis vocabulum. Orig. hom. 2. in Luc. *Gratiâ* Orig.
*plena. Vbi in Scripturis alibi legerim, non recor-
dor, sed neque ad virum istiusmodi sermo est. Sal-
ue gratiâ plena. Soli Mariæ hæc salutatio seruaba-
tur. Si enim sciisset Maria, iam ad alium quem-
piam similem factum esse sermonem (habebat quippe
legis scientiam, & erat sancta, & prophetarum va-
ticinia quotidianâ meditatione cognouerat) nunquã
quasi peregrina eam salutatio terruisset.* Mira res!

Ange

Origen. Angelus peregrinus, & peregrina salutatio. Cur attribuit Origenes timorem incussum salutationis auditui non Angeli prospectui? Nonnè Angelus peregrè legatus stellatum deseruit cœlestis sphæræ chorum? Sed Angelus mobilis est, vltroneo gressu deserit, & conserit loca: consummatio gratiæ stabiliter stricta est aulæ cœlesti; nunquam in terra nostra audita est: peregrina, solùm peregrinæ insidet Virgini; nec cœlum deserit, sed cœlum fœnerat cœlo. Consummata est gratia Mariæ per Filij conceptionem, eo sensu, quem dedimus ex S.Thom. S.Thoma, nimirum per confirmationem in bono, quod solis Beatis contingere, dixit Damasc. suprà: Damascen. *Mors enim Beatos ostendit, id videlicet ipsis afferens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat.* Sic tutius est, hanc gratiæ Virgineæ consummationem in conceptu exponas: cùm tamen toto vitæ tempore per subsequentia merita non diffitearis in gratia plurimùm excreuisse. Certè adeò huic plenitudini non ignobiles Auctores deferunt, vt non grauentur asserere, omnis consummationis tetigisse finem in Incarnationis instanti, nec incrementa capessere potuisse, & cœlestis ad instarin vlterius meritum prodire. Sic Scot. Alens. Scot. Alens. Alm. Richard. Almain. & Richard. apud Suarium 2. tom. in 3. disp. 18. sect. 1. Id licèt verum non sit, vt præfatis attrideas, multùm instigat.

ACADEMIA XVII.

Gratia Virginem meritis cumulauit, vt Filij Dei obtineret Maternitatem.

Maternitatis meritum à Patribus decantatum in Virgine vindicatur.

SECTIO I.

1\. MAGNO constat dignitas Mariana: nullius lucubrationis impensis fœnerari potest, quæ non nostræ regionis cōmercio venit: solùm habebis, si habere non præsumas; solùm addisces, si ad plenum percallere non tenees. Nec putes ingenij emere mercede, sed humilis spei congestâ pecuniâ mereri. Vt adhuc elaborata nullâ suspicionis molestentur iniuriâ, sed tutiori firmamento subsistant; animum intendere oportet, vt vestigemus, an Virgo Mater Maternitatem Dei, qua gauisa est, præuiis sibi meritis acquisiuit: an solius superaæ largitatis gratiâ absque meritis comparauit? Scholastica disceptatio est ista, & quæ arguras Theologici ingenij expetit curas, quæ acorem pro acumine (si stomachus fastidiens est, nec rigoris amans) solent inijcere: ideò cursim per hæc cupies calamum ire; qui floridis assuetus facilè lassescet; nisi dulcorer amœnitas, saporque condiat, quæ aridæ disputationis pruina decoxit.

2\. Igitur certum, stabilitumque est, Incarnationem Filij Dei, nullius creaturæ meritis obtineri potuisse. Altior est hypostasis diuina pretio meritorum: nec gratia, quæ totius facti operis radix est, promereri valet, Deum humanæ naturæ in vnitate personæ affigi. Verùm aliquas Incarnationis circumstantias non omne subterfugere meritum, consentiens omnium opinio est. Damus ergo Incarnationis decretum Sacramentum. Disseritur, eamnè traxisse suo vtero meritis per gratiam elicitis Virgo potuisset, naturaque gignere, quem sancta merita ad vuluam allicerent Virgineam. In hoc non concors censio est. Sunt, qui dicant, neutiquam merito vllo, quod proprium *meriti* vocabulum amet, Maria Dei fœtum obtinuisse: quare *meriti* vocem, quam Patres in hoc negotio frequentant, improprietatis probro castigant; nec aliter intelligi satagunt, quam accipitur eo proloquio: *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem.* Sic minùs faustè vir alioqui doctus, nimiumque subtilis contendit Petrus de Lorca in 3. p. q. 2. art. 6, conclus. 3. Lorca. Cuius sententia inermis prorsus est; nec modicè Virgini nostræ, Patrumque lectissimis derogat elogiis. Quare in limine eliminanda est, vt maturius inde discutiamus, quo meriti genere, congrui, seu condigni, Maternitatem fuerit aucupata.

3\. Maria propriè meruit fieri Mater Dei. Thesim hanc, si genus meriti non disquiras, effuso agmine Maiores nostri, Neotericique accordi testimonio confirmant: quos congerere, nec pagina sustinet, nec otium. Verùm quia Auctor ille scribit, nullum ex Patribus hoc meritum operibus Virginis applicuisse, vno excepto Gregorio Magno; Greg.Mag. sed solùm asseruisse simpliciter Beatam Virginem Matris meruisse dignitatem, hoc est, fuisse dignam, vt asseretur in Matrem: non extra chorum saliemus, si in lucem vindices sui Patres huic confessioni eruamus. Sanè, quòd Maria meruerit esse Matrem Dei, dixit Hieronym. epist. ad Hieron. Eustoch. de custod. virgin. Ambros. epist. 82. Ve- Ambros. nant. lib. de æetern. gaud. Bernard. serm. 1. in As- Venant. sump. Mar. Prudent. in Cathemer. Magent. in Bernard. Dialog. cap. 14. Chrysologus serm. 143. Petrus Prud. Damian. serm. 3. de Natiuit. Mariæ. Eusеb. Emiss. Magent. hom in Euangel. Pet. 5. Aduent. aliique innumeri. Chrysol. Qua proloquij dictione, non alicuius operis Damian. eliciti, sed dignitatis, idoneitatisque Mariæ præ- Euseb. tendi meritum contenditur. Igitur, ne auarus Emiss. labor propagari recuset, dabo cumulatissimus meritorum loca, in quibus Marianis operibus è vitiorum scaturientibus venis ad Maternitatem merita recinuntur. Anselm. de Excel. Virgin. cap. 11. *Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta Pa-* Anselm. *ter & Deus omnium: ita Beata Dei genitrix Maria suis meritis cuncta reparando Mater est, & Domina rerum.* Assuit illico rationem: *Maria est Domina rerum, singula congenita dignitati per illam, quam meruit, gratiam restituendo. Et quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit; ita Beata Virgo Maria de sua carne mundissima peperit illum, qui decorem primæ creationis omnium cunctis restituit.* En generandi gratiam meritis Virginis arrogat Anselmus, pronoque argumento deducit, claustrum creaturarum meruisse, quia meruit gratiam gignendi Deum. Id non de idoneitate præsumas; meritorum vox hoc fugat effugium. Simile quid habes apud Augustinum ser. 83. in Assumpt. *Impetra quod rogamus; excusa, quod timemus: quia* August. *nec potiorem meritis inuenimus, quàm te ad placandam iram Iudicis: qua meruisti esse Mater Redemptoris, & Iudicis.* Merita Virginis probat, vt

leniat Iudicem quia gignere meruit vtero, quem trahit prece. Extat pulcher eiusdẽ locus lib. vnic. de nat. & grat. contra Pelag. c. 36. *Vnde enim scimus, quid ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere, ac parere meruit Deum, quem constat nullum habuisse peccatum?* Peccatum cum merito componit, vt denotet opus concernere Virgineum, quo sibi Filium Dei conduxit; eâ meriti ratione quæ ex gratia deueniens, actum virtutis exoptat, non solùm dignitatis habitum; sicut peccatum in actus malignitate computatur.

4. Bernardin. Senens. Id plories Bernardinus Senens. edocet tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1. *Coronâ duodecim stellarum non immeritò coronatur, quia omnium virtutum, & gratiarum merita super omnes rationales, & spirituales creaturas, singularissimi generis priuilegio superexcessit. Quo siquidem factum est, vt non solum fide, & dilectione Christum conciperet in corde, verùm etiam & carnem illius ex purissimis sanguinibus eius, diuini amoris superexcessiuus ardor in Virgineo vtero generaret.* Et serm. 51. art. 3. cap. 1. *Virgo in illo admirando consensu meruit virginitatem, in virginitate Maternitatem Filij Dei.* Quod impensiùs exponit s. tom. serm. 61. art. 1. cap. 3. *Plus meruit gloriosa Virgo in vno suo consensu, scilicet conceptionis Filij Dei, quàm omnes creaturæ siue Angeli, siue homines, in cunctis suis actibus, motibus, & cogitationibus.* Probat fusè, quia Maternitatem meruit, Ambros. Ansbert. lib. 6. in Apocal. *Quæ de singulari merito, ac integerrima virginitate, & Sponsa simul, & Mater effici meruit Dei. Quod nomen nulli vnquam alij diuinâ largitate concessum est. Exuperat hæc solam omnia Sanctorum merita, cùm vna, eademque puella, & Virgo & mater permanet sempiterna.* Honorius serm. de Natiuit. Mar. *Hæc prima inter mulieres vouit Deo virginitatem, & ideò sola inter mulieres meruit Virgo summæ prolis fœcunditatem.*

Ambros. Ansb.

Honor.

5. Id confirmare licet ex Angelo, qui spondens conceptum, gratiam inuenisse conceptaram prædixit; &, ne extraneo indigeret commento, interpretem egit, exponens gratiam concipiendi in vtero Filium Dei. Si gratia est, cur vestigationis curis adsciscit? Quod meræ gratiæ largitoris est, recipientis non subest arbitrio; nec sedulitati quærentis quod non per vestigia solicitantis tenetur. Benè coniunxit vtrumque; & quòd gratia fuit, & quòd inuenta: quia & ipsum meritũ quærentis ex gratiæ opitulatione deuenit. Verùm si nemo inuenit, nisi qui quærit; (licèt casu reperiat, qui fortunæ debuit, non conatu) quomodò inuenire dicitur humilis Virgo, quæ nunquam potuit desiderio Maternitatis flagrare, nec animi gressibus in tam elatum superbi præcipitij venire fastigium, cùm sola similitudinis Dei cupido Luciferum Dæmonem effecerit? Simon de Cassia

Sim. de Cas. lib. 2. de B. Maria cap. 4. *Quæ, inquam, mulier à sæculo præsumpsisset hoc inquirere, vt vndecumque concipere, aut parere potuisset hominem, hominum Saluatorem? Quæ, inquam, sancta Virgo ab humilitatis terminis excessisset, vt in alio preces porrigeret, vt Filij Altissimi esset Mater? Non minor fuisset hæc superbia, quàm illa Luciferiana, quæ Altissimo similis fieri satagebat. Ac per hoc, si non quæsiuit, quomodò inuenit? An præter intentionem suis inuentio? Sed quis inuenit, quod non intendit?* Eximia Mariæ dignitas! Eò creuêre merita, eò communis præmij, statæque vocationis transcenderunt brauium, vt gratiam quam absque inquisitione reperit, meritis inuenisse dicatur: quasi non alio instituto tot merita cumulari potuissent, nisi in Maternitatis Dei præmium intenderent. Pergit Beatus ille: *Inuenta est vna Virgo ex alio, diuinis muneribus fulta, vt cæli esset apta commercio: quæ non inuenit gratiam, quam non quærebat; sed omnes creaturas, & alias virgines suis meritis transcendendi hæc gratia oblata est: quæ gratiam non inuenit, quia ipsam in se ipsa quæsiuit; sed, quia sibi præ omnibus dignè ad hoc dicata Deus obtulit, ideò inuenit: Ecce concipies in vtero.* Sapienter ludit inuentionis voce. Concipiendi gratiam sedula Virgo non quæsiuit; quæsierunt merita, quibus decebat Sapientiam non minus destinauisse præmium: ideò inuenerunt hæc; non Virgo, quæ potiùs à Deo inuenta est, non casu reperta, non obiecta fortuitò; sed diuino prouidentiæ conquisita conatu. Ideò quod gratia fuit, nuncupatur inuentio: & ne granditati Sacramenti detraheret, inuentio gratiæ perhibetur, vt & merita operantis, & gratiam indicet largientis.

Hinc quod Angelus appellauit inuentum, electionem Dominus dixit: *Optimam partem elegit sibi Maria.* Id Ecclesia Virgini Matri defert. Vt 6. Luc. 10. 42.
quid *Optimum* sub Mariæ nomine? Quia fœcunditas diuisim, & Virginitas iam in reliquis assuefiebat mulieribus; quòd pariter incederent, præstitit Virgo: Virginea fœcunditas, quæ optima pars solius Mariæ dos est. Bernardin. serm. 4. de Assumpt. *Vnum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Optimam partem elegit Maria; optimam planè: quia bona fœcunditas coniugalis, melior autem castitas virginalis: prorsus autem optima est fœcunditas Virginea, seu fœcunda Virginitas.* Quid in hunc commentarium potuit impulisse Bernardum? Agitur de electione; & pro Virginea fœcunditate interpres est. Sicut quod est naturæ, libero non subiacet beneficio; nec gratitudinis exigit fœnus, cùm sit extra largitatem præstantis: sic quod gratiæ est, eligentis tenuit arbitrium. Quomodò electio Virginis, vterum incalere Virgineum, quod è gratiæ arcanis fuit euolutum? Virgineæ dignitatis prærogatiua dirimat nodum. Vt meritis deputetur, vocatur electio: cum tamen & meritum, nisi à gratia rigaretur, aresceret. Bernardum Bernadinus elucidet tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 3. *Optimum est, super quod nihil est melius; & in pura creatura supra Beatam Virginem non est factibilis status. Et quia talis status Beatæ Virgini honorabiliter datus est, ideò fuit ante collatum sibi copiosissimum donum, vnde hunc sublimem statum mereri posset, ac sibi eligere, sicut velit. Proinde volens Dominus exprimere dignitatem etiam ex merito suo, potiùs, inquit, elegit sibi, quam data est sibi.* Quàm nobilis dantis liberalitas! Quod beneficium est, meritum conniuente dicitur largitate: laxatur in recipientis arbitrij licentiam, quod solius potestatis est largientis. Sed nec minùs nobilis Virginis Matris excellentia, vt gratiam promereatur, gratiâ præueniri; donoque cœlesti ditari, vt meritorum numismate gratiam optimam venetur. Planè gratia omnino fuit, non debitum, Virginea fœcunditas Mariæ; attamen inuenta, electaque dicitur apud Senensem, vt Virginis meritum eniteat, & penitiùs ipsius esse videatur, quæ à proprio merito gratiâ adiuto initium est auspicata.

Bernard.

Bernard. Senens.

Et

7. Et quia detrimentum gratiæ non est, quòd Virginis gratiâ plenæ recenfetur in meritis; facilè inter gratiam hanc, & Virginem alternatur electio, vt & Maria gratiam elegisse, & gratia Mariam elegisse dicatur; gratiæ deputetur initium, prouentus Virgini. Audisti, quòd Maria gratiam fœcunditatis elegerit; à gratia electam ausculta. S. Gregorius Thaumaturg. serm. I. de Annunt. col. 3. *Conuenienter Sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit: nam prudens reuerâ, ac sapiens in cunctis erat; nec similis ei ex vniuersis generationibus vlla vnquam est reperta.* Mutua sors iungit gratiam, & Mariam: Maria elegit gratiam, à gratia eligitur: gratiam inuenit, inuenitur à gratia. Quia vtraque magno comparabilis est, vtpote in suprema sublimitate collocata: talis gratia nequiuit, nisi à Virgine eligi, & inueniri; talis Virgo nisi à gratia inueniri, & eligi nequiuit. Rependuntur officia, quia in dignitate communicant. Thaum.

8. Vis à gratia Virginem inuentam? Bernardus in deprecat. ad Virgin. *Quando enim placuit gratiæ supernæ, vt habitaret in nobis, à quibus elongata fuerat, tu sola inuenta es digna, vt in tua Virginali aula Rex Regum, & Dominus dominantium à Regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret.* En inuentio, en electio. Nobilis conflictus, æmula concertatio inter gratiam, & Virginem: & cùm nulla vincatur, vtrique decernitur victoria, consonaque aptitudine copulantur, vtpote quia Mariæ non nisi Maternitatis gratia, capacitatis finem expleret; fœcundæ gratiæ non nisi spatiosa Virginis aula diuitiarum cumulum leuaret. Ideò Mariæ quasi non ad mensuram gratia detur, gratiâ plena concinitur: deindeque præsignatur conceptus, vt & eius meritum, & præeuntis gratiæ amplitudo monstretur, vicibusque alternis inter vtramque mutuetur electio. Eucherius Lugdunens. ad Euangel. Fer. 4. Dominic. 4. Aduent. *Alijs ad mensuram gratiæ dantur, hæc autem gratiâ plena dicitur. Considera modò, quantæ ante eam, quantæ post eam mulieres, & Virgines fuerunt; hæc tamen sola Mater Domini fieri meruit, Magna enim, & ineffabilis gratia est, vt vna ex tantis millibus eligatur. Quæ, cùm gratia plena sit, priusquam & conciperet; post conceptionem quanta Dei abundauit gratia, quis cogitare possit?* Electa dicitur à gratia, quam meruit, vt copuletur vtrumque; nec alterutrius dignitati detrahatur: In id enim Beata Virgo electa est, quòd se per merita ad Maternitatis eleuaret statum. Augustinus tom. 9. tract. 24. in Magnificat: *Ergo Beata Virgo, quia singulariter se electam videbat, quia singulariter gratiam acceperat, quasi priuilegio quodam electionis diuinæ confirmata, fiducialiter ipsum, quem pro salute mundi Filium conceperat, suum etiam cum lætitia, & exultatione Saluatorem vocat.* Bernard, Eucher. August.

9. Applaudit maximè inuentionis stylus: *Inuenisti*, inquit, *gratiam apud Deum.* Præmium non inuenitur, sed accipitur: non vestigiis est opus, sed operibus; nec in incertum quæritur, sed agitur de conducto. Nec tamen quod à liberalitate præstantis intenditur, inquietudinem inquirentis supponit: nec patitur solicitantis curis præueniri, qui potiùs munerare, quàm remunerare disponit. Ergo si Maternitatis gratiam meruit Maria, *inueniendi* verbum, meriti rationem diminuit: si non meruit, sed penitus gratis accepit, largitati derogat inuentum. Imò appositè vtrique difficultati consultum est in inueniendi gratiam stylo; vt & meriti, & gratiæ partes agerentur. Si quod inuenitur, gratia est; gratis habetur: nec præstantis periclitatur largitio. Si quod gratiæ est, inuenitur, solicitantis præcesserunt vestigia, cõquirentisque merita valuerunt. Hùc & Angeli cautio, & diuinæ sapientiæ institutum tetendit: & quod gratia in hoc ineffabili opere principatum teneret; & quòd Mariæ merita sociarent: sic & inuenit, & gratis accipit; quia quod inuenit, gratia est: nec aliâ potuit luce quæsiuisse, quàm gratia luminis, quod concepit in vtero. Eximiè Albert. Magn. in cap. I. Luc. ad illa verba: *Inuenisti enim gratiam*, expendens parabolam mulieris inuenientis drachmam, sic fatur: *Mulier hæc Beata Virgo est, quæ in Eua perdidit drachmam decimam ad imaginem summi Regis insignitam, & accendit lucernam flammâ Deitatis, operiens intesta assumptæ humanitatis, infundens liquorem pinguissimum deuotionis, & euerrens domum creaturarum Dei, donec inuentam demonstraret drachmam: & in ipsa inuenisse se gaudens, eum, quem diligit anima sua. Sic igitur inuenisti, non emisti, non meruisti: & quia non emisti, gratis pro nobis accepisti.* Qui de inquisitione præuiserat, quomodò gratis accepisse concludit? Artè. Quia inuenit. Quod inuenitur, & grata solet præstare fortuna, & ab indagantis anxio labore aliqualiter promereri. Luc. I. Alber Mag.

Sed quomodò quæsiit eâdemmet lucernâ, quam flamma Deitatis nutriebat, humanitatis testa solidabat; si quod inuenit, illamet lucerna est? Noua res! Inuenitur, quod, dum quæritur, tenetur, nec anguli domus poterant patere quærenti, nisi eadem inuenta lux illustraret. Si per lucem, quam inuenit Maria, lucem quæsiuit, accepit gratis, quod inuenit; siquidem accepit merita, quibus quæreret. Hinc est quod vtrumque copulet Albertus, *inuenisti, quod meruisti*, etiam, quomodo mereretur, inuenit. Compendio dixit Fulgentius de Incarnat. & grat. cap. 7. *Ipsum Deum hominem factum, non humanis meritis, sed concepti, nascentisque ex ea summi Dei dignitate promeruit.* Quasi diceret: Non humano merito gratiæ impote, sed ex gratia imbuto, Dei maternitatem promeruit. Cui accinit illud Bernardi serm. de Natiuitat. Mariæ: *Quærant alij meritum, nos inueniri gratiam studeamus. Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit.* Non tutò Bernardus nos à meritorum inquisitione arceret, cùm totus in meritis cumulandis insistat: sed quòd meritum ex gratia proueniat, solicitat, vt liquet: eodemque tenore venit intelligendus, cùm gradum facit ad Virginem, cui merita gratia dedit, non natura, vt Filium Dei gigneret illibata. Adest Damian. ser. 2. de Assumpt. *Singularis eius sanctitas, & gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter indicata est digna.* 10 Fulgent. Bernard. Damasc.

11. Venerabile ingenium in verbis Virginis concipientis inclaret. Dixerat gratiâ plenam Angelus, luculentaque panegyri sacras eius dotes extulerat? ne tanquam ad insolitum Sacramentum paueret indigna, exilitatemque meriti causaretur, de tã incomparabili fauore suspiciosa, & de sui incapacitate solicita; supercœlestique mysterio fidẽ teneret, & assensum. Ast illa nõ incredula de nũcio, nõ de Sacramento diffisa, & consensum subiicit, & meritum negat. Audi, quibus concipiat: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Cur non: Ecce Virgo, vt Prophetico conciperet Luc. I. Ibi. Isai. 11

clo

eloquio? Cur non: Ecce amasia, vt amoris prenderet igne, Cur non: Ecce humilis, vt saltem deiectionem voce virtutis proferret, humilitatisque opus, quod potuisset merere conceptum? O qualis ars! Vt nullum prætenderet meritum, voce concipit ancillatus: nec se humilem dixit, sed ancillam; statum, non opus; conditionem, non meritum: vt nec humilitatis sibi vsurparet virtutem, nec merces esset Filius, non gratia. Sed quæ se ancillam dixit, cur votum illicò explicuit, adiiciens: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; quasi pronum esset, vterum illicò gestare, fœtu Dei plenum, ei, quæ se sic ancillam protulisset? Sic in ipsa meriti fuga meritum succurrit; & ex ancillatus officio, humilitatis virtus spirata, & quod agebatur, promeruit, & nullum sibi meritum

Luc. 1.

arrogauit. Nonnè ipsa protulit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ?* Imò Deum ancillam respexisse dixeris, ô Virgo pudica: nec enim te humilem, sed ancillam nuncupasti. Sed quibus Maria attendit ad obsequium, Deus ad meritum vsus est: de seruili statu, quem prodidit, Deus humilitatem excepsit, qua meruit: quod in Maria ancillatus, apud Deum humilitas fuit: quod illa deiectionem, ille meritum indicauit. Dionysius Carthus. lib. 3. de dignit. Mariæ, artic. 21.

Dionys. Carth.

Respexit humilitatem ancillæ suæ: tanquam fateatur: Nil in me ad tam sublime mysterium dignum meritorumvè cognosce, nisi quòd me indignam & minimam noui, atque ad huiuscemodi arcanum in infinitum inidoneam sciui. Enim verò si dixisset: Quoniam virginitatem, charitatémvè ancillæ suæ respexit, videretur (ni fallor) meriti sibi quidpiam in Dei Incarnatione donasse. En quo meritum negatur, astruitur; seque insinuat, quà arcetur: nam quæ humilitatem, dum conciperet, obiecit; nullum sibi meritum præsumpsit: & qui humilitatem respexit, meritum, quo alliceretur, indicauit; piaque concertatio percrebuit, eà Virginis sorte, vt tantumdem dignior euaderet, quantum se à dignitate deiiceret: quò magis humilis, magis deuota; & votum sortita est pro præmio, & ancillæ conditionem exhibuit pro officio. Ideò tam dissita copulauit extrema, *ancilla*, & *fiat*: vt & obsequium præstaret seruientis, & merentis licentiam assumeret. Benè

Ambros.

Ambrosius ea verba versans in cap. 1. Luc. *Vide humilitatem, vide deuotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ Mater eligitur: nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit: quæ faceret, quod iuberetur. Habes obsequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini; apparatus officij est: contingat mihi secundùm verbum tuum; conceptus est voti.*

12. Fœliciter clusa est Virginis humilitas, elisaque Primigeniorum superbia, illi dominantis subiectionis iugum Deo recusauere procaces; & repentè de Diuinitatis infulis inuitati, antequam candidati ambirent, iam Deos esse, elato se iactabant piaculo. Maria, dum se Dei Matrem audit, probat ancillam: vt & perfrictæ Parentum fronti notas redderet seruitutis, qua Deo suo obedire debuerunt; & humilitatis tramite Deum, quem amiserant, etiam ad vterum trahere mereretur. August. tom. 9. tract. 24. super Magnificat:

August.

Benè Maria solam in humilitatem Dominum respexisse testatur, quia Diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperauit. Nam in ea Verbum Patris, corporis substantiam, quam sibi vniret, assumpsit, quasi ad eam, quam prius abiecerat, naturam sublimandam, per misericordiam respexit. Quia se humilitatis, quod erat, ancillam cogitauit; ideò quod non erat, sublimitatis mater esse meruit, quia humilitatem ostendit seruitutis. Ergo voce famulantis meruit, quod suo detrectabat irrogari decori; & in ipsamet humilitatis deiectione in arduam prouecta celsitudinem, & Verbum Dei traxit à Patre, & in sinum se insinuauit Paternum. Fœlix despectio sui, quæ prendidit humilis, quod elabitur à superbo; & dum se imparem cognouit, & indignam, dignationem comparauit supremam. Vis meritum huius humilitatis audire? Ambrosius Ansbert. lib. 2. in Apocal. *O quantum meruisti, ò quantum beata humilitas in sacra Virgine valuisti! Quid enim in sacra Virgine meruisti, nisi Deum hominem coniungeres, vt Verbum carni vnires? Quid in sacra Virgine valuisti, nisi vt Spiritum sanctum super eam attraheres, qui carnem Verbi cum Verbo & Patre in vtero eius formaret? Quid in sacra Virgine potuisti, nisi vt quæ erat ancilla Conditoris sui, Mater fieret, & Sponsa?*

Ambros. Ansbert.

Operosum esset hûc aggerere varias Patrum loquendi formulas, quibus hoc Virginis meritum innuunt; passim in hoc opere diffundimus: nec licet in cumulum congregare. Sat sit vnum præstare, vel alterum. S. Germanus orat. in Natiuit. B. Mariæ: *Quando per mulierem contribulem, nostrique generis supra naturam, conditionemque hic nobis Deus largitus est: per mulierem, inquam cuius animæ pulchritudo, inusitato modo, sine exemplo, in tantum est subuecta, vt & Christum ipsum eius inæstimabilis ceperit pulchritudo, ex eaque generatus secundo sit.* Laurentius Iustinianus de connub. animæ cap. 9. col. 5. *Hæc nempe est Virgo sanctissima, quæ virtutum omnium ornata decore, & gratiarum plenitudine, atque donorum cœlestium irradiata fulgore, cælorum Regem suo ad se traxit odore.* B. Thomas à Villanoua conc. 4. in Natal. Domini, col 4. *Hæc Virgo Beata nobis Deum protulit, & hominem: hæc sua eum pulchritudine, & decore à cœlis allexit, amore illius captus est, & humanitatis nostræ nexibus irretitus.* Venustum est illud Psalmi 28. vers. 7. *Et dilectus quemadmodum filius Vnicornium.* Petis, de quo agit Vates? Dissidium est. Stat pro Christo Genebrardus. Do eius verba. *Est epithetum Domini. Vt Verbi Dei, densitate errorum mundi discussâ, dilectus, id est Christus, apparebit sicut Vnicornis. Quæ, cùm non videretur in syluis, incipit apparere post densas syluarum arbores disiectas, & discussas vi ventorum, & fulminum.* Benè. Cur Vnicornis appellatur? Quia fera, & celer, & sæuiens est: verùm si obiicitur virgo, dirum fastum deponit, facili mulcetur impulsu, & feritatis immemor, amore puellæ ciculatur. Hæc Maria est, quæ Deum suis amplexibus irretiuit, pulchritudineque deliniens, in sinu illaqueauit pudico, virginitatisque merito conduxit. Pulchrè Valentinus Præsul Thom. suprà conc. 4. *O comparationem mirificam! Vnicornis enim Isidoro teste, cùm sit animal ferocissimum, & agile, nullâ arte, nullâ industriâ capi potest: opponunt ei Virginem decoram, cuius ita capitur oculis, vt depositâ feritate, apud virginis pedes aduoluatur, & se tractandum illi ludens, & beneuolus exhibeat.* Ne longiùs eamus, id cum lepore applicat ad Mariam.

13. S. Germ. Laur. Iust. B. Thom. à Villan. Psal. 28. 7. Geneb. B. Thom. à Villan.

An

An pepigerit fædus Deus de Maternitate tribuenda Marianis ex sublimi gratia operibus.

SECTIO II.

14. OPus est, licèt non Theologicâ sedulitate, longâque dissertatione, quæ animum, quem alacrem in hoc opere cupimus, fatiget, saltem perfunctoriè disquirere, quod genus meriti in maternitatem Dei fuit Marianum? Communis iam percrebuit sententia, meruisse de congruo, non de condigno: quam strenuè confirmant P. Vazquez 1. tom. in 3. p. disp. 23. capite 2. P. Suarez 1. tom. in 3. part. disput. 10. sect. 7. quibus innumeros alios accumula. Ab hac quamamat Schola, dissidet Lorca per decessum, qui sectione præcedenti rationem propriam meriti maternitatis Virgineis operibus denegauit. Dissident & antiqui per excessum, quippe qui meritum de condigno largiuntur. Maior in 3. dist. 4. quæst. Gabriel ibidem q. vnic. art. 3. dub. 3. Almain. dist. 4. q. vnic. in fine. Abulensis parad. 1. capite 34. Prauè nonnulli apud Suarium sententiam hanc, temeritatis, seu erroris notâ castigant, malignâque plectunt censurâ, quo ipse meritò elidit: &, me iudice, si docti sic exarsisse nequiuerunt, nisi censerent idem esse Incarnationem Filij Dei, & eius maternitatem meruisse: cùm tamen benè instructa mens non operosè vtrumque discernat, stabilitaque Incarnationis meriti, seu congrui, seu condigni repulsâ; sanâ studiositate aliud de maternitate decernit.

Vazq. Suarius. Lorca. Maior. Gabr. Almain. Abul.

15. Ego, si sententiam proferam, impensiùs huic vltimæ sententiæ animum deuouerem, in quam & Patrum locutiones me trahunt, & Virginis amor impellit. Communem semitam terere religio est: deflectere non audeo, licèt sententiam flectere concupisco, quæ meritum de condigno tenuit. Sat mihi sit pro animi lenimine, vel leui calamo prægustare rationes, quibus hoc genus meriti contenditur denegari: vt si à sapore degenerent, quem promittunt; vel alia argumenta vestiget, qui in hanc opinionem iuerit; vel deserat. Et sanè cùm aliorum argumenta alternâ internecione alij deturbent, intestinâ clade omne Auctorum interit agmen, nullaque manet firma ratio, quæ constanter meritum de condigno depellat.

16. Mouentur igitur aliqui cum P. Suario suprà, vt de condigno meritum abnuant, qui ad hoc genus meriti pactum, seu promissionem Dei præiuisse requirunt, quam inficiantur intercessisse in Virgineæ Maternitatis Sacramento. Verùm hanc condigni meriti conditionem tenuêre alij, vt liquet apud Vazquez, qui disp. 214. à cap. 4. in 12. sedulò oppugnat. Turrian. opusc. 8. disp. 1. & 2. 2. disp. 70. dub. 2. Monceus disput. 12. cap. 10. Nec iuuat alios aggerere. Demus id necessum. Quis his Auctoribus inspirauit nullâ intercessisse promissionem? Leui negotio accersere possemus non inuenusta loca, quæ huiusce pacti non inanes vmbras emittunt.

Vazq. Turr. Monceus.

17. Certè illud Psalm. 44. *Audi Filia, & Vide*, sacra Patrum cohors Mariæ decantat: in quo paciscitur Deus; quòd si aurem inclinauerit filia, decore rapiet Regem, vnisque affiget, adorandumque populis exhibebit. Cuius vaticinij eò luculenta est Incarnationis sponsio, vt si sensim eruerremus acumina, longius hæc actio procederet. Et quidem plura suadent inibi, Deum fœdus cum Virgine pepigisse; perspicuoque promissionis more supremum proposuisse præmium, si domum despiceret, laresque paternos, omnemque familiaris foci memoriam abraderet, nec filiabus Israëlis, Gentisque prauæ conuersationi morem gereret; sed totam singulari delectu per virginitatis obsequium se Deo deuoueret. Quare verba pactum confirmant: *Et concupiscet Rex decorem tuum.* Quæ lectio, annuente Pineda in præuio Salom. lib. 5. cap. 4. Lorino ibidem, omnium lectissima, & correctissima est, præmiumque præsignat: ideoque eam amat Basilius, Chrysostom. Euseb. Hieron. Genebrard. & alij, Regiaque & Complut. scribunt καὶ ἐπιθυμήσει *Et concupiscet*; licèt efferat in præterito, *Quoniam concupiuit*. Gregorius 35. Moral. cap. 14. Ambr. de Virg. Isidor. de vocat. Gent. cap. 2. & Metaphrasis Apollin. Quòd autem verba illa non alicui fœminæ ex pristinis valeant adaptari, benè discutit Lorinus: quare suopte pondere propendent in Virginem, quæ signato Sacramento & Mater, & Filia, & Sponsa est: cui adstipulatur quod subditur: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum*: nam prætterquam: quod de persona Filij Dei solet accipi vox *Deus*, cui adiicitur *noster tuus*, seu *meus*, ob humanitatem adiunctam, vt alibi diximus ex Damiano ob illud Psalmi: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*: dictio illa: *Et adorabunt eum*, in Hebræo singulariter effertur: *Et adorabis ipsum*, lectionique arrident. Aquila, Theodotio, Apollin. Symm. Psalt. Rom. & Æthiop. mitéque accinit illis Ecclesiasticis de Virgine: *Ipsum, quem genuit, adorauit.*

Pined. Lorin. Basil. Chrys. Euseb. Hieronym. Geneb. Regia. Complut. Gregor. Ambros. Isidor. Ner. Apol. Psal. 66. 8. Psal. 68. 8. Aquila. Theod. Apol. Sym. Psalt. Rom. Psalt. Æthiop.

18. Ergo quòd huius vaticinij verba vim pacti habuerint erga Virginem, illique in virtutum mercedem, despectionisque populi præmium Maternitatem Filij Dei fuisse indictam, tres sint nobiles patroni. Chrysipp. Hierosol. serm. 2. de Deipar. latè versat locum: hæc accipe: *Ne posthac attendas animum huic inferiori cognationi; & audi, quanto te amore prosequetur is, qui Conditor omnium est: Concupiscet enim, ait, Rex decorem tuum. Ipse Pater te sibiipsi desponsabit: Spiritus sanctus coëfficiet ea, quæ ad desponsationem pertinent, & Filius ipse templi tui decorem assumet. Ipse formator tui, ipse etiam infans, ipsum concipies, & cum cæteris adorabis Dominum.* Quid clarius? Eidem sensui se dat Thaumat. serm. 1. & 2. de Annuntiat. tandemque concludit: *Nam quoniam sancta Maria, in carne dum esset, purissimam vitam, omnique genere virtutum excultam, optimamque supra humanæ naturæ consuetudinem gerebat: ideò æterni Patris Verbum carnem ex ea suscipere dignatum est.* Denique Athan. epist. ad Marcel. col. 2. quæ verba dedimus alibi: *Quocirca etiam de virgine puerpera non ignaua arcanum illud ipsum silentio non prætermisit; sed eius rei indicium fecit in 44. Psalm. Audi Filia, & vide, &c.*

Chrysip. Thaum. Athan.

19. Nec à recto tramite deflectet, quisquis fœderis huius apices prætimetur in decantato Isaiæ vaticinio: *Ecce Virgo concipiet*: quod in morem pacti sic elucidare contendo: Ei, quæ ex filiabus Israël, in quibus sterilitas pro maledicto est, se singulari virginitati damnauerit, Emmanuelis

Isai 7. 10.

spondeo

ſpondeo conceptum. In breui periodo ſit fœdus & vaticinium: ſicque conſtruas; *Ecce Virgo*, id eſt: Ecce iam adſit virgo ſe pudicitiæ deuoueat, paternaſque abrumpens leges, ſe ſubripiat è coinquinatum turba: *concipiet*. Eo enim ipſo, quòd vexillum ſuſtulerit caſtitatis, fœcunditatis colliget prouentum. Quæ verba in modum pacti ſic diuulſa, iterum colligauit vaticinium; acſi diceret: Ecce iam eſt: virgo concipiet, & pariet Filium. Hanc forſan cauſam ſuæ beatitatis

Luc.1.

prætulit Maria: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Compar *Ecce* eſt. Vtquid ſignatè generationes aduocat ad elogium? Perpulchrè. Maledictionis probro ſterilis vulua plectebatur: innupta virgo calamitatum parebat iniuriis, omniſque benedictio in generatione deditam influebat. Maior ergo beatitudinis Marianæ excellentia, quòd, cùm virgo ſit thalamique ignata, ab ipſiſmet generationibus ſe auſcultet beatam; &, vnde ſerpebant conuitia, laudatio ſuccreſcat. Eximiè Richardus de S.Laurent.lib.4.

Richard à S.Lau.

colum.4. *Vſque ad illud namque tempus apud homines opprobrium ſterilitatis portauerat, quia integritatem virginitatis toro maritali præponebat. Sed vnde in priori generationi carnali quaſi maledictionis ſententiam ſuſtinuit, inde nunc ab omni generatione meritò benedictione collaudatur: cui ſoli hoc inter fœminas omnes conceſſum eſt, vt & fructum fœcunditatis haberet, & integritatem virginitatis non amitteret. Reſpexit ergo Deus humilitatem eius, & abſtulit humiliationem, & ideò, inquit: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hinc virginitatem ſub modo conditionis ad maternitatem explicuit Chryſoſtomus homil.

Chryſoſt.

49. in Geneſ. *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Atqui propter hoc ipſum fiet: nam ſi cognouiſſes virum, non fuiſſes habita digna, vt huic myſterio deſeruires.* Quòd autem illa vox *Virgo* apud Iſaiam (frendeant licet Hæretici) Mariam quaſi ex nomine peculiari ſignaret, ipſe

Idem.

Chryſoſtomus alibi datus adnotauit, quia nomini עלמה *bhalmah* inibi adiungitur הה *he*, nempe particula Emphatica. Goffrid.ſerm.2.de Natiuit.Dom. Petr.Alphonſ.in dial.tit.7.apud Biblioth.tom.12. Hieronym.à ſancta fide libro 1.contra Iud.capite 4. *In hoc loco diſcretè ſe habuit ſcriptura, & hoc ſolum nomen aſſumpſit, quod beata Dei genitrici propriè magis, atque omnipotentius conueniebat.* Paſchaſ.Ratbert.l.2.in Matth. Ambr. Anſbert.lib. 5.in Apocal.

Goffr. Petrus Alph. Hieron. à S.fide Paſch Ratb. Ambroſ. Anſbert.

20. Quibus apprimè ſuffragatur, quod dicitur Matth.1. verſ.22. poſtquàm Angelus Ioſeph de conceptu Virginis erudiuit: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt: Ecce virgo in vtero habebit.* Quæ verba fuiſſe Angeli, & non Euangeliſtæ præter Chryſoſt. Theophyl. & Euthym. dixit Irenæus lib.4. aduerſ. Hæreſ. capite 40. *Et adiecit*, inquit, *hoc autem totum factum eſt, &c. per ſermones Prophetæ, ſuadens ei, & excuſans Mariam, hanc eamdem eſſe oſtendens, quæ ab Iſaia eſſet prænuntiata virgo, quæ generaret Emmanuel.* Pulſat animum, quod indicet illud: *Hoc autem totum factum eſt*, cùm nihil aliud, niſi conceptum, præmiſiſſet Angelus, vt elueret à metu Sponſum. Et ſi Euangeliſtæ verba ſunt, ſolùm Ioſephi curas, & in ſopore eruditum præmiſerat. Certè quia in illo vaticinio: *Ecce virgo concipiet*, totum Incarnationis latebat negotium Mariæ electio, familiæ obliuio, conſerri pacti de virginitate expoſitio. Gloſſa ibi: *Totum illud,*

Matt.1.22.

Chryſoſt. Theoph. Euth. Iren.

Gloſſa.

de quo fit ibi mentio, eſt in multis, vt ſcilicet virgo propinquo ſuo deſponſaretur, vt caſta ſeruaretur, vt virgo mundi Saluatorem generaret. Quod verſans Albert. Magn. inibi loquit: *Gloſſa benè reſpondet ſecundum prophetiæ intellectum, quia in Hebræo eſt* עלמה *halalma, quod eſt cuſtodita: nec cuſtodia virginibus adhibetur, niſi à Sponſis: nec deſponſari poterant, ſi hæreditatem habebant, niſi propinquis.* Sic it per plura. Ergo omnibus, quæ ſpectabant ad Virginem, ſacro compendio illud vaticinium affluit, iureque pactum de virginitate ſeruanda illic poſſumus aucupari.

Alb. Mag.

Ex epithalamio ſacro plura poſſemus cumo- 21.
lare loca, è quibus huius fœderis, & pacti ſub vmbellis amatoriis odoramenta reſpirent, cùm quidquid inibi ſub delicatiis ſacri hymenæ floribus olet, Incarnationis ſit præcentio, Mariæque vterum pro thalamo repræſentet. Ergo, vt ſaltem è primo floſculorum calatho vnum legamus, adeſt in ipſo veſtibulo non paruum huius pacti indicium. Poſtquam enim Amaſia oſculum oris Dei non ſolùm iam pectore, ſed & ore, orationéve ambiuit, Paternique vteri cubile veſtigare geſtiebat: *Indica mihi, quem diligit anima mea: vbi paſcas, vbi cubes in meridie* (in quo ſecretum Patris expetiiſſe, Honorius auctor eſt, vt ſibi raperet Vnigenitum) reſpondetur illi è veſtigio: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum*; ſicque proceditur vſque ad illud: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, & iuxta Septuaginta: *Quoadaſque Rex ſit in recubitu ſuo*: & ſtatim. *Inter vbera mea commorabitur.* Quæ ſi argutè illiges, morem cuiuſdam fœderis non diffiteberis ineſſe, videlicet vt Amaſiæ promittatur Regis accubitus, & inter vbera pendulus Sponſus, nempe Filij Dei conceptio, ſi obſeruet ea, quæ inibi indicuntur; nempe egrediatur, ſuamque deſpiciat domum. Quæ conditio eius ſaporis eſt; ac illa: *Obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui.* Ideò ex æqualitate firmiùs in cogitatu, quem producimus, animos ſolidarut. Præcipuè ſi attendas hanc fuiſſe vocem ad patrem Abraham, cui primum incarnationis inſonuere auſpicia, & ad quem primùm, vt habet Rupertus, beati ſeminis repromiſſio facta eſt: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, faciamque te in gentem magnam.* Vt noueris, quàm appoſitè eadem verba repetuntur ad Virginem, quæ meritis Abrahamum exceſſit: nec argumentum ab Abrahamo non merente de condigno ex genere ortum Filij Dei, ad Mariam debet tranſmigrare. Ergo duo obſerua. Primum eſt illud: *Si ignoras te*, idem eſſe, ac ſi *ignoras*; quoniam Hebraica phraſi *te* redundat, ſicut & prædictis verbis ad Abraham prolatis, Hebraicè eſt לך־לך, *Egredere tibi.* Eadem in hoc Canticorum loco habentur Hebraicè צאי־לך *ghai lach. Egredere tibi.* Quare ly *ſi ignoras* cum præcedentibus aſſuendum eſt, in quibus perſcrutabatur Sponſa meridianum Patris cubile, vbi Filius recubat, in ſancti genitus ſplendoribus. *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes.* Cui reſpondetur: *Si ignoras*, inquit, *egredere & abi*, vt poſt experimento cognoſcas, & ſit Rex in accubitu tuo, & ab accubitu Patris ad vteri tranſiliat accubitum. Fauent ſimilia: *Vbi cubes in meridie, & quoaduſque Rex ſit in accubitu ſuo.* Conſule Hebraicum אם־לא תדעי לך *imlo tedengli lach. Si non cognoſcis tibi*: vbi, ſi non ſuperfluit: *tibi*, aptè concinnatur, videlicet: Vt tibi cognoſcas, id eſt,

Cantic.1.7. Honor. Septuag. Pſ.44.11. Rupert. Gen.12.1. Hebr.

aſt, generes illum, qui ex cognitione gignitur à Patre: *Egredere & abi*; ſic Rex in accubitu ſuo recubabit: in quo eſt illud, quod ſecundò ſpopondi. Vbi legitur *in accubitu ſuo*, Hebraicè במסבו
Gisler. *Bimſibbo*, quod adnotat Chiſlerius dictionem eſſe ex מסב *meſab*, quod propriè ſignificat *circuitum* acſi diceret: *In circuitu ſuo*: quod vtero Virgi-
Ier.31.22. neo mirè aptatur, phraſi Prophetica: *Mulier circumdabit virum.*

22\. Non ampliùs in veteri pagina detineamur, in qua quot figuræ, typique ſunt Virginis, Matris, promiſſionem hanc innuunt ſub alicuius ſignatæ conditione virtutis. Sat ſit ipſum Angeli nuntium veſtigare in quo non ab inuita conſenſum extorſit, ſed ab humili, lubenti, & fideli. In id cœleſtis legatus aduenit, vt Virginis conſuleret arbitrium, & ſub præmio generandi Deum conſenſum expe-
August. teret. Id ſibi altè figunt Patres. Auguſt. ſerm. 17. de nat. *Reſponde iam, Virgo ſacra, aſſenſum tuum Angelus præſtolatur; Deus in porta eſt.* Et c. 18. in Gen. *Reſponde verbum, & ſuſcipe Filium; da fidem, & ſenti virtutem; pande ſinus roſeos, Virgo perpetua: fides tua mundo, aut aperit cœlum, aut clau-*
Bernard. *dit.* Adeſt etiam Bernardin. homil. 4. ſuper Miſſus eſt: *Expectat Angelus reſponſum, expectamus, & nos, ò Domina.* Et ſtatim: *In tuo verbo reſponſo ſumus reficiendi, & ad vitam reuocandi.* Accedit, quòd Angeli alloquium duo Patres componunt cum prædicto Dauidis vaticinio: *Audi filia, & vide*: in quo, vt diximus, luculenter pactum fe-
Athan. ſitur de maternitate Filij Dei. Alter eſt Athanaſ. epiſtol. ad Marcel. col. 3. *Audi filia, & vide, &c. Simile eſt dicto Gabrielis: Salue gratioſa, Dominus tecum Gabriel quidem ſuo nomine eam Mariam vocat, vtpote genere alienus: Dauid autem illam ipſam, vt ex ſuo ſemine oriundam filiam nominat.* Alter eſt
Chryſip. Chryſipp. ſerm. 2. de Deip. *Audi filia, & vide, adeò diligenter auſculta, vt etiam ipſis notitia oculis intuearis effectum. Audi etiam hæc me cum inclinatione prædicentem, atque Gabrielem eadem tibi indicaturum* Et quidem pro illis: *Concupiſcet Rex* Hebraicè אוה *Aua*, quod notat Pineda comparari cum verbo Latino *Aueo*, quod ſignificat non ſolùm *concupiſcere*, ſed *gaudere*. Quare dum prima vox Angeli ab *Aue* fuit; benè concernit promiſſum illud: *Et concupiſcet Rex decorem tuum.* Ob quod forſan dicebat Athanaſius ſuprà: *Simile eſt dictio Gabrielis: Salue gratioſa.* Igitur cum præclariſſima illuxerior virtutum facinora in Virginis aſſenſu, nempe ſtabile virginitatis votum, robuſta fides, humilitas profunda, ingentis obedientiæ ſoliditas, quæ Patres iugibus exaltationibus exornant, & conſenſus hicce eò meritoſius fuerit in ſummo faſtigio, quò tot gratiarum cumulis exundauit, illique tanquam conditioni oneroſæ præmium Maternitatis fuit appoſitum; quid ad promiſſionis, pactiue defuit requiſitum? Quare hoc enitens argumento Bernard. Senenſ. tom. 2. ſer. 61. art. c. 3. protulit verba, quæ ſuprà de-
Senenſ. dimus: *Plus meruit glorioſa virgo in vno ſuo conſenſu, ſcilicet conceptionis Filij Dei, quàm omnes creaturæ, ſiue Angeli, ſiue homines, in cunctis ſuis actibus, motibus & cogitationibus.* Quòd meritum de condigno præſignet, ipſe luculenter exponit, referens alia, quæ illo validiſſimo actu meruerit, quæ à merito de condigno nullus ſanè ablegabit. Quare, cùm annumeret fœcunditatem in virginitate, & Maternitatem Filij Dei; de hoc meriti genere, dubio procul venit intelligendus.

23\. Iniuſtus detractor eſſem, ſi ab hoc argumento diſpungerem locum illum, quo Dominus minùs molli affectu Matrem videtur proſequutus, dum laudato vtero materno à fœmina è turba: *Quinimò*, inquit, *beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſto-* Luc 11.28.
diunt illud. Cui ſe verebitur nonnemo aſperitati refricuiſſe, cùm, indicto Matris, & fratrum acceſſu dixit: *Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus,* Marc 3.35.
& ſoror mea, & mater mea eſt: An in his Matrem obiurgauit? Imò potiùs geminauit honorem, dum meritum ad Maternitatem in Matre euulgauit, nimiùmque veneratione ſuſpexit, quàm deſpicere verba diſſimulant. A merito nuncupauit Matrem, potiùs quàm ab officio, vuluæque munus Marianis anticipauit virtutibus. Quaſi diceret: Non nudè Mater eſt per turgentes à fœtu ſinus, viſceraque prole grauida; ſed excultiùs & ſubtiliùs, quia ad hanc Maternitatem virtutum greſſibus acceſſit; meritorum dotibus attigit; Matriſque gaudio ſibi propoſito, elegit virginitatem, ſterilitatis confuſione contempta. Quia fecit voluntatem Dei, fecit & Filium intellectus eius: ideò & frater & ſoror, & mater eſt. Quid tibi tot conſanguinitatis iura in vna perſona conducis? Ergonè gigneris à ſorore; nec vnius ſexus contentus vocabulo, geminas vocem fratris & ſororis, vt pleniore cognatione fruaris? Certè vnam Mariam depinxit; quæ quia voluntatem fecit Patris in eius allecta ſinum, & filia eius eſt, & ex conſequenti ſoror Filij quem gignit: &, cùm alius frater ſibi non ſit ex vtero (ſiquidem nec Spiritus ſanctus frater eſt, nec alterum Virgo generauit) compellat vtroque, vt arctiori vinculo cum Matre illigetur. Cur non dixit: Et ſoror mea, & mater mea, & pater meus eſt. ſiquidem tot neceſſitudinis pignora cumulauit? Quia vnus eſt illi Pater in cœlo; nec Maria, quæ à Patre fœcundata eſt, patris potuit nomen obtinere. Adſit iam S. Iuſtinus in explicat.
quæſt. q. 133. *Non igitur verbo Matrem obiurga-* S. Iuſt.
uit, quam re honorauit. Si enim is, qui Verbum Dei & audit & ſeruat, Dei eſt, & frater, & ſoror, & mater, quorum vtrumque in eius Matre inerat; perſpicuum eſt, Matrem ipſius ex hac matris ratione beatam dici oportuiſſe. Et quoniam non quamuis mulierem Deus delegit, quæ Chriſti Mater fieret; ſed quæ cæteras virtutibus antèiret: idcirco etiam Chriſtus ab ea virtute Matrem ſuam beatam dici volebat, ex qua digna habita eſt, quæ virgo mater fieret.

Si Mariæ gratia in Maternitatem Filij Dei ſuapte coaptatione propenderit.

Sectio III.

Iam verò aliorū rationē libræ demus, qua vincūtur, qui meritū de condigno Virgini 24.
denegant. Igitur cenſent meritum de condigno operibus à gratia procedentibus conuenire, ob naturam, & conditionem ſibi intrinſecam: nec condignitatem hanc poſſe ſibi adiici ab extrinſeca ordinatione, ſeu promiſſione præmiū cōferendi. Quare cùm gratia Virginis, eiuſdē ſpeciei fuerit cum noſtra, ſuapteque indole ſolùm tenendetit in gloriam, nequaquam potuiſſe contendunt, Maternitatē Filij Dei per opera elicita ſuſpexiſſe
pro præmio. Sic decertat P. Vaſquez 1. tom. Vaſq.

in 3.p.disp.23.n.13.& quotquot eius assecla sunt. Verùm hæc ratio nimiùm aliis displicet, præcipuè quibus ea sententia sedit, ex diuina acceptatione & promissione, meriti condignitatem vel constare, vel compleri. Quod ex pristinis plures senserunt. Durand. in 1. dist. 17. q.2. n.13. Gregor. q.1.art.2. Scotus in 3. dist. 18.quæst.vnic. Et saltem communius est condignitatem compleri per promissionem. Refellit Vasquium Lorca in 3.part. disp.22.& latiùs disp.6. Quin Pat. Suarez strenuè sustinet quòd, si semel promissio præcesserit, sufficeisset in Virgineis operibus ingenita ex gratia condignitas ad Maternitatem Dei promerendam, sup disp. 10.

Durand. Greg. Scotus. Lorca. Suarez.

25. Et quidem nunquam animum applicui his angustiis, quibus gratiam habitualem premunt, quotquot ad vnam gloriam adstringunt, nec patiuntur ad illa præmia propagari; quasi idcò semen gloriæ dicitetur, quòd, vt aliis seminibus taxatum est, solùm vnius generis erumpat in fructum. Pluribus aduersus hanc sententiam confligerem, si scholasticum pugillem agerem. Certè Christi gratiam habitualem eiusdem fuisse speciei cum nostra, consentiens sententia est. Docuit Caietanus 3.p. q.7. art.11. & tamen vide, quàm insolita sibi meritorum præmia acquisierit, in quæ nulla creatura simili in specie gratiâ duere potuit assurgere: nec gratiâ animi sibi promeruit, sed corporis: meruit Angelis gratiâ & gloriam, aliaque innumera, quæ extra gratiæ nostræ pondus sunt. Nec valet confugere ad valorem infinitum meritorũ: quippe si gratia habitualis homini Deo indita fuit, vt naturali aptitudine opera supernaturalia ederet, quibus mereretur: quantumuis meritorum valor, quantitatisque excessus infinitodinem ex diuina persona eliciente sortiretur; attamen, si præmium esset extra gratiæ habitualis comparationem, non merito prodesset gratia, & connaturalitas lædetetur. Ergo rationem meriti habuit ex gratia habituali, Christi opus; valorem ex dignitate personæ. Do singularem S.Thomæ locum de verit.q. 29.art.5 ad 4. *Quamuis meritum Christi quandam infinitatis rationem habeat ex dignitate personæ, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest.* Quare iudico gratiam habitualem ex se respectu cuiusque præmij, quod diuina promissio constituat, sufficiens esse principium, cùm eius munus functiones suas obeat in nitore personæ, quam excolit, redditque diuinæ dilectioni congruam. Vnde non dubitant aliqui posse hominem pro alieno satisfacere peccato, si adesset promissio, sicut, & pro pœna potest Igitur iniuriosè Virgini denegatur maternitatis meritum de condigno, quia gratia eius ex se in illud non propendebat; cùm noua præmia Deus possit stabilire operantibus; nec tamen cogeretur nouum genus gratiæ moliri, quod, dum præmia succresceerent, præmia respiceret.

Caiet. S.Thom.

26. Accedit, quòd Patres stabili consensu Maternitatem effectum gratiæ in Virgine fuisse conclamant, vt videre est præcedentem Academiam legenti à sect.4. Sufficiat recolere Augustinum lib. vnic.de assumpt. Virg. c.1. *Sanctificante Spiritu sancto tuo, in ea vterum humanum ad conceptionem Filij tui, cuius dignitatis & gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* Recognosce omnino ibi Patres, ne actum agamus. Non quiescit animus, si ab Augustino discedat, qui ea perspicuitate meritum Maternitatis virgineæ gratiæ deputauit, vt nec seuero scholæ rigore frontem asperanti effugij semita sit. Audi lib. vnic. de Assumpt. B. Mariæ; de qua sic agit probans in cœlo: *Si ibi non fuerit, vbi Christus ministros suos vult esse: vbi ergo erit? Et si ibi erit, nunquid æquali gratia? Et si æquali gratia, vbi æqua Dei censura, quæ vnicuique reddit secundum sua merita? Si ergo merito Maria viuenti præ omnibus donata est gratia, morina erit minuenda? Absit. Quia si omnium Sanctorum mors est pretiosa, Mariæ sanè est pretiosissima, quam tanta comitata est gratia, vt Mater Dei dicatur & sit.* Quid luculentius? Non vlla tergiuersationis spes. Quòd meritum de condigno tractet, omni luce nitidius est: recole illa: *vbi æqua Dei censura, quæ vnicuique reddit secundum sua merita?* Attexit deinde eodem tractationis filo, Mariæ merito præ omnibus donatam fuisse gratiam, nempe Maternitatis Dei, vt deinde euincat gloriæ celsitudinem: quis insipidè tam breui interstitio genus meriti variabit, illiusque gratiæ meritum inter merita de condigno collocatum à condignitaris sequestrabit vigore? Si id, stigescet argumentum Augustini, aciemque obtundet; nec stimulum infiget. Ipse l. 2.de symb.ad Cathecum.c.5. *Quæ est gratia Matris huius & Virginis? Quæ est gratia huius fœminæ, quæ nesciens virum, filium portat?* Et lib. 3.c.4. *Hæc, gratia cœlesti desuper infusâ vitam, protulit.*

Idem. August.

Andreas Hierosol. de laud. B. Mariæ: *Ne metuas, inuenisti enim gratiam apud Deum: gratiam, qualem non nactus est quisquam ab æterno, sicut tu. Quæ etenim talis sit gratia Dei, quæ summum fauorem mereatur? Nacta es itaque gratiam apud Deum, & ecce concipies in vtero.* Vbi obseruare oportet Andream non appellare gratiam Maternitatem ipsam, quam potiùs meriti ex supremæ gratia habiti nuncupat præmium: vt noueris Virgineam gratiam meritum hoc dignum reddidisse summi fauoris; qui, quamuis meriris artifit, fauor fuit, ac proinde gratia super gratiam. Adstipulatur Richardus de laudib. Virg. lib.3.col.1.c.15. *Magnum fuit Mariam fuisse Virginem, sed maius per omnem modum & mirabilius in virginitate fuisse fœcundam: & hæc fuit gratia super gratiam.* Sed omnium venustius rem dedit Philip. Abb. in Cant. lib.6.cap.8. expendit illa verba: *Vna est matris suæ, electa genitricis suæ.* Mariæ matrem vult esse gratiam, illi omnino comparem, cuius ottonem Virgo exhauriat plenitudinem; sic fatur: *Aue gratiâ plena. Ipsa quidem gratia, quæ bonitate, quæ sua est, nostras culparum maculas abolenit, excellenti beneficio prædictam Virginem sic impleuit, vt vna vnum pariens, virgo tamen integra permaneret, virgo permanens gratia fœcundantis nouâ & singulari sobole responderet. Vna est igitur matris suæ: quia mater gratia nec primam visa est habere similem, nec secundam; quæ se forma pari exhiberet virginem pariter, & fœcundam: non aliam tantis virtutum titulis honorauit: hanc vnam vel vnicam singulari priuilegio decorauit.* Certum est, gratiam, quæ Virginem impleuit, & ob cuius abundantiam gratiâ plenam Angelus Virginem nuncupauit, fuisse gratiam habitualem, nobilium virtutum constipatam choris, spiritualium charismatum imbribus delibutam. Hanc eo impetu inuasisse Mariam, differit Abbas iste, quòd totam illi sui formam imprimeret filiamque impensiùs similem redderet, vt pote cui omnem suæ potentiæ facultatem tiæ facultatem exhibuit, nempe eius merita explicans in Filij Dei Maternitatis prodigium.

27. Andr. Hierosol. Richar. Phil.Abb.

Sanè,

18. S. Thom. Sanè, nisi S. Thomas ducatum ferat, eisdemmet vndis, in quibus ludibus, absorbebimur 3.p. q.2. art.11. ad.3. *Beata Virgo dicitur meruisse portare dominum omnium: non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei.* Hoc loco vnusquisque interpretum in suę opinionis patrocinium non solùm vtitur, sed & fruitur. Velim, ne quis abutatur; cùm sapienti compendio rem prodat. Qui solùm meritum de congruo admittunt, habent; quo se tueantur: *vt congrue posset esse Mater Dei.* Qui omne meritum amputant, silentio S. Thomæ se muniunt, qui solum meritum illius gradus sanctitatis fassus est, per quem facta est congrua Mater Dei, cùm de merito Maternitatis tacuerit. Ego quidem syncerus verborum scrutator, potiùs argumentum retorqueo. Si S. Doctor meritum Maternitatis abnuisset, facilius proloquium illud *Dominum meruit portare* explicaret: sed nullatenus illud temperat, seu diminuit, totus incumbens in ostendendo, non inde sequi ipsam Incarnationem meruisse, qui scopus erat argumenti. Vnde non inquit: *Non quia meruit ipsum in se incarnari*, sed *incarnari* absolutè: ergo stabilitum relinquit, meruisse portare Dominum omnium; ad quod sat fuisse confirmat meruisse ex gratia sibi data illum puritatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei. Abest longissimè à merito de congruo, cùm congruitas illa (luce clarius est) non super meritum cadat, sed decorem, dignitatemque Virginis concernat, qua in Matris conscendit fastigium.

29. Felicius nos loci huius stipendia feramus. Scio non benè argui: Meruit quis gradum nobilitatis, qua decet affulgere Regem: ergo meruit regnum. Ea deductio solum in vltima dispositione, ad quam forma naturalis procliui necessitate subsequitur locum obtinet: non tamen vndequaque & vniuersim in moralibus, nisi aliquid, vt iam subdimus, adiiciatur. Verum S. Thomæ discursus in re quam tractamus, mirè nobis suppetias fert. Ideò etenim meritum de condigno virgineæ maternitatis hos absterret Auctores, quia Maternitatem Filij Dei ob nobilitatem sui contendunt esse extra gratiæ habitualis principatum & regionem, vtpote quæ solum in gloriam emittat propagines, germinet frutices bonorum operum. Rationem hanc debellant funditus præfixa S. Thomæ verba. Si enim gratia habitualis Virginis, quæ nobiscum compar est, & ideò repellitur à Maternitatis merito, ne aliàs in nobis idem meritum explicet, quod P. Vasquez contendit; vtique nec P.Vasq. poterit diuina opera reddere, quæ ad summum sanctitatis fastigium, quod Maternitati congruit, assurgant; cum certum ex philosophica & Thomastica disciplina sit id, quòd ipse S.Thom. nō semel S.Thom. edocuit: *Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit super suam naturam:* sic 1. p.q.12.art.5. Si suprà naturam gratiæ est Maternitas Dei, quia gratia ex se non ad illam ordinatur: qui poterit ordinari ad summum gradum, quem illa Maternitas expetit, sanctitatis, quæ in quadam Deitatis collocat viciniа, & quam nunquam vlla creatura experta est? Parum putas huncce puritatis gradū, quem largus gratiæ habitualis capacitati tribuis, dum Maternitatem renuis auarus? Audacter dico: ideò in Maria Incarnatio supr. miraculum enituit, quia oportuit prius Virginem, quasi infinito perfectionum pelago ditescere, quod extra alicuius creaturæ erat habilitatem. Audi S Bernard. Senens. tom.1. serm.61. cap.12. *Quod fœmina conciperet & pareret Deum, est & fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim (vt sic dicam) fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam, per quandam quasi infinitam perfectionem, & gratiarum: quam æqualitatem creatura nunquam experta est* Senens. Pondera causalitatem, cur conceptio Virginea miraculum fuerit miraculorum: non quidem, si Bernardinum consulas, quia Deus humanitati se deuinxit, imaque superis affibulata, & iunctæ naturæ extremæ; seu quia oportuit fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam, & quasi infinitudinis gratiarum redundantiam, quàm nunquam creatura experta est.

Quare non potest sustineri P. Vasquez, dum à reliquis creaturis, in quibus gratia habitualis est, argumentum efformat disp 23.num.14. inquiens: *Atqui opera aliorum Iustorum referuntur suaptè naturâ tanquam condigna ad præmium beatitudinis, non ad dignitatem Matris Dei: alioquin omnes Sanctæ essent dignæ, vt essent matres Dei, quod est absurdum: ergo nec merita Beatæ Virginis ad hoc præmium tanquam condigna referebantur.* Possumus redarguere, quia, vt vidisti, ex Senensi, nullius creaturæ gratia illud gratiarum pondus spectauit, in illud perfectionum pelagus progressa est, in quod se dedit Mariana, vt decenter esset Mater Dei, & iuxta S. Thomam ex merito per gratiam dignificato fuit adepta Auspicatò adstipulatur B.Thom. Valent. Episc. serm.3. de Natiuit. Virg. *Antequam conciperet Filium Dei, iam idonea erat, vt esset Mater Dei. Sed qualis est hæc dignitas? Vtique habet quandam infinitudinem, esse Matrem infiniti & omnipotentis. Quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, vt esset idonea Mater Dei? Hic iam sileat lingua carnis, excedit enim intellectum & loquelam Virginis magnitudo, non modò nostram, imò & suam. Fecit, inquit, mihi magna, qui potens est. Sed quàm magna? Nescio, an ipsamet valuit comprehendere suam magnitudinem: vnde melius eam silentio veneramur.* Si ad hanc infinitudinis vmbram ex gratiâ Virgo peruenit, quid, rogo, deficiebat itineris vsque ad Maternitatem; si solùm stemus in aptitudine gratiæ, & promissionem aliam siue pactum non spectemus, cuius tamen indicia supra prælibauimus? Et quidem suprà differuimus gratiæ Virgineæ plenitudinem sibi Filium Dei ad vterum adsciuisse. Id fuisse per meritum ex illa gratiâ probet nunc Haym. in c.1. Luc. *Gratiâ Dei fuit plena Beata Maria: nulli enim homini ex matre, & fœmina procreato tanta gratia collata est, quanta illi, quæ creatorem suum meruit generare, à quo creata est.* Atridet Euseb. Emis. in cap. 1. Luc. *Quis vnquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Aliis enim ad mensuram gratia datur. Hæc autem gratiâ plena dicitur. Considera modò, quanta ante eam, quanta post eam mulieres & virgines fuerunt: hæc tamen sola Mater Domini fieri meruit.* Vtramque gratiam, nempe & conceptionem Domini, & præuiam ante conceptum comparat & componit Fulgentius de Incarnat. & grat. cap.22. *Non solùm priusquam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret gratiâ plena Angeli voce nuncupata est, cùm nulla eius præcederet concipiendi Filij Dei vel cognitio, vel voluntas: vt agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas Virginis, quam conceptio Domini Salvatoris.*

30. Vasq. B.Thom. à Villanoua. Haym. Euseb. Emiss. Fulgent.

Quæ dicta sint, ne gratiam Virgineam orbaueris facultate explicandi opera in Maternitatis brauiũ siquidem tam concordi Patrum concentu plenitudini gratiæ deputatur, increatam sibi corporauisse gratiam. Et si semel fatearis vltimum gradum sanctitatis intra huius gratiæ viguisse metas, quæ Matrem Dei dicebat; qualis ad vlteriorem cultum, venustatemque poliendam exigitur dignitas: præcipuè si Maternitatis promissio extiterit?

31. Certè facilis est interpretum stomachus, vt deuoret, vltimum puritatis gradum meruisse de condigno Virginem: & tamen ad Maternitatem, quæ è vestigio aderat in limine, acescit & fastidit. Si noueris, quis fuerit ille gradus, non pigebit vlterius meritum concedere. Sanè ad concipiendum actu Filium Dei, vltimò fuit disposita post gratiæ plenitudinem, per Spiritus sancti superuentum, Altissimi virtutis imbrem; imò gradus vltimus fœcunditas ipsa fuit, cùm priùs sit potentia, quàm actus: quare Bernardinus suprà vt duo distincta memorat inter meritorum Virginis pręmia virgineam fœcunditatem, & Maternitatem Dei. Si gratia Virginis sanctificans eò propagauit meritorũ abyssum, vt de condigno traheret sibi Spiritus sancti amplexum, irriguam Altissimi nubem quæ vterum perplueret, redderetque feracẽ, quod nulli vnquam sanctæ contigit creaturæ: quid potuit ad Maternitatem deficere promerendam; Quòd autẽ vltima fuerit dispositio, Spiritus sancti illapsus, roscidaq; virtutis Altissimi nubes, quibus vltimò digna extitit Virgo; dilucidè cõmendat Alcuinus, cuius verba figere proderit, lib. de Alcuin. fide S. Trinit. c. 14. *Sicut conchyly sanguinem lana suscipit, vt purpura ex eadem lana Imperiali maiestati tantummodò digna fiat; ita Spiritus sanctus superueniens in Beatam Virginem, & virtus Altissimi obumbrauit tibi eam, vt lana fieret Diuinitate purpurata, solummodò æterno Imperatori indui dignissima. Nam & ante eam fuerunt alia in populo Christotocos, id est, Christorum genitrices; non tamen virgines, nec Spiritu sancto, nec virtute Altissimi obumbratæ, vt digna Deum generare inuenirentur. Hæc autem & Christotocos & Theotocos, & sola virgo ex Spiritu sancto, & virtute Altissimi concipiens, ac sic glorificata, vt Deum, Dei Filium coæternum, & consubstantialem Patri generaret.* Ecce vltima dignitas ad generandum Filium Dei in Spiritus sancti amplexu, supernæque virtutis vmbraculo collocatur apud Alcuinum: in quo adeò tenax est, vt censuerit, ideò alias fœminas ab huius conceptionis munere esse subductas, quia huius dignitatis non tetigère fastigium. Igitur si stabilitum apud S. Thomam viget, Mariam meritis ea gratia illum puritatis & sanctitatis obtinuisse gradum, vt congruè posset esse Mater Dei; obtinuit sanè Spiritus sancti superuentum, vterique sacris charismatibus fotum: quibus eò propinqua est Filij Dei conceptio, vt dixerit Alcuinus prona illatione: *Et sic facta est Beatissima Virgo Maria Theotocos.* Velox anticipatio! Agit de dignitate ad gignendum, vixque dignum memorat, cùm infert genitricem: stylo forsan Deitatis, in qua non actus exulat à potentia; sed in perpetuis (vt Philosophica fert paræmia) idem est esse & posse.

32. Hieronym. Ex Hieronymo fermè præfata verba sumpsit Alcuinus: ille etenim ser. in Assumpt. Virg. eamdem è lana candidissima ab Spiritu sancto, velut conchylio satura, inebriataque murice similitudinem deriuat ad explicandum Virginis candorem, non ante Spiritus sancti albicabat amplexum, & ardentem purpuram, qua post Spiritus superuentum flagrauit; ibi supremum puritatis gradum decernens, vbi à supremis Deitatis flammis penetrata incanduit. Ergo quæ hanc cœlestem meruit inuasionem, dum solùm candida, solùm incompta lana; qualem eo spirituali torrente Regij muricis intincta, cœlestibusque delibuta fluminibus meritorum excellentiam augeret? Certè non modica suspicio est, iam exinde Maternitatem de condigno promereri potuisse, si partitè per gradus ascensus fiat. Iuuat Hieronymus, qui sic prosequitur: *Quippe (vt ita loquar) beata & gloriosa Vir-* Hieronym. *go Maria eo modò, quamuis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cœlo sunt, virginibus, vt decenter posset in se suscipere Diuinitatis administrationem, saluâ vtrâque naturâ: tamen cùm gratia repletur, cùm Spiritu sancto perfunditur, cùm virtute Altissimi obumbratur; fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum; ita vt nullis iam vsibus ipsa, eademque mancipanda nisi Diuinis.* Cogita, quale incrementum ex lana ad purpuram, vt ex purpura ad Regiam trabeam, facilem agnoscas ascensum. Si antequàm ostri imbiberet dignitatem, meruit Spiritus sancti inuadi deliciis, Altissimique foueri virtute, & exinde, annuente Hieronymo, celebre meritis incrementum accessit, nec vsibus iam nisi Diuinis patebat: quomodò non gratia se proderet in Maternitatis sortem promerendam?

Discursus hicce eò subiugauit Bonauenturæ mentem, vt qui meritum de condigno denegat, de congruo largitur, postquàm Spiritu sancto impletam Virginem meditatur, in nouum meriti genus, quod de digno nuncupat, animum adegerit, satiùs ducens hac dictione delitiscere, quàm à merito Virginis, Spiritu sancto imbutæ, dignitatem ablegare ad conceptum Audi in 3. dist. 4. q. 2. art. 2. *Dico,* 33. Bonauent. *quod Beata Virgo Maria concipere Filium Dei ante annunciationem meruit merito congrui: quoniam præ nimia sua puritate, humilitate, & benignitate idonea erat vt efficeretur Dei Mater. Post annunciationem verò, postquàm consensit, & Spiritus sanctus in copiositate gratiæ in eam descendit, non solùm habuit congruitatem, sed & dignitatem & ex tunc meruit non solùm merito congruitatis, sed dignitatis obumbrari, & impragnari virtute Altissimi.* Iuit vocabulo, in quod recusault sensu. Impulit forsan Virginea gratiarum abundantia, vt suspiciosum ingenium timens à merito de condigno, in ipsum meritum recideret, cum de digno concederet. Et quidem huic etiam censioni indulsit Marsilius in 3. q. 5. art. 3. dub. 1. concl. 2. 3. Marsil. & 4. & tamen in eius principiis hoc meriti genus nequit à merito de condigno dissidere, vt adnotauit P. Vasquez 1. tom. in 3. p. disp. 23. cap. 2. n. 5. P. Vasq. Vide in quas angustias nobiles animos sublimitas cogat Mariæ.

Hinc apparet, cur S. Thomas non celeri calamo Virginem promeruisse Maternitatem, deprompsit, sed vltimum puritatis gradũ. Studiosè 34. quidem pro Virgine solicitus est: parum etenim oculos admouit ad physicam solùm & corpoream generationem Filij Dei, gerulamque fœtus Virgineam vuluam; sed ibi pondus aggessit, in quo maior nobilitas Matris inclaruit, videlicet quia mente gignens se per merita aptauit, in supremoque constituit sanctitatis cacumine, vt inde in vtero sacra proles pangeretur: quia multò certè

certè beatior, quæ Filij semper amandi custos manebat æterna. Qui sapor etiam est in Chrysostomo expendente illud: *Quinimo: Beati, qui audiunt verbum Dei*, homil. 45. in Matth. *Non fuit hoc responsum repudiantis Matrem, sed ostendentis, quòd nihil ei partus profuisset, nisi valde bona & fidelis fuisset.* Quæ & est sententia Augustini, quam pluries inculcat.

Chrysost.

August.

35. Ideò Patres concinnâ formulâ meritum Virginis, eiusque quasi formalem celsitudinem non tam in dignitate Maternitatis, quàm in condignitate ad Maternitatem inopinis cogitatuum excessibus collocant: eòque prouehunt Virginis meritorū incrementa, vt non pigeat quędā contexere proloquia, quę æternitati prędestinationis in Matrem (primo aspectu, & insipidis auribus) aliquantulū detrahere videātur, nisi Theologica condiat solertia, vt Mariæ subleuent excellentiam. Stupor est, quo aculeo iuerit Basil. M. in eam sententiam qua putauit, ideò Christum Dominum è desponsata Virgine ortum traxisse, quia iam tempus Incarnationis instabat ante secula definitum: nullamque inuentā fuisse fœminam, quæ meritorum sublimaretur ascensu, nisi quam iam desponsationis fœdere sibi Ioseph præoccupauerat; ideòque Dei Filium sibi desponsa conduxit. Audi, & mirabere homil. de human. Christi generat. col. 2. vbi causas virgineæ desponsationis tractans, sic adiicit: *Habeo & aliam rationem, nihilo superioribus ignobiliorem, videlicet quòd idoneum illud tempus ad Incarnationem Domini olim præfinitum, & præstitutum à condito orbe tunc instabat, cùm à Spiritu sancto & virtute Altissimi Dei fera illa caro condenda esset. Quia verò parem puritati Mariæ ea hominum ætas neminem habebat, vt in se agentem Spiritum reciperet, electa est Maria Virgo, desponsatione quidem praeoccupata, sed vt nihil ex eo desponso virginitati accesserit.* Quid ais, ô Magne? Ergonè sic inopinò in sponsam virginem itum est; nec à primordio sponsalia decreta, sed casu obtigit in sponsalitio fœdere irretitam virginem appulisse? Ergonè quia alia non inueniebatur, desponsata reperta est, quam præoccupauit Sponsus, non thalamus? cùm tamen sæpius Chrysologi verba insonent ex serm. 140. *Peruolat ad Sponsam festinus interpres, vt à Dei Sponsa humanæ desponsationis arceat & suspendat affectum: nec auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero pignerata, cum fieret.* Certè non diffitetur Basilius, ab exordio Virginem esse prælectam, sponsoque destinatam ob nutritij functiones, ob pudoris famam, ob Sacramenti velamen: cæterùm hoc emphatico dicendi genere, Mariæ merita ab humili perorandi phrasi subleuare gestiuit, eam hypothesim innuēs, quòd si fœmina conceptura Deum decreta non fuisset, Maria etiam sponso tradita, suis meritis raperet ad vterum Filium Dei. Et quidem ordine executionis dignoscitur, priùs Virginis dignitatem prospectam, quàm illi intentum Filij conceptum. Dilucidè Basilius innuit quantū distet ab Incarnationis absolutæ decreto singulare Maternitatis meritum? in quo solent Neoterici impingere, vtrumque miscentes, & ideò meritū huiuscemodi denegantes, vt iam videbimus) siquidem iamiam Incarnatione peragenda inducit Deum de fœmina genitrice solicitum.

Basil. Mag.

Chrysolog.

36. In hunc sensum & alij Patres subductis calamis iuêre. Nicetas lib. 3. thes. cap. 38. *Iam ante mundi constitutionem, vt Deus humanam carnem assumeret, præfinitum erat. Nunquam autem ante sanctissimam Mariam, diuinæ carnis assumptione dignum repertum est domicilium. Vbi autem repertum est, humanam carnem assumpsit Deus.* Quasi Deus perendinaret Incarnationis ostentum, donec Virgo affulgeret, quam per omnem generis vestigabat regionem; quæ se iam per amorem in homine decretum; meritis vrgeret ad vterum. Accinit Anselm. de Excell. Virg. cap. 9. *Nec enim Dei summi sapientia summa vllam in massa creationis humanæ viam inuenit, per quam, vt disposuerat, in mundum veniens, subueniret, donec ad istam Virginem ventum esset. Sed hæc mox vbi in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute perfectè resplenduit, vt eam ipsa Sapientia Dei verè dignam iudicaret, per quam in homine veniens*, &c. Ecce post decretam Incarnationem adhuc Mater apud Anselmum inquiritur, & tot meritis inuenitur digna; ne fatigentur Neoterici, qui tam dignitatem Matris, quam merita ex Incarnati Filij meriti prouenire attendens illis irretiuntur angustiis, quas videre & diluere est: & tamen nonnulli ex illis nondum sibi suadent posse meritum Maternitatis probari, quin & Incarnationis deuoretur; quod tamen præfati Patres vno agmine oppugnant.

Nicetas.

Anselm.

Et quidem huc copias cient, quotquot vtrumq; meritum; de congruo scilicet & condigno inficiantur: tum, quoniā stabile proloquium est, quòd principium meriti non cadit sub merito; nec allicere potest largientis affectū ad præmium, quod iam supponitur præstitisse, siquidem illius operis principiū est: Christi autem merita principia fuerunt meritorū Virginis, vtpote à cuius influxu viuidam hausêre virtutē. Quare cùm Christus non meruerit nisi homo, nec homo fuerit nisi ex Matre; iam prçuiit genitrix, cùm ille meruit; nec opus erat præhabitam Maternitatem geminatā sorte sortiri. Tum vel maximè, quia euoluere non præualent, quî Maternitas Filij, quæ in relatione abiq; Filio concipi nequit, possit in merito à Filio seiungi. Quod si meriti vinculis Filius prendatur, iam Incarnatio sub meritum creaturæ venit. His non magno parabilis solutio est; ipsemet, qui meritum de condigno renuunt, de congruo admittunt, facilè diluunt: quos adeas, togo, ne pacatam huius operis togam inducto milite cruentemus. Compendio dicam. Vt Christus mereretur, licèt ad esse naturæ Matrem præcessisse opus fuit, ad rationem merentis incassùm eius recordatio solicitat; sat sunt, quæ Christum componunt, intrinsecéque constituunt: vnde potuit in atoma indiuiduatione præuideri merentē; & tamen eius merita decerni, vt dignitas & meritum concepturæ Virginis, idoneitatem acciperet illum generandi. 37.

Ab assensu huius meriti de condigno deturbat Lorcam; qui strenuè aliorum rationes & argumenta discindit, non acris stimuli ratio. Censet, ideò Virginem non potuisse hoc meriti genere promereri conceptum, quia eius opera vitā ęternā condignè meruerunt: duo autem præmia inter se diuersa non possunt respondere eidem merito; nam si vnum condignum est, alterū opus est excedat. Lacteā & breui sorbetur vndā, qui sæuientes fluctus deulcerat. Scrupulosè calculum supputat, & religiosâ nimis mensurâ præmium taxat. Sanè vltimus sanctitatis gradus, prout vltimus est, & decens dispositio ad Maternitatē, ad illā facilè reducitur; & tamē eum gradum meruisse Virginē S. Thom. edocuit: nec obinde eius opera à præmio vitę æternę orbabantur, quod liquet in augmento 38.

Lorca.

gratiæ. Nec dicas, Maternitatem Filij Dei non ordinari ad vitam æternam sicut gratiæ augmentum; & ideò inter diuersi generis præmia computari. Nimiùm humiliter & corporeè de hac Maternitate agis, cùm imò ex Maternitatis tessera in supremæ gloriæ celsitudinem Maria asserta sit: sin aliter, omnes Patrum sententiæ debellantur, quæ ab hac Maternitate omnem Virginis gloriæ sublimitatem deriuant. Nec par est repellere ab ordine ad vitam æternam Maternitatem hanc, ob quā vitæ æternæ fores reseratæ patescunt. Ansel. de Excell. Virg. c. 9. *Hac mox vt in mundū*, &c. quæ suprà dedimus. *Verè dignam indicaret, per quam in homine veniens, non modò reatum primorum hominum, sed & totius mundi peccata deleret, & diabolum sui operis inimicum cum suis eluderet; necnon damna cælestis patriæ, illuc hominem deducens, redintegraret.* Augustinus serm. 18. de Sanctis: *Cœli in se opificem corporauit. Hinc promeruit gloriam.* Epiph. de laudib. Virg. *Quæ in cœlis incomprehensum contines Deum, quid dicam, quid proloquar, quo pacto prædicabo gloriæ radicem?* Sunt sexcenta. Quare illa verba: *Maria optimam partem elegit*, quæ de vita æterna intelliguntur, de Virginis Maternitate nobiles Patres accipiunt, quos supra dedimus. Sat sit nunc Rich. de S. Laur. lib. 1. c. 6. col. 5. *Optimam partem elegit. Optimam quantitate, quia totum habuit; optimam qualitate, quia puriorem & excellentiorem habuit; optimam dignitate, quia dignior pars intelligi non potuit.* Accedit, quòd si Maternitas arcetur à merito de condigno, quia ordinis ad gloriam expers est, etiam arcebitur partus: & tamen non solùm per partum meruisse dixit Richard. lib. 1. c. 6. col. 4. *Securè asseras, quòd non plus meruit pariendo, quàm Virginitatem conseruando: pro varia ergo in ipsa operatione Dei fructus ei debitus:* Verùm & parere sine dolore promeruit. Do pulchrum Augustini locum lib. vnic. de Assumpt. Virg. c. 4. *Maria non communicat parturiendo cum dolore. Promeruit enim hoc singularis sanctitas eius, & singularis gratia, quā susceptione Dei singulariter æstimata est digna. Non immeritò ergo excipitur à quibusdam generalibus vera æstimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua.* Quæ verba, ea emphasi proferuntur, vt meritum de condigno præmonstrent: & tamen à merito gloriæ arcerentur, si sic præmij auara manus riguisset.

Anselm. Aug. Epiph. Luc. 10. 42. Richar. August.

39. Vrget adhuc Petrus de Lorca, vt meritum etiam de congruo debellet; quia nec potuit esse impetratorium, nec retributionis: non primum, quia à vero abest, Virginem postulauisset, quòd Mater fieret: non secundùm, quia nulla promissio intercessit. Promissionem suprà non absque neruo coniectabamus. In primo, timeo, ne discedar à Par. Bernardi castris, qui serm. de Assumpt. B. Mariæ sic inquit: *Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse solicitam, cui dictum est: Ne timeas Maria: Inuenisti gratiam, vtique quam quærebas.* Ex quibus non operosè conficies, vt Maria Maternitatem impetraret, sat fuisse assiduis conatibus pro redemptione generis fuisse solicitam. Quam fuisse sententiam Bernardi, nobilis Auctor, nec nimiùm prodigus, Maldonatus censet, cuius lubet subiicere verba in c. 1. Luc. *Itaque videtur Bernardus in ea esse sententia, vt existimet, Beatam Virginem, antequam ad eam Angelus veniret, adeò fuisse de humani generis redemptione solicitam, adeòque assiduè pro ea orare solitam, vt ea ratione meruerit tantam obtinere gratiam, vt Christum ipsa conciperet, pro cuius accelerando aduentu precabatur.*

Bernard. Maldonat.

Hæc vtcumque lucubrationis oleum perunxit, quæ grata sint animis pro Maria solicitis, nec adeò plenum ius mihi tribuo, vt decernam meruisse de condigno Maternitatem, cùm aliò eat fermè concors Doctorum calamus: nec amo semitas aperire, sed terere apertas. Me Auctorum rationes, vt denegem, non irritare, solùm persuasum volui: cæterùm quia latens aliqua forsan solidior ratio potest obtegi (siquidem hæc sententia quasi ingenito principatu sic omnium animos subiugauit) ideò non recedo, solúmque meritum de congruo ex communi officina, donec noua fax illuceat, attribuo; dignamque tanti Filij profiteor: quod mihi sat est, ne de condigno digladier, contentus verbis Hug. Victor. in Cant. *Ne alia talem decebat, nec alius talis tali inueniri poterat. O digna digni, formosa pulchri; munda incorrupti, excelsa Altissimi, Mater Dei, Sponsa Regis æterni.* Et post nonnulla: *O quàm dulcis & suauis es, quæ sola digna eras, vt superna dulcedinis osculum in tuo conceptu susciperes, & totius mundi suauitatem in partu stillares.* 40.

Hugo. Vict.



ACADEMIA XVIII.

Mariæ gaudium in conceptu, & partu, vtpote quæ ex amore Genitrix, & Puerpera fuit.

Patris superni in concipiendo lætitiam Maria didicit ludens coram eo omni tempore.

SECTIO I.



QVOD iucundum est, obiectum voluntati parat; nec vbi voluptas arridet, & allicit, voluntas abest. Anne in generatione Filij, quæ per intellectum est, Pater hilaratur? Certè naturâ gignit, sed amore prosequitur Vnigenitum. Adest pro hac delectatione decantatus ille Prouerb. locus cap. 8. vers. 31. *Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore.* Quod de Sapientia genita nullus est, qui renuat accipiendum. Inter diuersas huius loci enodationes, censeo generationem æternam celebrari deliciis affluentem. Hinc quidquid iucunditatis est, accersitur, risus, ludus, deliciæ, delectatio, gaudium, lætitia. Quippe vulgata: *Et delectabar.* Hebraica: *Et deliciæ de die in diem.* Vulgata *ludens coram eo.* Rodulphus: *Ridens coram eo.* Septuaginta: *Ego eram, cui adgaudebat ipse: quotidie autem iucundabar in facie eius in omni tempore.* Vt quid tot concrepant delectamenti vocabula? Profectò, quia si creata generatio cum voluptatis mercede peragitur, quibus putas irrigari gaudiis æternam? Illecebra gaudium vix fugit, & iam 1.

Prou. 8. Vulgat. Hebr. Rodulph. Septuag.

iam fugit; vix orditur, iam emoritur: & quo complexus iucundatur, plectitur puerperium. Sed vbi generatio simul cum partu est, vbi idem est concipi & nasci, generationis lætitia natiuitate perfundit: nec fœnus gaudij est puerperij dolor. Et si iugis generatio est, iuge delectamentum perennat: *Delectabar*, inquit, *per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.* Quia nunquam Diuinus Pater generationem intermittit, nunquam delectatio lassescit. Quo fundamento delectamentum hoc ad Filij generationem aduocamus, cum videatur sat esse filius genitus, vt iucunditatem exhibeat genitori: nec opus est ad ipsius generationis
Athan. stringere voluptatem? Sanè Athanasius orat. 2. contra Arrian. *Quomodo si Filius perfectus non erat, Pater in eo sibi congratulabatur? Aut si nunc tandem melioratus est, quomodò antea potuit oblectari coram Patre?*

2. Sed ex illis verbis *ludens coram eo omni tempore*, elicio æternam generationem. Ludere enim (iam id alij adnotauerunt) actum generationis
Eccles. 32. pluries significat. Sic accipiunt illud Eccles. 32.
Genes. 32. vers. 15. *Et hora surgendi non tetrices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis.* Genes. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Igitur vt genita Sapientia ingem, atque perennem generationem è Patris sinu manifestet, quæ deliciis & voluptatibus scaturit, *delectabar*, inquit, *per singulos dies, ludens coram eo omni tempore*; scilicet generationem omni tempore terminans. Mutua est etenim vtriusque generatio, actiua Patris, passiua Filij: in qua illud singulare & insolitum, quòd non solùm generans delectatur, sed & qui gignitur: imò indiuisa voluptas est. Lætatur Parens, prole quoque gaudente, totaque oblectamentis spargitur aula: & cum Parens à prole distinguitur, hilaritas vtriusque non distinguitur. Nec prætereundum est, quàm accommodum verbum *ludere* ad Verbi generationem. *Ludere* enim *canere* significat, non
Pynd. imperito stylo. Pyndarus in Olympicis, quem do Latinè:

Splendescit autem
Musices flore,
Qualiter ludimus frequenter
Viri ad mensam
Iucundam.

Poëta Eclog. 1.

Virgil. *Ille meos errare boues permisit, & ipsum*
Ludere, quæ velim, calamo permisit agresti.

Gelius: *Iis optimè ludere à Magistro eius didicerat.* Cùm igitur Filius Dei ex generationis ratione Verbum, melosq; Patris exoritur, scitè vtrumque per verbum *ludere* componit. Diuina itaque generatio monstratur delectamentis abundans, qualia sacram illam decent puritatem. Velim ab hoc cogitatu Patronos. Et quidem generationem Diuini Sermonis in præfixis verbis intel-
Tertull. lexit Tertullian. lib. aduers. Prax. cap. 6. Fœlicius
Euseb. Cæsar. Euseb. Cæs. lib. 5. de demonst. Euang. cap. 1. Atha-
Athan. nas. orat. 3. contra Arrian. Et orat. 2. *Deus ipse eius imaginis Genitor est, quam contuendo exhilaratur, vt ipse Filius dicit: Ego eram, in quo gaudebat.*

3. Si generatio Patris Diuini licèt à voluntate non sit, voluptatis fluentis irrigatur: licèt non ab amore, sed à natura, gaudia frequentia spiret; an voluptatis iners generatio eiusdem sobolis in Matre, quæ potiùs ab amore, Spiritusque sancti operatione, quam à natura patratur? Imò vt vtriq; subseruiat locus idem, scitum est, quæ de Sapientia genita in Scripturis proferuntur, suopte ingenio prolabuntur in Virginem. Quare præfixa verba non operosum esset transcribere in Mariam, cui ipsum Verbum Diuinus Pater transcripsit in vtero. Aderat ibi in Vnigeniti pristina conceptione ideata Mater, *ludens coram eo omni tempore*, id est, generationem addiscens, præludiaque & vmbras captans; vt in sinu, generandi Deum insereret disciplinam. Id appositè *ludere* potest significare. Vnde præludium *præcentio* quædam est, totiusque auspicium cantilenæ; & forsan moduli illi, quibus secum tibicines modulantur, antequam publicum aërem feriant, hac voce intelliguntur. Igitur sicut pictor, vt alicuius faciem in tabella, colorum, penicillique tractu describat; in conspectu, in vultu, in facie assiduus ludit prototypi; secumque intra ideam pingit, liturat, alludit, præluditque, vt tandem lineas purpurisso illiniat, imaginemque spirantem depingat. Sic Virgo in præscientia Patris coram adstans, quasi studiosa elucubratione, diutinaque ac ludens coram eo omni tempore describitur, vt posteà sacro, virgineoque generationis ludo alluderet ad æternam.

En igitur, didicit ex Diuina generatione & delectamentum, & virginitatem, dum concipit ex amore. Quippe Pater concipiens ex natura, concipere dedit ex amore Verbum; amorem autem potiori iure insequitur delectatio. Nonnè sic Trinitatis scholæ assueta Virgo dogmata Diuinæ geniture capiebat? Sanè in illa verba liquefacta prorumpit: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cur sic abruptè epithalamium orditur, & quasi è seria confabulatione procedit; cum tamen nec verbum loquuta, nec præludium orsa fuisset? Rupertus lib. 1. in Cantic. *Quæ est ista exclamatio tam magna, tam repentina? O Beata Maria, inundatio gaudij, vis amoris torrens voluptatis totam te operauit, plenitùsque inebriauit; & sensisti, quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit.* Sed nondum Rupertus enodat extemporaneæ exhalationis impulsum. Si etenim nondum sponsus soluerat labia, nec vultus venustas illuxerat; cur tam intempestiuo ausu osculantem, osculum, os ambit amasia? Plane prima verba primum desiderium præsignant: æternùm apud Patris præscientiam aderat Virgo, osculum illud Patris addiscens; quo verbum ab ore & eructat, & suauio dulcissimo generationis prendit. Huic assueta disciplinæ prima verba sic efformat, vt ostendat per elapsa sæcula omni tempore, sic coram Trinitate lusisse, vt gignere edoceretur, quem gigni prospectabat; gaudiisque didicisse superimbui superis, suauitateque nectareat oris, osculi, & osculantis. Nonnè vides? Nec os precatur, nec osculantem exoptat, sed oris osculum ab osculante, Verbi scilicet generationem; cùm osculum non labra, non os amantium sit; sed actio suauis se alterno suauio communicantium: vnde *suanium* dicitur. Egeritur osculantis animus in osculatum per osculi commercium; amoris est, non naturæ dulce per labia communionis artificium. Ideò osculum candoris æterni ambit candidata, vt amore concipiat; & tamen idem filius contingat, qui è Patris innascitur naturâ, qui, vtpote Verbum, labiis delectatur. Sic in osculo gau-

4. (right margin, beside "En igitur")
Cant. 1. (right margin, beside "prorumpit")
Rupert. (right margin, beside "fuisset? Rupertus")

diorum liquores, stillantiaque oblectamenta describit, vt breui cantilena totam sibi generationis Diuinæ indolem resetibat. Adest Rupertus: *Tibi autem, ô Maria, semetipsum reuelauit, & osculum & osculum, & os osculantis.* Et statim: *Profectò anima tua liquefacta est, vt dilectus loquutus est, scilicet Deus Pater loqutione admirabili, loqutione ineffabili, dum substantiam Verbi sui cum illo amore suo Spiritu sancto tuæ menti, tuo ventri penitus insereret, in quo nec similem visa es, nec habere sequentem. Et ad Angelum quidem dixisse suffecerit: Fiat mihi secundum verbum tuum, Angele Dei; vt illa: Osculetur me osculo oris sui: ad ipsum autem dilectum Deum conuersa loqui, & iubilare anima tua non desiit in ipso experimento suauitatis inenarrabilis.* Eu tibi cuncta. Concipit ex amore, medullitùs osculum Patris vsque ad penetralia permeat, perpluit voluptatem. Illud grande: *Dum substantiam Verbi sui cum illo amore suo Spiritu sancto tua menti, tuo ventri penitus insereret.* Nonne sat erat inseruisse ventri? quid menti penitiùs inseritur? Quod inseritur, agricolæ pignus est, vt fructibus ditet, fetat prouentum. Si penitus inseruit, non vlla pars mentis absque insitione. Nunquam absque his satis Mariæ mens: si aliquod tempus excludas; non satis, cum non penitus. Æternum igitur Virgineæ menti inseruit Verbum Pater; quippe quod nondum ventri vsque ad existentiam inseri poterat, interim in diuina mente ideata Mariæ inserebatur, dum ante omnes colles parturiebatur illa, id est, patitur prædestinata partum addiscebat, agensque generationis præludia, & simulacra, mente instruebatur de Verbi Dei in Virgineo ventre insitione.

5\. Igitur ludebat Virgo Mater, agebátque conceptiones suas Eccles. 25. è menteque ad ventris aulam, cortiuantibus gaudiis, conceptionis rudimenta tenebat. Vis hanc pristinam Mariæ indolem experimento cognoscere? Innata vis, ingenitaque inclinatio ex primo naturæ dignoscitur actu: vix accendis arbustum igne pergrassante sustollitur in aërem flamma volans; sursum est pondus, trahit ardorem. Is à Creatore inditur impulsus; nec perfecta natura est, donec placidò sibi actu propendeat in centrum. Vix concipitur Virgo Mater, cum lætitiâ suffundit genitores. Forsan quia in æternitatis præcesserat idea, ex amore concipere perdiscens, amoris que affectis gaudiis innatare; generationem non qua generatura, sed qua generata, illis dotibus quasi innata indole instruxit: vt generationis, qua Filium Dei generatura erat, statim attributa sonarent. Annè Mariæ corpus ex amore, charitateque compactum, lætitiisque spirantibus saginatum? Audi Virginem ipsam apud S. Brigittam lib. 1. cap. 9. agit de Parentibus, Ioachimo & Anna. *Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate Diuina, & ex verbo Angeli nuntiantis conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis; sed contra voluntatem suam ex Diuina dilectione. Et sic ex semine eorum per Diuinam charitatem caro mea compaginata est.* Et statim: *Cùm autem anima sanctificaretur, & statim corpori coniungeretur, tanta Matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu.* Quàm appositum prælodium & prolegomenon! Conceptio, qua gignitur Mater Filij conceptionem augurabat. Assuescit generationi, vuluæque charitas incumbere, corpus Virgineum in vtero compaginans, vt ipsum corpus non ad nouitatem pòst stupeat, cum ex charitate, Spiritusque sancti dilectione, diuinæ soboli coagulari carnem attendat. Nonne paria verba, cum Virgo conciperet; aquam eandem Brigittam habes? cap. 10. *Quo verbo Angeli audito feruentissimum affectum habui, esse Mater Dei; & loquebatur anima mea præ amore: Ecce ego; fiat voluntas tua in me. Ad quod Verbum illico concipiebatur filius meus in vtero meo cum ineffabili exultatione animæ meæ & omnium membrorum.*

Eu in vtraque generatione Virgo lætabunda ludit: & dum gignit, & dum gignitur; gaudet, & adgaudet. Equidem in cetera generatione non complacet Parens in fœtu, non adgaudet; licèt & gaudeat, & placeat: quippe voluptas genitoris dum gignit; non geniti, dum gignitur, iosidet. Cuius signum natiuitas est. Ridet pater, tripudiisque concrepat domus, sed gnatus flebili mergitur puerperio, dum genitur hilaratur. Ideò Parenti non complacet: nam, cùm alteri displiceat, licèt placeat alteri, nequit complacere. Complacitum enim, duorum placitum adsignificat. Terentius in Andr. *Postquàm me amare dixi, tibi complacita est.* Matth. 3. *Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Vt quid *complacui* addidit? Vt generationis æternæ singulare retegeret sacramentum, in qua soboles eadem hilaritate, qua Genitor, perfunditur; gaudiumque hauriens cum natura, dum Filio placet Pater, dum Patri placet Filius, in vtroque complacet vtrique. Forsan ideò subdit Hilarius in lib. de Trinit. *Non solùm nomine contestatus est eum esse filium, sed proprietate.* Proprietas hæc solius Dei est, non datur alteri. Annè & genitæ Mariæ, & genetanti? Profectò, si ex amore concipit, & ex amore concipitur; si, dum concipitur, perfundit lætitia parentes: dum concipit, filius eius, qui vir oriens, sobolesque æterna est, lætatur: complacet sanè, & Genitrix in genito, & genitus in Genitrice. Dionysius Carthusianus de præconio & dignitate Mariæ lib. 1. art. 19. *Te enim bonitas eius elegit, & praelegit; dilexit, & prædilexit. Bene quoque sibi in te complacuit; & qui demum creauit te, requieuit in tabernaculo tuo: prodiit ex castissimi, fæcundissimique ventris tui medio in vtra humilitate, qui ex purissimo ac superfæcundo corde Paterno effluxit in vera Diuinitate.* En illud: *Sibi in te complacuit.*

Hinc nulla conceptio Mariæ absque tripudio, gaudioque celebratur. Fortassis ideò Gabriël salutationem ordirur à gaudio: *Aue*, inquit, *gratia plena.* Cur sic incipit conceptionis Virgineæ ad Virginem nuntius? Quia absque hilaritate, conceptionis vox Virginem non inuadit. Concipiebant Angeli in mentis sinu Mariam, dumque in Diuinitatis speculo intuebantur, amore fœcundari indies parturiebant, mentis cognatam cupientes, quam Regis Matrem habituri. Annè in hac spiritali conceptione gaudium? Audi Vincent. Ferrer. serm. de Concept. Virg. *Sancti Angeli conceperunt Virginem in eorum mentibus, per quam eorum ruina repararetur, & inceperunt tripudiare, & facere festum magnum.* En illico ad Virginis conceptionem tripudium; en innascitur gaudium. Quid quòd Angelus gaudium, quod euoluebat in mente, mutiebat in spiritu, loqueretur ab ore, & gaudio ex Virgine concepta imbutus, non aliam vocem construere valeret, quàm gaudij, dum conceptionem annuntiaret ex Virgi-

Marginalia: Rupert. (beside "Diuinæ indolem"); Eccles. 25. (beside §5); Apud S. Brigit. (beside "Virginem ipsam apud S. Brigittam"); 6. (beside "Eu in vtraque generatione"); Terent. (beside "enim, duorum placitum"); Matth. 3. (beside "in Andr."); Hilarius (beside "Hilarius"); Dionys. Carth. (beside "Dionysius Carthusianus"); 7. (beside "Hinc nulla conceptio"); Vincent. Ferrer. (beside "Ferrer. serm.").

Andr. Hierosol. Virgine ? Sic ſecum fatur Gabriel apud Andr. Hieroſol. in ſerm. de Deip. *Quomodo autem ad Virginem accedam? Aut quam aduentus mei cauſam primam dicam? Num gaudij, Euangelij, aut Domini mei inhabitationem, ac Spiritus inuaſionem, vel Altiſſimi obumbrationem? Sic etenim Virginem exhilarabo: indicabo ei ſtatim rem illam admirandam, accedam propiùs, & ſalutabo eam, acclamando ſubmiſiè, Aue.* Et ſtatim: *Ab ipſo gaudio exordium ſumam, lætitiæ ſigna ei annuntians.*

8. En gaudium, quod mente verſabat, muſſitabatque, exordium fuit ſalutantis: & qui conceperat Virginem in tripudio, conceptionem ex Virgine inchoauit à gaudio. Sed adhuc iuuat diſquirere in Ferrerio: cur tripudium nuncupat Angelorum lætitiam, quæ ex conceptione ſpiritali, eorum mentibus arriſit. *Conceperunt Virginem in eorum mentibus, & cœperunt tripudiare.* Id cenſuerim, quia *tripudium* ſaltatio eſt choreaque, ſic dictum à terra pauienda feriendaque, quaſi *tripauium.* Inde quia à prima Mariæ præuiſione Incarnationis myſterium auſpicium accepit: vix concepere Virginem Cœlites Spiritus, cum iam quaſi terræ indigenæ, hominumque conſortes terram choreis ferire incipiunt, terriſque commercio facto inſeri; ſicut pòſt in Domini natiuitate apparuit, & concinit Eccleſia: *Hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli,* &c. Liuius. Tripudiis etenim carmina ſolent adnecti. Liuius lib. 1. ab vrbe: *Per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſolemnique ſaltatu iuſſit.*

9. Inde quidquid alacre, quidquid abſque procacitate iucundum, abſque luxu lætum, argumentosâ ſedulitate congeſtum eſt, vt Maria iucunda conciperet. Generationis nouitas omnem pudoris abigebat iniuriam, fœnoriſque, voluptatis ſcilicet, quam aſſolet pro ſtipendio accipere caro, expers omnino, ſicut virginea, fuit. Vnde ad gratiæ munus attinebat exquiſitioribus, exactioribuſque gaudiis irrigare puellam, ne nobilior conceptio gaudiorum comitatu careret. Id & Filius generandus expetebat, vtpote qui ex amore è gremio Patris inſerebatur in vtero. Nec iam miraberis, cur ſolicitus Angelus pepulit timorem, diluit Virginis metum, & ſuaui verborum oleo curauit delinire? Cur Eliſabethæ fœtum immiſcuit, effœtæque iam & emeritæ ſenectæ prouentum commemorat? Oportuit vndique accitis alacritatibus amœnare ſermonem, vt diuinæ dilectionis Filio non degener ſinus pararetur, ſed dulcedinis riuis humectus lætitiam, qua Pater S. Bernard. concipit, delibaret. Seriò & ſuauiter S. Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt: *Quid fuit neceſſe etiam huius ſterilis Virgini nuntiare conceptum?* Et poſt pauca: *Sed ideò ſterilis cognata conceptus Virgini nuntiatur, vt, dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò neceſſe erat non modico lætitiæ & amoris praueniente inflammari incendio, quæ filium Paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus ſancti mox fuerat conceptura. Neque enim niſi in deuotiſſimo corde, atque hilariſſimo tanta ſe capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia.* Iam ſemel admonui, Filium Paternæ dilectionis & charitatis à Bernardo afferri: non quia è natura, intellectuve dubitauerit progenitum; ſed quia qui naturæ, intellectuſque vbertatem æternùm apud Patrem coronabat; ex amore inſitus Virgini, iam pignus Paternæ dilectionis non immeritò nuncupatur, vt ad nomen transeat amor; & nomen indat, qui humanitati dedit.

10. Quare hilarem & omni fragrantiarum theſauro diuitem vterum eſſe curauit Angelus apud Bernardum. Si etenim non abſque gaudio amor; quomodò abſque hilaritate concipientis, filius conciperetur amoris? Idipſum protulit Dionyſius Carthuſ. in Luc. cap. 1. Dionyſ. Carth. *Vt Mariæ credulitas augeatur, anima exhilaretur, deuotio inflammetur, ſicque ardentiſſima, iucundiſſima, atque deuotiſſima mente conſentiat, atque concipiat Vnigenitum Dei, proponit ei Angelus ſanctus exemplum.* Ex quo Andreas Hieroſolymit. orat. de laudibus Andr. Hieroſ. Virg. *Elizabethæ quoque conceptum introduxit.* Et ſtatim: *Fuit etenim gaudij ineffabilis plenum id, quod dicebatur. Et adeò planè perſuaſit Gabriel Virgini, vt reciperet libenter admirabile illud nuntium, eò quòd ſubijceret: Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Quid ergo? Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini,* &c. Ecce poſtquàm gaudiorum fluxêre fontes, læta Virgo ſubiicit aſſenſum, vt ex hilaritate conciperet, quem ex amore concipiebat. Quin, ne ſubterfugeret, & laberetur iucunditas in inſtanti conceptus; verbum, quo concipit, verbum gaudij eſt. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: quod adiecit illis: *Ecce ancilla Domini*: vt reuereretur, ſicut vernula, ob ſupremam Domini maieſtatem; & gigneret ex lætitia. Damaſcenus orat. 1. de dormit. B. Mar. Damaſc. *Ob idque verba edidit, quæ ſimul & à metu, & à gaudio proficiſcerentur: Ecce ancilla,* &c. Aſt cur tam breuibus ſyllabis, curtaque dictione è pleno pectore ſcintillam hilaritatis eructat? Cur non vocibus ſoluitur, & per labia liqueſcit? Ingens congeſti gaudij torrens organa vocis obſtruxit. Spiritus ſanctus, qui ſcientiam habet vocis, temperauit, compreſſit affluentiam, ſuauique cenſura moderatus eſt: vt quæ Verbum abbreuiatum, carneque cinctum concipiebat, abbreuiatam vocem, diſcretioniſque cingulo conſtrictam ederet, dum conciperet. Hugo Victor. in explanat. in Hugo Victor. Cant. *Tali ergo ac tanta Diuinitatis præſentia plena, quid viderit, aut quid ſenſerit, quis dicere poteſt? Audacter pronuntio, quod nec ipſa planè explicare potuit, quod capere potuit. In tantis ergo mirabilibus quomodo lingua humana tacere potuiſſet, niſi idem ipſe Spiritus, qui Virginem repleuerat, torrentem ſuæ affluentiæ impetum ſuauiſſimo moderaretur amplexu.*

Nulla Filij Dei generatio, nulla natiuitas abſque iucunditate.

SVBSECTIO Vnic.



11. CVR quæque Virginis conceptio lætitiis exuberantibus redundat, iucunditatiſq; florido ridet apparatu? Putauerim, vt omnimodam ad Filium parilitatem repræſentet. Oritur filius in ridenti ſplendorum pompa ex luminum Parente: glomerat ortum gaudiorum chorus, quia non ſolùm gaudet à genitura Pater, ſed & gnatus congaudet genitori, & naturæ prouentum hilaritatis lingua conclamat. Inde nulla Diuini Filij generatio, nulla natiuitas abſque iucunditate. Cur non frangitur ſepulchri lapis reſurgentis corporis ad ictum? Cur imperculſæ valuæ, quan

quando tellus ipsa moribus quatitur insolitis, & hiantibus rimis terræ fundamenta fatiscunt? Vt qui à Matre virgineè genitus, hilaritate pro thalamo, fuerat; qui natus, gaudio pro obstetrice; absque parturigine oriretur è marmore. Cur generatrix vnda & concipit, & parit lacteâ lymphâ, latice ridenti; nec pungit dolor, sed pangit accentus? Quia virgineæ Matris memoria est, Virgineique filij fratres educit. Igitur quotquot generationis species Mariæ pignori contingunt, spirant gaudia, festasque celebritates congeminant, vt semper primæ generationis, quæ æterna est, effigietur hilaritas. Pulchrè rem dedit Gregorius Nyssenus homil. 13. in Cantic. ad illa verba:

Nyssenus. *Candidus & rubicundus electus ex millibus*, sic fatur: *Vel fortassis hanc ei vocem accommodauit sponsa, propter cæteras generationis ipsius species, quæ & ipsæ parturiginis sunt expertes. Nec ignorare potes, quoties sit genitus is, qui totius opificij primigenius est; primigenius inter multos fratres, primigenius ex mortuis, qui primus mortis parturigines soluit, ac per resurrectionem suam vniuersis viam ad partum ex mortuis aperuit. Nam in his omnibus natus est, nec tamen per parturiginem editus. Nam natiuitas per aquam, parturiginis dolorem non admisit, nec item ex mortuis regeneratio, nec diuini illius opificij primogenitura, sed in omnibus hisce partus expers doloris fuit.* Quid amœnius?

12. Parturigo à verbo *parturio* deriuatur, quod dolorem in pariendo significat, iuxta illud Ciceronis 2. Philipp. *Vtinam aliquando dolor populi Romani pariat, quod iam diu parturit.* Quin absque parturigine partum, celerem intelligo. Plinius lib. 20. cap. 21. *Vtique constat parturientes, foliis substratis, celerius parere.* Partus celeritas adauget gaudium, & quæ, antequàm parturiret, peperit; præpeti nascentis ortu dolorem non nouit: quia priùs quàm parturigo insidiaretur, se agnouit Matrem. Id generationis æternæ proprium est: adeò pennata est natiuitas, vt nec à conceptione distincta sit: nec à Genitore, nec à sinu sobolem antecedi patiatur. Ergo parturigo non est, vbi ocyor est proles concubitu: nec nasci desinit, cùm non inceperit: æternúmque gignitur, non quòd non completa generatio, sed quia nullus natiuitatis finis est, cui nullum generationis principium. Id in Virgineam Matrem videas deriuatum. Si verbo concepit, quis de celeritate contendet? Quid ocyus verbo? Sic Verbum parit, quis dolorem vestigat? Non ocyùs verbum auditur, quàm soluitur: & si vulua Matris os fuit, loquuta est, cum peperit: eadem vtrobique velocitas, quia idem Verbum, & quod hausit vterus, & quod dedit. Hinc & absque parturigine sepulchrum, quod compedes mortis soluens, forsan priùs pareret, nisi horas priùs taxauisset Redemptor: imò vt triduum, quod præfixerat, nouetis adimpletum, studium tibi opus est. Quàm velox lympha! dum tingit, gignit; nec parturigini locus, cùm verbum accedat ad elementum, fiatque secundum verbum generatio, vt Verbo genito similis euadat creatura. Iam Nyssenus explicatum habet. Aurea sunt illa: *Neque ignorare potes, quoties sit genitus is, qui totius opificij primigenius est* Quasi inter generationes delicietur, cui generatio proprietas est. Ideóque Virginem sibi Matrem ambierit, vt nouam generationis ordiretur speciem, addiscens ex tunc virgineam generationem non intermittere, etiamsi mors irrueret: sed veluti generationem protendens, è tumulo vulnam, genesim effecerit è sepulchro.

Non dissimili cantilena Maria modulatur: 13.
Beatam me dicent omnes generationes, quasi à Filio Luc. 1. 48.
didicerit non vnius tantùm generationis participio gaudere; sed pluries concipi, concipereque virgineè. Et si in omnibus Beata; nonnè fruens in omnibus? Beatitudo enim fruitio est, omniúmque bonorũ congerie gaudens status. Concipiunt Beati ex Diuinitate fœcundati: pariunt, dum vident: oculis soboles legitur, summique boni intuitum iucunda circuit lætitia; ne vel puerperium illud alio, quàm gaudij, gremio foueatur. Ideò dum se Genitricem canit, Beatam se audit ab omnibus generationibus Virgo Mater; vt ex beatitudinis dote omnem fruitionis in Maria credideris apparatum. Quod vt capias, obserua nobiliorem esse coniunctionem, quæ in vtero Virgineo contigit ex substantia Verbi, & humanitate, quàm illa, quæ fit in cœlestibus ex Diuinitate, & beati intellectu. In ea etenim non vnum subsistens fit, neque ad substantiam tenditur; sed ad actionem. In hac ex humana, Diuinaque natura subsistens vnum emergit: mergitur vtraque, sed manet inconfusa. Si illam gaudium insequitur, quantis, putas, gaudiorum fluere opulentiis istam? Omnis naturæ generatio, quædam coniunctio est: dum magis dissita extrema illustriùs nectuntur, nobilior quasi generationis species innotescit. Maria, quæ miraculum miraculorum est, difficilioribus coniunctionibus præbuit originem. Nonnè vides? Post impletum eius vterum virginitas & maternitas coiere; fides cum ratione; Christi corpus cum accidentibus panis; humana mens cum diuina essentia: quæ prodigia, Verbi cum humanitate in vtero virgineo nobilissima coniunctio præiuit. Omnes igitur generationes, seu coniunctiones beatam prædicent ab vtero Matrem; inde fruentem ab vtero, inde lætam, qua in ipsa generatione beatam, Dionysius Carthusianus lib. 1. de præconio Virg. Dionysius
art. 27. *Quandoque vniones extremè, incomparabiliterque admirandas, Deus excelsus efficit, fidei cum ratione, virginitatis cum Maternitate, corporis Christi sub forma sensibili panis transubstantiati, creatæ mentis cum diuina essentia, & Verbi cum humanitate, quæ ex ambabus hypostasis vna efficitur. Sed priorum quatuor quantò hæc mirabilior extat! Est namque in ipsa creati, increatique coniunctio, quæ etsi in quarta quoque ritè putetur, vnio illa hypostatica non est; est enim quoad actum secundum vt puta frui, videre, atque diligere. Nunc autem, ô predulcis, preamandaque Virgo, iucundare in Domino, dispone Regi aulam, concipe.* Pergit multis, vt lætitiam ingeminet, gaudiorumque imbres spargat. Quod sane procline huic coniunctionum ascensui: si enim quarta coniunctio beatitudo est; cuius actus, intuitus, fruitio & amor, vbi irruptis ostiis, tota se iucunditatis aperit vena, & tamen ibi Diuinitas non ad vnitatem suppositi intellectui Beati assuitur: quantum putaueris Mariani vteri diuinæ voluptatis torrentem, in quo in vnam personam Diuinitas cum carne virginea conspirauit?

Cicero. Plin. Carth.

Maria lætitiæ organum, quo ingenio?

SECTIO II.

14. Andr. Cret. HInc puto lætitiæ organum Mariam nuncupatam. Obuius est S.Andreæ Cretensis locus serm.de Annunt. χαίροις τὸ τῆς χαρᾶς ὄργανον δι᾽ οὗ τὸ τῆς ἀρᾶς ἐκεῖθεν κατάκριμα καὶ τὸ τῆς χαρᾶς ἀντεισῆχθη δικαίωμα. *Salue lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena facta compensatio est.* Huius autem attributi rationem alij nondum odorati sunt. Et quidem organum, licèt quodlibet instrumentum significet, nobiliori vendicatione adsciscitur Musicæ.
Nomencl. Chrys. Athan. Obseruauit Nomenclator ex Chrysostomo, organa musica trifariam ire: aut etenim sunt ἐμπνευστικὰ apud Athenæum, siue ἔμπνευστα, quæ flatu complentur, inspiramineve: vel ἔντατα, siue ἔγχορδα, quæ neruis intenduntur: vel κρουστὰ, quæ pulsantur. Ars naturam obmutescere non passa, modos, quibus loqueretur, inuenit. Quid etenim moduli sonantes, nisi quædam verba sunt, quæ spiramine, artificeque linguâ soluta, gratâ
Quint. dulcedine fantur? Quintilianus lib.9.cap.4. *Natura ducimur ad modos, neque enim aliter eueniret, vt illi quoque organorum soni, quanquam verba non exprimunt, in alios tamen, atque alios motus ducerent auditorem.* Natura per ingenita, dolataque intrinsecùs organa, vel flebiles, vel lætas voces efformat: ars lætis delinita potiùs, quàm lachrymosis, organa constituit, quibus spirati verborum moduli lætitiam in pectorum recessus immittant, verbumque, quod pulsu aëreque concipiunt, pariant dulcedine.

15. En igitur cur Maria organum appelletur: quippe Verbum, quod sacro imbuta spiramine hausit, lætabunda, iucundaque reddidit, Patrisque melos neruis imposuit, chordis implicuit, pulsu tra-
August. ctauit. Fauet his plusculum Augustinus serm.21. de temp. *Plaudat iterum organis Maria, & inter veloces articulos tympana concrepent. Excludat cantus digitis, pariat Christum ludentibus Psalmis. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Musicum Maria inter iuuenculas melos exerceat; quia dulce Verbum plectris sancti Spiritus modulantibus parturiuit.* Et statim: *Reciprocate igitur die, quo criminosa Ægyptus feriretur, tympanum Maria nostra pulsatum Verbum edidit, & sua lingua pulsabulo puerpera nostra lætos sui ortus cantus effudit.* Quibus omnia genera musicorum videas ad Mariam accersita; trifariàm scilicet, quale ex Nomenclatore præmisimus. Quippe ad primum genus attinet tuba, tibia, fistula, classicum, buccina, cornu, & lituus; quæ dicuntur organa ἐμπνευστικὰ; quippe flatu complentur. Dum flauit Spiritus, in vtero Virgineo fluxerunt aquæ, Verbumque insonuit corporatum: *Quia dulce Verbum plectris sancti Spiritus modulantibus parturiuit.* Secundi generis, lyra, cithara, testudo, psalterium, sambuca, pandura, barbiton, naulium & pecten; quæ neruis intenduntur: sic ἔντατα; & Augustinus: *Excludat cantus digitis, pariat Christum ludentibus psalmis.*

16. Denique tertij generis sunt κρουστὰ, quæ pulsantur, tympanum, sistrum & cymbalum: & Augustinus: *Plaudat iterum organis Maria, & inter veloces articulos tympana concrepent.* Sed dulcius illud: *Musicum Maria inter iuuenculas melos exerceat, quia dulce Verbum plectris sancti Spiritus modulantibus parturiuit.* Respicit sanè ad organum pneumaticum, de quo Vitruuius, *Quod venti ministerio insonat*: quippe eodem stylo Vitruuius.
canit Ecclesia: *Aue Virgo Mater Christi, quæ per Pneuma concepisti.* Verbo per sanctum Pneuma imbuta Maria dulcissimos modos insonuit: dum enim huius cantilenæ modum quæsiuit: *Quomodo fiet istud?* an pulsu viri? an neruis? an pneumate? Statim Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te*: acsi diceret: Organum pneumaticum es, non pulsu digitorum, quasi manus hominis, tractandum; sed pneumate solum. Nam Verbum pneumate personat inuolutum, sicut vox aëre. Gregorius Nyssenus orat. Catechet.c.2. Gregorius.
ὃ τὸ καὶ Πνεῦμα μεμαθήκαμεν τὸ συμπαρομαρτοῦν τῷ λόγῳ καὶ φανεροῦν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν, οὐ πνοὴν ἄσθματος ἐννοοῦμεν. Nyssen.
Ita etiam cùm Dei Pneuma, siue Spiritum didicerimus, qui verbum consequitur, & eius declarat operationem, non intelligimus flatum anhelitus. Et superius dixerat: *In diuina autem natura esse quidem Dei Pneuma pium est existimatum, quomodò datum est esse Dei Verbum, propterea quod non oporteat Dei Verbum deterius esse, & magis deficere, quàm nostrum; siquidem cùm consideretur in Spiritu, credatur illud esse sine Spiritu.* Sic pluries reperit Verbum Spiritu inuolutum afferri. Sic in Virginem per Pneuma inditur. Verbum igitur, quod Patris melos dixit Augustinus, Pneumate sancto inflatus, pulsatus, & imbutus, protulit venter. Ideò lætum, & dulcisonum, quia Spiritus sancti dulcedine fluens, per aures Virginis ingressum est. Nouum organi inuentum. Melos iam accipit modulatum, sonum haurit ductili iam modo cantatum, & quod cecinerat Pater Verbum in cœlestibus, per aures Spiritus sanctus huic organo inseruit: per aures, ne initium cantilenæ dedisse putaretur. Cætera organa, quæ Musica nouit, voces alienis auribus elaborant; soluunt è sinu, aëris pungente pulsatione: ideò euanet ad ictum sonus, aëre euentilatur, auribusque frangitur, nec perdurat. Vt organum lætitiæ Maria æternum sonet, per aures carmen, modulumque bibit iam conditum, iam modulatum; vt quando edat afflatu, citharaque Spiritus; æternum fuisse demonstrat. Huc compello S.Ioannem Da- Damasc.
masc. orat. de Natiuit. Mariæ: *Aures Diuinum sermonem audiunt, ac Spiritus cithara oblectantur: per quas Verbum carnem assumpturum ingressum est.* En prius per aures, quàm per auras volet, sonus ille æternus subintrat, vt nouo sacræ musices ingenio organum efformatum sortiatur, scilicet quod per aures proprias imbibitur, formato iam, compositoque sono; antequàm per pulsum, flatum, seu neruum auribus præsentet alienis. Ideò lætitiæ organum dicitur, quia non solum aliis sonans lætitiam spargit, suauiterque metrum spirat; sed potius sibi lætitiæ organum est, vtpote prius audiens, prius auribus melos ebibens iam perfectum; sibique lætitiam, antequam concrepet, silenti mussitat cantilenâ.

Ex quo Mariam incorporeorum carmen nun- 17.
cupauit alibi Damascenus. Audi in Ecclesiasticis Græcorum canticis, suo primo. Idem.

Laudemus omnes Mariam Virginem
Incorporeorum carmen,
Et fidelium pulchritudinem.

Cur,

Cur, rogo, incorporeorum carmen, id est, sanctorum spirituum metrum, & concentus dicitur? Quia nondum vsque ad Virginem incorporeum Patris carmen insonuerat; Virgo corporeum edidir, vtero incorporeum suscepit ab aure: iamque Maria, etsi corporea, etsi humana, incorporeorum carmen effecta est, dum supremum Spiritum mensurâ, corporeâque vinxit quasi metri lege. Inde igitur non inamœno explicatu organum lętitiæ scitè eam appellauisse Cretensem meditor. Organum etenim, qualia in Ecclesiasticis hymnodiis suspicimus, non vnicâ voce, sonove simplici concrepat, sed disparilibus fistulis compactum vno pulsu plusculos modulos reddit. Eructanerat Pater Verbum bonum: nondum conuallis humanitatis inerat, quæ redderet vocem. Superbientia colla Libani cedri crispabant. In Aquilonis lateribus Cherub sedere gliscebat: nec reddere Verbum, sed Verbum esse per Altissimi similitudinem blaterabat. Adest humillima Virgo, & camerato vallis silentio vteri circulo melos, quod sibi Pater concinebat, non simile, non æquale reddidit, sed idem. Audisti non semel: Plin. Sic assonat Echo (adi Plinium) in conualibus, & locis concameratis; vbi scinditur resultans aër, & acceptæ voces repercussu succrescunt: & quia vibratus sonus obiectu reflectitur, moleque obtusâ, cauâque refertur, Echo nuncupatur. Imò ingeminatis, reciprocisque concentibus eadem vox solet resonare subsiliens è colle in collem, è rupe Lucr. in rupem. Quod cecinit Lucretius.

Sex etiam, ac septem loca vidi reddere voces,
Vnam cùm faceres: ita colles collibus ipsi
Verba repulsantes, iterabant verba referre.

18. Vide quàm adsonum. Verbum Patris, vnum cùm fuerit, in vtero Virgineo, quasi repercussum, humilitatisque cauitate reflexum insonuit; ab vtero in Ecclesiam; quasi colles collibus ipsum Dam. Verbum repulsarent. Damianus serm. 43. *Et attende magnum Sacramentum. Filius Dei totus, & integer eructatus est de corde Patris in vterum Mariæ; de ventre Matris in gremium Ecclesiæ. Quantus in Patre, tantus in Virgine: quantus in Virgine, tantus in Ecclesiæ vnitate. Sic distillauerunt cœli misericordiam: sic Verbum Dei transfusum est, & effusum vbique totum, sine quo nihil totum.* Forsan sic; quia humilitas conuallem in medio terræ perfodit. Pergit: *Est & in medio Virginis ipsius vtero substantialiter illapsus, qui medietatem stateræ comprehendit humanæ. Deus enim noster Rex ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* En salientibus hincinde concentibus eiusdem Verbi adsonat Echo: imo non sonitus Verbi, sed ipsum Cant. 2. 8. Verbum, quod saliens in montibus, transiliens colles ad cauum vteri circulum aduenerat, ingeminatis repercussionibus intonuit. Inde Maria lætitiæ organum, quasi pluribus fistulis, cicutisque constructum; vt Verbum vndique Virginem permearet. Cui cogitaui mirè suffragatur S. Bernar- Bernard. Senens. dinus Senens. tom. 2. serm. 48. ad illa verba: *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*, sic inquit: *Fiat mihi in corde per fidem, in ore per confessionem, in ventre per Incarnationem, in manu per contrectationem, in brachiis per ablactationem.* Quantis Verbum accentibus in Virgine repulsatur! O supernæ lætitiæ organum omnibus membris Diuinitatis musicem pangens!

19. Et quidem repercussus sonitus, vocis imago Lucretius. solet appellari. Lucret. lib. 4. de Echo:

Pars solidis allisa locis reiecta sonorem
Reddit, & interdum frustratur imagine verbi,

Sil. lib. 4. *Clamat scopulis clamoris imago.* Imò Sillus. simpliciter *imago* sonitum hunc adsignificare consueuit. Varro lib. 3. de re rust. cap. 16. *Pri-* Varro. *mum secundùm villam, potissimùm vbi non resonent imagines: hic enim sonus harum fuga existimatur esse.* In Mariano lætitiæ organo non Verbi imago, sed Verbum imago adsonat, vt conformes simus imaginis Filij sui. Nec Echo deficit Pneuma, siue Spiritus, vt mordicùs huic cogitationi arrideas. Claudianus suprà. Claud.

——— *Adytisque effunditur echo*
Clarior, & doctæ spirant præsagia rupes.

Spiramine igitur Verbum Dei tractum in vterum, quia carneum inuenit obicem, repercussum insonuit; in veraque natum carne os Domini loquutum est. Hypognosticon aduersus Pelagianos inter opera Augustini lib. 1. *In spiramine my-* August. *stico ex Virginis vtero in vera natus est carne.*

Adhuc in Cretensis elogio est quod eruas. 20. Non nudè lætitiæ organum Virginem appellat: sed *per hoc quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac veri gaudij plena facta compensatio est.* Pristinum piaculum recordatur, quando pomi noxialis mors in morsum corruit, Protoplastesque periit ab ore, qui vitæ spiraculum ore ebiberat. Vtquid itaque sic ad Primigenium respiciens, lætitiæ organum nuncupat Mariam? Scias, animam *actum corporis organici* definiri, quippe vt concentu, harmoniâque sensuum, potentiarumque tubis, & fistulis functiones suas edat, organicis distenditur, detornaturque corpus sensoriis, quibus spiritus peruagantes vitale commercium tribuant viuenti. Inspirauerat quondam Deus spiraculum vitæ constructo limo: hauserat ille, organique corpore biberat. Vix spiraculum ebibit, cùm spiritum egit, Verbique, & Spiritus sancti similitudinem euomens liturauit. Annè in spiraculo illo Verbum Dei, Spiritusque sanctus sui participium spirauit. Planè sic sensit Cyrillus Cyrillus Alexandr. lib. 13. Thesaur. cap. 3. *Quod in substantia* Alex. *Patris, & Filij Spiritus sanctus sit, beatus quoque Moyses ostendit. Formato enim ex terra homine, sufflasse in faciem ipsius Deum, ait, Spiritum vitæ.* Et lib. 12. in Ioann. cap. 56. *Sui Spiritus participatione muniuit: insufflauit enim in faciem eius spiraculum vitæ.* Verbi meminit lib. contra Antropomorphitas cap. 2. *Hic est Spiritus, qui per Filium rationali naturæ est suppeditatus.* Ergonè Verbum Dei Spiritus sancti inspiramine, sui pignus (animam scilicet) per spiraculum homini immisit, halauit; & tamen organum illud versum est in luctum, quod è luto solidatum fuerat in organum? Iam corpus organicum, animi nescit spiritibus obedire; iam vocibus imbui recusat; confusis, perfractisque fistulis, laceris tibiis, læta modulamina, articulorum ignorat reddere pulsu. Proh dolor! Adest Virgo, cui spiraculum vitæ, imo Spiritus sanctus non in faciem solùm, sed in vterum incubaturus aduenit; Verbum Dei inseritur ventri, totaque Numen spirat, corpusque organicum, quod baiulat, actum purum, summique intellectus actum concipit: ita functionibus eius animata, informataque viuit, vt quasi eius organum constituta sonorum, iucunditatis, & lætitiæ innouet cantilenam.

Maria

Maria ex sacro gaudio concipiens, non ex illecebra, gaudium cum gaudio parit.

Sectio III.

21. Habet gratia suorum apothecam gaudiorum, quibus non solùm scatet animus, sed caro, cui virginitas dotes animi dedit. Ergo, dum Maria gignit, dum parit, omnis sese effundit lætitia, iucunditatisque plenis fontibus, & Genitrix irrigatur, & Puerpera. Gratia omne genus oblectamenti collegit, quæ insipidas illecebras deuinceret: vt nosceret caro, multò feliciores esse delicias, quas vterus ex virginitate sortitur, illis, quæ illicò euanidæ ex thalami sordibus carni blandiuntur. Annè caro Virginis gaudio vacua fuit in conceptu Filij, & in puerperio? Imò contemplare gratiæ ingenium. Gratia non in carne insidet, sed in spiritu; nõ in corpore subiectatur, sed in animo. In Maria supra prodigium hæc singularitas fuit, quòd fieret in illa quasi gratia corporalia, vt alibi examinauimus ex Idiota; nempe, quia ex gratia, non ex viro concepit Filiũ Dei, vterumque repleuit ex nouæ gratiæ plenitudine. Quid causæ? Quia ex charitate concepit, ex amore fœta est; & ideò Spiritus sanctus opifex fuit fœtus: iam id probauimus. Fructus autem gratiæ, & charitatis gaudium, est, edocente Apostolo, (Ad Galat. 5.22.) *Charitas, gaudium, pax.* En amoris immediatus fructus gaudium est. Vteri fœcunditas ea amoris penetratione in ipsiusmet amoris naturam transiuit: igitur idem fuit concipere, & gaudere: fœtus vteri fructus fuit charitatis, ac proinde gaudium. Quare procliui consequentiâ, quæ Mater pulchræ dilectionis dicitur, lætitiæ Mater venit nuncupanda S. Germ. orat. in Natiu. B. Mariæ: (S. Germ.) *Offeramus Reginæ vnguenta pretiosa, Vatum oracula illi nuncupemus, Gabrielis alloquium Matri lætitia dicamus: Aue gratia plena.* Quia ex gratia Mater, quia Genitrix ex amore, lætitiam genuisse meritò dignoscitur. Thesaurus lætitiæ vulua fuit, dum conceptaculum Filij Dei effecta est. Chrysippus de laudib. Virg. (Chrysip.) *Aue: tuum est reuera auere, & gaudere: tuum est verissimè audire istud: Gratia plena; quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ, & gratia: Rex cum ancilla, cum puella impolluta is, qui sanctificat omnia.* Ecce virginitas, gratia, lætitia. Virginitas gratiam traxit ad vterum; gratia dedit fructum suum, nempe lætitiam: & ex omnibus diues thesaurus effectus est. Non potuit explicatiùs persuaderi gaudij Virginei excellentia super carneæ blandimenta voluptatis. Quæ gignit ex thalamo, non gaudium gignit licèt ex illecebroso gaudio processerit: natiuitas prolis argumentum est; dolet, cum primùm ad lucem egreditur, genitricisque oculis se præbet conspicabilem: ergo generationis huius fructus non gaudium fuit, quippe non gratia, sed illecebra germinauit. Secùs res in Maria. Gratia naturam eleuauit, adegit ad fœtum, ideò non delectatio euanuit, sed in fœtu ipso persistens, puerperium hilarauit. Albertus Magn. in Marial. c. 246. (Alb. Magn.) *Concipitur in Virgine sine dolore cum summa spiritus delectatione, & etiam cum delectatione summa naturali: sed naturalis fuit ibi materialis: spiritualis verò fuit formalis: sicut ipsa conceptio fuit, Spiritu sancto operante tantùm, & natura operationem suscipiente. Idem dicimus de partu per omnia.*

Zerda, Maria effigies.

22. Expende, quid in Canticorum vestibulo Maria: (Cant. 1.) *Osculetur me osculo oris sui. Quia meliora sunt vbera tua vino.* Si in oris osculo, quod ambit, Verbi sibi generationem exoptat, & vrget; quid vino, in quo est luxuria, vberum suauitatem præfert; & quasi voluptatem comparans voluptati, Virgineam extollit, exterminat impudicam? Si vinum non nouerat, quæ nec virum; quî scit vino meliora, vbera, quæ in conceptione Virgineo sugenda? Nequit incognito extremo alteri adiudicari victoria; nec tutò præcellitur, quod cum altero obiecto non ponderatur. Maria vinum, id est, luxum non experta impurum, quomodò vberum Sponsi oblectamenta præponit. Gaudiorum excessus in causa fuit, amorque, qui generationis artifex extitit. Quæ concipit ex amore amoremque concipit in vtero, totam ex generationis ratione innatare necesse est dulcedine gaudiorum; cùm gaudium amoris, & charitatis sit fructus: & si fructus ventris Mariani Deus, qui charitas est; non eget viri experimento, nec libidinis agnitione, vt voluptati sacræ torrentem præponat, quæ ab ipsa voluptate absorpta est. Rupert. lib. 1. in Cant. (Rupert.) *Non fuerat experta vinum huius sæculi, vinum voluptatis carnalis, sine cuius ebrietate nulla vnquam mulier præter te concipere potuit, aut poterit; & tamen diiudicare nosti, quàm melior, quàm vehementior, dulcior, atque fortior esset voluptas, sine amor Dei, in quo concepisti sine dubio potata illius torrente voluptatis.* Nimis subtiliter. Quæ altioris generis sunt, ad sui excellentiam non comparatione cum inferioribus indigent: etiam ignotâ extremi infimi qualitate, magnitudo, & opulentia superioris omnem sibi prærogatiuam adoptat. Id proprium cœlestis gaudij est: sensum exuperat, oculus non vidit, non audiuit auris; & tamen supremam iure creditur tenere maiestatem. Mariæ in concipiendo gaudium, quasi cœlestis beatitaria fuit. Id innuit Rupertus; *Amor Dei, in quo concepisti sine dubio potata illius torrente voluptatis.* Passiuè accipio, nempe quòd voluptatis torrens Mariam potauerit, & in se continuerit, quia ex amore concepit. Præclara deductio. Cœleste gaudium Beatorum maius ipso Beato est; Beatum absorbet, non à Beato retinetur. (Matth. 25. S. Thom.) *Intra in gaudium Domini tui* S. Thom. in Matth. c. 25. *Quare dicit: Intra in gaudium, non Accipe? Quia quod est in aliquo, continetur ab illo, & continens maius est.* Quem locum infrà elucidabimus. Ergo si, dum Maria concipit, ab ipso ebibitur gaudio, in gaudium intrauisse dignosces, cœlestisque beatitudinis affluentiam ingressam esse. Partoriginis dolore post transgressionem Eua punitur. Annè maior dolor prima muliere fuit? Et quàm propagatior! Omnes mulieres parturientes tenet, cùm Primigeniæ fuerit indictus. Ideò iure dixeris, quòd dolor tenuit Euam, quòd latior Eua fuit. Ergo sit gaudium dolore plenius, gratia superabundet in Virgine: dolor cepit Euam, gaudium, capiat Mariam. Isaias Abbas orat. 19. apud Biblioth. Veter. Patr. tom. 7. (Isaias Abbas.) *Quemadmodum enim dolor cepit Euam, & semen eius ad hunc vsque diem; sic gaudium cepit Mariam.* In quo tamen adhuc excellentia Virginis est, quoniam ob immensum gaudij pelagus ab ipso potari, capique iure dicitur: attamen alternâ vicissitudine totum ipsa gaudium cepit, quæ in vtero infinitum gaudium concepit.

Et quidem Beatos quasi mente concipit, intra
mentis vnluam Deitate fœcundatus; & tamen
ex superabundantia gaudij, quod Deus est, in
ipsum dicitur subintrare. Maria gaudium con-
cipit, dum concipis Deum; mutuáque vicissitu-
dine Deus ingreditur in illam, & illa ingreditur
Hugo. Victor. in Deum. Hugo Victor in Cant. *Dubium non est,*
quin cœlestium gaudiorum, & æterna dulcedinis mi-
ram, atque inenarrabilem suauitatem Virgo ipsa con-
ceperit, quando illud æternum lumen cum toto maie-
statis suæ fulgore in eam descendit, & quod non ca-
pit mundus, totum se intra viscera Virginis colloca-
uit. Apposité. Vide pulchram antithesim. Maria
coocipit Filium Dei; & tamen concipere dicitur
gaudium, quo Beati cœlites fruuntur. Cur ita,
siquidem Beati potiùs in gaudium intrant, vtpote
maius? O Mariæ capacitas! Id fuit amoris prodi-
gium. Gaudium illud carn fit, vt iotret in Ma-
riam, in quod insrant Beati; eâ consonantiâ, quòd,
cùm illi iotrant, lumine gloriæ perfunduntur ta-
xato, & finito; cum intrat in Mariam, *totum æternũ*
lumen cum toto maiestatis suæ fulgere in eam descen-
dit. Quæ energia est in Victorino. Opus fuit in
Virginem intrauisse lumen, vt gaudinm intraret:
ideò enim non infinitam beatitudinem Cœlites
sortiri valent, quia non toto lumine illustrao-
tur: quia impossibilis est lumiois infinitudo, ne-
S.Thom. queunt io infinitam prodire visionem S.Thom.
1.p.q.12.art.7. in corp. *Cùm lumen gloria creatum*
in quocumque intellectu create receptum non possit
esse infinitum, impossibile est, quòd aliquis intellectus
creatus Deum infinitè cognoscat. Ecce totum lu-
men in Maria concipitur. An infinitè beatur?
Non quidem. Sat est aliqualem huius infinitudi-
nis analogiam præferre: vt intelligatur, quantis
abundauerit excessibus gaudiorum, quasi omnia
sibi cœlestia congregauerit gaudia, & quæ disper-
sa lætificant Beatos, in vtero Virginis collecta
Genitricem ipsius infiniti luminis bearent: vnde
pluraliter dixit Victorinus: *Quin cœlestium gaudie-*
rum, & æterna dulcedinis miram, atque inenarrabi-
lem suauitatem Virgo ipsa conceperit.

24. Generationem nuntiaturus Angelus orditur à
gaudio. Cur sic illicò, dum prolem in legatione
trahis, inuolois exordium lætitia; *Aue*, inquit,
Luc.1. *gratia plena.* Cupiebat albidum virginitatis lilium
minùs venustà vnce non lædere. Si ordiretur, à
fœtus conceptione, statim metus impuri gaudij
poterat primis sensibus obrepere, & specie tha-
lami aula turbari Virginea. Ergonè deficiet huic
generationi sacræ voluptas? Ideò præcauet lega-
tus: in vestibulo lætitiam simul, & pudicitiam
pangis; gratiam canis, & gaudium, omnemque
protinus euoluis ex cœlesti officina oblectamen-
torum apothecam, dum Spiritus sancti dulcedi-
nem gurgite pleno spondet inuasutam, Filium-
que Altissimi nasciturum, qoi non ea luxu conci-
pisnr in cœlestibus: nec illi sua iucunditas abest,
imò hilaritatibus vndique Altissimus gignis cis-
cumfusus. Ideò ad *Aue*, quod est gaudere, attexit
gratiam, vs ad conceptionem non communis ille-
cebræ gaudium potaret promissum: luaus enim
thalami non ex gratia deriuatus, sed ea carnis
pruritu dimanas. Gratiam & Deum statim cum
gaudio generationis componit, vs liquidò consta-
ret in voce *Aue*, quod Genitrici moa futuræ pro-
tulit, non commune carnis gaudium spopondisse,
Titus. sed ea sacra conceptione indixisse diuinum. Titus
Bostr. Bostrens. in cap. 1. Luc. *Aue, inquiens, gratia plena,*
Dominus tecum. Quod dicit, huc tendit. Ne existimes,
Virgo, me absonum, aut mollem aliquem sermonem ad
te deferre, cuiusmodi ad innuptas puellas iuuenes non-
nunquam solent; diuinus est enim, quem affero:
quippe cum hoc ipse, quòd Dominum tecum asse-
ram, oblata salutationi Dei memoriam admisceam.
Benè Thaumaturgus serm.5. de Aoount. *Tuum* Thaumat.
enim verè est auere, atque gaudere, quoniam te-
cum diuina gratia, vt nouit, habitationem elegit,
cum impolluta is, qui sanctificat vniuersa. Quia
impolluta Virgo est, ideò, dum concipit, ex gra-
siæ plenitudine gaudet. Ecce Angelus, qui gau-
dium cum gratia coniungis, statim castam pro-
nuntiat, dum enuntiat Matrem. Vis causam scire, Marc.12.25.
cur duait exordium à lætitia? Virginitas, & gao- Apoc.21.4.
dium, Angelorum dotes sunt: nec oubent, nec nu- Luc.15.7.
bentur: non luctus ibi resonat, noo quærimonia;
imò gaudium est illius, etiam cùm peccator pœ-
nitentiæ lachrymis suffunditur. Cæterùm, non il-
lis feraa ex virginitate prouentus innascitnr, non
prole gaudent. Meditatur Angelus in Maria &
virginitatem euitere, & fructum prolis assurgeres
ideò gaudium cum gratia componit: vt oonerit
Virgo, gaudium prolis cum virginitate connecti. Seleuc.
quæ propria Angelorum est S. Basilius Seleuc.
orat. in Annunt. Virg. *O Virginitas, propter quam*
Angeli hominum ministerio delegati, qui genus no-
strum dudum antè auersabantur, iure, meritéque
exultant: lætatur Gabriel, cui diuina conceptionis
nuntium concreditum fuit, propter quod etiam à
gaudio & gratia salutationem auspicatur. Ait enim:
Aue gratia plena, lætum assume vultum. Ex stasim:
Aue gratia plena: Aue perpetuò virens castimoniæ
paradisus. En Seleuciensis virginitatis præconia
decantans, in virginitatis obsequium non solum
Angelica aduenisse pronuntiat officia, sed & Ga-
brielem sapienti neau gaudium & gratiam con-
iunaisse. Cuius sententiæ non aliam potuit ap-
positam consequentiam elicere, nisi id ideò sic
compegisse, vt in exordio statim ostenderet gau-
dium huius generationis non fore, quale cuilibet
fœminæ ad torum, voluptasisque lasciuientis cō-
tingis exordium; sed imò nouum, & diuinitus
ex castitatis scaturiens foote: siquidem illud gra-
tiæ induiiso pariete attrahebat, nec libidinis oble-
ctamẽtum è gratia, sed ea naturæ vitiò deriuatur.

15. Ideò per illud *Aue* oon solum parturiginis pe-
polit timorem, sed & conceptionis nuntiauit pu-
ritatem. Nonnè ærumna feritur libidinis coocu-
bitus? Virginitatis corruptio quid nisi vulnus est?
Hinc triplex in Eua *va*; *corruptionis*, quia ad con-
ceptum deperit virginitas; *grauedinis*, quia oneras
proles, ea onere ostendens libidinem ad conce-
ptum. Si enim portio spermatis extera intra vte-
rum relicta est: si proles non solum caro matris,
sed caro viri est; quid quod ortus sit ventris carnis
alterius accrementum? Et *doloris*, quia quæ conci-
pit ea neau; quid quod dolorem patiatur in niau?
Dum igitur Angelus per *Aue* incipit, gaudiumque
generationis huius cum gratia copnlat, sine tri-
plici *va* hanc conceptionem ennntiat, vt libidinia
Euæ virginitas fœcunda Mariæ medela sit. Ri- Rich. à S.Laurent.
chat. à S.Laur. lib. 1. de laudib. Virg. *Ideò dixit ei*
Angelus: Aue gratia plena. Et quomodo non sine va,
quæ gratia plena? Primum va corruptio in concepiu:
secundum, grauitas post conceptum, tertium, dolor in
partu. E contrario Maria triplicem in hac salu-
tatione recepit benedictionem: quia facta est sine
corruptione fœcunda, sine grauamine grauida,
sine dolore puerpera. Hoc est Aue, id est, sine va
triplice corruptionis, grauitatis, & doloris: quod

incurrit Eua per peccatum, & quod ab Eua omnes mulieres, præter Mariam, quasi iure hæreditario, contraxerunt. Egregiè Richardus expendit Gabriëlis *Aue*; originariæque noxæ spinas, statim in nuntio per *Aue* edocet euulsas: vt eâdem voce & gaudium generationis Virgineæ Virgini panderetur, & indecoræ voluptatis abigerentur scintillæ, quæ ex originario igne in concipientium thalamum incurriunt, iuxta illud S. Cypriani lib. de Cardinal. Christi operibus, cap. de Natiuit.

S. Cyprian. Christi: *In Christi conceptione, Spiritu sancto obumbrante, originale incendium extinctum fuit.* Ne putes ideò extinctum dici, quia ardens præcedebat? Mariam enim, quam originalis flamma non preodiderat, nequibant incendisse peccati originalis ardores. Vide Cypr. eloquentiam. Spiritus sanctus ignis diuinus est, Igneisque linguis delectatur; & tamen originale incendium in Christi conceptione dicitur extinxisse. Ergonè ignis ignem consumit, flamma deuorat flammã, incendium extinguit incendiũ: Sensus est: Quà generatio erat in carne, videri poterat lasciuientis incendij, illicisque flammei præiuisse fomenta, qualia post primã culpam per omnes generationes grassantũr. Verùm omnes has impuras voluptates, rabificique contagij impudica gaudia Spiritus sancti obumbratio stinait, id est, in comparatione superbenedictę iucũditatis, & lætitię, quam Spiritus sanctus infudit abundè, omnia illa blandientia corruptæ caruis, quæ io aliis concipientibus sunt, incendia frigescunt, incinerescunt, & nihil sunt.

26. Tritum, vulgareque nimis est illud placitum, in quod conspirarunt Patres, ideò Angelum in salutatione ab *Aue* iocepisse, vt lætitiam illicò indicetet, & Primigeniæ dolores, quibus eius partus erat addictus, monstraret, in Maria puerpera non habere dominium. Sic Græcus in Caten. S. Thom.

Græcus. *Contra vocem priùs editam mulieri dirigitur nunc sermo ad Virginem. In illa doloribus partus est causa peccati punita: in hac per gaudium mœstitia pellitur.*

Theophyl. Theophyl. *Quia autem Eua dictum erat à Domino, vt in tristitia pariat filios; soluit tristitiam illam in gaudium, quod Angelus Virgini afferens, dicit, Aue gratiosa.*

Euthym. Titus. Bostrens. Sic & Euthymius, & Titus Bostrens. in cap. 1. Luc. Fateor, non leuem mihi facit scrupulum ratio hæc. Moueor: quoniam priùs generationem annuntiat Angelus, quàm partum; nec patiendi tempus confestim succedere debebat, quousque taxata à natura curricula vteri complerentur. Quid ergo est, quòd Angelus, dum cunceptionem annuntiat, in qua non dolorum tormenta quariunt fœminam etiam Euæ hæredem; sed potiùs lenocinatur voluptas, dolorum meminerit, quibus Eua plectitur in puerperio? Intẽpestiua quidẽ, & abrupta cautio hæc videtur, ordoq; præposterus, abigere à partu dolores, nondum enuntiato conceptu. Ast, si rem medullitus inspectes, accordem Patrum cogitatum, mirumq; Angeli nanciscèris consilium. Ideò mulier ob peccatum doloribus partus tradita est, quia ex concupiscentia generatur proles, & deuinctus est dolor in puerperio lasciuienti risui in conceptu, vt ex seminato carnis gaudio enixa carpat ærumnarum prouentus. Dum igitur Angelus gaudium præmittit in limine, non qualecumque, sed cum plenitudine gratiæ coniunctum, dicens: *Aue gratiâ plena*: fœtum concipiendum non libidinis, sed Virginitatis esse fructum demonstrat, siquidem ærumnas excludit puerperij, quæ appendices sunt illecebræ, non gratiæ, & aduersùs Euæ supplicium exorditur per *Aue*. Damianus homil. 46. de Natiu. Virg. *Non sequutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum. Dictum namque fuerat Euæ: In dolore paries filios. Quæ sententia in alijs matribus viguit, in Maria modum sui iuris amisit.* Quid est, *Modum sui iuris amisit?* Eleganter rem explicuit, Dolor ius habet in puerperam, quam prius imbuit in concipiendo ea peccati sordibus lætitia. Hic modus sui iuris est, quem quidem in Maria amisit, quæ potius modum percontata est ab Angelo, quomodò illibatâ Virginitate vterus eius erat implendus. Dam.

Ergo nullo modo habuit dolor ius in Mariam, quam nec peccati libido pupugit. Hæc ratio solemnis est, & satis decantata apud Patres. Nicetam lib. 2 Thes. cap. 31. Gaudent. serm. 9. Hugo Victor. de virginit. Mariæ cap. 5. Aponium lib. 4. in Cant. Leonem serm. 3. de Christi Natiuit. Bonauentur. in Amator. Amadeum homil. 4. de laudib. Virginit. Rem omnem dedit Nyssen. homil. 13. in Cant. *Nam huius solius generatio parturiginem non habuit, quemadmodum & sine coniugio cœpit existere* (id est, sine complexu) *Neque enim propriè parturiginis vocabulum vsurpari de illa incorrupta, & coniugium non experta, potest, propterea quod virginitas, & parturigo in eadem concurrere nequeant.* Iam ad Euam: *Idcirco & electus fuit, & vtraque parte naturæ ordinem innouauit. Neque enim è voluptate cœpit existere, neque per dolores in lucem prodijt. Atque hoc fit ratione quadam consentanea. Cum enim illa, quæ mortem in naturam per peccatum introduxit, condemnata sit, vt in laboribus, doloribusque parias; oportebat omnino Matrem vitæ tam conceptionem à lætitia inchoare, quam partum in lætitia perficere.* Quid comptius, & numerosius? Vides parturiginem, id est, dolorem anxium in partu nequire adnecti cum virginitate in conceptu. Ecce lætitiam in vtroque Virgini attribuisse; quia Eua doloribus parturiginis dicata, vtpote quæ ex concupiscentia concepit. 27. Nicet. Gaud. Hugo Vict. Apon. S. Leo. Bonauent. Amad. Nyssen.

Id tamen non deserendum: priùs dixerat: *Neque enim è voluptate cœpit existere, neque per dolores in lucem prodiit*; statim autem: *Oportebat omnino Matrem vitæ tam conceptionem à lætitia inchoare, quam partum in lætitia perficere.* Si à voluptate non incepit corruptio, quomodo à lætitia inchoauit? A voluptate non incepit, quippe voluptas libidinem communiori stylo præsignat: à lætitia inchoauit, quia cùm omnis conceptio gaudiis, licèt impudicis, in præludio perfundatur; non æquum erat fœcundam pudicitiam cœlestibus carere in generatione deliciis, eò dulcioribus, quò instillatis à gratiæ, à sanctitatisque vena venientibus. Quod voluptas in re hac æstum significet impudicum, dedit Ephræm Syrus de Margar. pret. *Sic & Christus in Virgine conceptus est circa aliquam voluptatem, dum Spiritus sanctus ex eius massa assumptionem Deo constituit, formauitque.* Non enim sacram lætitiam negat Ephræm, sed indecorum voluptatis aculeum. Sic Damascenus de orthod. fide lib. 4. cap. 15. *Quam enim voluptas non anteiuit, nec dolor quidem in partu sequutus est.* Expressiùs Ildephonsus serm. 2. de Natiuit. Virgin. *Replebantur arcana viscerum, sacri Spiritus fœcunditate repleta: & erat spes in partu, quia non erat voluptas in coitu.* 28. S. Eph. Damasc. Ildeph.

Ex quo lucem accipit non facile S. Ambrosij proloquium, cuius enodationem huc suprà remisimus: libr. de Incarnat. Domin. cap. 6. & in epist. 29. Ambros.

ad Siric. Pap. ſic ait: *Sed de via perverſitatis produntur dicere: Virgo concepit; ſed non virgo generauit. Quæ potuit ergo virgo concipere, potuit virgo generare, cùm ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur.* Probauimus ſuprà, ſub generationis voce intelligi puerperium, vt ratio ipſa, quam ſubdit Ambroſius, oſtendit. Et tamen in illa mens bene conſcia non immeritò offendet: probat enim, quod, quia partus poſt conceptum ſequitur, hebetis, & ſtolidi ingenij eſt aſſerere, virginè concepiſſe, non peperiſſe virgineè. Sanè potiùs, ſi partus conceptum antecederet, inſipidum eſſet virginem confiteri in conceptu, denegare in partu; nam quod ſemel vitiatum eſt, nequit in virginitatis redire vigorem: quæ autem virgo eſt, poteſt per ſubſequentem concubitum, ſeu partum virginitatem amittere: quod ſuprà confirmauimus ex Ildephonſo, & Richardo: Ambroſij mens præfatis redditur illuſtris. Imò, quia conceptus antecedit, ſequitur partus; nequit frangi in puerperio, quam fœtus generatio non violauit: quoniam ideò tormentis quatitur puerpera, quia in conceptu ex peccati luxu oblectamenta ſuſcepit. Hæc lex doloris eſt, hic vexationis modus, vt extrema laſciuientis gaudij occupet luctus. Id adeò verum eſt; vt, ſi forſan poſſibile abſque miraculo fuerit fœminam, omnimodâ virginitate ſaluâ, concipere, ſubſignato adhuc pudore ex viro;
S.Thom. quem caſum poſſibilem putat S. Thom. quodlib. 6. art. 18. attamen in partu integritatem doloribus, & ſectionibus quaſſata violaret; quia origo conceptus ex reſoluti ſeminis alieni illecebra
Hugo Victor. prouenisſet. Rem perſpicuè dedit Hugo Victor. de virginit. Mariæ cap. 3. *Audiui aliquando virginem concepiſſe; ſed non peperiſſe virginem: quia talis de viro concepit, quod peperit. Meritò namque in partu corrupta eſt integritas quia in conceptu virginitas polluta eſt; iuſtumque erat, vt non pareretur ſine dolore, quod conceptum non erat ſine libidine.* Et ſtatim: *Beata autem Virgo Maria non ſolum ſine libidine concepit, ſed neque de ſemine viri partum accepit, & ob hoc ſine dolore Filium edidit.* Illa verba, *Non ſolùm ſine libidine concepit, ſed neque de ſemine viri partum accepit*, non poſſes plenius intelligere, niſi præmonuiſſem caſum illum à S. Thoma diſputatum, quo ex ſemine viri, abſque reſeratione pudoris, luxuque ſui concipiat mulier.

30. In Mariam tota Diuinitatis pudicitia ſe dedit: potiùs ſi ſeminis aliqua vox eſt, Spiritus ſanctus illius ſemen nuncupatur: vt tantùm abſit impudicitiæ vmbra; quod imò ipſe, qui in diuinis ex ſuæ proceſſionis proprietate purus, & ſanctus eſt, ſemen eius Deificum dicatur, vt Filium Dei conci-
Ambroſ. piat. S. Ambroſius in c. 2. Luc. *Non enim virilis coitus vuluæ virginalis ſecreta reſerauit; ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritus ſanctus infu-*
Ildeph. *dit.* Quæ verba premens S. Ildephonſus ſerm. 2. de parturit. S. Mariæ ſic fatur: *Quod ſanè ſemen præfatus Doctor non ſic dicit infuſum, vt aliunde ſit, quàm ex carne Virginis, & ſanguine: nec vt Spiritus ſanctus ſemen eſſe credatur carnis; ſed per hoc verbum Spiritus ſancti operatio deſignatur.* En ſanctitas, en gratia pro virili agit, dum gignit Maria: vt credas conceptionis ſacræ dulcedinem, irriguoſque iucunditatis fontes ex chariſmatum largitore Spiritu ſancto illi obueniſſe; nec gaudium aliter, quàm cum gratia, & ſanctificatione hilaraſſe conceptum: vt non partu violetur, quam non iniurioſa voluptas, ſed cœleſtis iucunditas tenuit in conceptu. Hoc ſi attendas, addiſces Au-
August. guſtini ingenium ſerm. 6. de temp. *Porta clauſa, id eſt ſignaculum pudoris, immaculata carnis integritas. Non enim eſt violata partu, quæ magis eſt ſanctificata conceptu.* Partus integritatem ex virginitate conceptus ſcitâ ratiocinatione deducit. Quippe dolores ſentire par non eſt, quæ carnis oblectantes ignes non nouit. Attamen vnde probat in conceptu abſque illecebræ aſpergine pudicam? Quia magis ſanctificata conceptu. Lætitia quidem illi in conceptu blandita eſt, vtpote cui illicò nuntiatum gaudium: attamen, quia voluptas illa ſimul fuit cum gratiæ plenitudine iuncta: inde ſanctificatio in gaudio, non libido; inde integritas in partu, non dolor. Appoſitè igitur Patres per illud *Aue* in benedictionem maledictionem Euæ transfuſam prædicant, doloreſque partus, quibus illa damnata, excluſos in Maria, quæ ſanctificata potiùs concipit ex lætitia.

Irreligioſum eſſet præterire, ex præfatis explicationem oriri verbis S. Eligij homil. 2. in Purifi- 31. S.Elig.
cat. vbi expendens illud: *Omne maſculinum adaperiens vuluam*, ſic ait: *His verbis Euangeliſta morem conſuetæ natiuitatis expreſſit: & non ſic intelligi voluit, ſicut latrant hæretici, quod Chriſtus vterum Matris naſcendo virginitate priuauerit: cum mulier non tunc virginitatem amittat, quando parit, ſed quando cum viro dormit.* Difficultas in his Eligij verbis apparebit euoluenti priſtinos hæreticorum errores, qui Mariæ virginitatem infeſtarunt, inter quos ex ſecta Helladij, ſeu Heluidij & Pelagij fuere, qui ſic apud S. Ildephonſum cogitabant in lib. contra Ildeph.
eos, qui diſputant, ſerm. 2. *Pernicaci inſultatione definiunt virginitatem non aliunde, quam ex coitu corrumpi poſſe; nec corruptam vocari debere Mariam, licet iuxta legem pepererit omnium fœminarum: eò quod inquiunt: Etſi viſcera, vel genitale ſecretum more cæterarum fœminarum patuit, vt naſceretur Chriſtus; virginitas tamen corrumpi non potuit.* Deſipiunt, & benè ab Ildephonſo vapulant. Annè illis fauet Eligius? Neutiquam. Sana mens eius, eſt, ſi, quæ adhuc ſcripſimus, explores. Virginitas ſemel amiſſa, iterum amitti nequit, ſicut nec reparari: non poteſt amitti, quod iam non eſt. Quare, quæ virginitatem temerauit in conceptum, licet diſcindatur in partu, iteratò quidem corrumpitur: cæterùm, tunc virginitatem non perdit, ſed oſtendit ſe anteà perdidiſſe per thalamum. Quòd ſi virginitas in concipiente amiſſa non eſt, puerperij ſanguinei calamitas, vuluæque fractio proculdubio violauit. Ergo Eligius ſic aduerſùs hæreticos confligit. Non ſolet virginitas amitti, cùm mulier enititur: imò quòd enitatur dolens, abrumpatur ſordida, dehiſcat immunda, virginitatis amiſſioni, quam ex concubitu paſſa eſt, imputatur. Amentis igitur animi eſt aſſerere Mariam tunc violauiſſe pudorem, quando peperit, qui viguit illibatus in conceptu: cùm potiùs tota cauſa impudici partus, diſſectæque vuluæ ſit, quòd virginitas fuerit amiſſa ad vitilis operis contagium. Tunc primùm virginitas periit; poſteà autem fœculentum puerperiũ potiùs eſt index virginitatis, amiſſæ. Id ingenuè explicuit Haymo in Luc. 2. Haymo.
qui videtur S. Eligium apprimè explicare: *Quibuſ diuerſo reſpondere poſſumus, & debemus, quia in humana natiuitate non tunc primum mulier virginitatem amittit, quando filium parit, ſed magis quando concipit: & ideò Dei Genitrix Virgo permanſit poſt partum, quia virum non cognouit ante partum.*

Maneat ergo Angelum ſcitè à gaudio traxiſſe 32.
exordium, vt tam generationis, quàm partus illibatum

batum indicaret pudorem, iucundisque exultationibus imbuendum esse præmoneret. Non potuit excultius ordiri proloquium, salubrius prodere auspicium. Ex quo forsan plures censuere Patres, quos alibi damus, è vestigio ad hæc prima salutationis verba Virginem concepisse. Quid potuit in tam inopinum sensum mouere, qui verus quidem non est? Crediderim sic cogitauisse, quoniam insolita gaudij vox, prologusque lætitiæ, quæ pristinæ fœminæ sese ærumnis, & puerperij doloribus opponebat, obuiâ deductione genitricem, & puerperam fore innuebat illicò Mariam, peractumque nuntium in ipsomet limine eleganti compendio dabat opinari. Adeò Sacra Filij Dei conceptio cum hoc superno gaudio copulatur, vt quia gaudium audiêre Patres, illicò intulerint conceptum. Consule Elizabetham. Vix salutantem Viginem audit, cùm Matrem Domini & agnoscit, & inuocat: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Vnde Genitricem agnouit,

Luc. 1. Sacramentique recessum explorauit? *Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Expende rationem. Quid quòd exultet in vtero infans? Indicatnè Mariæ vterum fœtu pollere, cuius in vulua pignus nondum proditur per tumorem? Eximiè subintulit, in vtero concepisse Deum, ex quo etiam ad vterum extraneum tam copiosa perfundebatur lætitia. Fœtus in vtero grauedinem, mœstitiam, vexationem incutit, & metu dolorum diri partus excruciat. Cùm igitur potiùs exultantem insolito tripudio infantem in vtero sensit; argutè deduxit, in Mariæ ventre sobolem inesse diuinam, quæ gaudio Matrem imbuebat, ex cuius plenitudine iucunditas effluxerat in cognatam: vt iam non à puerperij timeret angoribus, non ab onere lassesceret ventris, nec prægnantium tormenta doleret. Albertus Magnus in cap. 1. Luc. ad illa

Alb. Mag. verba: *Et ecce Elizabeth. Vt tanto gaudio, quod est in conceptu Virginis, quando Deum concepit. Elizabeth, sicut gaudij particeps, congratulans inueniretur: & ex hoc pondus vteri, & dolores mitigarentur. Vnde in gaudio clamans dicit: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ergo ex gaudio etiam exteri vteri, Virginis infertur conceptio. In quo liquidò apparet, qualibus lætitiæ madebat vnguentis Virgo Mater, quæ leniendos cognatæ dolores supererant.

33. Nec cognatæ solùm, imò ex Angelico vaticinio gaudium, ex quo orsus est, iuxta Patres, quos conduximus suprà, ita parturientium leuauit dolores; vt iam non horreant puerperium, nec ob Euæ maledictionem probrum audiant inhonorum; sed Virginis partum venerantes, dum illius primogeniti fratres pariunt futuros, inter puerperij hilarentur angustias. Sic Thaumaturgus ser. 2. de Annunt. *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater*

Thaumat. *Domini mei ad me? Benedicta tu in mulieribus. Tu quippe ipsis principium reparationis effecta es: non enim ampliùs post te mulierum genus vituperatur: non ampliùs hæredes Euæ antiquam maledictionem timent, nec partus dolorem reformidant.* Nescit subtiliùs granditas exponi lætitiæ, qua Virgo nostra impleta fuit. Num post Mariam dulcedine perfusam in puerperio, dolores partus effugiunt puerperæ; nec franguntur innixu, nec cruciatibus fodicantur? Imò lex, censuraque supplicij perdurat, quæ in omnes filias Euæ pertransiit: nec pignus vteri effundunt, quin fractis viscerum claustris cruentum ostium patefaciant nascenti.

Zerda, Mariæ effigies.

Quid est ergo, quòd dolores partus non reformident post Virginis in puerperio lætitiâ? Grande gaudium Virginis, quod etiam extenditur ad dolentes. Non nisi à lætabunda solet participari lætitia. Gaudij deriuatio reddit gaudentes: nec inter tristitiæ permanentis angustias iucunditas commiscetur: nec animus simul acore spargitur, & dulcore. Puerperæ quidem fatiscunt, gemunt, horrent, & in parturigine disturbantur: quî ergo, tanquam Euæ maledictione finitâ post Mariam, hilarescunt in partu? Id facit immensitas Mariani gaudij, quod etiam extenditur ad mœrentes; minus esset, si solùm intra gaudij teneretur cancellos; vsque ad inimicos, & extraneos doloris terminos propagari, latissimum lætitiæ imperium est. Ergo dolent parturientes, quà filiæ Euæ: sed quà Maria peperit virgineè, eius iucunditas ad puerperas vsque distenditur; siquidem peperit illum, qui gaudia pro doloribus repromittit, & lachrymas amat in oculis, sed abstergit; spemque tribuit latitudinem, ne fœminæ desperent in partu, quibus Virgo peperit delicti. Primigeniæ Redemptorem. Sic accipere Hesychium hom. de S. Maria: *Cùm enim prima virgo concluderetur molestiis per sententiam condemnato-* Hesyc. *riam ob transgressionem inflictis, omnisque mulier illius causa in dolore esset constituta, & partus omnis propter eam acerbitatem pateretur: secunda Virgo ex denominatione etiam Angelica miseriam omnem fœminei sexus repulit, omnemque tristitiæ fontem, qui inter pariendum adesse solet, obstruxit, & nubem desperationis, qua premuntur mulieres in partu, dissipauit, & lumina lætitiæ apud contribules coruscare fecit.*

Quæ verba, ni sedulò aduertas, nondum plicare videntur; quasi post Virginis puerperium 34. nullus iam sit in parturientibus dolor. Cur ipsa mulctata natura sanguineo experimento contradicit. Non hæc Hesychij mens est; sed quòd, etsi doleant abruptæ, non tam tristentur, sed gaudeant; nec sub desperationis nube sopiantur; sed sub spei iucunditate saporentur: quippe pariunt virgineâ lymphâ lustrandos, & à partu Virginis redimendos: & quamuis corpus fatiget vulnus, spe retributionis hilarescunt. Expende illud: *Secunda Virgo ex denominatione etiam Angelica miseriam omnem fœminei sexus repulit.* Qualisnè denominatio? Non quidem huius nominis *Virgo*, quod Angelus non protulit. Certè denominatio apud Hesychium in illo primo verbo fuit *Aue*, siquidem ab eo, id est, gaudio, omnem profligatam fœminei sexus subintulit esse miseriam. Adeò à gaudij plenitudine absorpta fuit Virgo, vt in ipsius gaudij transiuerit nomen. Decens, & venusta causa fuit. Nam nomen Matris, nomen videbatur esse doloris. Nonnè vides? Vix Dominicâ sententiâ plectitur mulier, & illicò *Adam vocauit nomen vxoris suæ Eua*; additurque ratio: *Eò quòd* Genes. 3. *esset mater cunctorum viuentium.* Quid ais, ô nominum sapiens distributor, iustusque nomenclator creaturarum? Quoniam in dolore pariet filios suos, confestim appellas matrem: quasi nomen doloribus ipsis imponas, & ad nomen transeant dolores? O misella fœmina! Mutauisti vocabulum, quia gaudium commutasti pro ærumna. Virgo vocabatur, seu virago: lætitiam amisit per noxam; dolori adducitur, & mater nũcupatur. Ergo sit fœmina, quę vocetur *gaudium*, quando *Matris* nomē, fœtumque accipit in vtero Virgineo. Hæc Maria est: hanc Angelus vocat

in *Aue*, quæ fœmineam propulsat miseriam, & nomen matris reddit iucundum. Sic Hesychium percalluisti. Id pulchrè firmat Andreas Hierosol. in salut. S. Mariæ: *Gabriël minister mysterij fit, ac Virgini acclamat Aue, quo gaudium ania perdiderat, filia Adam, ex Dauid orta per se recuperaret.* Perdiderat Eua gaudium. Quale perdiderat, nisi quod habuit? Gaudio fruebatur, cum absque dolore non nata, sed detornata fuit ex osse mariti. Cuius lætum artificium signum præferebat, cum iucunditate sobolem fore propagandam, nisi peccatum inuexisset ærumnam. Gaudium amissum reuertitur ad Mariam, ex qua nouus Adam iucunda constructione compingitur.

Andr. Hierosol.


35. Huc omnis versipellis serpentis tetendit astutia, omnem lætitiæ fontem inficere, turbidisque volutabris ridentes aquas conturbare: vt simul venter ab inhibito impleretur obsonio, & animus euacuaretur à gaudio. En procax, & inurbanus aggreditur: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Quàm rusticale proloquium! Quàm illiberalis inurbanitas! Sic agit cum Regina naturæ? Cur non salutat, sed orditur abruptè: *Cur præcepit vobis Deus?* Profectò qualibet salutatio index lætitiæ, & deprecatio est. Ille inuehebatur in fœminam, vt gaudium eius abrumperet, & tristitiam insereret mortalem. Ideò non salutat, cui non salutem optat, sed mortem; cui non iucunditatem auspicatur, sed mœrorem. Tristitiæ toxico aspergere intendebat humanam naturam: sic beneuolum exordium omittens, intempestâ versutiâ de negotio præuaricationis pertractat. Hinc contrariâ semitâ graditur Angelus: in nuntij vestibulo Mariam salutat, omneque illi gaudium precatur per *Aue*: ne autem ex peccati censu putaretur lætitia, statim attexit gratiam, Deúmque in Virgine adesse pronuntiat, quem ab insalutata Eua abstulerat serpens. Simon de Cassia lib. 2. de B. Maria cap. 1. *Omnis salutatio, aut, salutis ennuntiatio tristitiam remouet, adnectens, quod potest esse lætitia, tacitè, aut expresè: duo hæc omnis vera salutatio praintendit. Sicut in deceptione prima mulieris satagebat diabolus sibi omnem auferre lætitiam auferendo Deum, quo derelicto pœnam omnem inducebat: sic Angelus salutando Mariam, excludit omnem tristitiam, & diuinam lætitiam administrat.*

Genes. 3.

Sim. de Cassia.

36. Parum hoc. Imò omnem serpens cupiens vitiare progeniem, irrupit dicens: *Cur præcepit vobis Deus?* Si solam fœminam alloquitur, cur pluraliter effert: *Cur præcepit vobis?* Vt vtrumque sub probro connecteret coniugem: & qui volebat sobolem deturpare, quæ non ex duobus parentibus deriuatur; non cum vno, sed cum duobus agere videretur, humanamque posteritatem doloris tempestate comprimeret. Quare Gabriël ex aduerso adesse medelam manifestans, non solùm per *Aue* benedicit, & beatificat Mariam; sed vt gaudium iam per omnes tenderet parientes, inter mulieres compellat benedictam. Prodest Simon de Cassia suprà: *Et sicut ille malignus blandè hostis, seuerè amicus, non solùm illos primos protoplastos his malis, sed omnem sobolem propagandam ex eis disponebat inuoluere: quod & fecit, prauidens acuitate intelligentiæ suæ, quòd ex eis per traducem innumerabilis hominum vtriusque sexus erat propaganda propago: sic Gabriël Angelus non duntaxat Virgini pro seipsa, sed ipsam salutando, totius mundi simul cum illa nuntiat adesse salutem, & æternæ tristitiæ fiendam depulsionem.*

Sim. de Cassia.



ACADEMIA XIX.

Virginea impatibilitas in Patre, & Virgine generantibus.

Maria absque Passione gignens ostendit Patrem virgineè, & impatibiliter generare.

Sectio I.



Vlla nobilior dignitas naturæ venerandæ, quàm communibus non succumbere iniutiis, & à publicis inquinamentis arduam altius habitare fastigium. Hinc diuina generatio illustrem in cœlestibus radiat honorem, cuius claritatis irrumpere non datur abyssum: quia immortalitatis munere dotata, nec voluptatis sordet illecebrâ, nec alicuius Passionis aculeo feritur, nec sectionem, fluxionemve sustinet; sed placidæ impatibilitatis quiete, cum prole gaudet, creatæ parturiginis non sentit tributa. Hinc Patres lucubrationibus conantur assiduis summum prædicare Genitorem, & diuini germinis feracem, & totius Passionis extorrem. Nimis operosum esset numerum aggregare, vitare compendium: quotquot Sacram illam elucidant generationem, impatibilem præconantur Nazianzenus orat. 16. n. 81. *Verbum dicitur, quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem, non modò propter generationem Passionis omnis expertem, verùm etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre, vimque enuntiatricem.* Cyrillus Alexand. lib. 1. Thesauri cap. 7. *Sic ex seipso absque Passione Filium genuit Pater, sicut si sapiens ex sapientia sua quidquam excogitauerit.* Et lib. 2. de Trinit. *Quia Verbi ex mente ennuntiatio etiam natiuitas est Passionis expers.* Theod. Episc. Ancyræ homil. 2. de Natali Domini: *Generationis impatibilitatem Verbum significat consubstantialitatem Filius indicat.* Hilarius lib. de Synod. *Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cùm nollet genuit Filium; sed mox vt voluit, sine tempore, & impassibiliter eum ex se genitum demonstrauit.* Non iuuat ire per plures. 1.

Nazianz.

Cyril. Alex.

Theodot.

Hilar.

Ideò ne degeneri fuscaretur origine æternus Filius, dum hæc inferiora carnis indutus ergastulo subintrat, Regiæ stirpis eligitur Virgo, quæ nec fruticem nouerat adhærentem, nec nodi asperitate riguerat; vt aureo Diuinitatis rore maderet, ferretque pro fructu Deum. Ea Diuini consilij ars fuit quòd nec à viro læderetur, nec pungeretur à luxu, nec torperet à thalamo, nec blandimentis iugalibus molliretur, nec partu dehisceret, nec generatione deflueret, nec alicuius malignæ Passionis stipendia subiret: sed sicut vellus, quod roscida pluuia delinit, absque strepitu operationis humanæ Virgineus vterus impleretur ex alto, corporisque Passiones nesciret, dum cœlestis imber placido se fudit illapsu, & tota Diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, vt esset similis generatio, cùm eadem proles & superum, & inferum 2.

S. Andr. Hierosol. ferum redimiebat Parentem. S. Andr. Hierosol. serm. de Annunt. *Non enim ex viri voluntate, nec ex voluntate carnis, qui nascetur, proueniet. Non carnis interueniet voluptas Matris Dei partui: natura quippe terminos superat; etsi naturali prorsus ratione destitutus est: eximiam igitur, & naturâ præstantiorem ortus sui rationem habet. Non igitur passio vlla circa partum deorsum, quoniam nec circa generationem sursum subsequuta est.* Expende rationem, quare passionis vllius à Virginea generatione exulet potestas, ne dispar à diuina status segregaret, & per vitium carnis, similitudo vtriusque vitiaretur.

3. Nec vacat acumine, cur partum Virginis non cum partu, sed cum generatione diuina componit Andreas. Bene quidem, & iuxta pluries à nobis animaduersa. Censeo etenim partum hic, etiam generationem significare; sicut genitum nuncupauit Angelus natum: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* (Matth. 1.) Id venuste probant illa; *Non carnis interueniet voluptas Matris Dei partui.* (Gen. 3.) Quid ais, ô Sacer? In dolore puerpera patit, dehiscit à fœtu, Primigeniæ soluit supplicium; obstetricis indiget leuamine: quodque voluptatis illecebra seminauit, non demetitur nisi falce doloris. Non igitur peculiare in Virgine, quòd voluptas carnis partum non hilaret; imò in ea singulare est, quod absque parturigine pariat, absque amaro nixu Filium edat, quem absque prurītu carnis concepit. Sciebat id Hierosolymitanus: sed generationem (vbi assolet carnis illecebrosus æstus succendi) partus vocabulo protulit, vt totius passionis impotem generationem extolleret, in qua fœtus ille procreatur, qui ab ipso conceptionis exordio omni perfectionis complemento finitur: nec patitur naturæ moras; sed sicut apud Patrem Diuinum generatio illi Natiuitas est; sic apud Matrem Virgineam, illicò consummatus est homo, cùm vix castæ vuluæ penetrale subibat. Quàm longè dissidet à passione partus, cuius distans extitit à carnis voluptate conceptus. Ideò forsan carnis voluptatem in partu Virginis non interuenisse, nouitate styli pronuntiat, quia dolor parientis fructus concipientis est, ærumnarumque manipulus, pungentibus spicis, ex areæ coniugalis seminatis legitur blandimentis. Quare cùm fructus, & propago nomen soleat originis conseruare, dolor partus, non sine morali disciplina, vtpote à voluptate carnis proueniens carnis voluptas nominatur. Ideò pulchrè, vt & corruptionem concipientis, & parientis dolorem à Virgine eliminaret Andreas ingeniosò vtitur compendio: *Non carnis interueniet voluptas Matris Dei partui.*

4. Hinc generatio deorsum passionis expers enitet, quia generatio sursum incorrupta absque passione refulget. Quo non solùm similitudo præscribitur, sed sicut imago ad protypi cognitionem excitat mentem: sic in Virginea generatione duplex suspicitur generationis singularitas: & quæ temporalis à Matre oculis obiicitur intuentis; & quæ immortalis à Patre, ratiocinantis argumentatione concluditur. Gignit fœmina, carneâ vuluâ, sanguinis concretione, naturæ latibulo, & viscerum officiosis obsequiis, quibus matres coagulationi fœtus ministrant. Nonnè hæc nostræ similis censebitur generatio? Sed iterum introspicias. Non viri perflat halitus; non tori feruet ignis, non stringitur amplexus: procul prophanus adest; casta puella sibi sola est, sibi sola suppetit; onere sacro venter beatur, Spiritus sanctus incubat, tota se Deitas imbre pluuio demittit, miratur se cum prole Virgo, quæ viri non nouerat accessum. Nonnè noua hæc apparet generatio, absimilis nostræ, similis æternæ? Igitur in vna fermè geminam inuenisti. Diuinæ sapientiæ fuit consilium, quod duæ generationes apparerent in vna; vt ex hac innotesceret diuina, qua in splendoribus gignitur Filius Dei. Idem in Baptismate miror. Iordanicis abluitur vndis; nec laticem recusat, qui sordes venerat abluere peccatorum. Non sat est, vt generatio ex aquis adumbretur? Imò placido pennarum plausu Spiritus in columba descendit, in vertice subsidet Christi, & quasi chrismate illiniens, nouam generationem auspicatur. (Matth. 3.) Idem sanè Spiritus, qui in Virgineam superuenerat generationem, superuenit in aqueam, vt vtrobique Diuinitas inscribat Diuinæ generationis imagines, absque passionibus vtrobique: cùm nec lympha sordeat, super quam Spiritus ferebatur: nec lædatur Virgo, in quam Spiritus superueniens, à corruptelæ morsibus præmuniuit. Do Chrysostomum homil. 2. in caput 1. Matth. (Chrysost.) *Propterea duplex facta generatio est; hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quod enim natus ex fœmina est, & nobis competit: quòd verò non ex sanguine, nec ex voluntate carnis, aut viri, sed ex Spiritu sancto; aliam nobis sublimiorem, futuramque, & Spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diuersitate constabant. Nam & Baptisma perfecto tales suscepit, quòd haberet quidem aliquid veteris, haberet aliquid noui. Quod enim baptizatus est à Propheta, expressit vetus: quòd autem descendit Spiritus adumbrauit nouum.* Nonnè illicò te illa pupugêre? *Propterea duplex generatio est.* Et tamen de vnica virgineâ generatione agebat, vt sequentia verba demonstrant. Cur sic ausus duplicem nuncupare? An quia in illa resplendet altera, quæ in Patre est? Sed cur resplendet? Quia Spiritus sancti concursus à ministerio Virginis distinctus, ad subliniorem aliam generationem animum arripuit, qua innascitur à Patre Deus, futuramque, & Spiritu consequendam nobis generationem spopondit. Propterea præmiserat Chrysostomus: *Cùm ergo audieris, quòd Filius Dei Filius sit & Dauid, & Abraha, dubitare iam desine, quòd & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei.*

Itaque generationis diuinæ impatibilitas in 5.
Maria impatibiliter generante mõstratur: quippe si, quà fœmina, nostri similis progignit; quà Virgo, cœlesti Patri, qui Spiritus est, similis impraegnatur, non ab alio, quam à Spiritu: vt ad spiritualem Patris vuluam animos incitet fideles & quasi à duplici generatione habeat, quid hauriat sibi caro, quid hauriat sibi Deus: nec miretis stylum, cùm de hydria Virginis architriclinum, Diuinum scilicet Patrem fœcunditatem libauisse; alibi expensus edisserat Bernardus. Vis ex hac integritate, passionis expertē, Filium Dei de impatibilitate sui generis gloriari, sicuti si pristina sui generatio in hac noua recapitularetur origine: Salutat Angelus: *Dominus tecū.* (Luc. 1.) Audisti pluries: præcessit nuntium suum Dominus, suique præoccupauit legatum. Turbatur Virgo pauidumque subrigens animum, *Quomodò fiet istud*, inquit, *quoniam virum non cognosco?* Si verbum Dei iam inerat Virgini, Verbum Dei suadet ad verba intùs loquitur, qui repleuerat puellam. Sic cogitabat

Bernard. Bernardus homil. 4. super Missus est : *Iam verò confortata, & benè præmeditata, Angelo quidem foris loquente, sed Deo intùs persuadente : erat enim Dominus cum illa, dicente Angelo : Dominus tecum : ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, lætitiâ verecundiam, dixit ad Angelum : Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Si Deus altrinsecùs hæc verba Virgini persuasit ipse loquutus est in Maria : *Quoniam virum non cognosco*; fœminæ cum viro renuo coniunctionem, vtpote quia verbum Dei sum, quia gignor vt verbum, absque sectione, absque fluxione, absque complexu fœminæ, & viri. Id de Theod. Verbo protulit Theodoretus in Epitome Diuin. decret. capite 2. *Vnigenitus filius ex Patre quidem, est genitus : est autem vnà cum mente, vt Verbum cum eo, qui genuit,* Et confestim : *Nec enim mens nostra sermonem parturiens opus habet coniunctione fœminæ; aut sectionem, fluxionemve sustine; sed, vt quæ perfecta ipsa est, perfectum sermonem efficit.* Dum ergo illa verba Verbum Dei Virgini inspirauit, iuxta Bernardum; iuxta Theodoretum, perspicuâ luce se prodidit Verbum Dei, eiusque generationem passionis exsortem coniunctionisque fœmineæ impotem, in hac ex Virgine absque passione generante præsentauit. Quare *Virum non cognosco* dixit vterque; intùs suggerens Filius Dei; extra, egerens Mater Filij.

6. Leo Papa. Quòd enim concupiscentia, & amplexus viri passio sit, & fœminæ corruptela, quæ Virginem nostram non læsit, mihi probat locus in literis Synodicis Leonis Papæ ad Flauianum Episcop. Constantinop. Καινῇ δὲ τῇ γεννήσει γεγέννηται, ὅτι ἡ ἄχραντος παρθενία ἐπιθυμίαν μὲν ἠγνόησε, τὴν δὲ τῆς σαρκὸς ὑλην ἐχορήγησεν. Id est, *Nouâ autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, carnis materiam ministrauit.* Sed pro concupiscentia Græcè est ἐπιθυμία, Id est, *passio*. Si solùm non ignorare concupiscentiam, violat castitatem; quam, putas, iniuriam à congressu viri pati pudorem? Vtrumque venustè iunge : *Virum non cognosco : Concupiscentiam nesciuit.* Nequit concupisci, quod non datum est cognosci: pellicit, quod cognitum; cognitionisque vestigia voluntatis gressibus ducatum ferunt. Quid si ipsa concupiscentia nescitur, nunquam in conspitum voluntas ire valebit, quæ tramitem ignorat, per quem eat. Maria virum non cognoscit, concupiscentiam nescit: ergo pati nequit, quà Virgo. Minus hoc est : imò virginis diuini impatibilitatem, dum gignit, manifestat. Quid causæ? Do. Potentia generatiua Patris (pluries dixi) in cognitione stat : gignit, dum noscit; ideò proles Verbum. Noscitne, dum gignit, carnei luxus concupiscentiam? Imò; qui cuncta scit, & ex infinita scientia sobolem generat, nescit concupiscere, quia nescit pati : nec fluxis illinitur illecebris, enitatisque carnis voluptatibus distenditur, qui mente concipit, subtilique parturitione fœcundum vterum explicat in prolem. Quid igitur mirum, quòd Deus Dei Filius Virgini insitus; iudice Bernardo, illa verba suggesserit proferenda : *Virum non cognosco*, tempore quo generatio Virginea peragenda, vt ex ignorata concupiscentia, & viro, æterna generatio adumbraretur?

7. Nyssen. Quidni adumbraretur? Ex Mariæ conceptione Virginea, diuina agnoscitur impassibilis. Obuium est illud Gregorij Nysseni de virginit. cap. 2. *Res admirabilis est; atque insitata, vt virginitas in Patre inueniatur, qui & Filium habet, & Filium absque affectu genuit.* Perperam adhuc vulgò Nyssenus explicatur : Ideo filium absque affectu genitum protulisse, quia non ex voluntate, sed ex intellectu procedit, quasi *affectus* significet voluntatem. Mens Nysseni est : Virginitatem fœcundam Patris Dei passione non lædi, fluxu non corrumpi, quam affectus non lacerat, nec parturiginis offendit iniuria. *Affectus* etenim motus quidam animi est, quem ex Græcis *passionem* nuncupamus. Cicero lib. 1. de inuent. Cicero. *Affectio est animi, aut corporis ex tempore aliquâ de causa commutatio : vt lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & similia :* Augustinus. 2. de Ciuitat. *Quæ sunt sententiæ* August. *Philosophorum de his animi motibus; quos Græci πάθη, nostri autem quidam, sicut Cicero affectiones; vel affectus : quidam verò de Græco expressius Passiones vocant.* Quid opus est subsidio; Audi Nysseni Græcum : τὸν τε υἱὸν ἔχοντι, καὶ δίχα πάθους γεννήσαντι. Id est : *Qui & Filium habet, & Filium absque passione genuit.* Vbi pro passione interpres affectum posuit. Statim attexit Nyssenus : *Cum vnigenito autem Deo, qui omnis pudicitiæ, & incorruptæ virginitatis auctor est, simul cognoscitur, cum in eius pudica, atque incorrupta generatione pariter eluxerit.*

Itaque scopus est probare, Filium Dei absque passione genitum; non vero ex voluntate asserere procedentem. Quotquot enim Arrij, Eunomijque se infando addixerant vexillo generationis Diuinæ conuitiabantur fidei, ne passioni faterentur obnoxiam. Gregorius Nazianzenus 8. orat. 35. num. 20. *In hoc quidem argumento primum hoc scitum, & lepidum est; quod à passione illa, quam tantopere vrgebant, abscedentes, ad voluntatem confugiunt. Nec enim passionis est voluntas.* Quo ariete concuties hæreticum, vt generationem Dei absque affectu virgineam, absq; passione inoffensam credat? Generationem ex Virgine repræsenta, non corruptelæ famulantem, non viro peruiam, non affectus plagâ sauciam. Si caro gignit absque affectu, qui affectum in spiritu inauguratis? Ideò Maria & concipit, & parit inuiolata: ideò Verbum Deus ad virginitatis verba Virginis linguam admouit, vt à generatione ex Patre affectus suspicionem elueret. Occumbat Eunomius, det victas manus hæreticus: partus est, qui affectum non nouit? Mater est, quæ virum ignorauit. Sic instruit aciem aduersùs Eunomium Nyssenus oration. 3. *Ego autem hoc etiam dictis* Nyssen. *addam : quòd etiam scio aliquam corporalem generationem ab affectu liberam, & puram. Quare in hoc falsa Eunomij corporalis generationis physiologia, id est, naturalis disputatio redarguitur. Siquidem aliquis corporis partus affectum non habens inueniatur.* Et statim. *Quomodo igitur in carne manifestatus est Deus? Per partum profectò dices. Cuius igitur, an meministi? Perspicuum, quod Virginis, & quod in ea genitum ex Spiritu sancto erat. Deinde generationem ex Matre muliere affectu puram credis esse (si credis :) diuinam vero, & incorruptam ex Patre non admittis, ne in generatione affectum animo concipias?* Ni lætitiæ salias nouitate, Virgini nõ soluis obsequium. Ergonè absque puluere, absque stadio facilè concedit Eunomius, Virginem sine affectu genuisse, sine castitatis vulnere eduxisse fœtum; albidam sine fæce, limpidam sine sorde; & tamen has dotes Deo

Deo denegat generanti? O Marianæ Virginitatis miraculum! non offensam suspensionis patitur ab hæretico, cùm virgo Pater in aleam virginei status euocatur; nec passionis creditur expers, si semel genuisse credatur. Ergonè ex Maria hæreticum exarmat Gregorius; contubernalisque Virgo summi Parentis vindex pro Altissimo prosilit in arenam? Certè sacræ decus puellæ hæreticum mollit immitem.; & dum se absque affectu gignentem manifestat, necessariâ argumentatione Virgineum in superis esse concludit Genitorem. En debellatos Eunomius.

9. Eodem taculo confoditur Arrius. Suppetunt nostræ virgini copiæ, vt quotquot viperea repullulant capita, rescindat. Passionis dedecus obiiciebat Arrius Patri luminum generanti. Stat Virgo Mater, seque impatibilem monstrans, diuinum à passione vindicat Genitorem. Audi Athanasium disput. contra Arrium col. 12. in fine (Athan.) *Si mirabiliter ex Virgine contra rerum naturam & incorruptibiliter creditur natus, quantò magis ex Patre credendus est incorruptibiliter genitus? Si enim substantialis natura Virginis, qua ex seipsa vtique corruptibilis naturæ conditione passioni, & corruptioni potuit subiacere, intemeratâ pudoris integritate, & infractis virginalibus claustris, mirabili incorruptionis integritate Filium genuit; cur non magis, vt dixi, incorruptibilem Deum, genito ex se incorruptibiliter Filio, corrumpi non potuisse credamus?* Et paucis interiectis: *Volente igitur Deo, corruptibilis natura Virgo sine vllo pudoris damno filium generauit; & ipse, qui incomparabiliter cunctis naturis incorruptibilior permanet, hoc sibi præstare non potuit, vt de sua substantia Filium incorruptibiliter generare potuerit?* Ergo Maria inoffensæ vuluæ diuina vindex est aduersùs hæreticos, qui vel absque sobole sterilem esse, vel cum sobole violatam ægro dilemmate ineptiebant. Refingitur in carne inuiolata virginitas, & fœcunda, quæ noscat prolem, ignoret corruptelam. Summæ Sapientiæ consilium fuit, nedum Mariæ proficuum, sed & Patri. Ex carnea generatione physiologiam, disputationemque arcuebat Eunomius, armabat Arrius, vt Deum absque sobole conarentur adstruere, ne corruptionis vitio subiaceret, si de sua substantia generaret. En generatio carnis obiicitur; en humana Virgo & fœtu diues, & impos corruptionis, vt per eamdem carnem, quam Eunomius obiecerat, vinceretur; mortalitatis quidem nostræ participem, sed polluti affectus expertem. Censeat hæreticus de spiritu, si talia cognoscetur de carne. O Mater, ô innoxia fœmina, quibus non es proficua, si Deo es? Dum paras vterum Genitricis, famam reparas Genitoris; & onere sacro grauidata Diuini Patris recreas honorem; impatibilem arguis, & cum prole, siquidem eadem tibi proles, mirabiliorque impatibilitas affulget.

10. Non credis in generatione Virginea causam agi summi Parenti? Audi dominante voce loquentem (Psalt. 2.): *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Si genuit hodie, quomodò cum infante vnius diei serit loquelam? Annè nothus, spuriusue censeretur, vt Patris egeat, cùm vix gignitur testimonio? Si hodie genuit; tempus genituræ præscripsit, non æternitatem, quæ hodiernis, seu crastinis nequit lucibus mensurari. O bellè! Vix concepit Virgo Mater, non in passionis vmbra, sed virtutis; cùm sacra generationis venustate illectus sibi nuncupat generationem Pater, adsciscit sibi, vt absque perpessione Filium suum ostendat generare, qui Virgini sic dedit, vt gigneret. Mutuant vocabula Parentes Virgo, & Deus: nec Deum temporis pudet limes, hodiernaque taxatio piget, dum ex vtero Virginis inuiolato se Virginem, & Patrem præconetur. Hinc loquitur cum infante, quia Verbum est; & quia Patrem non habet super terram, cœlestem illi acclamat Genitorem. Mens hæc Damasceni est orat. 1. de Natiuit. Mariæ: *A corporeis rebus animos nostros remoueamus. Passionum expers, ô homines, diuinum Numen est, ac citra passionem gignit. Vt enim priùs naturaliter, ac sine vlla perpessione Filium suum genuit: ita posteà, humanitatis ratione. Testis est diuinissimus David, his verbis vtens: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego genui te. Porrò vox hæc hodie, in ea natiuitate, quæ sæculum antecedit, locum haud habet: quippe quæ tempore caret.* (Dam.) Non tibi deprædatos est animum Damascenus in illis verbis: *Vt enim priùs naturaliter, ac sine vlla perpessione Filium suum genuit: ita posteà, humanitatis ratione?* Trunca videtur, & hiulca oratio. Adiiciendum censebam: *Ita posteà humanitatis ratione genuit Virgo.* Sed intercisa periodus, dum Virginem siluit magis Virginis obtemperauit elogiis. Pater, si rigori indulgeas, temporali generatione, nec hominem gignit in Virgine, nec Filium. Creauit animam indiuiso Trinitatis comitatu, & supernaturalem virtutem irrorauit, vt vir abscederet, & vterus impleretur: cæterùm, sola Maria genuit, quem solus Pater in æternitate gignebat. Ast adeò Maria Patri contoralis est, adeò absque perpessione, sicut ille æternùm, gignit in tempore; vt generationis huius saltem vocem sibi arroget Pater, & dum virtutem insinuauit in vuluam, non solùm cuius Maria Genitrix, seamat Genitorem; sed & eiusdem generationis ratione, licèt primò à natura, det, huc piæ attributionis singularitas meditetur, generationem scilicet hanc eâ ratione attribuens Patri, quia eius est Filius, qui gignitur, quamuis vnus sanctæ Triadis sit concursus.

Plùs mirabecomis, si conceptionem audias Patri diuino in cœlestibus denegari; cùm tamen illi generatio ex Virgine deputetur. Pudetnè conceptionis vocabulum apud Deum; nec ipsum Deum pudet apud Virginem generatio, imò & sibi generationem hanc adscribere, quia in Maria est, & conceptionem illam denegare, tametsi in Patre Deo? Audi sanctum Maximum homil. 6. in Natali Domini: *Sed quamuis nouum videatur, non tamen incredulum, quòd Christus in vtero Mariæ sine generante conceptus est, qui de Deo Patre sine conceptione processit.* (S.Max.) Quid est, quod sine conceptione de Patre prodisse perhibeat, cùm toties *conceptionis* vox apud Maiores nostros, quin & apud sacra, in Patre personet Diuino? Sapien. 8. vers. 24. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* (Sap. 8 v. 24.) Ex quo D. Thom. 4. contra Gentes c. 11. (S.Thom.) *Quia genitum quandiu manet in generante, dicitur esse conceptum. Verbum autem Dei ita est à Deo genitum, quod in eo manet.* 11.

Ne te moret. Mens S. Maximi est, non incredibilem esse absq; generante, id est, absque viro in vtero Mariæ conceptum, qui de Deo Patre sine conceptione, id est, sine Matre concepiente processit. Conceptio etenim, si rigori studeas, vocisque fonti, motum indicat, & passionem, quæ muliebri competit vuluæ, Deum dedecet impatibilem. 12.

Galen. lem. Præstat audire Galenum n. lib. de homine: *Mihi videtur id ipsum verbum concipere, quod Græci συλλαμβάνειν τὸ σπέρμα dicunt; adeóque nomen hoc Conceptio, quòd σύλληψιν ipsi vocant, inde à mulieribus esse impositum. Etenim motum quemdam se percipere dixerunt in vtero, qui velut contraheretur, & paulatim in sese coiret; vbi semen conceperunt.* Igitur *conceptionis* vox à mulierum promptuario depromitur, passionemque adsignificat, & bibuli cuiusdam conceptaculi attractum. Ideò matrum, non patrum est. En cur sine conceptione Filium Dei à Patre procedere scribat Maximus. Quod non obest, quominùs, & concepta Sapientia pluries prædicetur, & conceptionis, sicut vteri, & vuluæ vocabula Deo Patri attribuantur; cùm omnia hæc licèt quatenùs fœminæ insunt, potentiæ receptiuæ, passiuæque dedecus subeant; Genitori tamen arrogata virtutem masculam promant, adeò strenuam, vt fœminâ non indigeat ad conceptum, sed ferax sit sobolis absque toro. Id profundè docuit S. Thomas 4. contra Gentes

S.Thom. cap. 11. in fine: *Dare naturam, & speciem proli competit Patri; concipere autem, & parturire, competit Matri* Et statim, *Quia intellectus Diuinus non est in potentia, sed in actu tantum; ideò in generatione Verbi Dei non competit hoc ratione Matris, sed solùm Patris. Vnde, quæ in generatione carnali distinctim Patri & Matri conueniunt, omnia in generatione Verbi Patri attribuuntur in sacris Scripturis. Dicitur enim Pater & dare Filio vitam, & concipere, & parturire.* Ex quibus lux affulget S.Maximi sententiæ, qui vt fœminæ in æterna generatione negaret concursum, repulit conceptionem, sicut in vtero Virginis virum renuit generantem. Si hoc percalleas, non diffiteberis venerabile Mariæ latere præconium, cùm Damascenus diuinum adstruat Patrem absque perpessione Filium suum humanitatis ratione genuisse; Maximus verò Filium à Patre absque conceptione protulerit processisse. Quasi generationem, quæ propriè Mariæ est, sibi gloriosus vendicet Pater; nec dedecus censeat cum hac fœmina in conceptionis vocabulo contubernium: cùm tamen intra Diuinum sinum eundem Filium absque conceptione produxisse dicatur apud Maximum, ne conceptionis vox strictim accepta beatam illam virtutem inhonoret.

13. O felix, faustumque pluries Mariæ cum Patre diuino commercium! O fœdus humanitatis initum pignore, Diuinitatis lucro repensum! Impatibilis Deus, dum gignit, Impatibilem in Matre generationem meditatur. Annè sat istud? Si pati venerat Filius Dei cur ab impatibilitate Matris incipit, nec passionem in Virgineis sustinet visceribus, qui passioni innascitur consecratus? Quia identidem Pater impatibiliter gignit; & tamen dum gignit, passioni deuouit; nec iacturam censuit originis, si pateretur homo, dummodò vterque Parens impatibilis ederet, & progigneret. Illud impulit amor, hoc maiestas. Adeò autem in hoc passionis negotio Pater Deus cum Matre Virgine nititur habere consortium; quòd ne passibilitas Filij Matri, quasi cum passione generanti, imputaretur; ipsemet Pater lubenti benignitate illum passioni dat. A Matre, & à Deo patibilis venit, vt redimat creaturam. Hanc energiam gaudet

Theod. S Igu. Theodoretus Dialog. 1. qui dicitur *immutabilis*, ex S. Ignatio in Epist. ad Ephes. *Vnus est medicus carnalis, & spiritualis genitus ex ingenito; in homine Deus, in morte vera vita; & ex Maria, & ex Deo primùm patibilis, & nunc impatibilis Iesus Christus Dominus noster.* Stimulant mentem illa: *Et ex Maria, & ex Deo primùm patibilis.* Præpositio *ex* originem persuadet. Annè patibilis Christus, prout à Patre gignitur superno? Imò humanitas ex Matre obuium passionum iaculis effecit, qui suffigi in Deitate nequibat. Meditor, ne patibilis ex Matre censeretur origo, læsaque pudoris, temerataque claustra, siquidem patibilis oriebatur, vt homo; patibilitatem hanc non notam inurere generationi præcauet Ignatius, & Theodoretus; cùm etiam patibilem det punctionibus, & ærumnis Deus; & tamen illibato decore absque passionis concipit, & parturit detrimento. Licet Deus pati venia, non paritur per patientem edi Genitricem. S. Ildephonsus serm. 2. de partur. *Idcirco, etsi dolores ipse nostros, & infirmitates pertulit, & portauit languores; absit, vt Matris pudorem vllis vexauerit iniuriarum molestiis.* Ildeph.

Vocabula fœcundæ Virginitatis ex Patre superno Maria mutuatur.

SECTIO II.



ON sat est ad Marianæ Virginitatis eximia cum cœlesti Genitore similitudine elogium, ab omni perpessionis neuo immunem protulisse, nisi & vocabula parilia meditemur, quibus impatibilitas hæc in omne assurgat superæ perfectionis fastigium. 14.
Dicebat S.Thomas 1. part. quæst. 39. art. 5. in corpore: *Ad veritatem loquutionum non solùm oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi.* S.Thom. Rerum maiestatem euchit stylus, nobilitasque vocum substantiæ nobilitati famulatur, excultaque lingua perpolit assumptum; quòd si humili reptat idiomate, vilescit granditas, quam effatur. Scias, abstracta nomina simplicitatem pandere rerum, & quasi per innocuæ puritatis calliculos defœcare à sordibus, quibus natura composita defœdatur. Creaturam sapit compositio, quam si repurgare studeas, vteris abstracto, vt ab imperfectionis fæce abluta in simplicitatis sortem emineat. Spiritalior vox est *Virginitas*, quàm *virgo*; virgo etenim aliquid præter virginitatem dicit, quia concretum formam applicat ad suppositum. Virginitas autem purum sibi vendicat alborem, nullo cæteri consortij squalore fuscatum. Ideò, quia quæ creata sunt, composita sunt; in creatis abstractum dissidet à concreto. In diuinis verò nec vnum ab altero secernitur; nec simplicitas intemerata persisteret, si diuisionis falx dissecaret.
Cyrillus lib. 1. Thes. c. 8. *Non est aliud natura Dei, aliud ipse Deus: simplex enim, atque incompositus est.* Cyrillus.
Athanasius in Apologet. pro Synodo Nicæna: *Si Deus est aliquid simplex, vt quidem est, cùm dicimus Deum, & nominamus Patrem nihil tanquam circa eum, sed ipsam substantiam eius intelligimus.* Obuia sunt loca, non moror. Adi Sanctum Thomam 1. part. q. 1. art. 2. & 3. & de potent. quæst. 2. art. 1. in corpor.

Simplicitas hæc, & quasi per elices colliquatæ puritatis abstractio, me iudice, adegit Patres aliquos in illam propositionem *Natura seu substantia Diuina generat*, quos erudito cumulo con 15.

Ruiz. congerit Ruizius tom. de Trinit. disput. 80. art. 5. Cyrill. Sat sit proferre Cyrillum Alexand. lib. 2. Thes. cap. 1. *Diuina substantia ineffabili quadam, supremaque naturâ constituta, Filium ex Patris hypostasi genuit. Non enim potest esse perfecta Deitas, nisi filium habeat, & fructum ex se pariat.* Vt quid sic Primores nostri loquuntur, cum certum sit nec essentiam gignere, nec naturam apud Deum, quod omnis schola datis fascibus confitetur. Clarum est in Florentini testimonium session. 19. Florent. Synod. Communis & vera solutio est, sic per abstracta aliquando Patres esse loquutos, vt identitatem, simplicitatemque essentiæ cum personis proclamarent: non quòd essentiam, substantiam, aut naturam generantem, genitamve strictim à personalitate discussam somnient; sed vt incompositam personam Patris enuntient: *Vnde huiusmodi loqutiones* (ait S. Thomas suprà ad 1.) S. Thom. *non sunt extendendæ, vt scilicet nomina abstracta exponantur per concreta, vel etiam per nomina personalia: vt cùm dicitur, essentia de essentia, vel Sapientia de sapientia, sit sensus: Filius, qui est essentia & Sapientia, est de Patre, qui est essentia & sapientia.* Censeo, diuinæ natiuitatis impatibilitas præfatæ loquutionis syllabas coëgit: quia abstracta magis puritatem exprimunt & nitorem, abstractorum vsus apud non ignobiles ex Maioribus increbuit. Prodest huic obseruationi Hilarius Hilarius. lib. de Synod. *Naturam Filio dedit ex impassibili & non natâ substantiâ, perfecta natiuitas. Talia enim cuncta sunt creata, qualia esse Deus voluit; Filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis & Deus est: nec dissimilem sui edidit natura naturam.* Ad impassibilitatem, natiuitatisque perfectionem abstractum accersiuit Hilarius: vt noueris, quàm pura sit apud Patrem origo; quæ vt puritatem manifestet, ab abstracto non timet, vtpote fideliter explicando.

16. Iam gradus inuitat ad Mariam. Miraberis, si euoluas Patres, quàm indefessâ phrasi in abstractum conspirant. S. Pruden. Audi Prudentium in hymno de Natali Iesu:

Emerge dulcis Pusio,
Quem Matris edet castitas,
Parens & expers coniugis
Mediator & duplex genus.

Ioan. Sich. Sentit Ioannes Sichardus Scholiastes Prudentij duriusculè cohærere duos illos versus: *Parens & expers coniugis, Mediator & duplex genus*, cum duobus superioribus, sicque edocet ordinandos: *Castitas*, hoc est virginitas; *Parens*, id est, Genitrix, proco quod erat absque tropo: *Virgo Parens*, hoc est *Mater*, & tamen *expers coniugis*, id est intacta marito. Ego tropum hunc non tropicè & vmbraticè, sed pro Mariæ virginitate laboranti propriè incidisse suspicor, vt virginitas parens patiensque pro Virgine parente & pariente dicatur. Sublimitas hæc fœcunditati virgineæ, virginitatique fœcundæ debetur, vt fulgeat stylus Diuinitatis dialecto. In Deo etenim abstracta pro concretis sunt: vnde virginitas Diuina Diuinus virgo est: Diuinitas creat, suppositique enuntiatione potitur. Adeò Mariæ virginitas pandit Deitatem, vt eisdem vocibus gaudeat edoceri. Castitas ergo Mariæ Parens est, & coniugis expers. Quod fulcio Sedulius. ex Sedulio lib. 2. Oper. Paschal. cap. 3. *Infans paruus & maximus, membris scilicet exiguus, Deitate præcelsus, per hospitalis templi synceram defluens castitatem, non læsit corpus abscedens, qui non læserat, cùm venisset.* Ecce per synceram perhibet castitatem fluxisse; & tamen non per castitatem, sed per castam iuisse dixeris. Adeò virginitatis exhausit gradus Maria, vt subsistens virginitas censenda videatur.

Quod mirè firmatur ex virginitatis fœtu. Si virginitas parit, qualisnè virginitatis proles enascetur? Equidem si conformiùs procedat virginitatem pariet, vt inter fœtum & Matrem sit imitatio. Hinc Pater æternus, non solum virginitate producit, sed & filium, in quo virginitas idem quod virgo est. Si virginitas pariens Virgo Mater est apud Prudentium & Sedulium, tantæ virginitatis proles virginitas erit. Do Fulbertum Carnot. in serm. de Natiuit. Mariæ: *De temperantia quoque ipsius superius dictum est, quæ Deo virginitatis lilium in humilitatis conualle produxit.* Pulchrè. Quo concipit? Eo nempe: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Id est, non aliter ac spopondisti, vt virgo maneam, & Mater sim. Dum se ancillam protulit, in conualle humilitatis deiicitur; dum iuxta verbum Angeli consentit, virginitatem protendit. Quod ergo nascitur ex Verbo virgineo, & humili, ipsa virginitas est in conualle sata humilitatis; Filius nempe Dei, qui virgo simul est & virginitas. Sic compar inter Matrem, & sobolem dialectus; vt ex abstractorum ope puritas vtrobique originis reueletur; nec ab stylo superno abeat Marianus. 17. Fulb. Carn. Luc. 1.

Nonnè castitas à castitate progignitur, si ab integritate nascitur incorruptio? S. Leo serm. 2. de Natiuit. *Oportuit enim, vt primam Genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, Diuini Spiritus virtus infusa seruaret: vt virginitas, quæ in aliis non poterat salua esse generando, fieret in aliis imitabilis consistendo, renascendo.* En nascens incorruptio. En generans virginitas. Accinit Augustinus serm. 132. de temp. *Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit enim illud Ioseph tumulo incorruptum, sicut seruauit illud Maria vterus illibatum. Sicut enim pollutione ibi non tangitur, sic mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas.* Qualis transgressio hæc à virginitate pariente ad corporis incorruptionem in mortis aculeos obduratam, vermium stimulis inuiam? Equidem abstracta materiam denudant, & intellectus negotiatione à concretorum sordibus expiantur. Virginitatis idea nullo pigmentario fuco ad prodigium eget venustatis, seipsâ pulchritudinis miraculum est; quippe à materiæ malignitate abluta, in ipsam transit simplicis formæ perfectionem. Vbi autem materia non est, corruptionis morsus non audet; nec decoquitur in cineres, fluitque in fauillas, nisi materia putrefactionis alat incendium. Quæ abstracta sunt, æterna sunt: nec succidaneis temporis motibus subiiciuntur, sed immortalitatis inconcussas habitant sedes. En igitur Augustini acumen. Cum vtero Virgineo comparat Dominici corporis sepulturam, gelidum lapidem cum frigida castitatis vulua: obuia ratiocinatione vnius miraculum depromit ex altero. Si virginitas peperit: quid quòd lapis ad corruptionis tela riguerit: quid quòd corpus communibus non laxaretur iniuriis, nec appeteret mortis disciplinam, quod adeò absque materiæ vitio, absque compositionis mixtione, absque viri nexu, genitum est, vt ipsa virginitas in abstracto peperisse dicatur, cum conceptionis, 18. S. Leo. August.

nis, partusque puritas non aliâ viâ poterit aptiùs explicari?

19. Corruptionis vestigia communis ex libidine exarat generatio, & per sperma decisum lineæ cauantur in fœto, quas perambulans mors soluat in pus, laxet in pulnerem, repetitoque gressu eat, redeatque corruptio, quousque ex lasciuiente illecebrâ coagulatum corpus remandat: sicut enim ex generationis inquinatæ progenie mors in homines pergrassata viguit, sic & mortis comes corruptio subintrat, & quas reliquias mors in carne peccati reliquit, auido, minacique dente remordet. Non iam ergo demiror ex Matre Virgine incorruptionem prognatam, cùm quod virginitas parit tabificæ mortis atrocitati semitas non relinquat. Ideò enim virginitas Mariæ dicitur peperisse, vt ex impatibilitate generationis nullum in corpore genito vestigium ad corruptionem appareat: imò qui incorruptibilis nascitur, ita æternitatem ex patiente virginitate demonstret, vt simul sit & patientis soboles, & auctor. Breui periodo rem grandem dedit S. Leo serm. 8 de

S. Leo.

Natiuit. *Simul enim per Spiritum sanctum fœcundata virginitas, sine corruptionis vestigio edidit, & sui generis sobolem, & suæ stirpis auctorem.* Obserua illud, *sine corruptionis vestigio*; apprimè enim attexitur fœcundatæ virginitati patienti. Duo namque mirè adsignificat, & quòd ediderit virginitas absque corruptionis vestigio, & quòd absque vestigio ad corruptionem; vt non gressus detossi permaneant, quos vestigans corruptio mortis, quale per generationes assolet humanas, inueniat vestigia, quæ perambulet. Si virginitas parit, quæ oriatur soboles, nisi vita, imò nisi vitæ auctor? Quo iam proficuus est Damianus opusc. 33. cap. 4.

Damian.

Flecte rebellem, suscipe contumacem, nec tua pietas respuas delinquentem, cuius intemerata virginitas peperit vitæ pietatis auctorem.

20. Sed abire non licet, inexpensâ hac virginei miraculi nouitate. Esto, Maria tota in totam virginitatem transierit: quomodo virginitas peperisse profertur? Non insubtilis dubitatio est: siquidem cum Diuinis ob Mariæ dignitatem rem componimus. Abstracta licèt in Deo de concretis prædicentur: non tamen adeò in suppositi transeunt indolem, vt quæ de supposito proferuntur, promiscuè de quolibet abstracto prædicentur. Ab hoc enim munere relegantur, quæ non dicunt ordinem ad opus: id docet S. Tho-

S. Thom.

mas in 1. dist. 15. qu. 1. art. 2. in corp. Ast inter omnia abstracta nullum inuenies, quod minus ad operationem tendat, quàm virginitas. Intra pudoris se continet septa, latebram amat, vnitati inuigilat, respuit numerum. Cur igitur inter omnia abstracta virginitas deligitur, quæ in Maria more suppositi efferatur, nec solùm ad opus exile respectum habeat, sed ad generationis actum, ad quem diues, & pinguis exigitur vis? Id miraculum Marianæ virginitatis est, vtpote quæ fœcunditate vigeat, nec sterilitatis inanis patiatur iniuriam; sed virtutem omnem exuperans, quæ ab omni corruptionis materia videtur abstracta, omnem sibi puritatis perfectionem absorbet; & quà fœcunda est, non solùm Matris dicitur, sed & Mater, sicut in Diuinis virginitas non solùm Dei est, sed & Deus. Huc compello Petrum Damianum, homil. 46. in Natiuit.

Damian.

Mariæ col. 4. in medio: *O mirabiliter fœcunda virginitas, quæ nouo & inaudito miraculo, & Mater dici possit, & Virgo.* In quonè miraculum, Purpurate Pater? An quod vna fœmina mater & virgo sit? Scimus hoc; aliud nouum adijce. Imò in eo nouum; quod fœcunda virginitas, & Mater dici possit & virgo. Non inquit; *Et mater esse possit & virgo*, sed *dici*, quia in creatis formæ à suppositis distinguuntur. Virginitas Mariæ Maria non est, nec fœcunda virginitas Mater est & virgo, attamen in hoc nouitas, excellentiæque prodigium, quod Mater & Virgo dici possit, quasi virginitas hæc omnem sibi rapiat generis excellentiam, sugatque totius castitatis nobilitatem; & cum abstracta sit, concretorum gaudeat stylo, vt Diuinitatis vocabulis cohæreat, & omnem abigat corruptelæ suspicionem. Non dissidet ab hoc cogitatu S. Gregorius Nyssenus homil. 13. in Cantic. col. 13. in medio: *Itaque postquam ad nos accesserit, consternationem quandam, & admirationem rei nouæ in animis excitasse, quî fiat vt Deus in carne manifestò conspiciatur? Qui Verbum illud fiat caro? Qui partus in virginitatem (virginitas in Matrem) cadere possit?* Vbi noto parenthesim illam interiectam, versionem Latinam Græcæ origini addidisse: Nyssenus enim Græcus solùm habet πῶς ὁ λόγος σὰρξ γίνεται; πῶς ἐν παρθενίᾳ τόκος; *Quî Verbum fiat caro? quî in virginitate partus?* Censeo addita verba scholium esse, & commentarium priorum: si enim partus in virginitatem contingit, opus est, quod virginitas transisset in Matrem, vt eadem phrasis seruaretur, & vtrobique abstractionis lepiditas Mariæ virginitatem extolleret. Præfatis adstipulatur S. Fulgentius in sermone de Epiphan. column. 3. in fine:

Nyssen.

Fulgent.

Morietur ergo sicut vnus, & quidem quem
Deum hominem concepit fides Virginis, &
Deum hominem peperit fœcunditas virginalis.

In quo non modica Marianæ castitatis sublimitas in superam prouehitur maiestatem: cum libera fronte enuntietur in Maria, quod non nisi cum scholiis, sedulisque cautionibus de Deo generante pronuntiatur. Audisti etenim ex S. Thoma, generationis actum in diuinis non alicui absoluto irrogandum, nec formæ per abstractionem cogitatæ, quæ hypostasim & personalitatem non sapiat: vnde nec virginitas, sapientia, aut natura Patris, virginitatem, sapientiam, aut naturam generat filij; nec virginitas in Deo Pater est, nisi prius consideres Paternitatis hypostasi sigillatam. Cæterum in Matre Virgine virginitati consultum, vt laxa eloquij libertate, & personæ Diuinæ Mater asseratur, & generationis opifex, & origo: Quasi in eadem serie cum Diuinitate Maria collocata, in virginitatis nobilitatem, suppleat, quod apud Patrem Diuinum vnitas essentiæ, indiuisioque naturæ, abstractique communis qualitas, quæ nec gignere, nec gigni potest, non patiebatur. Quare velut stagnante desiderij pelago virginitas prorupit in virginem, vt in illa omnes functiones personæ saltem iuxta prædicandi modum, obiret: sic impraegnaretur, sic gigneret, sic lactaret: quæ officia, non formæ, sed suppositi sunt. 21.

S. Thom.

Mirus est in hoc stylo Augustinus in Append. de diuersis serm. 25. in fine: *Magnum meritum virginitatis, fratres; virginitas Mariæ Angeli salutatione est impraegnata, & prægnans Mariæ virginitas de vtero in vtero est salutata, & generans virginitas Mariæ ab Angelis est hodie collaudata, & lactans virginitas Mariæ per stellam de cœlo est indicata, & Magorum muneribus est honorata.* Vtquid ingeniorum

August.

niorum apex sie philosophiæ inuertis disciplinam, vt officiosas suppositorum actiones futinæ in abstractione prolatæ imputes, & artibuas? eoiopulit Marianæ virginitatis opulentia, quæ, dum in fœmina supèr omnem cumulum sui generis insider, quasi personam separatam getit, vt dicam infrà.

Mariæ Virginitas non patiatur pudore propriè dicto suffundi.

Sectio III.

22. AB omni perpessione immunem elapsa sectio virgineam generationem probauit, vt viuidiore spiritu diuinæ generationis agcret effigiem. Igitur elucubremus adbuc. Adeò virgineè & absque affectu altissimus progignit Parens, vt casta generatio pudoris vocabulum non admittat; cùm ab honestis venerando triclinio, recoctaque supernæ Maiestatis purpurâ eius verecundiæ rubor secedat, quæ turpitudinis vmbra sit. Annc in Diuino Patre generante pudi-
S.Thom. citia est? Equidem pudicitiam describit S Thomas 2.2. q.151.art.4. quod sit verecundia eirca illa, de quibus homines maximè verecundantur: *Et ideò pudicitia attenditur propriè circa Venerea, & præcipuè circa signa Venereorum, sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus.* Si rigori studeas, virginem crede, non pudicum; cùm non habeat, quid vlciscatur pudor, vbi corporei illices, carnisque blandimenta non mulcent. Deus, qui absque affectu gignit, pudore rubere non nouit, licèt liberaliori acceptione pudicitia illi pro virginitate appingatur. Gregorius Nyssenus de Vir-
Nyssen. ginitate capite 2. *Res admirabilis est, atque insitata, vt virginitas in Patre inueniatur, qui & Filium habet, & Filium absque affectu genuit. Cum Unigenito autem Deo, qui omnis pudicitia, & incorrupta virginitatis auctor est, simul cognoscitur, cùm in eius pudica, atque incorrupta generatione pariter eluxerit.* Ergo pudicitia laxiori significatu præsignat castitatem, quod suboluit S. Thomæ suprà art.4. ad 1. *Dicendum,* inquit, *quòd Augustinus ibi accipit pudicitiam pro castitate.* Quæ si strictim, censoriéque acceperis, non propriè ex pudicitia ortum fatebetis Filium Dei, quà à Deo progenitus Sanctorum irradiat splendores.

23. Tertull. An illemet Filius, quà à Matre Virgine exoritur homo, habet de pudicitia Matrem? Accersendus est Tertullianus: & vt sedulæ trutinæ detur, plena verba non pigeat auscultare, in Apologet. aduersus Gentes capite 21. Sic prorumpit: *Huius igitur gratia, disciplinaque arbiter, & magister, illuminator, atque deductor generis humani Filius Dei enuntiabatur, non quidem ita genitus, vt erubescat in Filij nomine, aut de Patris semine, non de sororis incesto, nec de stupro filia, aut coniugis aliena Deum Patrem passus est, squamatum, aut cornutum, aut plumatum amatorem, aut in auro conuersum Danaidis Iouis ista sunt, & numina vestra. Cæterùm Dei Filius nullam de pudicitia habet Matrem etiam quam videtur habere, non nupserat.* Hæc lectio *nullam de pudicitia habet Matrem,*
Latin. olim inualuerat apud Latinium: communia autem exemplaria iam *nullam de impudicitia habet Ma-*
Pamel. *trem,* legunt: imò Pamelius ibi num 309. *Mirum est* (inquit) *vnde irrepserit: de pudicitia, cùm vetera exemplaria manuscripta legant; Impudicitia: vt iam non sit opus legere cum Latinio vocem nouam de pudicitia.* Sustineret Pamelium, nisi in . . . lia, decimus nouitate Latinium incestat, mordicùs perpensâ, ethicéque & Theologice examinatâ inueniretur mysterium. Discussiu sit, & non inutilis disceptatio, an pudicitia cum omni rigore, qualis apud Ethicos increbuit, in Virgine nostra fuerit, quæ cùm cæteris virtutibus sacram gratiarum componeret cohortem?

Do pro lectione Latinij, pudicitiæque abne- 24.
gatione geminum Chrysologi locum. Alter est, Chrysolog.
serm. 144. *Ne timeas Maria. Quid timet, quæ fecunditatem rerum concipit. parit gaudia sæculorum? Timor non est, vbi Diuinum est negotium, non humanum: vbi virtutis conscientia est, non pudoris.* Quem locum suprà expendimus, & ad aliud institutum vsque ad odorem contriuimus. Alter est, serm. 143. *Aue. Hoc est accipe. Quid? Virtutes munerum, non pudoris.* Quæ verba non alium sensum reddere videntur, nisi quem ipse sonus excudit. In salutationis vestibulo, dum Angelus orditur à gratia, virtutes omnes amica societate conspirant: abest tamen pudor, nec in cæterarum sortem adscitur, vt non de pudicitia ortus Filius Dei, qui nequibat verecundari, cùm Virginis aluum & impleuit cóceptus, & dimisit natus. Et quidem huc Tertulliani Apologeticus, acidusque in Gentes stomachus videtur alludere, cùm eorum irridet Numina de spurcitiæ volutabris fœcunda, de libidinis æstu ardentia, de cupiditatis petulantia honorata, quæ omnia & ipsas æreas Numinum statuas verecundiâ suffundunt, vt excidat à pudore vultus, Diique in metallo erubescant. Cæterùm Dei Filius nesciuit erubescere genitus, quippe qui nec de pudicitia habet Matrem; cùm ita virginitatis regnum Genitrix obtinuerit, vt ad eam Venereorum, de quibus pudicitia est, vmbra pertingere nusquam valuerit. In hunc explicatum non ægrè Tertullianum adduces, si contextú examines: dixerat enim, *Filius Dei annuntiabatur, non quidem ita genitus, vt erubesceret in Filij nomine.* En verecundiam abnegat & pudorem. Vnde paruo interstitio inquit: *Cæterùm Dei Filius nullam de pudicitia* (si huic lectioni attideas) *habet Matrem.* Quæ non inscitè adsonant post deieratos Iouis amores, in quibus verecundiam subire scelestum & luxuriosum Numen opus est, si numen est: satis enim sibi erubescere à lasciuientibus debet noxis, tametsi lasciui adoratores potiùs poplitem vertunt flagitioso & salaci Deo, quàm de inuerecundia lacessunt. Id
pulchrè Iulius Firmicus de errore prophanæ reli- Iul.Firm.
gionis: *Adulterio delectatur aliquis, Iouem respicit, & inde cupiditatis sua fomenta conquirit, probat, imitatur & laudat, quod Deus suus in cygno fallit, ludit in Satyro, quòd inclusam Regiam Virginem auro largè fluente corruperit.*

Tertulliano iuxta hunc explicatum expenso, & 25.
Chrysologo, non ineptè accinere credideris S.A-
thanasium, disp. contra Arrium col. 5. in fine: *Qui* Athan.
nouissimis temporibus propter humani generis salutem, à Patre missus; verum hominem in mundo gestauit, atque inuiolabiliter de Maria Virgine sine humani pudoris permixtione suscepit. En excludit pudorem, qui non solùm Mariam inuiolatam, sed & inuiolabilem proclamat. Perbellè satis: vbi enim ad Veneris stipendia impossibilitas prædicatur, Venereorum pudor denegatur & timor; cum nequeat de turpitudine erubescere quæ nequit vel turpitudinis vmbram experiri,

Adest Dionyſ. Carthuſ. de dignit. Mar. lib. 3. art. 13. *Pudicitia à pudore nomen ſortitur: pudor autem de re turpi eſt, de qua etiam homo amplius verecundatur, potiſſimè verò de Venereis. Quoniam ergo puriſſima, incomparabiliſque Virgo, à talibus cogitationibus immuniſſima, ac remotiſſima erat, non indignè pudiciſſima perhibetur, ſimplicem vtique & columbinum habens oculum ab omni carnis contagione ſereniſſimum.* In quibus, vt vides, dum materiam pudoris Virgini inficiatur, ſtrictæ pudicitiæ denegare noueris exercitium: & tamen pudiciſſimam appellat, id eſt, puram, & ab omni contagione ſemotam, iuxta alios Patres, quos infrà recenſebimus.

26. Lautent. Iuſt. Adſtipulatur Laurent. Iuſt. ſerm. de Annunt. col. 6. *Fiat mihi, ſecundum verbum tuum. Fiat inquit, mihi, vt concipiam ſine ſemine, pariam ſine dolore, permaneamque virgo abſque pudore.* Quomodò abſque pudore, cùm obſiſtat Auguſt. tom. 10. ſerm. 25. de Natiuit. Dom. (August.) *Venter meus non eſt pudore vacuatus, nec in conceptione inuentu ſum ſine pudore, nec in parturitione inuenta ſum cum dolore.* Chryſol ſerm. 145. (Chryſ.) *Sicut manente virginitate mater eſt, ita coniux dicitur pudore permanente?* Hæc enodabis ex vario pudoris ſignificatu, de quo iam agemus. Pudor enim & pudicita caſtitatem ſolet ſignificare, eiuſque nitor, & color eſt: cùm tamen in rigore vocis ruborem de turpitudine ſignificet, quomodò accipiendus Laurentius, ſicut & nos agimus hîc. Fouet Bernard. Senenſ. tom. 1. (Senenſ.) ſerm. 5 a. art. 1. cap. 1. *Fuit ſine vo pudoris quia eius conceptus fuit ſine corruptione, non humano ſemine, ſed myſtico ſpiramine.*

27. Ergonè pudicitia in rigore accepta à Virgine noſtra amandanda eſt? Sanè non ſic abſque piperis conſperſione profari auderem. Vt tamen obſequiis tantæ Virginis inſeruiamus, & caſtitatis primipilæ, vltimæ perfectionis faſtigium coronemus, ſic cenſerem: Pudicitia, niſi pro caſtitate accipiatur, quantùm ad habitum, non verò quantùm ad actū efflotuit in Maria. Sic compono Patres, & qui denegant, & qui innuunt. Quod vt calleas oportet pudicitiæ naturam tibi præfigas. Virtus eſt à caſtitate indiſtincta, quandam tamen caſtitatis indolem exprimens & circumſtantiam. Caſtitas luxum laſciuientem caſtigat, frænat cupidinem, prurientemque carnem ſugillat; quæ pudicitia eſt, dum Veneris ſigna aſpectuſque lenocinia, libidiniſque præcurſores tactus, oſcula, amplexuſque compeſcit; rubore perfuſis genis, verecundiâque recoctis aſpicere non audet, quod contrectare non licet. Quare nomen à pudore eſt. S.Thom. Audi S.Thom. 2.2.q.151.art.4. in corp. *Verecundatur homo non ſolùm de commixtione Venereu, ſed etiam de quibuſcumque ſignis eius, vt Philoſophus dicit in 2. lib. Rhetoric. Et ideò pudicitia attenditur propriè circa Venereu, & præcipuè circa ſignu Venereorum, ſicut ſunt aſpectus impudici, oſcula, & tactus. Et quia hæc magis ſolent deprehendi; ideò pudicitia magis reſpicit huiuſmodi exteriora ſignu; caſtitas autem magis ipſum Venereum commixtionem. Et ideò pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta, ſed ſicut exprimens caſtitatis circumſtantiam quandam; interdum tamen vnum pro alio ponitur.* Iam de pudicitiæ munere inſtructus, aſſerto noſtro non detrectabis ſuffragium.

28. Ad quod obſerua, nonnullas eſſe virtutes, quæ aliquali imperfectione laborant, vel ex actu, vel ex materia: ſic pœnitentia, dum dolorem explicat de flagitio, flagitium confitetur. Sic verecundia, quæ ex turpi facto vultum inficit, turpitudinem manifeſtat. Conſidera innocentiæ ſtatum. Inerant Adamo virtutes omnes: attamen quæ imperfectionem adumbrabant, ſolùm quoad habitum, cæterarum cumulum adaugebant. Sed ne bis repetita doctrina prouocet nauſeam, præſtat audire S.Thomam 1.p.q.95.art.3. in corp. (S.Thom.) *Si imperfectio, quæ eſt de ratione virtutis alicuius repugnat perfectioni primi ſtatus, poterat huiuſmodi virtus ibi eſſe ſecundum habitum, & non ſecundum actum, vt patet de pœnitentia, quæ eſt dolor de peccato commiſſo, & de miſericordia, quæ eſt dolor de miſeria aliena. Perfectioni autem primi ſtatus repugnat tam dolor, quàm culpa, & miſeria. Vnde huiuſmodi virtutes erant in primo homine ſecundum habitum, & non ſecundum actum: erat enim primus homo ſic diſpoſitus, vt ſi peccaſſiſſet, doleret; & ſimiliter, ſi miſeriam in alio videret, eam pro poſſe repelleret: ſicut Philoſophus dicit in 4. Ethic. quòd verecundia, quæ eſt de turpi facto, contingit ſtudioſo, ſolùm ſub conditione: eſt enim ſic diſpoſitus, quòd verecundaretur ſi turpe aliquid committeret.* Nec in diſſimile abiret iudicium S Doctor, ſi pudicitiæ erga innocentis ſtatus diſcuteret diſciplinam; cùm eodem doctrinæ filo edoceri pronum ſit, quoad habitum, non quoad actum in Primigenio extitiſſe. Quod enim (Auguſt.) affuerit iuſto Adamo, Auguſtini probat auctoritas in concione ad Cathecum. cap. 2. *Princeps vitiorum vicit Adam de luto terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compoſitum, claritate ſplendidum.* Quod de caſtitate, vel de pudicitia, quantùm ad habitum, accipi opus eſt, cùm actum pudoris elicere innocuo, & ſimplici derogaret ſtatui; vbi nuditas carnis, nec verecundiâ faciem, nec horrore lumina ſuffundebat; ſed abſque pudore pacata membrorum venuſtas in Opificis gloriam concitabat. Inerat quidem pudicitia, vt ſi forſan laſciuientia carnis titillamenta procacibus motibus inſurgerent, (quod perſeuerante innocentia contingere non valebat) arderet à pudoris croco vultus, effuſaque in facie purpura in vilem non ſineret degenerare luxuriā.

Non aliter conſidero in Virgine Matre pudicitiam. Cum roſeo virtutum choro fœminam venuſtabat: attamen in actum prodire venerabilis Marianæ virginitatis non ſinebat auctoritas; vtpote cuius decor omnem Venereæ turpitudinis arcebat odorem; nec fœcundæ virginitatis ſtatus patiebatur per aliquem ſenſum, vel leuem haurite ſcintillam ex rogo libidinis excuſſam. Animus non erubeſcit, ſi obſtruitur ſenſus; nec inficit verecundia, ſi ad turpitudinis ſonum animi feneſtræ ſopiuntur. Vbi actus ſtatum dedecet. ſat eſt quoad habitum virtus; quæ poſſeſſione ſui ditet habentem, non dedecoret exercitio. Ergonè impoſſibile fuit, in Mariam pudoris aliquod obrepere obiectum, non ſolùm quod caſtitatem violaret, ſed quod educeret ruborem ad genas? Sanè ſi decentiam moralem mediteris, ſic iudicantem non mordeas. Quàm benè de Filio Dei conſultum! Tam longè ab erubeſcentia diſſidet in ortu ex fœmina, vt etiam fœmina, quæ enititur, obiectum non ſenſerit pudoris; vt de pudicitiæ actu non habeat Matrem, qui abſque verecundiæ rubore naſcitur apud Patrem. Signorum Veneris pudere nequiuit, quæ ſigna Veneris percipere non valebat. 29.

Nōne pulchra nimis animos aliquādo ſauciaret 30.
ad

ad ſpeciem, vteret ad motem, & ex reuibrata aſpicientium cupidine ſentiret pudotem? Abſit. Imò quæ de venuſtate attonita lumiua ad miraculi rapiebat præconium, nunquam potuit libidinis vindicare mercedem. Viſæ pulchritudinis ſtipendium captiuitas ſolet eſſe videntis, & ad libidinē prenditur, qui oculos erogat in venuſtam. Non ſic Virgo, non ſic. Si pulchra, alliciebat videntes; viſa ſedabat procaces, leniebat libidinis flammas; & caſtitatis munere oculorum libamina rependebat. Hinc in Ægyptum iturus non fœdus pepigit cum ſponsâ Ioſeph, quale cum Sarâ Abraham: non à venuſtate timuit; nec damnum cenſuit pudoris ſic pulchram efflorere; eùm, quæ conſpici poterat ad gloriam, conenpiſci nequiret ad luxum. Iam alij viderunt Simonis de Caſſia locum lib 2. cap. 22.
Sim. de Caſ. *Non vt Abraham Saram, præmonuit Ioſeph Mariam, vt diceret ſe ipſius eſſe ſororem, veritus propter eius pulchritudinem mortem, ſi ſe fateretur vxorem, qua ſpecie ſua, & pulchritudine ſua Saram, & Rebeccam ſuperauit. Nec ipſa ſublata eſt in domo alicuius Ægyptij Regis, vt Sara in domo Pharaonis: ſciebat enim, quòd meliùs, quam Sara, cuſtodiebatur ab Angelo, & talem gratiam in Matre Virgine Deus poſuit, vt nec propter eius excedentem pulchritudinem potuiſſet ab aliquo ob immunditiam concupiſci: nouerat hoc Ioſeph experimento ſui.* Obſerua illud: *Talem gratiam in Matre Virgine Deus poſuit, vt nec propter eius excedentem pulchritudinem potuiſſet ab aliquo ob immunditiam concupiſci.* Ecce impoſſibilitas, quæ quidem penſanda eſt iuxta gratiam tanto ſtatui adſonam: & ne putes caſu ea verba Simoni Caſſiæ excidiſſe, eandem phraſim accipe ab aliis. Ale-
Alex. de Al. Bernard. de Buſt. xander de Alex 3. part. q. 1. *Cùm Maria pulcherrima fuerit, à nullo tamen vnquam potuit concupiſci.* Bernard. de Buſtos: ſerm. 4. de B. Virg. *Nam quamuis pulcherrima fuerit, tamen a nullo vnquam potuit concupiſci.* Optas impoſſibilitatis huius rationem effodere? Dat ipſi Alexander: *Et hoc erat, quia virtus ſua caſtitatis, & ſanctitatis, extinguebat omnem motum carnalem in aliis aſpicientibus ipſam.* Bernard. de Buſtos: *Quia eius puritas corda omnium penetrabat, & omnes motus illicitos in eis extinguebat.*

31. Ergo hac gratiâ permanente, qua Virgo viſa virginitatem videntibus inſinuabat, & pro florido venuſtatis halitu, caſtitatis ſpiritum exhalabat: nullus locus erat pudicitiæ muneri, quæ impudica ſigna perfuſo ſanguine per vultus campum linurat & obruit. Vbi oſcula? Vbi teatiles concupiſcentiæ nexus? Vbi pellicientes tactus virgineam laceſſerent verecundiam, ſi via conſpectâ Mariâ iam virginitas transfuſa per intuentium pectora graſſabatur, tabificæque contagionis venena purgabat; nec, quid pudor ablueret, remanebat, cùm omnia ſpirarent caſtitatem? Reddebat impoſſibilem pudoris actum pro illo ſtatu impoſſibilitas obiecti, virtuſque in arduo perfectionis cacumine faſtigiata imæ conuallis olidos libidinis halitus ſentire nequibat; nec à viſis pudere, quæ materiam libidini trucidabat. Hùc adſit Dionyſ. Carthuſ. de
Carth. dignit. Mar. art. 40. *In Matre igitur ſanctitatis id vtique ſublimius extitit, vt videlicet gratioſa quadam, diuinaque ſerenitas eam totam, atque in vultu perfuderit. Vnde tanta creditur caſtitatis fuiſſe, vt à nullo vnquam libidinosè concupiſci valeret: quoniam interior puritas in vultu expreſſa ſua extinxit virtute, aſpicientis carnalem appetitum.* Quibus adiungas Ambroſium lib. de inſtit. Virgin. c. 7.

Zerda Mariæ, effigies.

Quomodò extorqueri potuit integritas Mariæ, quæ, fugientibus Apoſtolis, ſupplicia non timebat; ſed ipſa ſe offerebat periculis, cuius tanta gratia, vt non ſolùm in ſe virginitatis gratiam reſeruaret; ſed etiam his, quos viſeret, integritatis inſigne conferret. Ambroſ. In quibus°, continuo Patrum ſtylo, quædam impoſſibilitas obiecti turpis innuitur, pudoriſque actus arcetur.

Locem capiant difficilia verba S. Ephræm de 32.
Marg. pret. *Fuit igitur Maria hominibus fons* Ephr.
Spiritus æterni, & pudicitiæ, atque incorruptionis præceptum. Si Paulus de virginibus præceptum Domini non habet, conſilium autem dat: quomodò Maria incorruptionis & pudicitiæ non ſolùm præceptum hominibus imponit, ſed eſt; eâ vi & celeritate, quò d, ne præcepti tarditas diſtet, vel per ſcripturam, aut vocem depereat, ipſamet illicò præceptum ſit? Peroptimè. Nam viſa Maria confeſtim intuentibus virginitatis affigebat virtutem ſtabileque pudicitiæ munus indebat, eò vires laſciuientibus ſupprimens & ſuggillans, quòd illis tenaciter ligatis, quaſi ad virginitatem obligaret. Ideò præceptum dicitur, quod vinculis ſolet ligare ſubiectos.

Ideò forſan virginea puella orationem Angeli 33.
compeſcuit. Quid agis de conceptu, ſi & vocabu- Luc. 1.
lum genituræ neſcius? Virum non cognoſco. Quomodò fiet iſtud? Quidnè iſtud? Cur te non repetis conceptuŕam? Si *iſtud* generatio eſt; cur generationem ſiles, forſéque à ſyllabis pertimeſcens, nec labris audes generationem euoluere? Nec inquit; Quomodò fiet, quòd virum cognoſcam? ſed in cognitione viri modum iudicans impoſſibilem poſſibilem in conceptione prolis, modum ad concipiendam prolem ſciſcitatur, non ad cognitionem viri. Scitè S Gregorius Nyſſenus in Caten. S.
Thomæ ad eadem verba: *Quia oblatura corpus* Nyſſen.
Deo quaſi quoddam ex ſacris inuiolabile reſeruari dicebat, dicit: Quoniam virum non cognoſco: quaſi dicat; Et ſis Angelus, tamen quod virum non cognoſcam, ex impoſſibilibus cernitur. Qualiter igitur Mater ero carens coniuge? Grandi energia inlatet inibi *ex impoſſibilibus cernitur.* Multum audes, Nyſſene, dum hæc verba Virgini noſtræ ſuggeris! Imò Angelus quaſi ex aduerſo inſilit, *quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Ecce pro Mariana virginitate prodigium. Impoſſibile apud Deum non eſt, quòd Virgo conceperit abſque viro. Impoſſibile apud Virginem eſt, quòd virum cognouerit; quaſi ad omnia, quæ ad conceptum attinent, ſe porrigat omnipotentia; tamen quòd virum cognouerit Maria, ex impoſſibilibus cernatur: ſic enim accipio illa: *Tamen quòd virum non cognoſcam, ex impoſſibilibus cernitur.* Quamuis enim dicendum videretur, *tamen quòd virum cognoſcam,* &c. ſenſus tamen idem eſt, ſi votum & conſtantiam Marianæ virginitatis attendas. Ex eo quòd ego virum non cognoſcam ex impoſſibilibus cernitur; me enim non cogniturum virum, adeò ſtabile fixúmque eſt, vt aliud videatur intra impoſſibilium numerum recenſendum. Quare forſan ſenſum è Nyſſeno excipiens, ſic tranſuertit Anonymus orat. in Natiuit.
Virg. *Etſi ſis Angelus, etſi de cœlo venias, etiamſi* Anonym.
ſit ſuper hominem id, quod apparet; non poteſt tamen fieri, vt virum cognoſcam. Quomodò ergo ero Mater abſque viro? Quæ loquutionis ſeries, animi tenacis & ſibi, conſtantis eſt: non quia phyſicum impoſſibile adſtruat, ſed quòd moralem arduitatem præſignet. Adeò enim Virginitas Mariana

excreuerat in palmam sui, vt obiectum, quòd vinceret, deficiente ob honestatem status materie, non iam habere videretur. Quare non tenues, pudicitiam actu caruisse in Matre Virginea, cuius propago, Dei extitit Filius, in nostræ verecundiæ natus medêlam.

34. Verum est verecundiam Mariæ crebris vocibus à Patribus decantari; sed verecundia hæc innocenriæ, & castitatis est color, non verò pudoris actus, qui de turpitudine rubet. Quod discutit Rupertus lib. 3. in Cant. *O verè laudabilis verecundia, vbi & intus conscientia munda, & foris facies verecunda est: nam vbi est aliquid, quo mens erubescat, non adeò laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat.* Certè Philosophus in 4. Ethic. cap. vltim. inquit: *Verecundia non est hominis studiosi.* Cui subscribens S. Thom. 2. 2. quæst. 144. art. 4. in corp. sic subdit: *Verecundia deficit in aliquo dupliciter: Alio modo, quia non apprehendunt turpitudinem, vt possibilem sibi, vel quasi non facilè vitabilem: & hoc modo senes, & virtuosi verecundiâ carent. Sunt tamen sic dispositi, vt si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur. Vnde Philosophus dicit in 4. Ethic, quod verecundia est ex suppositione studiosi.*

Rupert. Arist. S. Thom.

Excellentia Marianæ pudiciæ; cui vteri pudor in facie fuit; fœcundæ Virginitatis insigne.

Svbsectio I.

35. Is sic, quæ scholasticus rigor induxit, stabilitis; pronum est sternere semitam, per quam gradiente Patre inoffensis oculis intuearis, discernasque, quo sapore nostræ Virginis pudorem pudicitiamque decantent: quos in numerum recensere, non eligere, sed colligere foret, & congerere. Nec tamen tædeat ex cumulo plures auocare: vt discas, quam florido apparatu pleni calathi roseum Mariæ pudorem spirent, qualique manu hi flores legendi sint, ne marcescant, sed virore vernent immortali. Et quidem si quis in præiacta suspicione mordicus insederit, nempe nullum pudoris actum, si propriè accipiatur, in Maria rubuisse: sciat opus est, pudorem pluribus acceptionibus gaudere. Significat virginitatis claustrum: quin & pulchrum ruborem, qui virtutis solet dici color, sacroque lumine faciem pingit, venustiorisque pulchritudinis intingit murice; licèt nulla turpitudo sanguinem pro velamine ad os euocauerit verecundum. Denique frequentiùs accipitur pro castitate ipsa, vt suprà diximus ex S. Thoma. B. Aëlredus Abbas in specul. charit. cap. 7. *Quid dulcius, quidve tranquillius, quàm turbidis carnis motibus non agitari, carnalium incentiuorum incendiis non aduri; sed tepescentem rore pudicitiæ carnem spiritui habere substratam.* Clariùs Tertullianus lib. de cultu fœmin. c. 1. Quin & apud prophanos pudicitia pro virginitate est. Ouidius 1. de arte:

Aëlred. Tertull. Ouid.

Esse procul vitta tenues, insigne pudoris.

Et Epist. 5.

—— Nullà reparabilis arte

36. *Læsa pudicitia: deperit illa semel.*

Si his acceptionibus acquiescas, adi iam Patres; pro fœnore amœnaberis. Maria regnum, templum, claustrumque pudoris est, vtpote in qua virginitas, quæ in aliis albet, rubuit inuiolata. Curnè rubuit? Quoniam hic color purpurascentis maiestatis est. Vis regnum? August. serm. 25. de temp. *Dicat & Maria: Et ego te Filium generaui, & virginitatem meam non violaui: Regnum teneo virginitatis, & Regem genui castitatis. Ingredientem, & egredientem babui in palatio ventris Filium Imperatoris, & de manibus meis non amisi clauem Regni pudoris.* Demirare, quantum virginitatis regalis thronus affulgeat in Maria: & Regnum est, & Regni tenet clauem, & sustinet Regem. Vis pudoris ostrum, vt trabeæ rubeant maiestatis? August. serm. 17. *Rubuit inuiolata virginitas, nec pessulum pudoris infregit, & in sacris visceribus radius æternæ claritatis effulsit.* Cupis templum? Ambrosius lib. de instit. Virgin. cap. 5. *Sibi sacrauit templum pudoris, honestatis & puritatis.* Petis claustrum? S. Leo serm. 2. de Natiu. Dom. *Oportuit enim, vt primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, diuini Spiritus virtus infusa seruiret.* Communior in Virgine nostra stylus pudicitiam pro virginitate frequentat. S. Laurent. Iustin. ser. de Annunt. col. 4. *Senties gratiam, nec amittes pudicitiam: eris quippe Mater, & Virgo.* Leo Imperat. Constant. in epist. ad Omar. apud Biblioth. tom. 15. *Iudæi persequentes, & comprehendentes eum, crucifixerunt, dicentes blasphemiæ verba ad Mariam Matrem eius, cui pudor castitatis inerat.*

August. Idem. Ambros. S. Leo. Laur. Iust. Leo Imp.

Pudor quidem in facie assolet renidere; nec in aliis corporis partibus sacri coloris speciem repræsentat: frontem amat, nobileque suggestum nubis coccinum spargit in vultu; quem, dum obnubere curat, retegit magis, & suâmet luce conspicabilem reddit. An Mariæ pudicitia solùm faciem adamabat pro situ? Imò quia in ea non de turpitudine sumebat ruborem, quem propulsaret ad os; sed lactâ virginitate, stabilique pace omne corpus innatâ purpurâ regnabat: omnia eius membra ad pudicitiam concurrebant. Quæ Regina castitatis erat, sic debebat procedere trabeata, omnique parte per pudicitiam purpurea: in reliquis sat est in vultu coccineum pudoris indicium, quibus non regnum obtigit, sed portio. Sic acciperem S. Ephræm. de Margarit. pretiosa *Cognoscebat conceptionem; at viri congressum & consuetudinem ignorabat: & intelligebat quidem inhabitatorem suum latentem; sed appetitum superflua corruptela experta non erat: omniaque ad pudicitiam concurrebant membra, proprÿ impetus & appetitus oblita.* Latiùs alibi locum hunc versauimus. Ne præteruolent vltima. Quid est, quod impetu feruido membra cũcta ad pudicitiam concurrant? Quia in ventre, è cuius dispensatione alitur corpus, membraque nutrimenta capessunt, Filius Dei gignebatur: omnes cucurrerunt artus, vt pudoris regnum constiparent, omnemque ibi virginitatis cumulum aggererent, quæ per omnia membra dispersa, sacram Virginem honestabar. Promptum fuit sic intulisse Ephræm: dixerat enim paulò superiùs: *Beatissima Virgo Deum Verbum toto suscepit corpore, simplicitateque naturæ & non curiosè; ac redundanti motu Deitate impleta est.* Si toto suscepit corpore, quid quòd totum corpus per virginea membra concurreret ad pudorem, quasi virginitatis vnumquodque libamina litauisset, pudicitiæque penderet tributum Regi casti

37. S. Ephr.

castitatis, quem virgineum regnum generabat? Quomodò autem toto suscepisse corpore Verbum dicatur, cùm solus vterus generationis sit officina? Suscepisse dixerim, quia in virginitate suscepit: quæ quasi ab omni corpore cumulata conuenit, & puritatis censu vuluam locupletauit pudicam.

38. Vis agnoscere omnes artus arrisisse pudori, non verecundo de turpi; sed virgineo de insonte? Inhonesta vel lædunt oculos visa, vel dicta flagellant auditum: & quasi peccauissent oculi, & aures, igneus pudor pro supplicio exardens ad vultum egreditur, flammis cremans inhonestas specierum reliquias. Habuitne in Maria, quid flammea pudoris castigaret censura: Si etiam dum gignit, non solùm leui turpitudinis flatui occluditur ostium; sed totius virginitatis flagrantiæ recluditur aditus quid, cùm non generabat, fateberis? Examina Mariæ sensus, dum Sacra peragitur conceptio. Oculi prospiciunt Angelum, quem innata venustat virginitas: concipit per auriculam, generat per fidem: obstructa est semita, quam Diuinitas præoccupauit: nulla potuit species inquinamenti subrepere, quæ Virginis verecundiam concitaret. Nonnè fides captiuat oculos in obsequium fidei, & cum ex auditu fit, aures obstringit? Gignit per fidem Maria. Nullum potuit verecundiæ vestigiis patere commercium; nec habuit, quo ruberet facies, oculis & auribus obsequio virginitatis intentis. Omnis pudor in vterum se recepit, vbi omnis se compressit castitas, templumque pudoris effectus est vterus, ipsâmet generatione Sacratum. Hic sapor est in August. serm. 17. de Natiu. Dom. *Fides à terra in cœlum erecta est. Huic Christus insedit, & per ipsam in templum pudoris intrauit.* Appositè. Vbi venter pudore vacuus est, fœminæ corruptæ frontem pudere solet, nisi perfricata rebellet. Fœlix virginitas, cui pudor simul & fœtus in vtero est: nec dimittens vterum pudor, & à vulua exulans, exit ad faciem. Quid causæ? Nam per fidem Sacra proles ingressa est, nec ostia corporis temerauit.

August.

39. En prodigium, quòd templum pudoris Virgo fiat. Curnè templum? Quia quod solet ex fœditate pudore perfundere, nempe absque marito impleri; virginitatem sacrauit in Maria; arasque construxit virgineas, in quibus à casto sanguine purpurasceret agnus, à quo ruberet in vtero in virginitatis insigne. Id adeò supra miraculum fuit, vt Mariæ fides in hoc mirabiliùs eluxerit, quod se crederet grauidandam, manente in vtero pudore, quando aduersus pudorem tumor vteri timeretur intendi. Ausculta Ambrosium in cap. 1. Luc. *Quàm citò ergo etiam de impari conditione credidit Maria! Quid tam inauditum, quam Virgo prægnans contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius charior cura est Virgini? Zacharias autem non de impari conditione, sed de senili ætate non credit.* Vtrumque comparat, virginem & senem, Marianæque fidei extollit triumphum, quia cùm pudoris casus imminebat, se pudicam credidit & fœcundam. Virginitatis Regina nouam pudoris legem rogauit, fœtum cum pudore coniunxit: nec verecundiam ab vtero eliminauit ad genas, quæ plecteret de libidine; sed in vtero conseruauit, quæ de puritate flauesceret. Non sic, quæ concipiunt ex thalamo, afficiuntur: illis fœtus pudor est in facie, quia non est in vtero; maculatoq; per concubitum sanguine spargitur vultus, qui verecundatur à causa, licèt gaudeat à pignore. Id forsan piperis est in August. serm. 25. de Natiu. Dom. *Exiuit de ventre meo, & venter meus non est pudore vacuatus, nec in conceptione inuenta sum sine pudore.* Acsi diceret: Fœminas, quas thalamus grauidauit, pudor colorat in facie, quia deest ab vtero: pudor in vtero meo est; nec habeo, cur in facie sit.

Ambros.

Expende pulchrum Ambrosij locum cap. 1. in Luc. Audisti comparentem cum Zacharia Virginis fidem: audi componentem cum verecundia Elizabeth Virginis verecundiam: *Erubescebat ergò Maria, erubescebat etiam Elizabeth. Et ideò videamus, quid intersit inter mulieris & Virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, hæc pro verecundia; in muliere modus pudoris adhibetur, in Virgine pudoris augentur gratia.* Vt Ambrosij stylum intelligas, scias mulieris vocabulo corruptam nominare, vt distinguat à virgine, de quo infrà fusiùs agemus. Ergo sensus Ambrosij est: Erubuit ex virginitate Maria: erubuit ex toro Elizabeth: hæc de causa erubescebat, vtpote cui prolis causa concubitus fuit; illa pro verecundia, nempe ob venustatem virtutis, non ob fœditatis indicium. O quale ingenium! Vtriusque rubor dissimili tinctura disparem originem repræsentat. In Elizabeth fœtus non est verecundiæ causa, sed torus. Colorat vultum sanguis genitalis secreti; & in facie verecundia est, quod in vtero generatio. Ast Filius in Virgine purpura est in ore: non vt illam pudeat illecebræ, quam non sensit; sed vt immaculatus sanguis, qui in vtero rubuit illibato, in genis intemeratū pudorem manifestet. Vnde illud pulchrè: *In muliere modus pudoris adhibetur, in Virgine pudoris augetur gratia.* Explico: Grauida mulier corruptelæ memor pudore suffunditur: at illi verecundia modum adhibet pudoris, quia cùm ex coniugali toro conceperit, taxatur pudor; nec nimiùm excrescit, nisi in quantum scintilla quædam est castitatis. In virgine verecundia non modum pudori præfigit, sed potiùs auget pudicitiam, vtpote cui conceptus & partus potiùs virginitatem sacrauit. Vnde gratia, quæ in vtero sacrum fœtum ex virgineis sanguinibus coagmetauit, dum virgineum sanguinē ad faciem verecundam expellit, quasi porrigit, & dilatat virgineæ fœcunditatis gratiam, vt indicium virgineæ prolis ardeat in ore, quæ absque vllis sordibus coaluit in vtero. 40.

Hæc lux pudicitiæ est: quippe cùm lux vera esset in vtero, radios pudoris emisit in vultum, vt inter virginū choros fœcunda Mariæ virginitas coruscaret. Canorè cecinit Venantius lib. 8. hymn. 4. 41.

Inde Dei genitrix, pia Virgo Maria coruscat, Venant.
Virgineasque agni de grege ducit oues:
Ipsa puellari medio circumdata cœtu,
Luce pudicitiæ splendida castra trahit.

Lucem hanc, flammeumque nitorem in Mariæ facie dixerim esse spolia, quæ victrix virginitas, illibatusque pudor à Filio genito reportauit, agensque per integritatem triumphum, è pudica fronte suspendit, tanquam immortale trophæum. Quare rubet radius pingens genas, diuini Filij in vtero victrici geniti index fuit & proprietas: qui hæc pudoris spolia non sustulit, sed in materno vultu reliquit. Sic honestè accipe, quod scribit Ildephonsus de virginitate Mariæ cap. 2. *Hanc domum ingrediens, non pudoris spolia tulit; sed egrediens integritatem ditauit.*

Euæ pudor non rubuit in Maria quam ab originali piaculo exemit Filius.

SVBSECTIO II.

41. Licebat ex præfatis gradum facere ad originalem Virginis innocentiam. Diximus supra infelicem Adami statum pudorem ingruere nequiuisse: supergressus est præceptum, & statim erubuit. Non vlla macula Mariæ venustatem infecit: sicut scopâ Lazari domus virginea non indiguit; sic illi opus ignea districtio pudoris: frontem eius contraxit humilitas, non exterminauit superbia, ob quam à Primigenij piaculo eruberet. Quo iure sic immunis concepta est, quam maculosus pudor non tingeret? Dicam. In ipsomet suæ conceptionis diluculo sanguis generandi Filij Sacras eius præoccupauit genas; ingruentiq; pristini piaculi pudori obiecit, ad cuius aspectum impetere culpa, non ausa est: sanguis filij præuisus liberauit: vt videas, qualis fructus fuerit fœcundi sanguinis Mariani, qui ex vtero surrexit ad faciem. Sic elucidarem Amadeum homil. 2. de laudib. Virg. *In ortus sui diluculo infecta murice verecundiæ cum humilitatis venusto pallore.* Singularis est locus iste. Quid habuit Virgo, à quo in conceptionis instanti erubesceret, siquidem iam vbi venustus humilitatis pallor à primo vendicabat errato, quod extot sit superbiæ? Si in primis Mariæ auspiciis iam humilis decãtatur, culpę, quæ superbia fuit, nequiuit contagione tabescere. Cur ergo verecundiæ murex in ortus sui diluculo faciem saturauit? Sic expende. Pudor in genis sanguis ebulliens est, qui concito impulsu obtegere satagit ora, ne turpitudinis probra patiantur. Mariæ sanguis non potuit ascendere ad faciem, vt amiciret dedecus; sed vt impediret iniuriam. O benè! Ab originaria labe incolumis eximitur Virgo: quoniam Mater Filij Dei futura erat, illumque ex purissimo sanguine formatura. Ergo in conceptionis instanti illemet sanguis ad frontem euadat aduersus peccatũ obarmans: vt videns culpa in superliminari sanguinẽ, transeat inanis, & ex agni cruore delibutam, immunẽ Virginem prætereat: quam hic murex verecundiæ intingit, sicut Hebræorum postes agni cruor, ne ab exterminatore Angelo perirent. Sic habes Exod. 12. *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cùmque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Sic Amadeum percalluisti.

Amad.

Exod. 12.

43. Hæc si tibi fixeris, facilè credes Mariam verecundiam fuisse supergressam, quæ, antequam posset verecundari de culpa, iam de mysterio rubebat. Dabis lucem Dionysij Carthus. loco de dignit. Mar. lib. 3. art. 13. *Innotescit itaque Deiferam, admirabilemque Mariam citò omnino verecundiam fuisse supergressam: quippe quæ tam celeriter, atque repentè ad gratiæ plenitudinem; virtutúmque stabilitatem perducta est.* Quid est verecundiam fuisse supergressam, eâ celeritate, quæ omnem ventorum anteuolaret conatum profectò supergressa dicitur verecundiam, quoniam si in conceptionis instanti singularitate gratiæ fuit perfusa, omnem verecundiæ præcucurrit incursum: nec potuit erubescere de piaculo, quæ tam celer, gressus maturauit ad gratiam. Meliori quidem verecundiâ nituit, cuius colorem gratia condiebat: ne illegitimus pudor obreperet, iam vultus gratiæ colore micabat. Redeat Amadeus hom. 1. de laudib. Virg. quam sic appellat: *Gratiosa per verecundiam & formositatem, recta per iudicium & æquitatem.* Amad.

Carthus.

Curnè velum capiti mulieris indicitur, faciemque sub amictu sepelire iubetur, ne peruia sit oculis, nec liberè emittat lumina, nisi per densa retia velaminis? Quoniam adhuc primi flagitij in fronte debet insignia portare: vt quæ de nuditate protinus erubuit, cui noxialis esca procacia membra nudauit; etiam caput in supplicium abscondat: nec frontem explicet, quin verecundam. Si velo indigeat Maria, quam pudoris stigma non notat? Imò mulieres à verecundia ob turpitudinem primi piaculi liberauit, siquidem per viscera effudit Redemptorem. Benè Bernard. Senens. tom. 1. ser. 52. art. 2. cap. 1. *Primum malum fuit verecundia Euæ. Quæ namque mulier fuisset ausa apparere, cùm per mulierem fuerit perditum totum genus humanum? Propterea in signum huius datur eis in capite velum. At mulier benedicta Maria de hac confusione ipsas redemit, dum per ipsam genus humanum saluatum est.* Ergonè absque velo Maria liberale caput expandit, quod nulla potest ignominia ferire. Imò non sine velo. Sontis fœminæ velamen verecundiam eius indicat, & subsignat, vt intus pudeat velatam, quod foris nuda perpetrauit. Mariæ velum index eius puritatis est, vt vtrobique indicia consonent, licèt dispar sit causa. Vis Virginis velum intueri? *Spiritus sanctus superueniet in te.* Nouum Spiritus velamen, quod, cùm leuissimum sit, nec corporeâ quantitate graue, potiùs retegit, quàm abscondit; potiùs solicitat visum, quàm deterret. Nonnè vides? Vmbra est: vmbræ autem munus, dum caput amicire videtur, non abscondit; sed liberius relinquit oculis intuentium, cùm & temperet lucem, & minuat ardorem: ideò illicò: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quàm oppositum Mariæ velamen, quam Euæ pudor non tetigit, sed igne Deitatis impleuit! Succedat Bernardinus suprà serm. 52. art. 1. cap. 1. *Ratio autem, quare fuit sine væ pudoris, est, quia eius conceptus fuit sine corruptione non humano semine, sed mystico spiramine, Angelo illi dicente: Spiritus sanctus superueniet in te. Fuit etiam sine væ laboris, quia pondus amoris & grauedinis leuis Spiritus sanctus obumbrabat.* Non alio velo Mariæ caput obnubitur, Opus erat expeditis oculis procedere, nulloque densi velaminis obice caput retardari virgineum. Petis causam? Recordare indictas fuisse huic Sacræ fœminæ inimicitias aduersus serpentem ab initio; vt caput eius libero contereret pede, quem nec spina pupugit, nec virus venenauit, nec momordit coluber, quia calceatus Regio more etiam in primo vestigio processit. Quare, ne aberraret in ictu, dum insidiantem plantâ impetebat, necessum fuit non obtecto capite, oculisque gradi velatis; sed absque vllius turpitudinis pudore intendere, vt per pedis victoriam Euam pudore liberaret. Hesychius de laudibus Virginis sermone 2. *Mulierum egregia, è virginibus electa, præclarum naturæ nostræ ornamentum, quæ Euam pudore, & Adamum comminatione liberauit, audaciam Draconis abscidit.*

44. Senens. Luc. 1. Senens. Hesych.

ACADEMIA XX.

Mariæ Virginitas virginitatem sapit Deitatis.

Virginitas Mariæ, ob puritatis prodigium, quasi persona subsistens est, & Platonica Idea.

SECTIO I.

1. VIRGINITATIS Marianæ celsitudinem monstrabamus; quia formæ immaterialis more, & per abstractionis puritatem effertur. Non satis ista sunt. Nisi hæc virginitas quasi suâmet substātiâ potiatur, quasi suâmet personalitate subsistat; non sic diuini Genitoris æquè virginitatem imitabitur, quæ absque vllius exteri subiecti patrocinio subsistit, personáque gaudet & hypostasi. Verùm quid paupertinis detinemur præconiis, & inopi repimus stylo? Virginitatis primipila leue vexillum, & vsque ad superi Patris imitationem extollat. Persona virginitatis Maria est: adeò in abstractissima excreuit puritate, vt subsistens virginitas, separataque puritas licèt verè non sit, verè videatur. Ne ad elogij paucas granditatem, ausculta Damascenum orat. 2. de Natiuit. Mariæ colum. 13. *Præponitur itaque tanquam thalamus quidam Anna cubiculum, liberorum procreationis, simul ac* VIRGINITATIS PERSONAM *delineans, illud nimirum matris, hoc filiæ: quarum altera recens sterilitate liberata est; altera autem aliquanto pòst, humanæ Christi creationis partum modo quodam naturâ præstantiori suscepturα est.* Non te monit illud VIRGINITATIS PERSONAM *delineans*? Quid audes, ô sacer? Virginitas accidens est, non personalitate potitur, nisi in Deo, in quo quidquid est, Deus est. Imò vide nouam prorsus rationem. Explicat Damascenus, cur virginitatis personam appellauerit, scilicet quia paritura erat Christum. Absona quidem, nisi erga solers ingenium probatio: virginitas enim parere nescit, puerperium non amat. Damascen.

2. Mirè processit. Non potest vltrà crescere virginitas, quàm quòd gignat, puerperaque enitatur; & tamen illibata permaneat. Sic virginitas personę diuini Patris est. Cur ergo Maria persona virginitatis nuncupatur? Quia si aliquod accidens, perfectiove separatè subsisteret, omnem sui generis diuitem perfectionem hauriret. Mariæ puritas omnem virginitatis sibi honorem cumulauit, etiam illum, qui ex fœcunditate in supero residet Genitore: nec suis contenta limitibus vsque ad alterius generis, nempe Maternitatis supremę, peruenit excellentiam. Quid quòd virginitatis persona, seu subsistens virginitas censetur? Nequiuit quid ex meditationis vena subtilius effluere pro fœcunda Mariæ virginitate. Et hæc quidem dicuntur de Virgine, cum concipitur: vt addiscas cum Damasceno à pristinæ noxæ vendicare contagio, quam dum gignebat Anna, virginitatis, seu puritatis personam delineauisse præscribitur. Ampliùs. Quia Maria primam personam Deitatis delineat, vtpote ferax simul & Virgo, & cui proles Verbum Dei est; idem fuit concipi Mariam, & personam virginei Genitoris delineari. Virginitatis persona Maria est: quia sicut persona Patris tota est in ordine ad generationem Filij ideoque hypostasi gaudet, cui hypostasis paternitas est; sic Mariæ virginitas tota in eum tendit, qui gignitur in diuinis, & cuius proprietas est generari. Oriente Maria virginitas oritur, quæ solùm ad ortum diuinæ personæ destinatur. Quid quòd *persona* dicatur: sicut in diuinis quidquid ad Filium est, personalitas est. Sit lux Damasceno Damascenus ipse oration. 1. de Natiuit. Mariæ colum. 5. Ne tædeat repetitus locus; conuenit enim: *Par erat, vt virginitas ex pudicitia orta ei, qui solus est Vnigenitum lumen corporeo modo offerret, benignâ videlicet illius voluntate, à quo incorporeo modo is genitus est, qui gignit, sed semper gignitur, cuique gigni personalis est proprietas.* En ob personalem proprietatem & geniti diuini, & genitoris, par erat, quòd offerretur ei in genitricem virginitas orta, id est Maria: vt consona intercederet similitudo. Quæ cò tendunt, vt per hunc abstracti subsistentis stylum, quo nihil potest concipi perfectius, addiscas ineffabilem, & super omnem captum Marianæ puritatis celsitudinem, Virginitatis persona delineatur, cùm Mariæ corpus compingitur; veluti si vel Maria virginitas ipsa sit, vel Mariæ personalitas virginitas. Dam.

Quid quòd virginitas subsistens Maria profeatur, si tota ad Filij hypostasim ordinata sit, ideoque constructa & producta, vt subsistens persona Filij ex hac virginitate carnem sibi conciliaret? Ita quidem ad Filij hypostasim destinata extitit, vt in ipsa & per ipsam diuini Filij diuina panderetur origo. Id mihi diuinspirauit, quod adnotant Patres in dictione *per*, dum illa Pauli verba enodant ad Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Congruit quidem Filio *per ipsum*, quibus origo è Patre indicatur. Id expendit Theoph. in illud Ioann. 1. *Omnia per ipsum: Vsus est propositione, per, vt ne suspiceris illum ingenitum, & absque principio esse Filium, & Deo aduersarium. Eius gratia Dixit, quòd Pater per Verbum fecerit omnia.* Chrysostom. in Ioan. homil. 4. *Per ipsum, hoc in loco nullâ aliâ ponitur gratiâ, quàm ne ingenitum quispiam suspicaretur.* Anne per Mariæ virginitatem Filius Dei exortus? Sanè. Hugo Victor. in instit. monast. serm. 55. *Sic Beata Maria per florem suæ virginitatis fructificauit Christum, botrum nostræ redemptionis.* S. Gregorius Nyssen. hom. 13. in Cantic. colum. 6. in med. *Qui existebat in forma Dei per carnem, cum hominibus est conuersatus, qui posteaquam semel in sese per primitias obnoxiam morti carnis naturam recepit, quam per virginitatem incorruptum assumpsit, semper vnà cùm primitiis sanctificat communem naturæ massam.* Dedi suprà Sedulium lib. 2. oper. Pasch. cap. 3. *Deitate precelsus per hospitalis templi synceram defluens castitatem, non læsit corpus abscedens qui non læserat, cùm venisset.* Et statim: *Verè diuinæ generationis est hoc secretum.* En vbique per abstractum castitas & virginitas. Nec solùm ex casta, virgineave Maria Filius Dei natus perhibetur, sed per castitatem, virginitatemque. cui si personalitatem adiungas, quam indidit Damascenus, diuinæ originis secretum addisces, vbi virginitas Patris ab hypostasi non discreta, dum Filium gignit per Filium dicitur operari, vt à se genitum manifestet. 3. Rom. 11. Theoph. Chrys. Hugo Vict. Nyssen. Sedul.

4. Vt noueris quāta sit huius virginitatis dignitas, quam

S.Thom. quā per abstracti subsistentis phrasim extollunt Patres: scias doctrinam illam pluries à S.Thoma decantatam: Quod si accidens subsisteret separatum, nusquam posset in plura indiuidua secari; sed omnem sibi speciei attraheret perfectionem: nec ab aliquo detrahi sustineret, vtpote cui materiæ moles deficeret, per cuius frusta multitudo contingit. Ideò defensat, Angelum non posse numero solum ab Angelo differre; sed tot species, quot Angelos elucere: nam materiæ impotes sunt. Sic 1.p.q.50.art.4.in corp. *Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma, sequitur, quod impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei: sicut etiam impossibile est dicere, quòd essent plures albedines separatæ, aut plures humanitates; cum albedines non sint plures, nisi quod sunt in pluribus substantiis.* Si igitur Maria virginitas subsistens est, virginitatisque delineata persona: pronum est, fatearis nil posse concipi sublimius, nil defæcatius, nil hoc diuite immaculatæ puritatis miraculo opulentius. Ignorauit mens, quomodò posset exponere tam supremæ puellæ munditiem, tam nitidam incorruptionis abyssum, candorem illum, illam præ spiritibus Angelicis puritatem: & tandem laudationis cupiditas impulit in excessum, & virginitatem, quæ verè accidens est, per se subsistentem nuncupauit, saturans hac dictione desiderium: quippe qua conspicuò monstratur virginitatem hanc nullius materiæ sarcinâ grauari, nullius subiecti receptaculo minui, nec taxato participio decludi: sed totius latitudinis copijs affluere, totius speciei dotibus excoli: sicut si Platonicum considerės paradigma, confictamq; ideam in quam vniuersa generis conspirauit perfectio. Hæc vt firmiora maneant, subiiciam, quæ in præfatum sensum Patres de huius eximiæ virginitatis quasi subsistente nobilitate contexunt.

5. Plato. Et quidem forma subsistens, ideaque Platonica simulacrum dicitur & imago, vtpote ex qua, quæ speciei sunt, exemplariter delibantur. Plato in Timæo: *Simulacra sunt verè existentium rerum, miro quodam, vixque explicabili modo formata.* Tertul. Tertulian. lib. de anima cap.18. Seneca. Seneca epist.65. Iustin. Iustinus in cohortat. Annè Maria simulachrum Thaumat. puritatis est? Thaumat. serm.2. de Annunt. col.2. *Cum puritatis atque integritatis immaculatum simulachrum esset, aspectum ipsa Angelicum non reformidauit, quoniam & affinitatem quandam, ac similitudinem vera virginitas cum Angelis habet.* Vt quid cum Angelis? Quia Angelus forma separata est. Nonnè idea etiam typus, & exemplar August. dicebatur? August. de Ciuit. Dei c.28. *Aliud exem-* Alcin. *plar rerum, quas Plato ideas appellat.* Alcinous c. 9. de doctrin. Plat. *Definiunt ideam: exemplar æter-* Seneca. *num eorum, quæ secundum naturam fiunt.* Seneca epist.65. *Idea est eorum, quæ natura fiunt, exemplar æternum.* Annè Maria virginitatis typus, & exem- S.German. plar? S. German. in Natiuit. B. Mariæ: *Gaude virga Aaron, gratiarum corona, typus virginitatis, non scriptum sanctimoniæ folium.* Serua tibi attributum istud. Typus vnus est: quotquot autem applices illi folia, omnem figuram, formamque, quā typus ex cælatura constat, reddunt. Adi typographum, miraberis artis ingenium: succrescunt ectypa, membranarum cumulus aggeritur: vix vni typo adhærent, & iam excusæ procedunt: ex impressione sui, typi formam transcribunt & librarij prouentui, & disciplinæ felicitati. Maria typus virginitatis Psalm.44. 15. est. Quo ingenio! Quia quotquot virgines sunt, sequuntur post eam, omnesque virgines tanquam ex prælo dedit: ipsa verò non in alio prælo excusa est, nec scriptum ab alio folium; sicut primus typus, qui non è prælo excuditur, sed potius adiacentes philyras excudit. Hic gustus est in Germano, dum suprà vtrumque coniungit: *Typus virginitatis, non scriptum sanctimoniæ folium.* Id est: Ideò virginitatis est typus, quia non in alio typo scriptum, puritatis & sanctimoniæ folium est.

Cur omnes veteres figuræ & typi, in quibus Virgo Mater adumbrabatur, non in virginibus factæ fuerunt; sed potius in mulieribus, qua status & nomen à virginitatis albo expungebat: nullaque annuntiatio præiuit ad Virginem facta? Quia figura, & typus virginitatis Maria est: non potuit vllus illam typus præcedere, virgineaque prænuntiare figura: sustulit Maria primatum sine exemplo purum: Virgo virginum, exemplarque est. Aptè Albertus Magnus in marial. pag. 9. *Cum autem obiicitur, quod omnes figuræ fiebant sub ratione & nomine mulieris; & omnes annuntiationes ad viros & mulieres factæ sint, & non ad virginem: dicendum est, quòd nulla figura in facto plenè potuit exprimere, quia nulla alia virgo vnquam conceptura fuit, & vsque ad hanc Virginem maledicta virginitas fuit. Hæc autem opprobrium virginitatis abstulit. Vnde ipsa initium beatitudinis virginitatis fuit: & sic est Virgo virginum, quæ sine consilio, sine exemplo gloriosum munus virginitatis Deo obtulit, & per sui imitationem omnes virgines Virgo germinauit.* Opportunè satis. Quidquid ante legem gratiæ præludebat, typus erat & vmbra futurorum, symbolum & imago veritatis. Mariæ virginitas nouæ gratiæ primordium fuit & fundamentum, vtpote totius œconomiæ incarnationis initium: & tamen typum præcedentem non habuit, deficiente Virgine, quæ fœcundam adumbraret integritatem? Mira res! Ne Marianæ puritatis primatus læderetur, figura in aliqua virgine feraci non præiuit. Ne autem sine typo fuisset in virginitate Maria, singulare quid effectum est: scilicet quod ipsamet sibi sit & typus virginitatis, & veritas. Probè. Nam quidquid puritatis est, priùs in Maria est. 6. Alb. Magn.

Nondum affatim. Esto, quod Maria Virgo virginum sit, virginesque germinet, & ex impressione sui, attactuque excudat, cæterum Germanus non dixit esse typum virginum, sed typum ipsius virginitatis. Recognosce locum: *Typus virginitatis, non inscriptum sanctimoniæ folium.* O qualis prærogatiua puritatis! Ipsamet puritas in abstracto concepta, quæ nullius contagionis maculam admittit, floreque munditiei, immaculatisque affluit diuitiis, quasi vt formam acciperet, defæcaretque nitorem, in Maria tanquam in typo impressa est, & exindè ad Mariam archetypum excusa, floridius & mundius elucet. Certè incomparabilis est dignitas hæc, & quæ omnem excedit excellentiam. Nam forma illa subsistens, quam cogitabat Plato, omni materiæ pondere vacua, imprimebatur quidem, ceu typus, per quoddam participium sui formis immersis in materia: cæterum ipsa à nulla alia exemplariter procedebat, nec ex præiacente typo impressionis accipiebat commercium. S. Thom. 1. part. quæst. 65. artic. 4. *Plato posuit formas, quæ sunt in materia corporali, deriuari & formari à formis, quæ sunt sine materia subsistentes; secundum quod in materia corporali remanet quædam impressio ab illis formis separatis, per modum assimilationis cuiusdam, quam participationem vocabat.* 7. S.Thom.

vocabat. Vide, quantom consonet vox illa *impressio* cum TYPO apud Germanum. Quî igitur virginitas ipsa, quæ & Angelis cognata est, & spiritali indole lætatur, potuit ex impressione typi Mariani excudi? O bena! Maria à superno Genitore virginitatem delibauit, vtpote in quo virginitas fœcunda est, & cum paternitate consors. Quo aliquid abstractius est, vniuersalius est, indiuisimque continet diuersi, imò & aduersi generis proprietates; vt in causis æquiuocis liquet, quæ supereminenti virtute patrant effectus, qui ab ignobilioribus diuisim, inimicisque causis aguntur: & quò Angelus superior est, vniuersaliori ad percallenda obiecta fruitur specie. Ergo cùm nulla virginitas creata, etiamsi cœlestes adiungas spiritus cùm fœcunditate prolis nectatur; sed vulua grauidata, & subsignatus pudor longè distincta genera constituant; inde Mariæ virginitas superiorem incolit maiestatis regionem, arduámque super creatam virginitatem, etiamsi hæc vt immaterialis, & abstracta forma penserur. Quare peroptimè typus virginitatis perhibetur: vt es impressione sui virginitas resculpatur. Perbellè S. Hieronymus serm. in Assumpt. Virg. *Vnus est Pater noster, qui in cælis est: vnus & magister: vna est & forma virginitatis in Maria, cui vos omnes, vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in sculptura Spiritus sancti*. Si libræ dederis verba ista, insignem præfati cogitatus patronum esse fatebris Doctorem maximum. Quid est, quod Mariæ virginitatem cuio Patre diuino componat, ex quo formam virginitatis appellat? Quia In supero Genitore virginitas absque fœcunditate non est, cuius participium aucupata Maria, quasi abstractam & supremam formam virginitatis exhibet, typum exponit, in quo faciem imprimant, quotquot in virginitatis formam volunt excudi. Ideò suaui gustu *faciem imprimere* dixit, quasi formam describeret Platonicam, de qua S. Thom. suprà: *Remanet quadam impressio ab illis formis separatis*. Denique subdit *in sculptura Spiritus sancti*, quam actiuè sumas, qui artifex huius virginei typi fuit, dum vberem illi generandi virtutem conciliauit, & ad archetypũ diuinum instruxit; vt virginitas ex illa resculperetur, vtpote à superiori puritatis forma.

Hieron.

8. Non enim aliter per exemplum sui virgines gignit, & in virginibus virginitatem efformat, nisi quia suprema Virgo est: quæ, vt vniuersalior causa, oppositas copulauit qualitates, Maternitatem nempe, & pudorem. Id prægustauit Albertus Magn. in Marial. cap. 118. *Si dicitur Maria Virgo virginum, id est, excellentissima inter virgines: ergo quidquid debetur alys virginibus, debetur ei excellentius. Si autem dicitur Virgo virginum per originem, vt sit sensus: Virgo Mater virginum, tunc ipsa est Mater virginum in virginitate: & sic erit Mater virginitatis*. Si Mater est virginitatis: quidni typus virginitatis? Accinit Damascenus orat. 1. de Natiuit. Virg. *Meritò te beatum prædicant omnes generationes, vt eximium humani generis decus. Tu virginitatis feracissima planta*. Forma quidem subsistens separatim, iuxta sui auctoris placitum, non ortui, non interitui subiacebat: en Maria virgineæ puritatis & Mater & feracissima planta nuncupatur. Quid causæ? Dedimus. Nam generatio, & pudor obuiauerunt sibi: mater & virgo dexteras implicarunt: in supremam formam extremæ conuenêre qualitates: ferax, & pudica: ecce vtrumque, *virginitatis feracissima planta*. Mater est, & Virgo: vtromque vide, *Mater virginitatis*. Quid quòd impressionis eius participium sit creata virginitas?

Alb. Magn.

Damasc.

Maria Forma Virginitatis est & thesaurus, quo ingenio?

SECTIO II.

9. EX his nullo negotio euincitur Mariæ virginitatem, quæ ob puritatem sui in inopinos impulsit adhuc cogitatus, omnem Platonici paradigmatis obtinere perfectionem: & tamen, vt veritatis est, non mendacij, in Maria extitit vt in subiecto, non à materia abstracta, sed in carna nostræ contribuli; quam sanctitas, non natura discreuit. Quod suprà miraculum est, & in nobilius omni ideâ fastigium euehitur: siquidem id votis suis philosophia non potuit æquare: minus est, quod illa finxit, quàm quod ista gessit: maiorque ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. Abstraxit Plato tenuibus argutiis formas à materia: vt illis præfata appingeret attributa: nec putauit sub corporeæ pondere molis, vergentísque grauedine materiæ dotes illas vlli formæ aduenire potuisse. Adest Mariæ caro, quæ in conceptione sui defœcatiorem exhibet puritatem, formamque & speciem ipsi virginitati præsentat; quæ in spiritalibus absque materia cœlitibus elucet: vt potior & immaculatior reddatur. Sic ideas vocabant Platonici, nempe *formas & species* S. August. lib. 8. quæst. q. 46. *Ideas latinè possumus vel species, vel formas dicere*. Cicer. 1. Acad. *Hanc illi ideam appellabant; nos rectè speciem possumus dicere*. Nonnè idipsum de virginitate Mariæ Ildephonsus serm. 3. de Assumpt. *Vt in ea esset forma non solùm virginum, verumetiam omnium Ecclesiarum Dei*. S. Hieronymus nuper datus: *Vna est & forma virginitatis in Maria*.

August. Cicero. Ildeph.

10. Commune est illud Ambrosij lib. 2. de Virgin. *De qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis*. Qui locus, etsi suprà elucidatus maneat apprimè præfatis indulget. Scis ex Philosophia, speciem obiecti omne adhærentis materiæ exuere contagium, & ab intellectu agente mundatam spiritali mentis subseruire intellectioni: dumque ab indiuiduantibus abstrahit iniuriis, ita fœcondam fieri, vt gignat mentis verbum iuxta proloquium illud: *Ex obiecto & potentia paritur notitia*. En quantùm valet materialium depositio sordium. Iam capies Ambrosij ingenium. In Maria virginitas fuit tanqoam species obiecti in intellectu: duo enim habuit, quæ omnem exuperant facultatem, nam & immaterialior fuit, & fœcunda: fœcunda, inquam, non vt verbum cuiusque mentis pareret, sed Verbum ipsius Dei. Profectò species ab obiecto immissa, per calliculos sensuũ, quasi per organicas semitas, mundatur, & in subtiliorem graciliorémq; extenuata naturâ digna fit, quæ intellectui affigatur. Id obiectum ipsum fortiri nequiuisset, quod quantumuis spirituale sit, nequit in alterius intellectu gignere notitiam, nisi intercedat species. Potuitne vsquam virginitas gignere sobolem? Stellatos percurre choros, incorruptos ciues perlustra, nullibi inuenies virginitatem generantem, nisi in Patre diuino, cui virginitas, sicut & natura, vt per intellectum Verbum progeneret, species est fœcundans intellectum.

Ambros.

Idipsum in Maria solùm, virginitas creata sortitor: nam illi affixa, Verbum progigoit, eâ (si fas est dicere) excellentiâ, quòd io vtero carneo sortitur prolem, quam in spiritali intellectu parturit Pater. Ergo species castitatis est, & forma virtutis: virturis, inquam (iam alibi adnotabamus) fœcundæ, vt adsonet vtique indoli speciei, quæ & virgioea est, vtpote immaterialis, & virtute potens, vtpote fœcunda ad notitiam.

11. Quòd autem forma virginitatis nuncupetur, non modicum habet saporem: exprimit enim penitius rem consideranti, quandam virgioitatis infinitudinem. Forma amplitudine pollet, nec nisi per materiam arctatur, & ad indiuiduam premitur rationem, quæ si materiæ impos esset, omnem suę naturæ latitudioem, & perfectionem haberet S. Thomas 1.p.q.7.art.1.in corp. (S.Thom.) *Forma non perficitur per materiam; sed magis per eam eius amplitudo contrahitur: vnde infinitum, secundùm quod se tenet ex parte forma, non determinata per materiam, habet rationem perfecti.* Virginitas in Maria formæ obtinet principatum, quia gaudet infinitate. Probo. Qualisnè finis virginitatis est? Coonceptio. Annè io concipiente Maria finitur virginitas? Neutiquam. Progredere. Estnè vlterior terminus, qui virginitatem extinguat? Puerperium. Adhuc virginitas durat. Ergo nulla illi meta est: ergo virginitas in Maria sub ratione formæ resplenduit; nec eius excursus per carnis receptaculum curtatus fuit. (Ambros.) Ipse Ambr. serm. de purif. Mar. *Sine concubitu Virgo concepit, sine carnis corruptione Virgo peperit, & sine* FINE *Virgo permansit.* Ex eo sine FINE virginem probat, quia consuetis pudoris finibus finita non est. Id venustè innuit, dum quam prius dixerat speciem, postea formam nuncupauit: *Velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis.* Species enim forma in intellectu est, non materiæ stricta compedibus; sed secundùm latitudinem ipsius formæ. (S. Thom.) Do S.Thom. 1.p. q.50. art.1. ad 2. *Forma intelligibilis est in intellectu secundùm ipsam rationem formæ: sic enim cognoscitur ab intellectu. Vnde talis receptio non est receptio materiæ; sed est receptio substantiæ immaterialis.* In Maria virginitas est, sicut forma in intellectu, nullis circumscripta cancellis, nullis limitibus finita: imò in ipso termino & meta, scilicet generatione, in qua solet deficere, & extingui pudor, floridior vernat, & euitet lucidior.

12. (Pisidas.) Succedat huic cogitatui obseruatio non inamœna. Sic canit Pisidas de mundi opific. pag. 412. apud Biblioth. tom. 8. p. 1. vbi de Maria virgineè concipiente:

Quis semine edidit sine vllo vultures,
Vbi fœmina omnes, masculum nullum genus?
Hi Virginem nostram ferentem lampada
Præseferunt, quantam alitis natura quit.

Singulare est illud, exoptatque explicatum. *Virginem nostram ferentem lampada.* Vel fallor, vel subtilius nihil. Spectat, credo, ad lampadophororum morem. Hi è carcere currebant ad metam, manu accensam lampada ferebant: quod si lampas, dum metam tangerent, extingueretur; eam alteri tradi, sanctio erat: ex quo prouerbium: *Lampada cursu tradere.* Igitur quòd Virgo nostra semper lampadem gerat coruscam, & luminosam, etiam dum gignit, dum parit, eximium indicium est, quòd quando ad metam, & terminum virginitatis peruenire videbatur, nouum potius auspicetur cursum, & facula inextincta è meta carcerem fecerit, è fine initium. Quamobrem in ea virginitas infinitudine ditatur: & in ipsomet termino non rediuiua, sed nunquam emortuâ emicat luce.

In quo adhuc acuitur huiusce puritatis decus: 13.
nam lampadum vsus præcipuè adhibebatur ad nuptias, accensæque tædæ hymenæi thalamum illustrabant. Ouidius in carm. Med. (Ouid.)

At subitò vt Hymen cantatus ad aures
Venit, & accenso lampades igne micant.

Lampas hæc genialis pinea erat. Seneca in Med. (Seneca.)
—— pronubam thalamo feram vt ipsa pinum.
Varro lib. 2. de vit. Pop. Rom. (Varro.) *Cùm à noua nupta ignis in face afferretur de foco eius sumptus, cum fax ex pino ablata esset, vt eam puer ingenuus offerret.* Cur hæc arbor ad nuptias accensa? Nullibi solidò legi. Puto, quia pineus fructus virtuti consulit genitrici, fœcunditatemque conciliat; & corusco lumine ardens, castitatem tori, purumque thalamum non adulterâ sorde maculandum suo nitore forsan admonebat: vt vna pinea lampas accensa & prolem, & castitatem præsagiret. Quare castus odor pini ad nuptias? Virgilius in Cir. (Virgil.)

Pronuba nec castos incendet pinus odores.

Ouidius 2. Fast. (Ouid.)

Exoptat puros pinea tæda dies.

Adsit Chrysologus serm. 22. (Chrys.) *Quia semper nuptiis amica sunt faces, luminum testimonio celebratur castitas nuptiarum.* Itaque lampas fax nuptialis est, non virginea, sed casta; nec subsignatum amat pudorem, sed continentem. Quomodò igitur Mariæ virginitas lampada dicitur gestare, quando eius generatio celebratur? Eximiè. Nam huius virginitatis designatur amplitudo, quæ omnem emarginat metam, dum lampadis fœcunditatem, nuptialisque thalami fructum sibi conciliat; & & tamen non casta ex toro, sed Virgo absque viro Genitrix manet.

Amplius. Eâ puritate hæc virginitas nitet, vt 14.
nesciat ab vlla contagione inquinari, ab vllo nigrotis infici vocabulo. Profectò scortum, & meretrix *lampas* vocari solebat. Lucretius. (Lucret.)

At flagrans odiosa loquacula, lampadion fit.

Sic Aristophanes *lampada* appellat, vt annotanit (Aristoph.) Cerdensis in 9. Æneid. ad illud: (Cerdens. Virgil.) *Piceum fert fumida lumen.* Nam verè *lampas* ex pice, sulphure, & tæda constat, nigrumque, & piceum fulgorem emittit, fumidis sordibus inquinatum: sic scortillis ob atram impuritatem applicabatur, Mariæ virginitas, sic innocua est, & spiritali puritate splendens, vt omnem defæcet sordem, piceum clarere faciat nigrorem, & de scortis castas reddat; in manuque lampada gerens, impudici fumi nebulam abigat, & pudicitię candidum splendorem immittat: quia eius latitudo etiam vsque ad extraneas plagas, alienosque recessus propagatur. Ex quo Maria perenne virginum lumen canitur. Audi ex tom. 4. Concil. in orat. Stephani Patracens. Archiep. habita in Concil. (Concil. Later.) Lateran.

Omnis splendor, decus, & perenne,
Virginum lumen Genitrix superni,
Gloria humani generis Maria,
Vnica nostri.

Curnè lumen? Quia lux dominante maiestatis imperio in omne diaphanum subitâ inuasione pergrassatur, nec vllis potest retinaculis arctari, terminisque concludi. Mariana puritas forma lucis est, non finibus tenetur, non sordibus maculatur.

Vis adhuc huius Virgineæ formæ latitudinē intueri? Vna virginitas est, & tamen eâ numerositate affluit,

affluit, vt innumeras virginitates continere videatur. Canticor.4.vers.7. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Benè inibi obseruauit Ghislerius, quod Hebraïce ad significandum *immaculatum* in Sacris, vsurpatur dictio תם *tham*, seu תמים *thamim*, hoc est, perfectus, & integer. Probat ex Leuit.22. Ergo Sponsæ virginitas laudatur à Sponso; celebratur integritas, quæ & liberaliorem eius reddit pulchritudinem, & feruidius Sponsum adurit, quippe quod integra sit; & tamen Sponsum habeat, & Filium. Verum si Hebraïce noueris, obseruabis pro dictione *tota*, esse *omnis*: sic *omnis tu pulchra es.* Sciunt literati: quod *omnis* differt à *toto*: nam *omnis* numerum præsignat, distributiuéque pluralitatem indigitat: *totus* autem portiones vnius suppositi declarat. Quid est, quod omnis pulchra sit Maria, pulchritudine hac ad integritatem virginem relatâ? An omnes virginitates in vna Virgine? Benè. Virginitatis thesaurus est, omnibus est puritas; quantúmis eruantur opes, non deficiet: cogit in vnum, quotquot sint riuuli puritatis. Proclus Constant. homil. de Natiu.Domini: *Sacra Maria Deipara in vnum nos coëgit. Hac impollutus, & purus ille illibatæ virginitatis thesaurus.* Thesaurus innumeras gazas, opesque includit, sibique ex diuite repositorio suppetit. Si virginitas subsistens est, virginitatis thesaurum nuncupare non dubites, in quem sparsa virgineæ perfectionis pignora confluant.

Cant.4.7. Ghislerius. Procl.

16. Sed vrgere iure valebis: Virginitas subsistens, Deus solum est, extra quem nulla perfectio infinitudine gaudet: vnde virginitatis thesaurus in area solum diuina conditur. Fateor. Ast Mariæ virginitas Filium, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ complexura, diuinum est virginitatis complexa thesaurum, vt incorruptum ederet partum in quo omnis plenitudo habitaret. S. Germanus Archiepisc. Constantinop. orat. de Natiuit. Mariæ col.1. iuxta fin. χαῖρε τὸ θεοδόχον τῆς παρθενίας θησαύρισμα, ἐξ ἂν τοκετὸς προῆλθεν ἄφθορος, καὶ ὁ πλοῦτος τῆς παρθενίας μεμένηκεν ἄσυλος. *Gaude virginitatis diuinum complexa thesaurum, vnde incorruptus prodijt partus, & integritatis opes, quæ auferri furto non possunt, permanserunt.* Propiùs ad Græcum: *Et virginitatis diues cumulus, potensque thesaurus permansit.* Iuit Virgo Mater in virginitatem diuinam, eiusque thesauri venam aperiens, in thesaurum virginitatis conuersa est, vt Filium ederet incorruptum in plenitudine Deitatis. Quæ eò tendunt, vt ab omni corruptionis malignitate, vitioque materiæ, immunis Mariana virginitas appareat, acsi separata subsisteret; ab omnique humanæ contagionis ardua vapore sydeream limpidæ pudicitiæ incoleret regionem.

Ad Col.2. 2.3. S.German.

7. Hæc virginitatis plenitudo, & thesaurus in germine, quod ex ipsa pullulauit, innotescit. Non est proprium virginitatis gignere sobolem: attamen si semel gignit, in sobole plenitudo inhabitat Deitatis. Prompta est ratio. Nam vniuersalitas, & latitudo formæ agentis, more naturæ, omnem in effectu explicat virtutem; nec est, quò taxetur, dum se pandit in opus. Virginitas autem, quæ ad generationem se extendit, terminos suos supergreditur, & quadam infinitudine ditatur, attingens vsque ad alterius generis extremum, nempè fœcunditatis, quare proles eius eâ plenitudine debet pollere, quæ vtrumque genus contineat in natura simul fœcunda, & virginea, quæ solum Deitas est. Ergo in Mariæ germine habitat *plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Vt quid corporaliter, siquidem Diuinitas non in corpus conuersa est? Virgineum corpus ex virginitate generatum sibi plenitudinem Deitatis addicit, quia fœcundam virginitatem, vtpote eius germen habere necessum est; hæc autem plenæ Diuinitatis est pignus: ideò enim iuxta multorum placitum secunda Trinitatis persona Filius est: quia ex originis indole plenitudinem accipit Deitatis, vt virgineè aliam personam diuinam, videlicet Spiritum sanctum producat. Hinc perbellè S. Germanus, vt audisti, dixit: *Virginitatis diuinum complexa thesaurum, vnde incorruptus prodijt partus:* Id est, Mariæ virginitas diuinam virginitatem fuisse complexam, ex fœcunditate persuadet, confestimque arguit prolis incorruptibilitatem. Nonnè & Deitatis plenitudinem? Subscribat appositè Nyssenus homil.13. in Cant. col.13. in fine: *Christum verò nunc dicimus, non hoc nomen ad æternitatem Deitatis extendentes, sed ad hominem Deitatem in se recipientem, qui conspectus in terra est, & cum hominibus versatus, ipsius videlicet virginitatis germen, in quo habitauit omnis plenitudo Deitatis corporaliter, ipsas primitias communis massæ, per quam Verbum naturam nostram induit, redditam immaculatam, & ab omnibus adhærentibus ei naturaliter vitiis expurgatam.* Ex eo quod virginitatis germen soboles sancta est, infert Nyssenus, non solùm quod in eo habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter; sed & quòd natura nostra, cuius portio caro illa virginea fuit, reddita fuerit immaculata, & ab omnibus adhærentibus expurgata vitiis. Vtrumque abstractæ, subsistentisque naturæ, seu accidentis exprimit indolem, scilicet & quòd omnem hauriat sui generis plenitudinem, & quòd ab omnibus adiacentibus sordibus, colluuioneque accedenti ex receptaculi materialis societate emaculetur.

Ad Col.2. 9. Nyssen.

Ergo Maria, quia virginitatis diuinum est complexa thesaurum, thesaurus virginitatis effecta est; quem nec tinea corrumpit, nec demolitur ærugo, vtpote in cœlesti plaga subsistens. 38.
Ergo omnes sibi diuinitatis diuitias cumulauit. Exponere cupio Origenem hom.1. in diuers. ad ea verba Matth.1. *Hæc autem eo cogitante*, sic sub voce Angeli fatur: *Quid dubitas, ô Ioseph? Quid imprudenter cogitas? Deus est enim, qui generatur, Virgo, quæ generat.* Et paruo interuallo: *Accipe ergo eam sicut commendatum cœlestem thesaurum, Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam, sicut Vnigeniti mansionem.* Virginitatem fœcundam describere cupiens Origenes, non alio potuit diffinire compendio; quàm cœlestis thesauri. Si causam perconteris, accipe. Thesaurus vnitatem continet, & numerum diuitiis scatet, & vnus est; sub multitudine definitur; & tamen vnitate cumuli gaudet. Quis putas, cœlestis thesaurus est? Vnitas in Trinitate, Trinitas in vnitate perfecta. Iterum si quæras, cur Trinitas in Deo est? dicam: Quia virginitas est ibi fœcunda, & ex fœcunditatis abundantia increata puritas duplici emanatione potitur. Pauet Ioseph ad vterum tumentem; indicia numeri in sua coniuge suspicatur. Vbi Virgo est, vnitas est; vbi gestatur vterus, iam est pluralitas: timet, ne deciderit virginitas, cui fœtus additamentum succreuit. Ergo Angelus edocet Sacramentum, scilicet Virginitatem Mariæ esse

Origen.

thesau

thesaurum, cui numerus simul & vnitas est: imò quasi thesaurum cœlestem, in quo pluraliter personæ numerantur, diuitiæque Deitatis sunt; & tamen vnitas virginea in plenissima sanctitate, perfectaque iustitia perseuerat. Sic explica illa: *Sicut cœlestem thesaurum Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem.* Hæc plenitudo Diuinitatis est, quæ numero ditescit personarum, & in vnius essentiæ simplicitate persistit. Hæc in Mariam deuoluta est: quare cœlestem thesaurum effecit, vbi Deitatis diuitiæ, plenissimaque sanctitas seruaretur.

Thesaurus Virginitatis Marianæ mens, & caro est.

SVBSECTIO Vnic.

19. VERVM nondum animus quiescit, huius thesauri penitùs cupiens venas vestigare. Si in Maria thesaurus virginitatis est, plures in ipsa virginitates opus est recondi: thesauri vox numerum optat, multitudinem exigit gazarum. Occurram: In Maria duplex virginitas inclaruit, mentis scilicet, & corporis: iam ex numero thesaurus. Damascen. Damascenus orat. 1. de Natiu. Mariæ col. 4. in fine sic alloquitur: *Castè etenim, ac sanctè munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis, Virginem, inquam, ante partum, solam Virginem, & semper Virginem: solam & mente, & animo virginitatem perpetuò colentem.* En explicuit, cur thesaurum virginitatis nuncupauisset. Accinat Thaumaturgus serm. 1. de Annuntiatione Virginis. Thaumat. *Cum ipsa totius gratiæ thesaurus reconditus erat: ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo sancta corpore, & spiritu extitit, solaque fert eum, qui verbo omnia portat.*

20. Ast quid singulare nobis Patres isti decernunt? Si virginitas animi non est; casus est, non virtus; soliditas est corporea, non gratia. Virginitatis forma, ex animo est; materia, subsignatio carnis: non laudatur integritas, nisi pia animi accedat continentia. Augustinus lib. de virginitate August. cap. 11. *Nec nos in virginibus prædicamus, quòd virgines sunt, sed quòd Deo dicatæ piâ continentia virgines sunt.* Edocet id Sanctus Thomas 2. 2. S.Thom. quæst. 152. art. 2. ad 1. *Homines ex sua natiuitate habent id, quod est materiale in virginitate, scilicet integritatem carnis immunem ab experimento venereorum. Non tamen habent id, quod est formale in virginitate, vt scilicet habeant propositum seruandi huiusmodi integritatem propter Deum: & ex hoc habet rationem virtutis.* Quid est igitur, quòd mentis, & corporis virginitas Mariana tam indefessâ dictione à Patribus commendetur, quasi à cæterarum virginum laude sublimior, & quæ duplici opulentiâ thesaurum efformet? Vetusta ratio singularitatis est. Integritas Virginei vteri fœcunditatem sibi deuinxit, & omnis fœcunditatis generauit auctorem. Vt hæc integritas esset virtus, & laudabilis, sat fuit illi animi propositum, votum mentis: verùm nondum duplex in vtroque virginitas, sed vna ex animo & corpore coalescens. Nisi habeat animus suam integritatem fœcundam, numerus æquæ virginitatis non eueniet. Maria priùs concepit mente, quàm corpore: scis ex Leone; nos pluribus ostrà. Ergo duplex virginitas fœcunda fuit: nec minùs animus virgineus, quàm corpus: imò ex animo tam ferax virginitas corpori accessit. Affulgeat Damasceni lux oratione 1. de dormit. Beatæ Mariæ: Damascen. *Gratia abyssum inuenit, qua duplicis virginitatis nauem incolumen seruauerat, animamque non minùs, quàm corpus, virginem custodierat: vnde etiam corpori virginitas constabat.* Damascenus præpostero videtur, nec Scholæ progredi stylo. Expende illud: *Animamque non minùs, quàm corpus, virginem custodierat.* Si animi virginitas forma corporeæ integritatis est: qui corpori defert primatum, constituens corpus quasi exemplar virginitatis animæ; *vnde*, id est, ex anima (vt ipse inquit) *etiam corpori virginitas constabat.* Luculenter rem prodidit. Corpus Virgineum corporeâ, & diuinâ sobole gauisum est: hæc illi integritatis fertilitas: ibi se Verbum Dei explicuit, opplens vterum, quem pudor signabat. Ex vtero ad mentem tendere debet processus, vt arguat inibi Verbum conceptum per amorem, ne sua fœcunda virginitas menti deficiat. En cur duplicem virginitatem appellauit: cùm tamen aliàs ex animo, & carne vna tantùm virginitas confletur. En cur nauim vtrique dat. Et quidem nauis symbolum est abundantiæ, mercium promptuarium, ciuitatum opima fortuna, diuitiarumque omnigenus thesaurus. Maria nauis abundans dicitur; & tamen id attributum vtrique virginitati Damascenus decantat. Cur virginitati nauis, si virginitas impos est pignoris, fructuque vacua, egena partubus? Quia Mariæ virginitas est, nauis est, & abundans vtraque: nam & prole fœta, & incolumis vtrobique. Sic iam tenebis illud: *Qua duplicis virginitatis nauem incolumem seruauerat.*

Profectò hanc animi, & corporis vberem virginitatem ipsummet Incarnationis opus exigebat: 21. nam Spiritus sancti amplexus à quo elaboratus fuit fœtus, in animum priùs collineat, & spiritalem adamat sinum, cui priùs fœcunditatis inspiret disciplinam, & ex animo ad corpus documenta traducat. Sic vtraque virginitas fertilitatem pudicam sortita est, & ex aluo cordis ad vuluæ carneas latebras est progressa. Concinit dulcè Prudentius, quem S. Ildephonsus aduocat lib. de S. Maria.

———— innuba Virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sensit amoris. Prudent.
Pubertas signata manet, grauis intùs, & extrà
Incolumis, florens de fertilitate pudica
Virginitas, & prompta fides Christum bibit aluo,
Cordis, & intactis condit paritura latebris.

Bellissimè aluum cordis, id est, animo dat: in quo per fidem concipiat Virgo; & sic intus, & extrà maneat *incolumis*: qui fuit stylus Damasceni. Connubium hoc vtramque virginitatem exigebat: *Innuba*, inquit, *Virgo nubit Spiritui.* Qui innuba, si vir Mariæ Ioseph? Quæ cum viro, & innuba est, fœcunda debet esse, & Virgo: ideò Spiritui nubit, qui nouit amplexus animi fertiles, & pudicos.

Prudentius nobili huius virginitatis explicatui 22. lucem nouam spargit, dum canit.

Prompta fides Christum bibit aluo cordis.

Virginitas animi Mariæ ex fide beatur. Vt quid fides? Quale pudori infligit vulnus Veneris turpitudo, menti infidelitas incutit: idololatria meretrix

trix est; teligio, virgo. Ambrosius lib. de virginitate. Ambros. *Hinc religio etiam nomen accepit. Virgo est, qua Deo nubit: meretrix, qua Deos fecit.* Hinc fornicationis stylus in idololatria pluries apud Sacra. Mariæ fides supta prodigium virginem eius animum constituit. Quid causæ? Quia Deum aliquomodò fecit, & Virgo est. Certè idolorum cultor ideò meretricis ad instar luxuriat, quia Deos facit, & adultero piaculo ab animi sinu amputare Deum gestiens, numerum inducere satagit. Qui Deum facit, Deos fingit; quia factus nequit esse, qui factor est omnium. Audisti ea Ambrosio: *Meretrix, qua Deos fecit.* Vide miraculum. In Maria factus est Deus homo quidem; & Virgo est, & ex fide fecit. Excreuit virginitas fidelis exuperans, quod pattare iotendebat irreligiosa, & meretrix idololatria: hæc ex marmore, mutoque ligno Deum gliscit facere, nec consequitur; sed luxuriosè prostituta nullam veram ex vago concubitu sobulem generare scit: illa per fidem virgo est, per virginitatè Deum gignit, non solùm verum, sed qui ex origine sui veritas est, nempe Verbum Dei.

23. Esai. 14. Ampliùs. Aduersus Dei Verbum Angelus concupiuit: pòst homini inspirauit flagitium: sibi similitudinem, homini scientiam effræni luxurie deperiuit: vtraque Filij Dei est, pluries admonui. Ergo primùm Angelus in religionem irrupit: & quia spiritus erat, nec carnea poterat oblectamenta capessere, hanc sibi incontinentiam meditatus est. Hic forsan sensus est Ambrosij lib. 1. de Virginit. Ambros. *Castitas Angelos fecit. Qui eam seruauit, Angelus est; qui perdidit, diabolus.* O nimiùm lasciuiens Cherub! Quid ageres cum corpore, si sic spiritus luxuriasti? Maria in contumeliam tui, Virgo & mente, & corpore prædicatur: in vtroque sinu Deum concipit, & tamen intemerata manet & Deitatis vnitas, & Matris integritas. Corruerunt Angeli per incontinentiã ægri, præposterâ cupidine in Deum inuehi tentantes. En in spiritu luxuries. Clem. Alex. Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. *Non oportet considerare continentiam in vno solùm genere, nempe in rebus Venereis; sed etiam in quibuscumque aliis, qua luxuriosa concupiuit anima non contenta necessariis; sed solicita de deliciis. Iam verò Angeli quoque quidam, cùm fuissent incontinentes, victi cupiditate huc è cœlo descenderunt.* Quæ mirè gustum faciunt, si coniungas cum illis Symboli: *Descendit de cœlo, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Angelus per incontinentiam de cœlo descendit apud Clementem (cecidit potiùs, dicas:) Filius Dei per Mariæ virginitatem de cœlo descendisse profertur: virginitas hæc depopulationi cœlesti reparatio fuit: caro celsitudinem spirituum supergressa est. Quid causæ? Nam duplici virginitate, animi scilicet, & corporis floruit Maria: per animi religionem nunquam à Deo sequestrata, de cœlo allexit ad animum: de animo traduxit in vterum, vt per virginitatem mentis Angelicos excelleret Spiritus, per virginitatem carnis Angelicas repararet ruinas, substituens carneos virgines pro spiritibus continentibus. Ideò beati Angeli plenis obsequiis venerantur Mariam. Adest Dionysius Cart. Carthus. de dignit. Mariæ lib. 4. art. 9. *Te igitur, ò benedicta, & prorsus mente, ac carne immaculata Maria, cœlestes cuncti ciues honorant tanquam veram, & præstantissimam veri Dei Genitricem, cœlestisque ruinæ reparatricem.* En honoris ratio, quia mente, & corpore immaculata præfulget. Ideò deserta loca cœlestis aulæ, ruinasque implere perhibetur.

24. Annè quotquot pro lasciuientibus Angelis supplentur, virgines sunt? Imò & contingat, & pœnitentes. Qui ergo, quia Maria Virgo mente & corpore micat, inania cœli opplentur spatia? Quoniam animus eius, & caro Virginea nobis edidit Redemptorem, per quem aditus ad cœlestia, non immeritò quotquot sequuntur post eam ad beatitudinem capessendam, virgines ob incarnati Redemptoris Genitricem nuncupabis. Ambr. lib. 1. Ambr. de Virgin. *Quàm præclarum autem, Angelos propter intemperantiam suam in sæculum cecidisse de cœlo, virgines propter castimoniam in cœlum transisse de sæculo:* quasi virgines appellet, quotquot incontinentium Angelorum loca sortiuntur. Incontinentiam hanc æmulâ concertatione virginitas Mariana deuicit. Illa enim aduersùs Deum effeto se ausu sustulit, & irreligioso piaculo veri cultus temerauit castitatem, & quæ succubuit libidini spiritualis immistionis in infidus conatus, occubuit tandem, & à sorte defecit; hæc autem ex mentis virginitate, quæ deuotio fides, & religio est, Ipsum Deum vteru addixit Virgineo. Cingat rem hanc Damianus serm. 40. de Assumpt. Virgin. Dam. col. 4. *Hæc sunt duo, quæ virginalem substantiam totâ circumdedere virtute, continentia scilicet, & deuotio: quorum aliorum carmen, alterum ita mentem possedit; vt caro mundissima, mens purissima Genitricem Domini singulariùs consecrarent.*

25. Mentis Mariæ virginitas opus fuit, vt pristinũ corrigeretur erratum, & medelam ferret inde, bostis vnde læserat. Recordare fœminam primam. Integra corpore commisit flagitium, seque sepentis blandimentis prostituit; & tamen si consulas Origenem, primum peccatum adulterium fuit, Origen. homil. 15. in Genes. *Rectè quidem dicitur redemisse nos Christus, qui pretium nostri sanguinem suum dedit. Quid tale autem, vt nos mercaretur, diabolus dedit? Ergo si videtur auscultare: adulterium pecunia diaboli est; diaboli enim imago in eo est, & superscriptio.* Quomodò adulterium in pomo, cui se vtriusque coniugis dedit palatum? Quoniam in esca confestim sibi Numen collocarunt, aræsque cultus polluentes, animi inquinauerunt puritatem. Stat Maria non solum Virgo in corpore, sed in mente, in qua per fidem sic adhæret Deo, vt transfundat in vterum. Ambrosius lib. 2. Ambr. de Virgin. *Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum.* Ab adulterio immunis est, quæ ea animi virginitate concepit in carne Deum, quem adulterio Primigenia perdiderat: vt ex animi fide generaret in corpore, quem corrupta in animo mulier amisit. Adstipulatur Fulgentius sermon. de dupli- Fulg. ci Christi natiuit. *Primum hominem mulier corrupta mente decepit: secundum hominem Virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge nequitia diaboli seductam deprauauit mentem: in secundi autem hominis Matre gratia Dei & mentem integram seruauit, & carnem: menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omninò libidinem.* Ergo virginitas animi, quam fides Mariæ inconcusso ornauit candore, furtiuas Euæ sordes emaculauit, & irreligiosæ mentis libidini sese obiecit, vt Deum nobis restitueret generatum.

26. Non tamen prætereas illud ea Fulgentio: *Mulier corrupta mente decepit, Virgo incorrupta virginitate concepit.* Mariæ carnem cum Euæ

mente componit; hæc corrupta; illa virginea: & tamen satius videbatur, mentem comparauisse cum mente. Processit ingenuè. Hoc Mariæ virginitatis elogium est. Dum carmen inuasit, adeò ob ignea spiritalique puritate candentem reddidit, vt ipsa caro, mens & spiritus videatur: ideò benè componitur cum mente primæ mulieris, quam infidelitatis ærugo corrupit.
Dam. Huc remisi Damasc. locum, quem suprà dedi: *Virginitatis thesaurum produxistis: Virginem, inquam, ante partum; solum Virginem, atque semper Virginem solam & mente, & animo virginitatem perpetuò tolentem.* Non te concitauit illud: *Et mente, & animo*; cum dicere potius debuisset: *Et mente, & corpore*, stylo Patrum, quos laudauimus? Multum de Virgine meruit Damascenus. Non casus, non lapsus fuit; sed serius delectus. Cornem *animum* nuncupauit, quæ ex virginitatis plenitudine supremum corporauit Spiritum.
S.Zen. Hùc aduoco S. Zenonem serm. de pudicit. quem sic compellat, *Tu es honor corporum, tu thesaurus animarum.* Nodum plicat Zeno; qualem suprà explicuimus. Thesaurus plurium numero repositorium est.
Quint. Vnde Quintilianus l. 2. c. 7. *Abundabunt copia verborum, & compositione, ac figuris iam non quæsitis, sed sponte, & ex reposito velut thesauro se offerentibus*,
Cicero. Et Cicer. 1. de orat. *Thesaurus rerum omnium memoria.* Pudicitia autem vna vnius animæ est, non plurium: ergo thesaurus animæ erit, non animarum. Sed nescis castitatis ingenium. Si è corpore fecit animam, iam duplex anima in qualibet pudicitia est; nempe anima noua, quam construit è carne, & antiqua quam inuenit ex afflatu. In hoc igitur est honor corporum; quia, dum thesaurus est animarum, è corpore animam fecit.

Maria Æternitas Virginitatis est.

SECTIO III.

27. VIRGO nostra ad sacram Dei Patris fœcunditatem accedit, prolem ob illius vtero sub illius obumbrante virtute capessens: ergo & virginitatis aliquale delibet participium, portionemque decerpat; siquidem in supero Genitore virginitas à feraci potentia non secernitur; sed dum prima virgo Trias est, hypostasis primæ personæ virginitatem communem sigillans, potentem reddit, & fœcundum, vt nitore pudico Filium progignat. Hæc virginitas æterna est, quam vicissitudinis obumbratio non fuscat; vitium non maculat, impuritas non conturbat; sed tota simul, & perfecta munditie beatur. An æterna virginitas in Maria? Multum quidem elucubrationi debebit, si hunc calamus sortiatur. Imò æternitas virginitatis Maria est.
S.Ildeph. Adsit Ildephonsus de virgin. Mariæ c. 10. *Hæc fœmina sanctificationis vas est: æternitas virginitatis est: Mater Dei est: sacrarium sancti Spiritus est: templum singulariter vnum.* Profectò multum deuotio Præsulis audet. Non sat fuit æternam nuncupauisse, sed quasi in prælo puritatis ipsammet virginitatem premens, virginitatis æternitatem appellat: quippe defæcatior panditur indoles per abstractum, & ab omni ramento repurgata resplendet. Deus non solum æternus, sed & æternitas est. Diuinus Pater æternitas virginitatis probè dignoscitur appellari: vtpote in quo abstracta de concretis afferuntur ob incomparabilem simplicitatis excellentiam. Hoc elogium superni Patris est, quo in gignendo incorruptibilitas eius persistens celebratur. Quare Filius, qui in incorruptione Parentis emicat incorruptus, in eius æternitate durat æternus.
Nyssen. S. Gregorius Nyssen. orat. 7. contra Eunom. *Quemadmodum is qui in incorruptione Patris est, incorruptibilis est: sic etiam, qui in æternitate Patris est, omnino æternus est.*
Ps. 109. 3. Æternitatem cum incorruptione soboles diuina communicat, & ex vtero ante Luciferum in splendoribus genitus Sanctorum tria sibi concelebrat, & fœcunditatem, quia *in vtero*; & virginitatem, quia *in splendoribus*; & æternitatem, quia *antè Luciferum.* Eundem ternarium recinit Ildephonsus illustri compendio ad Mariam, *Æternitas virginitatis est, Mater Dei est.* Oportet animum intendere, strenuisque contendere laceris, vt attributum hoc à Deipara delibatum exploremus, fractoque cortice nucleum eruamus.

Æternitas interminabilis duratio est; non sensim fluens, non distenta portionibus, non futura procrastinans, non præterita amittens; sed tota simul, & perfecta vitæ possessio; quam tamen describere, calleteque nescimus, nisi per temporis nobis cogniti manuducamur naturam. 28.
Tempus est *numerus prioris & posterioris in motu*, fluidis constat, subterlabentibusque, & sinè mora volubilitate occiduis partibus coagmentatur, quæ in triplici differentia satis decantata consistunt, præteriti scilicet, præsentis, & futuri. Æternitas non his refugis sectionibus componitur, sed in simplici vnitate manens, triplicem hanc differentiam absque vlla successione, & defectu complectitur, habens sub se tempus, omnemque durationem arduâ celsitudine exuperans.
Plato. Plato in Timæo: *Ideirco imaginem quí mobilem effingere decreuit, ac dum cœlum exornaret, fecit æternitatis in vnitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus.* Bellè. Imago æternitatis tempus est; sed fluit hoc, stat illa; cui nec succedit, nec accedit; nec secedit pars, sed lubricas illas temporis portiones inconcussa stabilitate conseruat.
Nazianz. Nazianzenus in oration. Natiuit. *Æternitas nec tempus, nec temporis pars vlla est; sed quod nobis tempus est, Solis motu definitur, hoc æternis æuum est, nimirum illud quasi temporale quidam motus, & interuallum; quod simul cum æternis extenditur.* Hinc ignorat mens de æternitate discutere, quin triplici differentiâ temporis vtatur, quam suâ immobilitate supereminens circuit, & absque vllius instantis iactura concludit, vt eruditè probat P. Vasquez 1. p. disp. 32. c. 2. Vasq.
ex nostro Beda in Ioannem 16. & Nazianzeno orat. 35.

Quid ergo erit *Æternitas virginitatis?* Quòd 29.
floreat infractus vigor, quod nonquam occidat, quod interminabilis vitæ potius statione fuerit? Porum. Subtilius res agitur. Quod supra triplicem temporis differentiam emineat, illisque portionibus, quibus tempus sensim euanet, & immota, & sibi constans perseueret. Explico. Maria in triplici differentia supra miraculum Virgo est, ante partum, in partu, & post partum partes istæ, quæ omnem pudicitiam dirimunt, & diluunt, supremam Mariæ virginitatem constituunt, & in quibus occumberet infractior pudor, floridius vernat Marianus: sicut æternitas interritâ subsistentia, sibique constante super tempus stat: & quo tempus fluit, intestinaque amissione satiscit, sibique deperit, quò plus durat; diues æternitas simultanea possessione lætatur. Quæque virgo

io

in cœlo beata in virginitate perennat: cùm vir-
go non sit, quæ semel non fuit. Æternitas hæc in
Virgine nostra non celebratur; altior est, cui &
præconium subtilius. Virginitatis casus, & ruina
generatio est, & puerperium; accessioque sordis
post partem, thalamique violatio. Maria concipit,
parit, manet; & tamen Virgo est: en æternitas su-
pra tempus: quibus hoc diluitur, illa consistit. Si-
Ildeph. bi sit lux Ildephonsus supra. *Hanc ergo fœminam*
conceptio Virginem reddit: hanc fœminam partus
Virginem seruat. Hanc fœminam generatio Virgi-
nem habet. Hanc fœminam Filius in post exitum
nouit, sicut ante conceptum inuenit. Et paruo inter-
uallo: *Æternitas virginitatis est: Mater Dei est.*
Insolitus progressus est iste Æternitatem virgini-
tatis ex generatione, partuque deducit. Quia Ma-
ter Dei est, quia parit, quia gignit, æternitas est
virginitatis? Et optimè. Non enim æternitas hæc
solùm ea incorrupto pudore probatur; id com-
mune est cæteris virginibus, sed quia inter ipsa-
met iacula, quæ aduersùs pudorem contorquen-
tur, viget non sancia, viret non violata, & constat
ex quibus, quæcumque virginitas perit. In hac
triplici differentia Virgo est: quid quòd æternitas
nuncupetur?

30. Nonnè offendisti in illis: *Hanc fœminam con-*
ceptio Virginem reddit? Si Virgo est, dum conci-
pit, & ante conceptum illibata: quî potuit conce-
ptio Virginem reddere, quam inuenit? *Reddere*
Plin. quidem pro *efficere* est. Plinius lib. 16. c. 35 *Admo-*
ta auribus leuem sonum reddit. Quin & *producere*;
Teren. sic *fructum reddunt prædia* apud Terentium in
Phor. Mira indoles pudoris! Ab ipsamet genera-
tione, in qua enecantur alij, producitur; quem
quod solet corrumpere, viuidiùs efficit. Hæc æter-
nitatis dos est: quæ, cum simul tota sit, in partibus
temporalibus, quæ prætereunt, tempusque subsu-
munt, quasi noua semper, & vegeta reproducitur.
Sed mens Ildephonsi est, quod conceptio diuini
fœtus sicut Virginem Mariam accepit, sic & red-
didit; nec passa est, quod præterita virginitas lapsu
refugo euanuisset; sed omnem anteactam castimo-
niam sibi præsentem congessit: vt ad modum æ-
ternitatis, in vnum *nunc* tota simul virginitas in
generationis adesset instanti. Sic venuste accipe-
Andr. Hierosl. rem Andreæ Hierosl. verba orat. de laud. Mariæ:
Posteaquam cognouisset edocta de conceptu, prolis
generationem, vocem protulit: Ecce ancilla Domini.
Illud mirum palam dicens: Ecce promptu me ex-
pona; nec quod perhibeat id, quidquam est. Paratu
est anima mea, & venter meus opportunus: num in-
tactus etiam nunc est. Expende hæc vltima. Quid
est, quòd Virgo pudica apud Andream in conce-
ptionis instanti se etiam *nunc* Virginem esse pro-
clamet, si in vestibulo nuntij potiùs virginita-
tem obsecerat, in qua se denoneat permansuram?
Intactus etiam nunc est. Ecce *nunc* æternitatis, in
quo omnia inferiora temporis spatia arctè strin-
guntur. Se virginem æternam pronuntiat: idcò
etiam *nunc* intactum vterum proclamat; quasi
omnis præterita virginitas nondum subterlapsa
fuisset, sed tota præsens eniteret. Cui præclarè ad-
stipulantur illa: *Et venter meus opportunus*, siqui-
dem nullus Verbo Dei concipiendo, quod virgi-
neè concipitur, & æternè apud Patrem, magis op-
portunus, & aptus venter est, quàm Mariæ, in quo
æternitatis stylus cum stylo hominis generati
conscribitur.

31. Nunc Maria Virgo est, quia semper est. *Esse*
propria vox est æternitatis, vt liquet ex Platone in
Zerda, Maria Effigies.

Timæo. Exod. 3. *Qui est, misit me ad vos.* In quo Plato.
nomine æternitatem Dei nuncupari, nobilium Exod. 3.
Patrum censio ast Gregorius Mag. 18. Moral. c. 33. Greg. Magn.
Cyrillus Alexandr. lib. 1. Thes. cap. 6. Hilarius Cyrill. Alex.
lib. 1. de Trinit. Eusebius lib. 11. de præp. Euang. Hilar.
Tertullianus, seu potiùs Nouatianus libr. de Tri- Euseb.
nit. cap. 4. *Ego sum, qui sum. Quod enim est, ideò* Tertul.
hoc habet nomen, quoniam eamdem semper sui ob-
tinet qualitatem. Immutatio enim tollit illud nomen
quod est: quidquid enim aliquando vertitur, mor-
tale ostenditur hoc ipso, quod conuertitur. Ex
his crederem, ob æternitatem virginitatis, quam
rubus ab igne vinior præsignabat, in quo no-
men illud *Qui sum* personuit, Mariam aucupa-
tam fuisse huius incircumscripti vocabuli partici-
pium. In frutice Virgineo vernantibus viticis
ignea Diuinitas insedit, ibique nominis sui præ-
fert insigne: *Ego sum, qui sum.* Cur sic super spi- Exod. 3.
neto se Dominus maiestatis appellat? Ardebat in
occidua planta: stupet Moyses: causam sciscitari
gestit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam,*
quare non comburatur rubus? En interrogare pro-
ponit quod vidit Nyssenus apud Lippoman. *Ad-* Nyssen.
miratus secum dixit: Quare non comburatur rubus
Ne videlicet oculos solum, verum etiam, quod mi-
rabilius est, auditum radijs lucis eius illuminaret.
Si percontari studebat, cur, dum appulit ad ru-
bum, siluit? Meditor. Quia tacitæ cogitationi re-
spondit Dominus, nomen sibi æternitatis canens;
Ego sum, qui sum: quasi diceret, Non plantula ab
ignis patitur tempestate; sed vegetior floret: quia
æternitatem sibi deuinxit, quâ ipsa subterlaben-
tia tempora in incorruptibili solidari constantia
conuincunt. Ergò si in rubo Mariana Virginitas
euitebat; quid quod rubo se insinuet æternitas,
nec tenera illi depereat virica; sed potiùs *entis*, id
est, Dei, *Qui est*, vocabulum mutuetur? Hùc ad-
uoco Cosmam Hierosol. hymn. 1. apud Biblioth. Cos. Hierosl.
veter. Patr. tom. 7. *Ecce Virgo in ventre concipiens*
peperit Deum hominem factum, & manet Virgo, pro-
pter quam conciliati Dei peccatores Deiparam
propriè entem in fide cantemus. Supra alia luce do-
nauimus locum hunc. Opportunior se dat expli-
catus. Quia Virgo post conceptum permanet, &
post partum, propriè *entem* vocandam adstruit
Cosmas: id est, quæ *propriè est.* Abruptè, dices, &
temere audet: nam *qui est*, solius Dei character est,
& nota, non vllius creaturæ, quæ tantâ naturæ
portione, non entis infinitate constat. Id verum.
Cæterum Mariana Virginitas in insolitos lacessit
impulsus. Si in rubo hoc nomen primùm auditum
est, vt incorruptus Virginis pudor igne Diuinita-
tis concepto monstraretur: quid quod deriuetur
ad Virginem, vt eius puritatis immortalitas inno-
tescat, quæ à generatione viuit immutata, & om-
nem sibi virgineæ, & æternæ lucis comparat
splendorem? Prodest Nyssenus lib. de vita Moysis: Nyssen.
Deitatis lux assumpta carne illaxit hominem, eamque
omnimodo incorruptam seruauit, virginitatis Diuini-
tate nullo pacto commutata. Quid est, *Nullo pacto*
commutata? Si semel virginitatis læderetur vigor,
non commutata diceretur, sed functa, enectaque.
Imò benè. Vox ista æternitatis est. Augustinus lib. August.
de nat boni cap. 39 *Illa est autem vera æternitas, qua*
vera immortalitas, hoc est, illa summa incommutabili-
tas, quam solus Deus habet.

Sed vide, quod in Hebræo & Chaldaica est 31.
אהיה אשר אהיה, *ehie, aser, ehie.* Id est, *Ero qui* Hebræi.
ero: quod alij non imperitè sic vertunt: *Ero quia* Chald.
ero: & vt Lippommanus: *Hoc est, qui fuit, & erit*: Lipp.

futurum enim tria tempora comprehendit, quasi dicat Deus æternus. Bene ipse obseruat, in Hebræa lingua futura pro præteritis, & præsentibus vsurpati, vt apparet ex Genes. 37. & Iob. 1. Quare pro Exod 3. illis: *Qui est, misit me ad vos*, Hebraicè: *Ero misit me ad vos.* Si forsan in virginitate Mariana eumdem Ezech. 44. æternitatis inuenies stylum? Ezechiel. 44. *Porta hæc clausa erit.* Et posteà: *Eritque clausa Principi: per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam eius egredietur,* Confestim Augustinus sermon. 14 de Natal. Domini æternitatem odoratus est: Aug. *Quid est, quòd clausa erit in æternum, nisi quia Maria Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum?* Quia *in æternum* dixit tres differentias temporis computauit. Verùm quid est, quòd non dixerit: *Porta hæc clausa est*, sed *clausa erit?* Quia vocem æternitatis delegit, omnemque temporis differentiam sibi compescuit. Rupert. Rupertus in Ezech. lib. 2. cap. 32. *Porta hæc clausa erit. Subauditur, quod nunc est. Clausa est, dum concipit, dum parit nihilominus clausa erit. Clausa ante partum, clausa erit, & post partum. Ex eo enim tempore, quo Angelus loquebatur, & quando natus est, Virgo permansit æterna.* Hæc vltima verba, *Ex eo enim tempore*; eumdem spirant odorem, ac illa Ildephonsi, *Conceptio Virginem reddit.* Si ante cœlestem legatum à conceptionis primordio Virgo manebat illustris: cur sic curtat tempora Rupertus, & ex quo Angelum accepit salutantem, superuenientemque Spiritum, virginem æternam perhibet permansisse? O qualis virginitatis prærogatiua! Tunc incepisse celebratur, quando occubuisse timeretur. Quia soboli generatio depopulat pudorem; cùm gignitur Fœtus, virginitas Mariæ auspicatò dignoscitur, vt acriùs dicatur erumpere, cùm decidere putaretur.

33. Nec tunc orsam fuisse virginitatem, eius æternitas euincit, quæ cum creatione Mariæ insolubili vinculo nectitur; imò quia quæcumque æternitatis portio æternitas est, vtpote simplex; etiam ante conceptum æternitatem huic virginitati pangendam, si consequenter loquamur, non reluctemur. Ambr. in hymnis hymn. 24. de Nat. Dom.

Ambros. *Sit porta Christi peruia,*
Refecta plenâ gratiâ:
Transiliit Rex, & permanet
Clausa, vt fuit per sæcula.

Ergo per sæcula clausa fuit, & Virgo, antequàm Dominus ingrederetur per illam. Sæculum pro æternitate accipi, iam plures adnotarunt: Exod. Vasq. 21. & Deut. 15. P. Vasquez in 1. part. disput. 33. Ad Tit. 1. vel pro tota temporis congerie, vt solet præmoneri ex Paulo ad Tit. 1. *In Spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora sæcularia.* Virginitas hæc per sæcula intemerata mater- Eccl. 24. 14. nitatem præcessisse canitur ab Ambrosio, vt æterno Filio iam præconcepta virginitatis æternitas pararetur: & quæ ab initio, & ante sæcula creata canitur eodem gustu, nempe in diuina præscientia, Virgo per sæcula recinatur. Richardus de S. Richard. Laurentio lib. 10. sic exponit illud: *Et summitas throni rotunda: Igitur in summitate Mariæ maternitas; in rotunditate æterna virginitas, in posterioritate gloria æternitas figuratur.* In circuitu virginitas symbolum æternitatis rotatur? & tamen Maternitas in summitate est: quoniam quicquid circumdat Mariani vteri fœcunditatem, ex æternæ virginitatis gloria venire commendatur.

34. Ierem. 31. Si forsan id à Vate inuitur: *Fœmina circumdabit virum?* Inde nouitas: nam viri circuitus vndequaque circumuolutam rotunditatem exoptat: quod si tota fœmina circumdat, tota in gyrum, & orbem reuocatur. Ergo quacumque spectes, virginitatis circulum inuenies: siue generet, siue pariat. Sic in Concilio Toletano 16. *Quæ Virgo, sicut* Conc. Tol. *ante conceptionem obtinuit virginitatis pudorem, ita post partum nullam sensit integritatis corruptionem: nam Virgo concepit, Virgo peperit, & post partum incorruptela pudorem sine interceptione obtinuit. Cuius conceptionis, aut partus mysterium, quia secundùm Propheticale vaticinium nouum creatum est, vt fœmina circumdaret virum, nullâ potest ratione comprehendi.*

Superest ptærimemur, an hæc Marianæ virginitatis æternitas æterni Genitoris interminabile participet attributum. Profectò præsens tempus diuinæ æternitati describendæ aptius est. Plato in 35.
Timæo: *At qui erat, & erit, quæ nati temporis species sunt, non rectè æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa, est, erat, & erit: sed reuerà solùm esse competit.* Expecta. Stupet ad nuntium Plato. Virgo virgineum explicat florem pro salutationis grata beneficio: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quid quòd nunc non noscas? Luc. 1. Sat est ad fœtum, si posteà cognoueris. O præclarè! Mariæ virginitas cum æternitate paciscitur, vocabulorum fruitur commercio: quod Virgo nunc est, pro tota duratione est: segnes temporis non suffert inducias: ad præsens instans tardas euolutiones constringit: explicuit æternitatem pudoris, cùm se non cognoscere virum protulit. Ideò Angelus fœtum eius è vestigio spopondit Filium Altissimi vocandum iri: ea æternæ virginitatis sequela fuit, quæ Deum probat, quem Mater enititur. Augustinus tom. 10. serm. 23. de Natal. Dom. *Et natus sanè ab intacta est fœmina: vt enim* August. *pariter, & hominem testaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas.* Quid in æterna virginitate Deum probat? Æternitas num, an virginitas? Vlteriùs: ex virginitate Genitricis Filium Altissimi appellandum Gabriel prædixit; & tamen Augustinus Deum edocet probari quem subiicet esse filium.

36. Tria dico. Virginitas Mariæ apud Augustinum & pro Deitate est, & pro æternitate Patris: dumque arguit Deum, Altissimi Filium commendat. Incorruptio Matris cum æternitate Patris consors est. Augustinus sermon. 20. de Natal. Dom. *Et sicut in cœlo Filius habuit Patrem immortalem & æternum: sic & in terra haberet Matrem* Idem. *omni corruptione carentem.* Ergo munditìes Virginis pro æternitate Genitoris elucet. Et in ser. 18. in Natal. Domin. *In illo nascitur sine fine, in ista concipitur sine semine.* Hausit ex Augustino Hugo Vict. in allegor. de Verb. incar. col. 3. *Sicut in cœlo* Hugo Vict. *Deus habuit Patrem immortalem æternus: sic in terra haberet Matrem Virginem incorruptus.* Cyrillus Hierosol. orat. de Simeone: *Totus enim perfe-* Cyril. Hierosol. *ctus est supernè, totus perfectus infernè. Idem dignoscitur supernè natus absque tempore, & infernè sine semine.* Quòd virginitas hæc pro Diuinitate fuerit profert Augustinus dicto serm. 18. *In Patre impassibilitas, in Matre incorruptibilitas est. In Patre perpetua Diuinitas, in Matre æterna virginitas.*

Parum hoc Mariæ virginitas suâ æternitate ab Augustino Theologorum lumine decantatâ, 47.
ad æternitatem, qua Filius ex æterno Patris iugiter exoritur, animum euocat. Non desunt ex

Theo

Theologis, qui ſentiant emanationes diuinas,
nempe Filij,& Spiritus ſancti,terminum eſſe æter-
nitatis primarium: quoniam Filius ſacrâ ſtabili-
tate perdurat in ortu è Patre, Paterque in illo
perfectiſſimo motu,qui abſque vlla imperfectione
indefeſſè ſubſiſtit, durat æternùm. In hunc ſen-
ſum extorquent Dionyſium c.4. de diu. nominib.
Dyon. Cypar. & Cypariſſiotum decad.3.cap.1. vbi ait: *Deus & Pater ſine tempore conuenienter Deo, & amanter motus proceſſit ad diſtinctionem perſonarum.* Ter-
mini primarij examen mittamus Scholis. Æter-
nus Mariæ pudor, dum gignit Filium, ab æterno
August. Genitore procedentem enuntiat. Auguſt. tom.3.
lib. vnico de fide ad Petrum: *Deus Vnigenitus,
qui dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex
Virgine: & cùm naſceretur, integritatem virginitatis
ſeruauit in Matre. Iſta cauſa eſt, qua Deus factus eſt
Filius Virginis Mariæ, & Maria Virgo facta eſt
Mater Vnigeniti Dei, vt quem Pater genuit ex
æternitate, ipſum Virgo conceptum proferret in tem-
pore.* Clariùs tom.10. ſerm.21. *Eſt ergo illud vni-
cum Dei Verbum æternus quidem dies: iſte autem, in
quo humanæ carni copulatus eſt nunc hodiernus, cras
fiet heſternus. Veruntamen hodiernus natum ex Vir-
gine commendat æternum: quia æternus natus ex Vir-
gine conſecrauit hodiernum.* Quid nobilius? Ergo
quia ex Virgine naſcitur, etſi taxatâ luce, inter-
ceptique temporis paruitate, quæ tranſuolat, &
perit, æternitatem ortus à Genitore non ſolùm
exponit, ſed commendat. Ratio ſe libens dat.
Quoniam non violata Mariæ Virginitas, ſed à
genitura ſolidior, fœtum comprobat æterno Ge-
nitore potiri: & ad breuem temporis intercape-
dinem,totam Deitatis æternitatem compellat. In-
gis Mariæ virginitas argumentum eſt filiationis
Venant. æternæ:id canebat Venant. lib.8. hym.5. carmina
dedi ſuprà:id infrà pluribus ediſſeremus. Nunc de
æternitate diſcutimus. Nec tamen prætereundum,
quod Filij Dei magnitudo ex hac differentia tri-
plicis virginitate pandatur,& quod dixit Angelus
Hic erit magnus, in hac virginea æternitate im-
Amad. pleatur. Amadeus hom.1. de laud. Virg. *Verè ma-
gnus, quem Vnigenitum Pater miſit in mun-
do, quem Virgo corporaliter effudit, quem Virgo
concepit, & peperit, & poſt partum Virgo per-
manſit.*

38. Mich.5.2. . Ex his non modica lux ſpargitur difficili vati-
cinio Michææ c.5. verſ.2 *Et tu Bethlehem Ephra-
ta paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredie-
tur, qui ſit Dominator in Iſraël. Et egreſſus eius
ab initio à diebus æternitatis.* Certum eſt, quòd
Septuag. Hebr. *egreſſus* ſit in plurali: nam Septuaginta καὶ αἱ ἔξ-
οδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, Et in Hebræo:
Egreſſiones eius à diebus ſæculi. Quod dies æterni-
tatis adſcribantur,nobiles Patres impulit, commu-
nioremque Interpretum chorum in hanc ſenten-
tiam,quod agat Propheta de æterna generatione
Cyril. Euſeb. Chryſoſt. Origen. Hieron. Theod. ſolùm. Sic Cyril.lib.2.de Trin ad fin. Euſeb. lib.2.
demonſtr. Euang.c.2. Chryſoſtomus in libr. *quod
Chriſtus ſit Deus*, Origenes lib.1.contra Celſ.Hie-
ronymus, & Theodoretus inibi. Ideò autem plu-
raliter efferri docti Recentiores exponunt: quip-
pe illa ſuperna generatio,quæ iugiter fluens eſt,&
fluenter ſtabilis, licèt vna ſit,pluribus, indefeſſiſ-
que natiuitatibus noſtro captu aſſimilatur. Ego
quidem vtramque generationem ex Patre ſuperno
& ex Virginea Matre hoc loci adipiſcor. In quam
Arias. Montan. Gal. ceuſionem iam plures abierunt, eique ſubſignat
Arias Montan.ibi,ex ſuiſque Rabbinis plurimum
defert Galatinus libr 4. cap.13. Non vna mens
omnibus eſt Galatinus etenim in verbo *Ab initio*
cenſet generationem à Patre deſcribi: in illis au-
tem. *A diebus æternitatis*; vel, vt ipſe legit, *A die-
bus ſæculi*,generationem à Matre depromit: *Quia
cùm materia*,inquit, *Adæ formata fuit: mox eidem
materiæ infuſit glorioſæ Virginis materiam; & ipſius Vir-
ginis pretioſiſſimo ſanguine infuſit Chriſti benedicti hu-
manitas.* Ratio hæc in inſomni delíramento ni-
titur,nimiúmque à veritate diſcordat. Irridet Ri- Ribera.
bera, facilque eliminatur ex S. Thomæ doctrina S. Thom.
3.p.q.31.art.6.

Non his ſupputationibus eget Michæas; con- 39.
ſpicuè ſe dat Oraculi compendio bis vtramque
generationem ſub vaticinij cortina tegens retexit:
*Ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in
Iſraël.* Quid eſt, *ex te mihi*? Quia quem Mater
edit,ſuſcipit Pater, & diuina generatio panditur
ex Materna.Chryſologus ſerm.144. *Virgo peperit;
ſed Deus ſuſcepit Filium.* Ambroſius ſerm. in Octa- Chryſ.
ua Epiphan. *Vt certi eſſent homines, quia ipſe eſſet
Filius Dei, quem Virgo pepererat, Diuinitas ag- Ambr.
noſcebat.* Pater extraxit eum ab vtero Matris: *De
ventris Matris meæ Deus meus es tu.* Procliuis ſe- Pſal.21.
mita à ventre Matris ad vterum Patris. Id ſatiùs
explicat Michæas,dum iam pluraliter egreſſiones
exponit. *Et egreſſus eius ab initio à diebus æter-
nitatis.* Id eſt; Alter egreſſus ab initio eſt, & ante
ſæcula; initium enim æternitatem præſignat, vt
iam adnotarunt plures cum Gabriele Vaſquez
tom.1 in 1.part.diſputation.139.cap.1. Et liquet Vaſquez.
Eccli.24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Eccl 24.14.
Supereſt alter egreſſus à Matre, quem ſublatere
paco in illis *A diebus æternitatis.* Cenſuerim ſic
ſubtiliter poſſe conſtrui: quòd *æternitatis* non ſo-
lùm componatur cum *diebus*, ſed etiam cum *ini-
tio*, vt ſenſus ſit: *Ab initio æternitatis* & *A diebus
æternitatis*: vt ſic vtraque generatio dilucidè per
ſuas menſuras explicetur Initium enim æternita-
tis (ſi liceat Theologicè mentem acui) generationē
Filij à Patre,non ſine ſapienti perſcrutatione poſ-
ſe intelligi,illi Theologi non recuſabunt, qui, vt
diximus,autumant terminum æternitatis prima-
rium origines eſſe diuinas: quippe quæ per modū
motus perfectiſſimi, ignobilitate ſepoſitâ, nobis
innoteſcunt: æternitas autē dignoſcitur per tem-
poris naturam,quæ ex motu conflatur, numeruſ-
que eſt prioris, & poſterioris in motu. Initium
æternitatis, quæ abſque initio eſt,non ſine venu-
ſtate dices generationem Filij Dei: quaſi primus
ille motus ſit, origoque prioritate naturæ præin-
tellecta, Quod Ioannes introſpexit: *In principio* Ioan.1.
erat Verbum. Eximiè Caietanus: *In principio. Prin-* Caietan.
*cipium non ſubſtantiæ, ſed relationis nomen eſt: & in-
telligi nequit ſine illo,cuius eſt principium.* Et ſtatim:
*Ioannes, vt comprehendat etiam principium æternita-
tis,inchoat à principio durationis.*

Hæc de egreſſu à Patre. Iam alius egreſſus à 40.
Matre Virgine exponitur à Michæa,ibi: *A diebus
æternitatis.* Curne dies æternitati præſcribit, in
notam eius durationis, cui nec tenebreſcit veſper
nec albeſcit diluculum,nec gyris diſtenditur, nec
occiduis circulis euoluitur. An quia dies noſtri
temporis ſub æternitate ſunt? Nō malè. Sed actiùs
ad rem. Dies æternitatis appellat diem conceptus
Virginei, & diem partus: quoniam ob dies hos
æternitas ſuperæ generationis conſecrata eſt, &
agnita. Id Auguſtinus dilucidè ſenſit ſuprà: *Ve-* Auguſt.
*rumtamen hodiernus natum ex Virgine commen-
dat æternum, quia æternus natus ex Virgine conſe-
crauit hodiernum.* Denique quòd æternitatis

dies appellentur illi, in quibus virginitas Mariana & concipit, & enititur: siquidem ipsa est æternitas virginitatis, triplicem dierum differentiam, præsentem, præteritum, & futurum, ante partum, in partu, & post partum, stabili pudore, simultaneoque thesauro concludens?

41. Iam æternitatem habes Virgineam. Ergo super omnia virginitatis sæcula Virgo Mater gradiatur. Angelus æuum habet; hæc Spiritibus duratio est: quam non ex alio fonte, nisi ex virginitate, venantur. Vis probem? Incorruptibilitas illis sæculum impertitur, à mortisque eripit imperio. Nicetas in orat. 2. Nazian. *At de Angelis haudquaquam propriè dici potest, quoniam partim æui participes sunt, quia incorruptibiles sunt, & immortales: partim temporis, quia in rerum creatarum classe sint.* Homo sub temporis degit concentu, eiusque vicibus inseruit inuitus, eiusque gyris volubiliter fatigatur. Deus super omnem durationem pertransit, & quidquid durat, illi dat honorem, & maiestatem. Anselm. in Prosol. cap. 20. *An hoc quoque modo transis omnia, etiam æterna, quia tua, & illorum æternitas tota tibi præsens est, cum illa nondum habeant de sua æternitate, quod venturum est, sicut iam non habent, quod præteritum est: sic quippe semper es vltra illa, cùm semper ibi sis præsens, ad quod nondum illa peruenerunt.* Angelus, homo, & Deus sic durant: Deus supergreditur, reptat homo, Angelus volat. Vt Mariæ virginitatis æternitas credatur, consule quotquot durant. Deus, Angelus, & homo Virginem nuncupant, vt ab omni duratione testimonium accipiat pudoris, & sic eius virginitas per omnia æternitatis pignora transeat. Arguté Ildeph. de Virg. Mar. c. 1. *Ecce enim Virgo ex Deo, Virgo ex homine, Virgo attestante Angelo, Virgo iudice sponso, Virgo ante sponsum, Virgo cum sponso: indubitata Virgo etiam dubitante sponso. Virgo ante Filij aduentum, Virgo post Filij generationem. Virgo cum Filij natiuitate, Virgo post Filium natum.* Quid floridius? En tot pro Virgine virginea suffragia. Omnia sibi virginitatis genera deuinxit, quæ æternitate virginitatis inclaruit.

Nicet.

Anselmus.

Ildeph.

42. Hinc expenderem August. sententiam. serm. 25. in Natal. Dom. tom. 10. *Dicat solus hodie natus ex Virgine Filius Mariæ: Meto, vbi non seminaui; & colligo, vbi non sparsi. Dicat & Maria: Et ego te Filium generaui, & virginitatem meam non violaui Regnum teneo virginitatis, & Regem genui castitatis.* Quale nam est virginitatis Regnum? Certè sub connexis non inuenitur: non regnum eius de hoc mundo est: in cœlestibus virginitas regnat, vbi populus à concupiscentiæ tyrannide, pacatâ stabilitate potitur. Regnat in Spiritibus pudor, clanum tenet castitas. Quî ergo Maria in ipso generationis opere regnum tenere virginitatis celebratur? An quia Regum est colligere, quæ non seminant, & rusticis agricolarum laboribus frui siccâ fronte, non exasperatâ à ligone manu? Certè ea videtur esse ratio apud Augustinum in illis verbis: *Meto, vbi non seminaui, & colligo, vbi non sparsi.* En quot prouentibus graditur Regina virginitas: quot opima manipulis exultat in Maria quam nec concussit sarculus, nec proscidit aratrum, nec agrestis fatigatio vexauit, nec pruina decoxit, nec torruit æstus; & tamen cœlestia repleuit horrea ex oblato sibi germine, quod Regali maiestate, & dominio sibi dicatum fuisse videtur, vtpote virginitatis Reginæ. Benè ista. Propriùs ad institutum. Regnum tenet virginitatis: quia quotquot virgines sunt, huic primæ Virgini famulantur, & iuxta cuiusque naturam obsequia præsentant. Prima virgo Trinitas est: illi Vnigenitum Patris largitur. Angelus nuntius adest, spiritalesque ciues festos choros agunt in puerperio. Virgineum fœminarum examen, quasi non huius apeculæ soboles, mellea illi pendunt tributa. Quid quòd Regnum virginitati tenere decantetur?

August.



ACADEMIA XXI.

Virginitas generationis, & partus Mariani, ex stylo superni Genitoris.

Generatio & Natiuitas inter se permutant vocabula, stylo cælestis Genitoris; vt Maria in conceptu & partu Virginitas illustretur.

Sectio I.

Virginitatis Marianæ adhuc peroraiuimus attributa, vt ex tam florida corona eius vertex redimitus appareat. Descendere iam opus est à vertice ad vterum, ab huius formæ abstractione ad sacra tempora, in quibus magis illuxit, quando magis in mulieribus obscuratur. Maria virgineè concipit, virgineè parit. Vtrúmque statū vnâ virginitas quasi indiuisis dotibus cumulauit, vnoque cœlestis veris flore vestiuit. Virginitas concipere nesciebat, quin corrūperetur à luxu: nec genitū fœtum vulua luci dabat, quin satisceret à puerperio: vtrobique virginitas patiebatur, quā & frangebat voluptas, dū gigneret; & ærumna, dum pareret. Ergo adsit Maria pro virginitate vindex: eius consolidet iacturam, reparet vetustātē. Si voluptas procax, & sordens temerat conceptum, procul autē est à natiuitate prolis (in qua potiùs pristini gaudij in dolore penditur vectigal:) dum sacer fœtus gignitur in Maria, nasci dicatur, vt absit omninò illecebræ cogitatus, impurique blādimenti pruritus, siquidem abesse solet à puerpera, cùm nascitur infans. Vlteriùs. Quia in natiuitate prolis enitēs rumpitur mater, ærumnosisque calamitatibus quatitur, proculque absistit lętitia, dum percussa viscera patiuntur, & generationis gaudium diro plectitur supplicio; vt innotescat, quā solida, & impercussa, quā hilaris absque vlla doloris iniuria, quæ virginitatē lædit, parit Maria, eius puerperium generatio nuncupetur. *Generare* dicitur, dum enititur, vt eius in pariendo gaudium cœleste mōstretur, nec potuisse pudoris signacula præ dolore discindi, quæ potiùs hilaritas perfundebat. *Nasci* dicitur Mariæ fœtus in vtero, dū gignitur, vt nullā libidinē temerauisse virgineam vuluam proferatur. His reciprocis, & alternis vocibus sibi inuicē mutuatis, puritas nostræ Virginis supra miraculum extollitur. Parum hoc. Hoc stylo grandis cum diuino Genitore similitudo decernitur, in quo conceptio, & partus, generatio, & natiuitas, idem omnino sunt: nec moras expectat puerperium, nec 1.

vlla

vlla intercapedo distendit; sed simplici puritate simul nascitur, & concipitur Filius, cui vulua mens est, & Genitor infinitus. Veniamus iam ad Patres.

2. Quod generatio, qua Filius Dei concipitur in Maria, natiuitas dicatur, testis est Angelus Matth.1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Prodest Apostolus 4. ad Galat. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege:* vbi tamen *natum ex muliere* legunt August. lib. de Trinit. cap.3. Iren. lib.3. 18. Cyprian. lib.2. in Iudic. 8. sequuntur Græcum vbi, γενόμενον; & tamen verbum hoc γίγνομαι significat *gignor*, seu *nascor intra vterum.* Quamobrem prauè nimium Tertullianus, qui Virginem nostram virgineè concepisse rutatur; non virgineè peperisse, ex hoc loci intortè coniectat, impingens in mulieris voce, quam hic significare putat fœminam non integram in pariendo: sic lib. de carne Christi capit. 24. *Et quid vltra de hoc retractandum, cum hac ratione Apostolus non ex Virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronunciauit, agnouit adaperta vulua nuptialem passionem.* Desipit, sibiquemet hostis fit: tum, quia pluries sedulò probat *mulierem* etiam virginem significare, vt liquet ex lib. de veland. virginib. tum, quia quæ ipse legit, *Editum ex muliere*, non Græco assonant: quippe vox illa, *genitum, natumvè in vtero* significat: puro autem decore Virginem genuisse, Tertullian. ipse fatetur.

Matth.1. Gal.4. August. Iren. Cypr.

3. Quod autem puerperium Mariæ *generatio* nuncupetur, infrà versandi Patres suadent. Magnoperè id adstrui dixerim ex Concil. 1. Lateran. consult. 5. can. 3. vbi sic definit Martinus Quintus: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem Dei Genitricem, Sanctam, semperque Virginem Mariam, vtpote ipsum Deum verum specialiter, & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia sæcula natus est, absque semine concepisse, ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente, & post partum, eiusdem virginitate: condemnatus sit.* In hac sanctione fides incorrupti puerperij, solidique pudoris plusculum nititur: quippe conspicua est. Eâ vtitur P. Vasquez tom.2. in 3. p. disp. 121. Sed ecce nodus. Vbinè in præfixis verbis integritas in partu decernitur? Censet Vasquez in illis *Semperque Virginem*, & in illis *Indissolubili permanente.* Verum hæc nimis communia sunt etiam ad conceptum: nec signatè partum exprimunt; Virginemque enitentem: & tamen curta videtur in re tam graui definitio, quæ non enuntiet puerperium. Sanè luculenter enuntiatur, longâque distinctione à conceptu, inibi: *Concepisse ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente & post partum.* Ingenuè triplex virginitatis decernitur status; idemque hic generare est, quod parere. Ideò datâ operâ à conceptu generationem secernit Martinus. Stylus hic Patrum est. Ambrosius nimium eo delectatur lib. de pœnit. cap.2. lib. de Incarnat. Dom. c.6. & in epist. ad Siricium Pap. vbi sic fatur: *Sed de via peruersitatis produntur dicere. Virgo concepit; sed non Virgo generauit, Potuit ergo Virgo concipere, non potuit Virgo generare, cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur?* Cuius ratiocinationis gustum infrà dabimus. Et alibi *Hæc porta est Beata Maria, quia Virgo concepit, & genuit.* Sic tom.3. Concil. act.13. sub Agat. cap.5. *Si quis non confitetur semper Virginem Mariam, propriè Dei Genitricem, vtpote quæ Deum Verbum incarnatum concepit, & genuit, anathema sit,* Vbi proculdubio *genuit* pro *peperit* est, sicut in aliis Patribus, quos iam dabimus. Adsit Ildeph. serm.1. de Natiuit. Virgin. *Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum. Concepit, & Virgo est: generat, & virgo est: lactat, & virgo est.* Iterum lapidè Ambrosius in cap.2. Luc. *Nupta peperit; sed Virgo concepit: nupta concepit, sed Virgo generauit.* Vbi conspicuum est, quod *generauit*, idem est, quod *peperit*; vt sensus sit: Nupta & Virgo peperit; nupta & Virgo concepit.

Concil. Later. P. Vasquez. Ambros. Tom.3. Conc. Ildeph. Ambros.

4. Virgineus partus hanc sibi nouitatem delegit, qui fœmineam pepulit vetustatem, & sordidam eliminauit colluuiem: in quo semper noui amans virginitas, plicatis foliis, inapertoque flore fructum emisit: vbi renouata natiuitas fuit, quid quod & renouaretur vocabulum, generatioque transiret ad puerperium, natiuitas ad conceptum? Venustè Euthymius de Natiuit. Virgin. ad illud *Liber generationis: Per generationem intelligit hic Ioannes Chrysostomus natiuitatem. Quidam autem dicunt, quod ex quo Christus supernaturaliter natus ex Virgine, naturalem renouauit natiuitatem, reliquum est, vt etiam Euangelista naturale natiuitatis vocabulum renouauerit, generationem ipsam vocans.* Mariæ virginitas adeò sibi recenti nitore blanditur, vt & tergat stylum, excolat linguam, syllabumque pudicum intexat: ne sanguinei puerperij, ærumnosique nixus vetusta vox limpiditatem partus eius inquinet, *natiuitatis vocabulum renouauerit, generationem ipsam vocans.* Quid ais? Imò generationi, virginea gignentis indoles exploretur, potiùs pudoris nitorem in iacturam extorquet. Perbellè. Generatio pro *natiuitate* plurimum puritati defert: è proprio situ traiecta in partum, indicat illinc omnem exulare dolorem, totiusque angoris iniuriam abesse, vbi potiùs generationis, non illecebrosæ (cùm nulla illecebra in puerperio sit) sed solùm fœcundæ, & prolificæ hilaris vox exultet.

Euthym.

5. Renouatur natiuitas enitente Maria, renouatur & vox, quæ dum *generatio* nuncupatur, duo conficit; & ærumnam, quantulumque tormentum non infregisse puerperam, & quòd concupiscentia abfuit à conceptu: siquidem ab illo quasi auulsa dicitur generatio, & in situm alium, vbi luxus non est, transuecta. Prodest, quod refertur tom.6. Conciliorum in epistolar. Leon. epist. 10. *Nouâ natiuitate generatus; quia inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, carnis materiam ministrauit.* En quia nouiter generatus, dum natus, concupiscentia exploditur à virginitate concipiente, quæ sordem non hausit, sed limpidæ carnis ministrauit materiã. Qui locus etiam suffragatur alteri, quod proposuimus, extremo, scilicet quod conceptio Verbi Dei in vtero Virginis *natiuitas* appelletur, & inter partum & conceptum permutuo commercio permutetur stylus. Adsit ipse S. Leo serm.1. de Natiuit. Christi: *Noua autem natiuitate genitus est, conceptus est à Virgine, natus ex Virgine sine paterna carnis concupiscentia, sine materna integritatis iniuria.* Quod prius dixerat, *Noua natiuitate genitus est,* studioso compendio, promiscuâque inter natiuitatem & generationem vicissitudine, posteà partite explicat: *Conceptus est à Virgine, natus ex Virgine.* Ex exinde vel breuis concupiscentiæ profligatas scintillas euincit.

S.Leo. S.Leo.

6. Vt omnis ablegetur vmbra impuritatis, Maria

dicitur

dicitur generare, cum parit; Christus nasci, cum concipitur, æquaque conditio, mutuaque vicissitudo inter conceptum & partum intercedit, & alternis sibi muneribus conceptio & puerperium gratulantur. Procul est à quocumque libatæ fœminæ partu libido & illecebra; potius luctus, quàm luxus est. Quidni ab illibatæ Virginis puerperio, vbi pro dolore exultatio, gaudium pro ærumna? Ergo tunc generare dicatur Maria, cum parit: quippe hac dictione clarè datur intelligi, tum absque vllo illecebroso appetitu Virginem concepisse, generauisseque fœtum intra vterum: siquidem vox illa generationis extenditur ad puerperium, quod nunquam lasciuiens voluptas assolet inquinare: tum absque vlla ægritudine, dolorisque peperisse tormento, siquidem nusquam in generatione fœtus dirus dolor pungere consueuit. Ex quo lux fit Ildephonso lib. contra eos, qui disp. de perp. virg. M. c. *Æqua igitur conditione dicitur concepisse, ac peperisse, æqua & permansisse. Non enim in partu solent puerperæ cum viris, vt Virgo tunc negetur virginitatem perdidisse, quando nullus est appetitus, nec vlla possibilitas coeundi; sed integritas commendatur Virginis, & honor, atque incorruptio carnis.* Acriter intendit deuotus Præsul euincere, virginitatem Mariæ in partu non sic accipiendam esse, quia in puerperio virum non nouerit (id stolida nimium mentis) sed quia nulla vteri laxatio, nulla vexatio fuit, sed inconcussus & imperturbatus pudoris honos. Ex his adhuc explicatis fit obuiam venustus, sed difficilis locus S. Leonis Papæ contra Eutychet. *Natiuitas enim Domini secundum carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat; siue quòd solus ab inuiolata Virgine sine concupiscentia carnis est conceptus, & natus; siue quòd ita è visceribus Matris est editus, vt fœcunditas pareret, & virginitas permaneret: non alterius tamen naturæ erat eius caro, quam nostra.* Nonne cæspitasti in illis: *Sine concupiscentia carnis est conceptus, & natus?* Quî pungeret carnis concupiscentia in puerperio, quando assolet cruentus lacerare rigor, & abrumpere dolor eniteutem? Quid est ergo, quòd sacer Pontifex concupiscentiam singulariter repellat à partu Virginis, qualem à conceptu? An quia æqua conditio, promiscuusque stylus inter Mariæ partum & conceptum est? Dixerat paulò antè; *Nouâ natiuitate generatus.* Si natiuitatem generationis nomine insigniuit; quid quòd admoneat à partu concupiscentiam abfuisse? Eâdem lineâ metitur vtrumque, & quòd conceperit absque luxu, quia conceptio natiuitas nuncupatur; & quod pepererit non vexata, cùm partus dicitur generatio, à qua potius concupiscentia, quàm afflictio & gemitus debet profligari.

Ildeph. — S.Leo.

7. Ergo quia generat Maria, dum parit, nulla parturigo est, non angor premit, non ærumna fatigat; sed integro regno virginitas inuiolata triumphat. Ausculta rationem Ambrosij in Psalm. 47. *Ideo enim Maria non parturiuit, sed peperit: quia & Dominum salutarem sciebat ex se esse generandum, sicut ipsa testatur, dicens: Magnificat anima mea Dominum, & lætatus est spiritus meus in Deo salutari meo.* Quomodò penetrantes sententiam istam, nisi præfata te peritum reddidissent? Quid est, quòd non parturiuit, sed peperit; quia sciebat Dominum salutarem ex se esse generandum? Annè post partum, eiusdem fœtus potest accidere generatio? Ergo sensus huius miræ sententiæ est: Non parturiuit: Maria non vllis fuit agitata cruciatibus: non totis pallens iacuit resoluta visceribus; hoc parturire est, nempe cum dolore parere. Cicero x. Philip. Non parturiuit, sed peperit Virgo: non spiritu anxia, cordeque pauida se discinxit ad partum: quia sciebat ex se generandum, id est, pariendum esse, seu nasciturum Dominum salutarem. Præclarè. Nam si salus nascebatur, qui fracta solidare veniebat, destructa remoliri, repurgare vitiata: quomodò abrumperet Matrem, & vulnus infligeret in ipsomet egressu salutis? Imò ita abstitit dolor à partu, vt sciret eandem sibi præparari in puerperio, qualem in generatione, lætitiam: quasi iterata fuisset generatio, quantum ad gaudij dulcedinem, carnisque, & spiritus suauitatem. Hæc energia est in illis: *Quia & Dominum salutarem sciebat ex se generandum.* Et statim: *Et lætatus est spiritus meus in Deo salutari meo.*

Cicero.

8. Adhuc me acuunt ista. Quid est, quod sedulo conatu admoneat Ambrosius, quod sciuerit Maria in tempore partus Dominum ex se generandum, ex quo parturiginis adstruit expertem? Crediderim subtiliter in hoc virginitatis Mariæ elucere prodigium. Mulieres ex viro grauidæ generationis tempus ignorant; nec fœtum in vulua fabricari cognoscunt: partum tamen ex prænuntiis doloribus præsagiunt, & ex præcursoribus præuident angustiis. Maria scit virgineæ generationis instans, quia gignit ex consensu, non ex sensu, & passione pudoris. Cæterum: nullum illam angores admonent de partu, non nuntius mittitur cruciatus, nec sanguinea illuuies præuenit puerperium. Ergonè ignorat, cùm parit? Adest Ambrosius. Imò scit Dominum salutarem ex se esse generandum. Natiuitas hæc, sicut generatio fuit. Si sciuit, cum genuit; cur non sciat, cum parit? Vtrobique generationis lætitia conceptum, & partum supernâ exultatione perfundit. Vtrumque tempus cognoscit: quia quoad pudorem idem est illi generare, quod parere. Iuuat S. Odilo sermon. 4. de Incarnat. *Ea, quæ se Dominum concepisse gaudebat, & de se nasciturum non dubitabat.* Et aliquibus interiectis: *Dominum mirabilis creaturæ hodierna die concipere, & certo tempore gignere meruit.* En certum tempus, stataque dies in conceptu, & generatione, id est, partu, & vtrobique gaudium, quasi eadem vtrobique generatio.

S.Odil.

9. Audisti nouam ex Virgine natiuitatem nouiter *generationem* nuncupari: ergo quia & noua, & virens Virginis conceptio fit, etiam nouiter dicetur *natiuitas*; vt vtrobique recedant vetera, noua sint omnia, & virginitas sacra triumphet. Præstò adsit Simon de Cassia libr. 2. de Beata Maria cap. 17. ad illud: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, sic inquit: *Nondum natus ex vtero* IESVS; *& in vtero natus dicitur, vt conceptio tam noua dicatur natiuitas: ad illam conceptionem, quæ fit ex semine, à Virgine remouendam; vt conceptio, & natiuitas eius æqualiter pro mirabilibus attollantur.* Cum Euthymio suprà dato Simon partitus est officia. Aliter natiuitatem ex nouitate pudoris generationem appellari præscripsit: alter conceptionem ex integritatis nouitate natiuitatem dici firmauit: vt ex distractis vniuscuiusque qualitatis locis Virgo in vtroque appareat extremo; & dum concipit, quia tunc nasci facta eius proles perhibetur; & dum parit, quia tunc gignere decantatur. Verum est, quod origo viuentis à viuente, qualis generatio est, primæua

Sim. de Cassia.

impoſi

impositione natiuitas dicitur. S. Thomas. quæst.
S. Thom. 115. artic. 2. in corpore. *Ipsum nomen natura (vt Philosophus inquit in 5. Metaph.) primò impositum fuit ad significandam generationem viuentium, quæ natiuitas dicitur.* Hinc solet distingui natiuitas in vtero, & ex vtero: quam Caietanus in cap. 1.
Caietanus. Matth. obseruat; vbi & S. Thomas: *Quod inquit, in ea natum est, non dixit de ea: quia nasci de matre est in lucem prodire; in matre nasci est ipsum concipi.* Non igitur scitè nouitas adnotatur, extollitur singularitas virgineæ conceptionis, ex eo quòd natiuitas appelletur.

10. Imò id non pariat. Licet etymon, & impositio vocis in vteri conceptionem, vt *naturam* significaret, priùs tetendit; vsus tamen protelauit ad partum: solùm in Mariæ vulua vernaculum recuperauit significatum. Quid causæ? Quia inibi ipse naturæ auctor gignitur sub natura, omnemque Sacra Virgo naturæ præcellit vbertatem: dum in eius vtero illicò perfectus fœtus effloruit, non ab extrinseco conceptus; omnisque affuit ibi natura, increata scilicet, & creata, caro, anima, persona, Verbum Dei: quod ideò Filius Dei est, quia ex vi originis naturam accipit Deitatis, omnisque Trinitas vterum opulentia repleuit.
Haymo. Haymo Episcop. Halberst. in Matth. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, id est, non concepit extrinsecùs, quod in vtero habet; sed intrinsecus virtute Spiritus sancti. Deus Pater misit Verbum suum in vterum Virginis; ipse Filius assumpsit carnem, & animam in vnitate personæ; Spiritus sanctus formauit illud corpus in vtero Virginali: & tamen credendum est, quia tota Trinitas operata est illud corpus.* En ex quàm vberi fertilitate generationi vox naturæ, seu natiuitatis in Virgine Matre restituitur. Auctor Imperfecti homil. 1.
Auctor. Imperfecti. Euthymius. in Matth. legit: *Quod nascetur ex ea* Euthym. *Quod in ea genitum est*; quasi non intelligerent, quomodò in ea natum, quod nuper genitum erat, diceretur. Vt credas plurimum nouitatis inesse huic Virgineæ conceptioni, cùm natiuitas nuncupatur.

11. Ergo in conceptu, & in partu virginitas Mariæ fulgaret, hac nominum vicissitudine obsequente. In cuius argumentum grandis nobis suppetit probatio. Origenes vehementer suspectus est in Sacrum Virginis nostræ puerperium: nam ho-
Origenes. mil. 14. in Luc. sic prorumpit: *Omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vuluam reserat; Matris verò Domini eo tempore vulua reserata est, quo etiam partus editus.* Origenem non
P. Vasquez. tutari præualet P. Vasquez in 3. part. disput. 121. sed Tertullianico aggregat delicto, qui vuluam in partu nupsisse improbè perhibuit. Et quidem in præfixis verbis modica effugij apparet spes. Attamen qui sic fatur apud Lucam, dum apud Matthæum partum Virginis generationis voce insigniuit, illam in virginitatis celsitudinem euehit. Audi homil. 3. in diuers. ad cap. 2. Matth. *Non tu huic puero Pater, sed hæc sola Virgo huic puero Mater. Non indiget patre super terram: incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis. Non indiget Matre in cælis; immaculatam, & castam habet Matrem in terra: hanc multum Beatam Virginem Mariam. Accipe puerum, & Matrem eius. Ante generationem coniugem eam appellauit Ioseph, post generationem Matrem eam dicit pueri.* Et statim: *Postmodùm perfecto Sacramento, atque generato Vnigenito ex ipsa Virgine, post laudem quoque Angelorum, atque pastorum, iam neque erat necesse, vt coniux diceretur, sed Mater.* Quæ integra dedimus, vt Originem expies, à notaque vindices, ne illam Virgineo puerperio inurere credas: quippe qui toties post partum, Marianæ virginitatis præconatur nitorem, puerperiumque *generationem* appellat: cuius vocis nouitas nouitatem expendit puerperij, Virgineumque declarat, suffragiumque vel ab inuito extorques Origene; si mordicùs illi suspicioni affigaris, nec benignè dubia eius scripta interpreteris. Si credit Origenes Virginem concepisse illabatam, sicut & Tertullianus; credat vtique inuiolatam peperisse. Ideò enim sapientissimo delectu vox *generationis* partui accommodata est; quæ tamen conceptionis est propriot: quippe communior omnium mens est, virgineè concepisse Mariam; quæ fides etiam illis insidet, qui eius puerperium inducto mucrone trucidant, castaque signacula violant vim nixui inferentes.

En igitur ingeniosa cautio. Ipsum puerperium nomine generationis insignitur: vt generationis 12.
virginitas à partu indiuisa censeatur, & vtrobique nouitas, & vitor pudoris sacra signacula suffundat. Hæc ratiocinatio pulchrè expenditur apud Proclum Episcop. Cizecen. in homil de Christi natiuit. in Concil. Ephes. tom. 6. capit. 7. *Natura* Proclus.
portas reserauit Emmanuel vt homo; sed virginitatis claustra non violauit, nec prærupit vt Deus: ita enim ex vtero est egressus, sicut per aurem ingressus: ita natus, sicut conceptus: qui impassibiliter fuerat illapsus, ineffabiliter est elapsus. Acutè virginitatem probat puerperij, cum generationis modo partum commiscens, promiscuáque commotione coniungens vtrumque. Ergonè per aurem peperit Virgo, sicut per aurem concepisse prædicatur? Neutiquam. Verùm quia Verbi spiritualior organum auris est, magisque pudicum; illud emittendo fœtui subtiliter assignatur, vt vtriusque ingressus, & egressus, virgineus commeatus appareat: & qui verè per vteri clausos vectes emissus est, ita virgineè celebratur egressus, qualis per aurem spiritalis conceptus dispensatur. Quid est illud in Proclo: *Naturæ portas reserauit Emmanuel vt homo; sed virginitatis claustra non violauit; nec prærupit vt Deus.* Si vt homo portas reserauit: qui inconcussus viguit pudor? Exponant alij Proclum: ego sic censeo. Christum vterum Matris aperuisse, non ignobilium Patrum vsitata dictio est, eo sanè sensu, quòd non Matris conatus, naturæque violentus impulsus signacula abrupit; sed ipsemet sacer fœtus sibi semitam fecit, qualem eius omnipotentia cognouit. Aperuit ipse viam, qualis nunquam intra naturæ sortem aperta fuerat, nempe quòd sine sectione, & reseratione exiuit ad lucem, in qua amœà, licèt erat vt Deus, non erat vt homo: cùm immensitas non corporis, sed Deitatis sit. Ergo apud Proclum *naturæ portas reserauit Emmanuel vt homo*, id est, non aperuit natura; sed ipse naturæ portas aperuit: quoniam egressus humanitati, non Deitati, opus fuit; verùm vt Deus, vtpote omnipotens, non claustra virginitatis prærupit; quare reseratio illa exitus fuit, non incisio; egressus fuit, non violatio.

Igitur conceptionis integritas ad integritatem 13.
partus propagatur, & generationis castimonia vtrumque tempus fouet. Generare dicitur Virgo, cùm parit: vt non luctus obstrepat; sed luceat

virgi-

virginitatis splendor, non tristitia partum conturbet, dolorque pungat; sed gaudium fluidis charismatibus imbuat, sicut in generatione cœlestis lætitia in Virginem influxit. August. serm. 17. de natal. Dom. *Præcisum est illud Euæ infœlicitatis elogiū: In tristitia paries filios: quia ista in lætitia Dominum parturiuit. Illa enim luxit, ista reluxit, illa lachrymas; ista gaudium in ventre portauit. Christus seminauit, non luxus: Deus seuit, non maritus: Virgo genuit, quia Virgo concepit. Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit.* Obserua illud: *Virgo genuit, quia Virgo concepit:* cuius confestim Scholium subdit: *Inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit.* Gaudium partui dat sub generationis vocabulo. S. Ephræm de Margarit. pret. *Virgo, cùm ineffabiliter concepisset, absque labore genuit.* Et infrà: *Sine dolore genitus est, quoniam & sine corruptione fuerat conceptus.*

August.

S. Ephræm.

14. Et quidem sacri fœtus sanctitas & innocentia benè proditur, cùm generari dicitur in Mariæ puerperio. Peccat Adamus infidus Deo, sibi, posterisque nequam. Vix peccat, vix à paradiso extorris, cùm piaculum in sobolem traducere satagens, luxuque delinitus, vxorem dicitur cognouisse. O procax inuentum! Peccatum illecebræ causa fuit. Cur posteritas vitiata progreditur? Quia post escam parens concubuit; flagitium, quod sordidauit amplexum, conceptionē polluit: conceptio natiuitatis causa fuit: quid quòd noxa inquinet sobolem? Maria non ex peccato, sed ex gratia gignit: ergo ex gratia parit: quia conceptio natiuitatis causa est. Pulchrè igitur generare dicitur, cùm parit: vt conceptionis sanctitas in partu præfulgeat. Nicetas in orat. 52. Nazianz. num. 19. *Sublimior illi fuit conceptio, vtpote seminis expers: & natiuitas, vt corruptionis nescia. Neque enim soluta sunt virginitatis signacula, quandoquidem generatio per corruptionem progrediens peccato accepta referenda est. Post transgressionem enim Adamus libidinis æstro concitus vxorem suam Euam cognouit; eaque concepit, ac peperit. Sic peccatum conceptionis causa est, conceptio natiuitatis, atque ita vtraque sub peccato est.* Pondera illud, *generatio per corruptionem progrediens:* vbi procul dubio generationem pro natiuitate apposuit, eoque nomine protulit, quia generatio apud Nicetam natiuitatis causa est.

Nazianz.

Conceptio, & natiuitas ex Maria supernam generationem delineat.

SECTIO II.

15. QVORSVM ista, nisi vt sublimiùs iam mentem erigas, diuinamque apud Patrem generationis indolem perscruteris? Ibi generatio à natiuitate nec secernitur numero, nec duratione distinguitur, nec tardâ expectatione fatigatur; idem est nasci & gigni, concipere & parere, vbi infinitus Filius ex infinito nascitur Genitore. Id vterus Marianus nancisci non præualet. Amoris fuit, & erga Virgineum vterum, & erga hominum cognationem, moras sustinere voluisse Filium in vulua, crescere, immorari, nasci post taxata tempora naturæ à conceptu: vt qui à Patre nascitur Deus, dum concipitur absque tardis & segnibus spatiis; à Maria oriretur homo post tarda vteri gestantis officia. Qui moras has non sustinet, Dei humanitatem non amat. Tertull. de carne Christi c. 2. *Planè natiuitas à Gabriële annuntiatur. Quid illi cum Angelo Creatoris & Virginis vtero? Odit moras, qui subitò Christum de cœlis deferebat.* Si semel virginis vterus est, natiuitatem præstolare, moras sustine. Nam qui apud Patrem nascitur absque mora Deus, aliam generationem amauit ex Maria: inter conceptum & partum immorari delegit, cuius naturam, sinumque pudicum deperibat. Vt distincta generatio, quæ ex Maria est, in eius gloriosius decus credatur; natiuitas post generationem accessit, cui in Patre nulla tardi puerperij accessio est. S. Fulgent. lib. 2. ad Trasimundum cap. 7. *Initium natiuitatis in natura hominis Christus habuit, in qua sine initio non potuit Mater esse, quæ genuit vt agnosceretur natura veritate recognita, nullum diuinæ natiuitatis habuisse, vbi sempiterno Patri, sicut initium existendi nullum fuit, sic nulla natiuitas initiata generationis accessit.* An ex hac tarditate, & natiuitatis initio illa velox, & æterna generatio comparet? Pergit: *Cùm ista natiuitas inuenitur initio subdita, quæ ex temporali homine substantialis temporaliter extitit: illa quoque sine initio credatur esse natiuitas, quæ de sempiterno Deo substantialis, atque sempiterna subsistit.*

Tertullian.

S. Fulgent.

Verùm si simplicitas illa natiuitatis, & generationis diuinæ in re non participatur à Virgine; saltem effectum est, quòd participentur vocabula: & ob Mariæ simplicissimam puritatem, Filij eius conceptio dicatur natiuitas; & natiuitas, generatio: vt sic, quo possit, perfectiùs supernæ generationi assimiletur. Fruor Dionys. Carthus. de dignit. Mariæ art. 17. *Non igitur virum vsquam cognouit; quæ ante sine libidine & absque pudoris tactu concepit, sine pœna, & sine corruptione quoque generare debebat. Denuò qui sine matre à Patre genitus fuit, sine patre quoque à Matre gignendus extitit, quatenus generationi cœlesti, atque Paternæ, temporalis itemque Materna pro viribus, & vt fas est, correspondeat.* Ecce natiuitatem generationem appellat, & diuinæ generationi pro viribus correspondere solicitat. Imò ex Maria ostenditur idem esse Filio Dei ex Deo nasci, quàm de Deo generari. D. Vigilius de Christo & fide Trinitat. apud Bibliothec. tom. 5. part. 3. ex epist. Constant. Imper. ad Prob. *Ostendam igitur, quantum ad proprietatem diuinæ generationis pertinet, hoc esse ex Deo nasci, quod est de ipso generari. Num igitur, quia Angelus Mariam sic affatus est, vt non de ipsa, sed ex ipsa gignendum diceret Filium, ob hoc in Christo veri hominis natiuitatem nequaquam profitebimur? Cernis igitur te superfluè in diuinæ generationis natiuitate visibilium creaturarum exempla protulisse.* Vbi, vt vides, generationē pro natiuitate promiscuè accipit, & ex Maria generante argumentū ad superna desumit. 16.

Carthus.

D. Vigil.

Si autem intimiùs penetrare cupis, cur Maria, dum parit, generare dicatur? Virginitas in causa est. Non potuit aptiori phrasi, Verbi Diuini, quod concepit, virginea exprimi natura. Mens eâdem actione concipit, & parit verbum, eodemque tractatu verbum generatur, & nascitur. Ergo vt addiscas Mariam vtero mentis, vteroque ventris Verbum generauisse cœleste; præ Angelicis spiritibus 17.

ritibus nitidiori puritate gignere perhibetur, cùm parit. Huc aduoco Ildephonsum lib. de virginit. Mariæ cap. 8. *Audisti Virginis oraculum, quæ tam verè vtero carnis concipis, & generas, quam verè vtero mentis accipis, & enarras: vno enim spiritu, & ad fidem fœcundata, & ad prolem.* (Ildeph.) Quare, vt suprà vidisti, Mariæ partus conceptui per aurem assimilatur, ac proinde non immeritò nuncupatur generatio. Dedi proclum: do Ambrosium lib. 1. de Salom. cap. 2. circa fin. *Dicit nauim sine vestigio, quia Verbum Dei viuum, & efficax per aurem penetrat ad viscera sine læsione; &* (Ambrof.) *homine assumpto, Verbum inter homines nascitur sine sui diminutione, & Maria Virgo generat sine corruptione.* Vbi quod Christo fuit nasci, Virgini generare est, & ex puro auris conceptaculo eius virginitas celebratur. Vide, quàm contribulis sit generatio Virginis corporea cum spirituali Paternæ mentis generatione.

18. Imò dixerim, quòd natiuitas, qua apud Patrem editur Filius Dei per generationem Matris gloriosa resplendet, & generatio hæc illi natiuitati correspondet. Suffragetur Ambrosius serm. (Idem.) de Natiuit. Domini: *Diuinitatis ergo est Filius Diuinitatis, inquam, incorrupta, integra, illibata, intelligo planè mysterium. Ideò enim secunda natiuitas per immaculatam Mariam, quæ prior per Diuinitatem constiterat illibata: vt cui prior natiuitas gloriosa extitit, eius secunda contumeliosa non fieret: hoc est, vt quemadmodum virgo diuinitas ediderat, ita eum & virgo Maria generaret.* Hæc vltimo attende. Nam edere fœtum patere est: & tamen Diuinitati edenti Filium diuinum Maria generans contraponitur, quia in Diuinitate idem est gignere, & edere; & in Maria vtrumque rosea virginitas illustrauit, generationem, & partum. Quin & Mariæ generatio natiuitas Filij Dei in eius vtero est: vt quem Pater sibi edit immanente actione progignens; Mater sibi edat, antequam per puerperium in lucis proferat vsuram, hominibusque offerat inspiciendam.

19. Attende. Antequam Deus Pater Filium suum Vnigenitum daret, perspicuáque ex Virgine natiuitate fecisset obuium; certè sibi nascebatur Filius, sibi edebatur, cui immensa Diuinitas mundus (Tertull.) erat, orbis, & locus, vt aliàs Tertullianus lib. 1. contra Prax. cap. 5. *Ante omnia Deus erat solus, & ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* (Ioan. 1.) Sic intelliges Ioannem: *Verbum erat apud Deum.* Quod sic accipio: Non erat solùm tanquam fœtus in vtero, antequam nascatur, qui nec distincta censetur persona, nec generanti socium se præbet, constituitve contubernium; sed expectat oriri, vt in mundo sibi locus sit, & in sodalitium edatur hominum. Verbum erat apud Deum, sicut iugiter genitum, sic æternè natum: nec indigebat edi, videri apud creaturas, cui (S. Fulgent.) Patris immensitas erat aula. S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimund. premens præfato Ioann. verba: *Hic sempiternitas ostenditur, hic immensitas inuenitur, hic essentialis natura monstratur: nam quod in principio erat, nunquam non erat, qui semper erat. Quid verò apud Deum erat, vocale non erat, sed immensum erat.* Ergo vt aliquale huius immensitatis vteri Paterni participium Materno præfulgeat in vtero; ideò in illo dicitur nasci Filius Dei, etiam cùm gignitur; in quo quidem præsignauit Mariæ vuluam amplum Filio Dei orbem esse, in illoque natum perhiberi, qui nascitur in vtero Patris. Cæteri infantes in ergastulo ventris irretiti, toto naturæ impulsu prorumpere gestiunt in lucem; nondumque sibi naturam existimant contigisse, quousque natiuitas accedat: in lucis orbem innatâ propensione ferunt. Filius Dei assuetus in vtero Genitoris nasci virgineo, adeò adamat virgineum vterum genitricis, vt in illo nasci sibi propensio sit, innatumque pondus amoris. Quare vix gignitur, & iam appetit natum in Matre, antequam ex Matre, etiam ab Angelis decantari: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Hinc idem est Filio Dei nasci, quod formam serui per Virginis (Matth. 1.) generationem intra eius vterum accipere. Id præstat S. Augustinus tom. 10. serm. 63. in Ioan. *Quid est natiuitas Filij de Virgine Maria? Certè as-* (August.) *sumptio formæ serui in Virginis vtero. Numquid est aliud nasci Filio, nisi accipere formam serui in Virginis vtero? Audi: quia & hoc Filius fecit, qui cùm in forma Dei esset, &c. cum venit plenitudo temporis, &c. Videmus ergo natiuitatem Filij à Patre factam: sed quia ipse Filius semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, videmus natiuitatem Filij ab ipso Filio factam.* Quoties ingeminat Augustinus natiuitatem! Et tamen, si rectè inspicias, de conceptione pertractat, in qua & naturam sumpsit humanam, & serui formam Vnigenitus Dei; serui, inquam, formam, quando in generationis momento ancillam se protulit Genitrix, vt in forma serui Filius nasceretur, & obsequiis manciparetur humanis. Benè de Virgine meruit Augustinus, tertio quoque verbo nobis natiuitatem Filij definiens; nec tamen meminit puerperij, sed adhuc totus intra vterum agit: quasi ea fuerit natiuitas, quam sibi Filius Dei percupiuit, & in qua gloriam sibi pangit, & honorem. Nec Patrem supernum hæc natiuitas piget. Audisti enim: *Vide ergo natiuitatem Filij à Patre factam.*

Mariæ liberalitas in puerperio per Virginitatem rependitur

SVBSECTIO Vnic.

20. Nba malus emicat miraculum in virginitate puerperij. Causam reddam, Virginea vteri aula quasi spatiosus orbis diuino fœtui erat; inibi se natum gloriabatur, & intra pudoris sinum iam sibi natiuitatem nuncupabat, cùm cæteri infantes sordibus & extis inuoluti feculentum percupiunt situm relinquere, nascique in lucem, vbi & maculas abstergant, & incipiant degere, in quod sunt. Filius Dei adhuc in vtero est, & natus est, quia sibi Mater mundissimus mundus est, quod dixit Bernardus serm. de B. (Bernard.) Maria: *In hac habitauit Pater & Filius, vt creator in mundo, Imperator in Regno, Paterfamilias in domo, Pontifex in templo, Sponsus in thalamo; priùs enim Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creauit.* Sapienter, vt meditor, congessit Bernardus omnes status & dignitates, quæ in mundo sunt, & ad quæ nascitur ex vulua matris homo, intra vterum Virginis: vt credideris scitè dici Filium Dei natum in ea etiam antequam in hunc mundum nasceretur ex ea: habebat enim intra Virgineum sinum, quicquid fœtum pellicit ad ortum. Si se amat Sponsum, inibi

bi est thalamus: si se Regem, inibi Virgineo murice saturata trabea: si se Sacerdotem, inibi altare: si se Patrem familias, inibi domus: si se Creatorem, inibi mundus. Quid quòd dicatur:
Matth.1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est?* Ergo, vt diximus, in hoc illustrius eminet miraculum, quòd Maria Filium peperit virgineè, hoc est, absque dolore, & ærumna; imò hilaris & læta. Cur non doleat, si ex vtero effundit Filium in vtero natum, & in gaudio vuluam incolentem? Cur non frangatur à luctu, si orbatur à pignore? Filius sibi natus erat, illum intra muros claudebat pudoris. Quod aliis nasci est, quia nondum nati in vtero censentur, quia in mundum eduntur; huic sacro fœtui, si ad Virginem compares, decedere & mori fuisse dices: quippe extra mundum exire, mori est; & nascens Filius ex Mariæ vtero, mundum sibi specialissimum relinquebat; & quasi functus, ex orbe egrediebatur Virgineo.

21. Igitur quod Mater non doleat, quòd hilarescat, supra prodigium est. Liberalitas, & virginitas dolore nesciuit: quia nobis dabat, gauisa est:
Corint.9. verf.7. hilarem datorem diligit Deus: virginitas hilarescit, cùm parit. Proficua est nobis Maria: & quia parit, & quia Virgo, sine inuidia communicat, sine liuore donat, sine labore enititur; sibique iam natum, natum vult esse & nobis. Adest Rich. de
Rich. S.Laurent. lib.4. pag. 273. *Item communicatiuè quod apparuit in natiuitate Filij, quando scilicet eum, à quo tantas habebat delicias, quem tenebat clausum in vtero, cum gaudio peperit; vt suas tanquam vltro liberalis nobis sine inuidia communicaret delicias, quas sola possideret, si ex vtero eius Filius natus non fuisset. Ideò dicitur Isai. 9. Filius natus est nobis, non sibi: quia melius non poterat sibi nasci, quàm natus erat. Sed licèt Beata Virgo ipsum permitteret exire de ventre, excellenter tamen retinebat in mente.* Acutè meditatur, & sanctè. Virgo in pariendo liberè egit: liberalis Filium effudit, & pietatis viscera, quæ non lacerauit iactura pudoris, sed integritas custodiuit, integra nobis pientissimâ magnificentia donauit. Verùm quem effudit è corpore, retinuit in mente: quippe qui pro nobis natus non sustinuit, quin semper esset eius.

22. Ex quo crediderim liberalitatem hanc Virginis in ipsa virginitate partus esse repensam. Retribuit virginitas, quod dedit liberalitas; compensauit integritas parientis, nascentis beneficium. Si roges causam, reddo. Dum Mariæ fœcunditas nobis liberaliter Filium parit, integra manet, sigillata perdurat, quasi nondum effosso thesauro, quasi nondum egresso pignore: vt intus mansisse primis oculis possit cogitari pignus, quod peperit; siquidem nullum est vestigium, nulla semita, per quam exierit. Chrysol. serm.
Chrysol. 142. *In tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas. Virgo, si tibi salua sunt omnia, quid dedisti?* Venustè: quasi integritas parientis sibi seruauisse videatur, quod dedit: nec amisisse pignus, cum clausa permanserit. Vide, quid agat integritas. Verè in vtero non mansit infans vt homo, quem nobis puerpera dedit: & tamen obsignatæ portæ seruare adhuc videntur, & claudere fœtum cœlestem. Nonnè vides? Cùm parit Maria, dicitur generare: & tamen quod gignitur, intus in genitrice manet, donec partus edat, educat natiuitas. Benè Virginis locupleti dignitati consuluit stylus, iste: diues abundat, cùm parit: non sibi perdidit, quod donauit: sibi generat, cùm enititur: amat eius viscera Filius Dei, seque Matri redonat; & quamuis corpore discessit à vulua, ipsummet puerperium vult generationem vocari, vt saltem voce remuneret Matris largitatem, & ob integritatem parientis intra parentem virginem habitare credatur.

Cantic. 4. versic. 12. *Hortus conclusus Soror mea Sponsa, fons signatus.* Quæ verba vno agmine de virginitate Mariæ accipiunt Patres. Hesychius orat. 2. de Deipar. Rupertus lib. 4. in Cant. Hieronym. lib. 2. contra Iouinian. Epiphan. serm. de laud. Mariæ. Honor. in sigill. Hailgrin. & Huilhelm. apud Delrium. Qualis commendatio ista est à septo viridario, ab obsignato fonte? Si semper fons signatus est quis vsus aquarum? cui perennis scaturigo proficiet? Si conclusus hortus iugiter sepiatur muro, nullamque semitam permittat eunti: cui maturis baccis opima ligna blandientur? cui arborum inseruiet fertilitas? Imò si intra hortum, si intra fontem Sponsus est; sat horto, sat fonti est. Benè. Sed egresso Sponso, quem fœcunda edidit, & horti vbertas, & puritas fontis: vtquid remanet obsignatus iste, conseptus ille? Quia adhuc Sponsi vsibus perseuerat. Virginitas parientis præsentem reddit Sponsum: porta clausa non recessisse denotat, qui verè recessit: claustri soliditas adhuc Deum vterum indicat possidere. Carthusian. de dignit. Mariæ art. 17. *Quemadmodum, dignissima Maria, in conceptione Christi claustra pudoris permanent, sic vtique in partu virginei ventris porta clausa, intemerataque permansit: & in his quidem te Deus eatenus possidebat, vt nulli deinceps fœmineo te vti vsu liceret.* 23.

Cantic.4. Hesych. Rupert. Hieron. Epiph. Honor. Hailg. Guilh.

Carthusian.

Obserua medullitùs distinctionem: *Hortus conclusus*: quia conclusa & virginea concepit Maria. *Fons signatus*: quia peperit inuiolata: Eximia proprietas. Gignit hortus germina, non dat: decerpit manus pendulos ex arboribus fructus: fons iugiter scaturiens, iugiter pariens est; ab vtero parit aquas, cùm effundit. Ideò in horto generatio, in fonte designatur puerperium. Vtrobique signaculum, quia vtrobique integritas in Maria: sicut tamen fons super semet solet fundere laticem, quem parit, acsi sibi gigneret, quod largitur: generare dicitur Virgo, cùm enititur: Sic mihi arridet Iustus Orgelit. in Cant. apud Biblioth. tom.6. *Potest hortus conclusus, & fons signatus ipsa Mater Domini Sancta Maria intelligi, quæ virgo concipiens, virgoque gignens, conclusi horti, & signati fontis intemeratum in se decus exhibuit.* Partitè distribuit vtrumque: hortum applicat concipienti, fontem generanti, id est parienti, iuxta Patrum stylum. Si generat, cùm parit: quid quòd signatatus fons perseueret? Benè signatus, & non conclusus sicut hortus, nempe Principis Sponsi sigillo; quia potuit egredi, cùm voluit nasci: nec pessulum mouit, & inaperto signaculo exiuit: ea sigilli indoles fuit; emisit Dominum, nec custodiam remisit. 24.

Iustus. Orgel.

In hoc signato fonte mirè virginitas in partu decantatur, quam nullæ sordes, nulla fœtida fluenta deturparunt. Mulieres in puerperio adeò sanguineâ temerantur illuuie, adeò scaturientibus, colliquatisque fæcibus circumfluunt; vt signum soleat dici pariendi, ruptum esse *fontem*, sic enim vocant. Ergo quàm appositè Maria pariens, fons signatus dicitur: vtpote è qua nullus sordidus 25.

ema

emanauit excursus, nulla sanguinea profluxit iniuria: totum fuit integritas, totum candor. His accinit Ildephonsus in lib. contra eos, qui disput. de perpet. virginit. Mariæ. (Ildeph.) *Hic itaque est ille hortus conclusus in canticis, fons signatus. Hortus siquidem conclusus: quia quando ingressus est ad eam, incorruptam inuenit: sed fons signatus permansit, quando Deus & homo natus est ex ea, nec tamen fontem pudoris, aut sanguinis integritatem violauit. Nam sanguis, & fons pudoris, qui corruptus non fuit in conceptione prolis ex coitu viri, non credo, quòd corrumpi debuerit in natiuitate, quòd cruciationem Matris, & contaminationem honestatis habuerit.* Non frangitur Virgineus fons, non honestas discinditur: subsignatus est, nam natus ipse signauit. Nec tamen fons exiccatus aruit: ipsemet, qui signauit, vt flumen viuum emanat vitalibus vndis: inuenit alueum, nec tamen alueum temerauit. (Andr. Hierosol.) Andreas Hierosol. de laud. *Qui ineffabili quadam potentia, fluminis instar viui, purum vterum egressus, quatuor velut initiis per euangelium suum orbis faciem irrigauit.*

Mariæ Virginitas in puerperio gloriosior, Diuinæ Virginitatis index fuit.

Sectio III.

26. QVID effutis, Iouiniane, quid audes Hæretice? Mariam in partu lacerare tentas, quam tota virginitas inuasit. *Audi tu* (Ildeph.) (verba sunt Ildephonsi nostri lib. de virginit. Mar. c. 1.) *percipe tu, Iouiniane, corde sapito fatue, præcordiis cognosce stulte, sensu disce caduce. Nolo pudorem nostræ Virginis corruptum partu causeris, nolo integritatem generatione decerpas. Nolo virginitatem per exitum nascentis scindas, noloque Virginem genitricis officio priues.* Quæ verba euoluens P. Vasquez tom. 2. in 3. p. disp. 121. c. 2. n. 8. offendit illicò in illis verbis: *Nolo integritatem generatione decerpas.* Iouinianus enim solù in partu Virginem abnegabat, quam in conceptu fatebatur. (Vasq.) Enodat Vasquez, quia putat ideò generationem pro parturitione apposuisse Ildephonsum, quippe hæreticus ille contendebat Mariam neutiquam genitricem asserendam, nisi fractis signaculis muliebri more fuerit enixa. Verum est, id sanctum Præsulem innuere in illis: *Noloque Virginem genitricis officio priues:* attamen sensum hunc alia verba præfixa non patiuntur: non enim integritatem in generatione decerpebat, qui conceptum Virgineum credens, discindebat Virginem in puerperio. Perspicua mens est, quæ elucet ea simili Patrum locutione, quas suprà cumulauimus, & in Virginis nostræ celsitudinem cacoluimus, in qua puerperium *generatio* nuncupatur. Quare synonymis gaudens Ildephonsus, quibus scriptum illud componitur, vnum sub duplici phrasi proposuit: *Nolo pudorem nostræ Virginis corruptum partu causeris: nolo integritatem generatione decerpas.* Quod generationem non pro conceptu, sed pro partu posuerit, perspicuè sequentia declarant: *Si Virgini nostræ aut generationem, aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione adire Virginem potuisse. Negas Deum, quod vellet, facere quiuisse, quem concedis genitricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse.* Quibus luculenter Iouiniani stoliditatem, mentemque vesanam explicuit. Ergo ille genitricem integram credebat, id est, in conceptu illibatam; sed in partu fractam, impuro contendebat piaculo. Stat Ildephonsus: fatuum contendis, insipidumque castigat inconsequentiæ notâ, partumque vocabulo generationis appellat; vt virginitatem, quam generationi, id est, conceptui dabat hæreticus, arguat mordicùs in puerperio.

27. Hæc Ildephonsi ratiocinatio hanc nobis thesim locupletandam proponit: Maria, licèt in omni statu supremum virginitatis verticem obtinuerit; gloriosior tamen, & (si fieri potuit) integrior in partu Virgo fuit. Promptum est decoram subdere rationem. Fœmina, quæ ex thalamo concipit, ipsa sibi per illecebræ assensum virginitatē interemit, exterminat pudorem: cæterùm cùm puerpera parit, non sibi lubens sectionem incutit; inuita frangitur, dolens abrumpitur: fœtus nasci auidus sanguinem impetu est, qui integritatem violat parientis; ille matrē inquinat, generationisque beneficiū crudeli tormento remunerat. Ergo quòd Maria in concipiendo, virū non admiserit, sed virgo fuerit; ipsa sibi causa fuit: quę sic virginitatem deperiuit, vt Matris præposuerit maiestati. Quòd verò virgo sit in partu, genito Filio debet irrogari: quippe in egressu signaculum Matris non amouit. Quod si violaret pudorem, & absumeret honestatem, non tam Virginis, quàm ipsius Filij esset iniuria; vtpote qui priùs sibi virginitatem lædere videretur, quàm Matri: quoniā Matris propria virginitas iam florens & eximia præcesserat in conceptu, quam Filius amputabat in partu. Ergo virginitas in partu Filio Dei ferenda est, eius in propria: virginitas in concipiendo Mariæ est. Cense iam, quæ sit maior, virginitas Dei, an virginitas creaturæ? Nisi desipias, præferes diuinam. Assentire gloriosiùs Virginem esse Mariam puerperam, quàm generantem. Discursus iste ingenuè acuitur ab Ildephonso suprà: *Grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione adire Virginem potuisse.* (Ildeph.) Et statim: *Vt ergo asseris, omnipotentis Diuinitas non profuit virginitati, sed obfuit. Quia dum virgineum decus nascendo violauit, summam virginitatem destruxit: ac per hoc ipsum adstruis Virginem deturpasse nascendo, quam decorauerat ipso creando.*

28. Quæ verba ingeniosam aciem præ se ferunt. Expende illud: *Quia dum virgineum decus nascendo violauit, summam virginitatem destruxit.* Ergo ante partum iam in Maria summa virginitas erat. Si maior in partu est, qualis censebitur, nisi diuina? In eo neruosa est argutia. Quis tam excors mentis sic valet ineptire: vt crediderit Deitatem, in qua summa, & prima virginitas est, summam virginitatem destruxisse: cùm Deitas natura pura & immaculata sit, omnem exosa labem, quam in creaturis ea sui admiratione detergit? Qui ergo virginitatem summam potuit corrumpere natura quæ in virginitate summā est? Semet perderet, sibi funditùs pararet excidium, si virginitatem summam deuastaret. Quæ energia est in illis: *Vt ergo asseris, omnipotentis Diuinitas non profuit diuinitati, sed obfuit.* Ergo virginitas in partu Deo ge-

nito attriboenda dignoſcitur: ae proinde ſupremam tenet puritatem. Fauet pluſculùm S. Ephr. S. Ephræm. de Margat. ptet. *Sola mulier abſque viro genuit, uam corruptionis expers erat, qui generabatur. Virgoque peperit propter eum, qui puritatis, ac caſtitatis fons erat.* Expeode, cur peperit Virgo: nempe quia ſic deeebat uaſeentis puritatem, qui fons virginitatis eſt; & de illius eaſtitate agebatur, coius iacturam ſubiret, ſi integritas interiret parientis.

29\. August. In hunc ſeoſum omnes fermè Pattes conſpitant, dum ſignatè virginitatem puerperij Deo genito appropriant. S. Auguſt. tom. 10. ſerm. 22. in Nat. Dom. *Humanis greſſibus portabatur pictura Deifica, & in auguſto pudoris eubiculo eum, quem cœli non eapiunt ſancta Virgo portabat incluſum: & peperit eum, non qui naſcendo pollueret parientem, ſed qui à pollutione ſæculum delauaret.* En non polluiſſe Matrem adſtuit Auguſtinus: quaſi ſe priùs pollueret, & inquinatet, qui facibus macularet parientem. Pictutam Deificam fœtum in vtero Virginis appellat, vt Deum ſe geſſiſſe in naſeendo conuincat, qualiter naſcitur à Patre, quem ſplendotibus pingit, vtpote indiuiſâ virginitate eum generante Patre potitus. Multus eſt in hoe Auguſtinus: nam lib. vnico de fide terum inuiſib. tom. 4. Idem. *Non dubitabitis Virginem parientem, ſi velitis credere Deum naſceutem, Matri fœcunditatem afferentem, integritatem non auferentem.* tom. 10. ſetm. 1. in Natiuit Dom. *Qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit natus.* Sic & tom. 3. lib. vnico de fide ad Petrum cap. 2. Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 2. Fulgent. *Qui, dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine, & cùm naſceretur, integritatem virginitatis ſeruauit in Matre.* Chryſolog. Chryſolog. ſerm. 144. *Meritò ergo Virgini ſalua ſunt omnia, quæ omnium genuit Saluatorem.* S. Leo. S. Leo ſerm 2. de Chriſti Natiuit. *Oportuit, vt primam genitricis integritatem naſcens incorruptio cuſtodiret.* Iſidorus. Hiſpalenſ. Iſidotus Hiſpalenſ. lib 2. different. col. 6. *Corpus ex Virgine ſumpſit, virginitatem materna carnis non abſtulit.* Goffridus. Goffridus ſerm. 2. in Natiuit. Dom. *Honorem ſuæ honeſtiſſimæ Matris pudicitiæ, & virginitatis ſigillo cuſtodiens.* S. Eligius homil. 2. in S. Eligius. Purificat. apud Bibliothec. tom. 7. *Non ſic intelligi voluit, quòd Chriſtus vterum Matris naſcendo virginitate priuauerit.*

30\. Quid pluries? Congeſſimus hos, vt didiceris virginitatem in partu diuinæ ſoboli partitè attogari: quaſi ſibi dedeeus imponeret, ſi impudicis Mattem iniuriis defœdaret. Nam vtriuſque virginitas vaſtaretur: naſcentis, quia intetimeret pudorem; parientis, quia periret. Vis probem? Auctor ſit Algetus de Sacram. apud Bibliothec. Algerus. tom. 12. lib. 1. cap. 2. *Vt ergo Deificum corpus Chriſti eiuſque eſſet potentia, clareſceret; ſicut Sol vitrum ſine ſui, vel illius læſione penetrat: ſic ipſum non phantaſticum, ſed verum Virginis Matris virginalia integra integrum pertranſiens, nec ab eis diſſipatur, nec ea diſſipat.* Pondera, quam ſoletti conatu duo conficere nititur Algerus; & quòd virginalia Mariæ ſepta non diſſipata fuerint in partu; & quòd ipſe Filius naſeens diſſipatus non fuerit: quòd vitrum non fregerit radius Solis; nec quòd radius læſus fuerit à vitro: quòd integrum pertranſierit Dominicum corpus, quòd integtum manſerit Marianum. Quid in tam ſetiam ſedulitatem adegit? Quòd ſi diſſiparet Mattem naſcendo, diſſiparetur & ipſe, qui naſcebatur: nec poterat ſola Matris occubuiſſe virginitas, eùm & Filij Diuinitas læderetur.

Id ex Verbi proprietate pronum eſt confirmare, quod ſpiritalem ſinum, ex quo procedit, non 31.
temerat. Iuoat expendere S. Thomam 3. part. quæſt. 28. art. 2. in eorp. *Hoc competebat proprietati eius, qui naſcebatur, qui eſt Verbum Dei. Nam* S. Thom.
Verbum non ſolum in corde abſque corruptione concipitur; ſed etiam abſque corruptione ex corde procedit. Vnde vt oſtenderetur, quòd illud eſſet corpus ipſius Verbi Dei, conueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero naſceretur. Ratio hæc ſic confecta ab Angelico Magiſtro, illicò nobis difficultatem incutit Quoniam verbum mentis non duplici progreſſu, ab intellectu procedit, ita vt & concipiatur, & patiatur gemino labore; illi concipi, naſci eſt: id ſuperiori ſectione nos dicebamus. Cur igitur S. Thomas geminat progreſſum, dum inquit: *Nam verbum non ſolùm in cor-* Caietanus.
de abſque corruptione concipitur, ſed etiam abſque corruptione ex corde procedit: quaſi duplex ſit & diſtincta actio, qua concipitur, & procedit? Difficultatem vidit Caietanus, ingenioſéq; (vt aſſolet) enodare contendit: ſententia eius eſt, vnum eſſe omnino proceſſum diuerſis nominibus explicatum, quo verbum concipitur, & naſcitur: verùm vt intelligatur in intellectu manere, concipi dicitur; vt ab intellectu diſtingui monſtretur, dicitur naſci: *Quia proles* (inquit) *dum in vtero concipitur, in vtero manet: & dum ex vtero naſcitur, à matre diſtinguitur perfectè. Simili ſiquidem modo, quia verbum cordis in corde prolatum manet, concipi dicitur: & quia à corde prolatum perfectè diſtinguitur, ideò naſci dicitur ex corde.* Subtiliter, ſed non ſolide: conceptio enim perfectam indicat diſtinctionem in prole ſeu vteri, ſeu cordis.

Mens S. Thomæ eſt, quòd verbum mentis non 32.
ſolùm dum intra mentem eſt, quaſi fœtus conceptus in vtero, ſinum non temerat intellectus, verùm nec cùm procedit ex corde, & per organum linguæ demittitur, mentem corrumpit, diſcindit os. Ex quo ſtrenuè virginitatem in Mariæ puerperio confirmat, in proprietate ipſius Verbi Dei innixus: quod quaſi per carnea labia ſenſibus voluit humanis præſentari, Virgineumque corpus delegit, per cuius organum laberetur. Verbi naturæ derogaret, ſi ſepta diſcinderet virginalia: à puritate decideret, qua ex origine mentis mundiſſima nitet, ſi inquinamenti in Matre pateretur iniuriam. Imò non ſe Verbum panderet, quod ſinum non deſerit loquentis; etſi per puerperium oris, auribus innaſcatur & auris. Ideò obſignata elauſtra reliquit natus ex Virgine, vt & intus manere, quà Verbum eſt, oſtenderet; etſi foras progrederetur, quà homo. Quare potiùs illi integritas Matris in pariendo tribuitur, virginitaſq; celebratur; à qua concipiente veritatem carnis accepit. S. Laurent. Iuſtin. de caſto connub. Verbi & animæ c. 9. col. in fin. *Verbum quippè Dei,* S. Laurent.
dũ cõciperetur, veritatẽ carnis accepit ex Virgine: & Iuſtin.
cùm naſceretur, integritatẽ virgin ſeruauit in Matre.

Si logos Patris, id eſt, Verbum per vterum 33.
egreditur: qui egeret ſemitam effodere, cuneis findere viam, materialeſque obices explodere, vt itineri daretur locus. Hæc natura Verbi eſt, intellectuſque gignentis, quòd non terminis ſtringitur vllis, non cancellis mortalibus obſtruitur, nec corporeis detinetur obſtaculis; immo to corpore intelligentis intellectus tranat maria, extremaſque plagas penetrat, & vſque ad cœlorum pertingit, faſtigia;

fastigia; liberè peregrinatur per orbem, nullum sibi impedimentum moles est. Igitur si, vt Verbum Dei egrederetur è Virgine, opus illi fuisset aperire viam, rumpere vectes: non se Verbum Patris monstraret. Sic capies Damascenum in versib. de Christi natiuit.

Damasc. *O Virgo radix, cui pius Iesse fuit,*
Excedis omnes terminos mortalium,
Æuo priorem dum Patris logon paris
Transire vt ipse se nouo vacuans modo.
Clausum per vterum voluit expertem viri.

34. Obserua illud: *Excedis omnes terminos mortalium.* Id suprà in aliud discussimus institutum. Innatus explicatus horum verborum est, quem innuimus. Quia Verbum Patris ex vtero Virginis exiens, se Verbum enuntiat, nullis mortalium terminis concluditur; nec eget seras soluere, vt penetret, & procedat, sed intellectus opus liberè agit, qui, vt per corporalia percurrat, subiectre solida; non prius seris remouet, fatigatque septa. Hinc Damascenus proprietatem Filij de Matre decantat & omnes terminos mortalium, id est, mortales & corporeos excedere canit: quoniam Filius eius clausis signaculis exiuit ab ea. Mira deductio, sed necessaria. Nam si Maria Verbum ex vtero parit, similitudinem habet cum mente, quæ corporeos terminos excedit: siquidem vt longè dissita loca intelligat, non intersectis quantitatibus impeditur. Ergo mens Maria est spiritalis: quasi nimium carneis pedicis altior. Sibi subseruiat Damascenus in senten. de Virg. anount. *Daniel te spiritualem mentem vocat.* Cur spiritualem? alibi dedimus. Virginitas nullis terminis præpeditur, nullis obsidetur carceribus; quoscumque terminos præfigas, excedit: tota libertate potitur, mentis adinstar; nescit succumbere seruituti. Ideò Mariæ corpus Verbi Dei balsamum sic in mentis liberæ dignitatem transiuit, vt, dum parientium viscera colluuie fæculenta obscurantur, eius viscera dominante luce, qua nihil est limpidius, coruscarent: quæ Verbum Dei effundebant, in quo vita erat, & vita erat lux hominum, Augustinus tom. 10, serm. 22. *Nulla Virginitas seruitati succumbit, quia illum diligit, qui humano generi attulit libertatem, Cælestis propago germinabat in vtero, & in ex... io partu virginea viscera coruscabant.* Quid purius? Si coruscant viscera parientis, & pro puerperij sordibus lumen est; mentem iure dixeris Mariam, quæ per verbum, quod parit, illustratur.

Ioan. 1. August.

35. Profectò non carneus intrauit in vterum Matris Filius Dei; sed intra vterum Verbum caro factum est. Intrauisse dicitur per aurem, vt se mentis genus enuntiaret: nam fide Virgo concepit; fides autem ex auditu. Non sic integritas emicat in conceptu; nam corpus intrinsecùs modulatum artificeque compactum Spiritu, indiguit reseratione ad ingressum; sat fuit fides concipientis, quæ dum magis aures aperit, magis castimonia custodit. Cæterùm quòd iam corporeus infans, virgineis repagulis obsignatis, ederetur, integritatem supramodùm extollit quæ carnis naturam nobis exhibuit in Filio, & carnis fracturam non sustinuit in Matre. Cùm per aurem ingredi dicitur, nondum est homo; & tamen organũ spiritualibus officijs mancipatum deligitur, cùm per vuluam egreditur, homo iam est; & caro perseuerat immota. Ergo se solidiorẽ, subtilioremque, caro Virginis exhibuit, quam auris spiritalis: siquidem per hanc Deus, per illam Deus & homo inconcussâ stabilitate, traiecit. Si forsan hoc respexit Propheta, cùm clausam portam vaticinatur: *Per viam vestibuli porta ingreditur, & per viam eius egredietur.* Diligens obserua partitè loquentem Vatem: aliam semitam ingredienti dat, aliam egredienti. *Per viam eius,* inquit, *egredietur.* Cuius? Num vestibuli? num portæ? Res Mariæ agitur, conceptus declaratur, & partus: vtrobique clausa prædicitur; verùm gloriosiùs celebratur egressus: nam per viam vestibuli portæ non per viam portæ, ingressurus dicitur: quia nondum caro factum per viam vestibuli, id est, per fidem, per aurem, animique feruentes actus Verbum, vt homo gigneretur, introiuit: attamen iam non spiritaliter, sed carnè *per viam eius*, id est ipsius portæ egressum fuit, homoque per carnem Virgineam, corpusque per corpus exiuit. In quo adhuc miro ingenio virginitas genitricis notata est: nam quotquot corrupta matre generantur, per eandem viam egrediuntur nascentes, per quam ingressi sunt generandi. Profundè Rupert. in Ezech. lib. 2. c. 32. *Notanda diligenter distinctio ingressus, atque egressus Principis huius. Denique nos omnes, qui portis apertis, id est, membris corruptis nascimur, per quam viam traduce inserente ingredimur, per ipsam, & egredimur: vnde & ignobiles, nimiumque plebeij sumus. Ille autem Princeps nobilis per viam, inquit, vestibuli porta ingredietur, id est, per fidem credula Virginis concipietur, & per viam non iam vestibuli porta, sed per viam eius egredietur, id est, per integra virginalia, vera de carne caro; verus de Matre homo nascetur.* Sapienter quidem. Quibus accinere video Damasc. lib. 4. de Orthod. fide c. 15. *Ac conceptio quidem per aurem contigit; procreatio autem per eam partem, qua fœtus in lucem exire consueuerunt. Neque enim impossibile hoc ipsi erat, vt & per portam transiret, & illius tamen signacula minimè labefactaret.*

Ezech. 44.3. Rupert. Damascen.

36. Verùm si porta clausa oculis ostenditur Prophetæ; quomodò per viam eius Princeps egressurus proponitur? Satiùs dixisset *per eam*: via etenim non est, vbi porta vectibus solidatur infectis. Si ea se porta hæc seris obstringitur; Princeps, etsi suâ potentiâ penetret portam, immotâque relinquat, per portam quidem exire dicatur, non per viam eius. O quantum virginitatis Marianæ excellentia sacris Vatibus illuxit! Imò hæc via portæ huius est, quòd non aliter subseruiat, nisi clausa. Tunc viam exeunti Principi dat, quando inturbati cardines perseuerant. Meliùs: *Per viam eius egredietur*, id est, per virginitatem Mariæ. *Via* institutum vitæ significat, actiones singulares, & opera. Act. 9. vers. 2. *Vt si quos inuenisset huius viæ viros*, id est huius instituti. Psal. 26. vers. 14. *Vniuersa viæ Domini misericordia & veritas.* Quale Mariæ institutum fuit? Certè virginitas, huic se deuouit: huius singulariter aperuit semitam, erexit vexillum. Ergo per viam eius egreditur, quia Mariæ virginitas peperit Principem. Hinc vlteriùs viam eius dixerim, id est, viam eius egredientis: via enim ipsum actum eundi significare solet, vt liquet ex Cicer. 2. Philip. Ouid. 2. Metamor. Hæc via viri fuit, quam in adolescentula difficilem sibi cogitatum, imò penitùs ignotam decreuerat Sapiens. Prouerb. 30. *Et viam viri in adolescentula sua.* Quod de Christo & Beata Virgine Lyra & Iansenius exponunt. Virginitas peperit: hæc via Mariæ est, ob quam exultauit, vt gigas, Dominus *ad currendam viam suam*, cui dicebant: *Deus in sancto via tua.* Ambros. ser. in die Parasc. *Beatum planè*

Actor. 9. 3. Psal. 26.14. Cicer. Ouid. Prou. 30. Lyra. Iansen. Psal. 18. Psal. 76. Ambros.

corpus, quod virginitas peperit. Et statim: *Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas.* Augustinus tom. 10. serm. 12. in Natiu. Domin. *In Maria Christum pia virginitas peperit.* Fulgentius epist. 3. ad Gallam. c. 4. *Quem corporaliter sancta virginitas peperit.* Sic peperit virginitas, *per vitam eius*, id est per virginitatem Mariæ Principem egressurū eximio stylo ariolatur Propheta. Sic Sedulius lib. 2. oper. Pasch. cap. 3. *Deitate precelsus per hospititalis templi synceram defluens castitatem non læsit corpus abscedens, qui non læserat, cùm venisset.* De quo loco suprà. Si per vestibulum portæ, id est, per aurem ex fide Angelico verbo intentam ingressus est Princeps; quà egrederetur nisi per viam eius, per vterum clausum, vt in introitu & egressu Verbum se probaret: sed in introitu, Verbum solùm; in egressu, Verbum & hominem, qui venerat saluos facere, qui perierant. Goffridus serm. 1. de Natiuit. Domin. *Hodie venerabilis, & vniuersalis Regina Angelorum, & hominum, Virgo Maria, quem verbo concepit Angelico, clauso vtero natum mundo edidit Saluatorem.*

Aug. Fulgentius. Sedul. Luc 19. Goffr.

37. Quæ hucusque meditati sumus, non modicè thesim illam probat, quam affiximus, gloriosiorem nempe emicuisse integritatem Virginis in partu, quàm in conceptu; vtpote quia integritas ista ipsemet Filio Dei attribuitur, qui in plenitudine Diuinitatis corporaliter diues, diuinæ virginitati iniuriam inureret; si Matris in natiuitate signaculum turbaret pudoris. Hæc, si seorsim virginitatem cum virginitate compares: cæterum virginitas in concipiendo supremā excellentiam sortitur ex adiunctæ fœcunditatis miraculo. Sic acciperem Amadeum homil. 4. de laudib. Virg. *Porrò Dei genitrix nec in carne delectata, nec carne cruciata & in conceptione virginior, & in partu extitit sanior, obstetricante illa manu, de qua per Psalmistam: Fiat manus tua, vt saluet me. Manus quippe Dei Vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit secula.* In qua sententia non opinor Amadeum comparare conceptum, & partum ad virginitatis excessum; sed Virginem cum seipsa in vtroque tempore: quia virginior extitit per conceptum ipsum, quàm si infœcunda subsignato pudore remaneret, sanior in partu, quàm si sacro puerperio non frueretur.

38. Quod si comparatio fuerit inter vtrumque tēpus, excedit & exceditur vnumquodque; in fœcunditate conceptio, in sanitate puerperium: cui obstetrix dicitur ipsemet, qui nascebatur; vt addiscas illi integritatem hanc imputari: quare debet esse sublimior; veluti si Diuinitas peperisset: diuinum enim partum iure dixeris, qui solùm sub omnipotentia fuit; & cui diuina est opitulata virginitas. Potiamur S. Gaudent. ser. 13. de Natal. Domin. *Hanc omnipotentiam Filij Dei, & hominis etiam Mater virgo testatur, quæ de Spiritu sancto concipiens, ita Deum, & hominem, quem pudico vtero gestauerat, edidit; vt apud incorruptam tanti nominis Matrem post Diuinum partum gloriosior integritas permaneret. Diuinum rectè dicimus partum, quia Deus est iste, qui per Virginem natus in carne est.* En gloriosiorem integritatem, quia partus diuinus. En partum diuinum, quia Deus per Virginem nascitur. Quod quidem nimiùm materiale esset, si solùm sic acciperes, quòd Deus terminus huius partus sit ideòque partum nuncupari diuinum. Ne subterfugias, etiam accipere formaliùs; videlicèt quòd Deus ipse omnipotens|more diuino, id est, virginitate non læsa, egressus fuerit; quasi dum Virgo Mater illæsa puerpera enixa est, ipse semet eniteretur & pareret; vt vndequaque partus efferatur diuinus, integritasque gloriosior, quæ Dei simul & Mariæ est.

S. Gaudent.

Quare cœleste puerperium crediderim appellari. Si Aldhelm. lib. de laud. virg. c. 3. *Incontaminata Maria virginitas incarnatum Dei Verbum cœlesti puerperio peperit.* Cœleste puerperium vnum est in diuinis; in Patre cœlesti, qui simul parit, & gignit Vnigenitum: non ibi se producit Filius, non parit; quippe, etsi vna natura est, distincta est persona. Id in Maria sortitus est, cuius naturam communicat: nascitur, ipse & ipse se producit: quare non naturæ in puerperio patitur sanguineū impulsum, officiaque cruenta, sed quasi functiones pariendi cū Matre partitus; illa maturum fœtum per naturæ claustra edit; ille per clausa signacula se traiectat: ideò cœleste puerperiū est. Ergo Mater, quæ opitulante Filio sic parit, alteri parienti videtur adesse, nempe Deo, cuius fiat testis: nec dolorem agnoscat, sed virtutem; & integritatis sortiatur augmentum, quę ex Filij integritate, virgineóque partu gloriosiora sibi incremēta capessit. Sic enoda Chrysor. ser. 117. *Ergo virtutis est caro conscia, non doloris, quæ magis pariendo integritatis augmenta suscipit, damna pudoris ignorat: testis potiùs sui partus extitit, quæ nullas partus pertulit passiones: & Sacramentis cœlestibus interfuisse se noua Mater miratur, quæ nascentis ordinem intelligit, humana consuetudinis nil habere.* Decorè, & floridè. Verùm illud difficile *testis potiùs sui partus extitit.* Contradicentia quidem sunt. Nullus sui facti testis est: extraneus debet contestari, vt testimonium accipiatur. Quî ergo Maria puerpera non solùm asserit se virgineè peperisse, sed testis dicitur; quasi alieno interfuisset puerperio? Subtiliter. Sic attonita, cœlestibusque gaudiis imbuta obstupuit caro post editū fœtum; cuius semitam ignorauit, vt alienum putare posset fuisse negotium: dum virtutem sensit, ignorauit vestigia. Sic potuit Maria testis esse sui partus; sui quidem, quia verè peperit, testis: quia alterius erat, nempe Dei, virtus, quæ parientis iniurias pepulit. Diuini partus testis Maria est: quoniam virtutem Filij quasi se parientis testatur. Quibus mirè applaudunt illa Chrysologi: *& Sacramentis cœlestibus interfuisse se noua Mater miratur.* Ideò conscia dicitur, quasi simul cum alio sciens: quin eius scientia celebratur, quòd sciuerit, quomodò pepererit; cùm tamen mulieres solùm per dolorum turbinem, vexationisque doctrinam sciunt, quomodò pariunt, cùm tamen nesciant, quomodò gignant. Ideò id canit. Nazianzenus in carm. de Christo patiente, col. 9.

39. Aldhelmus. Chrys. Nazianz.

Enixa sum illum, sed scio quonam modo,
Partus dolores quàm graues effugerim.

Et colum. 11.

—— suprà omnem quam scio, mortalium
Legem ipsa Mater semine absque vllo viri
Peperit dolorum nescia in partu omnium.

40. Hinc cognosces, sociā virtute, & Dei & Mariæ contigisse puerperium, & virginitatem additam virginitati lucidiùs emicuisse. Et quidem iam probauimus virginitatem in pariendo multùm à diuina traxisse: nam ibi virginitas Dei ostensa est, dum incorrupta peperit incorruptum. S. Gaudentius serm. 13. de Nat. Domin. *Sine vllo damno integritatis materna egreditur: nam Beatissima Maria incorruptibilem pariens, & Mater, & Virgo est.*

Gaudent.

eſt. Diuinæ ergo incorruptibilis cauſa agebatur, & ex incorruptioue naſcentis, parientis incorruptio demonſtratur. Annè natura humana hac poterat excellentiâ vigere? Sanè in natura adhuc illa viciſſitudo perſeuerat, quæ in corporeis creaturis inconcuſsâ lege præſcribitur, corruptelæ nempe & generationis. Nam generatio vnius alterius eſt corruptio: & quia cùm naſcitur creatura, non ibi noua forma aſſumitur, ob quam generatio contingat; & ideò corruptio non venerat arguenda: vt probrum hoc infœlix perduraret in natiuitate prolis, cùm fœtus editur, corrumpitur mater, & funditus diſſecatur. Nonnè Maria hanc naturam accepit, quando à pariente in doloribus matrē nata eſt? Quomodò ergo hoc naturæ infortunium depoſuit? Verè huic erat calamitati obnoxia ab initio, quatenus à matre hauſerat: aſt ita ſigillata erat Maria, quâ Mater Dei decreta fuerat, ad integritatem in pariendo virgineam, vt vno, & eodem actu videatur datam illi fuiſſe naturam corruptioni obnoxiam, & Mariam illam accepiſſe totius corruptionis expertē: quaſi ā matre daretur mulierum probro ſubiecta: à Deo acciperet prærogatiuâ virginitatis immunem.

S. Ephræm. Difficilis eſt. S. Ephr. locus de Marg pret. *Produxit enim Deus Virginis naturam labori, atque moleſtiæ obnoxiam: & ipſa laboris, corruptioniſque eam expertem recepit: Dominum infirmum obtulit, validumque illud recuperauit: dedit vterum labori, atque dolori ſubiectum & eundem integrum, illæſumq; ipſa recepit. Medicus erat, qui naturâ eius vtebatur, ac propterea etiam ſanam illam reſtituit.* Ex mox: *Non erat homo, qui Virginem pro Filij generatione adhibere valebat, ſed Deus: atque ideo naturæ, quod non habebat, præſtitit; vt oſtenderet ſe non veniſſe ad dirumpendam naturam, ſed vt integram, atque incorruptam eam conſeruaret.*

42. Multum habet ingenij & ſeduli laboris locus iſte, nec obuius explicatui. Si Deus virginis naturam produxit labori obnoxiam & moleſtiæ; quomodò laboris expertem recepit Maria? Si ille dedit vterum labori ſubiectum, quomodò integrum recepit illa? An quia primum potentiam, ſecundùm ſignificat actum? Benè, Subtiliùs. In vno actu duplex conſideratur reſpectus, & ad dantem naturam, & ad accipientem. Dabat naturam Virgini Deus, cùm ab Anna gignebatur, cæteris mulieribus contribulem, vexationibus & ærumnis, quæ partum pungunt, ſuccumbentem: verùm ipſa Maria, quia ſemper virgo ex Dei omnipotentia & benignitate parabatur, accipiebat illam totius impudicitiæ extortem. Grande Virginis Sacramentum! Ita Maria virgo eſt, & quaſi forma virginitatis abſtracta, vt ſuammet naturam expertem corruptionis accipiat, licet corruptioni daretur obnoxia: veluti ſi ex attactu ſui limpidā redderet, & immunem; cùm tamen indiuiſa ſit actio, quæ in dante & recipiente eſt. Id ſic cogitare poteris; ſi illi ſententiæ arrideas, quæ defendit gratiam iuſtificantē, quatenus egreditur ab agente Deo, eſſe principiū ſuarum diſpoſitionum, quibus aptat, & diſponit ſubiectum, & tamen ab ipſomet ſubiecto per gratiam eleuato illæ diſpoſitiones prodeunt vitaliter. Sic vtcumq; meditare, ſi obſequia noſtræ Virginis ames: licèt diſpar omninò cauſa ſit, ſolúmq; aliquali luce à longè ſimilitudo hęc ſplendeat. Quę tamen eò tantū tendūt, vt agnoſcas naturam, quæ ex ſe corruptionis probro, calamitatiq. partus erat ſubiecta; in Maria incolumem viruiſſe, diuinitùs illi præſtitâ ſoſpitate.

In quo Deus ſe diuinè geſſit: nam nullus *homo erat, qui Virginem pro Filij generatione adhibere volebat, ſed Deus.* Stylum demirare. Generandus erat Filius Dei; vt homo fieret, virginem debebat habere Matrem; non accedit ad Diuinitatem corruptio. Homo non erat, qui virginem daret, etiam pro Filij Dei generatione. Quid cauſæ? Quoniam potiùs maledicta erat virginitas, & continuis thalamus benedictionibus beabatur, quia Meſſiam ex nuptiarum thoro naſciturū ſperabat Hebreus. Ideò opus fuit quòd deficiente homine, qui virginem daret, Deus ipſe ſibi virginem adhibuiſſet; conſtrueretque Mariam in natura quidem fœmineo generi conſortem, in virginitatis autem gratia pre Angelica puritate decoram.

Quæ adhuc virginitatis in partu excellentiam ſuaſerunt, clariori auctoritate confirmentur. 43. Goffridus.
Goffridus ſermon. 1. de Natiuit. Domin. *O cum gaudio & fide admiranda natiuitas! Ecce mulier ſine coitu concepit, grauida ſine grauitate efficitur, parit ſine dolore. Virgo ſancta ante partum, in partu virgo ſanctior, ſanctiſſima virgo poſt partum.* Aſſurgunt incrementa pudoris, & acceſſione ſanctitatis puritas intenditur in Maria. Quomodò in partu purior & ſanctior? Quia ad maiorem difficultatem vincendam robuſtior exigitur virtus; in arduis ſublimitas exercetur potentiæ: & dum oppugnantur contrariora, magis ſtrenua manus triumphantis elucet. Magnum fuit in generatione prolis non contabuiſſe pudorem, & quòd in vno corpore abſque ſodalitate iugali vulua turgeret: cæterùm quia ſolum erat corpus Mariæ, abſcedebatq; vir, quem eius ſublimitas & votum arcebat; non hoſtem habuit virginitas, quem vinceret; ſed à cœleſtis virtutis nube fœcunditatem accepit, & ab omni carnis contagione ſemota humanum corpus in vtero generauit. Poſtquàm autem adimpleti ſunt dies, vt pareret, iam acriùs integritatis imminere poterat violatio: quia iam non vnū tantùm, quod virginitas amat, corpus aderat; ſed duplex, infantis ſcilicet & Matris: corporū autem implicata duplicitas inimica ſolet eſſe pudoris; ſic, ſi intra vterum corpus eſt, viſcera diſcindit in partu, quæ inuenit inquinata in conceptu. Ergo fortior virginitas in Mariæ illuxit puerperio, quæ corpus edidit ex corpore, vterūq; euacuauit, illibatis ſignaculis, immotiſq; ſigillis. Richardus à S. Laurent. lib. 3. cap. 1. col. 15. S. Richard. à S. Laurent.
Nota, quòd magnum & laudabile fuit Mariam fuiſſe virginem; ſed maior per omnem modum, & mirabilius in virginitate fuiſſe fœcundam, & poſt euacuationem vteri habuiſſe vterum ſigillatum: & hæc fuit gratia ſuper gratiam. Tres proponit ſtatus, virginitatem, fœcunditatem, & partum, ſublimitatis verticem partui dat. Nam quòd ſemel generatâ carne, vteroque grauidato corpus immiſtum corpori non officiat caſtimoniæ, ſed proſit: non impellat egreſſu, non diſturbet motu, non vaſtet proceſſu, omnibus mirabilius eſt. Pulchrè S. Leo ſerm. 4. de Chriſti natiuit. *De Spiritu ſancto fœcundata nouum florem carnis humanæ vtero quidem materno, ſed partu eſt enixa virgineo.* Obſerua emphaticum dicendi modum: *vtero quidem materno, ſed partu eſt enixa virgineo.* Fœtus humanæ carnis in vtero eſt Matris: & tamen quòd præter naturam corporis, præter teneritudinem pudoris, corpus penetret, pudorem non lædat, ſed augeat: omne tulit virginitatis decus.

Denique virginitas in partu totius ſibi virginitatis vindicat honorem, cæteroſq; pudoris ſtatus 44.

ſub vna luce manifeſtationis illuminat; collectaque tenet, quæ vtramque virginitatem, ante partum ſcilicet, & poſt partum, meritis laudationis commendant. Ratio eſt: quia ſi ſemel virginitas viget in puerpera, certum eſt in genitrice viguiſſe: nec ab aliquo iam poſſe poſt puerperium hoſte vulnerari. Nam duo ſunt, quæ cruentant pudorem conceptio & partus: quæ ſi ſemel virginitas deuicit; ſtolidè putaretur, repetito poſteà conflictu, ab vtroque inimico occumbere potuiſſe. Hinc canit Ambroſ. in hymn. 24. natal. Domin. Ambroſ.

Veni redemptor gentium,
Oſtende partum Virginis:
Miretur omne ſæculum:
Talis decet partus Deum.

Quæ verba ſic explicat Richard. de S. Laur. lib. 3. cap. 1. col. 13. *Non dixit: Oſtende conceptum Virginis, ſed partum: qui tantus & talis eſt; vt & Deum deceat, & in quo omne ſæculum debeat admirari. Ideò etiam dicit: Oſtende partum Virginis, quia in partu plus aliquid declaratur, quàm in conceptu. In conceptu namque Virgo ſine coitu grauidatur; in partu verò tota Virginis incorruptio oſtenditur. ſcilicet quod virgo ante partum, in partu, & poſt partum.* En triplex differentia, quæ ſub virginitatis Marianæ æternitate commendatur: quam in virgineo partu enitêre ſentit Richardus, ad quem tota Virginis incorruptio, cumulatiſſimuſque pudoris theſaurus aduenit, eâ ſanè de cauſa, quam nuper dicebamus. Semel enim cuſtodito virginitatis vallo in puerperio, nullum aliud facinus remanet agendum pudori. Si puerpera virgo eſt; ergo inſcia thalami fœtu tumebat; ergo ſemper in poſterum virginitatis murum cuſtodiet. Id breuiter inſinuauit Nonnus Panop. in cap. 2. Ioann. *Ad conuiuium & ipſa virgo Chriſti Dei Genitrix venit, Mater immaculata manu nuptialem attingens menſam, puerpera lectifuga, ſemper ſectans virginitatem.* Quibus vltimis verbis triplex virginitatis tempus concluſit: quoniam ſi in puerperio Virgo, illicò conſtat lectum fugiſſe, ſemperque ſectatam fuiſſe virginitatem. Coronæ rotunditas, quædam eſt æternitatis imago, abſque initio & fine iugiter ſuper ſe circulo gyrans euoluto: vt quacumque prendas, totam trahas. Annè virginitas Mariæ in partu, totius Marianæ virginitatis corona eſt? Adeſt Chryſolog. ſerm. 175. *Fœliciter parturit, quæ virginitatis coronam magis magiſque pariendo conquiſiuit, & gloriam.* En corona, non ſolùm quâ dignitatis regium faſtigium oſtendit ſuper cæteras caſtitatis dotes; ſed quoniam ad æternitatis & circuli modum omnes in vno gyro comprehendit. Idipſum ſcripſit S. Ildeph. lib. de perpet. virginit. Mar. Ex quo Richardus ſuprà datus excripſit: *Plus enim in partu (vt ita dicam) aliquid declaratur, quam in conceptu:* & reliqua, quæ audiſti ex Richardo: ſubdit: *Poterat, namque, vt iſti volunt, ſi lege humana naſceretur, ex ea demum vel in partu corrumpi, itavt ipſe conceptus homo fœminea intacta corrumperet viſcera. Sed quia in partu omnino fuit incorrupta, probatur, quod & in conceptu.*

Richard. à S. Laurent.

Nonnus.

Chryſolog.

Ildephonſ.

Richard.

Mariæ virginitas poſt partum ex Verbi Dei natura, quod vterum, quem ſemel incolit, alteri fœtui non permittit.

Subsectio IV.

Marianæ virginitatis æternitas otium calamo non permittit: quodque tempus, ſuper quod graditur, exagitat explorati: vt diſcat mens nulla intercipere durationis ſpatia, ſed omni ſæculo puram præconari. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius* decantatur. Non minus ingenioſum, quàm lucidum emblema. Cur tam vehementi ſyrmate veſtitur, tam calido obnubitur teriſtro? Quam calceat Luna, circuit Sol, à quali putas differentia temporis non concludi? Luminaria hæc ab exordio cœlis ſuffixa, vt ſint *in ſigna, tempora & annos.* Sol arduus labentis durationis lora tenet, indefeſſoque gyro reuolutus ſtabilem legem fluxis viciſſitudinibus imponit: tempus moderatur, momenta gubernat: cui de conducta luce, vt alleuet faſtidium, Luna famulatur. Ergo in vtraq; lampade totius temporis diſpenſatio ſancitur. Quid pro ſplendido Marianæ puritatis nitore ſolidius, permanentius? Ne vllum à iubare interuallum excipias, totius temporis plenitudo, Sol videlicet & Luna, ſub claritate circũdat: nec aliqua ex tribus tẽporis differentiis poteſt illã inquinamenti fuſcare caligine, quam vniuerſus & temporis, & lucis arbiter ambit; eâ induſtriâ, vt eodẽ ſigno & totum tempus, & totam lucem Mariã in perpetuæ durationis radiis comprehendere manifeſtet. Sed quam veſtit Sol, vt quid Luna crepidam calceamento miniſtrat? Annè Sole maior Mulier, curtuſve Solaris amictus, qui nequibat contegere pedes, niſi Lunæ adderetur officium? O benè? Si in vtero Solem vehebat (ideò *in vtero habens* adiicitur) quidni grandior in materni corporis quantitate appareret? Verùm Luna non calceat, ſed ſub pedibus eſt, quã calcat Virgo, nam quam incorrupta luminoſo indumẽto amiciebat Sapientia, non poterat vllum corruptionis, mutationiſque indicium attingere. Luna, occiduo, rediuiuoque lumine, defectionis Symbolũ eſt: hinc *ſtultus ſicut Luna mutatur,* verbum autem Domini, quod Sol & Sapientia eſt, *manet in æternum.* Hunc traho Bernard. de verb. Apocal. *Nam & defectus omnis ſub ea, & quidquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excedis, & ſupergreditur creaturis vt meritò ſub pedibus eius Luna eſſe dicatur.* Et paruo interſtitio: *Stultus vt Luna mutatur, ſapiens permanet vt Sol. In Sole feruor & ſplendor ſtabilis; in Luna ſolus ſplendor, atque omnino is mutabilis & incertus. Iure ergo Maria Sole amicta perhibetur, quæ profundiſſimam diuina Sapientia, vltra quam credi valeat, penetrauit abyſſum: vt quantum creatura conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa. Inſipientiæ verò omnis longè ſub pedibus eius. Vt penitus hæc longè ſit à collegio virginum fatuarum.* Probè proceſſit Bernard. A fulgentiſſima Sapientia, penitus Virginem penetrante, penitus arceri ſubintulit, ſub pedibuſq; dedicere corruptionis & defectus ſignum, ſtolidamq; inſipientiæ mutabilitatem, ne vlla

44.

Apoc. 12. 1.

Gen. 1. 14.

Eccl. 27. 12.

Pſal. 116. 2.

Bernardus.

vlla in virginea Mariæ stabilitate vicissitudinis obumbratio puretur. Ideò se illicò conduxit ad virgines, vt ex indumento Solari, quod Verbum Dei & sapientia fuit, incommutabilem Mariæ puritatem euinceret.

45. Quæ si teneas, virginitatem post partum subtili. Mariæque proficuâ argumentatione concludes. Ineptissimo, procacissimoque impudentis perfidiæ pruritu non defuere, qui Mariam post sacrum puerperium carneis ausi fuerunt amplexibus implacare, & Ioseph ingerere thalamo, filiosque ei adscribere, quos fratres Domini Euangelistæ circumferunt. Agunt de his ex instituto Canis. Suar. & Vasq. to. 2. in 3. p. q. 28. disp. 121. c. 6. Huic execrabili placito adscribitur, Heluid. Pelagius, Eunomius, quin & Tertullian. Petrus Martyr, Lucas Stermbergerus, & Chritæus hoc sæculo. Tulêre vexillum *Antidicomarita*, id est, aduersarij Mariæ. In quo saporem non iniucundè facit, quòd cùm plures omne genus hæretici in Beatam Mariam sint debacchati sacrilego dente frendentes in morsum, vt varias illi prærogatiuas corrodant; nulli ex proprio vocabulo, & tessera dicti sunt *Aduersarij & hostes Mariæ*, nisi qui virginitatem illi deturbabant perennem. Quid? Trucidant Virginem, qui eius virginitati aliquod subtrahunt tempus; discerpunt membra, quotquot momenta discindunt; vitam dilacerant, quotquot in puritate Mariana amputant durationem. Maria non est, quin virgo perpetua. Occubuisse solicitat, qui viro succubuisse præsentit.

Canis. Suar. Vasq.

46. Ergo ex flagranti Solaris sapientiæ peplo Mulier hæc Sole amicta, *in vtero habens*, immunis à thalami sorde asserenda est. Si in cœlo & Sole vestitur, & vterum gestat; quî potuit iterato fœtu occupari? Nemo in cœlo vterum gestat, nisi Deus Pater, qui amictus lumine sicut vestimento: quoniam Sapientia & Verbum Filius eius est. Potestnè in secundum partum dilatari? Nequiquam. Luminosa sapientiæ natura impedimento est. Non aliter gignit, nisi in mentis splendore se lucidissimâ cognitione comprehendens; nisi semel solum, curta nimis, & auara cognitio fuisset. Quem incrassauit, inpinguauitque sapientia; non stillatim, sed pleno gurgite emanâs infinitum Verbum coronat. Non potuit suppetere quid alteri soboli præstaret, quę Vnigenitus funditùs exhausit. Id conceptio mentis infinitæ poposcit; nisi infinitum, non gignit: quod si infinitum, quid remanet generandum? En quale signum apparuit in cœlo; *Mulier*, vt disceres esse matrem; *Sole amicta*, vt nosceres filium eius sapientiam esse, in vtero habens; & in cœlo, vt ex Patre superno, scias vnius conceptus indolem hausisse. Ne nutes, facem ferat huic cogitatui S. Thom. 3. p. q. 28. art. 3. vbi virginitatem post partum probans, errorem que Heluidij executiens; sic inquit: *Derogat Christi perfectioni, qui sicut secundùm diuinam naturam Vnigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia Filius eius; ita decuit, vt esset Vnigenitus Matris tanquam perfectissimum germen eius*; Compendio rem dedit. Ideò Vnigenitus, quia perfectus, quia infinitudine pollens, fœcunditatem satians naturæ; nec ab vtero Patris discedens, ne alteram prolem subrogandam esse credideris. En cur Mariæ non nisi soboles vna, vtpote cui cùm diuino Genitore communio est.

Psal. 103. 2.

S. Thom.

47. Nonnè vides? *Et in vtero habens clamabat.* Curnè clamat, quæ in cœlo est, nec vexatur à fœtu, quam nec cócurit dolor; cui nihil cruciatus ex muliebri impendit puerperio? Verùm si Verbum Dei in vtero habebat; quidni clamaret, nedum loqueretur? Quam consona connexio! *In vtero habens clamabat.* Clamor vox grandis est. Si grande, infinitumque Verbum in vtero; quidni vox grandis in ore? Quam grandis vox, quæ ex Verbo infinito resultat? *Semel loquutus* est Pater & distans sub connexis duo audiuit Propheta. IESVS *clamans voce magna expirauit.* Illicò Centurio: *Verè Filius Dei erat iste*: nouit à clamore Verbum esse Patris. Si expirans clamat, quid quòd, dum gignitur, clamet parens? Adhuc in morte expressit indolem. Conditionem non valuit patibulum detenuare. Ergo in vtero habens clamat Maria: vt attendas infinitum Verbum concepisse, nec eius viscera alterius fœtui mansisse capacia. *In vtero habens.* Ergonè semper habet in vtero, adhuc in cœlo, quæ in terra concipiens, taxatò tempore enixa est puerpera Regem? Non potuit aptiùs ostendi non alij proli Marianum vterum potuisse patere; quasi perpetuò diuino fœtu occupatum, sicut vterum Patris, qui cùm æternum gignat, *hodie* gignere perhibetur. Id Sapientiæ genitæ proprium est Lux sit Hier. to. 1. de vita cleric. ad Nepot. *Amplexetur me modò sapientia; & Abisag nostra, quæ nunquam senescit, meo requiescat sinu. Impolluta est, virginitatisque perpetuæ, & quæ in similitudinem Mariæ, cùm quotidie generet, semperque parturiat, incorrupta est.* Similitudonè omnibus; quòd quotidie generet, quòd semper parturiat, quòd incorrupta sit? Maria semel generans, ast semper Dei genitrix nuncupatur; hoc stemmate eius perpetua virginitas insignitur. Non vacat vterus alienæ sobolis sarcinæ, quem pudor signat, complet Deus. Vtrumque copulauit Augustinus probans Ecclesiam, & Virginem, & fœcundam: tom. 10. serm. de Natiu. Dom. *Est ergo, & Ecclesiæ, sicut Mariæ, perpetua integritas, & incorrupta fœcunditas.*

Apoc. 12. 2. — Matth. 27. 50. — Ibi nu. 54. — Psalm. 2. 7. — Hieron. — August.

Custodit situm suum Dominus, atrium suum fortis armatus; dirimi pudoris non patitur spolia; qui, licèt exiuit ab vtero, cùm illâ est: modû tenet sapientiæ, quæ non deserit mentem, in qua gignitur. Quomodò potuit commercio virili, nouęque proli se conducere? Ab hac ratione non discordat Epiph. contra hæres. l. 3. hæres. 78. quò adducit Angeli verba *Dominus tecum*, sicque arguit: *Si verò Dominus cum ipsa, quomodò erit in alio coniugio; quomodò carni miscebitur, quæ à Domino custoditur?* Mira ratiocinatio! Angelus spondebat conceptum, & dum *Dominus tecum* præmisit, iam genitricem fore nuntiauit. Quid eadem verba, post partum Epiphanius propagat, quasi ingerit, conciperet, postquâ puerpera micuit, perpetuóque Dominus cum ipsa locaretur; nec inanesceret vterus oneri baiulando idoneus? Ea generationis æternæ natura est: quæ semel est, semper est. Dominus cum Maria est, vt se probet à Virgine generatum; nec vt Verbum discessisse, licèt egressus fuisset vt homo. Nonnè attēdisti ad Ezechielis portam: *Eritque clausa Principi?* Vtquid Principi, si iterum non regredietur ad vterum? An quia adhuc in porta, Princeps est; nec sat fuit illi seras non rupisse; sed à porta non discedere, qui ab intraneo cubili exiuit, illi in deliciis est? Imò si Princeps Christus est: ipsemet maternæ integritatis porta est: adeò à portæ custodia non discessit affixus, vt ipsemet porta esse putetur. Perbellè Ambrosius libr. de institut. Virgin. cap. 7. *Quantò magis ergo porta erat in Maria, in qua sedit Christus, corporaliter, & exiuit?* 48.

Epiph. — Ezech. 44. 2. — Ambros.

exiuit? Eritque clausa, id est, & post transitum Domini erit clausa, & non aperietur à quoquam, nec aperta est: quoniam habuit semper portam suam Christus, qui dixit: Ego sum ianua, quam nemo ab ea potuit auellere. Perpende ista. Portas mutauisse videtur Ambrosius. De porta agebat virginea cum Ezechiele, per quam Dominus inturbatis repagulis egressus est: & vt clausam probet, nullisque peruiam violentiis, Dominum ipsum portam eius esse præscribit. Similitudo inter Matrem & Filium sapienti deceptione intentos oculos fefellit. Eò mordicùs Mariano claustro custos Dominus assuebatur, vt potuerit reputari pro porta, quam vigil, & adhærens muniebat. Qui sensus est Ambrosij: *Quoniam habuit semper portam suam Christus, qui dixit: Ego sum ianua, quam nemo ab ea potuit auellere.*

49. In hac infiniti Verbi Dei & Sapientiæ proprietate, quæ totum sibi vindicat parentem, nec alij geniruræ permittit, ratio, quam ornamus, fulcitur. Quòd filius Mariæ Verbum Dei sit, eius perpetuę virginitatis columnis clientela est. Commune apud Patres, virginitatis post partum argumentum sonat, quod in patibulo pro materno pudore Christus construxit delegans Ioanni Matrem sub filij voce: *Mulier ecce filius tuus.* Nonnè sat? Cur additum ad discipulum: *Ecce mater tua?* Non finit correlatiuorum natura alterum ab altero dissipari. Matrem vocauit, qui filium illi adscripsit. Cur repetit? Voluit intelligi, cui semel, non contentus, bis explicuit. Vocauerat priùs *mulierem*, cùm illi filium designauit, ne filius ille more mulieris habitus putaretur, præmonet Ioannem, illi non vt mulierem, sed vt matrem esse: vt maternum contestaretur pudorem, conspicuéque edoceret nullum esse Filium genitum à Maria, muliebri vulua, naturæque veritate, nisi qui in cruce pendebat. Maternum obsequium deponebat in Ioanne, vt in charitate & officio illi fungeretur pro matre, non pro muliere. Quod si aliquem alium filium genuisset Maria, illi potius custodiam reliquisset.
Hilar. Hilar. in c. 1. Matt. *Quod si Maria filij fuissent, nunquam in tempore passionis Ioanni Apostolo transcripta esset in matrem, Domino ad vtrumque dicente: Mulier ecce filius tuus: & Ioanni: Ecce mater tua; nisi quod ad desolata solatium charitatem filij discipulo relinquebat.* Mirus designationis in maternitatem stylus! In cruce Dominus linguâ negotiatur officium vuluæ, & quasi voce, materna viscera complens, insolito filiationis genere Matri inserit Filium. Quid causæ? In tantis tormentorum casibus coram carnifice Iudęo, mortisque satellitibus, letique furore iam impendente, tam serio nouam prolem adscribere Mariæ; nec illam signare manu, quam clauus fixerat; nō oculis, quos sanguinea ex capitis perforati spineto tegebat illuuies; sed verbo? Nequiuit aptius Matris demonstrare pudorem, quæ didicit non aliâ semitâ fœtam reddi, nisi per aurem Verbo conceperat Filium Dei, qui Verbum est Patris; moréque mentis sacram compegerat sobolem: ideò vt indicaret Marianam virginitatem nulla generatione temeratam, solaque sapientiæ methodo potuisse concipere; filium illi verbo nuncupat, & assignat. Sic in Trinitate, quæ prima virgo est, Verbum Pater generat, non corporeis maculis, sed spiritali loquutione. Alibi
Epiph. dedi Epiphanium; præstat audire lib. 3. hæres. 78. *Ecce mater tua, ecce filius tuus. Si fuissent filij Mariæ, & si fuisset ipsi vir, qua ratione tradidisset ipsam Ioanni, & Ioannem Mariæ? Qua verò ratione non potiùs Petro tradit, qua ratione non Andreæ, Matthæoque atque Bartholemæo? Et manifestum est, quod Ioanni propter virginitatem. Ecce enim mater, quamquam non esset mater ipsius Ioannis secundum carnem; sed vt ostenderet, ipsam matrem esse principem virginitatis, quoniam ex ipsa vita erat.* Perreximiè. Quia primum in vnoquoque genere causa dicitur cæterorum, quæ, licèt non rudi & incorporeo influxu, subtili tamen exemplatis concursu producit; sic Maria, quæ principatum, regnumque virginitatis obtinuit, Mater iure conclamanda erat, illius præ cæteris Apostoli, qui virgineo albescens lilio, fœcundæ virginitatis, quæ in diuino Genitore floret, mente pudica fructum explicuit, vitæque fontem, manantemque laticem & bibit, & mentibus propinauit. Ideò illud: *quoniam ex ipsa vita erat:* si memineris id Verbi Dei esse insigne apud Ioannem: *Quoniam in ipso vita erat.* Ioan. 1. O qualis in vita conformitas! In Verbo Dei est, & à Maria est, à qua & Verbum, quod primæ fœcundæ virginitatis in sancta Trinitate est fructus. Quid pro Maria in virginitatis principatu nobilius? Ab ipsa quasi prima virgine ipsemet virginitatis Princeps procedere non recusat, & discipulus ille, qui virgo, qui primam virginem, Trinitatem scilicet, per Verbi processionem explicuit, ipsi deputatur. Quibus iam callebis illud Augustini: *Regnum tenet virginitatis, & Regem genuit castitatis.* August.

Vt autem solidiùs fidas, in Maria supernæ mentis inualuisse morem, quę cum vna sobole contenta est, vt pote in qua omnis Diuinitatis plenitudo, altitudoque diuitiarum elucet; non discedas à Ioanne, qui verbum apud Deum explicuit, & verbo Dominico filius Mariæ vocatus est, ne genitrici sacræ quid ad fœcundam Dei mentem attinens subtraheretur. Non discedat Epiphanius, qui post præfata subdit: *Et Ioanni quanquam secundum carnem alieno existenti dicebat, vt doceret honorare propriam suam mentem, quoniam reuera secundum carnem ex ipsa Dominus ipse genitus est, vt ne quis putet rem ipsam esse apparentiam & non veritatem.* Aduerti alibi socordiam typographi videri illud *propriam suam mentem*, quasi legendum *propriam suam matrem.* Ast si error, pius: Virgini famulatur. Si ex Maria Christus est, Christusque Verbum; quidni Maria mens? En cur præcipuè commendatur Ioanni, qui diuinæ mentis latebras accensâ faculâ rimatus intonuit: *In principio erat Verbum.* Et tamen, dum Maria mens dicitur, Ioannique legatur, veritas Dominicæ carnis delibatæ ex Virgine adstruitur, ab imaginarióque vindicatur spectro; cùm satiùs esset carneam vocari Virginem ad hoc institutum, quàm mentem. Sed virginitas Mariana nullis concuti finit argutiis. Carneus vterus edidit Saluatorem; quia virgineus, quia Patris menti simillimus, & veritatem peperit, & interritus floruit, & nullum alium fœtum admisit. Ex quo altius edisces, stolidè Mariæ vtero alium filium deputari. Pulcherrimam pendo rationem. Maria mens dicitur, etiam carneâ vuluâ concipiens, vt pote quam maligna materiæ sarcina non grauauit; nec corruptelæ moles subegit. Si petis, cur non nisi vnicus filius in Diuinis sit? Dicam. Quia nulla ibi materiæ grauedo, nullum quātitatis pondus solidatur. Audi S. Thom. 1. p. q. 41. art. 6. in corp. *Non possent esse plures patres, vel plures filij in diuinis, nisi essent plures paternitates, & plures filiationes. Quod quidem esse non posset, nisi secundum materialem rerum distinctionem. Forma enim vnius speciei non multiplicantur, nisi secundum materiam*

Ioan. 1.
Epiph.
S. Thom.
50.

materiam, qua in diuinis non est. Vnde in diuinis non potest esse, nisi vna tantum filiatio subsistens sicut & albedo subsistens non posset esse, nisi vna. Supr. non modice præstitimus. Mariæ puritatem, quà sublimem, quà Deitati & accommodam & propinquam, ab omni materiæ inquinamento, ignobilibusque conniriis defæcatam, à densisque terrenæ glebæ vaporibus arduam, excultissimamque censendam esse moreque abstractorum efferri, rudique concretione vergente in ima, in cœlestem subtilitatem extolli. Eo quid prosit hæc virginitas colliquata. Non nisi vni filio genito vacar, formæ enim vnius speciei, vt habes apud S. Thomam, non multiplicantur, nisi secundum materiam, quæ in diuinis non est. Quæ doctrina, congruente ingenio plurimum Deiparæ defert, in qua non decuit multiplicari conceptum, quæ in virginitate diuinis suppar agebat. Quare apud Epiphanium *mens* dicitur, & Ioanni diuinæ mentis exploratori mandatur.

51. Cur qui subtus crucem erat, discipulus ille, alto sepeliuit silentio emortui Solis, meridianæque lucis patiente Domino casum? Cur collisos lapides, tremefactæque terræ dolorem, & vndique hiantes scopulos conticuit, qui in talibus naturæ tormentis testis stabat inconcussus, solumque quod cæteri Euangelistæ siluerunt, Domini de Matre curam, maternæque virginitatis in confinio mortis clientelam explicuit? Non potuit calamum in naturæ casibus erogare, qui supra naturam gradiebatur in calamo. Quid illi Solis corruptela, qui incorruptionem Matris Dominum testantem audiebat? Quid vita functi, mortisque in cineres solui, ei, qui immortalem Mariæ puritatem, Domino loquente, auscultabat? Aliud scribere recusauit, nisi quod ex sacro Dominici pectoris, in quo recubans iacuit in cœna, ebiberat fonte. Ibi sapientiæ pocula, mentisque secreta potauit: ideò, quod altè ebiberat, ructabat. Ergone ideò in integritate Mariæ linguam, calamumque pascebat? Nihil illi sapientiæ conformius, quàm puritas virginis, cui solùm vnus filius

Ambros. est, & ille, Verbum. Fruere Ambrosio lib. de inst. virg. cap. 6. *Docuit hoc Ioannes, qui mystica magis scripsit. Alij enim Euangelistæ scripserunt, quod in passione Domini terra contremuit, Sol refugit, persequutoribus venia postulata est: iste dilectus Domini, qui è pectore eius hauserat secreta sapientiæ & piæ voluntatis arcana, ab alijs dicta præterijt, hoc diligentius persequutus est, ut maternæ virginitatis perseuerantiam suo indicio comprobaret, quasi filius de Matris pudore sollicitus, ne quis eam tanto conuitio temerata integritatis aspergeret.* Cur Solis fugam inopinumque tenebrarum incursum tacuerit Ioannes in Marianæ integritatis testimonio detentus? adrogat Ambrosius Dominico sinui, è quo secreta sapientiæ, & piæ voluntatis hauserat arcana. Mira ratio & quæ multum aduocat pro Maria. Ergonè ad sapientiam, quæ in Verbo Dei est, & quam æterna generatione præstitit Pater, attinet Mariæ integritas virginalis, quæ generare nescit nisi Deum; nec aliam edere prolem sciuit? Profectò. Quod Pater non nisi vna sobole gaudeat, quæ complet vterum, infinitumque conceptaculum satiat, è sapientiæ perfectione venit, quæ perfectissima cum sit & fœcunda, vnico Verbo generato concluditur.

52. Si in patibulo communem Dominus causam agebat, publicisque propendens ministeriis pendebat suffixus; vtquid domesticis curia detinetur solicitationibusque priuatis incumbit de Matre sedulus, & orbis negotium morabatur? Certè illa verba: *Ecce Mater tua: Ecce filius tuus*, iamiam Ioann. 19. n. 26. & 27. peragendæ per mortem redemptionis retardare periodum videbantur, & interiecta prolongare parenthesi. Cur sic præstolatur, qui citissime pro homine mori intendens, præuento carnificis officio, ante confracta crura libens spiritum emisit? Sane id potuit Maternæ incorruptionis assertio. Serio contestatum voluit relinquere, quòd Maria nullius filij poterat conceptioni seruire, quæ homini Deo tradiderat vitam; nec illi alium posse filium arrogari, cuius virginitas auctori vitæ vitam ministrauerat. Ideò aliquantisper protelat mortem iamiam appetentem, spatiaque vitæ propagat, donec de materno pudore iudicium ferat. Quo clarè innuit, Mariæ virginitatem, etiam solum assertam & proclamatam, aptam fuisse ad vitam filio Dei propagandam, mortemque detinendam, quæ crucifixo spicula iam figebat. Quid pro hac virginitate efficacius? Generans, Deo homini vitam impertitur; iudicata & asserta vitam morienti dilatat. Hoc pondus censeo in Ambrosio de instit. Virgin. cap. 7. *Testatur de* Ambr. *cruce Dominus Iesus, & paulisper publicam differt salutem, ne Matrem inhonoratam relinquat. Subscribitur Ioannes in testamento Christi. Legatur Matri pudoris defensio, testimonium integritatis: legatur & discipulo Matris custodia, pietatis gratia commendatur.* Obserua illud; *& paulisper publicam differt salutem.* Ergo mortem distulit, in qua publica salus pendebat. Nec te prætereat, idem fuisse legari discipulo Matris custodiam, ac legari Matri defensionem pudoris, testimonium integritatis. Qualis inter vtrumque connexio? Non debuit alij materna custodia committi, quàm illi, qui non solum audiuit, nedum custodiuit; sed & primus scripsit Verbum Dei apud Deum. Si *beati, qui audiunt verbum Dei &* Luc. 11. 28. *custodiunt illud*; nonnè beatior, qui scripsit, nec solùm audiuit ab ore, sed & bibit à sinu, ideoque mordicus custodiuit, vt recedentibus Apostolis, non recederet, sed excubias ageret sub cruce, simillimus Matri, quæ non tantum ab exordio *con-* Cap. 2. 51. *seruabat omnia verba*, conferens in corde suo; sed & Verbum, quod genuit, in mortis casibus conseruauit, nec à ligno discessit; quæ superni Genitoris imitans iugem Verbi sui custodiam, custos manebat æterna? Ergo dum Dominus Matrem legauit discipulo, perspicuè monstrauit nullum Mariam potuisse alium filium edere, quæ Verbo Dei affixa, & quasi iugiter impregnata durabat. Præstat vti Aponio comment. in Cant. *Iustu ergo* Apon. *ratione turturi castissima aui virginitas comparatur, quæ in Ioanne, vel Maria obtinet principatum: quæ semel Verbo Dei, vel Spiritui sancto coniuncta, nunquam aliquem alium cogitat comparem; nec alteri desiderium sui amoris communicat, nisi illi, cui semel conglutinata probatur: sed ad illum semper promissionis vocem, & mentis emittit affectum, cui promisit seruare, quod vota est.* Et tamen turtur non cum filio, sed cum coniuge turture agit contubernium, eoque decedente, viduitatem amat, aliumque fastidit sodalem. Qualis cum turture comparatio ista Mariæ & Verbi Dei, si Verbum Filius Virginis est? Imò non potest plus exaggerari virginitas Matris, cui ipsemet, qui filius, sponsus est. Non etenim valuit dirimi integritas, discuti pudor genetantis, quæ sponsum

non

non cognoscit, nisi quem generat; cum, nisi ad generationem præcedat maritus, nequeat integritas in generatione violari.

53. Denique vt Ioannes Euangelista funditùs Marianæ castitatis assertor emineat, non possum non mirari Dominicæ conceptionis in vtero Virginis exordium, & halantis animam in ligno crucis finem mortalem. [Luc. 1. 39.] Vix concipit Maria, & exurgens abit cum festinatione in montana, vt viseret Elizabet, & Ioannem Baptistam ab ergastulo primææuæ noxæ, adhuc in ergastulo ventris liberaret, oleoque perungeret, sacroque vnguento redderet delibutum. Vtquid hæc solicitudo velox? Vt virginem efficeret filij virginei præcursorem, tenellisque membris in ipsamet generationis officina, ventre scilicet, imprimeret integritatem. Cur enim Baptista teneris sub annis petiit desertum, virginitatisque se vexillo subduxit? Quia Maria & præsentiâ & voce, integritatis asperserat oleo. Ideò, dum Mater efficitur, cucurrit, vt appareret virgo. Concito gradu se confert in prærupta montium & Zachariæ domum petit, quæ anteà intra secretum se abdiderat cubile foresque clauserat virginali custodiâ. Quid impulit euagari puellam? Virginitatis edere experimentum. In ipsomet generationis exordio, & Verbum concepisse, & integro pudore solicitat apparere: ideò & tendit ad vocem, Ioannem scilicet, qui præco Verbi est; & illum in virginitatis consecrat voto. Vidisti exordium: finem intuere. Alter Ioannes sub cruce stat, inibi Maria: & morientis Filij ebibens spiritum inter verba integritatem spirantia, Ioanni sociatur Matris vocabulo, filij pietate, vt & virginitatis prærogatiuam conseruaret discipulus, & in aula sapientiæ diuini Verbi penetraret arcana. Quàm compat exitus cum initio, generatio cum morte! A Ioanne itur ad Ioannem; vtrobique in pudicitiæ testimonium. Et cùm vitam orditur, & cum vita fungitur Dominus corruptelæ opinionem à materna dignitate fugat: & in sibi cognatis, quà Verbum est, Ioanne scilicet, qui vox; & Ioanne, qui Verbi apud Deum Euangelista est, se Matremque constituit, vt in ore duorum, dum omne Verbum Patris est, sit etiam integritas Mariana. [Ambros.] Faueat huic cogitatui Ambrosius lib. de instit. Virg. cap. 7. *Cuius tanta gratia, vt non solùm in se virginitatis gratiam præseruaret; sed etiam his, quos viseret, integritatis insigne conferret. Visitauit Ioannem Baptistam, qui in vtero matris, priusquam nasceretur, exultauit. Nec immeritò mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam sua præsentiæ, & integritatis vnguento Domini Mater exercuit. Eademque posteà Ioanni Euangelistæ est tradita coniugium nescienti. Vnde non miror præ cæteris loquutum mysteria diuina, cui præstò erat aula cœlestium sacramentorum.* Quæ verba contexuit Ambrosius probans ex instituto, Mariam nullum præter Dominum filium genuisse, nunquamque venerandum vterum humano pondere grauasse, qui vehendo Verbo Dei purus extiterat & idoneus. Id igitur ex amicis ipsius Verbi probat, vtroque videlicet Ioanne, in quibus se Verbum & indidit efficacius, & explicuit manifestius.

Virginitas Mariæ post partum aliis rationibus illustratur.

SVBSECTIO Vnic.

54. EX quibus integrum manet, ex Verbi Dei natura, quæ in vtero, in quo semel est, nullum alium sustinet esse sodalem, virginitatem Mariæ post partum confirmatam fateri. [Origen.] Iuuat Origenes in c. 13. Matth. *Qui verò talia dicunt dignitatem Mariæ in virginitate ad finem vsque seruare volunt, ne corpus illud, quod designatum erat vt subseruiret sermoni dicenti: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, cognosceret viri torum, posteaquàm in eam superuenerat Spiritus sanctus, ac posteaquàm virtus ex alto obumbrasset illi.* Considera stylum, *Vt subseruiret Sermoni.* Quis Sermoni seruire valet, nisi Sermo persona sit? Non illepidè deflectere poteris ad seruitium, quod viscera Mariæ Sermoni Dei impenderunt, ex quo se ancillam protulit, vt iuxta verbum fieret conceptio, seruitutisque voce concepit. Cur se conclamauit ancillam, dum Mater fit; Vt declararet, quod quidquid erat, Verbi Dei erat, mancipij iure: nec aliò posset diuertere famulatum, vterique obsequium dilatare, quæ in plenum ius diuini Sermonis transierat. Imò non alteri Maria fœmina est, non vterum, non vbera ad muliebres famulatus vehit, nisi vt subseruiat Sermoni. Quid illi sacrilego ausu virum applicas, si nullus in ea fœmineus vsus, postquam Genitricis munere functa est? Vltra fœmina non est, quæ postquàm fœmina, quà Mater, fuit; super fœminas, imò super Angelos verticem sustulit venerandum. [Dionys. Carth.] Pulchrè Dionysius Carthusianus de dignit. Mariæ art. 17. *Quemadmodum itaque dignissima Mariæ in conceptione Christi claustra pudoris permanent; sic vtique in partu virginei ventris porta clausa, intemerataque permansit. Et in his quidem te Deus eatenus possidebat, vt nulli deinceps fœmineo te vti vsu liceret.* Quibus confirmat, quod præmiserat. *Non igitur virum vsquam cognouit, quæ antè sine libidine, & absque pudoris tactu concepit.* En omnis fœmineus vsus à sacra Virgine relegatur, vtpote quam totam Dei verbum possidebat, nec iam vltrà opus erat sexus ei, quæ in Deitatis, in qua sexus non est, transierat abyssum diuinisque functionibus incumbebat. Ergonè non iam fœmina, quæ virum habebat, matrimoniique fœdere iura coniugij seruare tenebatur? Imò aduersùs illius sacri matrimonij institutum ob luxus amorem tetendisset, si post habitam sacram sobolem viro gestiuisset implicari. Promptum est causam reddere. Si nuptias subiuit, vt sub nube coniugij, non imbre, filius susciperetur, quem & coniugale à procacibus, & infestis calumniantium oculis velamen obtegeret, & secreta Deitatis virtus compingeret: quid vltrà huic matrimonio cum vlteriori filio? Libidinis esset, non coniugij impetus iste nuptialis. [Abul.] Rem dedit profundè Abulensis in c. 1. Matth. quæst. 50. *Si Maria post hoc ab aliquo vellet cognosci, videretur hoc esse propter solum desiderium libidinis. Nam matrimonium illud factum fuerat, vt haberetur ista proles; non quidem ex eo, sed vt conseruaretur per illud. Nihil ergo erat iam necessarium pertinens ad matrimonium, cum proles perfe-*

cta

cta haberetur. Ergo velle cognosci post hoc, propter incontinentiam, & infirmitatem carnis esset: quæ imperfectio non est ponenda in Virgine. Quis sic vnquam cogitaret? Aduersus matrimonium iret, quæ Mater aliorum filiorum vellet esse, cùm matrimonium vt placet Augustino, nomen accepit à matre? Stupor est, quàm purâ luce virginitas emicet in Maria, in qua & matrimonium superioris videtur esse naturæ, quod integritati studet; & vnico filio contentum est, non quem condidit, sed quem abscondit. Vt credas, Mariam, etsi verè in natura mulier est, non iam vt mulierem cogitandam, quæ illico fœmineum peregit officium, postquam genuit, & peperit Filium Dei. Omnis abeat cogitatio carnis; mortalis conticescat conditio: functa est, quæ puerpera fuit: vlterius diuinis arroga, cœlestibus insere.

55. Cur Mariæ mors ab Euangelistis non scribitur, altoque tenuere silentio vitæ Genitricis Dei interitum? Quoniam Dei Genitrix; quoniam corruptelæ non obuia; quoniam vitam protulit, nec soluta est? Imò, quoniam nulla memoria carnis, nulla debet obrepere carnalium cogitatio membrorum, quam à carnalibus amouet natiuitas Filij, in quem nata fuit. Quid pro Virginis post puerperium virginitate exactius? Tam longè à carnalibus fuit, vt longè à carne censeatur, mortisque iure, sepulchrique licentiis; cuius, etsi discessus fuit, veraque mors, potiùs deputatur excessus, nec scribitur carnis interitus, ne caro referatur. Si forsan ideò in parientem fœminam draco
Apoc.12.14. cucurrit; ipsi verò *data sunt alæ*, & assumpta in desertum, totius mortalitatis retudit spicula, ne corruptione morderetur, quæ corruptelam nec genitrix, nec puerpera nouerat? Adest Epiphanius
Epiph. lib.3. hæres.78. *Alicubi verò Apocalypsis Ioannis dicit, quod draco festinauit ad mulierem, quæ genuit masculum: & datæ sunt ipsi alæ aquilæ, & assumpta est in desertum, vt ne ipsam arriperet draco: fortassis autem potest de ipsa accipi, ac impleri. Non autem definio hoc, & non dico, quod immortalis mansit; sed nec affirmo, an mortua sit. Excessit enim Scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit, propter vas pretiosum, & excellentissimum, vt ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Siue igitur mortua est, non nouimus; siue sepulta est, non copulata est carni. Absit.* Inopino argumento virginitatem post partum conuincit: vt à carnalibus dimoueat, dimouet à carne: ne carni copulet, disgregat à sepulchro: mortalia extremi casus accidentia memorata non esse perhibet, vt ab omni mortalitate, carnisque illecebrosis connitiis arguat extorrem. Vide, si fœmina iam cogitanda sit, quæ nec caro putatur.
Ioann.2. Non potuit vacare toro, suscipiendisque liberis inseruire, nisi caro, & mulier esset: quippe ex voluntate carnis, & ex voluntate viri gignitur, quisquis in pura humanitate generatur. Qui pareret post partum diuinum, quæ Mater esse potuit, mulier esse non potuit? Quàm consonus est his Augustinus, & qui eandem rem tractans,
August. sic accenditur, tom.9. tractat.10. in Ioann. *Vnde fratres Domino; Num enim Maria iterum peperit? Absit. Inde cœpit dignitas virginum. Illa fœmina Mater esse potuit, mulier esse non potuit. Dicta est autem mulier secundum fœmineum sexum, non secundum corruptionem integritatis.* Explicabimus infrà Augustinum. Præfatis succinit, mulierem esse negat, quam fœminam Carthusianus, quam carneam Epiphanius: non naturæ, sexusve dispendio, sed sublimi virginitatis elogio, quæ inter diuina recenset Dei Genitricem.

Nec tædium erit, si his propinquam obseruatiunculam amplexeris. 56. Quotquot virginitatis post partum sumunt clientelam, de impietate, irreligione, blasphemia castigant hæreticos, qui salaci, impudenteque ausu temerare contendunt Marianam post partum puritatem. Epiphanius supra: *Post tantam, & talem, ac tam ingentem dispensationem* Epiphan. *copulatum fuisse senem Virgini castæ, & honoratæ, & vasi, quod cœpit incomprehensibilem, & suscepit tale mysterium signi cœlestis, & vitæ hominum, quæ fuerit impietas hoc asserere?* Quin ipsum Ioseph, si violare tentauisset, de impietate plecteret Dionysius Carthus. in Matth. cap. 1. Carth. art.1. *Nunquid postmodum eam cognouit? Non vtique. Tunc enim impiissimus, & præsumptuosissimus extitisset, si templum Filij Dei, si sacrarium Spiritus sancti, si vterum puritatis violare tentasset.* Beda in Iob. lib.2. cap.20. *Quis est super* Beda. *veneranda sanctæ Mariæ virginitate ita blasphemus, vt hoc saltem audeat cogitare, quod post Dominum Saluatorem Filium suum illa virum cognouerit?* Cur nomine impietatis hoc in Virginem circumfertur piaculum, cùm impietas aduersùs religionem, & cultum sit, qui Deo exhibetur? Non sine altitudine consilij. Verbum Dei, vnica soboles Mariæ, eam in Deitatis viciniam adeò transmisit, Deitateque implet, vt Diuinis amet prærogatiuis efferri. Quisquis illi nouum filium ex maculoso concubitu imponit, à Deitatis confinio deturbat, Incarnationisque dissipat Sacramentum, & Verbi Dei naturam, & indolem sacrilega manu dispungit: quod cùm diuinæ mentis terminus sit, omnem vteri, in quo est, satiat cauitatem; nec locum relinquit extraneo. Ergo impius est, quisquis sic inuehitur, vt vtero Mariano alienum vnus impingat: siquidem Deiformis ille vterus fuit, qui ex mente Patris prolem continuit æternam. Benè Dionysius Car- Carth. thusianus de dignit. Mariæ art.16. *Porrò incomparabili, Deiformique fœcunditate benedictus Virginis venter veneratus est, quippe qui eum edidit, qui ex æterni Patris mente profluxit.* Expende rationem, & iam non miraberis, cur amentiæ deputetur, si Ioseph nuptialem versare torum post partum Virginis tentauisset. Ambrosius lib. de Amb. instit. virgin. cap 6. *Nec Ioseph vir iustus in hanc prouiisset amentiam, vt Matri Domini corporeo concubitu misceretur.* Vt quid in amentiam signatè? Quoniam amens esset, qui à mente æterni Patris profluentem Filium alieno vellet sociare sodali, vterumque, in quo genitus fuerat humana sarcina grauare. Absque mente esset, qui à Deo Patre mentem depopulari gestiret, dum eius violaret conditionem, alienum Filium intrudens, postquàm Virginis vterus mentis diuinæ termino fuerat impletus. Ergo exors iudicij esset, qui sic auderet. Eundem gustu debacchantem, insanumque nuncupat Epiphanius lib.3. hæres.78. *Quomo-* Epiphan. *do senex Ioseph tantū signū, ac miraculū audiens, audebat debacchari, ac contumelia efficere corpus sanctum, in quo habitauerat Deus?*

Non satis. O Virginitas Mariana, Trinitatis 57. peculium, & portio! Lædit Deum, mentem eius concutit mentis impos, qui perpetuam virginem non præconatur: caosus Filium ab infinitudinis audet depellere fastigio. An & contra Spiritum sanctum peccat? Præstò sit S. Thomas 3.part.q.28. S.Thom. art.3. in corp. *Hic error iniuriam facit Spiritui* *sancto*

sancto, cuius sacrarium fuit vterus virginalis, in quo carnem Christi formauit: vnde non decebat, quòd de cætero violaretur per commistionem virilem. Vt qoid Spiritui sancto iniuriam, siquidem iam ipse suum peregerat officium? Incarnatione functâ, qoid in vtero Virginis maoebat agendum? Putas vterum Spiritu sancto vacuum, postqoam Dominicum corpus edidit per puerperium? Imò allectus voluptate loci, odorisque limpiditatia floribus plenam possedit, qui in plenam superoenerat. Contemneretur opifex, si violaretur officina. Officerent artifici sacro officia virilia; & dum vilesceret humaoâ liceotiâ venter, in quo Spiritus sanctus suum patrauerat opus, despiceretur & auctor, & in communionem cum homine concumbente veniret, qui creaturæ Dominus est, virginitatisque largitor. Dixit hæreticus: Contempsit Dominus Matrem, quia exercuit torum, filiosque peperit, postquàm sacrarium Dei fuerat effecta; ideò tetrica fronte petræsus dixit: *Quæ est Mater ea, & qui sunt fratres mei?* (Matt.12.48.) O vesana impietas audaciæ! quid foueam caoas, vt cadas? Absit delirium. Despiceret Filius, quam Spiritus sanctus benedicebat? Vide sancti Spiritus solertiam. Postquam Maria genuit, effectuens cupit benedicere puellam, ab eius puritate tractus: vt qui ex proprietate boous est, bonitatem suæ Virginis prædicans; seu vafra, seu stolida obturaret ora perfidiæ, quæ dictura erat, opprobria Dominum iecisse in Matrem, de thalami vsu plectentem. Quid ageret Spiritus, qui totus in Virgine erat; nec Virginis linguâ debebat Virginem benedicere, ne laus in ore vilesceret proprio? Venerabile ingenium à Virginis linguâ ad Elisabeth Spiritus sanctus dispensatur, & transilit, vt illâ inclamante. *Benedicta tu inter mulieres*, à Spiritu sancto benedici, & laudari crederetur, quando à spiritu sancto plena, benedictionis personabat elogium. Nonnè vides? (Luc. 1.) Luc. 1. *Et repleta est Spiritu sancto, & clamauit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu in mulieribus.* Acumen est Origenis (Origen.) homil.7. in Luc. explicans illa verba: *Debemus in hoc loco, ne simplices quique decipiantur, ea, quæ solent opponere hæretici, confutare. In tantam quippe, nescio, quis prorupit insaniam, vt assereret negatam fuisse Mariam à Saluatore, eo quod post natiuitatem illius iuncta fuerit Ioseph. Si quando igitur hæretici vobis tale quid obiecerint, respondete eis, & dicite: Certè Spiritu sancto plena Elisabeth ait: Benedicta tu inter mulieres. Si sancto Spiritu benedicta canitur Maria, quomodo eam Saluator negauit?* Id est quam Spiritus sanctus benedixit, extremæ dementiæ est asseri à Saluatore negatam. Verum hæc Origenis ratiocinatio nutare videtur: nec enim hæreticos somniabat, Mariam, antequàm peperisset, viri amplexibus studuisse, id post puerperium imponebat; & tamen verba illa, quæ in Elisabeth Spiritus sanctus construxit, paulisper post Incarnationem fuere prolata. Ingeniosè processit Origenes, multumque de Virginis reuerentia meroit. Spiritus sancti benedictio oon strictis curtatur angustiis; à pleoitudine venit, io plenum est perpetui temporis complementum: æteroitatem amat, non fluxum. Si benedixit, postquam genoit, Genitrici benedixit: semper Genitrix est, quæ semper Mater.

58. Erras, hæretice. Sat est fateatis, Virginem genuisse Verbum Dei, vt funditùs credas, nullâ tempestate virgineum decidisse florem, nunquam violauisse cubile, in quo & Spiritus cubauerat, & carnem sumpserat Filius Dei. Virginitatis post partum pugnax, & validum argumentum est virginitas in conceptu, & puerperio. Non eges ratione, sed sensu, qui Virginem puerperam non detrectas, vt noscas in æteroitate mansisse pudicam. Æternitatis conditio in hac virginitate est, quæ semel est, semper est: si semel, ne digladieris de cætero. Si placet, his redditur venustus Hesychij locus (Hesych.) homil. de S. Maria col.2. *Didicimus à Magis, imò vero instructi sumus, vt eam rem religiosè colamus, qui quidem inquirentes infantem, non dixerunt his, quos interrogabant: Quomodo vterus sine semine, quomodo partus incorruptus, quomodo Mater post partum est Virgo?* Quid est, quod tria tempora virginitatis recenset Hesychius; cùm tamen Magi de virginitate post partum, quæ à puerperio vsque ad Virginis mortem erat propaganda, disquirere non potuerint? Peroptimè. Si vna virginitas est, eò à mortali materia defæcata, vt spiritalibus dotibus affulgeat; qui partem credit, credat & totam: non præualet amputari, quæ non præualet temerari: pignus futuri præsens est: permanentis virginitatis testimonium est permansuræ. Durat virginitas puerperij. Quæ semel puerpera, semper Virgo est. Qui sapor est in Damasceno (Dam.) in Cant. Eccles.

Adsunt seruorum more partui tuo
Ordines cælici, Virgo,
Obstupescentes merito, quod tui
Virginitas puerperij duret.
Nam in casta.
Ante partum, & post partum fuisti.

Quid est illud: *Virginitas puerperij duret*, si puerperium semel fuit, nec vltrà peperit Virgo? Peringenuè. Quæ puerpera Deum hominem protulit, virginitate florente, ab ipsomet puerperio de perpetua virginitate solidatur; virginitatem puerperij fert, quæ in eadem, qoa peperit, sacri claustri constantia perdurat. Sese argount procliui sequelâ Mariana tempora virginitatis; à conceptu ad partum, à partu in posteritatem. Hæc natura diuinorum est; ab eo, qood semel fuot, diuelli nesciunt. Sic Hugo de S.Vict. (Hug. Vict.) de virginit. Mariæ cap.3. *Beata Virgo Maria, vt suprà primam conditionem esset secunda restauratio, & naturam generis gratia vinceret Saluatoris, non solum sine libidine concepit, sed neque de semine viri partum accepit, & ob hoc sine dolore filium edidit, & cum integritatis decore post partum Virgo permansit.* Obserua ista: *Et ob hoc sine dolore Filium edidit*, &c. Conceptus virginei tempus gubernat cætera: prior virginitas posterioris causa est: non vices patitur mutationis, totâ simul, ac perfectâ possessione coogaudet.

59. Si Maria post partum corruit in thalamum, seque discussit laxans vterum soboli procreandæ; tota Incarnationis periclitatur fortuna. Perpetua Deiparæ puritas, Dei hominis Sacramento innexa est. Miraris? Consule Angelum: (Luc. 1.) *Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Rationem exhibuit, cur Dei Filios ederent homo: quia viri procul abstitisset impulsus: qoia *ex te*, inquit id est, *ex sola*, oec sodalis indiga, nec iniuriæ pudoris obnoxia. Ideò Omnipotentiæ adscripsit: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Vt quid dioinæ potestatis thesauros explicuit humili virgunculæ, & fideli, quæ credere parata, quæ facilis obedire? Oportuit. Scopus erat, qood in taoto mysterio virginitatis rutilaret splendor, & ioter tot amoris prodigia caput extolleret

tolleret puritas Genitricis. Virginitas autem cum partu omnium mirabilium mirabilior eſt. Ideò opus fuit de Omnipotentiæ præcauere diuitiis, eiuſque opulentiam depromere, vt in ipſo conceptionis inſtanti virginitatis flos ante oculos Genitricis obſeruaretur. Quid eâ virginitate firmius, quàm altè Omnipotentia ſuffixit? quid eâ conſtantius, quam tota Dei poteſtas ſolidauit? Si poſt partum ſtirpitùs, erutam, impurâ diſcinctam ſacrilegè mediteris, aduerſus Omnipotentiam irruis, eâque te validiorem præſumis, qui rumpere tentas, quod illa firmauit. Sit lux Ambroſio lib. 3. Epiſtol. epiſt. ad Theod. & Anys. *Neque enim elegiſſet Dominus Ieſus naſci per Virginem, ſi eam indicaſſet tam incontinentem foret, vt illam aulam Regis æterni concubitu humani ſemine coinquinaret. Qui enim hoc adſtruit, nihil aliud, niſi perfidiam Iudæorum adſtruit, qui dicunt eum non potuiſſe naſci ex Virgine.* Aduerte quale argumentandi genus. Qui virginitatem poſt partum humano concubitu dirutam eſſe contendunt, Virginem in conceptu, & partu fatentur: non ergo negant Deum ex Virgine naſci potuiſſe. Præclarè. Virginitas puerperij à poſteris caſibus pendet: vna eſt, ſecari non valet: hoſtis Omnipotentiæ fit, qui, quod illa perſtrinxit, diruere ſolicitat. Si Deus potuit ex Virgine naſci, id eſt, ſi ſummæ poteſtatis eò valuere lacerti, vt vuluam irrigans ſuperna virtus induraret, progrediens fœtus non ſcinderet; ibi Omnipotentiam depoſuit: ſupereſt, quod facilius eſt, nempe abſtinere à toro, quæ in ipſo conceptu, & puerperio, & ab illecebra abſtinuit, & à tormento. Illudis poteſtati, ſi, quod facilius eſt, ei inficiaris. Non credis hoc ad Omnipotentiam attinuiſſe? Do Gaudent. ſer. 13. de natal. Dom. *Hanc omnipotentiam Filij Dei, & hominis etiã Mater Virgo teſtatur, quæ de Spiritu ſancto concipiens ita Deum & hominem, quem pudico vtero geſtauerat, edidit, vt apud incorruptam tanti nominis Matrem poſt diuinum partum glorioſior integritas permaneret.* Recenſet virginitatis tempora, omniaque Omnipotentiæ Gaudentius attribuit: cùm tamen, quòd poſt partum ſe maſculis abnueret officiis, & maritalibus ſe negauiſſet oneribus, virtutis fuerit, non miraculi: nec habuit pungentes carnis aculeos, quos vinceret, quæ omnis contagione peccati altior habitabat. Ingenioſè. Omnipotentiæ fuit virginitas poſt partum; ſi vna eſt cum virginitate conceptus, & puerperij. Omnipotentiæ fuit: quoniam Omnipotentia, quæ clauſtrum firmauit, ad exitum, ibi remanſiſſe putatur, vbi prodigium perpetrauit pudoris; ibi depoſita illuxit, vt vterus ille diuinæ poteſtatis maneret ſacrarium.

Ambr. — Gaud.

60\. Quòd ſi Omnipotentiæ fuit Virginem permãſiſſe, impoſſibile fuiſſe iudicetur virginitatem eius deinceps decipere, à qua diuina virtus firmans non diſcedebat. Non potuit illigari cum homine quæ ideò potuit Deum hominem gignere, quoniam diuina poteſtas in ipſa incubuit, virtuſque Altiſſimi, quæ Omnipotentia eſt, fouit obumbrans, nec vltrà receſſit. Grandis prærogatiua puritatis! Potentiæ fuit concipere Filium Dei; impotentiæ non violari per torum. Capies iam Ambroſium lib. de inſt virg. cap. 6. *Aliis promittit, vt non deficiant; Matrem ſuam deficere patiebatur? ſed non deficit Maria, non deficit virginitatis magiſtra: nec fieri poterat, vt quæ Deum portauerat, portandum hominem arbitraretur.* En ad impotentiã reducit, non aliâ ratione, niſi quia potuit Deũ hominem baiulare, eiuſdem virtutis fuit & non


Ambroſ.

poſſe lædi, & fœcundari potuiſſe. Id impoſſibilitas moralis indixit, ſed nimiùm ad naturam ipſam Deitatis, ſacræque Virginis conditionem procliue. Si violare nequiuit animum noxa, quî potuit vterum ſordes? Rem dedit Bonauent. in 3. diſt. 3. part. 1. art. 2. q. 3. *Sed cùm Sanctum ſanctorum geſtauit in vtero ſuo, tunc ſanctificata fuit conformiter Filio ſuo; non tantum quantum ad impotentiam ad peccatum, ſed etiam quantum ad impoſſibilitatem labendi in aliquod peccatum. Vnde ſicut impoſſibile fuit propter honorem Filij ſui, vt alium haberet filium; ſic impoſſibile fuit, vt vnquam vlteriùs haberet peccatum. Sicut etiam impoſſibile fuit, vt carnis virginitas violaretur, in qua Filius Dei habitauerat; ſic impoſſibile fuit, vt mentis ſanctitas aliqua culpa macularetur.* En impoſſibilitatis huius radix poſſibilitas fuit concipiendi, quaſi propagaretur miraculum. Ergo aduersùs miraculum iret Maria, ſi virginitatem, quam ex Omnipotentia conſeruauerat in conceptu partuque, poſteà nuptiali mucrone feriret? Si ſic cogitas, non ſine acumine procedis. Accipe S. Thomam 3. p. q. 28. art. 3. in corp. *Derogat dignitati, & ſanctitati Matris Dei, quæ ingratiſſima videretur, ſi tanto Filio contenta non eſſet, & ſi virginitatem, quæ in ea miraculosè conſeruata fuerat, ſponte perdere vellet per carnis concubitum.* O qualis virginitatis nobilitas! Si læditur, aduersùs miraculum itur.

Bonauent. — S. Thom.

Præſtat finire cum ſubtili cogitatu Richardi de S. Laurentio lib. 1. c. 6. col. 4. *Maria, quamuis per multas, tamen per quatuor mulier expreſſiùs figurata eſt ſcilicet per Iudith viduam, per Eſther coniugatam, per Rachel, & Rebeccam virgines. Sed quare per vnam viduam, & vnam coniugatam, & duas virgines? Fortè quia Virgo ante partum, & Virgo permanſit poſt partum.* Benè, Neſcit Mariæ virginitas adhuc in typo, & in vmbra, paruo contenta eſſe: excreſcit numerus in figura, vt in veritate latitudo monſtretur. Imò ſi roges, quid de Rebecca Geneſ. 24 Habes; *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Nonnè otiatur calamus? Si virgo, vtique incognita viro. Aſt bis virgo nuncupanda erat, etſi ſynonymis vocibus, quæ vmbram futuræ Virginis geſtabat. Animi & corporis virginitas vocabulorum petebat excurſum. Chryſoſtomus homil. quomodò ducendæ ſint vxores: *Nec temere eam his appellat virginem.* Et ſtatim: *Quòd hæc non talis, ſed tam animò, quàm corpore virgo fuerit, dixit: Virgò erat incognita viro.* 61.

Richard à S. Laur. — Geneſ. 24. — Chryſoſt.



ACADEMIA XXII.

Mariana puritas Diuinam puritatem imitatur, quâ nullâ ſuſtinet contagione fœdari.

Vxorius ſtylus vberum, & vuluæ puritatis Marianæ vindex & index eſt.

SECTIO I.

Adeo virginitatis lilia albent in Maria, vt opus ſit ad fœcunditatem Matris plaudendam vocabula ex penu coniugij contexere 1.

texere,qoæ dũ Virgini obſequuntur, tedolent caſtitatem. Integritxris nobilis indoles, qoam oec vxoria verba conturbant, cui nec purpureus ſanguinis crocus temerat caodoré;ſed potiùs admiſtâ purpurâ conciliat venuſtaté. Quidquid ex vxoriâ ſupellectile eſt,inficit pudorem, florem offendit, ruborem commaculat:id,ſi fragilis pudor,ſi caducus flos,ſi rubor euanidus.Cæterùm Heroũ virtus à vulgi neſcit pungi conuitiis, plebiſque iniuriis commoueri.Vbi ad faſtigium virtutis ſublimatur honeſtas vulgares non lædunt vxpores:etſi aſſurgere ſxtagat,potiùs armant, teguntque,quàm deturpant.Impatibilis eſt Deus: annè cœnoſo ſitu, inſalubribuſque paludibus, quas per immenſitatem hxbitat,inquinatur? Annè creaturarum infamatur hoſpitio? Abſit.Arduus Sol tam inoffenſo fulgore pingit æthram,quàm radiat lotum; ſporcitias incolit,quàm aureas torres. Pars maieſtatis eſt ſordere non poſſe, nec alieno vitio vilere. Impaſſibilis Mariæ virginitxs nec à generatione læditur,necà partu?oec exm matrimonium offendit, nec noptæ opinio:his aculeis armata verniot floret.Non potuit aptiùs incoinquinabilis apparere, nec ſimilitudinem ſtrictiùs cum Diuinitxte venati. Hoc huius Academiæ inſtitutum eſt.

2. Spinarum aculeis roſeus floris decor pompâ purpureâ aſſurgit in honoré,& quæ pungunt carpentis manus,roſæ pulchritudini ſubſeruiunt.En ex vrticoſo comitatu,vernior venuſtas,quæ didicit inter ſpineta pulchreſcere. Fauſtum Marianæ virginitatis emblems, quam nec deturbat muliebris ſtylus,nec vxoriæ ſpinæ conturbant.Semper Virgo in Nazareth, loco oempe florido:quacumque linguâ ſalutes,roſeum integritatis ſpirat odorem, & in ſuaueolenti ſtatione renidet. Pulchrè Andreas Hieroſolym. in ſerm. S. Mariæ. *Vade Nazareth.Curnam? Quo gratioſiſſimum virginitatis decus, veluti roſam ſuaueolentem ex loco ſpinoſo ſibi Omnipotens eligeret.* Ergo ex coniugali ſtylo, Marianæ caſtitatis adxugeamus elogia; vt appareat,quàm tutò puritas viguerit in Virgine, quæ nouit, & ab hoſtilibus iniuriis vernior triumphate, nec intingi dictionibus in nuptiali cenſu deſcriptis.

Andr. Hieroſ.

3. Mariæ puritas ex diuina puritate metienda eſt, ad hanc lucem exploranda,verè lucem,quæ etism vt in corporibus affulget, diuinæ puritatis ſymbolum eſt.Nullâ quit Sol contagione fœdari. Ingenitâ nitidæ pulchritudinis gaditor maieſtate: adhuc outritur io croceis,quantumuis amplectatur ſtercora;ſub eius radiis lucent ſordes.Ea eſt illi ſupra omoem ſuſpicionem libertas: inquinamenta non abſcondit, potiùs illuſtrat, vt agnoſcant oculi inter graueolentes ſitus,inter ſpurciſſimas plagas pollui non poſſe. Ergo examinx ex nxtura lucis Virgiois puritatem. Quod magis ad ſummam lucem accedit:puritatem eius participat xbundantiùs. Gignit Maria. Puritatemnè offendit conceptio? Concipit lucem, Verbum Dei, quod lumen de lumine eſt,quod ex ſuapte origine lux erat. O quale pro puritate ſuffragium! Ne putares inquinatam,dum xudis Genitricem; Genitrix eſt,ſed lucis,vt in ipſa ſuſpicione contagij ex lucis indole ſupremam puritatem fatearis.Id pluribus expendit Albertus Magn.in Marixli c. 177. nonnulla libemus. *Puritas, vt videtur, ſequitur naturam luminis,& luminoſi. Quod autem plus participat de natura lucis, plus habet puritatis, vt ſumma lux, & ſummè luminoſum ſummè ſit lucidum,& purum: & vbi eſt magis propriè & verè proprietas lucis; ibi verè, & magis propriè eſt proprietas puritatis.* Deinde diſcurrit per lucem corporalem, & ſpiritoalem: txndem perueniena xd Mariam,inquit: *In Beata Virgine reſpectu omnium creaturarum non vnitarum non fuit gratia in ſummo: ergo appropinquat ad primam lucem in ſummo: ergo puritas in ſummo.* En Mariæ puritaa iuxta conditiooem lucis eſt, quæ neſcit vllis calamitatibus hebetari, ſi ſuprema ſit, ooo exteris indigx iuuamiois.

Ioan. 1.

Alb. Mag.

4. Obſeruxſti: *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt?* Quid eſt, quòd lux in tenebris lucere dicatur, cum potiùs, dum appetit lux, omnis tenebrarum denſitas diſſipetur, & nitoris veſtigia, dum extremam noctem calcaot, obſcuritatem abigant,non patiantur? Quid quòd *tenebræ eam non comprehenderunt*, quaſi tenebræ ſubſiſtentes ad lucis diffuſæ conſpectum, comprehendere non præualeant, quam prætentant. Plurimum in his ſic cõcatenatis dictionibus enodandis inuigilant Interpretes. Mihi non difficilia explicatus. En lucis notabilitas eſt,quod licèt in euerrendis,abluendiſque tenebris ex munere inſiſtat, nunquam vllam à tenebris fuliginem ſentiat,nullis obſcuritatis vmbris opacetur, nullis polluatur ex attxctu reliquiis,non fuſcis inquinamentis intingxtur:ſed quò magis tenebras tractat cò lucidiore maieſtate procedat. Sic ergo accipe. Quando lux lucet,id eſt, matutino iubare incipit lucere, tenebras nitore quaſi contrectans xbigit, & allidit; nec tamen ab illis præualet comprehendi,vel ſũmo vngue fuſcari.Ea lucis nxtura eſt, quotidie cũ tenebris dimicat;& tamen ſemper victrix euadit, & innoxia,quantumuis tenebrarum agmen præcedxt:tunc ſplendidior lucet,cùm poſt tenebras xntelucanas inſequitur, nunquamque tenebræ potuerunt lucem comprehendere,& ſubiugare;id eſt,in tenebras reducere,cùm potiùs quò magis prendunt,magis propulſentur,& euaneſcant, luxque micantiùs coruſcet. Hic videtur ſyncerus,& ſanus huius loci ſenſus.Doctas ſobtilitates alij comminiſcuntur.P.Maldonatus alio explicatu delectatur, qui mihi noo ſic cohæret: verùm citat S.Fulgentium lib.2.ad Trxſim.quòd locum hunc expendat, quatenus lux Diuinitas ſit, tenebræ res vniuerſæ, in quibus luxerit; nec tamen comprehendere,id eſt,inquinare potuerint; ſicot Sol non coinquinatur,dum etiam in ſordidis locis lucet Nimiùm gratularer, ſi id apud Fulgentium inuenirem. Certè non potui. Nimium xb inſtituto,eo libro abit:nam cap.8. agcos de immenſitate Dei, ſolùm inquit: *Quomodò poteſt ſubſtantialiter alicubi deeſſe, cum lux etiam in tenebris luceat, licèt tenebræ eam non comprehenderunt?* Cæterùm non aliis egemos teſtibus, quàm ipſius Sapientiæ increatæ nxturâ, quæ ex propriæ indole lux eſt: & quantumuis permeet vniuerſa,illiſque altrinſecùs ſe immiſceat, & ſubtiliſſimâ acie peruadat, nuſquam vllis maculis inficitur. Hæc illi mxieſtas blxndimentum eſt. Ideò toties decantxtur Sapient.7.verſ.22. *Subtilis,diſertus, mobilis, incoinquinatus.* Verſ.24. *Attingit vbique propter ſuam munditiem.* Verſ. 25. *Emanatio quædam eſt claritatis Omnipotentis Dei: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.*

Ioan. 1.

Mald.

Sap. 7. 22.

5. Ex quo duo loca curſim interpretarer. Cur ſignatè de virginibus dicitor Apoc.14. 4.qòòd *ſequantur Agnum, quocumque ierit?* Crediderim, quia immenſitas,& ſtabilis ſuper omnem creaturam peruagatio, latiovè de Sapientia concinitur,

Apoc. 14. 4.

pro

propter suam munditiem, videlicet quia nullius grauedinis pondere subigitur, nullius materiæ permistione grauatur: quia pura est, peruadit vbique: non habet, quo adhærentes sordes sustineat. Id puritatis attributum est; tuta progreditur, nec fœdatur. Ergo & virgines, quocumque ierit, Agnum sequuntur: virginitas, quæ obesæ materiæ sarcinã deposuit, se quolibet immittere præualet illibata. Itidem, cur Seraphim trisagio addunt apud Esaiam: *Plena est omnis terra gloria eius*, cùm solicitus sit Cœlitum chorus, ne canticum illud intermittant, quod sine requie versant, sine satietate reuoluunt? Certè non aptiùs potuerunt sanctitatem, quæ puritas, & munditics est, exaggerare, quàm eo scholio, *Plena est omnis terra gloriâ eius*, id est, eo sanctitas hæc colliquatæ puritatis, & exactæ munditiæ pollet nitore, quòd licèt omnia permeet per immensitatem Diuinitas, ratione cuius plena est omnis terra gloriâ eius, nullâ contagione fœdatur, nullâ colluuione concrescit, munda impermistione gloriatur. Imò gloria est immensitas ista, & peruasio, nempe lux, & splendor, quem *gloria* significare solet. Hæc suopte vestigio vergunt ad Mariam, quæ lucem illam increatam gignens muliebribus nequiuit iniurijs patêre, impurisque vexationibus agitari.

Esai. 6. 8.

6. O quantum virginei prodigij! Mariæ sanguis, vulua, generatio & sinæ, & Dei impatibili puritati profuit. Deũ ab Incarnatione sordescere ineptiebat Manichæus. Ingens stoliditas! Imò, dũ per fœminam nascitur, virgineisque sanguinibus immergitur, incoinquinabilior apparet. Fœmina, dum concipit Deum, Deitatis nitori ministrat. Quid causæ? Non inuulnerabile est, quod ferro non quatitur, sed quod à ferro tactum non sauciatur; totumque se illi exponit, nec galeâ, nec scuto repellit: & tamen inoffensum strictam aciem reddit inanem. Qui non vincit incommodum patiendo, sed potiùs non sentit; nec suffert malum, sed non fert: ille constanter se impatibilem pronuntiauit. Deus nascens ex Virgine non inquinatus, sed nitens, se probauit sordibus imperuium: ideò, quà Virgo, enixa est; ne, quà femina, polluisse sobolem videretur. Profundè Augustinus lib. vnic. de fid. contra Manich. c. 24. *Incoinquinabilis enim substantia non ideò non coinquinatur, quia nihil attingit; sed quia permanet in sua munditia, qualecumque sit, quidquid attigerit. Sicut corpus inuulnerabile, aut impenetrabile nunquid illud dicimus, quòd non percutitur ferro; sed potiùs quòd etiam, cùm percutitur, non penetratur? Et ideò magis probatur Filius Dei non posse de sanguine fœminæ coinquinari, quia per fœminam natus est, quam si non per fœminam nasceretur, & membra illa deuitasset: videretur enim indicasse posse se inde pollui, & minùs à nobis fidenter coinquinabilis diceretur.* Quid illustrius? Facilis ex hoc aditus ad Mariam, quam nulla vxoriã vocabula defœdãt, sed conspicuam reddidit Dei puritatem; quem fœmineo vtero non læsit, sed virgineo probauit, ideò in sanguineo sinu non sorduisse, quia sinus Virginis fuit. Aliàs non sic masculum robur haber ratiocinatio Augustini: nam si Deus ab inquinata Matre carneus prodiret, fæculentam in humanitate traheret iniuriam, diuinumque puderet statum sic à noxa tabuisse. Ergo quòd non putetur iniuria puerperium; & conceptus. Virgo Mater in causa est. Bellè Chrysol. serm. 148. *Et si ista ita sunt, quare modò putatur iniuria?* Et paruo interuallo: *Concepit Virgo, Virgo peperit: non te conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas, quidquid est humani pudoris, excusat.*

August.

Chrys.

7. Hinc gloria emicuit, vbi nimiùm suspiciosus, & pauidus, à dedecoris timeret incursu. Oseæ 9. *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* Cur sic ordo præposterus, cùm conceptus partum præcedat, & vterus vtrumque? Pulchrè disposuit situm, vt inde gloria assurgeret, vbi cadere putaretur. Qui splendor gloriæ est, quà à Patre gignitur; non obduxit, perstrinxit que lucidam splendoris ingenitatem, licèt è Matre genitus, licèt naturæ ignobiliori portione, obscuroque claustro; quia virginitas nobilia lumina conciliauit, & fœtui, & genitrici. Id inlatet in Vate, dum vocum ordinem commutauit. Si etenim partus ante conceptum consideretur, nullâ potest impudicâ libidinis vmbra coinquinari, quæ non solet pungere puerperium. Itaque vtrique à partu gloria est, ac proinde vtique & à conceptu, & ab vtero. Sic accipio Richardum, dum eadem verba expendit, lib. 1. de laudib. Virgin. col. 11. *Gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu, ordine præpostero: Christus enim conceptus est, & ipsum concepit Virgo sine corruptione virginitatis: portatus est, & ipsum portauit Virgo sine grauamine ventris: natus est, & ipsum peperit Virgo sine dolore parientis.* Oseæ. 9.

8. Eumdem transpositum ordinem aduerto Gen. 49. vbi Iacob filios suos benedicens, sic ad Ioseph post plura: *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus vberum, & vuluæ.* Et statim: *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Quid est, quòd priùs vbera, deinde memoret vuluam, cùm è vulua genitrice vbera lacte pinguescant, natoque pusioni candidum nutrimentum instillent? Sanè quia collium æternorum desiderium, id est, Christum è Virgine natum Propheticis oculis præuidebat: vt eius vtrobique virgineam generationem præmonstraret, quà à Patre, quà à Matre, præmisit vbera ante vuluam, in castitatis indicium; nam plenis vberibus, editáque prole, non eget temerari vulua, thalamique inquinamenta sentire. Ea fuit vberum Mariæ puritas, vt nulla vuluæ antecedentia, vt lacte protuberarent, fuerit opus: ea vuluæ virginitas, dum genuit, quasi iam infans lactaretur, vbi non sordet vterus, sed de nata sobole gloriatur. Vnde pluraliter extulit *vberum, & vulua* vt vtramque generationem illigans, virgineam pangeret vtramque. Ea verba sic commentatur Cyrillus Alexand. lib. 1. Glaphyr. *Benedixit vbera, & vuluam. Ex quibus verbis apertè, & euidenter generatio Vnigeniti ex Deo, & Patre, necnon generatio per sanctam Virginem, quatenus scilicet intelligitur, & apparuit homo, declaratur. Nam cum suapte naturâ, ac verè Filius Dei, & Patris esset, propter nos sustinuit per mulierem, ac vuluam nasci, vberaque sugere.* Gen. 49.

Cyril. Alex.

9. Beatitudinem vteri cum voce extulit mulier è turba. Quid ageret de Virginis spiritu, si sic vterum sublimauit, illi beatitatis gloriam pangens, qui potiùs in corpore inhonorâ sorte feritur? Ab alto fœmina loquuta est. Sordebat caro post Adami noxam; & quantumuis spiritus nobilia sibi meditaretur stemmata, in portionẽ carnis intentus, superbiæ rotam colligebat. Maria creatur, in quam effuso cornu omnis perfectionum conspirauit consensus: animum virtutes, corpus pulchritudo beabat; sed viscera & vterus, & quæ intraneam officinã cõstipãt, naturę dedecus, cõmuneq; obscuritatis vmbram trahebant. Quid ageret Diuinitas, Luc. 11.

quæ sic Virginem depetibat? Prodigium cogitauit amor. Se immersit visceribus Filius Dei: non horruit vterum, & humiliorem portionem ineffabili sublimauit honore; vt quod despicabilius erat, redderet honoratius, & gloria illi ab vtero caneretur à quo carneæ naturæ opprobrij calamitas adhæresceit. Rem tractat venustè Dionysius Carthus. adiutus illis verbis Apostoli: *Quæ inhonestiora sunt corporis nostri, his ampliorem gloriam circumdamus, potius quippe eget*: sic igitur fatur lib. de digoit. Mariæ art. 16. *Sic prorsus omnipotens, sapientissimusque Pater nil indecorum in amantissima sua Filia relinquere volens, id quoque quod per naturam humilius existit, per gratiam sublimius fecit: & quod in se consideratum videbatur inhonestius, diuinius effecit gloriosius. Iam ergo nullus in te, ô inclyta, aut sexum, aut vterum, aut vbera immundissima mente contemnat, dum fœminei sexus organum incomparabili & flagrantissimaque castitate stipatum est: eò cœlitùs gratiosius perornatum, quo amplius eguisse cernitur.* Quod carnis inhonorum est, maioribus gloriæ pignoribus muneratur, vt noscetis, quanta sit Virgo, cuius vel extrema portio, totius est aula Deitatis.

1. Cor 12. Carthus.

10. Et quidem vulua & vbera in mulieribus non honori sed vtilitati sunt; nun spectationi, sed ministerio. Gignit vterus, vbera nutriunt; & tamen in naturæ penu despicatui sunt! Quid causæ, Quia non nisi conspurcata ministrant, non nisi ex toto sordidata suoguntur. Inuenit Dei Sapientia vuluam, & vbera, quæ & prouentui essent, & honori: quæ & fœtum ederet, & alerent: nec vllis sordibus subiacerent, sed virgineæ fœcunditatis nobilitatentur prodigio. Id sibi altè infixerat Sponsus Cant. 4. vers. 10. *Quam pulchra sunt mamma tuæ, soror mea Sponsa! Pulchriora sunt vbera tua vino.* Obsecra emphasim: *Quàm pulchra sunt!* Pulchritudinis denotat excellentiam. In quonè; Quia lactescere vidit Sponsus, adhuc candido vtero nulloque nigrante contagio. Ideò super virginea vbera adiicitur admiratio, quia lac additum erat, lacteaque virginitas permanebat. Guilhelmus ibi. *Et quidem pulchra sunt mamma virginum, quia virginea; sed dum virginea sunt, lactescere nesciunt: ideo simpliciter pulchra sunt; sed de illis non potest dici: Quàm pulchra sunt! At B. Mariæ mamma non tantum virginea fuere, sed etiam ad singulare miraculum lacte virgineo tumuerunt; ideò cum admiratione gratulatoria vult dici: Quam pulchra sunt mamma tuæ!* Sed qui mammas priùs, cur iterum vbera adiecit? An quia mammæ genitricium sunt, vbera virginum, eidem sacræ fœminæ vtrumque componitur, cui virginitas in fœcunditatem iuit, in virginitatem fœcunditas? Lucas Abbas Montis S. Cornel. in Cant. *Mamma ad virginitatis benedictionem; vbera verò ad fœcunditatis gloriam respicere opinamur. Ingenitricibus enim mamma, in virginibus vbera appellantur.* Sed si mammas dixit, cur nuncupauit sororem soror quidem non coniugio sistitur, cui nec pendulæ mammæ ex fratris sponsi licentia turgent. Quàm virgineè? Vt non distingueret mammas ab vberibus, matrem à virgine, sororem vocauit, & sponsam; vt, quà soror, virgo; quà sponsa, crederetur fœcunda: quasi à summo Parente traheret ortum, quæ sic lae vberum cùm viscerum candore copulanit, fœcundoque viguit pudore. Guilhelmus suprà: *Quàm pulchra sunt mamma tuæ! Id est: Quàm grata sunt oculis Patris, quæ Filium vnicum aluerunt! Quàm pulchra sunt, quæ lacte singulariter candido tumuerunt,*

Cant. 4. 10.

Guilh.

Luc. Abb.

Guilh.

nempe lac illud singulariter candidum, quia virgineum.

Nec præfixum deseramus locum, qui institutO gratissimus est. *Pulchriora sunt vbera tua vino.* Si in vino luxuria est, Apostolo annuente, quid magnum est vberibus matris, pulchritudinem super vinum extollere? Quod pulcbrum non est, nequit comparari pulchritudini; nec conducere laudationi, quod abest à laude. Luxus, carnisque voluptas in vini pungentis sublatet pruritu: quid coram vberibus matris pudicæ memoratur, quæ nullum nouit acoetem, nec Lyæis vterum repleuit, vt vuluam oneratet; sed Spiritus sancti rore madidata Filium Dei quasi stillam super gramina parturiit? Non crescit laudis nobilitas, sed minuitur, quando rei infimæ notæ comparatur. Pulchriora vino pro fastigio dignitatis effecerunt vbera; & tamen vina virginitati nocent, prosunt libidini. Sed perbellè sponsus pulchritudinem introspexit. Vt vbera à fœcunditate laudet, vini superare pulchritudinem gestit edocere, in quo per carneæ voluptatis illecebram in prolem itur. Non nouit vini, concubitusque feracitas ad vbertatem horum vberum (licèt glomeratis sobolis prouentibus) peruenire. Mariæ vbera, quà virginea sunt, omnem carnis fertilitatem excellunt. Pulchritudo vini generationis fructus est. O quàm vetustior vberum frugalitas, quæ si quem lactant, Deus est; si quem generant, Filius Dei. Nec sordet laus à comparatione vini, in quo est illecebra: nam virgineæ Matri etiam coniugij stylus insetuit ad elogium: nec inquinari potest à vino, quæ super virginitatem Mater est. Imò vt crescat laus, cum re tam ignobili componitur: quasi nihil valeat comparari cum virginea fœcunditate, quod ad eius vmbram ignobile non sit, & sterile. Acumen est Ruperti in Cant. lib. 3. *Quid magnum est dicere: Pulchriora sunt vbera tua vino? nam in vino luxuria est. Quid ergo magnum est dicere, quod vbera tua pulchriora sunt eo, quod non est pulchrum? Est igitur illud quod apud hominum scholas dicitur tapinosis, id est, humilitas statum rei magna dictu infirmans. Magna quippe virginitas vberum me Filium lactantium: nec satis laudatur hæc tam pulchra res, dum re maritali pulchrior esse prædicatur, scilicet lactatione filiorum, quorum initium vinum est, id est, luxuria, quæ in vino est.* Rhetoris ingenium est, per decliuia, ignobiliaque aliquando deiicere orationem, vt, dum repente videtur per ima, subitò elatius sustollatur per ardua. Id tapinosim vocat Rupertus: vt pro comperto sit, nullam quidem redundantem vuluam etsi vino protubetet, cum his vberibus valere de pattuum abundantia contendere; quæ, dum Vnigenitum Patris lactant, ex mamilla soperni Patris participant.

Eph. 5.

Rupert. Ad Eph. 5.

Sed in quo horum vberum adangetur venustas? Sanè si pulchriora sunt vino, vinum pulchrum erit. Nec enim valet in vino cōparationis extremo qualitas excellere, quin aliquo gradu in altero extremo resplendeat. Pulchrum vinum, sed pulchriora Matris Virginis vbera. Pulcher coniugatarum fructus; sed pulchrior Mariæ per virginitatem prouentus. Quid causæ. Nam cùm pendulus infans ab vberibus Virginis sugit lac: alborem sanctitatis ab ipso Matris sanguine, quo cōpactus, bibuisse confirmat: nec in iniquitatibus conceptum se eiulat, cui Spiritus sanctus corpus in virginitatis aula solidauit. Quotquot ex viro sunt, inquinantur à vino, sordescunt à vulua, & ebrietate patriæ voluptatis sopiti cadunt in partu, in 12.

certa

terra per casum collidũtur, flent ab ictu; & quamuis lachrymis vinum misceant, vsque ad plenum sacri lauacri fontem, ebrietatem expergefacti nõ eluunt, quam & ex corruptæ matris bibunt vberibus. Pulchriora vbera, quorum lac vinum non
Rupert. fuit. Non tædeat iterum auscultare Rupertum: *Poteram sic dicere, quia sola vbera tua me lactantia pulchra sunt; cæterarum cuncta vbera fœminarum, ex quo id acceperunt, vt Filios suos lactare possent, etiamsi quid pulchritudinis prius habuerunt, pulchra esse desierunt: ita vt reipsâ quisque lactentium veraciter dicat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: nam ex illis iniquitatibus istud quoque vinum venit, scilicet luxuria nimietas, per quam conceptus mulieris à Deo super numerum multiplicentur.* Sic ille, profundè satis, & seriò. Quòd si malueris turpis vini ante venerabilis præsentiam Virginis impurum euentilare odorem: ne illi vel à longè eius halitus inspiretur, vinum accipias: quod germinat virgines, innocuáque fragrantiâ halat sanctitatem, vinum merum non adulterinis conditum saporibus, sed meracissimâ puritate nobile: quod quidem pulchrum est, venustaque genimina germinat. Verùm pulchriora vbera Mariana, quia lacte miscuit vinum, virgineæque pulchritudini fœcunditatis commodum auxit. Benè Guilhermus apud Delrium.
Guil. Cant. 4. *Vinum potest intelligi illud, quod germinat virgines, ipsa virginitas, vtique propter meracissimam puritatem. Quid enim virginali puritate meracius? Hoc vino vbera Mariæ, priusquàm Mater esset, plena erant: sed vbi saluâ virginitate Mater facta est, non plena tantum vino, sed etiam pulchriora vino, eius vbera facta fuerunt: quia non tantùm virginea, sed etiam lacte virgineo tumida extiterunt.*

13. Ab his vberibus quasi pusio tenellus auelli non
Cant.1. patior. Alibi Sponsus sic agit. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Cur *duo vbera tua* religiosâ numeratione protulit? Cur non capreæ vberibus, sed gemellis hinnulis comparauit? Cur in liliis pasci descripsit, quibus vbera matris capreæ pascua sunt, labris teneris thymo dulciora sugenda, quæ lac ex pendulis tuberibus ministrant? O benè! Hinnulos censeo non per virgulta saltuum, non per salices aquis contribules, non per roscidas herbas, perrantes depingi: sed ab ipsis vberibus capreæ sugentes; quæ, dum virginea sunt, lilia sunt; quę, dum fœcunda sunt, tam granida, tam grandia apparent vt hinnulus, & vber, cui assuitur per labrum, vnũ vber, vna mamma videatur. Ideò enim gemellos hinnulos capreæ adscripsit, vt binas mammas adumbraret. Plinius de Capreis agens lib. 11. c. 40.
Plin. *tus: Quibus solida vngula, nec suprà geminos pariit hæc omnia binas habens mammas, nec alicubi, quàm in fœminis.* Duo igitur vbera Virginis Matris de fœcunditate, & virginitate laudauit Sponsus; in ipsa fœcunditate liliata virgineè; in ipsa virginitate cum hinnulorum grato pondere ab ipsis vberibus pendentium. Ideò duo vbera dixit, vt duo insignia Matris, & Virginis recenseret. Ru-
Rupert. pertus inibi: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli, &c. O vbera verè gratissima, atque pulcherrima, duo vbera manu Altissimi formata! Hæc sunt virginitas, & fœcunditas, quorum pulchritudo in tuis, dilecta, vberibus castis, vberibus fœmineis, quæ me lactauerunt, maximè spectanda est. Nunquam visum est in montibus, siue collibus nostris, vt vni capreæ fiant tales hinnuli gemelli, vt vni fœminæ contingat, quatenus eisdem vberibus, & filium lactet, & virgo sit.* Sed comprime gressum subtilis Abbas. Si duo vbera fœcunditas, & virginitas; quale ex vberibus fœcunditas, quale virginitas est? O felix, & ineffabilis commestio! O mutui pignoris faustum commercium! Vnumquodque virgineum, & fœcundum est. Arbiter est electio numerantis: si ab vno incipias, fœcunditatemque appelles, alterum virginitas est; si ab hoc ordiatis; aliud virginitatem appella: adeò in alterna dote transcendunt, vt virginitas fœcunda sit, & virginea fœcunditas.

Hinc Spiritus sanctus cum vtero Virginis as- 14.
sociatus in opus Incarnationis succinitur, illique pangitur cõpagum Dominici corporis structura. Qualis hæc conuentio corporis cum spiritu: nec solùm spiritu, sed cui nominis insigne *Spiritus* est? Si forsan, vt virginitas & fœcunditas texerent dexteras, & alterutris commodis inter se rependerent famulatum Fœminea vulua penu naturæ est, in quo reliquiæ generis custodiuntur. Spiritus sanctus, vt pluries monuimus, nedum virgo est, sed & virgineo charactere quasi increata tesserâ vexillatur; vtpote qui nec gignitur, nec gignit, cui & appellatio eliquatæ puritatis præfert elogium. Ergo & feracitas, & pudor Marianum sinum adornent, vt in ipsa generatione virginitas commendetur, & in virginitate feracitas. Cui vt subsignes veritati, Hæbreos consule in obseruatiuncula venusta. Aduertunt nomen תולדת *Toldot*, quod generationes significat, si Hebraicum fontem adeas, non vndequaque literarum numero, quem sibi vendicat, perfectum inueniri, nisi in cap. 2. Gene- Genes.2.
seos, & in c. vlt. Ruth. vbi Dauidicæ genealogiæ Ruth. vlt.
texitur series. Id si stabile sit, facilè animum inducit sedulò mediantem, vt moueerit per primi parentis flagitium fuisse generationum decurtatum honorem, & quas tabifica infecit lues, quam per sobolem culpa dispersit, vsque ad literam amputauit, & virgineâ integritate per thalami impudicum amputata mucronem, etiam characteris integritas defecit. Ideò ab exordio suis litteris generatio constabat, casum experta est in delicto, quod & syllabam cecidit, & prolem. Ast cùm in cap. vltim. Ruth. virgineæ Matris genus agebatur, resumpsit literam generatio, suoque complemento potita est, & ab integra fœmina redintegrauit stylum, non passa in vocabulo temerari, quæ non temeratur in Virgine: & integra mansit, & generatio fuit. Quin admonitum te velim obseruari, eam literam, quæ iugi desideratur defectu, esse vau quam in nomine Tetragrammaton Spiritum sanctum significare, consentiens opinio est. Si superuenit Spiritus in Virginem: quid quòd Spiritus sancti litera in generationis superueniret defectum: vt non dispendium pateretur pudoris, & prolis susciperet incrementum? Vide, quid profecerit generatio in Maria; non probum inurit, non exdit decur; sed à semet excedens, & censu, quem perdiderat, ditatur; & fœminam, quam fouet, eo amplificat incremento, vt Spiritum sanctum illi conducat, cùm gignit; & Filium Dei à quo Spiritus sanctus procedit, pro pignore largiatur.

Mariæ vir, & coniugum virginitatis eius viroris subseruit.

SECTIO II.

15. QVæ Conceptu & partu non cognouit detrimenta pudoris, sed pleniora honestatis ornamenta suscepit; nec coniugali potuit fœdere à Virginea nobilitate diuelli. Non decidit flos, dum spinis sequitur, & armatur: quò magis sine cruore legi non potest, eò amplius pungi non præualet: extra manus vulnus experitur, si audet, flos inter cuspides non sauciatur, sed regnat. Virum habuit Virgo, quem non cognouit. Hoc fuit huiusce floris spinetum, quod praue suspicantes oculos feriret, & florem, quem non tangeret, defensaret. In omnibus vxoris inuertitur stylus concipit, & thalamos abest: parit, & dolor abscedit: nubit, & virũ ignorat. Conceptus, & partus virginitatem honorauit, non onerauit pudorẽ. Quid dices de viro, qui, vt sic conciperet, & sic pareret virginea coniux, nuptiale flammeum imposuit? Attende Euangelistæ: *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Vtquid virum habuisse præmittit, qui virgineum conceptum suadere soliciat, eâdemq; periodo innectit vtrumq; quasi procliuis successio sit à viro ad Virginem; à Virgine nupta ad conceptum illibatum? Probè. Vocabula ipsa vindices Mariani fiunt honoris; quam conceptus non temerat, partus non vellicat, vir proderit, non officiet. Sic intellige cum viro Virginem, sicut cum conceptu, & puerperio. Hugo Victor. de virginit. Mariæ. c. 1. *De incorrupta virginitate Matris Domini hoc fides piè, & pietas fideliter confitetur, quòd eius perfectionem nullo modo imminuit coniugalis consensus: quemadmodum castitatem illius non violauit conceptus, nec integritatem abstulit partus.* Eadem censio de tribus est, de viro, de conceptu, de partu. Si ad conceptum superueniens incubuit Spiritus; si ad partum, ipsius fœtus profecit Diuinitas; quid de connubio iudicabis, à quo, & conceptus, & puerperium sumpsit auspicium? En quidquid vxorium, spirat in Virgine suffimenta decoris.

Luc. 1.

Hugo Vict.

16. Iterum consule Euangelistam, qui succinat Lucæ. Adest Matthæus, Leuauerat Angelus virum, de veteri sponsæ tumore solicitum: decumanis fluctibus quatiebatur: admonat de superno conceptu cœlestis interpres: *Noli*, inquit, *timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Adiicitur deinde, siue verba Euangelistæ sint, siue Angeli: *Hoc totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Isaiam Prophetam dicentem: Ecce virgo concipiet.* Quid est hoc totum, quod factum est? Dissociat interpretes. Dixerim, hoc totum, quod pronunciatum fuit ab Angelo; nempe coniugium, conceptio & partus. Nonnè sic ordientem auscultasti? *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: en coniugium: progreditur: *Quod enim ex ea natum est*: en conceptum. Finit: *Pariet autem Filium*: en partum. Miréque distribuit. Vt conceptum proderet absque illecebra, Spiritui sancto adscribit: vt partum absque dolore arioletur, nuncupandum prædicit Saluatoris vocabulo, IESVM nempe: *Ipse enim saluum faciet populum suum*: nec salutem in exteros propagaret, qui Matri puerperæ vulnus infligeret. Dum sic sponsum instruxit, ingeniosè docuit Marianæ castitatis excellentiam: quæ, cùm à coniugio nescit diminui, nec ab vteri gestatione poterat frangi: Hæc vis est, Si coniux tua est, nec pungitur, sed armatur, absistique à thalamo, vernatque sub connubio floridior; quid à protuberante vulua timebis? Imo quia coniux tua est, teque cognoscere non præsumit; fœtum concepit, prona deductione, non libata; euitetur non ægra. Ergo hoc totum factum est, vt vaticinium de Virgine concipiente impleretur. Etiam vt locaretur coniugio? Etiam. Vtquid; siquidem Esaias solùm prædixit: *Ecce Virgo concipiet?* nullum de sponso verbum est in vaticinio. Sat est protulisse Virginem concepturam, vt sponta Ioseph tacito pondere innueret nupturam. Non potuit tutiùs muniri virginitas. Placet nimium Anselmus ibi: *Hoc autem totum factum est, quòd Virgo desponsaretur, quòd casta seruaretur, quòd grauida inueniretur, quòd per Angelum Ioseph reuelaretur, quòd concepisse, & paritura esse diceretur: hoc, inquam, totum factum est, vt impleretur, quòd dictum est à Domino per Prophetam Isaiam dicentem: Ecce Virgo.* Opportuna satis de Ioseph laudatio. Ampla de innocua Mariæ puritate panegyris. Perpende illud. *Quòd virgo desponsaretur*: & si illis nectas, *Vt impleretur, quod dictum est, Ecce Virgo*; stupor te corripiet. Vt adimpleatur, quòd Virgo sit, efficitur, quòd sit coniux. Vt ipse sponsus sponsam virgineè concepisse, admoneatur; quod memoret esse coniugem, iubetur aduertere: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Coniugium decus intemeratum confirmat. Sibi detraxit sponsus, si de pudoris timuit iactura, cùm non in aliud institutum noptias pretegisset, nisi vt castimoniæ fœcundæ testimonium redderet, & custodiam. S. Fulgentius de Incarnat. & grat. Christi cap. 3. *Etiam Ioseph, quem virum Maria non ad concubitum, corruptelamque carnis, sed ad testimonium, custodiamque sacræ virginitatis, & castissimæ fœcunditatis habuit, Angelico sic admonetur oraculo: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* In hoc testimonium conspirant, Patres; Chrysologus serm. 175. *Nec vllus hic est sinistræ suspicionis locus, vbi ipse sponsus sponsæ suæ testis habetur, & custos.* Nyssenus serm. de natal. Dom. Nazianzenus in carm. de Christ. patient. col. 26. Basilius hom. de hum. Christi gener. col. 2. Damascenus orat. 1. de dormit. B. Mariæ. Ambrosius in cap. 1. Luc. ex quo illa tibi fige: *Ergo vbique in Ioseph iusti gratia, & persona seruatur, vt testis ornetur.* Hinc Iosephum virginem probat Alcuinus libr. 2. in Ioann. cap. 4.

Matth.

Anselm.

Matth. 1. 20.

Fulg.

Chrysol.

Nyssen.

Nazianz.

Basil.

Damasc.

Ambr.

Alcuin.

17. Quæ in cuiusque generis cacumine per nobilitatis fastigium subsident, nesciunt ab imis nebulis obscurari, quæque sub verticis apice sunt, potiùs verticem fulciunt, quàm deturpant. Coniugis vox aliam virginitatem inquinaret, non Mariæ, in qua Princeps virginitas à quocunque stylo tributorũ obsequia capessit. Non deseramus præfixum locum: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Si Mariæ protulit nomen, cur coniugem appellat, vxoriáque dialecto agit, cùm de Spiritu sancto concepisse perhibet? Censent non ignobiles ex Patribus, tunc nondum celebratum fuisse coniugium. Cur coniugem vult, cùm vindicat Virginem? Sanè quam comptus, & vrbanus Gabriel, vt à nemine corruptam ostẽdat, coniugem vocat; ne vir nobilis hæreat nutabundus in vteri protuberantis iniuria. Si enim aliquis libauisset, Regio viro ab auis, atauisque generosæ propagini, nõ auderet

auderet coniugis nomen instillare per aures; nec à coniugij memoria virile pectus feruidum in vindictam arderet. En coniugis nomen virginitati famulatur. Perbellè Chrysostomus hom. 4. in cap. 1. Matth. *Nec verò nomen Virginis memorasse contentus, addidit coniugem, haud ita vocaturus, si corrupta fuisset. Coniugis autem nomine sponsam intellexit.* Pulchrè quidem, & aureè aureus Doctor: à coniugis nomine integram humanâ argumentatione defensat; nec enim cœlestis aulæ ciuis petitus *ita appellaturus, si corrupta fuisset.* Chrysost.

18. Nonnè saltem Ioseph suspicatus in sponsam rimoris vmbrâ nocuit pudori, qui voluit occultè dimittere, dura æmulatione agitatus: dum studuit iustitiæ, candorem perstrinxit? Saltem dedecoris in aula mentis perstrepebant murmura, pererrabant imagines, & innocuam Virginem ad zelotypiæ tribunal accersebant? Sed mirabere, quantum virginitati profuit suspicio dimittentis: asseruit pudicam, dum à sodalitio arcebat. Quid causæ? Potuit mens infida suspicari ex Iosephi concubitu sponsam concepisse, vterumque à mariti licentiis intumuisse. Adest viri iusti cogitata repulsa; vt ostenderet suum non esse, quem vterus baiulabat incognitus: si enim sui prolem agnosceret, non ambigeret. Ingenium est Hieronymi aduersus Heluidium. *Qui antequam moneretur ab Angelo, cogitabat occultè dimittere eam: in tantum suum non esse, qui conceptus fuerat, confidebat.* En sicut coniugis nomen pro Mariæ virginitate calculus albens est; sic Ioseph amans metus, amasiique indoles, quæ ab vmbra terriculamenta sibi componit, Virginis suæ famulatur honori, vtetique se prædicat expertem, cùm dimittere cogitat prolis à se non genitæ gerulam; vt vndequaque virginitas adstruatur; nam dimittere tentans, à se ostendit intactam: dum coniugem audit ab Angelo, ab alio intactam manifestat. Hieron.

19. Quid pro virginitatis virore floridius, quàm ipsius coniugis assertoris suffragium, & in ipsismet zelotypiæ flammis non aduri sed incolumem euitere laurum honestatis? Vis quantum secura virginitas Mariana processerit? Audi Chrysologum serm. 175. *Ipsa quoque Genitrix, Sponsa, Mater, & Virgo, in ipso sponsi sui thalamo, in ipso coniunctionis suæ cubiculo genuisse nouâ gratulatione miratur. Sed neminem turbet, nullum moneat, quod in thalamo ipso sponsa ipsa cernitur peperisse: talis non est de crimine, sed de virginitate conceptus: quando in tali germine cœlestis partus est, non humanus: nec vllus hic est sinistræ suspicionis locus, vbi ipse sponsus sponsæ suæ testis habetur, & custos.* Fateor, nouitas hæc Chrysologi suamet singularitate aures flagellat, & tinniunt vtræque ad illa verba: *In ipso sponsi sui thalamo, in ipso coniunctionis suæ cubiculo genuisse nouâ gratulatione miratur.* Quid ais, ô auree? Virgineum pudorem fatigas: non thalamus communis Virgini ac Ioseph; orbus vtrique & segregatus thorus stabili assensu credendus est: non suffert castitas sub vna cortina cum viro collocari. Quæ virum non cognouit; nec tori postes, quo cubat vir, noscere debebat. Quæ ab Angelo sub specie viri tremefacta nutauit; nunquid hominis viri, vel viciniam lectuli sustinuisset? Hinc ipsamet Virgo apud Andream Cretens. orat. de laudib. Virgin. sic fatur ad Gabrielem: *Rem mihi nouam polliceris* Et statim: *Virum Ioseph nondum cognosco. Contubernalis est tantum μνῆστωρ non etiam idem cum desponsata ingreditur cubile.* Nyssenus in Cant. homil. 13. *Cuius thalamus, Altissimi* Chrysolog. Andr. Cretens. Nyssen.

potestas, quasi quadam nubes virginitatem ipsam inumbrans: fax nuptialis, Spiritus sancti splendor: cubile, vitiorum expers conditio: nuptiæ, puritas incorrupta: Non cum rigore accipias Chrysologum. Nouerat Antistes sacer teneram esse Virginis verecundiam, & ad omnes viri halitus pauentem; sed thalamum intellige pro contubernio, & sodalitio, quale decebat sponsum, & sponsam, quos castitatis custodia reciproco iuuamine deuinxerat. Saltem Chrysologi verba subseruiant, vt didiceris, quàm celsior omni suspicione Mariana castitas viguisset, quam etiam (si decorum, & possibile fuisset) ipsius sponsi thalamus non fuscaret. Id Chrysologus subsequitur: *Neminem turbet, nullum moneat, quod in thalamo ipso sponsa ipsa cernitur peperisse, talis non est de crimine, sed de virginitate conceptus.* Procul à thalamo viri honesta Virgo cubabat; sed quia paupercula virgo, nullisque spatiis domus protendebatur, & aula; Chrysologus forsan sic loquutus. Mira virginitas, quæ à coniugij strepitu potiùs defenditur, quàm turbatur. Chrysol.

Mirabar, nunquam Virginem absque viro, & quæ virum non cognouit, ingiter cum viri societate componi. Angelus in specie viri cubile ingreditur, vt concipiat: vir Ioseph, etiam dum dimittere tentat, ab Angelo reuocatur, vt coniugem recipiat; nec secessus violet contubernium. Moritur IESVS, & statim vir illi suppetit pro filio ad crucis truncum, mortisque viciniam legatus. Qualis est ista Virgo, quæ dum castior est, tot virorum cingitur comitatu? Vt noueris, templum hoc pudicum nullis potuisse inhonestis facibus inflammari: ipsimet viri virginitati subseruiunt, qui testes exhibentur, & custodes. Testis è cœlo Gabriel accersitur, testis è terra Ioannes inuigilat, Ioseph iustus adest; vt in ore duorum, vel trium stetet omne verbum, nempe, Verbum virgineum ex Virgine Matre illibato pudore progenitum. Tot viri in castitate per similes testimonio genuerunt, non vtero; Maria genuit & vulua, & à viris non læsam nouit castitatem, sed munitam. Præclarè Petrus Damianus serm. 63. *Quocirca dignum fuit, vt Beatus Ioannes Apostolus Archangelo Gabrieli ad custodiam Matris Domini socius haberetur, quatenus ille cœlestis olim paranymphus intactam Virginem inuisibiliter custodiret, & iste forinsecus fragilitati fœminea, obedientiæ suæ ministerium exhiberet. Et congruum erat, vt quæ talem genuit, qui cœli simul & terræ Dominus esset, vtriusque patriæ ciues in suo consortio haberet: vt in ore duorum, vel trium testium staret omne verbum.* Priùs Damianus Ioannis extulerat virginitatem ex arcana pectoris Dominici inspiratione conceptum, vt Virgini Matri subseruiret, & cum Gabriele commilitonem ageret in officio. 20. Dam.

Quid de Ioseph, qui verè vir, verè maritus; & tamen maritale munus, quasi naturam ipsius vocis inuertens, quantò magis Mariam comitabatur, eius virginitatem adstruebat? Quando è latere segregatus sponsę? Eximia castitas, cui ipsa maritalia obsequia subseruiunt ad pudorem! Luc. 2. *Ibant Parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ.* Obserua illud *Parentes eius*; nunquam absque parente parens, nunquam absque viro Virgo, cui vir eius pudor est, & vtriusq; sodalitium virginitatis imago. Ambrosius tom. 4. lib. 2. de virginibus: *Quid quod annis quoque omnibus ibat in Hierusalem, & ibat cum Ioseph? Vbique in Virgine comes singularum virtutum est pudor. Hinc indiuiduus debet esse virginitati, sine* 21. Luc. 2.

quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit. Hæc est imago virginitatis, Ergonè idem est maritus quod pudor? Idem virginitas quod coniugium? Idem sanè quoad Mariæ phrasim, cui non solùm solitudo, singularitasque personæ, sed etiam iugalitas virginitas est. Pepli ambitu velet caput Rebecca ad sponsi prospectum, cui sponsus non pudor fuit; sed potiùs illam puduit sponsi, quippe cui virginitas eripienda. *Confessa quod senserat, id est, spiritu nuptam, negauit virginem velata ibidem.* Verba sunt Tertulliani de veland. virginib. cap. 11. Ast in Maria sponsus ipse pudor est apud Ambrosium; nec, dum sensit se in spiritu nuptam, negat se Virginem, sed potiùs vindice pudore defendit. Non prætereas illud Ambrosij: *Hæc est virginitatis imago.* Non facilis propositio est; Qualis pictor, dum pingere destinaret virginitatis figuram, exprimeret in tabula coniugium? Sanè distortæ lineæ, impactique colores, & extra mentem artificis videbuntur; cum è contrario in contrarium iuerit penicillus, & deuio tramite ad virginitatem aduenerit per coniugium, qui, dum singularitatem adumbrare meditabatur in mente, iugalitatem transcripsit in linteo. O pictura noua! Coniugium Ioseph & Mariæ imago virginitatis est, vbi pro purpurisso castitas, pro vmbra matrimonium. Et quidem vbi imago est, duo intercedere opus est: nempe id, quod imago, & id, cuius imago. Maria quidem non imago virginitatis est; sed virginitas: nec ab exteris accipit ideis, sed virginum post eam exemplar est, & origo. Vt igitur virginitas hæc tam sublimis appareat nobis tanquam in imagine, duo sunt, nempe Maria & Ioseph coniugio stabili sociati, vt illud mirabile huius Marianæ virginitatis, scilicet virginitatem, & fœcunditatem, per pudicum matrimonium nobis ostendant, & Ioseph à Maria virginitatis radios excipiens, reddensque, totam virginitatis imaginem præsentet. Quòd autem vir sit Mariæ pro pudore, simulque fœcundę virginitatis indicium, suadet, quod, dum de Spiritu sancto grauidatam manifestauit Angelus, Mariam statim coniugem appellauit: *Ioseph fili Dauid noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Si de Spiritu sancto grauidam dixit, cur coniugem appellauit? Vt fœcunda virginitas innotesceret. Id ingeniosè Chrysologus serm. 145. ad eadem verba subintulit: *Sicut manente virginitate Mater est, ita coniux dicitur pudore permanente.* Accinit quidem Ambrosio, dum per coniugem tutatus est pudorem; dumque cum Matre & Virgine composuit, fœcundam virginitatis similitudinem iudicauit.

Genes. 24. 63.

Tertul.

Matth. 1.

Chrysol.

22. Nec imagini deficit sublutea coloris vmbra; ideò enim coniugium fuit, vt virgineus partus obumbraretur, flagrantiorique croco virginitatis rubor arderet, vmbrâ comitante. Hinc obumbrationem Gregorius Nyssenus appellauit orat. 2 in Christi Resurrect. Κάθαπερ γὰρ διὰ τὴν οἰκονομίαν καὶ τὸ ἐπισκιασθῆναι τὸν θεῖον τόκον, καὶ μὴ παραφωθῆναι τοῖς μιαιφόνοις Ἰουδαίοις περὶ αὐτὸ τὸ μέλλειν ἐπὶ τὴν παστάδα ἄγεσθαι τὴν παρθένον ἐκ πνεύματος ἁγίου συλλαβεῖν ἀναγέγραπται. *Quoniam enim ita dispositum, & destinatum erat, vt & diuinus partus obumbraretur, & sanguinariis Iudæis non manifestaretur, quod circa ipsum tempus, quo ad lectum iugalem ducenda erat, Virgo ex Spiritu sancto concepisset.* Video, quod Spiritum sanctum cum obumbratione coniugij coniunxerit Nyssenus: & si recolas, quod Spiritus sanctus, vt virgineè conciperet, obumbrauit Mariam, cum passim Patres illa verba, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, de Spiritu Sancto accipiant; mitaberis, quod huic sacro coniugio idem met, qui Spiritui sancto, contigerit stylus. Nihil Spiritui sancto virginius: ideò Virginem suam obumbrauit, vt gigneret, & virgo permaneret. Idipsum matrimonium illud effecit, vt Virgo procrearet maritata, ne si absque viro vacua domus, vterus censeretur infamis: Ideò noua sunt admodum illa: *Quòd circa ipsum tempus, quo ad lectum iugalem ducenda erat Virgo, ex Spiritu sancto concepisset.* Quasi religiosâ sedulitate perscrutaretur Spiritus sanctus tempus, quo iuxta matrimonij leges thalami ministerium exercendum erat, & tunc munus obiret mariti, secreto, & sublatenti illapsu. Quod non ita accipiendum censeas quasi nuptiæ illæ in institutum iugalis tori tetendissent; & tamen præoccupasset Virginem Spiritus. Absit, quod quæ iugiter in mente Virgo erat, talibus vnquam se destinauisset officiis. Sed id Nyssenus contexit, vt fœlicior vndequaque obumbratio coniugij appareat, quatenus contractum fuisse manifestet, vt sub specie maritali & partus eueniret, & virginitas illæsa seruaretur.

Nyssen.

Luc. 1.

Mariæ virginitas ex conceptione creuit, & puerperio. Quare?

SECTIO III.

23. INSOLITA virginitatis indoles, quam conceptio non inquinat, non amputat partus. Surgat Aquilo, veniat Auster; vtroq; flatu, & diro, & placido fluunt aromata; nec succidaneo flore, sed immortali coronatur. Parum est non concuti ab igne, plus est solidari; parum non lædi, plus iuuari; parum non minui, plus augeri. Disce prodigium in Maria. Non pallet à conceptu pudor, sed à Regali dignitatis ostro rubet: non à puerperio visceribus resoluta violatur, sed potius obærata, constanti soliditate firmatur. In hunc sensum conspirauêre Patres, qui communi stylo canunt; Mariæ Virginitatem à conceptu & partu capessiuisse incrementum. Chrysologus sermon. 117. Fulgentius de laudib. Mariæ. Ildephonsus de sancta virginit. cap. 11. & quotquot in hac sectione nuncupabimus. Difficile quidem hoc proloquium est: virginitas enim, si semel est, tota est; in integritate consistit; cui si decerpas portionē, discindis, si addas, mutilam, & curtatam supponis: nec minui præualet, nec augeri, quæ numero gaudet constanti, signaculoque indiuisibili sigillatur. Ergo vestiganda est ratio huius proloquij, quod multum ingenij parat.

Chrysol. Fulgent. Ildeph.

24. Sese priùs in animum obiectat huius incrementi explicationem inquirentem, quod Mariæ virginitas per conceptum, & partum suos fines transgressa est, vtpote quæ in fœcunditatem propagata se laxauit in prolem, & Matris munere functa est, nouumque sibi genus acquisiuit, prosiliens in tam dissitum spatium, quod extra virgineas inerat metas. Ergo creuit virginitas, quæ sese in maternitatem extendit. S. Fulgentius suprà: *Creuit partu integritas corporis, potius, quam decreuit, & virginitas ampliata est potius, quam fugata.* Ideò ampliata, quia in alterius generis transiuit officia.

S. Fulgent.

Accinit

Accinit Ildephonsus suprà: *Nunquam Mater, nisi quando & Virgo: & postquàm Mater, nobilior & Virgo.* Quòd autem ex maternitate creuerit virginitas, id probat, quòd non solùm Virgo simul flore virente Mater effecta est, sed ipsamet castitas sinus propagauit pudicos, & in maternitatis insignia, suæ perfectionis latitudine se proiecit. Audi Ildephonsum. 2. de virginit. Mariæ. Dixerat: *Alternat in generante virginitas: alternat in Virgine generandi facultas; & neutrum cedit vlli, & vtrumque in alterutrum deriuatur: vtrumque transit in alterum, quia ambo vnum, quia duo idem, quia diuersa idipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens superueniens.* In quibus virginitatis spatiosa latitudo monstratur, quippe cui addita fœcunditas numerum non auxit, sed formam; & mirabili transfusione in alterutrum se egessit vtrumque. Vnde statim subdit: *Sic ergo accidit, vt si Matrem quæram, Virgo est; si Virginem quæram, Mater est: si prolem quæram, Virginis est; si pudorem quæram, Matris omninò est.* Vide, pie Præsul, mutauisti terminos. Et si vna fœmina mater & virgo sit, dum matrem quærebas, matrem fuit opus inuenisse: vt quid tibi virginitas se inopinò dedit prospectui? Si virginem reperire satagebas, cur præripuit cursum maternitas, seque oculis obiecit virgineum candorem vestigantibus? O bellè! Non differt vtrumque in Maria, indiuisâ dote beat fœminam: ideò ingeniosâ vsurpatione primatus, quærenti pudorem maternitas se præsentat; quærenti maternitatem virginitas.

25. Hinc puerperio integritas sortita est incrementum. Quid causæ? Quia solet puerperæ de carneis deperire visceribus, extisque per defluxum diminui cruentis, secto corpore, dum enititur. In Maria caro creuit, quæ excreuit in prolem; nec in se diminuta fuit, & in Filio fuit aucta. Augetur in pignore, nec sibi decrescit. Et sana est, & cum Filio. Creuit caro, siquidem duas personas numeras, inuiolatâ Matre: & tamen caro Filij, Mariæ est: quæ dolorem nesciuit, virtutem sensit; & augmenta suscepit in sobole, quæ decrementa non sensit in carne. Sic enodarem S. Petrum Chrysolog. serm. 117. *Virtutis est caro conscia, non doloris, quæ magis pariendo integritatis augmenta suscepit.* Cur augmenta, si integritas in indiuiso est? Quia creuit caro generato Filio; nec minuit aliquid de Matre, qui corpus ab eius vulua decerpens, non discerpsit vterum, sed ditauit. Adsit sibi Chrysologus sermon. 142. *In tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseuerauere virtutes. Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nihil minuit, Virgo.* Obserua ista, *ille, quo tibi aucta sunt omnia, nihil minuit, Virgo.* Vtrumque aureus Præsul commendat: & quod Maria aucta fuit in prole, & quòd non diminuta in partu. En creuit virginitas, quia virginea caro, dum sibi constricta per pudoris signaculum mansit, in Filio dilatata se expandit.

26. Quidni in Filio? Imò, vt propriùs istius puritatis prorogatam quantitatem monstremus; intuere, quò extenderit principatum, quos sibi fines fixerit: ni vsque ad Deitatem te extendas, te præteruolat illius spatiosæ propagationis excursus. Vsque ad fines excreuit Deitatis. O altitudo! O sublimitas! O profundum! Quales sunt Deitatis fines, quæ infinitudine ingenitâ diues est? Meditor, non sine ingenio sic posse nuncupari hypostases, seu subsistentias increatas: cum proprium subsistentiæ sit, terminum esse naturæ. Ergo in infinitâ Deitate fines dixeris tres hypostases, non qui comprimant, & arctent illam latitudinem infinitam, sed qui compleant, & coronent. Vel, si mauis, fines dixeris, duos illos increatos terminos, Filium videlicet, & Spiritum sanctum; quippe qui infinitum intellectum, & voluntatem terminant, Patrisque fœcunditatem rediniunt. Ergo in hos fines se Mariæ dignitas propagauit, quæ Filium Dei roseo sinu suscepit, & vt gigneret, Spiritum sanctum sibi attraxit; qui superueniens, spatiosam superadderet latitudinem, & extra curtos naturæ creatæ terminos virgineam protenderet maiestatem. Pendebis dubius, quo auctore progrediar? S. Thomas 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. scribit magnam deberi reuerentiam Virgini Matri ex affinitate, quam habet ad Deum. Quod enucleans Caietanus, sic fatur: *Natura humana ab extra ad Deitatis fines attigit: quasi vxor ab extra adueniens in thalamo vteri Virginalis: & ideò genitrix illius, affinis Deo constituta dicitur. Soli Beatæ Virgini hyperdulia debetur, quæ sola ad fines Deitatis propria operatione naturali attigit; dum Deum concepit, peperit, genuit, & lacte proprio pauit.* Quid nobilius? Obserua sedulò, asseruisse, quòd humanitas Christi fines attingebat Deitatis. Quod intelligo, quatenus per subsistentiam Verbi, qui productus terminus est Diuinæ intellectionis, subsistit. Illico tamen inopinò transilit ad Virginem, illi attributum ipsum appingens, nempe, *quæ propria operatione naturali ad Deitatis attigit fines.* Ergonè Diuini Verbi hypostasis Mariam terminabat, sicut humanitatem ex Maria genitam? Neutiquam. Verùm quod de Christi humanitate profertur, non dubitat Caietanus proferre de Virgine, grandi nobilitate, dispari causa. Humanitas seipsâ, Virgo operatione, Deitatis attigit fines; propriamque & naturalem operationem hanc nuncupat Caietanus, quasi virtutis supernæ immemor, quia supernaturaliter facta est: vt satiùs Marianæ dignitatis mysteriis applauderet supremis. Prospice, quomodò fines Deitatis attigerit: *quia Deum (inquit) concepit, peperit, genuit, & lacte proprio pauit.* Omnia maternis functionibus deputantur; tumens prole vterus, lacte vbera, puerperæ sors; & tamen de Virgine agebat. Nequiuit aptiùs hanc vsque ad Deitatis fines Mariæ propagationem ostendere, quam ex Dei maternitate, quæ Virginitatem quasi in immensum laxauit spatium, extra proprios euocans cancellos: &, dum claustra, serasque non fregit pudoris, cum ipsismet castis vectibus, signaculisque inconcussis, in Deitatis fines traduxit. Vt integra fœmina extra naturæ regionem naturali operatione migraret. Quæ non solùm huic instituto subseruiant, opto; sed aliis Mariæ attributis ingeniosam operam ferant. Quoniam quæ fines attigit Deitatis, nullum ex diuinis attributum non sapit: vt experieris, si percurras, velisque de immensitatis, æternitatis, infinitudinisque illustri participio laudare.

En tutò creuisse virginitas dignoscitur, quæ sic in fines Deitatis processit. Vis alterum finem, nempe Spiritum sanctum tetigisse, vt virginitatis amplitudo monstretur? Certè Spiritus sanctus, vt pluries monui, virginea splendet proprietate; quà sanctus, sacræ puritatis stagnat abysso; quà Diuinæ voluntatis terminus, nec proles, nec genitor 27.

Ildeph.

Idem.

Chrysol.

Idem.

S.Thom.

Caietanus.

tor est; & tamen genituræ Virgini totius negotij artifex illabitur, quasi Virgo virgini associata, ex sacroque cumulo virginitate crescente Maria genitrix euaderet; nec cum Spiritu sancto generationis diuideret prouentum: quippe Spiritus sanctus nec Pater, nec genitor fuit: totum Mariæ, genitricis nomen reliquit. Ergo eius aucta fuit virginitas, dum Spiritu sancto virgine succreuit.
Alb. Magn. Huc compello Albertum Magnum in Mariali c. 200. qui postquàm dixerat: *Hac benedictissima Virgo tres habuit benedictiones, in cuius conceptione impragnans fuit Spiritus sanctus, concipiens Virgo, conceptum Deus*; paruo interstitio subdit: *Cui in concipiendo virginitas aucta, & consecrata fuit; sine labore portauit, sine dolore peperit.* En cur aucta, quia Spiritum sanctum sibi adsciuit. Quare liquet, in Deitatis fines processisse, quæ sic saliit, vt per thalami semitam non progrediens, impertransito spatio fines copularet, innecteret terminos; nec communem generis semitam tereret, & matemitatem virgineæ nouitati ligaret.
Tertul. Sic inuerterem verba Tertulliani, qui iuxta paradoxum suum, quo perperam sensit, in puerperio, naturæ legem Mariam subisse, inquit, de carne Christ. cap. 23. *Vtique magis non Virgo dicenda est, quam Virgo; & saltu quodam mater, antequam nupta.* Salubriorem periodum conficies, si interrogando efformes: vtique: *Non, magis Virgo dicenda est, quam Virgo & saltu quodam Mater, antequam nupta?* Optima sententia. Quæ sic compendio Mater effecta est, non impudicis lassata moris, non tarditate fatigata luxus; sed vtrumque licium arte virginea colligauit; videlicet pudorem, & conceptum, saltu quodam ante Mater, quam nupta, id est, quam violata; magis quam Virgo est, quia mater, & virgo. Similia
Ildeph. verba habet Ildephonsus: *Imò plusquam Virgo, quia mater, & Virgo.*

28. Ingenua sunt ista. Ast à priori desiderabis rationem, cur Virginitas per partum, & conceptum aucta dicatur. Si scholam noscis, scies vltimam dispositionem, quæ materiam aptat ad formam substantialem, iuxta Thomisticam semitam, ab ipsamet forma in genere causæ efficientis prouenire, emanareque, vtpote indiuisam proprietatem: quæ ex formæ comitatu adeo nobilitatur, vt quæ in se infimum genus causæ materialis subeat, ad materiamque reducatur, quatenus disponit ad formam; cæterùm, cùm sub forma concipitur, in perfectionis dote succrescit; nec iam accidentis communis notâ, sed perfectæ proprie-
S. Thom. tatis munere noscitur. Sic S. Thom. r. 2. q. 113. art. 8. & q. 78. de veritate art. 8. Si his principiis innitetis, non erit operosum, venustam exhibere rationem, cur per conceptum excreuisse efferatur Mariæ virginitas. Nam quæ fuit dispositio, vt conciperet Filium Dei, qui est forma, & figura substantiæ Patris, in ipsomet conceptionis instanti eò nobilitata est, vt ab ipsomet genito filio emanauisse censeatur, indissolubilisque Matris Dei proprietas fuerit effecta. Ideò, vt Dei vsibus affixa, singulari consecrata fuit sanctitate. Quò
Guerr. respexit Guerricus serm. 4. de Purific. *O mater immaculata, mater intacta, nonnè tua sibi conscia es puritatis! Quia scilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violauit, sed sacrauit.* Quid est *sacrauisse?* Quod virginitas Matris, quasi proprietas fuisset, a forma genita dimanans, & à ca-
Ephr. stitatis fonte corriuata. Appositè S. Ephræm de Margar. pret. *Sola mulier absque viro genuit: nam corruptionis expers erat, qui generabatur. Virgo peperit propter eum, qui castitatis, puritatis fons erat: voluptatis expers procreationi Fily seruiuit; nam vitiorum extirpatorem produxit* Hinc signatè virginitas puerperæ Filio adscribitur. Sic profecit huius virginitatis gloria, vt non alius, quin Dei, censeatur. Quod pluribus ostendimus suprà Acad. 21. sect. 3. Hinc virginitati honos accessit: à partu illustrata enituit. Quare cecinit Prudentius Prudent.
hymn. 11.

Sentisnè, Virgo nobilis,
Matura per fastidia,
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?

Quid est, quod sensum Virginis consulat Poëta sacer; quasi experta fuerit augmentum virginitatis in partu? Quia à partu, id est, ab edito filio, sentire opus fuit nobilitatum pudorem; siquidem qui virginea non perculit claustra nascendo, in causa fuit, quòd virginitas euireret, illique deputaretur. Quare ipsamet puerpeta, quæ imperturbato vtero eduxit infantem, sensit creuisse pudorem: nam nisi illi ex filio accresceret, infractus manere nequiret. Adsit Ildephonsus cap. 11. Ildeph.
de Virginitate Mariæ: *Definito tempore hunc, qui venerat, egredi sentit, & placide egressionis læta processu, aliter procedentem inspicit, quam accedentem sciuit. Sua carnis veritate hunc videt esse vestitum, & in se sui nitoris, ac pudoris integritatem minuisse non sentit; sed potiùs creuisse cognoscit.* Minuisse non sentit, creuisse cognoscit: quia ipse, qui non minuit, adauxit; & sicut eius fuit non infringere vectes, fuit & soliditatem adiicere, ne naturali egressus conatu, dehisceret puerpera.

Virginei pudoris sigillum iterum ex partu sigillatum.

SECTIO IV.

EX quo noua lux præcedenti rationi affulget, quare virginitas per partum excreuerit, vtpote quæ transierit in formæ genitæ proprietatem, nempe in Filij Dei attributum: qui virginitatem Matris, quasi suam effecit, semetipso tanquam sigillo subsignans, vt & signacula manerent pudoris, & quæ natura constanter obstruxerat, signatissimâ Filij Dei obsignatione in diuinum transissent sigillum. Ex quo 29.
capies Andr. Hierosol. in serm. de Deip. ἢ τὰ μητέρων λαθοῦσα, ὅτι μὴ τ παρθενίας τ ἔξω τὸ ἐξιέντων μητρώων εἴδοι διαφθοραι τ παρθενικῶ οὐ ἔλαβεν τὰ τ ἁγνείας οὗ σὺν συνδησας αὐτὸ σημαῖτρα. Andr. Hierosol.
Ac ita quidem vt, quæ matribus contingunt, ignorantes, quippe quod te per partum prodiit, virginitatem tuam haud corrupit: nam qui formauit, idem quoque communicauit castitatis signacula. Noua res! Si communicauit, signacula super signacula addidit; vt adeò tutò infracto calle, semitâ obseratâ, prodiret; quod non solum obliterata, turbataque signacula non fatiscerent, sed potius quasi multiplicata obdurescerent, obdurata rigerent. Quid virginius? Adeò vterus aduersus corruptelam armabatur, vt ipsæmet, quæ viderentur iniuriæ, famularentur obsequia: & dum naturæ signacula calamitas per puerperium poterat immi-
nere,

nere, potiùs signacula succreuerunt. Mira res! Tam longè abest, vt claustrum aperiat, qui exit, quod potius ipsum exire claudere sit; ipsum nasci vinculum sit pudoris. Ennodius lib. 1. carm. hymn. 10.

Dic Mater & Virgo precor,
Quisquamnè claudit exiens?
Arctantur extra fœtibus,
Vinclum pudoris natus est.

Nequiuit ingeniosius? Si quod nascitur, pudoris vinculum est; potuitne soluisse pudorem? Vinculum adiecit vinculo: geminatus funiculus difficilè soluitur.

30. Tertul. Quò aduocarem illud, Tertullianicum de veland. virginib. cap. 4. *Sed ingeniosè quidem de futuro volunt dictum: Vocabitur mulier, quasi quæ hoc futura esset, cùm virginitatem resignasset.* Quæ si transfundam in Mariam, is me sapor delectat, quod quæ virgo erat, mulier, id est, mater nuncupanda foret, post virginitatem resignatam, id est, iterum signatam. Resignare quidem pro *perfectè signare* inuenio apud Columel. lib. 3. Columell. *Priusquam arbusculas transferas, rubrica resignato, vt iisdem, quibus antè steterunt, constituas eas.* Virgil. Quin Virgil. 4. Æneid. *Et lumina morte resignat.* Licèt apud Tertullianum *resignare* pro *aperire* sit, sic & apud Ambrosium in exhort. ad virgin. Ambros. *Hunc fontem seruare puri liquoris; vt eum in vobis nemo perturbet, nemo resignet, quem genitalis in vobis origo signauit.* Si priori significatui arrideas, sigillo virgineo sigillum Deitatis miraberis adiectum, vt quæ clausa fuerat ex natura pudica, ex subsignatione, sigilloque Dei in insignia stemmata transiret Deitatis, quæ eam virginitatem tanquam proprietatem diuinæ formæ efficerent, & religiosiori obseruatione redderent clausam. Guerr. Adest Guerr. serm. 2. in Annunt. *Si Verbo Dei apta es tu demum non modo clausa, sed & signata es. Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum planè & munimentum est inuiolabile castitati Sponsæ suæ: & eo ipso, quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam.* Eximiè vtrumque sigilli munus exposuit: & custodit, ne furacibus manibus pateat, ne exterum impetum admittat, quod clauditur; & subsignat anulo, in quo Domini forma cusa est & insigne. Hic mos fuit, vt arceretur iniuria, & Regio charactere notaretur, quod solemniter custoditum, sanctumque tenebatur Daniel. 6. vers. 17. Daniel. 6. 17. *Allatusque est lapis vnus, & positus super os laci, quem obsignauit Rex anulo suo, & anulo Optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* Ergo anulus signatorius & à fraude vendicat, (vt ibi adnotauit Sancius) Sancius. & integrum seruat, quod consignat. Demirare dignationem. Vt virgineæ puerperæ illibata puritas eniteret, nec fraudis vllius palleret suspicione, nec solius naturæ obrigenti deputaretur constantiæ; ipsum virginitatis sigillum sigillo Dei obsignatur, vt in forma iam ad Deitatem pertinere compareat, & nostræ fuisse naturæ, sed alterius gratiæ.

31. Philip. 2. 6. In quo mira consonantia est. Illemet, qui ex suapte origine sigillum est Patris & character, cum in forma Dei esset, Marianæ virginitati signaculum communicare dicitur: vt in carne, quam ex illa desumpsit, totam formam imprimeret Deitatis, ea signaculi proprietate, cuius impulsum fideliter ebibit cera liquescens, nec patitur vllam sibi deperire lineam; sed cauis cælaturis, quam hausit, exhibet formam; quod non accidit in pictoria tabula, quæ penicilli non cauatur acie, sed illinitur; nec sic viuidis coloribus animatur, vt vsque ad apicem prototypi reddat figuram. Id Athanasius versat serm. de Deip. col. 4. *Non enim euariat impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseuerat iuxta sculpturam anuli, siue in cera, siue in auro signaculum illud effigiatum sit, pro ratione Regij numismatis: ita quoque diuinus character Filij substantiæ Patris incommutabile sigillum est, ferens omnia verbo potentiæ suæ secundum suum ipsius exemplar, carnique suæ, quasi ceræ eum typum, formamque impressit.* Athan. Hæc sigilli & vis & ingenium est: ideò carni imprimitur Virgineæ, & vt obseruet formam, & vt ab incorruptione præseruet. Per sigillum Mariani pudoris æternum Patris sigillum egreditur, vt quasi subscribens & signans, firmet illam deinde virginitatem esse suam, cui diuinus anulus impressus est. Nonnè anulus in digito? Exod. 8. 19. Nonnè digitus Dei Spiritus sanctus perhibetur? Nonnè Mariæ virginitas per Spiritum sanctum custodita fuit? Ergo anulus, quo Verbum Dei signaculum virginitatis Mariæ sigillauit, Spiritus sanctus fuit. Intuere, qualibus excreuerit virginitas sacramentis. Opem ferat Bonauentura Bonau. serm. 2. in Dom. in Passione: exponit illud Origenis: Origen. *Mater Filij facta est, & castitatis sigillum non amisit;* sicque prosequitur: *Consuetudo in epistolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius anulo signatæ erant, nemo audebat contradicere. Digitus Dei Spiritus sanctus dicitur. Anulus ergo huius digiti Donum est Spiritus sancti, quo impressa est virginitas Mariæ.* Igitur quæ iam virginitas erat, anulo, seu sigillo impressa fuit: vt quæ erat fœminæ, formam redderet Deitatis; & Spiritus sancti, quo sigillabatur, virgineam formam exhiberet.

Sic accipias, quod solet circumferri ex Geometra caten. Græc in Luc. qui expendens illud. 32. Geom. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi,* adiicit: *Inuisibilem suam formam in te vmbraticè depinget, & ad nostram similitudinem in te formabitur: vel etiam ipsum Spiritus sigillum in te exprimetur.* A penicillo ad sigillum celeri cursu desiliuit, quasi exosus vmbras, linteique pallorem, & vmbratica picturæ elementa, viuidiorem imitationem quæsiuit, qualis in sigillo est. Virginis curas solatur: tibi non deperibit virginitas, imò cælabitur sigillo Spiritus sancti, qui virginitatis tenet principatum; ipsa Spiritus sancti sigillaberis impressione: nec solùm sigillum castitatis non perdes quod dixit Ildephonsus serm. 5. in Assumpt. Mariæ: Ildeph. *Quin ei singulariter datum Matrem esse, & sigillum castitatis non perdere, prolem suscipere, & incorrupta virginitate gaudere.* Nec solum vuluæ sigillum manebit, quod dixit Chrysippus de laudib. Virgin. col. 2. Chrysost. *Natus vero est Deus propterea & vulua sigillum permansit ei, quæ peperit.* Verùm adhuc ipsemet Spiritus sanctus sigillum tui erit, qui filium, in quo forma Dei est, tibi inseret & medullitus in carnem incutiet & infiget, ea penetrationis amica inuasione, vt non opus habeat abrumpere vuluam in partu; sed penetrans & traiiciens, per ipsammet carnem se transfundet; & tibi integritatem custodiens, & tui carnem amans, per quam illibatò se proiectat; & Spiritus sancti morem exercens, qui, vtpote spiritus, vbi vult spirat, & vbique se virgineè promit, nec corporeis retinaculis præpeditur, quominus discurrat, quò velit. Ioan. 3. 8.

Com

33. Compactum ex Virgine corpus non nisi ex sigillato claustro prodit, nec naturalibus contentum vectibus est, ingenitisque pudoris custodiis: vlterius sigillum amat, vt crescere appareat virginitas in puerperio. Vide, quid profecerit calliditas Sacerdotum, Matth. 27. *Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.* Quid saxo solidius, quid militaribus custodibus fortius? Sat non erat lapidem armatis turmis, orificium monumenti lapide? Vtquid geminantur opercula? Vtquid obsignatur sigillo? Sanè quia lapis ille imperturbatâ semitâ editurus erat Dominum resurgentem saxeo puerperio: ideò sigillum additur; ideò signaculo munitur sepulchrum, quia mortis victor, dum è materna vulua prodiuit, Virgineum vteri muniuit sigillum. Verba sunt Hesychij de laudib. Virgin. serm. 2. *Sigillum vteri muniebat, eo quod is, qui carnem assumebat, esset Deus & Verbum, nequaquam opus habens portis, ingrediendi causa, aut egrediendi.* Quòd autem signatum fuerit sepulchrum anulo signatorio, Græca exhibent *σφραγίζαντες λίθον.* Eu, dum proprio incumbunt sceleri, subseruiunt Redemptori, quem vel si alia nota deesset, dum è signato egreditur sepulchro, Filium Dei & Virginis agnosceremus; quippe qui, cùm è Patre innascitur, sigillum est; cùm è Virgine, è sigillato claustro prodit. Si hæc illi indoles est, credimus eum, cùm è signato lapide rediuiuus emergit. O infœlix calliditas Iudæorum! Nec vestrum temerauit sigillum nec iacet sub lapide, qui operiebat. Audiat Paschasius Ratbert. in Matth. lib. 12. *Propterea verum est ex diuina prouidentia, quòd in praiudicium suum ista Principes Sacerdotum loquuntur, & ad corroborandam fidem nostram, vt & ipsi in omnibus inexcusabiles fiant, & nobis in nullo remaneret vlla dubietas. Adhibent custodes, signatur lapis sigillo sculptura sua; & veniunt hac omnia nobis ad testimonium fidei nostra, & illis in condemnationem perfidia sua.* Cur ad testimonium fidei tanto munimine defenditur monumentum, & Iudaicæ sculpturæ sigillo signatur lapis? Quia corpus illud è virgine Matre est: agnoscimus, non absumpsêre cineres, non mortis corruptio peruasit: quoties nascitur, è sigillata se prodit vulua. Qui sigillum vteri materni muniuit nascens, quomodò sigillum mortalis saxi corrumperet resurgens? Alibi dedimus Nyssenum homil. 23. in Cant. *Neque ignorare potes, quoties sit genitus is, qui totius opificij primigenitus est, qui primus mortis parturigines soluit, ac per resurrectionem suam vniuersis viam ad partum ex mortuis aperuit.* Et statim: *Parturiginis dolorem non admisit ex mortuis regeneratio, nec diuini illius opificij primogenitura, sed in omnibus hisce partus expers doloris fuit.* Scitè vtrumque partum componit: vt nnueris tot signaculis Virginis pudorem munitum in puerperio, quot in resurrectione sepulchrum, in quo lapis, sigillum, & miles.

Matth. 27. — Hesych. — Pasch. Ratb. — Nyssen.

34. Nec à sigillo abeundum est, vt alteram non inuenustam rationem huius virginitatis incrementi per conceptum & partum construamus. Qualitates intendi per maiorem radicationem in subiecto non detrectabit, quisquis Thomisticæ disciplinæ fuerit addictus. Intenditur qualitas per hoc, quòd subiectum reddatur magis in actum ipsius qualitatis: verba sunt S. Thom. in quæst. de virtutib art. 11. Non igitur gradus ad gradum, non qualitatis ad qualitatem additio causat incrementum; sed quòd subiectum bibulo sinu alrius qualitatem absorbeat, intimiorique penetratione formam imbibat, & eâdem potione, in qua tenebat segniter & ignaue prendat viuaciùs. Id explicat S. Doctor in 4. dist. 17. q. 1. art. 4. quæstiune. 3. & in 1. 2 q. 22. art. 2. ad r.iorendi videlicet qualitatem per hoc, quod eadem qualitas magis accedit ad suam causam. Pulchrè. Nam propinquior accessus ad terminum perfectionem arguit, quàm ex proximitate venatur. Quò propinquior est dispositio ad formam, nobilior est, gradibusque succrescit: ergo subiectum magis, ac magis afficitur qualitate, dum ipsa qualitas formæ, ad quam disponit, quasi aliam profunditatem imitatur, dum altiùs sese immergit & traiicit. Iam gradus ad virginitatem Mariæ. Ante quasi lana albicabat subtilis, nullius adulterinæ tincturæ maculata veneris; sed innocentiæ ingenito præstans candore: verum postquàm Spiritus sanctus se infudit, Virtus Altissimi recocto murice infecit, & vsque ad præcordia inuasit: penitiùs gratiam hausit, sibique radicauit: quid quod augesceret pudor, mordicúsque infixa castitas compages & medullas perfuderit, si vsque ad illas attraxit Filium Dei, qui virginitatis & forma & causa est? Alibi dedi Hieronymum & Alcuinum: adsit nunc Arnobius in conflictu Arnobij & Serap. *Ante hoc ipse vterus Maria, quamuis mundus esset à peccato & sanctus; tamen vilitate humanitatis erat vt lana optima, & incomparabilis vniuersis, qua erant sub cœlo, virginibus: eratque talis ac tanta, qua decenter & in se Deitatem Filij Dei, sicut conchylij lana sanguinem susciperet. Quod si sanguis hic lanam tanta maiestate sublimat per suam admistionem, vt nulli hac liceat vti, nisi huic, qui Regia fuerit praditus dignitate: quanto magis quando Spiritus sanctus venit in Mariam, & virtus Altissimi obumbrauit.* Nicol. Monach. epist. 9. ad Petr. Abb. *Quasi lana candidissima nullius peccati sensu maculosa fuit, & singulariter iam Mater quasi purpura sanguine conchylij tincta; ita Spiritu sancto compluta & madefacta fuit, vt nullis de catero vsibus manciparetur nisi diuinis.* En lana virginea sanguinem deuorans vsque ad fundum, radicitúsque sibi insinuans creuit in purpuram: ergo augmenta suscepit, quæ sic ex penetratione formæ tenacissimâ puritate maduit; adeò vt ipsa virginitas, cuius color albedo est, purpura iam fuerit effecta. Huc forsan respiciens, per anticipationem virginitatem Mariæ purpuram nuncupauit Philip. Abb. in Cant. lib. 4. c. 5. *Monstrauit autem indiciis competentibus se reginam, cùm assumpsit auidè quandam noui generis disciplinam, cum virginalis continentia tramitem cunctis retro sacalis intentatum, prior ausa est ingredi casto mentis proposito consecratam. Monstrauit se reginam, cùm sibi superinduit purpuram, seu virtutem; qua corpori tenerrimo duram superintulit seruitutem; cum suum dedit sanguinem manu carnificis non effusum, sed Deo soli consecrans, virginei vas corporis non pertusam.* Quin caro Virginis exinde purpura nuncupata. S. Ger. in Natiuit. B. Mariæ: *Hac purpurea Dauidis vestis variegata: hac est carnis assumptio, quasi purpuram Deo Dauidi carni coniuncto concilians.* Damascen. orat. 1. de Natiuit. Virgin. *Qua calitus ex Diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, ex quo Rex gloria carnis purpuram conuestitus*, &c. Idipsum Blesensis in Annunt. Virg. serm. 19.

S. Thom. — Arnob. — Nicol. — Philipp. Abb. — S. German. — Damascen. — Blesen.

Ex quibus prospicies omnem modum, quo à S. Thoma explicatur maior intensio qualitatis, 35.

in

in hac virginitate per conceptum & partum fœliciter reperiri. Compertos est accessus ad suam causam & terminum, de quo S.Thom. dicta 1. 2. q.22. art.2. ad 1. siquidem ipsam causam concepit, nedum accepit virginitas Mariæ. Magis reddita est in actum, quæ purissimum actum puritate nobili corporauit. In 1. sent. dist. 12. q. 2. art. 2. intēdi qualitatem, ait, *per hoc, quod eadem qualitas semel educta educatur de imperfecto ad imperfectam.* Et. 2. 2. q. 22. art. 4. ad 3. *per hoc quod qualitas magis insit subiecto, magisque radicatur.* Nōne ea conceptione Filij Dei magis radicata virginitas? Pluries dedimus Epiphanium de laud. Virg. *O beata Virgo, qua gloriam cælestem portasti! Quo pacto prædicabo gloriæ radicem;* Et alibi: *Quibus verbis explicabo gloriam radicitùs fundatam;* Intendit Epiphanius laudibus celebrare virgineam fœcunditatem, cuius in aluo profunda cœli opifex, infixus est, vt limo illineretur humano; & hanc intimè permeantem viscera sacrā maiestatem, gloriam radicitùs fundatam appellat. En ingenuè. Quoniam altrinsecùs sese impegit, & intra cauitatem internam se obdidit Filius Dei in vterò Virginis, vt de terra viuenti non solùm vt virgultum oriretur, sed vt radix è terra sitienti, id est, non extraneo imbre madefacta. Concepit ergo virginitas radicem hanc: quid ad intimiorem radicationem solicitas? Ideò gloriæ radicem vocat Epiphanius, quia gratia radix gloriæ solet appellari, & hæc in animo insidet, spiritalibusque gaudet in aulis: ast in virginitate corporea Mariæ, gloriæ radix exorta est. Quidni creuerit, quæ sic vsque ad gloriam abundantium propaginem radicem emisit; & carnem ea virginitate progenitam in dexteram superni Patris inuexit? Ea est ratiocinatio Ildephonsi lib. de virginit. Mariæ cap. 11. *Benè Angelorum statui, qui pati potuit, præfero virginitatem mirabiliter singularem, quam natiuitas Filij Dei tantū auctam gloriâ incorruptionis reliquit; quanto singularem, ac singulariter glorificans, assumptam ex illa carnem ad sedem Patris inuexit, & omnem beatitudinem Angelicæ formæ eius Domino subiugauit.* En incrementum virgineæ incorruptionis arguit Ildephonsus, quia caro ea virginitate progenita, in Patris dexteram euecta est. Quale hoc argumentum ad virginitatis augmenta? An quia inuectio in dexteræ Patris accessum virgineam Mariæ fœcunditatem ad incorruptam fœcunditatem Patris accessisse indicauit; indeque incrementa suscepit; ex quo alia mortalis virginitas solet occumbere, & contuso flore perire, nempe ex conceptu, partuque? Benè. Verùm aptiùs. Quia radix gloriæ Mariæ fuit virgineæ fœcunditatis gratia, illamque ad supereminentis beatitudinis subleuauit fastigium; benè incrementa sumpsisse eius virginitas perhibetur, quæ sic ad supremam radicata est perfectionem, vt ex ea caro sumeretur, vt in dextera Patris collocata gloriam lætificaret beatorum.

S.Thom.

Epiph.

Ildeph.

36. Hinc noueris, quàm consonè Mariæ virginitas per conceptum, & partum sigillata promatur: sigillum enim materiam, quam subigit, non solum cælat, & pingit; sed celat, & abdit, intusque se immittens ad interiora trahit, & quasi ad radicem sui comprimit, commassa densitate, rarefactæ portionis vniens laxitatem. Ergo virginitas, quæ partu sigillata est, magis radicata dignoscitur. Quod si sigillum dixeris, vt præmonuimus, Spiritum sanctum; sigillumque, dum enditur, penitiùs participatur à libenti materia; rectè dices Mariæ virginitatem augumentum sumpsisse, cùm concepit? In quam superuenit Spiritus, quasi sigillum superuenit in ceram, vt totam sibi subdat, & intus agat. Nec abit longè à S. Thoma, qui sic sentit: quem si consulas, quomodo charitas augeatur? Edocet 2. 2. q. 24. art. 5. ad 3. *Et hoc est quod facit Deus charitatem augendo, scilicet, quod magis insit, & quod perfectius Spiritus sanctus participetur.* Illustris virginitatis nobilitas in Maria charitatis sibi stemmata figit. Vnit charitas, glutinoque Spiritus Deo adhærescit: dumque feruentius liquefit, constantiùs in bono solidatur: nam magis Spiritum sanctum participat; qui, quà donum, amat laxiùs effundi; quà nexus, amat prendere firmiùs. In Mariæ virginitatem superuenit Spiritus, vt cresceret; & Verbum Patris, quod extra se raperet eundo, intra se generando solidaret; & functa charitatis officio, sibi prenderet in vtero carnis, quem amor in animo contrectat.

S.Thom.

37. Multus est Paulus, vt sigilli munus Spiritui sancto tribuat ad Ephes. 1. *In quo credentes signati estis, Spiritu promissionis sancto* 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:* quod de spiritali signaculo accipiunt Patres. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto c. 6. Cyrill. Alexandr. lib. 3. thesaur. cap. 4. Mira res. Qui corda signare consueuerat, Virginis sigillat & viscera, & pudorem, tractans corpus animi dotibus. Virginitas in causa fuit, quæ apertam Spiritus sancti signaculo corporis portionem exhibuit: ideò enim animus sigillatur, vt imaginem, quam perdiderat, reproducat: quod tunc sortitur; annuente Alexandrino suprà, cum Spiritus sanctus *communicatione, & similitudine suam pristinam pulchritudinem naturam nostram depingit? & ad imaginem Dei rursus hominem renouat.* Et Ambrosius suprà: *Spiritu signamur, vt splendorem, & imaginem eius, & gratiam tenere possimus: quod est vtique spiritale signaculum.* Huc felicitas creaturæ peruenerat. Adest Maria, quæ imaginem Dei non accidentalibus ductâ lineis, non caducis imbutam coloribus, sed ipsammet Diuini Filij substantiam concipiens in corpore, Spiritus sancti sigillum vsque ad viscera traxit, vt formam inderet sacro fœtui. Ideò forsan post Mariam iam parturire nos satagit Apostolus, vt ex partu, quæ vox carnis est, formationem Christi in nostris animis speremus, memores Virginei conceptus, & partus, quo Mariæ viscera ipsummet Christum formauerunt. Prodest Athanasius epist. ad Serapionem. Disert. *Ipse Spiritus sigillum, & vnguentum est, in quo omnia inungit, & signat verbo.* Post addit: *Sigillum porro formam Christi sigillantis habet, eiusque participes efficiuntur, qui signantur, secundum eandem speciem conformati: dicente Apostolo: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Ad Ephes. 1.

2. Cor 1.

Ambros.

Cyrill. Alex.

Athan.

Aliæ venustæ rationes, cur creuerit virginitas Mariæ genitricis, puerperæ.

SECTIO V.

38. ALIA ratio non inconsulta mihi submurmurat, quæ huius Virginitatis suadet incrementum. Qui domat hostem, eiusque perstringens spicula, inimicum agmen

retundit, & inimlcis hastis fretus aduarsus iras dimicat inimicas, incruentus iacula retorquet; creuit certè, nimiumque crauit; maior redit è bello, quam venerat. Nobilis indoles triumphi: nulla perdidit arma, pluta, rulit; hostiles illi profuere phalanges; iacula, quibus aduersum agmen occubuit, victi agminis erant, non victoris. Hic laureæ nobilior vitor est: quibus marcent alij, profecit; dedit inimicus non solum quem vinceret, sed quo vinceret: nullo censu reportauit victoriam, non emit, sed accepit, cui nec gutra sanguinis pro impensa fuit. Virginitas, si in campum prodeat pugnatura, dum crescere satagit, deperit à conceptu, subiugatur à partu; redit mater, quæ accesserat virgo; sed, cùm admisit vrerum, pudorem amisit. Hanc non creuisse dixeris, imò nec decreuisse; sed occubuisse. Quidni occubuit, quæ succubuit? O qualis Marianæ virginitatis triumphus! Accessit Virgo, recessit Mater, & cui successit Maternitas, virginitas non decessit. Pulchrè

Ildeph. S. Ildephonsus de virginit. Mariæ cap. 10. *Hanc ergo fœminam conceptio Virginem reddit: hanc fœminam partus Virginem seruat: hanc fœminam Filius ita post exitum nouit, sicut ante conceptionem inuenit.* Non te ferit illud: *Conceptio virginem reddit?* Alibi adnotauimus, quod reddere, nonnunquam significat efficere. Ergonè Maria per conceptum virgo effecta est? Sic rapuit oculos virginitas in genitrice, quæ nouiter incepisse visa est: siquidem nouum fuit non periisse. Sic nasci dicitur, qui è graui periculo incolumis euadit; siue ruituræ rupis effugerit casum, siue sæuientis maris iras eluserit, siue decidentis fulminis sulphur solum naribus senserit, non membris. Quid causæ? Quoniam qui sic viuus euadit, iam te cecidisse præsumit ab ingruente malo, iterumque in vitam assertum fuisse. Ergo conceptio Mariam Virginem reddit, quia in generatione, quæ casus solet esse pudoris, vixit strenuè. Meliùs: virginem reddit, quia reddit virgo, postquàm mater, quæ Virgo accesserat; nec castitatis hostem experta est; sed eisdem armis, quibus timere poterat interitum, detulit triumphum.

39. Et quidem, quæ sterilis concipit, opimamque vuluam ex arida sortitur; amittit, quod traxit: quippe sterilitatem deponit, quæ vehendo fœtui viscera laxat. Nec redditur, nec redit, qualis erat. Nonnè vides; Angelus inquit de Elisabetha prægnante:

Luc. 1. *Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.* Curnè quæ vocatur? Quia iam non est. Sed quidem non tutum Virgini Angelus præbet experimentum. Eò virginitatem amat Maria, vt pro Maternitate Filij Dei venundare non patiatur: nec vteri mercedem vult esse depositionem pudoris. Cur illi sterilis dat exemplum, quæ sterilem esse desiuit, cùm cœpit esse fetax? Verùm cum Maria non sic exempla æquantur humana. Imò prudens Angelus duo exempla subiecit, & superni Patris generationem, qui & Virgo manet, & Pater est; & fœminæ senilibus attritæ rugis, quæ sterilitatem in conceptu deposuit: vt etiam inter miracula eâ prærogatiuâ graderetur Maria, quæ supergrederetur in creaturis operata prodigia, & diuinis se insereret sacramentis: Virgo maneret, & Mater esset. Ideò dixit: *Inuenisti gratiam apud Deum:* in quo virginitas, & Pa-

Andr. Hierosol. rentitas illigantur. Adsit Andreas Hierosolymit. de laudib. Mariæ: *Nactaes gratiam apud Deum: gratiam, quam non accepit Sara, quam non sensit Rebecca, quam nec Rachel agnouit. Inuenisti gratiam, qua non digna est habita nobilis illa Anna, nec Phenenna: quoniam hæ quidem, matres ex sterilibus factæ sunt, amittentes vna cum virginitate orbitatem. Tu autem, vt etiam mater sis, virginitate tamen frueris quoq; illæsa. Quapropter ne metuas: inuenisti enim gratiam apud Deum.*

40. Igitur virginitatem creuisse non renuas, non solùm quia illi accreuit maternitas, quæ prima ratio à nobis expensa est: sed quia coram maternitate nihil de venustate remisit; sed à qua fructum accepit, pro fœnore, pulchritudinis stipendia rependit; nitidiorque affulsit inter æra: nec carnis voluptate contabuit, quæ fœtu turgebat in

Amad. carne. Huc respexit Amadeus de laud. Virgin. homil. 4. *Dei genitrix nec in carne delectata, nec carne cruciata, & in conceptione virginior, & in partu extitit sanior.* Curnè sanior; Quia & peperit, & sana remansit. Ipsamet sanitas, quæ præcesserat, sanior effecta est: non quia creuit sanitas, quam nulla sauciauerat ægritudo; sed quia sanior redit victor, cuius membra acies non gustauit hostilis; qui solum venerat sanus nullis hostibus subiugatis. Sanior redit, qui spoliis remeat onustus, strenuosque spiritus assumens, spoliorum sarcina non grauatur. Quod honos est, etsi molis grandis sit, onus non est. Nemo grauescit à pondere, quo ditatur: vires resumit corpus, suaque sibi sarcina blanditur. Saniorem credes redire militem è bello, dum manubias portat, nec lassescit. Marianè virginitas, postquàm grauida; grauata fuit? Imò absque onere fœtum baiulabat: & quæ alieni filij pondera sentiret in sinu, proprij onus non sentiebat in vulua. Sanior est, & integrior etiam inualetudine carnis, cui nulla grauedo, dum fœta est; nullus an-

Fulgent. got, dum puerpera. Suffragium ferat Fulgent. serm. de duplici Christi natiuit. *Nulla fieri potuit grauedo concipienti, nulla tristitia parienti: creuit enim eius partu integritas corporis potius, quam decreuit; & virginitas ampliata est potius, quam fugata: in angusto corporis membro sustinuit quidquid sustinent cœli.* Perpende Fulgentij rationem, cur nulla genitricem grauedo lassabat: *Creuit enim eius partu integritas, & virginitas ampliata est.* Ingenuè. Robustior prodiuit in partu; nec fastidiis ægra, quæ solent pungere prægnantem: potiùs validis viribus aucta, Gigantem illum, quem gementes sub pondere cœli non sustinent, delicioso leuamine baiulabat. Absque herba, absque medicamento, absque metamorphosi Virguncula robur accepit, quia virginitas ampliata est, quæ & vterum protuberantem ge-

Chrysol. stabat, & nullo pondere grauabatur. Quibus accinunt præfata ex Chrysologo ser. 142. *Aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas: omnes perseuerauere virtutes.* Omnia confirmatam sonant salutem, robur, soliditas, integritas, augmentum.

41. Si autem sedulius cupis, rationem pendamus; libebit. Interit virginitas, dum gignit: nec virot & fructus amicis didicerunt nexibus conciliari. Habent sua tempora qualitates: suis vicissitudinibus variantur. Ea creaturæ inopia est. Opimitas æstiua, picturati veris nescit ridere deliciis. Non eadem floridæ voluptati, diuitique prouentui tempestas est. In Maria flos & fructus pari conuenere fortuna: tempore putationis flores apparent: ampliata virginitas segnitiem temporum transgressa est; & floret virginitate vterus, & iam fructus in vtero maturescit. Ergo creuit virginitas, quæ vsque ad alienū tempus processit, illucque tetendit,

quò

quò nunquam attigerat. Patum hoc. Non remanet illi, quid timeat, quæ semel in suo contrario expetitur obsequia: inibique firmiùs fulcitur, vbi cadere timebant. Si Mater effecta est, & remanet Virgo; iam campus suus est: tuta procedat; cui cedat, non habet longè est ab hoste, quæ nobilitatur ab hoste N:miùm creuit, qui contrarium post terga reliquit, qui terga custodiat; nec suppetit iam agmen, quod vincat. Mariæ virginitas in Maternitate fundatur: ibi subsistit, quid paucbit? Nullis appeti potest insidiis, quæ, dum generat, vernior est. Si laurus à fulmine tacta ignem non sensit, sed nitorem, quali poterit flamma etemari? Nuptiæ non violant, quam conceptus honorat: nulla ei potest suspicio nocere, quæ ab ipso suo partu vindicatur. Quam nec conceptio corrupit, nec partus lacerauit; quali putas poterit vlteriùs illecebrosâ pudoris iniuriâ lædi? Ideò venustè omnia in Maria quasi inuerso ordine efferuntur. Mater dicitur, antequam Sponsa; imò antequàm virgo. Notus est locus Chrysologi: *Quomodò non ante conceptum Mater, quæ post partum virgo permanet?* Nubere dicitur, quando parit: vt quæ virginitati solent officere, appareat ius in Maria non habuisse, quæ in vtero fœcundo virginitatem ipsam collocauit. Chrysol.

42\. August. In quo vt virginitatis mirum incrementum agnoscas, adi Augustini locum difficilem tom. 10. serm. 22. de Natali Domini: *Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit. Virgo partu suo nupsit; virginitatem, dum pareret, duplicauit; Filium, quem genuit, adorauit.* Quid est, quòd partu nupsisse proferat Augustinus, cùm eo stylo paradoxũ suum extulerit Tertullianus, qui censens prauè Virginis vuluam in partu fuisse apertam, inquit lib. de carne Christi cap. 23. *Etsi Virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege: in quo nihil interfuit de vi masculi admissi, an emissi, id est, illud sexus resignauit.* Quibus non innuit post partum nuptias contraxisse Mariam, (malè id Pamellius existimat) sed in partu vterum resignatum Perspicuè claret ex toto capite: cùm & nuptialem nuncupet passionem, à nuptiis patefieri fœminæ vuluam, inibi scribat. Stylus Partum est, nuptiali stylo corruptionem virginitatis appellare. Absit hoc ab Augustino commentum. Qui in partu duplicauisse virginitatem asseruit, potiùs cumulauit pudorem, quàm detraxit. Imò ea mens. Tantum abfuit, quòd per nuptialem passionem Mariæ puerperæ vulneraretur virginitas, vt potiùs in ipsa nuptiali voce geminata fuerit virginitas in puerperio. Dixerat Tertullianus *in partu suo nupsit*, vt Virginem renueret à partu; sic enim præmiserat: *Et Virgo, quantum à viro; non Virgo quantum à partu.* Resumit stylum Augustinus iuxta vocis originem. Imò si nupsit, in partu, virginitatem duplicauit: qui cum ipso partu suo nupsit: id est, ipse Filius, quem Maria peperit, Sponsus eius factus est. Concepit de ipso, quem concepit: peperit de ipso, quem peperit. Non potuit ampliùs exaggerari virginitas. Si vi cuius concepit & peperit, Filius ipse est; qualis potest suspicio in pudorem irrepere, cùm iam Matrem esse supponatur, quæ cum Filio concepto nubit, & vtrique dum concepit, & dum parit? Si tunc nubit, cùm enititur; tuta virginitas in posterum est: cùm Sponsus qui solet maculare pudorem, præcedere soleat ad fœtum. Quòd hic sit Augustini sensus, luculenter ipse pronuntiat, cùm immediatè antè præfixa verba ita procederet: *Mater Sponsa, & ipse,*

Tertul.

Pamel.

August.

Zerd:, Maria effigies.


quem peperit, Christus Sponsus, quem sanctus Spiritus copulauit. Fecit grauidam Virginem ipse, qui erat nasciturus ex Virgine: Expauit in partu suo Mater: Deus per Angelum loquebatur, & Virgo auribus impragnabatur. Et statim: *Audiat omnis ætas, quod nunquam audiuit: Virgo partu suo nupsit.* Non dixit: Virgo in partu suo nupsit, vt Tertullianus, sed partu suo; id est, cum partu suo, siue cum Filio, Forsan, vt fermè ad Tertulliani stylum illuderet Tertulliano.

Ideò virginitatem duplicauisse subinfert. Quo iure? Quia Virgo permanens virginem edidit. Christus ex Virgine virgo est. Excreuit numero virginitas. Cæteræ matres virginem à natura pariunt, sed gemina virginitas non est, quæ matri deest. Virgo nascitur proles sed à corrupta. Nazianz. in carm. 2. de virgin. *Radix virginitatis coniugium.* Ambros lib. 1. de virgin. *Nec potest esse virginitas, nisi habeat, vnde nascatur.* Si Filius dum paritur, Sponsus puerperæ fit; quid ni virginitas duplicetur: nam Sponsus & Sponsa Mater & Filius virgo est? Id ratio ipsa conuincit: nam nuptiæ in generatione, & in puerperio contractæ inter Matrem & Filium, omnem auertere opus est contumeliam pudoris, quæ præire solet, non subsequi. Iuuat Ambr. lib. 1. de virgin. *Spectate aliud virginitatis meritum. Virgo Virginis Sponsus: & (si dici potest) Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christus, non virginitatis est Christus Virgo est ergo, quæ nupsit; Virgo, quæ genuit; Virgo, quæ nos suo vtero portauit.* Vlteriùs non incongruè dixeris virginitatem in partu duplicatam apud Augustinum, quoniam ex triplici illa differentia, Virgo ante partum, in partu, & post partum; cùm peperit, iam duplex virginitas effecta est, ante partum scilicet, & in partu. 43.

Nazianz.

Ambr.

Idem.



ACADEMIA XXIII.

Mariæ *Purificatio post partum,* Virginior puritas est.

Marianæ Purificationis festum memoriam impuritatis abradit.

SECTIO I.



QVi limpidum Solis radium crediderit in vndis immergi, vt innocuæ lucis sordes eluat; is procul à sensu dicet Mariam purificationis legem subisse, vt sanguinei puerperij inquinamenta deponeret, fæculentasque lustraret iniurias, quas communis ærumna partus incussit. Non indiget pigmentis eboris candor, non tergi solicitant primæ niues; nec lux lucem exoptat, vt albescat. Maria, quæ illibata concepit, peperit integra, non cruenta; nitidior emicuit, dum puerpera: non illi cærimonia lustralis, purgationis solemnitas conciliauit mũditiem; potiùs à virgineo puritatis fore accepit nitorem, Purgationis legi, qua mulieres à partu sanguineæ tenebantur, non legi adstricta Virgo obediuit. Annè virginitatis lactea venustas periclitata est, inque iacturâ sui indecoræ se subdidit opinioni? Ea est puritatis Mariæ 1.

 maie

maieſtas, quòd neſciat à ſuſpicionis vllius fæcibus inquinari, & quamuis inter ipſamet ſordium indicia perambulet, inibi claritatis ſuæ maiora præbeat experimenta. Purificatio, dum emaculat, priſtinæ puritatis commaculat famam; colluuiẽ ſupponit, quam tergit: & tamen dum completis legalis purgationis diebus Maria templum purificanda ſubintrat, nulla ſyllaba, nullus apex in hac cæremonia eſt, qui non perſpicuâ ſignificatione præconetur Mariam eſſe virginitatis lumen, munditiæ fontem, lucem puritatis. Id legis verba, id luſtralis apparatus enuntiat: diuinæque ſapientiæ conſilio altè prouiſum eſt, quòd dum mundari videbatur ignaris oculis, nondumque manu veritatis exterſis; fidelibus mentibus mundare crederetur: & virgineus pudor eniteret, cùm pati à ſtolidis putaretur.

2. Ordiamur ab ipſo purificationis feſto. Celebritati huic in occidentali Eccleſia dedit initiũ Gelaſius Pontifex, dum Lupercalia menſe Februario agi ſolita, vt ſcribit Varro lib. 5. de lingua Latina (Varro.) Romæ ad ea tempora permanentia, legibus Eccleſiaſticis abrogauit: verba ſunt Card. Baronij in Martyr. die 2. Febr. verb. *Purificatio:* qui to. 6. Annalium anno Chriſti 496. exſcribit Gelaſij (Baron.) commentarium, in quo aduerſus lupercaliorum ſtudioſos inuehitur. Subticet tamen cauſam Baron. cur ſignatè, cum illa ſuperſtitio inoleuerat, Gelaſius purificationis Mariæ feſtum indixerit. Si coniectare fas ſit, ſuſpicor in hoc lucidam ardere facem Marianæ puritatis, integritatiſque in puerperio: quæ in purificationis ſolẽnitate maximoperè affulget. Certè prima Lupercaliorum indicta ſuperſtitio fuit in *Panis* honorem propter ſterilitatem mulierum, quarum genitricem fœcunditatem ab Idolo expoſcebant. Sic inter plura Gelaſius: (Gelaſ.) *Lupercalia autem propter quid instituta ſunt (quantum ad ipſius ſuperſtitionis commenta reſpectant) Liuius 2. dec. loquitur. Nec propter morbos inhibendos inſtituta commemorat; ſed propter ſterilitatum, vt ei videtur, mulierum, quæ tunc acciderat, exoluendam. Proinde ſi vel ad hoc ipſum aliquid hoc valeret, hoc intermiſſo non morbus accideret, contra quem Lupercalia reperta non ſunt; ſed fœminæ* (Sueton.) *nequaquam generare debuerant, pro quarum fœcunditate concinnatur inuenta.* Lupercaliorum meminit (Dionyſ. Ouid. Iuſtin.) Suet. lib. 2. in Octauiano Aug. Quem Græci *Pana*, Romani *Lupercal* appellabant, qui & Græcis *Lycæus*, de quo Dionyſ. lib. 1. Antiq. Ouid. 2. Faſtor. Iuſt. lib. 43. Hæc ſacra peragebat nudi inuicem verberantes, curſitantes impudicè, inhoneſtiſque circumquaque dementiis. Quare nudi Luperci dicuntur. Ouidius ſuprà:

(Virgil.) *Tertia poſt idus nudos Aurora Lupercos.*

Virgilius 8. Æneid.

(Seru.) *Hinc exultantes Salios, nudoſque Lupercos.*

Rationem dedit Seruius inibi: Quia *dum celebrarentur à Lupercis Lupercalia in honorem Panos, pecora rapta ſunt à latronibus. Luperci reiectis veſtibus illos inſequuntur, opprimunt, ac re benè geſta à nudis nudi celebrant Lupercalia.* Ego quidem, ſi ſemel Liuio apud Gelaſium noſtrum aſſentiamus, cauſam nuditatis putauerim incitamenta Veneris; ſiquidem vt gignerent fœminæ, ſic impudica nuditate currebant, iuxta illud Tibulli lib. 1. Eleg. 5.

(Tibull.) *—— tuniciſque ſolutis,*

Vota nouem Veneri nocte ſilente dedi.

Gelaſius ſuprà: *Apud illos enim nobiles ipſi currebant: & matronæ nudato publicè corpore vapulabant.* Quin ipſe Lupercal nudus ſub caprina pelle aderat. Pompeius Trog. epit. hiſtor. lib. 43. (Pomp.) Luperci autem ſic nudi prægnantium mulierum manus, vteroſque caprina pelle feriebant.

En in lupercalibus laſciuiens, obſcœnaque religio mulieres ad partum, inuocato Idolo, laceſſebant. 3. Cur igitur, dum hanc ſordidam vetuſtatem penitiùs abradere curauit Gelaſius feſtum Purificationis Mariæ publicè celebrandum inuexit: cum potiùs purificationis lex parientium mulierum ſanguineam abſtergeret illuuiem, fœtidaſque ſpurcitias emacularet: nec inſtituto Pontificis poterat videri cõſultum, qui funditùs eliminare nitebatur ſacra Lupercalia, in quibus partus expetebantur mulierum, ad quos improba nuditas, impurique tactus alliciebant. Quantum de Mariæ puritate Pontifex meruit! Non alio feſto ſatiùs duxit abradendam eſſe ſuperſtitioſæ impuritatis memoriam, quam eo, in quo purificari dicitur Maria poſt partum: tantum etenim abeſt à Virgine, ſe in obſequium legis in templum offerente, vllius ſordis ex puerperio contractæ indicium, vt potiùs omnem ablegat fæcis recordationem, animoſque parturientium fœdis ſpurcitiis per lupercalia intentos emundet, ſpecieque imbuat puritatis. Quo ingenio? Dicam. Nil magis ſolet inquinare mulierem, quàm partus. Si partus ſit, qui puriorem, ſanctioremque puerperam reddat, huius celebratio in obliuionem rediget ſordes, quibus inuoluebantur quotquot ob mulierum puerperia inhoneſtè agebant Lupercalia. Ergo Maria purificationis legem ſubiens, memoriam ab omni inquinamento repurgat: quoniam ſtatim mentem acuit, vt conſideret nullam in illa cauſam eſſe purificationis, quæ fontem peperit puritatis. S. Bern. ſer. 3. de Purific. *Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cùm proles iſta fons puritatis ſit & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato? Verè ô beata Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione.* (S. Bernard.)

Aliam cauſam ſubdam, cur hæc purificationis ſolemnitas in Februarij menſis exordio inſtituta omnimodam Mariæ nuntiet puritatem. 4. Februo idem eſt, quòd luſtro & purgo, à quo Februarius menſis, in quo *ſacra Februa* agebantur, de quibus Plinius: *Vulgata priſcis temporibus opinio obtinuit, Februa eſſe omnia, quibus maledictorum conſcientia purgarentur, delerenturque peccata, aut Manes defunctorum placidi redderentur.* (Plin.) Populus ergo luſtrabatur, purgabaturque: quare Februus dictus eſt Pluto, qui Deus apud inferos colebatur. Adi Ouid. 2. Faſtor. (Ouid.) Cur ergo purgatio, ſeu luſtratio Virginis tunc temporis colitur? Certè ſtat regula S. Leonis Pap. ſer. 3. de collect. *Quoties cæcitas paganorum in ſuperſtitionibus ſuis eſt intentior, tunc præcipuè populus Dei orationibus & operibus pietatis inſtaret.* (S. Leo.) Et quidem, vt longiùs abhorreat vera religio ab irreligioſitate prophana. Cur ergo purgatio pro purgatione ſubſtituitur, cerei pro cereis? nam quòd cereis vterentur in luſtratione, auctor eſt Macrob. lib. 1. Saturnal. (Macrob.) Imò aptiùs nihil Marianæ purificationis ſolemnitate, quæ ſuperſtitioſam luſtrationem purget, & luſtret, vt obliuione ſepeliat prophanæ luſtrationis impura lauacra: & non iam inferis ſed cœleſtibus animos addicat. Demirare conſonantiam, Quando pagana luſtratio Diti, ſeu Plutoni in Februis litabat hoſtias, in ipſa purgatione immundior

dior erat: siquidem dæmones, qui habitant in Orco, spurcitiis delectantur, sordibusque iucundantur suinis, itavt ipsi sues, quos dæmones intùs agitabant, fœtidum sustinere squalorem non valentes se dederint Maris vndis, expiare sitientes per aqueam mortem sordidam vitam. Matth 8.
Matth. 8. *Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* Cur sic exoptant? Quia in monumentis habitabant, vbi corruptionis sentina, vbi ægrè olidus situs, & de sorde ad sordes semita, dæmonis est. Erant ibi pecora, erant sues; & tamen non efflagitant in pecora immitti, sed fæculenta porcorum amant habitacula: quia pecora munda sunt, & in templo Dei offerebantur. Remig. cap. 6. in nouum
Remig. Exempt. *Nec etiam petierunt, vt in pecora mitterentur, quia pecora Dei præcepto munda sunt animalia, & tunc in templo Dei offerebantur. Præ aliis autem immundis in porcos mitti petierunt, quia nullum animal est immundius porco: vnde & porcus dicitur, quasi spurcus, eò quòd spurcitiis delectetur: sic & dæmones spurcitiis delectantur.* Vide quali se deuouerant lustrationi, qui, vt mortuos suos purgarent, in Februis sacra Diis inferis peragebant: cùm tamen è mortuorum monumentis solus transitus in spurca animalia sit dæmonibus.

5. Ergo, vt cum squaloris excessu pugnet puritatis excellentia, Mariæ purgatio celebratur; non qua mundatur ipsa, sed qua mundat; & sistens Domino Filium, quem peperit incorruptio, per exactissimam munditiem memoriam Regni cœlestis inducat, in quod nihil subintrat coinquinatum, sed quisque næuus ab igne districtionis purgatur.
Ericus. Rem det Ericus homil. de Purific. *Agitur ista festiuitas incipiente mense Februario, qui a Februo, id est, Plutone, qui lustrationum: hoc est, purgationum potens à Gentilibus credebatur, ita vocatus est, Vniuersa ciuitas ab vniuerso populo mense Februario lustrabatur, vt sacrificia Diis infernalibus soluerentur. Sed hanc lustrandi consuetudinem benè mutauit Christiana religio, cùm hac ipsa die festiuitatis Beatæ Mariæ plebs, clerusque, & sacerdotes cum cereis & hymnis Ecclesiarum loca circumeunt, non vtique ob recordationem paganæ superstitionis, sed in perennem regni cœlestis memoriam.* Vtquid cœlestis regni memoria? Quia locus nitoris est, nullisque patet mortalitatis inquinamentis; nec eget Sole, nec Luna: lucerna enim eius est
Apoc. 21. 23. agnus immaculatus & limpidus. Ideò fortasse in purificatione, cerei ex virginea cera, & lumine compacti, vt subnigerent ab spurcitiis ignis inferni, in quo suos cereos pagana incendebat antiquitas, cum suo extingueretur fœtore à perpetua Marianæ virginitatis claritate. Quò respexit, puto Beda
Beda. da lib. de tem. rat. cap. 10. *Sed hanc lustrandi consuetudinem benè mutauit Christiana religio, cùm in mense eodem die sancta Maria plebs vniuersa cum sacerdotibus, ac ministris hymnis modulatæ vocis per Ecclesias procedit, datosque a Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes: idipsum in cæteris quoque eiusdem beatæ Matris & perpetuæ Virginis festiuitatibus agere didicit.* Nescit perpetua virginitas in purificationis festo obscurari: potiùs purior apparens, quidquid virgineum est collegit, in quod nunquam irrepsêre sordes, ceram videlicet & lumen.

6. En ergo anxia sedulitas in abigenda suspicione inquinamenti. Quò magis se subdit legi Maria magis puritatis euchit elogia, prærogatiuamque

Zerda, Mariæ effigiet.

decantat: pudica accendit lumina, vt pateat obtuentibus manifesta virginitas. Amat n[illegible] mundam esse, sed videri. En causa, cur in templum venerit eluenda. Puerpera enim non priùs munda habebatur quàm post sacrificium oblatum quadragesimo die. Benè id vidit Luc. Burgens. in c. 2. Luc.
Luc. Burg. *Nam quamuis*, inquit, *dies omnes quadraginta purificationis seruirent, eò quòd à fluxu immundi sanguinis labentibus illis diebus, magis magisque libera, atque immunis puerpera redderetur: ipsa tamen purificatio quadragesimo demum die, sacrificio oblato, perficiebatur, id est, tunc demum, nec priùs, munda habebatur.* Et quidem sic lux affulget sanctioni Leu. 12.
Leuit. 12. *Et sic mundabitur à profluuio sanguinis:* Ergone si cruenta colluuies adhuc manebat, restingueret oblatio, sanguineasque abraderet fæces, quas corrupta natura iugi mittebat profluuio? Neutiquã. Nõ probè sic iudicares. Sordiũ opinionem oblatio peracta arcebat, vt exinde iam munda crederetur, iam tractaretur à mundis. En igitur cur compleri dicuntur dies purgationis Mariæ. En cur se sistit in templo, non emacularetur immaculata, sed vt immaculata ab omnibus crederetur. Non patitur intra latibulum tenebris offundi Virginis mundities: lãpades accendit, vt vel hebes oculus intueatur, ex cera quidem & lumine, quæ duo sunt in quibus defæcatior puritas renidet. Quid ceræ artifice apeculâ virginius? Ambros. l. 1.
Ambr. de virg. *Digna virginitas, quæ apibus comparetur sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Quàm te velim filia; imitatricem esse huius apeculæ, cui cibus flos est: ore soboles legitur, ore componitur.* Quid pulchrius pro Mariæ puritate fœcunda cui Filius flos est, de radice eius ascendens: cui ore soboles legitur: siquidem Verbum oris Paterni verbo concepit, & ceram virgineam incorruptibili Verbo, quod lumen de lumine est, vt cereus fieret, nempe Deus homo, ministrauit. Guerr. serm. 1. de Purific.
Guerr. *Cereum præparasti, quem accepi: tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo virginum virgini, dum incorrupta Mater incorruptibile Verbum incorrupta carne vestisti.* Obserua, quot modis incorruptio ista emicet; quàm amica societas luminis & ceræ, Virginis & Verbi. Quid pro munda Virgine mundius? Nescio, si aliud festum sit, quod flagrantiori apparatu perpetuam Virginis puritatem conclamet. Quid ista cum parturientium colluuione, quid cum purgationis lauacris? Studuit virginitas ibi excultior radiare, ne periculum sordidæ suspicionis pateretur.

Curuè Simeon in manibus accipit infantem, 7.
quem lumen ad reuelationem gẽtium appellabat? Vt cereum gestaret in manu ad puritatem Virginis non lustrandam, sed illustrandam potiùs & præconandam. Id agimus & nos, cùm solemni ritu symbolum Verbi Dei, Diuinique luminis è Virgineæ carnis cera flagrans, per materialem cereum accensum gestamus in manibus. Perbellè Guerricus suprà:
Guerr. *Quis enim hodie cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas Verbum in carne tanquam lumen in cera ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat?* Cur *lumen ad*
Luc. 1. *reuelationem gentium*, dixit Simeon, *& gloriam plebis tuæ Israel?* An quia tenebras propulsurus aduenerat, qui lux vera est, vtpote Verbum Patris?
Cyril. Sic Cyrillus: *Christus adueniens factus est lux tenebrosis: vocati sunt autem à Deo Patre ad notitiam Filij, qui est lux vera.* Verùm vnde nam Verbum

 esse

esse Patris cognouit, ac proinde lumen? Certum est ex Spiritu sancti illustratione. Attamen coniectari fas sit, quòd introens in Mariam puerum gestantem, coruscam ex lumine virginitatem perculsuit, qua suffosa facies ardebat, puerum Verbum esse cognouit, meutisque lumen, quod illibato siou intellectus & concipitur & enascitur.
Timor. Hierosol. Huc aduoco Timotheum Hierosol. orat. ad *Nunc dimittis: Iustus autem Simeon oculos hùc illùc circumferens, vidit quidem multas mulieres, verum singulas schemate, ornatuque humana natura proprio affectas; solam autem Virginem quodam diuino infinitoque lumine circumfusam animaduertit. Currens itaque segregauit reliquas matres clamans,* &c Ex infinito lumine, quo Mariæ facies resplendebat, Virginem esse agnouit: ex virginitate parientis lumen peperisse deduxit, flagrantemque vndequaque mattem ex consortio Sermonis Dei, imò ex conceptu & puerperio Attende: *Lumen,* inquit, *ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tua Israël.* Vtquid gloriam cum lumine commiscet? Meditor ex facie Virginis coruscante propter Sermonis, Verbique Dei intimius consortium, statim Simeonis menti obuenisse, quod Moysi acciderat, cui cornuta fuit facies ex con-
Exod 34. Sept 2.Cor.3. sortio sermonis Domini, id est, glorificata, vt Septuaginta legunt: *Quod glorificatus fuerat aspectus cutis faciei sua.* Et Apostolus 2.Corint.3. & in officio transfigurationis *glorificata facies Moysi:* Gloria illa lumen fuit, de quo suprà disseruimus. Ergo iam Sermonem Domini in carne venisse dignouit, cùm faciem Virginis iuxta Timotheum *infinito lumine* glorificatam vidit. Memor ergo glorificatæ faciei Moysi, ex glorificatione Virginei vultus dixit *gloriam plebis tua Israël,* vt velamen deponeret Hebræus, quod Moysi obtecerat, & diuinam in humanitate lucem con-
Athan. spiceret. Cui cogitatui prodest Athanasios in Caten. S.Thom. *Et gloriam plebis tua Israel. Memorans antiquam historiam: quod sicut olim Moyses Dominum alloquendo, gloriosam retulit faciem; sic & ipsi diuinam humanitatis lucem perstringentes, vetus abiicientes velamen in eamdem imaginem transformarentur de gloria in gloriam.* Quid tenebricosum in Virgine, quæ sordes depositura ingredi in templum visa est: & tamen dum à Simeone videtur, eius irradiat puritas, lumen reuelat, Moysi velamen abducit, pudicáque frontem totâ maiestatis opulentiâ resplendet? Quidquid spirat, castitas est, lux, candor: vt & dealbemur & luceamus, cùm tantæ Virginis purificationem co-
Cyril. limus, S.Cyrillus Hierosol. orat. de occursu Christi, in fine: *Ad hunc modum ad iucunditatem compositi, festinè hodierno die lampadas nostras exornemus. Tanquam lucis filij Christo vero illi lumini cereos offeramus, quandoquidem lumen in reuelationem gentium mundo apparuit. Lumen itaque è lumine mutuati, super niuem dealbemur, super lac & caseum emolliamur, super lapidem sapphyrum luceamus, super castas columbas puri in cælos subuolemus, & quasi nubibus subuecti, Deo occurramus.*

8. Nec caret sua venustate, quòd Purificationis festum à Græcis Hypapante, seu Hypante dicitur ὑπαπάντη enim occursus est, & ἀπαντᾶν obuiam ire. Causam dedit huic vocabulo occursus, qui factus fuit ingredienti Virgini in templum, de quo
Ildeph. S.Ildephonsus serm.1. de pattutit. *Proinde hæc festiuitas tali vocabulo notatur, quia cùm Dominus hodierna die in templum à parentibus fuisset delatus, à Sanctis, quos plurimos tunc temporis Hierosolymis fuisse, non dubium est, ei obuiari credimus.* Vel fallor, vel innatus respectus est ad virginum parabolam, *qua accipientes lampadas suas* Matth.25.1.
exierunt obuiam sponso, & Sponsa: vbi lampas, virginitas, & Sponsæ singularitas omnem puritatis, illibatique pudoris gloriam præsignant. Tantum abest à fœdi inquinamenti ex puerperio contracti purificatione celebritas hæc in Maria, vt potiùs sit pedisequarum virginum symbolum, pudicitiæque faces ad eius obuiam conuocentur: vt in ipsomet vestibulo templi clatæ virginitatis in sacra puerpera signa colluceant. Et quidem iuxta hanc parabolam occursum accipit Ericus suprà, inquiens Ericus.
Cum hac ipsa die festiuitatis Beata Maria plebs, clerusque, & sacerdotes cum cereis & hymnis loca circumeunt, in perennem regni cælestis memoriam, quando iuxta euangelicam parabolam omnes electi cum lampadibus Sponso & Sponsa sunt occursuri. Idipsum protulit Ildephonsus suprà in fine. Nequit exactiùs exaggerari puritatis apex in Psal.18.7.
Maria: siquidem occursus eius vsque ad summum eiusnec est, qui se abscondat à calore eius: id est, occursus eius pro cœlesti habetur occursu, in quo illiatus virginum chorus, agnique pedisequi, qui cum mulietibus non sunt coinquinati, obuiam eunt Sponso & Sponsæ. In quo adhuc nimia Leuit.12. & 15.
subtilitas latet: nam purificationis lex iubebat intra porgationis dies non posse fœminam à coniuge contrectari. Maria autem, cui obuiam fit, Sponsum, qui Filius eius est, nedùm in sinu, sub vbere gestat: & sic Sponso & Sponsæ occurrit Simeon, vt purgatione non indigere notaretur, quam sicut Sponsi sibi illigabat amplexus. Vlteriùs: si Christus Sponsus est, Mariaque Sponsa (vt innuit Ericus & Ildephonsus, consentienisque omnium opinio est, cùm virginum parabolam exponunt) stolidæ mentis esset à partu sordentem cogitare, cùm ipsamet rei natura impedimento sit. Desideras rationem? Præstò adest. Si idemmet, qui Sponsus, Filius est; implicat à Sponso Sponsam violatam, vt conciperet: siquidem iam præ intelligitur conceptus, qui in humana natura suæmet matris nuncupatur Sponsus. Ergo in Virgineæ purgationis cæremonia occursus fiat Sponso, & Sponsæ, vt impossibilis reddatur inquinamenti suspicio, iactura pudoris, vbi poterat timeri de sorde. Obuiam fit sponso & Sponsæ, vt conceptio indiceretur virginea, & partus incruentus. Nam carneus Sponsus est, qui fœminæ ad concipiendum solet pudorem perstringere, non in partu: filius est, qui vterum discindit, polluit parientem, non in conceptu. Mariam, cui Filius Sponsus est, quâ Filius, in conceptu non violat; quâ Sponsus, non inquinat in puerperio.

Purificatio Virginis mortem triumphat, corruptioni obsistit.

SECTIO II.

Egimus de purificationis solemnitate, quâ apud Occidentalem Ecclesiam instituta viguit. Non prætereunda est institutionis 9.
causa apud Orientalem Ecclesiam, de qua Niceph. Niceph.
l 17. hist. c.28. Sigebertus in Chron. anno Christi Sigeb.
542 qui sic inquit: *Constantinopoli mortalitate magna insurgente, statuta est solemnitas Beata Maria,*

qua

quæ Græcè ὑπαντήσις, id est, obuiatio dicitur. Ingruit lues, tabifica mors grassabatur, & obuiationis, purificationisve festiuitas indicitur. Quid ad mortalitatem propulsandam, medicatasque peste sagittas perstringendas habet solemnitas ista? An quia sordidum ablutio est? Si immunda mulier, quidquid attrectauerit, reddit immūdum: quomodò veneni maculas eluet, eiusque occursus theriacam sortietur medelam? Imò quia nunquam magis contra tela corruptionis armata processit Virgo nostra, quàm dum enixa est puerpera Regem: ideò felici delectu hæc religiosa festiuitas aduersus vastam mortis tyrannidem, insalubremque regionis corruptionem decreta est, vt in qua plùs emicuit incorruptio, plùs de mortalitate sanaretur interitus.

10. Virgo fuit Dominica sepultura; excisum erat de petra pudica monumentum, non cineribus assuetum, non in mortis calculo computatum: *Et* Luc.23.53. *posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Vide prærogatiuam sepulchri. Excisum est de petra, vt habes apud Marc.15.46. Marcum, non ex assutis lapidibus concinnatur, ne vel rimula pateat, per quam incorruptionis fides, victoriæque de morte triumphus posset periclitari: nam lapidibus erutis & destructis diceret Iudæus furto esse sublatum corpus Dominicum; non mortis imperium per resurrectionem calcauisse. Nec aliud ibi cadauer inerat, Beda. ne alius surrexisse diceretur. Acutè Beda in Luc. *Et posuit eum in monumento exciso, scilicet de petra: ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, post resurrectionem suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. In nouo etiam ponitur monumento, ne post resurrectionem cæteris corporibus remanentibus, surrexisse aliud suspicaretur.* Quam accurata sedulitas, vt incorrupta petra Dominum pariat resurgentem: vt vtrobique virginitatem custodiat, & cùm excepit, & cùm edidit. Nulla procliuior semita ad vitam inerat redeuntem. Promptum est assignare rationem. Quem incorruptio conceperat, quem soliditas casta pepererat, quem vita protulit incorruptum, ne frigidæ mortis longo subiaceret imperio: saxeus vterus Ambros. mortuum concipit, parit viuum. S. Ambr. ser. 48. de sepult. Dom. *Hic viri pollutione non tangitur: ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas: purus illud venter concipit: nouus tumulus includit Dominicum ergo & virgo vulua, & virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim: sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit; & de Ioseph viuus sepultura surrexit.* Quam tuta genesis à mortis vtero! Quis crederet tumulū, in quo mortis exuuiæ, deuastante putredine, solent corrodi, vuluam fieri, in qua genitalis viget origo, vitaque capessit primordiū? Id vtraque virginitas effecerat, & Matris absque viro gignentis, parientis absque fractione; & sepulchri, solido saxo, sacrum depositum emittentis. Edocuit integra Mater puerpera puerperam integrè sepulturam; quia vita incepit à Virgine, quia enixa Virgo fuerat, instructū fuit Dominicum corpus non reduci per resurrectionem vitā frui, quin à virgineo in partu prodiret sepulchro. Nam quidem saxeæ vuluæ virginitas magis apparuit, cùm inaperto ostio, inturbatoque lapide viuum peperit Domini corpus, quàm cùm excepit cadauer: siquidem ione reseruatum fuit positusque lapis ad ostium monumenti. Ergo virginitas in partu strenuè mortem triumphat, etiamque duræ rupi, rigentique saxo spiritus aduersus mortem infundit.

11. Bene ergo consultum fuit in Orientali Ecclesia aduersus ingruentem mortalitatis plagam, solemnitatem purificationis Mariæ celebrare, in qua splendidiùs emicuit virginitas in partu: siquidem aduersus corruptionem deligitur, ne credatur sordes puerperæ in hac cærimonia expiatas, quin potiùs Mariam puriorem à puerperio, mortalitatis expiare contagia. Saporam iam facit occasio, de qua Sigebertus supra: *Mortalitate magna insurgente statuta est solennitas, &c.* Non patitur hæc festiuitas mortale quidquam: nam quæ peperit incorrupta, incepit mortis tyrannidem propulsare, etiam a sepulchro, quod de immortalitatis instruat disciplina; edocuitque virginitatem perpetuā, scilicet quòd nunquam aliquid mortale conciperet, postquam integro lapide peperit resurgentē. Conspicuè August. tract. 28. in Ioann. *Sicut sepulchrum, vbi positum est corpus Domini, nec antea,* August. *nec postea quidquam mortale concepit: sic vterus Mariæ nec antea quidquam mortale concepit.* Quia virgineè peperit Dominica sepultura, scitè deduxit Augustinus nunquam posteà aliquid concepisse mortale. Ergone immortale aliquid concepit? Argutè nimis subtilis Doctor. Non vllum posteà cadauer positum est: verùm positi sunt Angeli, immortalesque Spiritus. Nonnè vides Ioan. 20. *Prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos, vnum ad caput, & vnum ad pedes,* Ioan.20. *vbi positum erat corpus* IESV. Quid incorruptibilibus Spiritibus cum sepulchro, mortalitatis situ, lethi habitaculo? Grandis virginitatis excellentia! Etiam lapis cadaueri recipiendo destinatus, rigidus, algens, si semel virgineè parit; ita aduersus mortem armatur, vt vlteriùs mortale non concipiat, sed Angelos, in quibus suprema incorruptionis dignitas est. Hanc puto Augustini solertiam, cùm dicit: *nec postea quidquam mortale concepit.* Vt addiscas Virginem post partum concelebrare Mariam, quæ non quidquam mortale concepit, sed immortalitatis Dominum continuo mentis concipiebat in sinu. Ideò forsan habes apud Marc. 16. *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertam* Marc.16. *stola candida.* Quare iuuenis seriè describitur? Ne senem aliquem, iamque rugis contritum, mortique addictum crederes in virginea potuisse sepultura latere: vbi potiùs quidquid est, viridi flore lætatur. Id animaduertit Hieron. ibi: *Non senem, non infantem, sed iucundum ætate, vt dicitur, latu-* Hieron. *re iuuenis in adolescentia sua: qua non est hîc vera, dum senio mista: imò quidquid vita est, quidquid resurrectionis & immortalitatis, præ se iuuenis ille ferebat.* Interlinealis: *Hic iuuenis formam resurrectionis timentibus mortem ostendit.* Ideò vitæ, & Interl. resurrectionis symbolum fuit. Nonnè sedet à dextris? Nonnè stolà candidâ amicitur? Audi Seuer. apud Cat. S. Thom. *Vident etiam iuuenem sedentem* Seuer. *à dextris, quia resurrectio nihil recipit sinistrum. Vident etiam coopertum stolà candidâ. Stola ista non est ex mortali vellere, sed ex virtute vitali, splendens cælesti lumine, non colore terreno.*

12. Ergo aduersus mortalitatem benè instituitur purificationis solemnitas, in qua virginitas in puerperio celebratur: vterus enim illibatus arma ministrat contra mortem, pacemque terris effundit, & a corruptionis solidat iniuriis. Mortem debellare suprema victoria est. Armatos militum

campos perlustra, castrorumque ordinatas acies: ferueat belli furor, sub spe ancipiti Mars est: iam hinc iam illinc præsagitur triumphus. Quid dedit victoriam, quid cinxit laurum? Mors. A morte victor, à morte victus decernitur. Vide internecionem, calca cadauera, sanguine natantia conspice membra; absque magistro victum agmen agnosces: qui occubuit, victus est per mortem. Ast mortem vincere quis præualebit? Nam si vincenda; ergo morte. Sed qualis est mortis mors? Non quidem mors, cum mors vitæ priuatio sit. Si mortis mors; ergo vita est. Grandis fortitudo, non morte, sed vita vincere. Rex noster IESVS deuicta morte triumphum egit, morte deuicit mortem, dum vitam dedit. A quo tamen arma sumpsit in mortem? A quo vitam hausit: siquidem vita mortem superauit: ergo à Mariæ vtero, à quo vixit.
Thaumat. Quàm concinnè Gregor. Thaumat. serm. 3. de Annunt. *O vterum, in quo confectus est communis nostræ libertatis libellus! O ventrem, in quo aduersus mortem fabrefacta sunt arma! O templum, in quo Deus ipse factus est Sacerdos, naturam non demutans, sed eum, qui est secundùm ordinem Melchisedec, per misericordiam induens.* Cur tam inopina concinnatio? Melchisedec Rex Salem, Rex pacis nuncupatur. (Gen. 14.) Vix ab vtero fabrefacta arma perhibentur, quando Deus homo secundùm ordinem Melchisedec prædicatur. (Psalm 109.) Grauiter quidem. Nam arma ab vtero in vincendam mortem dolabantur, mors vincenda vitâ est. Nouum bellum, in quo arma è pacis officina construuntur. Sed adhuc sisto in verbis Thaumaturgi. Cur è ventre arma efformantur in mortem? *O ventrem, in quo aduersus mortem fabrefacta sunt arma.* Nonnè meministi mortem euenisse à deprauata ficu? *Quando pomi noxialis morsu in mortem corruis.* Ficus ad ventrem iuit mortem effundens: medelam ferat inde, hostis vnde lasserat: ab vtero fœminæ construantur arma in mortem, siquidem per vterum fœminæ mors in cibo pergrassata est. Quam bene Richard. à S. Laurent. lib. 12. de laudib. Virginis (Rich à S. Laur.) *Nota* (inquit) *quod tabernaculum propriè est militantium & peregrinantium: sicut enim miles pugnaturus armatur in tabernaculo, scilicet vt armatus exeat ad conflictum: sic Christus cum diabolo pugnaturus pro sponsa sua exhæredidata, scilicet Ecclesia, in vtero Beata Virginis, velut in tabernaculo armaturam humana carnis sibi adaptauit.* Quam insolita pugnantis armatura! Intus diuinitas, extrà caro. Nonnè facilè rumperentur lagenæ, & Diuinitatis fax illuminaret & eliminaret inimicum? Limo circumdatur, vt vincat; sed virgineo ex incorrupta Matre; ex cuius carne loricata diuinitas it secura.

13. Quia vitam ab incorruptione orsus est Christus, & in incorrupto vtero Matris conceptus, ex incorrupto natus fuit: iam exinde indicabat, quod cum teneretur ab vtero mortis, in quo fœtidus situs, corruptelæque ante Christi mortem erat sedes, ipsam mortem in incorruptionem foret versurus, & ex eius vtero tanquam ex vulua matris virginea rediuiuo egressurus triumpho. Hinc lucem accipit Oseæ locus 13. vers. 14. (Os. 13. 14.) *Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, Inferne.* Diximus, mortis mortem vitam esse: non enim aliter moritur mors, quàm si illa met, quæ fetali morsu vitam trucidabat, & in corruptionis cineres iacebat resoluta, iam in incorruptionem procedat. Gregorius lib. 12. moral. cap. 8. & Augustin. serm. 137. de temp. (Gregor. August.) *Ero mors tua ô mors. Quod occidimus, agimus, vt penitus non sit. Quia ergo in electis suis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis extitit.* Si funditùs periit mors; igitur spolia mortis in vitam transierunt, & mortalitas in immortalitatem conuersa est. A quonam hæc conuersio processit? Certè à virginea vulua Mariæ, quæ virginei sepulchri vuluæ magistra fuit, à quo auspicata est resurrectio: quia in modum voluæ incorruptæ peperit Saluatorem. Adest difficilis locus Pauli 1. ad Corinth. 15. vers. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.* (1. Cor. 15. 53.) Et statim: *Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Crux interpretibus est, ad quæ Scripturæ loca respiciat Apostolus? Ad duo scribunt peritiores: nempe ad Isai. 25. versic. 8. vbi Septuaginta: *Deuorauit mors præualens:* (Isai. 25. 8. Septuag.) sed iuxta Hebræum est בלע *Belahh*, quod significat *absorbere*, quod Paulus passiuè vertit *absorpta est:* (Hebr.) quippe sensus idem erat: *Absorbuit Christus mortem in victoria.* Et illud *Absorpta est mors in victoria:* de quo Sanctius in Oseam & Cornelius in 1. ad Cor. 15. (Sanct. Cor.) Illud autem: *Vbi est mors victoria tua?* conueniunt omnes acceptum esse ex præfatis Oseæ: *Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, Inferne.*

14. Ego quidem sic censeo. Aptissimè Paulus Prophetarum sensum sequutus, quod assolent Scriptores sacri, vtrumque locum concinnauit. Nam mors absorbuit Christum, & vsque ad vterum, id est sepulchrum deglutiuit, & deuorauit: attamen Christus in vtero mortis mortem ipsam deuorauit & absorbuit. Quare pulchrâ amphibologia dictum est *morsus tuus ero, Inferne*, vt Cornelius animaduertit. Quid est; *morsus tuus ero?* An morsum tibi iniiciam? An morsum à te patiar? Vtrumque. Videlicet mordebor à te, vt à te morsus te vicissim mordeam: vt dum morsus tuus ero, tu sis meus: quod enim infernus pro sepulchro & morte accipiatur, compertum est: nam Hebraïcè שאול *Seol.* Ergo Paulus, vt panderet Christum à morte deglutitum, & quasi victum, mortem absorbuisse & vicisse, coniungit vtrumque: *Absorpta est mors in victoria: Vbi est mors victoria tua?* In quo, vt suspicor, duplicem victoriam innuit, nempe & victoriam, qua mors vsque ad vterum monumenti Christum absorbuit, & qua Christus intra ipsum vterum absorbuit mortem, quod enim ait: *Vbi est mors victoria tua?* liquido constat supponere aliquam in se fuisse victoriam mortis: quod vtrumque Oseas explicuit in illis *ô mors*, id est: Quæ mihi mors fuisti, *ero mors tua, morsus tuus ero, Inferne:* id est: Qui à te morsus sũ, mordebo te, eâ celeritate, quod vterque morsus videatur vnus. Rem totam explicuit S. Hieronym. in Epitaph. (Hieron.) Nepot. ad Heliod. quem & citat Cornelius: *Qui per Oseam quondam tibi rigidus minabatur: Ero mors tua ô mors: ero morsus tuus, inferne; illius morte tu mortua es: deuorasti, & deuorata es; dumque assumpti corporis Christi solicitaris illecebrâ, & auidis faucibus prædam putas: interiora tua adunco dente confossa sunt.* En pulchre ex vtero incorruptio. En qui in ventre tenetur, viuit à ventre: egreditur incorruptus à sepulchro, qui ab vtero Matris doctrina incorruptionis incepit. Videtur Hieronymus traxisse metaphoram à deglutiente aliquod viuum; quod corrodit stomachum, & fibras ventris dilacerat. Sic Christus à morte deglutitus, mortem momordit, quia sub eius ventre vixit: verum vt incorruptior appareret, nec sepulchrum

lacera

lacerauit nec lapidem momordit; sed mortem ipsam: vt homo, qui pomi morsu corruerat in mortem, morsu Christi rediret ad vitam. Quæ dicta sint pro occasione, qua celebrari cœpit festum Hypapante, id est, occursus, siue purificationis Mariæ, videlicet ob grassantem pestem, mortalitatemque insolescentem: vt mundities Virginis & incorruptio, occursusque hic sacer esset morsus mortis & pestis. Cui venustè respon-
Symm. det lectio apud Symmach. nam pro *morsus tuus* apud Oseam, Hebraicè est קטבך *Katabcha*, & vertit Symmach. *occursum*: alij plagam, seu pestem, vt videre est in Theodotione, & probat Cornelius suprà. Habes in vna voce occursum, & pestem, & incorruptionem aduersus mortem per sepulchri partum virgineum conformem partui Virginis incruento: vt mireris consonantiam, & didiceris quo iure celebrata est Hypapante aduersus plagam & pestem; festum *occursus*, aduersus mortalitatem; purificatio is festiuitas, pro puerperæ virginitate.

In celebritate purgationis Mariæ totum negotium Spiritus sanctus est: non purgauit à sorde; præpurgauit, ne sorderet.

Sectio III.

15. POST transactos legalis purgationis dies puerpera Virgo venit in templum, vt purificetur. Quid agit Spiritus sanctus? Cur sic inhonoræ suspicioni subiectam, expiationi traditam patitur Virginem suam? Cur paruipendet iniuriam, quam in Sponsæ dedecore sibi inurit cærimonia mundatrix? Certè in Spiritum vertitur probrum impudicæ opinionis, vtpotè ad cuius munus attinuit Virginem præpurgare à conceptionis exordio, animoque & corpore, non quidem reddere, sed edere mundam; vt quam nulla contagionis infecit calamitas, nulla præpostera mundities abstergeret. Quod Spiritus sancti munus fuerit præpurgauisse Mariam; admonet, nunquam opus habuisse purgatione, quæ sorduerat nunquam. Ea Mariæ prærogatiua est, quod non purgetur, sed præpurgetur. Præpurgare antecedentiam quandam significat. Annè ad maculam ipsam? Sanè si nihil aliud addideris, cuius respectu præuiam hanc munditiem intelligam, non ad aliud præcedentiam accipiam, quàm ad ipsam sordem, vt præpurgatio sit purgatio sordis nondum contractæ, sed contrahendæ. O mirus pro Virgine nostra stylus! Vel nunquam purgari habet, vel purgatio illi præpurgatio est: ideò distat à sorde vt etiam nondum contracta iam sibi expiata sit. Ideò ab originaria labe emicat immunis. Hæc sola macula in eius potuit audere candorem hoc insidiari contagium. Quare celeri conatu Spiritu sancto præpurgata est, vt quando purganda videretur à labe, absque labis attactu niteret præpurgata. Sic expedit explicare Nicetam
Nicet. in orat. 42. Nazianzen. num. 19. *Quæ quidem per Spiritus sancti superuentionem tam animo, quàm corpore præpurgata est. Per ipsum enim ab eo peccato expurgata est, quod ex natiuitate secum trahebat, nimirum à primo parente profluxum, atque ad vniuersum ipsius genus fusum, & propagatum.* Nisi accuratè Nicetæ solertiam exploies, forsan credes sub originaria labe sordidam sensisse Mariam, à qua tamen Spiritus sanctus purgauerit. Non hoc probrum in Nicetam patiar. Hæc mens est: A peccato, non quod contraxit Mariæ natiuitas, seu generatio; sed quod natiuitas trahebat iuxta profluxum à parente primo, Spiritus sanctus præpurgauit: non emaculauit sordidam; sed, ne sorde inficeretur, præuenit. Ergo trahebat quidem natura (si eius restim ab Adamo consideres) deditij generis seruitutem: cúmque ad lædendam Mariæ naturam per euolutæ successionis calliculos accedebat, nec accessit, nec læsit, sed præpurgauit Spiritus reddens immunem, ne purgaret supponens inquinatam.

Ergo ex carne Virginea, hominis vitiata per contagium repurgatur caro. Vide discrimen Virginis à cæteris naturæ humanæ contribulibus. Infectus homo per tabificum errati pristini venenum, nedum purgatus, reliquias deponit saporis: manent originarij peccati appendices, ramenta perdurant licèt per lustrale baptismi lauacrum mundus homo prodeat è fonte: ideò iugiter repurgari opus, ideò virginea caro Christi, quam assumpsit ex Maria, vtpote præpurgatâ ab initio, quam nullâ macula inuasit, carnem repurgat humanam. Adsit Gregorius Nazianzen. oration. 38. *Ille Patris terminus & Ratio ad imaginem suam se confert, & carnem ob carnem gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iungitur, vt simile per simile repurget. Atque humana omnia excepto peccato suscipit conceptus quidem ex Virgine, animo & corpore à Spiritu præpurgata.* En Virgineæ puritatis celsitudo. Cæteri postquàm purgati sunt, repurgantur: Maria non purgatur, quia sordida non fuit; sed præpurgatur, ne sit. Carnem ex Virgine Christus gerit, vt simile per simile repurget: id est virgineo puritatis nitore abstergat à sordibus, quas vetus piaculum reliquit. Mariæ puritas exemplar est, ad cuius conspectum mortalis natura repurgatur. Ideò datâ operâ à Spiritu sancto præpurgatam fuisse sociâ stabilitate contendunt Nazianzenus & Nicetas: ne vllus attingeret næuus, quam tota solaris lampadis erat inuasura maiestas. 16. Naziānz.

Ergo cur patitur Spiritus sanctus iniuriam legalis subire munditiæ, purgationisque expectare dies, sanguineisque sordibus censeri tinctam, quam ipse præpurgauerat, ne vnquam vlla fœditate turparetur? Imò vide sacram Spiritus sancti solertiam. Oportebat Matrem Domini, qui venerat legem adimplere, non soluere, circumcisionisque stigma subibat, inter mulieres legalibus subdi lauacris, vt interim Diuinitas prolis, Genitricis virginitas celaretur. Eadem causa fuit & Filij abscondere maiestatem, & Matris puritatem occludere. Mariæ mundities quasi pro Diuinitate est, eâdem existimatione tenetur: Deitatem retegeret, si per dierum lapsum mundari teneret. S. Ambrosius serm. de Purific. Mariæ: *Sed nec mirum si Mater obseruaret legem, quam eius Filius non venerat soluere, sed adimplere. Sciebat enim, quo ordine conceperat, quo vsu pepererat, quis esset, quem genuerat. Sed legem communem obseruans expectauit purgationis diem; celauit Filij maiestatem* Ergonè pari censu computatur Filij maiestas, & limpiditas Mariana. O quam proficua ipsi puritati purgatio, siquidem compar illi cum Deitate sors statuitur; dumque periclitari eius suspicionem timeres, eximior æstimatio præstatur: 17. Ambros.

quippe

quippe quasi dispuncta à numero mulierum, ab humanitatis humilis cognatione Maria censetur, cùm sorduisse putabatur, qui mundari videbant. Sic capio Bernardum serm.3. de Purific. *Verè, ô Beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam vna earum, nam & Filius tuus sic est in numero puerorum.* Obseruasti num illud: *Esto inter mulieres tanquam vna earum?* Quasi Maria ob eximium virginei decoris Sacramentum, non inter mulieres supputaretur, quæ Angelicis Spiritibus mundior est, affinisque superno candori. Vide, quantùm Mariæ purgatio, virginitatis eius inseruiat celebritati, quando inficere suspicaretur ignarus.

Bern.

18. Itaque hæc causa fuit, cur Virgo Mater Leuitici præceptum adimpleret, intraretque templum expianda. Verùm Spiritus sanctus non sustinuit latere, Virginem suam primis niuibus esse mûdiorem, primis nitidiorem Spiritibus; ad cuius partes attinuerat illam præpurgauisse, ne purgationis legi teneretur obnoxia. Ideò feruidus insistit, vt conducat, quidquid ad legalem cæremoniam spectat, & nihil audiatur in templo, quod vel vox, vel symbolum Spiritus sancti non sit; adest ipse, vt, dum à lege purgari videtur, à se præpurgatam ostendat, tantúmque eius præpurgationis inibi celebrari memoriam. Vix appulit ad templum Maria, cùm exultans Simeon egreditur omnisque intercepta videtur cæremonia, vel saltem illam in ipso fermè vestibulo Euangelista subticet. Nonne attendis? Nec narrat signatè; quid Maria obtulerit, imò nec scribit obtulisse: solùm ait venisse; vt offerret hostiam, vt puerum Domino sisteret. Maturè leges commemorat latas in puerperas & quasi de eo, quod parabat efficere Maria, loquens inquit: *Et vt darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum:* subitò intercipit oblationis seriem ad quid insolitum animos euocans: *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon.* Quid est, quòd calamum dimouit ad senem? Quid parturientium intermisit officium? Vtquid puerperæ interrupit historiam inopino discessu? Quia Spiritus sanctus totum opus assumpsit; & quasi obuiam exiens, munus solennitatis arripuit, & in Simeone personam egit, vt quæ purgari putabatur, à se præpurgata crederetur. Nonnè vides? Senex pro Spiritu sancto occurrit, in quo datâ operâ Spiritus sanctus erat, quem in hoc munus in templum impulerat, responsumque diutinum dederat. Audi: *Spiritus sanctus erat in eo, Et responsum acceperat ab Spiritu sancto. Et venit in Spiritu in templum.* Quantùm perstrepit Spiritus sancti vox! Tertio quoque verbo sonat. Spiritus sancti causa agebatur: Sponsæ puritas subibat periculum; ideò igneo conatu Sacerdotem inuadit, impellit, in eo acturus officium: ne ab altero mundata putaretur Virgo, quæ absque sordibus albida pepererat. Quare Chrysostomus orat. de occursu Dom. *Hic ergo eadem illâ horâ, qua parentes puerum Iesum deferebant per Spiritum venit in templum, Sapenumerò iam antè eò venerat sed propria voluntatis proposito; tunc autem quasi Spiritus sancti manu ductus opportunè venit.* Rem describit Timoth. Hierosol. orat. de Propheta Simeone: *Spiritus sanctus responsum exhibiturus statim prastò fuit. Simeonemque eiusmodi oratione excitauit: Surge senex: quid dormis? Tempus, quo oraculum expleri debet, iam adest, matura citò.* Quare Euangelista statim subdit: *Et venit in Spiritu in templum.* Quid est, *in Spiritu?* Num sine corpore? Num in excessu, à carneis sensibus dimotus? Certè in corpore venit. Demirare Euangelistæ constantiam. Vt totum negotium Spiritui sancto adscriberet; in eodem Spiritu; qui impulerat, aduenisse pronuntiat. Ericus in homil. de Purific. *Quod dicit: venit in templum in Spiritu, nequaquam sine corpore venisse putandus est; sed inspiratus à Spiritu sancto, à quo antè responsum acceperat aduenit in templum.* Sed qualis stylus hic: *Venit in spiritu,* qui raptum mentis communiore dictione præsignat? Nonne sic Ioannes Apoc.1. fuit *in Spiritu in Dominica die? Et audiui post me vocem magnam tanquam tuba dicentis,* &c. Mira solertia Lucæ calamum in Spiritu sancto saturauit; totam illi solennitatem dedicat; quasi Spiritus sanctus veniret, vt puerperam mundam vindicaret; senilis tarditatis, defessique corporis non memorat gressus, satius ducens sic ostendere Spiritus sancti iuge, & sedulum munus, quàm stylum à corporei motus enarratione tardare. Haymo in Luc. *Non putatur in ecstasi raptus venisse in templum; sicut Ioannes in Apocalypsi se in cœlo fuisse testatur: sed ab ipso Spiritu commonitus, à quo responsum acceperat, intelligens horam esse impletam, corporaliter venit in templum.*

Chrysost.

Timot. Hierosol.

Luc.2.

Ericus.

Apoc.1.

Haym.

Non sat ista. Mariæ oblatio symbolum Spiritus sancti fuit: vt in Hostia, & in Sacerdote alternis se præberet officiis, qui Virginem suam omni ex parte mundam adstrueret. Qualis oblatio? *Par turturum, aut duos pullos columbarum?* Cur sic Euangelista disiunxit; nec signatè memorat, quid obtulerit? Quia Virginem, & fœcundam, sub duplici alitum genere voluit ostendere. Turtur casta est, columba fœcunda vtrumque copulauit ad Sacramentum, qui ad narrationem legis disiunxit. Benè cogitauit. Ne vt puerperam sorduisse putaret, qui conspiceret more sordidæ puerperæ offerentem; in gemina aue ipsius oblationis, Spiritus sancti descripsit officium, qui & reddidit fœcundam & virginem custodiuit. Euthymius: *Par turturum propter pueri temperantiam: est enim turtur animal castissimum: aut duos pullos columbarum propter eius fœcunditatem: columba namque fœcundissima est.* Quid est: *Propter pueri temperantiam?* Quidquid sibi velit Euthymius, ego signatè de virginitate in partu accipio, dum transfero ad Mariam: in quo dixerim pueri temperantiam sub virginitate emicuisse, siquidem eius fuit materni pudoris non rupisse signacula. Vtramque autem ad præsignatam castam fœcunditatem aduocat Theophylactus. Hæc ita circa Euangelistæ seriem. Nobilis opinio est, Virginem duos pullos columbarum obtulisse. Si roges, cur teneros pullos, & non iam ætate adultâ columbas? Consuluit lex huius singularis puerperæ pudori: in ea ætate decreuit columbas offerri, qua libidinem ignorarent. Sapienter Bernardus serm. 59. in Cant. *Et licèt aliàs quidem per columbam Spiritus sanctus soleat designari; tamen quia libidinosa auis est, non decuit offerri eam in sacrificium Domini, nisi eà sanè ætate, qua nesciret libidinem. At turturis non designatur ætas quoniam agnoscitur castitas.* Quare vtramque autem oblatam fuisse à Virgine sentire videtur Bernardus, qui præmiserat: *Huius denique* (agit de

19.

Euthym.

Theoph.

Bernard.

de turture) *merito digna fuit dari hostia pro virgineo partu. Sic quippe habet: Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Quidquid virgineum est, quidquid Spiritui sancto amicum, integræ puerperæ famulatur obsequiis; quæ, dum lustrari venerat, in ipsomet purgationis probro illustriùs de puritate à Spiritus sancti alitibus commendatur.

20. Parum hæc. Quid Spiritu sancto purius, qui limpida aquarum fluenta amauit ab exordio: qui nec gignit: qui vel in voce & carnis odit blandimenta, quia Spiritus est; & impuritatis nescit contagium, quia sanctus est. Ergo quia oblatio, quæ à puerpera fiebat, & hostia, quæ dabatur, pro mulieris dabatur purgatione, & pro ipsa fœmina substituebatur: vt quæ Sacerdotis vsibus mancipari nequibat, pro se, quod in eius vsus
Leu. 12. verteretur, offerret, vt apparet ex Leuit. lege c. 12. Ergo substituitur pro Maria columba & turtur, in quibus Spiritus sanctus adumbrabatur, cuius est species columba: vt oblatio, quæ purgandæ Mariæ personam agebat quasi Spiritus sanctus esset; & in eadem purgatione ostenderetur, nihil esse Maria immaculatius, cuius ipse Spiritus sanctus agebat vices. Ideò Origenis animum demulsit, quòd dixerit non fuisse veras columbas, aut turtures, quas obtulit Virgo, sed specie tenùs diuinitus apparentes, vt satiùs Spiritus sanctus repræsentaretur. Si Origenes id iuxta rigorem sentit, eliminandus omninò est, & ab eius opinione cauendum. Si solùm propter exaggerationem Virgineæ celsitudinis dixit, mirandum est, quot officia Spiritus sanctus peregerit pro sua Vir-
Origen. gine vindicanda. Verba Origenis hæc sunt, homil. 14. in Luc. in fine: *Nouum quid forsitan videar inferre, sed pro maiestate rei parum dignum. Sicut noua fuit generatio Saluatoris non ex viro & muliere, sed ex sola tantùm Virgine: sic & par turturum, & duo pulli columbarum non fuerunt tales, quales oculis carnis aspicimus, sed qualis Spiritus sanctus est, qui in specie columbæ descendit, & venit super Saluatorem, quando in Iordane baptizatus est. Talis fuit, & par turturum: non erant illæ volucres vt istæ, quæ per aërem volitant; sed diuinum quiddam, & humanâ contemplatione augustius, sub specie columbæ, & turturis apparebat.* Perpende illa: *Sed qualis Spiritus sanctus est, qui specie columbæ descendit, & venit super Saluatorem.* Quæ verba indicare videntur Spiritum sanctum hypostaticè vnitum fuisse columbæ illi quæ super verticem Domini subsedit: eidemque subiacere censuræ, cui Tertullianica lib.
Tertul. de carne Christi cap. 3. *Qui Spiritus; cùm hoc esset tam verè erat & columba, quàm & Spiritus.* Quare obseruo Origenem sociandum esse Tertulliano, & abiurandum vtrumque: nisi præfata verba sic molliantur, quòd non Spiritus sancti hypostaticum nexum, sed columbini corporis veritatem probare velint. Verùm Origenes potiùs veritati auis, quæ apparuit super Christo, reluctatur: siquidem cum oblationis columbis componit, quas diuinum quiddam vult, & humana contemplatione augustius. In quo, etsi in re ipsa à veritatis tramite aberret, multum defert excellentiæ Mariæ, pro qua Spiritum sanctum in specie columbæ fuisse perhibet oblatum qualiter su-
Matth. 3. per Dominico capite incubuit. Vtrobique sordidæ suspicionis agebatur repulsa. Iordanicis vndis sanctum corpus dabat Dominus abluendum, quasi lustralibus indigeret aquis, qui venerat peccata diluere. Originariæ noxæ non senserat sordem, qui è Virgine Matre conceptus erat, & natus: & tamen lauacrum subire delegit, lymphisque mundatricibus tingi. Ideò stat Spiritus sanctus in simplicitate columbæ; vt eum sanctum Ibi. 16.
esse præconetur, eâ charismatum affluentiâ, quæ super caput redundet, & à capite descendat ad membra.

Eadem causa in Matris purificatione agebatur. 21.
Sanguineos non patitur excursus in puerperio, nisi quæ ex libidine concipiens originis piaculum traducit in fœtum. Adest igitur Spiritus sancti auis columba, & innocuam, limpidam, absque viro grauidam, absque ægritudine puerperam; Virginem esse pronunciet. En vtrobique consonantia columbæ. Vtrumque mysterium mirè connectitur. A purificatione Matris ad Filij lauacrum volat columba, nitidam Matris & Filij puritatem enuntians; proclinis inter vtrumque deductio est. Non eget vndis Filius, cuius Mater purgatione non eguit: Spiritus in vtroque vindex est. Subseruiat ita Origenis ingenium: omnino tamen æqualitas, quam ille innuit, fugiatur, certumque sit pullos columbarum, quos obtulit Virgo, veros fuisse, & legales, nec signatè à Spiritu sancto nouiter efformatos; sed vsu communi naturæ editos: columbam autem, quæ in Christi vertice sedit, singulariter ope Spiritus sancti apparuisse, vt ipse sub illa specie aliquale sui specimen præberet obtutibus. Discutitur, an verum corpus habuerit? Plurium opinio est non habuisse: id videre est apud Suarium 2. tom. in 3. disp. 17. sect. 2. Habuisse tamen magis arridet. An ministerio generationis? Minimè. Opus Spiritus sancti fuit: ne libido maculasset auem, quam Spiritus delegit, vt absque libidine conceptum ex Maria Virgine, corpus ostenderet, quod lauabatur in vndis, è quibus madere non eget, nisi qui ex libidine conceptus est. Sic capio Augustinum in lib. de agone Christiano cap. 22. *Neque* August.
hoc ita dicimus vt Dominum Iesum Christum dicamus solùm verum corpus habuisse; Spiritum autem sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora vera esse credimus. Sicut non oportebat, vt homines falleret Filius Dei; sic etiam non oportebat, vt falleret Spiritus sanctus. Sed omnipotenti Deo, qui vniuersam creaturam ex nihilo fabricauit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in vtero Mariæ sine virili semine fabricare. Augustino inhærens S. Thom. 3. p. q. 39. art. 7. veram columbam fuisse docet. Ego quidem venustum subodoror S.Thom.
mysterium in illis verbis. *Verum corpus columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut, &c.* Quasi eò rendisset Spiritus sancti consilium, qui columbam absque opere masculi productam delegit, quòd exprimeret corpus Dominicum non per lustrales vndas peccati inquinamenta deposuisse; vtpote quod insons, & candidum sine opere virili in vtero virgineo Matris fuerat conceptum, quæ, dum se puerperam purificauit, nunquam immunda, vt legi pareret, non adstricta legi; Filium subiecit aquarum lustrationi, vt innocens peccatoris exhiberet effigiem, humilitatis documenta præstaret.

Ergo in purgationis Mariæ solemnitate totum 22.
negotium Spiritus sanctus est; in Sacerdote, & in oblatione se exhibet. Quid causæ? Vt detur intelligi hanc purgationem solùm esse specie tenùs, repræ

repræsentateque, quam Spiritus sanctus fecit io Virgine, cùm concepit, & peperit. Subtilis virginitatis ats! Solebat muliet fæces puerperij hac sanctâ cæremoniâ potgare: qoæ expiari veoiebat, se immundam fatebatur. Veniat Vitgo, quæ in ipso puetpetio se putgatam enuntiat: eui nixus dealbatio fuit; incruentáque maiestatis putpora non sanguine satura, sed lumioe. Noo potest altiùs crescere putitas quàm qoæ à limpiditatis hostibus vegetiot euadit, & à pudotis aduersariis suffragium accipit nitoris. Quam ipsum puetpetium purgat, in saoctitatis, & poritatis diuinæ prouehe vicinium, quam ipsa creatutarum eootagia illibaram esse profitentut. Si aliquo Maria putgata est, ipso puerpetio est: eo eam Spiritus sanctus purgauit, ne vnquam sordida putetut: cùm oulla possit ab infidis illi nota, næuosvè appingi nisi tractus à communis genituræ, partusve sorde. Dixerat Angelus: *Ecce concipies, & paries.* Quia in vtroque periclitatur podor, eum obiecit Virgo pudica. Inclamat ille: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrubit tibi: ideóque & quod nascetur ex te sanctum.* Quid est, quod de natiuitate solùm tractet Angelus, cùm tamen sedulâ distinctione ptæmiserat: *Ecce concipies, & paries?* Annè solùm puerperio obumbrantem virturem Altissimi, Spiritumque sanctum spondet? O puerpetæ incomparabilis prærogatiua putitatis! Quià puerpera solùm contractas ex partu sordes luebat, quibus conspureata inhonotis pungebatut conuiriis, & Maria putgationis legem erat subirura; subtilis præcauet Gabriel, vt agat de partu, natiuitatemque Filij ex superueniente Spiritus sancti virtute saoctam demonstret, eo ingenio, quòd simul vttumque, & conceptum, & pattum, è Diuinitatis atcanis fote prænuotiet. Si enim solùm dicetet: Ideóque & qood concipietur ex te sanctum; non diuina munditie persosom panderet poetpetiom: sed qui hoc sanctitatis luee micatutum præmisit ex Spiritu sancto, apptimè de Spiritu sancto conceptum supposuit. Ergò oune putgatut à suspicione saoguineæ puetperæ Virgo Mater per Spiritus sancti & promissum, & illapsum: cùm vetò posteà venit in templum, solùm mystica prioris exhibitio purgatio est. Bellè Guerticus serm. 4. de Purificat. *Sed longè clementiùs, & mitiùs purificata est illa, quam prædicant Beatam filiæ Sion, cui scilicet dictum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrubit tibi. Hæc nempe superna virtutis obumbratio, vera fuit Purificatio Mariæ; non ista, quæ quadam mysticu dispensatione tantùm specie tenus hodie celebratu est. Hæc planè fuit tota, ac vera sanctificatio Matris, & Filij, sicut & Angelus exposuit ei. Ideò, inquit, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Concepit, & pepetit muoda, quam genitricem, & puerpetam Spiritus sanctus obtexit.

Luc. 1.

Guerr.

23. Quid quòd præputget à suspicione sotdium Angelus Virginem, quando illi Spiritum saoctum spondet, & vtrumqoe seriùs ptæmooet: *Ecce concipies, & paries;* si, vt similia verba proferret Isaias, opus fuit, quòd vnus de Seraphim ignito carbooe labia mundatet. Isai. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quam forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Cur sic candescens carbo labia Prophetę comburit, & expurgat; nec sat fuit vnos de Seraphim, qui inter Angelicos Spititus ignei suot, flammeoque flagrant amote, sed vt cremaret acriùs, ignis igoi additus est, igneo Seraph igoitus calculus! Certè Isaias erat, qoi vaticiniom prolatutos erat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Ideò congestus ignis, Setaphicaque solertia emōdat labia, è quibus Mariæ puritas in conceptu & partu erat præeonanda. Quàm diligens Spiritus sancti obsetuatio? Setaphim in hoc munus decernit, quia Spiritus amotis sunt, ille qui primus Spiritus amoris est, qui omnem lapidem mouit vsque ad minutom calculum altaris; vt quidquid pertineat ad Virginem, mundum fiat. Præelatè Chrysologus serm. 57. *Isaias post emundationem labiorum ineffabilem partum Virginis est loquutus dicens: Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filiū.* Si labia Prophetæ ignis sacer putgat, ne defæcata vox, Virgioeumque auspicium Mariæ Genitricis, & poerperæ per ostia exitet virulenta; quomodò non putgata Matet ipsa, quæ ineffabili muoda puerpetio vaticioium illud impleuit?

Isai. 6.

Isai 7.14.

Chrysolog.

Spiritus sanctus obumbrauit Virginem, vt purificatio fuisset puerperium.

Sectio IV.

24. EX quibus meditati fas sit, Spiritum saoctum non solùm superuenisse io Virginem, vt conciperet iouiolata, sed vt pareret integra. Et quidem vttumque pollicitus est Angelus: &, vt adnotabamus, potiùs puerperiom explicuit postquam Spiritum saoctum superueoientem, & virtutem Altissimi protulit obūbrantem. Non passus est Spitirus sanctus alteri totius officij permittere portionem: vttomqoe sibi præripuit extremum, vt eiusdem esset pudotis concipete, & patete: siquidem eiusdem virginei Spiritus opitulatione ftuebatur. Integra eius est, quæ & coocipiens, & pariens integra est. Ildeph. lib. cootra eos, qui disputant de perpet. virg. *Qui est, quòd legem naturæ requirunt in Maria vbi totum, quidquid in ea fuit, possedit Spiritus sanctus; quoniam virtus Altissimi obumbrabit? Quòd si virtus Altissimi ab omni æstu peccati eum obumbrauit in conceptu & in partu: sicut ab omni æstu libidinis liberu fuit, ita & ab omni pressuru maledictionis, non ex se sed ex virtute Altissimi immunis, & aliena fuit.* Sub virtote Altissimi obumbrante Spiritom sanctum intelligit Ildephonsus, sicut & ex nobilibus Patribus plutes. Quid est obumbrauisse Mariam, dū pareret? Sub nube eouceptat Virgo, ab altoque perpluta cœlestem rotem hausit io vtero, sed in pluuia ipsam traxit nubē, sub qua madebat intus peoitus penetrata. Nubes hæc in partu, repēte impulsu laxata est, & soluta; vt imbet aureus ab vtero decideret io terra. Quare eadē nubes obumbrauit in partu, quæ io conceptu, vt vtrobiq; virginea fœcunditas copiosa se exhiberet exptimentis. Legimus: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Intelligit Genebrardus descendere in vellus, id est, in detōsa prata, & excisum germen; & sicut ros sitientem terram conspetgens, vt succrescat, & germinet. Ego tamen ooo voum taotùm sub pluoię & roris symbolo intelligo descensum, sed quasi geminum: altetom è cœlis io vterum Virgineum, altetum ex vtero Vitgineo in terram per partum. Vtrumqoe vaticinatut putum fore, & illibatum vnâ tantum

Ildeph.

Psal. 71.

Geneb.

Simi

similitudine velleris partitè explicata. Vellus bibulum ex roscidæ pluuiæ, crispantibusque pilis placidum imbrem epotat: nec labia mouet, nec pulsu dehiscit; sic totem concipit, teuetum qui non commouet pilum. Vide si eâdem integritate patiat: moueat se ouis, stillæ totis decidunt in terram: è roscida pelle imber refunditur; desilit pluuia, quam conceperat; & vellus integrum manet. Vtrumque mirâ breuitate explicuit Vates: quare velleri pluuiam dat, terræ stillas, vtpote quæ è pluuia concepta in vellere sensim excutiuntur, & desiliunt: non enim stillicidia propriè de cœlo, sed de priùs aliquo pluuiæ conceptaculo decidere dixeris.
Ildeph. Adsit Ildephonsus serm. 1. de partur. Virginis. *Non pluuia sereno tempore, quando perfundit vellus, aquè ad ingressum seruat integritatem eius, aquè ad egressum, quando refunditur: quia in nullo à pluuia velleris integritas violatur.* En qualiter Spiritus sanctus obumbrat genitricem, & puerperam, qui perpluit, vt conciperet; perplutam liquefecit, vt pareret. Vbi sordes in vellere contractæ ex rore, quod rore dealbatur? Quem concipere, quem effundere munditiés est; lauat ingressus, lauat & egrediens. Huc forsan respexere, qui magis deuotâ, quam firmâ nouitate meditantur, parientem Virginem vndequaque a nube circumtectam fuisse.
Sim. de Cas. Sic Simon de Cassia de Verb. incarn. lib. 1. cap. 4. *In cuius natiuitatis hora digna fari apparuerunt, vt pariens obtegeretur à nube: nec vlli cognita, nec visa, dum pareret nullo prægrauata dolore.* Nubem hanc non corpoream, sed spiritalem intelligerem, nempe Spiritum sanctum obumbrantem, vt è nube virginea maturus ille decideret imber, placidoque lapsu potiùs mundaret Virginem, quàm frangeret. Id cecinit suauiter
Anon. Anonymus quidam, quem alibi dedimus, in Rythmo de laudib. virginit.

Quando Matrem subintrauit,
Nec in partu violauit.
Virginis signaculum.
Vmbra sancti Spiritus
Dedit ei cælitus
Spiritale pallium.
Vt non lædat Virginem,
Nec pudoris cardinem
Pariendi vitium.

Spiritale pallium cœlestis vmbræ nubes est, quæ perpluit iustum in Virginis vterum; nec destitit, quousque in terram effunderet per partum. Ideò ad vtrumque spiritale pallium dedisse dicitur Spiritus sanctus; quia pallij extensio signum est mariti. Nec solùm se exhibuit coniugem Spiritus sanctus, dum Virgo concepit, sed & dum peperit: quod huic Sponso singulare fuit; cùm carneus maritus non maritum agat in puerperio: solius vxoris officium est. Quid causæ? Quia prima mulier, quæ pellexit ad scelus virum, & absque viro cum serpente loquuta est, doloribus partus non viro communibus plecti debuit. Maria, quæ virum non nouit; cui Spiritus vir est, à quo nunquam discessit, parere in lætitia debebat à suomet non dissociatâ Sponso: vt gaudiorum impetum, alacritatis molem, diuinamque suauitatis dulcedinem sustinere valeret in puerperio; nec fœminea cero opprimeretur à gloria.
Amad. S. Amadeus homil. 4. de laudib. Virgin. *Euæ parturienti Draco insidiatur; parenti Mariæ ab Angelis ministratur. Euam parturientem tremor cordis occupat; parientem Mariam virtus diuina lætificat.* Et paucis interiectis: *Quomodo enim vas adhuc fragile, adhuc luteum*

Zelda, Maria effigies.

& mortale ad tantam vim gaudiorum poterat durare? Quia ille obumbrabat ei in ortu Christi, qui in conceptu obumbrauerat. Obumbrat in partu, vt torrentem sistat voluptatis, propageique sinus inuiolatæ puerperæ, quæ mundi effundens lætitiam à suauitatis pelago tenebatur. Vt autem noueris Spiritum sanctum idem egisse munus in conceptu, stat Hugo Victorin. in explanat. in Cantic. Hugo Vict.
Audacter pronuntio: quod nec ipsa plenè explicare potuit, quod capere potuit. In tantis ergo mirabilibus, quomodo lingua humana tacere potuisset, nisi idem ipse Spiritus, qui Virginem repleuerat, torrentem suæ affluentiæ impetum suauissimo moderaretur amplexu?

En igitur quomodò in puerperio ipso, & non 25.
ex puerperio purgata fuerit Virgo Mater, cui gaudiorum profluuium, non sanguinis fluenta, Spiritus sanctus compescuit eique totus pro purgatione fuit, vt quæ sanctum pariebat, pura probaretur à sancto. Pudeat Origenem aliam purgationem Origen.
non horruisse in Mariâ, quam audacter (vox ipsius est) purgatione indiguisse pronuntiat homil. 14. in Luc. *Quia nemo, inquit, mundus à sorde, qua purgationem exoptat.* Id probare nititur ex Isai. Isai. 4. vt ipse legit: *Lauabit Dominus sordem filiorum & filiarum Sion, & sanguinem mundabit de medio eorum. Spiritu iudicij sordem, & spiritu combustionis sanguinem.* O intorti ingenij deductio! Imò ipsamet Isaiæ verba virgineam puerperæ nostræ venustatem exprimunt. Vides, si attendas quo spiritu filiæ Sion purgentur, qua lustrentur expiatione: *spiritu iudicij, spiritu ardoris.* His incendiis liquantur, & excoquuntur sordes: nec solùm eluuntur maculæ, sed plectuntur immundæ. Nonnè illic de Spiritu sancto agit Isaias? Profectò agit. Id disserit Chrysostomus hom. de Spiritu Chrysost.
sancto, prophetamque de Spiritus sancti donis commentatur: *In spiritu, inquit, iudicij, id est, dans gratiam iudicij, vel donum iudicij Spiritus sancti. Et in spiritu adustionis, id est, punitionis & purgationis, per vim punitricem Spiritus sancti.* De quo & Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 25. August.
Cur igitur non sanctitatis proprium attributum, & nominis insigne apposuit Isaias, sed *Spiritu ardoris, spiritu iudicij?* Mysticè & profundè. Quia Spiritus sanctus, vt sanctos, non filiarum Sion, sed Mariæ purgatio est: non Mariam purgat à sorde contracta; non igne cremat; non plectit iudicio: illi Spiritus sanctus est, sanctitatemque præfigit, quæ nunquam maculam vllam sustinuit; Sionis pollutis filiabus spiritus iudicij, & spiritus ardoris est. Guerricus serm. 4. de Purificat. *Hic refrigerium, ibi spiritus iudicij & spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius. Longè clementius & mitiùs purificata est illa, quam prædicant beatam filiæ Sion, cui scilicet dictum est: Spiritus sanctus superueniet in te. Hæc nempe superna Virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ.* Guerr.
Incomparabilis puritatis maiestas hæc est. Ipsa Spiritus sancti sanctitas pro purgatione Virginis est, suamque illi communicat sanctitatem, quæ ab omni materiæ concretione immunis, ab omni intemerata contagio nullam supponit maculam, quam abstergat. Quare Maria experimento didicit, quod, qui apud filias Sion spiritus iudicij, & spiritus ardoris vocabatur, *sanctum sit nomẽ eius. Quia fecit mihi magna, qui potẽs est. Et sanctum nomen eius.* Luc. 1.
Quid ais ô sancta? Num ignaris nomen Dei aperis, instruis de vocabulo? Nondum

cognitus erat Spiritus ſanctus, vt ſanctus, vſque ad Virginem; quod ſuprà illuſtrauimus Acad. 1. ſect.2. ex Ambroſio & Rupert. In Maria ſe ſanctum exhibuit, quia non purgat ardore, non probat igne, non decoquit iudicio: ſed omni inquinamento altiorem præſtitit ſanctitatem. Eximiè Gerſon. Gerſon tract.5. ſuper Magnificat. *Superuenit Spiritus ſanctus in te fœcundans, nedum in mente, ſed in corpore: vt experiment aliter agnoſceres ô Sancta Sanctorum, quia Sanctum nomen eius, ſanctum nomen impollutum, incontaminatum, conſecratum, confirmatum, ſine terra, ſine concretione materiæ, & ab omni prorſus impuritate liberum & alienum.* Quid eacultius? Quid eſt experimento didiciſſe, quod ſanctum nomen eius eſt, niſi quod eius hauſerit ſanctitatem, quæ ſingulariter in Maria non leuem maculam ſuffert; ſed prorſus delibatio diuinæ ſanctitatis Alb. Magn. eſt, quæ incontaminata, & ab omni impuritate libera & aliena. Inde deduxit Albertus Mag. in Marial. cap.177. *Beata Virgo ſuper omnem creaturam habuit Spiritum ſanctum iuxta illud Luc. 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: ergo in ſummo fuit purificata: ergo in ſummo pura.*

26. Maneat ergo legalem purgationem ſubiſſe Mariam, vt totam Spiritus ſancti exprimeret abundantiam, quam genitrix accepit & puerpera: & ſpiritu ardoris, igniſque ſeueritate purgabantur, iam ſanctitatis fonte purgentur. Ignem Diuinitatis portat in vlnis; iam non ignem vrentem, ſed fontem abluentem: vt oſtendat, non opus illi eſſe purgationem, quæ fontem pepererat, vt ignem in aliis puerperiis temperaret iudicij; ſiquidem fons ille purgationem venerat facere delictorum. Benè Guerr. Guerricus ſuprà, *O filij hominum, tempus purgationis aduenit, quando Mater ſummæ puritatis, de cuius purgatione dies feſtus eſt nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis, quo debeamus purgari.* Bonauent. *Satius eſt & ſuauius fonte purgari, quàm igne.* Accinit Bernard. ſuprà ſerm.3. de Purificat. *Cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum.* Quare quoniam qui naſcebatur, fons erat, ſemitam non aperuit, rimam non egit; vtpote quia egiſſe, inquinauiſſe fuiſſet. Canit Ennodius lib.1. carm. hymn.10.

Fons dicta clauſus accipit:
Fons membra clauſus egerit:
Nec rima ceſſit arctior.

Si fons naſcitur, vbi ſordes? Si fôs parit, vbi ſpurcitiæ? Ideo fons clauſus egeſſiſſe membra perhibetur, quoniam in puerpera, frangi, pollui eſt.

ACADEMIA XXIV.

Matrimonij rati inter Mariam & Ioſeph veritas, & virginitas.

Sedulo diſcutitur, quid ſenſerint Patres erga veritatem coniugij inter Mariam & Joſeph? Ea induſtria vt nuptias *innuant, thalamum abnuant.*

Sectio I.

1. MAriana puritatis ſplendor obductam rubiginem ingenio detergit, quò magis impetitur à luce, eò auidiùs in lucem ipſam ſe immittere prætentat. Diximus in præcedentibus plùs viruiſſe à viro Mariam, quam æſtus maritalis non coxit; ſed ſub vmbra nuptiali ſupernam ſecurius excepit pluuiam, qua flores, fructus, & honeſtatis pignora immortalitatis decore eruperunt. Pronum eſt, expendamus nunc, quale contubernium inter Virginem, & Ioſeph interceſſerit; vt ſub hac vmbra & ſoporem, & ſaporem carpamus. Et quidem Virtus Altiſſimi obumbrauit Mariam. Dixerim, quod vmbram ſui humanum ſponſum Deus Pater effecit, vt perſonam Dei Patris gereret; nec thalamo fungeretur, ſed nomine. Diuiſit officium: nomenclaturam Patris erga Vnigenitum permiſit; Virginis vterum non conceſſit, nec prolis genituram. Adeſt Iſidorus Iſolanus 1. par. Iſid. Iſolan. cap.16. *Fuit pia, & religioſa Ioſephi conuerſatio, qui Chriſto Deo vero dies, & noctes ſeruiebat: fuit denique diuina officio, habitatione, atque coniugio: geſſit enim perſonam Dei Patris, omnium conditoris per Verbum dum eiuſdem Verbi incarnati putabatur eſſe pater.* Qualis ſtudioſitas Dei Patris erga Virginem! Intus grauidat, pluuioque illapſu ſacra viſcera rigat; nec ſibi ſatis putat, ſic intra ſecretum humanis obturibus cubile peragere; corporeis decernit ſe exprimere lineis, & virilibus vmbris depingere: Ideò Ioſeph in ſponſum aduocat, qui vices gerat, quà ſui virgineas. Quare, dum Dei Patris perſonam, notionemque ſcrutamur, meritò plecteremur, niſi & vmbram hanc, licèt vmbratili calamo, pingeremus.

Quoniam nobiles ea Patribus quædam nobis loca reliquerunt, queis niſi animum, oleumque deuoueas elucubratione non modica, ægrè capies, quid de matrimonio Virginis, & Ioſeph protulerint; nobis verſanda ſunt, vt inde abſque ſalebris procedamus. Verum matrimonium extitiſſe, concors Theologorum ſententia eſt: cui detraheret pagina, ſi patronos congereret: agitur in 4. diſt. 29. & 30. & apud S. Thom. 3. p. q. 19. art. 1. & 2. fidei communiter hæc veritas appingitur; reluctantes mitior P. Vaſquez nota temeritatis percutit: tractat pluribus tom. 2. in 3. p. tota diſp. 125. Soarius inibi diſp. 7. ſect. 1. Nos Patres cupimus vindicatos, quos nondum plena enodatione frui ſentimus, licèt præcedentes conentur auctores: qui fermè vno medicamento omnium loca perfundunt, magis ſalubriter, quàm appoſitè: quotquot enim aliquantiſper à nuptiarum ſententiâ deflectere putant, ſtatim de thalamo exponunt, vltimâque maritalia officia ſolum denegari contendunt. Velim non ſic vniuerſim hac omnes aſpergine perfundi: ſtat cuique ſua ingenij indoles; non vnius labri eſt: amat ſingulari auriculâ capi. 2.
Magiſt. ſent. S. Thom. P. Vaſq. P. Suar.

Et quidem nubendi, nuptiarumq; vocabulum è velatæ coniugis capite ad torum detrudunt periti Neoterici, hac notione vtcumq; côiugum côgreſſum explicari geſtientes; tum ex exoticis, tum ex propriis auctoribus. Nô reluctor, pudici ſtyli cauſa, hac vocabuli *nubendi* nube exercitiû tori amiciri: verùm cenſeo nec in prophanis abſque ſignatiſſimo delectu, cauſâque quæ ab ipſis innuitur, nubêdi verbum congreſſum hunc ſignificare; & apud Sacros, qui ea vſu, non abutentes, ſyncerum amant ſtylum, nô ſic tumultuariè accipiendû: ipſi ſe promût, cùm hæc illis notio, & ſignificatio ſubeſt. Huius te monitum, quæ ſubdimus facient. Extera literatura ſubſeruiat, Solet adduci illud Plauti in Ciſtellaria actu 1. ſcen. 1. *Hæc quidem, Ecaſtor, quotidie viro nubit, nupſitque hodie, nubet mox.* 3.
Plaut.

mox. Non adducor hoc loco tentos, vt putem cōgressum mariti, nubendi vocabulo apud Plautum, Agit de scorto, iocusque illi est. Dixerat Silenium: *At satius fuerat eam viro dare nuptam potius*; cui præfixa verba respondent. *Hac quidem. Æcaster*, &c. quibus lepide meretriciæ insimular impudentiæ; tot viros quotidie habet, quot lenones; parum illi vnus maritus; nubit quotidie; mutatque maritos placuit id P. Victorio lib. 21. cap. 3. Sanè nuptiarum vocem ad libidines translatam vidit Muretus ad Catullum, & Fridericus Thaubmanus ad Plaut. inibi: & de impudico Martialis: *Noli o fronti credere; nupsit heri* Iustin. lib. 31. de Antiocho: *Rex ipse per hyemem in luxuriam lapsus, nouis quotidie nuptijs deditus erat*. Petronius: *Iacuerant ergo vna non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt; sed postero etiam, ac tertio die.* Ex quo apud Festum *nuptu verba*, obscœna sunt. Et Lipsius ad illud Plauti in Pseudolo: *Nanquid tu huius nupsisti patri?* inquit: *Argute, sed licenti sanè ioco, qui in verbo nubendi consistit: quod verbum antiquitus inter ea fuit quæ custos ille hortorum libentiùs, quam virgines Vestæ vsurparent.* Apud Petronium quidem nuptias facere, congredi est: vt liquet in Satyrico: *Producta est puella: plaudentibus ergo vniuersis; & postulantibus, nuptias fecerant.*

4. Quòd inter coniuges stabilito iam matrimonio nubere concumbere significet, ratum inuenies patronum ex prophanis. Lego pro vxoris concubitu dotem accipi apud Apuleium 2. apol. *Præter quod ei vxor sua quotidianis dotibus quæsiuit*. Solent nonnullæ Græcorum referri sententiæ: apud quos ferunt, quòd γαμεῖ rem maritalem significare solet, & γαμεῖν concumbere, ego verò fixos inuenio auctores in significatu communi ducendi vxorem: quin γαμεῖν γυναῖκα, pro γαμεῖν simpliciter, in vsu esse, constat ex Eubulo comico apud Athenæum lib. 13. & γαμέτις dicitur, quæ nubit apud Plutarchum de Herod. & γαμήλιον λέχος nuptialis lectus. Certè γάμων κοινωνεῖν apud Platonem de legibus, non solùm nuptias celebrare significat, sed & consuescere cum vxore.

5. Ex quo dignosces, quòd non obuia sit hæc singularis nuptiarum notio: in qua nostri communiter accipiunt Patres, quoties nuptias denegant inter Mariam, & Ioseph. Iudico solùm iure hunc illis aptari significatum, quando ex ipso tum contextu se lubens dat: ne, si passim, & absque delectu nuptias pro concubito accipiamus, absque toro nuptias consistere non valere, perperam innuamus. Do pulchrum Damiani locum opusc. 41. à c. 2. *Cum ergo luce clarius constet, quia Beata Deigenitrix Virgo non nupsit, & tamen iuxta Scripturæ sententiam absque dubio nuptias celebrauit; quomodò dicitur, vbi concubitus defuit, nuptias dici non posse; Nos autem è diuerso liberè profitemur, & concubitum posse sine nuptijs fieri, & sine concubitu rectè nuptias appellari.* Perbellè vtrumque: nō nupsit, & tamē nuptias celebrauit: in primo conternit thalamū; stabile coniugiū in secundo. Nuptias absq; concubitu fideliter noscit aduersùs Iulianum, & Pelagianum, qui (vt est apud August. lib. 5. contra ipsum cap. 9.) connubiū thalamo cōpleri contendebat: cui adstipulatur Vuicleffus in traialogo c. 2. Ergo temperatè progredi est opus, nec tomultuariò de congressu accipiendi Patres, quotquot nuptias in Virgine inficiantur: ne hoc subsidium aliquantulo calamo errori præfato permittamus. subiicio, quos significatio concubitus luculenter exoptat, quorum floridum habeo cumulum.

Zerda, Maria effigiet.

6. Anselmus in hymnis de B. Maria in conclos. Salut.

Aue sola virginitas,
Cuius Deus fœcunditas;
Nostram superhumerale
Diuinu sit ex virtute
Tu sola mater innupta.

Ipse se prodit absque neruo: innuptam vocat, id est, illibatam, & incorruptam. Liquet. Aliàs, non sola mater innupta: cùm plures matres fiant, quin nuptias contrahant? & tamen non absque luxus vago thalamo. Adsit August. to. 10. ser. 22. in natal. Dom. *Stat Maria, & matrem se læta miratur, & de Spiritu sancto protulisse se gaudet: nec quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cum exultatione miratur.* Quam furtiua illecebra grauidauit, non habet cur terreatur, se puerperam, & absque coniugio conspicere: si concubitus absque nuptiis fuit, quidni partus? Ergo apud Augustinū, qui constans assertor est matrimonij inter Mariā, & Ioseph, perspicuè *innupta* significat absque nuptiali passione puerperam: vt obstupescere posset in partu, quæ in illibato obstupuit conceptu. Clariùs Ildeph serm. 2. de natiuit. Virg. *Vuluam* nuncupauit. *innuptam*: inquit: *Viscera puellæ aulam sancti Spiritus replebunt: innuptâ Virginis vuluâ Verbi semine crescente rigebant; replebantur, inquam arcana viscerum sacro Spiritus fœcunditate repleta; & erat spes in partu, quia non erat voluptas in coitu. Stupebat speciosissima Genitrix, & apud se tacita rerum nouitate obstupescebat mirabiliter* Quod Ildephonsus *innuptam vuluam* dixit, Iustinus *absque nuptiali coniunctione*, In explicat. quæst. q. 66. *Quod à muliere Ioseph generatur diuina voluntate; Ioseph est filius absque nuptiali coniunctione.* Pari claritate nuptias pro corruptione virginitatis accipit Hesychius de laud. Virg. serm 2. *Numquid ergo Deus ex nuptijs, & corruptione concipitur, & ex viro, atque concubitu editus, aut incarnatus esse potest? Nequaquam, sed operatione diuina, seminatione superna, & aduentu Spiritus sancti.*

Idem stylus est in Damasc. in Canticis Eccles.

Sanctorum nos te sanctam,
Ecce nobilis, quæ sola conceperis
Deum incommutabilem,
Inuiolata Virgo,
Genitrix innupta,

Et ode 1.

Aue Dei Genitrix Virgo,
Et mater innupta.

Quæ perspicuè sensum, quem Anselmo dedimus, præseferūt. Quoties prodigio deputatur innuptā peperisse, constat non matrimonium, sed totum denotari. Habes Nyssenum de baptismo Christi: *Vt nouum, inauditum, & inusitatum est, lapidem à rupe abscindi sine opera latomi, atque instrumentis latomicis: ita superat omne miraculum, videri partum ex Virgine innupta.* Iterum trito loco Nyssenus: *Nulla nuptiarum quæsitu viâ in hunc mundum ingressum, vt ex modo Incarnationis magnum hoc mysterium patefieret.* Via etenim nuptiarum in puerperio fractio est? sicut in conceptu corruptio: iuxta illud Tertullianicum iam proscriptum: *In partu suo nupsit, ipsâ patefacti corporis lege.* Eundem gustum habet Chrysipp. ser. de Deip. *Lac edidit: quæ nullas nouit nuptias, nutriuit infantem; cuius tamen infantis nullus sit pater in terra.* Miraculum recenset à plenis vberibus; cuius vterus nullo maduit contagio,

ex quo assolet in vbera decoctus sanguis, albidumque condiri infantum alimentum. Quare præmiserat: *Nulli coitus inseruiens corruptioni, impregnata mater effecta est, absque solutione virginitatis, lac edidit*, &c. Id etenim è supernaturali scaturiuisse prodigio, admonet, solum ex libatis fœminis lacteum succum ad mamillas Tertull. assurgere Tertullian. de carne Christi cap.2. *Respondeant obstetrices, Medici, & Physici de vberum natura, an aliter manere soleant sine vulua genitali passione, pendentibus exinde venis sentinam illam interni sanguinis in mamillam, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis lætitiorem* Inde Chrys. sensus haud ignauus Chrysippo est, dum ante præfixa verba eâdem oratione prædixerat: *Ostendito mihi virginitatem, & conceptionem: ostendito mihi partum nullis demonstratis nuptijs.* Et quidem si nuptiæ hic concubitum non significarent, facilè partus posset ostendi absque connubio. Si prodigio deputatur Mariæ partus absque nuptiis liquet, tunc nuptias thalamum illecebramque protendere, vt ex Anselmo, & Augustino monstrauimus.

8. Nazianz. Adiicimus vincto pede gradientes Nazianzenum, & Prudentium, Ille in carm. de Christo:

Quemque vtero inclusum Maria mox Numine viso,
Virginei tumuere sinus, innuptaque Mater
Arcano obstupuit compleri viscera partu.

En stupor qualis apud Augustinum, & Ildephonsum vt noueris innuptam nũcupari eodem sapore ac intemeratam. Prudentius in Psychomach. de pugna pudicit. & libidinis. Sic pudicitia aduersus Prud. libidinem concitatur.

Nunquid & intactæ post partum Virginis vllum
Fas tibi iam superest; Post partum Virginis, ex quo
Corporis humani naturam prisca propago
Deseruit, carnemque nouam vis ardua seuit,
Atque innupta Deum concepit fœmina Christum.

Et contra Hebionem:

—— Innuba Virgo
Nubit spiritui, vitium nec sensit amoris;
Pubertas signata manet:
Iam mater, sed Virgo tamen, maris inscia mater.

9. Epiph. Eodem explicatu gaudet Epiphan. contra hær. lib.1. *Ecce virgo in vtero habebit. Virgo non appellatur, quæ viro coniuncta est, & nuptijs copulata mulier; sed illa propriè virgo dici potest, quæ citra virum conceptionem Dei Verbi in vtero habuit.* Habere in vtero citra virum, virgineè concipere est? non nuptui traditam non esse: quare quod præmisit? *& nuptijs copulata mulier*, ad totum spectat. Vt iam tuto præcurras, nec impingas in eo, quod inquit hæres.28. pag.3. *desponsata enim Maria, & non nupta*: in quibus dubio Chrysost. procul non cõnubium, sed concubitus abnegatur. His & adstipulatur Chrysostom. hom.49. in c.24. Genes. sub Angeli voce sic fatur: *Ne quæras naturæ modum, & ordinem: ne expectes partus dolores; quando maior, quàm in nuptijs, natiuitatis modus erit.* Et statim: *Itaque quam ob rem dubitas, eam ob rem crede: non quia malum nuptiæ sed quia melior virginitas.* Tandem: *Ne quæras naturæ modum, ne iuxta nuptiarum leges intelligas.* Quæ cuncta haud ignauè se promunt, nec scholio indigent: siquidem de congressu nuptiali post celebratum hymenæum agere, compertum est: vnde & absque vllo matrimonio de concubitu primum, & tertium, etsi non secundum, expendi potest. Damiani mens suprà illuxit: quare si aliquando innuptam puellam vocat, attexit illico indicia virginea, vt explicet se pro inuiolata sic agere. Dam. Serm.49. de Natiu. Virg. col.5. *O mirabiliter fœcunda virginitas, quæ nouo, & inaudito miraculo & mater dici possit, & Virgo. Qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur.* Præfata lucem spargunt Laurentio Iustin. de connub. Verbi, & animæ cap.9. col.5. *Ipsa est gloriosa Domina, intacta fœmina: innupta, & fœcunda; Mater, & Virgo? ancilla, & genitrix.* Ex extremis agnosces Laur. Iust. miracula recensita, innuptamque cum fœcunda pepigisse, vt illibatam pungeret, non à connubio exterminaret: aliàs innupta, & fœcunda miraculum non est, sed piaculum. Quare qui innuptam fœcundæ opposuit, nuptam opposuit immaculatæ eadẽ venustate ipsemet Laurentius ser. de Annunt. col.4. *Eris quippe mater, & Virgo immaculata, & nupta; impolluta, & prægnans: quoniam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quæ illustrat ambros. in c.1. Lucæ: *Sancta Maria alij nupta, ab alio repleta*: & c.2. Lucæ: *Nupta peperit, sed Virgo concepit: nupta concepit, sed virgo generauit.* In quibus nuptæ vox suo gaudet significatu, nec spectat ad thalamum, sed ad connubium. Ambros.

10. Hæc lacteo fluunt amne. Difficiliora subiiciamus, quæ non præfixum significatum sic lubẽter imbibunt. Anselmus homil. ad Euangel. Lucæ Ad verba, *Quomodo fiet istud?* sic fatur: *Si cuilibet Virgini desponsatæ in animo suo disponenti nubere, diceretur: Filium habebis, non miraretur: neque interrogaret, quomodò istud fieret; vtpote quæ se desponsatam, & in proximo nupturam sciret. & à viro grauidari vsu naturæ speraret. Hæc autem non immeritò mirata est; &, quomodò fieret, quod promittebatur, sciscitata: quoniam, quamuis desponsata? tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram, certissimè sciebat.* Nodum timebis nimium plicari: quoniam vtrumque pariter Anselmus abnuere videtur, & quòd nũquam se nuptui tradituram, & quòd nunquam viri vacaturam cognitioni Virgo protulisset. Nec admiratio Virginis violationem sub voce nuptiarum admonet in Anselmo; sicut in aliis Patribus diximus admonere, nec matrimonij obsistere veritati. Ea est enim apud Anselmum Marianæ Virginitatis celsitudo, quòd nouum, & ex prodigio partum potuit Mariæ videri, nõ solùm absque masculi opitulatione concipere; sed & absque legitimis nuptiis cum viro celebratis: quoniam virum vtcumq; respuere ad fœtum, erat illi altè fixum; quare vtrumque signatè expressit Anselmus: *Quamuis desponsata; tamen se nunquam nupturam, neque virũ cognituram, certissimè sciebat.* Sed imò hoc secundum explicationem dixerim prioris. Nec enim in probam mentem cadere valuit, post statam desponsationis legem, fœdusque iustis sanctionibus percussum cum Iosepho de futuro connubio; posteà decreuisse non stare verbis, sed fallere Sponsum, iugumque excutere maritale. Ergo Anselmus prodidit in vltimis verbis mentem. Id promptum, ne inanescerent sponsalia absq; causa, absque lege. Sic capias S. Germ. in natiu. Mariæ: *Ortus admiranda eius Virginis, perfecta puella, nuptiarum semper expertis.* Expers dicitur nuptiarum, S. Germ. quia nulla pars sibi cum marito fuit; cui vacuus torus, cui florens pudor. Hoc illi elogium virens; aliàs marceret, si solùm expers nuptiarum diceretur, quia coniux non fuit: cùm absque marito soleat lædi immaculatæ fœminæ castimonia.

Beda

11. Beda. Beda noster non huic sensui se subtrahit; non inuitas manus dat in cap. 1. Matth. *Virum Mariæ, id est, ministrum Mariæ. Non tibi subeat nuptiarum æstimatio, sed quòd in Scripturis Sponsæ vocentur vxores memento.* Licèt ex alieno loquatur, virginis nuptiis non dissentitur; ne & à se abiret: quippe qui in cap. 1. Lucæ: *Quæ* (scilicet Ecclesia) *in exemplum Beatæ Mariæ nupta simul, & immaculata concipit nos virgo de spiritu, parit nos virgo sine gemitu, & quasi alij quidem desponsata, ab alio fœcundata*, &c. En promiscuè nuptam, & desponsatam appellans, eò intendit aciem, vt immaculatam euincat: nec nuptiarum vult lasciuientes subreptãt species: is nitor nuptiis illis insedit, qualis sine nuptiis solet in virginea venustate micantes radios contorquere. Priora verba in Matthæum decerpsit Beda ex Hieronymo, quem sub nuptiarum voce commistionem coniugum inibi intellexisse, ipse sibi fax sit, aduersus Iouinianum dimicans pro virgineo Mariæ stemmate. Miraculum integræ in puerperio, è miraculo fulcit egressi per lapidem Dominici corporis: *Respondeant mihi, quomodò Iesvs ingressus sit clausis ostiis; & ego respondebo, quomodò Sancta Maria sit, & mater, & virgo post partum, mater antequam nupta.* Præmonui pluries, nisi nuptam pro libata accipias, frigere sententiam hanc, quã toties Patres ingeminant; cum luxus sit, non prodigium, immaritatam parere, quam vagus potuit impleuisse concubitus. Igitur in illo Hieronymi: *Suspicio non subeat nuptiarum*, eluit ab indecora suspicione pudicum, non genialem Mariæ lectulum; roseum amat; suspiciosos arcet cogitatus; nec à coniugata ad coniugij impurum fœnus memoriam transilire permittit: procul est, vt sacrum connubium inficietur.

Hieronym.

12. Tertul. Accedat iam Tertullianus, qui in hac factione, vel desipio, vel Choriphæus est. Negotium facessit in lib. de veland. virgin. cap. 6. vbi agens de Maria, inquit: *Desponsata enim quodammodò nupta.* Quod licèt ex aliena sententia protulerit, non respui à Tertulliano existimat P. Vasquez suprà, disput. 125. cap. 4. quem enodari confidit eo explicatu, vt non neget vnquam fuisse absolutè, & simpliciter nuptam, sed tunc solùm, cùm missus est Angelus; & indicet aliquando simpliciter, non quodammodò, nupturam. Tertullianicus sensus fugit ab eo. Si adeas, faciliùs extricabis: nullus fidelior interpres totâ clausulâ. Præmiserat Virginem sub mulieris voce etiam includi, probauit ex Maria, quam *inter mulieres* Angelus, *ex muliere* dixit Apostolus. Pergit: *Sed & ad hæc duo ingeniosè quidam respondisse visus est: quoniam quidem desponsata est Maria; idcirco & ab Angelo, & ab Apostolo mulierem pronunciatam: desponsata enim quodammodò nupta.* Sic sciolus ille. Scias eum velle sub mulieris voce solùm intelligi, quæ corrupta vel corruptioni destinata: vnde præmiserat Tert. cap. 5. *Quoniam ita mulieris nomen vsurpant, vt non putent competere illud nisi ei soli, quæ virum passa sit.* Ex quo contendebat ille Mariam mulierem appellatam; quoniam licèt desponsata profiteratur, iamiam nuptiis subiuganda accedebat, velut passura virum, cui passioni per sponsalia de præsenti firmata se deuouerat: Repercutit Tertull. obtundens argutiem: *Tamen inter quodammodò, & verum satis interest, duntaxat hoc loco: nam alibi ita sanè habendum est. Nunc verò non quasi iam nuptam mulierem Mariam pronuntiauerunt; sed quasi nihilominus fœminam, etiamsi non sponsam.*

P. Vasquez.

Zerda, Maria effigies.

Vult dicere: Verus sis in aliis fœminis, quæ eo ipso quòd sponsalia de præsenti contraxerint, iam viri licentiis destinantur, quodammodóque nuptæ sunt; cùm proximè nuptiarum solemnitas appropinquet. Cæterùm absit id in Maria: hæc vna virgo, licèt desponsata, veroque illigata coniugio fuit; nunquam tamen nec quodammodò nupta, quam constat esse virginem, licet Hebion resistat, vt præmonuerat Afer ipse. Constat *nuptam* hoc loci, virum passam significare, vt aliquid speciei habeat respõsum illud, quod de ingenioso laudat, de impio castigat. Quòd hęc Tertulliani oleant ingeniũ, contestetur ipse, qui nuptæ vocabulum honesto calamo ad violati pudoris notionẽ trahit. Liquet de carne Christi c. 23. postquàm dixerat: *Et si virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege:* & deinde: *Agnouit adaperta vulua nuptialem passionem*; quibus errorem suum non oscitanter exprimit: adiicit: *Saltu quodam mater, antequã nupta.* Clarè. Antequam thalami sordibus inquinata, virumq; experta, aliàs nullus singularis saltus hicce esset: cum prostituta, furtisque Veneris exposita fœmina hos saltus pluries faciat & antequam nubat marito, parturiat de piaculo.

His vt alacriùs fidas, iuuat arctiùs rem stringere. 13.
Quis nisi à veritatis trãmite deuius, Scripturarũq; Sacramentum exosus, potuit cogitare Mariam non desponsatam fuisse Ioseph, cùm Angelus nunciaturus aduenit? Id perspicuè præmittit Lucas, id præmonet Matthæus. Dabo Patres, qui desponsatam abnuunt. In rigore? Absit. Quò magis viri suspicionem propulsent, arceant ingruentes de turbato thalamo cogitatus, absque sponso fuisse profantur, eodem sapore, ac cum innuptam fuisse proclamant. Vno stylo virgineam conceptionem euincunt. Habes hæc apud Hesychium homil. de Sancta Maria, sub cuius voce sic fatur, agens cum Gabriele: *Quo pacto ausus es temerè accedere ad Virginem non desponsatam, & incredibilia verba prædicare? Ais enim me parituram puerum absque semine: concepturam dixisti nullis nuptiis interuenientibus, loculum vteri absque vlla cum viro cohabitatione, & conuersatione editurum fructum. Quis vidit, quis audiuit fertilium agrorum naturæ peritus antea agrum incultum produxisse spicam, aut terram non plantatam germinasse vuam?* Vides? Nuptias denegat, sicut & sponsalia; non vt audeat Euangelistas infringere, sed vt infractum Mariæ asserat pudorem, dum nuptiarum effectum satagit inficiari; ne inficiant virginem, nuptias ipsas, & sponsalia pro effectu illecebroso abradit. Certè sensit nupsisse Mariam, qui eodem modo de sponsalibus agit, ac de nuptiis; & vtrobique tantum impuritatis detrudit opinionem. Clarius ipse serm. 2. *Quomodò fiet istud, quia virum non cognosco? Qua ratione fiam mater, quæ non fui sponsa? Flos ætatis vigentis non est corruptus: cingulum virginitatis non solui; vincula vuluæ non laxaui, vteri non dissolui sigillum.* Et serm. 1. col. 2. *Lac suppeditauit, vbera tamen intacta seruauit; portauit puerum, pueri tamen patrem non agnoscebat: mater effecta est, quæ minimè sponsa fuit: nutriebatur filius, & non inueniebatur pater.* Quæ ex suprà admonitis expeditè enodatur. Nisi enim sponsa hîc significet violatam; quid magnum quod mater fieret, quæ sub sponsalitio fœdere non venisset?

Hesych.

Nec solus sit Hesychius. Do Nazianz. carm. de Christo patiente col. 11. 14. Nazianz.

Veneranda Virgo, honesta, casta, te vnicam.

Has inter omnes, terra matres quas habet,
Matrem absque sponso scimus, & viro: suas
Hic nullus partes, & suam manum obstetrix
Depradicauit: partus hic diuinus est.

Pariter sponsum, & virum denegat. Quo iure? Quantum ad tori portionem, pudorisque vsum, Quid vltra? Quis Augustino validior virginei inter Mariam, & Ioseph matrimonij vindex? Data operâ tractat, lib. 25. contra Faustum Manich. cap. 8. & lib. 1. de nuptiis, & concupic. cap. 11. & lib. 5. contrà Iulian. cap. 9. Et tamen (mirabris) sponsum reluctatur serm. 3. in natiuit. Domini; August. *Concepit Virgo antequàm sponsum haberet; parit, antequàm nubat, & quod ad laudem pertinet nominis Domini, & Mater, & Virgo cœpit esse post partum.* An forsan Augustinus protelauit nuptias post conceptum? Imò & sponsalitia. Id præiudicat Lucæ. An perendinauit nuptias etiã post partum! Id derogat obedientiæ ad Angelum in somnos iubentem: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Igitur qui sponsum, & maritum à conceptu pepulit, & partu, solùm virilis licentiæ commercium abduxit, eo fine, vt Mater, & Virgo inciperet esse post partum. Andreæ Hierosolymitani locum infrà versabimus.

15. Si his animum mulceas, assuescasque mentem lenire, non vellicaberis, & frangêris in Patribus, qui viri maritique nomen detrahunt Ioseph. Noscas quod viri etymon à fœminæ corruptela venit. Isidor. Isidor. lib. 12. etymolog. cap. 2. *Vir nuncupatus, quòd maior in eo vis, quàm in fœmina: vnde & virtus nomen accipit, siue quòd vi agat fœminam.* Lactant. Cui deductioni adest Lactantius lib. 1. de opific. hom. cap. 12. Ideò maior vis à natura, ne fœminis reluctantibus in alium sexum vir procax proruerer. Solet id adnotari ad illud Poëtæ Eclog. 3.

Virg l. *Parciùs ista viris tamen obiicienda memento.*

Hinc & apud bruta vir circumfertur, quo grauidat Ouid. 1. Metam.

Ouid. *De grege nunc tibi vir, & de grege natus habendus.*

Virgil. Virgil. Eclog. 7. *Vir gregis ipse caper.* Vide ibi notam Cerdensis. Idem in sacris obseruo. Genes. 7. Genes. 7. Hebraicè: *De omni animali mundo, virum, & vxorem eius.* Et 1. Reg. 7. iuxta Regiam, & Complut. 1. Reg. 7. *Innocauit Dominum omnipotentem in oblatione* ἀνδρὸς γαλαθηνοῦ, id est, *viri lacte nutrici.* De hoc alibi liberiori calamo, si otium. Si virum Ioseph renuunt Patres iam sensum callebis ex notione vocabuli. Anastas. Synat. lib. 8. in Hexam. Anast. Synait. *Ioseph, qui vir quidem dicebatur, sed non erat vir matris, quæ erat omni ex parte incorrupta: quandoquidem ipse fuit gratus, & acceptus coram eo, qui seipsam examinauit.* Matth. 1. Vir non erat? Quid est *genuit Ioseph virum Mariæ?* Quid, *ad Virginem desponsatam viro?* Luc. 1. Vernaculo vocaboli studuit rigori, qui a corruptela est. Vides? *Non erat vir Matris, quæ erat omni ex parte incorrupta.*

16. Epiphanius huic viri significatui plurimum detulit: non sustinet viri apparatum in Iosepho, ne vel ad vocis flatum lædat Virginem suam: & tamen credendus non est à semita sacra deflexisse, qua Ioseph vir Mariæ Euangelico testimonio commendatur. Igitur lib. 3. hæres. 79. expendens Epiph. illud: *Ecce mater tua, ecce filius tuus*, inquit, *Si fuisset ipsi vir, qua ratione tradidisset ipsam Ioanni, & Ioannem Mariæ? Qua verò ratione non potius Petro tradidit? Qua ratione non Andreæ, Mattheoque? Et manifestum est, quòd Ioanni propter virginitatem.* Quibus subiunctis, innotescit, quòd Epiphanius virum accepit, quatenus viri maritalem accubitum innuat; siquidem ad virginitatem confugit: aliàs vt quid illud: *Qua verò ratione non potiùs Petro tradidit*, &c. quæ ægrè videntur cohærere cum illis: *Si fuisset ipsi vir!* Imò si fuisset ipsi vir, id est, functus thalamo, non erat adhuc ratio, cur Petro, aliive ex Apostolis eam legaret. Sentit Epiphanius tunc temporis in viuis agere Ioseph: censuerunt & alij (firmior coniectura id non suffert, vtpote quia altum sit in Euangelio silentium, & cùm iugiter comites adhibeantur Maria & Ioseph ante annos duodecim IESV, non vlterior recordatio Iosephi sit.) Ideò probat virũ non esse, ne iniustè illi coniux auferretur. Cui ratiocinationi & alios Patres subsignare fertur. Ambros. Ambrosius epist. 69. & lib. 2. de instit. virg. cap. 6. & 7. Chrys. Chrysostomus homil. 5. in Matth. Effugium Pat. Vasquez non me sedat; videlicet mentem horum P. Vasquez. Patrum esse, Christum neutiquam commendaturum matrem suam discipulo prætermisso Ioseph, si ab eo cognita, aut cognoscenda fuisset in toro. Non satis. Si semel maritum fuisse teneant, licèt carnei concubitus expertem; thalami orbitas non illis suffragatur, vt sentiant ideò Christum iure Ioanni Mariæ tradidisse solamen & comitatum: cùm connubium, quamtumuis virginitatis amore à cubili se amet pudicum, indissolubile vitæ vindicet contubernium. Præiudicium fuisset Ioseph virginei pignoris in discipulum transmigratio. Verùm hæc possumus expedire ex verbis Epiphanij, aliorumque Patrum, qui Ioannem in possidẽda Maria obtinuisse perhibent principatum: quoniam virgineis se mancipauerat votis, & ab omni se inquinamento nitidum conseruabat. Ergo mẽs est. Maritus quidem erat Ioseph, non casu, non tumultuariò flammeũ imposuerat Mariæ, sed vt Incarnationis pararetur officiis, vmbraculum fuisset pudoris, coniugis à probro castimoniam armaret, pater sacri filij putaretur. Iam peracto Sacramento consummatáque per patibulum œconomiâ, non opus erat viro, qui de maritalibus carnis legibus aleret opinionem; sed potiùs, qui abraderet, & deruderet. Ideò deligitur Ioannes nullo præiudicio Ioseph; qui, vtpote iustus, libenter sufferret charæ coniugis vitalem orbitatem, vt adhuc diuulsus à Virgine, ministerij ageret famulatum, qui egerat associatus. Rem totam dedit Cyprianus. Cyprianus de pass. Christi: *Prouidens sedulò benedicta inter mulieres Apostolicam clientelam, & obsequium Virginis virgini discipulo tradit: vt iam non Ioseph tanti mysterij oneretur præpositura, sed Ioannes: quia iam exigebat ratio vt coniugij remoueretur opinio: nec vltrà pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris, & coniugis tenuerat. Habebat Ioseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem: cùm alteri commendaretur Maria, si se cognouisset carnalem maritum: sed quia in spiritu actum erat coniunctionis illius mysterium, passus est Ioseph æquanimiter, sibi eum in hoc seruitio præponi, quem digniorem se iudicabat: & ideò maximè, quia Magistri electi sic negotium ordinabat.* Pacat animum Cyprianus, nec valet assurgere, quo pungatur.

Affigitur etymologiæ viri Bernardus homil. 2. 17. super *Missus est.* Bernardus. *Virum nominat, non quia maritus sed quòd homo virtutis erat: vel potiùs, quia iuxta alium Euangelistam, non vir simpliciter, sed vir eius dictus est; meritò appellatur, quod necessariò putatur.* Ne è viri sonitu nuptiarum impeteret, id est, vt virilis functionis memoria, præmonet

id

id Bernardus. Forsan mouetur, qooniam superfluere videtur apud Lucam *Ly viro*; *Ad Virginem desponsatam viro.* Superero gata vox suspicionem potuit concitare. Desponsata dicitur, quæ coniux est, vt à remotiori à thalamo vocabulo, viciniorique castitati, omnis in hoc sacro cooonubio impura detergeretur opinio. Vbi hymenæus, genialisque consuetudo animorum est, sponsalitius adhue pudor viret, castaque religio; maritatæ carnis exulat potestas, nondum virginitas palluit. Cæterum quia posteà additum est *viro*, quo solet indicari seaus, mercesqoe carnea coniugij; non otiosè præcauetur; vitum inibi noo significare maritom, quà exercet seaum, sed vel quà nomen virtutis est, vel quà sexum exercere potatur. Virginitas sexum noo geminat: corpos constat in animum, cui sexus oon est. Adeo matrimoniom boc purum fuit, vt vocabula seaus abhorreat, scholiisque, quæ caplicent, delectetur. Alb. Magn. Venustè Albertus Magnus in Mariali pag. 17. *Quod hic adiicitur, viro, non fit ad denotandum sexus discretionem; sed ad tangendum sponsi Beatissima Virginis commendationem, & sponsa etiam à sponso honorificationem. Vir erga non notat hic sexum, vel atatem, sed virtutem. Erga fuit iste Ioseph vir per constantiam fidelitatis, quantum ad iustitiam pertinet; per virtutem castitatis, quantum ad temperantiam; per excellentiam discretionis, quantum ad prudentiam; per strenuitatem operationis, quantum ad fortitudinem.* Quid est, quod dirimat sexum Albertus, qui nuptias fatetur, qoas nisi inter marem, & fœminam conditio noo inuenit à primordio? Nouit esse virgines, nouit cœlestes, quibus seruidus fomes sexom non variabat, quibus sola variauerat natura. Si ideò Ioseph, & Maria connubio illigantur, vt haberet peplum virginitas, nec nuda tempestatibus quateretur: qoi seaom nnmerare non audet, indolem percallet cooiugij; mysterio scit famulari, non mixtioni.

18. Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Stylus hic non solum Hebræis, & Græcis, sed & Latinis in vsu est, vt decore rem coniugalem obuelabant. Ouid. Cæsar. Ouid. *Turpiter illa virum cognouit adultera virgo.* Cæsar. lib. 6. belli Gallici de Germanis: *Intra annum verò vicesimum fœmina notitiam habuisse in turpissimis habent.* Phrasis à sexus cognitione deriuatur. Lippoman. Obseruat id Lippom. in Genes. 3. Ergo se nedum Virginem, sed virginitatem ipsam appellauit Maria, dum virum cognouisse negauit, non vt coniugiom diffiteretur, sed vt fateretur virgineum. Non instituerat matrimonium, vt mater fieret; ideo se virum ignorare profatur. Huc Anonymus. spectat Anonymus quidam orat. de Virg. *Et nec potest Angelo non credere, neque discedit ab iis, qua statuerat. Est (inquit) mihi prohibita cum viro consuetudo: Quomodo erit mihi hoc, quoniam virum non cognosco? Hac vox Maria est demonstratio eorum, qua arcanè, & occultè narrantur Si enim eam Ioseph acceperat in matrimonium, quemadmodum visum est ei alienum, quod partum ei ante significaret, si ipsa omnino expectabat fieri mater lege natura?* Et matrimonium negat, sed appingit scholium, videlicet quà lege naturæ in matris prouentum tendit. Respexit, credo, ad illud August. Augustin. lib 19. contra Faust. Manich. c. 26. *Matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam vt mater fiat: quod nobis odiosum est.*

19. Quæ vocabula sunt, non opus est in rem transeant: aliod est, à quo nomeo imponitur; aliud quod significat. Communis parœmia Philosophia est. Ergo quia scopus huius sacri coniugij non legis naturæ in secenda sobole fuit conditio; sed potius reconditi Sacramenti mioisterium: ideo & viri, & matrimonij vxor non audet insonare, quin castus commentarius accedat; quem Patres illico subdunt. Beda. Beda in Matth. cap. 1. *Virum Maria, id est, ministrum Maria.* Andr. Hierosol. Andreas Hierosolymitanus orat. de laudibos Beatæ Mariæ: *Contubernalis est solum vsque non etiam idem cum desponsata ingreditur cubile.* Et deinde: *Non sunt peracta nostra nuptia, virum non experta sum: non enim cognoui Ioseph; tutor meus, non maritus mihi cognitus est: quomodo ergo istud mihi erit?* Dum subterfugit viri licentias, dum candorem liliati pudoris oon perstringi ignobili suspicione sollicitat, omnib. digitis laborat: cum alias certum nouerit & virum fuisse Mariæ, quem contubernalem appellat, nec pudor ipse, cuius clientelam agit, pateretur, masculum intra domus septa incolere, quin castæ puellæ per nuptiale fœdus necteretur. Quare tertio quoque verbo & eludit opinionem cubantis mariti, & munia illi quærit, quæ ministerium promant, & obsequium; non fuscent castimoniæ venustatem.

Idem ingenium est Patribus, quotquot Mariam coniugem appellare recusant. Non connubij dispendio, sed virgineæ compendio virginitatis student, & honori. 20. August. Doceat id Augustinus tom. 9. lib. 4. ad Cathec. cap. 8. *Aluus tumescit Virginis, claustrum pudoris permanet: impletur vterus matris sine vllo complexu patris: sensit prolem, qua se ignorat coniugem.* Liquido vxoriam denegat coniunctionem, laqueumque iugalem, qui discingit pudorem. Alias, si viri abscedat amplexus, verè coniux fuit. Bene Augustin. tom. 7. lib. 2. de peccato originali cap. 40. *Tenet deceptor Eua, liberat Filius Maria: tenet qui per coniugem venit ad virum; liberat, qui de coniuge natus est, qua non pertulit virum.* Chrysolog. Chrysologus serm. 145. *Sicut manente virginitate Mater est; ita coniux dicitur pudore permanente.* Qua lance libra ipsum serm. 175. *Ioseph ille maritus solo nomine, conscientia sponsus, pragnantem fluctuans, & anxius intuetur.* Conscientia sponsum nuncupat, honestiùs limpida voce, ne mariti sonitus aures flagellet, quæ consuetudinis maritalis memoriam instiget. Igitur quia vocibus vtendum iuxta acceptionem communem; si bonus verborum trutinator distinguit Chrysologus: non quia nuptias recuset, sed ne accuset Virginis pudicitiam ea prauo maritalis vocabuli captu. Quibus si hæreas, non timebis iam ad Origenem: Origen. huius sanè censionis est hom. 1. in cap. 1. Matth. sic Angelum inducit loquentem ad Ioseph. *Propterea ministra, serui, intende & huic, qui nascitur, & huic, qua generat Etenim si tibi vxor nominatur, si desponsata, tibi esse dicitur: non tamen tibi vxor est, sed Dei vnigeniti electa Mater est. Securus, & intrepidus accipe eam secundum legis preceptum vxorem tibi nominatam; sed secundum nuptiarum consuetudinem, & coniunctionem, longè alienam.* Et statim: *Coniugem eam dico propterea, vt virginitatem eius Diabolo occultem, & vt Iudaeorum prauitatem excludam, atque deiiciam, vt legis instituta non destruam.* Ne oscitanti segnitie prætereas ista, omnem huius negotij luctatus es expeditionem. Eo legis coniugem appellat: non ergo coniugium inane nomen, & voce tenus fuit; & tamen non secundùm consuetudinem nuptiarum, & coniunctionem: quæ, vt obuia notio est, concubitum adsignificat.

21. Eodem gusto iniugatam Virginem vocat Da-
Damasc. mascenus in versibus de Christi natiu.

Cœli Imperator indoleus nostris malis,
Ex iniugata Virgine instar sit mei.

Iniugata dicitur, quæ licet maritum habuit, non pertulit virum, vt dixit Augustinus, nec ejus fuit irrerita vinculis; potiùs vincula pudoris sub marito custodiuit innexa. Pulchrè id cecinit ipsa apud Nazianzenum in carm. de Christo patiente:

At me maritus, cùm viri expertem à Deo.
Et integram accepisset, idem etiam sacri
Me vincla seruantem pudoris reddidit.

Quare, cum coniugata profertur, statim illibatam Virginem adstruimus: ne ingalis nexus censeatur implicari carnis, sed stabilis societas animorum.
August. Adest Augustin. tom. 10. serm. 21. in Natali Domini *Peperit Maria Christum, & coniugata coniugij creatorem; & virgo, virginum Principem; & datur marito, & mater non de marito, sed castior, quam si de marito: virgo ante coniugium, virgo in coniu-*
Ildeph. *gio.* Quæ verba postquam reperiuit Ildephonsus serm. 2. de natiuit. Virgin. subiungit: *Exultent coniugata, solennia Beata Maria celebrantes: Elizabeth coniugata Virginem Matrem Domini est salutata.*

22. Hinc Richardus de S. Laurentio libr. 3. cap. 1.
Richard. col. 8. *Nullatenus ambigere debemus Beatam Mariam coniugij sacramentum suscepisse, & tamen virginitatis propositum non mutasse: veraciter sumpsisse nomen coniugis, & perseueranter tenuisse votum virginitatis.* Singulariter Sacramentum coniugij nuncupauit Richardus, quod nondum Euãgelicæ gratiæ Sacramentum erat? An quia sacrum secretum? An quia inuisibilis gratiæ vtero inserendæ visibile signum? Aptè Sacramentum coniugium fuit, quod nulla noxia concitauit illecebra sed diuina dispensatione in Sacramentorum auctorem generandum absque ingali coniunctione tetendit. Qualis sit coniugij veritas; quale offi-
Hugo Vict. cium, edocuit Hugo Victorinus epistol. Pauli ad Corinth. *Primum est coniugium, secundum coniugij officium. Ad illud Sacramentum, quod est in Deo, & anima pertinet matrimonium Beatæ Virginis, & Ioseph: quod tanto sanctius, quantò à carnali opere immunius.* En cur Sacramentum, quia sanctum, quia sacrum mysterium, quod virginitas inuenit, nec virginitas perdita est.

Virgo non solum desponsa, sed & nupta Filium Dei concepit, Sponsæ puritate, nuptæ velamine.

SECTIO II.

23. HVNC sacrum Patrum cumulum cõposuimus, qui nuptiarum, coniugiiq; extremia vsib. virginem dedere renuentes, nuptias ipsas denegant; sed eã industriã, qua non diffiteantur nupsisse; quantum ad legitimum, stabileque connubiũ, & tamẽ denegent ad cubile. Alij Patres non sic enodari patiuntur. Oportet ad eorum captum, nouerimus, stabilito iuxta fidem, verum inter Mariam, & Ioseph intercessisse coniugium; adhuc superesse, quo tempore fuerit initum? Quisquis post Incarnationem sẽserit, nulla notã feriẽ-
P. Vasquez. dus. Bene id obseruauit P. Vasq. tom. 2. in 3. par. disp. 125. c. 8. in fine. Me iudice, subsannatio est sanare Patres, aliòque detorquere quotquot illi sententiæ indulgent: Mariam nondum nuptui traditam, solùm sponsaliorum illigatam fidei concepisse. Syncerttatis amator dignoscet, hanc mentem insedisse iamiam subiiciendis, iniustéque aduersus Virginis matrimoniũ accersiri: cum potiùs, qui sponsalia præcessisse fatentur, nugatoriè fidem in promissione complenda cogitarent abruptam.

Velim expendere Hilarium, qui difficilia om- 24.
nibus visus est; mihi tamen penitiùs consideranti ingeniosum parat cogitatum. Verba, quæ solent circumferri ex Can. 1. in Matth. sunt: *Mater potius Christi, quia id erat; non vxor Ioseph est nuncupata quia id non erat:* quæ auulsa è sede nil mirum doleant; si præcedentibus restituas, medeberis. Sen-
tentia Hilarij est. Mariam solum desponsatam Hilar.
concepisse, nondum coniugem, habitam fuisse post partum: ideò autem coniugem ab Angelo appellatam vt ingenuè ostenderetur eius sacri coniugij futura virginitas: sicut enim tunc coniugem nuncupauit, quando nulla temerari pudoris poterat aduersus sponsam desæuire suspicio; ita illibata permansit, cùm posteà coniugis nomen accepit. Nuncupabatur ergò vulgo coniux, & vxor, vocibus quidem, quæ communi deputatione thalamum concernunt: cæterum id, quod putabatur, non erat; potiùs virginitatem connubium commendabat, sicut & maternitas filij. Opus est Hilario longiùs fruaris. *Dehinc quia desponsata esset, in coniugem recipitur. Cognoscitur itaque post partum, idest, transit in coniugis nomen: noscitur enim, non admiscetur, & quotiescumque de vtroque fit sermo, Mater potius Christi, quia id erat; non vxor Ioseph est nuncupata, quia id non erat. Sed hæc quoque ab Angelo ratio seruata est, vt tum, cùm desponsatam eam iusto Ioseph significabat, coniugem nuncuparet. Nam ita ait: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Ergo & coniugis nomen Sponsa suscepit, & post partum in coniugem recognita, tunc* IESV *Mater ostenditur: vt quemadmodum iusto Ioseph deputaretur eiusdem Mariæ in virginitate coniugium: ita venerabilis eius ostenderetur in* IESV *Matre virginitas.* En sentit, solùm sponsam fuisse ante partum? & tamen coniugis nomen ad Angelo suscepisse? & post puerperium eius coniugium aliqua iam demonstratione intercedente cognitum fuisse.

Singularia cogitatus Hilarij est. Forsan addi- 25.
ctus fuit Euãgelij verbis, si Græcum cõsulas apud Matthæum, & Lucam. Vterque vtitur verbo μνηστεύω. Matthæus μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Matth. 1.
Μαρίας τῷ Ἰωσὴφ. *Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph.* Luc. 1. πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην Luc. 1.
ἀνδρὶ, *Ad Virginem desponsatam viro.* μνηστεύω enim significat *ambio nuptias*, quod propriè procorum est. Quare μνηστεύειν, teste Budæo, explica- Bud.
tur, *procum esse*, apud Plutarchum: & de fœmina Plutarch.
dicitur, cùm despõdetur: de quo notauit Henricus Henric.
Stephanus in thesauro linguæ Græcæ, nullũ in- Steph.
uenisse exemplum, in quo significet Sponsam traditam proco, iamque in coniugium deductam. Et quidem apud Platonem de legib. lib. 6. μνηστεύειν Plato.
γάμον *inire matrimonium*: & apud Appollon. Arg. Apoll.
2. μνηστεύειν γάμον *conciliare nuptias* exponitur: & apud Euripidem: quia γάμος ex se *nuptias* signi- Eurip.
ficat. In eadem voce insistit Lucas 2. in Virginis Luc. 2.
puerperio: *Vt profitetur cum Maria desponsata sibi* τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικί Ideò & in conceptu, & in partu est, qui procum appellet Iosephum, vnus Aldhel. de laud. Virg. Aldhel.

Qua

Quæ fuit Israël claro de germine gentis.
Desponsata proco, fœcunda puerpera Virgo.

Quæ non dubitauerim inniti in rigore verbi μνηστεύω.

26. Sanè durum est sic procrastinari coniugium post puerperium. Quî pudori Virginis consultum? Quî legitimi fœtus suspicioni? Pereunt nobiliores causæ, quæ prouidentiam ad nuptias istas sine iniuria putas, sine luxu fœcundas impulerunt. Imò post partum, vxoris, & mariti nomen alto silentio sopitum fuit, solúmque Matris nomenclatura auditur: quasi peractâ iam Incarnationis sorte, tectâque per matrimonij vmbellam; non opus esset geminare vocabula, quæ thalami halitum spirant, potiùs conniuente taciturnitate obliterare, vt mutis characteribus altiùs virginitas figeretur. Id obseruauit Origenes homil. 3. in diuersos ad cap. 2. Matth. *Accipe puerum, & matrem eius. Ante generationem coniugem eam appellauit Ioseph; post generationem Matrem eam dicit pueri. Quare ante generationem coniugem dixit? Propterea vt diabolo occultaret, vel impiis Iudæis: & postmodùm perfecto Sacramento, atque generato Vnigenito post laudem Angelorum, atque pastorum, post adorationem Magorum, post circumcisionem factam secundùm legem, iam nec erat necesse, vt coniux diceretur, sed mater huius, qui natus est pueri vocatur.* Bellè. Percrebuerat iam opinio coniugij: dæmon liuidus subsannatus iacebat; connubialis muneris iam satis erat: functus iam vir, qui abscondebat Sacramentum: non passus est Angelus vlteriùs genialem vocem; Matrem nuncupauit, non coniugem. Ea ingenij subtilitas est. Desipit hominum opinio: non hac lineâ metienda veritas est: & desipiunt sensus, & decipiunt. Angelus verax est: rem illibatè prodit. Consulant Angelum quotquot de hoc sacro disquirunt coniugio: non iurgia moueant de Mariano pudore. Coniugem vocat, dum fœtus in vtero Matris est, ne nothus ille, ne procax illa putaretur: post puerperium nudè Matrem appellat, retegit vmbraculum, Virgini defert, vtrumque copulat, vt vtrumque prodidisse dignoscas, & quòd coniugium fuit, & quòd virgineum.

27. Hæc licèt ita sint; tamen solùm promissam esse, & desponsatam, nondum nuptam, cùm concepit; innuit non obscurè Origenes ipse hom. 1. in diuersos, vbi exponens illud: *Inuenta est in vtero habens*, à Ioseph inuentam profert. *Qui penè licentia maritali, licèt eam non contingeret, futuræ tamen, vt putabatur, vxoris omnia nouerat.* Quæ verba, si excipias illud *vt putabatur*, & Hieronymi sunt. Vterque desponsationis voci mordicus adhæret: nec reluctatur sponsioni accessisse aliquando nuptias, potiùs innuit: cùm licentiam pene maritalem agnoscit, pronum iam matrimonij tempus protendit, & quidem absque iniuria pudoris. Id appositè cauit Origenes eâ notâ, *futuræ, vt putabatur, vxoris*, qua non opinioni tribuit connubium, sed concubitum: vxoris vox, vulgi sensu, torum olet, maritalesque licentias non pene, sed plenas. Huc potest non inuitus acciri Anonymus quidam in ser. de Natiu. Virginis. *Quomodò ero mater absque viro? Nam Ioseph quidem sponsum noui, virum autem non cognosco.* Quia cognitionis vocabulum promiscuè ponit, videtur sensum obuium amauisse. Nondum nupta sum; sponsalibus tantùm illigor: nondum mihi vir, quomodò mater ero? Non minùs perspicuè adstipulatur Andreas Hierosolym. Quem non capies, nisi monearis, sponsum intelligere pro marito vtpote iuxta naturam sponsalium de præsenti. Quare negat Ioseph sponsum fuisse, cùm Angelus nuntium Incarnationis peregit, solúmque sponsalia de futuro admittit. Iam locus, qui nondum lucem accepit: sic in Salut. S. Mariæ: *Rem mihi nouam polliceris; quæ ipsam superat naturam, mihi nuntias: nuptias ego nullas experta sum: desponsata enim, ac nupta cum viro nondum fui: sponsum futurum ego solùm; at virum Ioseph nondum cognosco. Contubernalis est μνήστωρ; non etiam idem cum desponsata ingreditur cubile:* quod magis explicauit in sequentibus quæ suprà dedimus. En desponsatam pro nupta accipit, nuptamque, cuius ad cubile peruius sponso trames. Admodùm suffragatur desponsationis acceptioni; quæ coniugium ipsum, nondum libatum ex amplexu, solet significare.

28. Quòd nondum nupta conceperit, sentit Gregorius Thaumaturgus serm. 3. de Annuntiat. *Cùm igitur Sacerdotes Virginem Mariam casto desponderent Ioseph, eam ipsi commendarunt, tempus nuptiarum expectantes. Quam quidem ipse accipiens, integram erat conseruaturus.* Si Thaumaturgo obiicias: Quî sic Virginis grauidæ consultum honori, si nondum nuptiæ, nec thalami maritalis grassaretur opinio? Quî sic mysterium dæmoni per connubij velamen obuelatum? Satis fuisse putat sponsalia ex procliui sequela sponsaliorum ad nuptias: inquit: *Atque ita Dominus per desponsatam venit, vt improbum lateret: quæ enim desponsata fuerat deinceps sponso tradenda erat.* Quasi postquàm nuptiarum fœdus, promissionisque contractum dæmon percalluisset, iam non suspiciosus & timidus vlteriorem intendere curauerit solertiam, auerteretque oculos, quos dudum in Virginem infixerat, pauidus, ne prophetico vaticinio arrideret, ob quod omnes innuptas puellas obseruabat. Id ipsum de opinione hominum forsan Thaumaturgus sentiret, qui sponsalia vinculum fatale nuptiarum esse dignoscunt: nec est vltrà, quid instiget ad vestigandum de sobole, postquàm firmiter sponsalitium pactum inter futuros coniuges agnouerint præcessisse. Huic sententiæ se dedit Gerson, quin & Rhemigius apud S. Thomam in cap. 1. Matth. cui inibi in refragatur S. Thomas. Id ipsum amat Zacharias lib. 1. in vnum ex quatuor cap. 5. quin & nobiles ex nostra tempestate. Baronius in apparatu ad annales Ecclesiast. cap. 55. vbi venerabili, & purpureo calamo scribit, desponsatam Virginem moras adhuc in domo traxisse parentum, inibique reductam à templo, vbi celebrata sponsalia, quæ apud Hebræos non minoris fuisse momenti ac nuptias, confirmat ex Philone lib. de specialibus legibus: siquidem in solemni amicorum conuentu, mariti, vxorisque nomina scribebantur: & si quid sponsa in domo paterna manens deliquisset, æquè plectebatur ac nupta. Hunc statum habuisse, cùm desuper impleta fuit, censet. Succenset his Canisius cap. 11. vbi putat solùm post acceptum cœlitùs oraculum in coniugem adscitam Mariam, quæ anteà sponsa erat.

29. Par est ferre iudicium. Rem esse non mediocris obscuritatis, inficiabitur nemo; quo tempore ratum, quod vocant, coniugium fuerit. De connubio stata fides sit; de temporis supputatione

[Marginal notes: Origen. (¶26); Origen. (¶27); Hieron.; Anonym.; Andr. Hierosol.; Thaumat. (¶28); Gerson.; Rhemigius.; S. Thom.; Zach.; Baron.; Philo.; Canis.]

ne causa difficultatis est, impensa studiositas Euangelistarum pro armanda Mariæ virginitate aduersus imputas tumultuantium phalanges. Ne in coniugio, quasi in thalamo lubrica cæspitatent vestigia, datâ operâ eas contexuit dictioues, quæ & contestarentur connubium, & sordidam suspicionem absterreteut. Ideò desponsata dicitur, & vxor: vt qui vxorem credas, illibatæ sponsæ adhuc florem odoreris. Ideò coniugem vocant, antequàm conuenirent; vt non iugales amplexus catuis, sed iugalia animorum fœdera fatearis: ne vllius, vel alterius vocabuli illudereris significatu primario, vocabulum alterum adiectum est, quod instruat; vt ex vtroque temperetur periodus, & ex singularitate styli singularitas retegatur mysterij. Audisti desponsatam, promissam solùm putauisti: audi coniugem, credes iam nuptam. Auscultas coniugem, times à toro: audi sponsam, credes illibatam. Sentis vocari virum, viriles tibi illudunt functiones. Audis *Antequam conuenirent*, pactionem noscis coniugalem, non lectum. Nequiuit venustiùs: nequiuit puriùs. Ergo iudico, iam connubium fuisse celebratum, cùm Virgo concepit. Id Sacramenti maiestas; id quotquot sonant rationes, cur nuptam amauerit Matrem Filius Dei, admonent: Si proteles connubium, non vndequaque virgineæ puellæ, virgineæque prolis consulis honori. Quòd desponsata nuncupetur, virginitas inspirauit. Cæterùm coniugis, virique nomen, quòd occultè voluit dimittere, aliaque id genus (nullum effugium est) probant connubium. Huic se deuouent sententiæ, quotquot benè sapiunt. Dabo lectissimos ex Patribus; sed parcè.

30. Vix desponsatam vocauit Matthæus: *Cùm esset desponsata*, &c. & tamen è vestigio voce Angeli nuncupat coniugem. Eodem spiritu Lucas absque interstitio desponsatam appellat, & vxorem: *Cum Maria desponsata sibi vxore pregnante.* Florens virginitas calamum instruxit, vt illigaret vtrumque. Quid causæ? Ne, dum coniugem audis, maritalibus implices lacertis, vsuique iugali deuoueas; sponsæ pudica vox sordidum cogitatum auertit. Quin vt in desponsa perfectam, ratumque coniugium agnoscas, quod non pudoris ruina, sed pactio coniugalis constituit: quid pro desponsata intelligeret, in vxoris dictione explicuit; quid pro vxore innueret, in desponsatæ voce declarauit. Si coniux incipit esse ipsomet, quo desponsatur, exordio; nulla potest sub coniugij vocabulo dedecoris latere suspi-

Ambros. cio. Ambrosius lib. de instit. virgin. cap. 6. *Nec illud moueat, quod ait, quòd Ioseph accepit coniugem suam. Desponsata enim viro, coniugis nomen accepit. Cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugis nomen adsciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique, cùm iungitur puella, coniugium est, non cùm virili admixtione cognoscitur.* Probè. Non moras sustinet coniugis vocabulum, non pensitationem expectat illecebræ; cùm connubium initiatur, iam coniux est: voluntate, non voluptate contrahitur. Sic Maria coniux fuit ab sponsalium exordio: flos nominis principium est; quale incepit, sic in pudoris flore durauit. Hinc coniu-

Eustat. gium definiens Eustathius Odyss. *ὁ, ὁ δὲ γάμος βῆλας ὅτι ὁμίλαν τῶν συνάψεως.* id est, *Nuptia, seu coniugium, est coniunctio sponsorum ad inuicem* quod neutiquam intelligas de coniunctione tori, vt minus benè accipi video; sed de coniunctione, quæ in definitione nuptiarum adhibetur; nempe, quòd matrimonium sit *maris, ac fœminæ coniunctio, indiuiduum vitæ consuetudinem retinens.* Id sibi altè infixerat Chrysologus serm. 175.

verbis alibi datis: *Ipsa quoque Genitricis, Sponsa, Mater, & Virgo, in ipso Sponsi sui thalamo, in ipso coniunctionis suæ cubiculo genuisse, noua gratulatione miratur.* Coniunctionis cubiculum dixit, non dispendio pudoris; sed coniugij stabilis veritate. Benè Paschasius Ratbertus in Matth. Chrysol.

lib. 1. *Et ideò hic rectè virum accipimus; maximè cùm in eo affectus seruatur amoris, quod est verum coniugium, & in eo fructus sine coitu inuentus est nuptiarum.* Pasc. Ratb.

Quin vt viridiùs hic sacri coniugij vernet flos in ore Angeli primùm vox eius inuenitur, & quã dixerat Euangelista desponsam, Angelus coniugem appellauit. Obserua seriem Matthæi: *Cùm esset desponsata* (inquit) *mater Iesu Maria Ioseph.* Confestim fautem Angelum inducit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Cur non piget ab Angelo corrigi Euangelistam? Qui variauit dictionem, calamum videtur emendauisse Matthæi: hic sponsam, ille coniugem dixit. Vterque virgineè. Vt coniugis vox à lasciuiente sordidæ opinionis elueretur sapore; virginei Angeli, qui nec nubit, nec nubitur, linguâ profertur, non hominis; ne forsan à vocabuli acceptione sorderet in carneo labro. Quare sponsam nuncupauit, cuius vox etiam apud homines liliata est, & virginea. Sic acciperem non illepidè Chrysostomum hom. 4. in cap. 1. Matth. *Nec verò nomen Virginis memorasse contentus, addidit coniugem, haud ita vocaturus, si corrupta fuisset. Coniugis autem nomine sponsum intellexit; sicut eos quoque, qui adhuc sponsi sunt, generos appellare Scriptura consueuit.* Ergo si corrupta fuisset, non vocabulum istud Angelica lingua volutasset: innocui spiritus puritatem cum corporea coniugis voce colligauit, vt spiritale, virgineumque illud esse coniugium ostenderet. 31. Matth. 1. Chrys.

Virginius adhuc aliquid subdam. Scis, in patibulo ad mortis limen Dominum Virginem Matrem Ioanni virgini legauisse, non alij. Ostendit Mariam non nisi virgineo contubernio assueuisse; nec nisi cœlitùs, viro tradi potuisse, qui virginitatem testaretur. Ergonè cœlitùs fuit indictum coniugium cum Ioseph? Certè Angelus, qui pronubus fuit ad conceptum Filij Dei in vtero Virginis, ipse prior coniugem appellauit. Quid est, non antè insonuisse coniugis vocem. Vt innotesceret, quàm albida, quàm intemerata illius sacri coniugij societas, desuper quidem mandata, non concitata à luxu. Vnde, cùm recedere tentat, disiungique Ioseph, per Angeli vocem copulatur; sicut Ioannes per vocem Christi, vt vtrobique similia puritas, licèt dissimilis causa, monstraretur. Sic gestio enodare Chrysostomum, qui post data verba, inquit: *Quid autem est accipere? Domi profectò retinere. Iam enim illam mente dimiserat: sed dimissam, inquit, retineas, quam Deus tibi copulat, non parentes: copulat verò non in fœdus solemne coniugij, sed in consortium communis habitaculi, & copulat per mea vocis officium: sicut enim illam postea commendat Christus ipse discipulo; ita etiam nunc Angelus sponso, solatium tantum modò eius habituram absque fœdere nuptiarum.* Singularis cogitatus hicce est. Iniuriam suspicaberis, his, quas adstruximus, incuti nuptiis, dum Ioannis sodalitio æquiparantur: 32. Chrys.

nec

nec in fœdus solenne coniugij, sed in communis habitaculi trahuntur consortium. Si solenne fœdus abraditur, quid ratum remanet in coniugio? Imò solenne fœdus, commerciumque, genialem intelligas torum, & quod solenne est, id est, solet ad nuptias sequi: quod Mariæ vterus non expectauit, sed virgineè concipiens, hanc solitam sequelam matrimonio detraxit. Habeo pulchrum Ambrosij locum alibi expensum lib. de Incarnat. cap. 9. *Caro enim Domini, Spiritu in Virginem superueniente, generata, non expectauit virilis, fœmineique coitus solenne commercium.* Hæc solennitas detruditur à Chrysostomo, qui aliam copulam meditatus est per Angelicæ vocis officium; ne mortalis consuetudo, vsusque fœdaret humanus limpidi coniugij explicatum. Ideò quantum ad sodalitium, cum Ioannis comparat societate, non quantum ad causam. — Ambr.

33. Ex quo lucem capit difficilis Cyrilli Hierosolymitani locus catechef. 12. Flagellat Marianæ virginitatis hostes, qui ipsam impetebant Angelico iaculo: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, Græcè τὴν γυναῖκα, *mulierem tuam*, sicut in Cyrillo Latino est, qui sic fatur: *Meminimus enim & Iacob, qui priusquam Rachel acceperat, dicebat ad Laban: Da mihi vxorem meam. Sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, cùm tantùm promissio intercessisset, vxor Iacob nominatur; sic & Maria propter solam desponsationem vxor Ioseph vocabatur.* Curtè nimis desponsationem stringit, ad promissionem arctans. Cæterùm se prodit Cyrillus, quod non animaduertunt, quotquot illum expendunt: non detrahit coniugij firmitati, sed abstergit inquinamenti opinionem. Subdit enim illicò; *Vide autem Euangelij accuratam diligentiam, dicentis: Ascendit autem & Ioseph, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante. Non dixit autem, vxore sua, sed desponsata ipsi. Misit enim Deus Filium suum (dicit Paulus) non factum ex viro, & muliere, sed factum ex muliere tantum, hoc est, ex Virgine: mulierem enim etiam virginem appellari, prius demonstrauimus.* Fugit in Latina versione acumen Cyrilli, quod nititur in voce *mulieris*. Græcè enim γυνὴ *mulier* propriè est, quæ solet etiam accipi pro vxore, sicut in vernacula cuiusque lingua, præcipuè Hispana. Ergo sensus Cyrilli est. Sedulò Euangelistam dixisse *cum Maria desponsata sibi*, γυναικὶ, id est, *muliere*, quod vxorem transtulit Noster; non verò *cum muliere sua*, sed *desponsata sibi*; vt innueret, non à viro fuisse libatam; sed quoad partum non fuisse viri mulierem, vtpote non ex thalamo: imo solius Filij esse, qui insolidum dicitur apud Apostolum, *factus ex muliere*. En quæ se in Euangelistæ dictionibus accuratè concatenatis ingenium Cyrillus inuenit. Solùm ergo tenuit concubitum, non coniugium. Et quidem nisi γυναικὶ apud Lucam significet vxorem, insipidus sensus est, & algidus, *cum Maria desponsata sibi muliere*. Verùm non neges argutum Cyrilli pro virginitate cogitatum. Mulieris enim vox fœtum concernit, licèt non corruptelam: & Maria, qua mulier, id est, qua genitrix, & puerpera, non vllius est, vllique tradita, vt ex nuptiali iure grauidetur: solius est Filij, quem gignit; qui mulierem effecit, cùm matrem, vt alibi adnotauimus, & hîc suffragatur Cyrillus. Hinc & illud iam suprà notatum: *Mulier, ecce filius tuus*, idem fuit, ac *mater*: nam qui è Virgine reddidit Matrem, mulierem dixeris reddidisse, iuxta generandi stylum. Non ergo alius mulier est, qui totius prolis tota parens est. Cyrillus ergo qui *promissam* pro *desponsata* interpretatus est, fontem Græcæ vocis respexit; in quo hæreticorum sordes amantium abluit spurcitias; non verò matrimonij veritatem suffocauit. — Matth. 3. Hierosl. Cyrill. — Luc. 2.

Quare in desponsæ vocabulo ratum coniugium Scriptura commendat, loca cumulat Paschasius lib. 1. in Matth. & liquet ex Deuter. 20. v. 7. & 22. v. 23. & 25. Quæ loca expendens Rupertus in Deuteron. lib. 1. cap. 21. concludit: *Igitur functio coniugij non tam in coniunctione, vel commixtione carnis, quàm in Sacramento desponsionis est.* Ex quo matrimonium Virgini confirmat; sicut & Honorius prologo super Cantica. Nec par est, subticere Anselmum in Matth. cap. 1. *Vt diabolo (inquit) partus Virginis celaretur, vt cum eam grauidam videret, à Sponso, cui liceret, etiam in desponsationis tempore; grauidatam esse putaret.* Luculentius nihil. Strenuè contestatur ratum fuisse connubium: siquidem iure liceret ad torum: quantumuis in ea sit opinione Anselmus, vt putet nondum Virginem Patria reliquisse cunabula in Sponsi domum adscitam; quasi defecisset quidam nuptialis apparatus, quem gentis vsus, non matrimonij soliditas induxerat. Sic accipio ipsum in prædicto loco Matthæi. *Desponsatio fiebat per aliquod tempus ante assiduam cohabitationem: & interim erat sub custodia mariti sui vxor, & frequenti visitatione, donec solennia nuptiarum celebrarentur.* 34. — Pasch. — Rupert. — Ansel.

Maria nupta, vt deceptus diabolus virgineum ignoraret conceptum. Qua veritate & ingenio dicitur ab Ignatio?

SECTIO III.

Vestiganti causas, quibus diuina Sapientia statuerit, summam Mariæ virginitatem desponsæ subire flammeum, vmbraque mariti virginitatis flammam temperari; prior se obiicit causa nimiùm decantata à Patribus, quam ab Ignatio Martyre didicerunt, apud Hieronymum in cap. 1. Matth. videlicet, *vt partus eius diabolo celaretur, dum eum putat non de Virgine, sed de vxore generatum.* Hanc tamen nimio acore non ignobiles Doctores detrudunt. Scotus in 4. dist. 30. q. 2. Abulensis in cap. 1. Matth. q. 31. Quin & Maldonatus in Matth. ad illud: *Cum esset desponsata*, inquit: *Malo liberè fateri me non intelligere, quàm temerè reprehendere.* Ergo neruos intendere, operæpretium est, vt intelligi donetur, quod & reprehendi, & nondum comprehendi, dolemus. Et quidem in quod omnes fermè conspirauere Patres, quis audeat vel vngue extremo pungere? Dabo quos vidi, vt mens hilarior desudet in enucleanda ratione, quam vnus spiritus in maiorum nostrorum calamum inuexit. Indidit Ignatius, libauit Hieronymus, hausit Origenes hom. 1. in diuersos, & hom. 6. in Lucam, & hom. 1. in cap. 1. Matthæi. S. German. in encom. de S. Deipara apud Biblioth. tom. 8. S. Gregorius Thaumaturgus serm. 35. — Ignat. Hieronym. — Scotus. Abulens. Mald. — Ignat. Hieronym. Origen. S German. Gregorius. Thaumat.

Damas. Leo. serm. 3. de Annunt. S. Damascenus de orthodoxa
Chrys. Basil. fide lib. 4. c. 15. Leo serm. 2. de Christi natiuit.
Ambros. Euthymius. Chrysolog. serm. 146. Basilius homil. de humana
Bernard. na Christi generat. col. 2. Ambrosius in cap. 1. Lu-
Damas. cæ. Euthymius ibidem. Bernardus hom. 2. super
Odilon. *Missus est*, col. 6. Damianus serm. 11. de Annun-
Rupert. S. Thom. tiat. col. 1. Odilon. serm. 3. de Purificat. B. Ma-
riæ apud Bibliot. tom. 10. Rupertus lib. 11. de Victoria Verbi cap. 19. Et vt ex scholastica disciplina proloquium hoc etiam effluere, coniicij possit, assentitur illi, & expendit S. Thomas 3. p.
Magist. q. 29. art. 2. & in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. in quo & tra-
Vasq. Suar. ctauerat Magister. Dissertit & P. Vasquez 2. tom. in 3. p. disp. 125. c. 2. Suarius in comment. dictæ q. 29. art. 1.

36. Ergo acuenda mens est, perpoliendaque, non vt lógos assuamus tractatus, qua cognitione polleat dæmon? quid ei lucida natura concessit, nec abstulit flagitium? quid diuinâ ei absconditur potentiâ? Id fastidiosi pulueris est. Sat sit, sensum Patrum vtcumque eruere, huiusque proloquij momenta ex antiquis nouiter pendere, perpendereque: vt nostræ Virginis obsequiis parentur, nec aliquid sit, quod ab eius laudationis vacet famulatu. Igitur desponsatio Virginis vmbraculum aduersùs dæmonem fuit, qui tendiculas in quamque Virginem instruebat, vt impeteret vterum, quem inermem à flammeo, pallioque nudum maritali, & tamen pudicum cerneret, & feracem. Difficultas communis est. Quid ergo profuit connubium, vt non nosceret Sacramentum? siquidem perspicaci intuitu, quam non viderat à sponso violatam, Virginem concepisse calleret: nec satis erat ad vmbraculum vir, si impollutus thalamus cerneretur? Noscit dæmon quidquid corporeum est; claustrum pudoris Mariani nullis vnquam obediuisse clauibus ignoraret? Fœtum potuit videre in vtero pangi, quem masculi virtus non imbuerat: puerperam aspicere, nulla vulnæ vexatione enitentem: vndique vectibus viscera solidata rigebant, vndique Virgineis liliis constipata. Non ergo in matrimonio illuderetur, si forsan, ludum fuisse rideret, virum absque toro, nuptias absque iugali voluptate, quæ soboli inseruit inserendæ. S. Thomas respondet id verum, si naturali scientiæ dæmonis relinqueretur, cæterum prohibitum fuisse diuinâ virtute, ne modum conceptus, & partus vestigaret. Insur-
Scotus. git Scotus: Quid profuit vir? Quantumuis innupta maneat, eadem diuina virtus dæmonem obcæcaret, ne intenderet oculos, & ex alieno viro Mariam concepisse putaret. Infringit hanc re-
Suar. Sotus. plicam Suarius, & Sotus in 4. dist. 30. q. 2. art. 2. ad 2. solutionem ex Virginis innocentia petendam esse autumantes; quam adeò cognitam habuit dæmon, vt neutiquam suspicari potuisset, ex illicito concepisse toro. Quare si non vidisset desponsam, & nuptam, procliuiùs censeret desuper fuisse impletam, quàm ex impudicitia grauidatam. Benè. O qualis Mariana puritas, in quam ignorat inchi puritatis osor: & qui cœnosis criminum sordibus delectatur, nescit, illi impurum, lectum obiicere, opinarique luxum, quantumuis talibus prematur angustiis, vt satius sit, nouo illius vterum intumuisse prodigio existimare, quàm maculante illebrâ contabuisse.

37. Abulens. Verùm insurgit Abulensis. Potuit fieri ipsâ diuinâ opitulante virtute, quòd nec censeret dæmon ex alieno viro concepisse, nec proprio; sed cogitatum omninò obstrui, ne intenderet, an de viro, vel non, genuisset. In quo & illibata maneret suspicio Virginis apud dæmonem, & Sacramenti amicta maiestas. Ægrè se ab hac inuasione enodant, quotquot vidimus; imò nec illam attigerunt. Ast possumus enodare. Si videret innuptam, quantumuis illi conceptionis modus occultaretur: cùm tamen conspiceret fœtum in vtero, & aliàs nec à masculo illicitè genitum, quod sanctitas Virginis iudicabat; nec à viro proprio quem non habebat; anxius omnem lapidem moueret, vt modum, vestigaret. Et tandem ex disquisitionis conflictu eo ferretur, ibi aliquid latitare magnum & supra naturæ vsum: siquidem Angelicum captum fugiebat, & qualem cum sponso habebat securitatis, in qua confideret, vmbram, sine sponso non inueniret. Præcipuè quoniam non decebat eius cogitatum obstupuisse, vt cæcus, & stolidus obdormiret, nihil versans de Maria. Sapientius, & gloriosius erat callidum illum, & versipellem pristinæ fœminæ deceptorem, à noua decipi fœmina, quæ virum illi opponeret, à quo grauidatam censeret. Ergo doli auctor dolo petiit: nec vlteriùs in perscrutanda medullitùs Virgine curauit, quam nuptam videbat. Insurgere valebis. Et tamẽ opus fuit diuinitùs integritatem Virginis abscondi nouo miraculo. Non igitur ratio. Patrum efficax est, cuius vis absque alia miraculi nouitate ab illis intenditur. Sic P. Vasquez suprà, qui conten- P. Vasquez.
dit, sic rem componendam esse, quòd alio miraculo, opus non sit præter nuptias; ne præfixa ratio euitetur.

Quare putat rem totam componi, si dixeris, nõ posse naturaliter discerni, ân mulier sit integra, an violata: nam claustrum pudoris putat nullâ membranâ signari. Vnde ex matrimonio deceptũ fuisse dæmonem perhibet: quia cognoscere nequiuit, etiamsi corpus prospiciebat virgineum, virginem remansisse, quàm potiùs existimaret concepisse ex viro. Nimis suspiciosum hoc effugium est: pluribus possemus illud debellare. Etiamsi aliæ non suppeterent causæ, illud minimè ferendum esse admonemur; quoniam ipsos Patres, quos Vasquius assumptâ vindicat clientelâ, nimiùm ab eo abhorrero dignoscimus. Nam fermè omnes, qui hanc rationem, quam versamus, assumunt, non tantùm de virginitate concipientis, sed imò impensius de integritate parientis agunt. Quòd Maria non fracta fuerit in puerperio, non potuit dæmonem latere, nisi virtute impediretur diuinâ: cùm inturbatam vuluam, nec more hiantem fœmineo, intuitu naturali conspiceret. Imò Ignatij verba, quæ cæteri Patres sequuntur, potiùs efferuntur de partu, quàm de conceptu. *Cur à desponsata concep-* Ignat.
ptus sit: vt partus eius celaretur diabolo. Et saltem vtrumque fuisse illi occultatum, perspicuè Ignatius scripsit epist. 14. ad Ephes. *Principem huius mundi latuit Maria virginitas, & partus ipsius, similiter & mors Domini, tria mysteria clamoris:* vbi partus non significat ipsum Filium, vt liquet, sed Virginis partum: quia condistinguitur à virginitatis in concipiendo, mysterio. Tria ergo ista sic æqualiter condiuisa, supernaturaliter occultata dæmoni fuisse, constat. Quod de partu tenacius considerat Damascenus, eadem verba Ignatij re- Damascen.
petens orat. 3. de Natiu. Virg. *Vnum itaque ex iis, quæ quam maximè silebantur, ortus ipsius miraculum erat, vt quodam loco inquit vir sanctus Ignatius; & Principem huius seculi, &c.* Christianus Christ.
Druthmarus de Natiuit. Virgin. *Quarta causa, vt* Druth.
partus eius diabolum lateret, qui si eum de Virgi-
ne

38.

ne natum sciſſet, nunquam eum crucifigere ſuaſiſſet
S.Leo. Iudæis. S. Leo ſermon. 2. de Chriſti Natiuitat. *Quòd Chriſtus naſci elegit ex Virgine, nonnè apparet altiſſimæ fuiſſe rationis? Vt ſcilicet humano generi natam ſalutem diabolus ignoraret, & ſpiritali latente conceptu, quem non alium videret, quàm alios, non aliter crederet natum eſſe, quàm cæteros.* Dæmonem, quin & Angelos cœlites latuiſſe puerperij virginei modum, cecinit Nazianz. in car. de Chriſto patiente col. 44.

Nazianz. *Excubitor autem morte, qui tandem exitum.*
Senſiſſet illum, qui vel ipſos Angelos
Latet.

Perſpicuum igitur eſt, mirabiliter tectam fuiſſe dæmoni integritatem parientis. Quare vt quid ſubterfugiemus, tectam etiam fuiſſe mirabiliter virginitatê concipientis: cùm vtrumque procliui deductione ſe inferat? Si enim naturaliter ſolùm cum dæmone actum eſt in percallenda virginitate concipientis, & clarè videbat puerperam ſolidam manſiſſe, illicò potuit iudicare, abſque viro concepiſſe integram, quæ peperit ſana. Communiter etenim hoc argumento puerperæ Mariæ infractum ſignaculum probant Patres; quia illibatis genuit viſceribus. Præcipuè, eſto virginalia ſepta ad viri acceſſum non dehiſcant, nec vlla ſit virginitatis index membrana: ſi libera natura dæmoni relinquatur; cur non calleret, nunquam virum ſe Virgini implicuiſſe, nullum tranſmiſiſſe ſperma: ſiquidem id non poterat Angelum latere, quod & hominis ſub cognitione eſt. Intendunt abradere præteritorum memoriam Angelo, quaſi quod non fuerit, nequeat agnoſcere non fuiſſe: id futile, & abſque cauſa dici, nemo non viderit.

39. S.Thom. Ergo ſtandum in S. Thomæ veſtigiis. Sic arguit in 4. diſt. 30. quæſtiunc. 3. *Diabolus benè ſcit, quòd illa eſt virgo, quæ nunquam coniuncta eſt viro: ſed diabolus ſcire poterat, quòd Ioſeph nunquam carnaliter ei coniunctus fuerat: ergò per hoc, quod erat nupta, non occultabatur ei virginitas Matris Dei.* Reſpondet: *Quòd diabolus cognitione naturali benè potuiſſet perpendere virginitatem Matris Dei cum toto hoc, quòd nupta erat, niſi prohibitus fuiſſet à diligenti examinatione eorum, quæ circa ipſam erant, diuina virtute.* Quæ verba rem omnino produnt, ſedantque litem. Angelus naturaliter ſpeciebus pollet omnium, quæ exiſtentiam aliquando venantur; & in his, quæ naturaliter fiunt, intuitu ſimplici non inueſtigationis graditur anxietate. Cernebat coniuges, thalamum ignorabat: non illi thalami ſpecies, ſed connubij: ſuſpiciebat genitum in vtero, neſciebat genitorem. Promptum erat, vt perſcrutaretur, qua virtute proles illa fata fuiſſet, quomodo parta; quove partus ille prodierit. Sic ſenſim poterat aſcendere ad inferendam aliquam ibi cœlitus interceſſiſſe virtutem. Ideò diuina potentia omnem illi obdidit ſemitam veſtigandi ea, quæ circa Virginem fiebant, vt ſcribit S. Thomas: tantùm illi connubium obiectum fuit, vt ſibi putaret, ſat eſſe fœminam virum habere, vt dum concipit, non opus ſit vlterius examen, de quo conceperit? Quòd ſi innupta eſſet Virgo, non ſic tuta quies dæmonem mulceret, non haberet, quó remitteret: ſolareturque curas: nullum ſibi diuerticulum parabatur: nec poterat decipi, dolove teneri; cùm aliud ſit ignorare, aliud falli; & tamen recapitulatrici priſtinorum ſapientiæ dæmonem deceptione plectere, in deliciis fuit, vtpote qui primigeniam ſubdolâ calliditate deceperat. Benè Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt*, qui poſtquàm dixerat, ideò deſponſam fuiſſe Mariam, quia *Oportebat à* Bernard. *Principe mundi aliquandiu celari diuini conſilij Sacramentum*; ſubdit: *Vt ſicut diabolus prius ſeduxit fœminam, & poſtmodum virum per fœminam vicit: ita priùs à fœmina Virgine ſeduceretur, & poſt à viro Chriſto apertè debellaretur.* Et denique: *Quid ſapientius vno tali conſilio? ſecretis cœleſtibus & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis, & integra ſeruatur fama Virginis Matris.* Id etiam prodidit Damaſc. Damaſc. orat. 1. de Natiu. Virg.

Hæc ſic diſcuſſa præfixam Patrum rationem 40. ſynceris mentibus, nec amantibus iurgia, ſcabioſoque morbo laborantibus clarè manifeſtant. Qui explicatus eò verior, quò ſimplicior eſt, nobiſque blanditur. Sed liceat nouam aliquando ſemitam aperire, Patribus tamen vndequaque conſtratam illis enim medullitus inhærere, nec ſuperbè ſapere, à maiorum tramite, deflectentes, vota noſtra ſuſpirant. Itaque ſi placet, meditabar, non inuenuſtè S. Ignatij poſſe enodari rationem abſque vllius ſtimuli rebellantis timore: videlicet, quòd eſto dæmon ſignatum Virginis clauſtrum perſpexiſſet & dum gigneret, & dum pareret; adhuc tamen initum fuerit matrimonium, vt ex meritis illius abſque alio nouo miraculo ſeduceretur. Inſedit enim Patribus, quos iam ſubiicio, quòd dæmon poſt illud vaticinium Iſaiæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, ſuſpicioſus, & pauidus omnes virgines obſeruabat: vt ſi quam conſpiceret abſque viro concipere, virus emoueret, omneſque in ruinam tendiculas necteret. Ergo cùm illud oraculum vndè Virginem concepturam protuliſſet, nec vllum adderet matrimonij verbum, potuit putare ſciolus ille ex innupta virgine oriundum fuiſſe Emmanuelem; nec alicuius viri ſtrepitum ſpectabat, iugaleque fœdus; cùm neutiquam introrſum callere potuiſſet altam diuinæ ſapientiæ abyſſum, qua parabat non ſolùm ex virgine, ſed ex nupta naſci, aduerſa nimiùm illi viderentur extrema: nec vnquam apud Hebræum genus ac nuptiæ peractæ, quæ ex inſtituto ad virginitatem tenderent, non ad fœtum. Id cùm intricatæ nimium prouidentiæ, & ex ſacra prudentiæ calliditate fuiſſet, non potuit dæmonis occurriſſe cogitatui. Quare pronum eſt ſolùm attendiſſe innubas puellas quouſque nuptui traderentur: dum ſub viro conſpiceret, leuiebat curas? alióque iam obſeruationis ſpicula projectabat. En cur deſponſata Virgo. Abſceſſit ab obſeruatione dæmon, & quamuis generantem poſteà vidit, & parientem abſque viri pulſu, potuit haud ignauè coniectare, non illam eſſe Virginem prophetico vaticinio prædictam.

Firmemus iã iſta. Et quidem verba Ignatij non 41. aduersùs dimicant. Dixit: *Vt partus eius diabolo* S. Ignatius. *celaretur, dum eum putat non de Virgine, ſed de vxore generatum*: non dixit, *ſed de corrupta*, quod videbatur dicendum; nam Maria vxor verè fuit: nec in eo deceptus dæmon, qui putauit vxorem, quæ verè eſſet; ſed inquit, *Non de Virgine, ſed de vxore*; id eſt, non de illa Virgine antonomaſticè, quam prædixerat Iſaias; ſed de alia, quæ ſimul vxor eſſet. Igitur in ipſa deſponſatione ſeductus fuit, nec aliud ſibi expectandum exiſtimauit. Rem dedit, me iudice, Baſilius homil. de hum. Chriſt. generat. col. 2. *Dicta eſt à quodam ex priſcis &* Baſil. *alia ratio, quòd vt falleretur Princeps huius ſæculi, Ioſephi deſponſatio excogitata ſit. Quaſi enim quiddam, quod malum illum ſuſpenderet,*

dubiumque retineret, prætextus ille desponsationis in Virgine institutus est aduersùs illum iam olim obseruantem Virgines, ex quo audiuit Prophetam loquentem: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Seductus igitur est per desponsationem insidiator ille virginitatis. Igitur per desponsatiooem elusus est, qui io Virginem illam à Vate decaotatam sadulas palpehras mouebat iouenieodum. Saltem pendulus, dubiisque fluctibus hæteret agitatus, postquàm viderat puellam, & virgioeum seliquisse cœtum, flammeumque sumpsisse geniale: quod Basilius scitè animaduertit, dum ad tationem Ignatij sat esse præsensit, dæmonem suspensum, ancipitique actum dubietare riguisse. En pet solum connuhium versutus sespens seductus occubuit, oec Sactamentum intfospexit palho matrimali cootectum. Accedat Damasc. de othodoxa fide

Dam. lib. 4. cap. 15. *Quoniam autem ob illud Isaie vaticinium: Ecce Virgo concipiet. &c. hostis ille salutis nostra sedulò virgines obseruabat; idcircò, is qui sapientes in versutia sua comprehendit, vt eum, qui sapientia nomine sibi se semper effert, in fraudem impelleret, puella Ioseph à Sacerdotibus despondetur.* Sat est desponsam fuisse, vt impostura fieret impostori: qui, quamuis demus, virentem Virginis conspexisse pudorem, simulque humaoo pignore grauidam; oon habebat, ex quo coniiceret, semper Virginem permansuram nunquamque posi hac viri sui fœmineis vsibus mancipaudam: potiùs stabilitas matrimonij, speciesque maritalis, quæ serendæ soboli assolet studere, potuit in aduersum, eius impellere cogitatum, aliquando in posterum thalamo vacaturam (quod diaboli satellites hæretici impudēter effutiunt) ideóque non esse eam Virginem, quam perpetuam stylus propheticus innuebat, vt quid ad partum diuinom omnino consectaneum: nooaliud ei nomen, nisi *Virgo* apud Vatem io quo loci nulla connubij prædictio. Subsignat huic cogitatui S. Germanus de sanctâ Deip. col. 3. *Tuncque diuino,*

Germ. *& Sacerdotum consilio, de ipsa sortitio fit, forteque Ioseph illo iustus sanctam hanc diuina dispensatione à Dei templo, Sacerdotibusque ipsius accipit, ad serpentem illum, malorum archetypum decipiendum.*

42. Nec hoic explicationi detrahas; cum saltem inficiari non valeas, vt hæreret in ancipiti dæmō, sat fuisse expectare Virginem solùm, & cernere desponsam. Quamuis aliàs orbum thalamum videret, nec hymenæo turhatum, nec vxoriis functum officiis Dabo Maximum patronum, qui fatetur, dæmonem deceptom fuisse; solicitéque nutātem inducit; & tamen cognouisse virgineè cooceptum, sanisque visceribus natum Virginis Filium. S. Maximus hom. 1. de ieiunio. Sicio lubrico coo-flictu dæmonem in desetto depingit, dum iam-

S. Maxim. iam imperere parabat Dominum famescentem: *Animabat illum præsumere congressum partus fœmineus, sed terrebat virginitas parientis. Quamuis enim Christum Maria, Eua vtique filia peperisset; non tamen eum conceperat de Adam. Voluebat secum, vt arbitror, atque admirans dicebat: Quis est iste, qui, nesciente me, hunc ingressus est mundum. Noui quidem, quia de fœmina natus est, sed nescio vnde conceptus. Astat ecce Mater; sed Patrem inuestigare non possum: & quod stupori meo accrescit, inconsueta lege pariendi, etiam edito Filio, Mater exulta, vt Virgo.* Congratulor libens Maximo. Etiam apud dæmonem Virgo nostra viuit: nec à viro patitur iacturam pudoris; nec à puetpetio, turpitudinis vulnus. Cui non Virgo Maria, si dæmooi est? Pudeat, ô Hebion, ô Heluidi. Vrbanior cum fœmina diabolus ast: non fœminæ amore, quam ab exordio sauciauit; sed veoerahilis Mariæ maiastate. Eo virginitate cognitâ, adhuc lubsicus in agnoscenda cæspitat prole. Fefellit etgo, quòd oupta fuissat.

Verùm comooiunior Patrum senteotia est, ab sponso grauidam credidisse diabolum, geoitricisque, & puerperæ virgineum ignorauisse miraculum: qood si percalleret, Filium Dei ptooā de-43.
ductione Intulisset. Origenes. hom. 6. in Luc. *Statim cogitatio diabolo tacita subrepsisset: Quomodò ista, quæ non concubuit cum viro, prægnans est? Debet iste conceptus esse diuinus; debet aliquid humana natura esse sublimius.* Anselm. in c. 1. Matth. Orig.
Vt diabolo partus Virginis celaretur; vt, cùm eam grauidam videret, à sponso, cui liceret, etiam in desponsationis tempore grauidatam esse putaret. Ansel.
Beda io cap. 1. Luc. *Ne partus eius diabolo pateret, qui, si eum de Virgine natum cognosceret, forsan quasi cæteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret.* Imò si cooceptum virgioeè suspiceret, mortem intra viscera quæsiturum puello, scribit Chrysolog. ser. 146. *Hinc est, quòd prouidetur sponsus, prouidetur maritalis species, vt celet miraculum, vt velet Virginis partum, vt furentis insidias sic eludat. Christus, quamuis morti deditus, in vtero si fuisset extinctus, mors præceps, quod nostra saluti venerat, abstulisset.* Christian. Druthmar. de Nat. Virg. *Vt partus eius diabolum lateret, qui si eum de Virgine natum scisset, nunquam eum crucifigere suasisset Iudæus. Sciebat per Scripturas, quia nasceretur; sed in hoc deceptus est, quia de muliere putauit* (id est, de corrupta) *fuisse natum.* Beda. Chrys. Christ. Druthmarus.

Hoc verum sit: non infringuotur nostro explicatui vires. Sat est, vt eum deciperet desponsatio, 44.
quò in ipso ouptiali fœdere seductus abscaderet: tuncque apprehenderet immobiliter, non esse illam puellam, quam vaticinia parabant, oracula atiolabantur: cui in illis nullum assuebatur connubium. Vt vigeat hæc ratio, non opos est subsequentia ad nuptias spectare. Peracta fuit in ipsomet cooooubij exordio sapiens impostura: seductus, & inglorius abiuit serpens antiquus, qui primigeniâ adorsus, in ipso ferme conoubij exordio fefelletat. Sufficit vel paruo tempore dæmonem seductum abscessisse, nec illicò agnouisse mysterium, quem saltem tunc desponsatio turbauit, reddiditqua securum. Habeo pro hoc explicato Pattes. Greg. Thaomat. serm. 3. de Annunt. *Cur desponsatam? Ne citiùs latro mysterium cognosceret. Quod etenim per Virginem Rex venturus esset, improbum non latebat. Nam & Isaia illa verba ipse audiebat: Ecce Virgo in vtero habebit. Quare & quotidie Virginis vocem obseruabat: vt, vbi mysterium hoc adimpleretur, infamiam præpararet. Atque ideò Dominus per desponsatam venit, vt improbum lateret: quæ enim desponsata fuerat, deinceps sponso tradenda erat.* Eapeode illud: *Ne citiùs latro mysterium agnosceret.* Quod & dixit Gregorius Thaumat.
Bernard. hom. 2. super *Missus est. Oportebat à Principe mundi aliquandiu celari diuini consilij Sacramentum.* Omnium optimè Germ. suprà: *Ad serpen-* Bernard.
tem illorum malorum architectum decipiendum; ne eā tanquam Virginem, & puellam adhuc integram adoriretur; sed tanquam desponsatam iam præteriret. Ad- Germ.
stipulatur Euthy. ad c. 1. Luc. *Audierat Prophetas annuntiasse, quòd esse à Virgine nasciturus, ideóque virgines obseruabat. Placuit itaque Deo, vt* Euthymius.

Vir

Virgo, quæ in habitaculum suum segreganda erat, viro desponsata esset: vt hac relicta indesponsatas improbus ille obseruaret. Vt omnem in aliis innuptis puellis procacem saginaret intuitum, socordique despectu à Maria auerteret cogitatum; quam conspiciebat desponsam: ideò accensæ fuerunt tædæ connubij. Si tunc elisus est, eiusque calliditas seducta, astusque astu deuictus, quid ampliùs expectamus? Quid iurgia mouemus aduersùs rationem Ignatij? Pudetne est etiam per breue tempus dæmonem fateri seductum? Imò datâ operâ *coniux* Maria vocatur etiam ab Angelo ante puerperium, pòst autem solùm *Mater*. Cur sic? Quia iam non opus erat dæmoni subsannare, cùm circumfluerent prodigia, quæ Filium Dei contestabantur. Origenes, quem audisti: *Et quare ante generationem coniugem dixit? Propterea vt diabolo occultaret, & postmodum perfecto Sacramento, atque generato Vnigenito ex ipsa Virgine, post laudem Angelorum, & pastorum, & adorationem Magorum, iam non erat necesse, vt coniux diceretur, sed mater.* Quid pro nostro cogitatu melius? Origen.

45. Accedit, quòd Deus non tantùm amat potentiam, sed prudentiam ostendere; arteque vincere non robore: nec solùm fortiter, sed suauiter triumphare. Liuidus, & superbus non phalange, sed humilitate debellandus erat: vafer, & callidus non armato milite, sed subdolo ingenio oppugnandus. Vicerat ille fœminam mollibus insidiis, blandientibusque lacteæ seductionis lenociniis: hac semitâ meruit iugulari. Nubit Virgo; ne, si innupta, ex singularitate super humanam crederet dæmon prouehi consuetudinē, & plusquam fœminam esse, quæ, quas filiæ congregauerunt, dotis, sobolisque diuitias supergrederetur vniuersas. Tanta est Maria, vt opus fuerit declini conuersatione eius supprimere celsitudinem, radiosque velare nuptiali pallio, vt superbè sapientem debellaret: imò tanquam cæteris hominibus æqualis prætiretur à dæmone; nec ibi venena et spicula, vbi ex nouitate excellentiæ timeret à ruina. Si forsan Maria ideò desponsata fuit, ne ab eius maiestatis claritudine icti oculi caligarent; nec putaretur humana, quam eximia virtutum prærogatiua arduam à genere collocabant? Certè sic sensuit Athanasius epist. ad Epictet. col. 4 expendens illa verba: *Ecce Virgo concipiet*, quæ diximus nouisse dæmonem: *Gabriel porrò ad illam ipsam legatur, neque simpliciter ad quamuis virginem; sed Virginem desponsatam viro: vt ex sponso ostenderet Mariam verè hominem esse.* Mira causa! Quid est, quòd sponsus instruat de natura? Quia matrimonium, maris & fœminæ coniunctio est; nec possunt dissidere in specie, qui in vna carne duo constantur. Perpende illud: *Vt ex sponso ostenderet, Mariam verè hominem esse.* Obserua circulum. Potiùs infertebatur, vt ex ea desponsata ostenderet eam verè hominem esse. Quid confugit Athanasius ad sponsum? Eò Diuinitas Virginem impleuit, supernisque pignoribus penetrauit; eò virtutum exculta miraculis, spiritalibusque dotata muneribus in sublimitate super naturam excreuit; vt etiam postquàm nuptui tradita fuerit, non ex se ostenderet humanam, sed ex sponso; qui, cùm homo esset, non potuit vxorem ducere, nisi fœminam. Similem formam exigit coniugium; nec in exteris naturis animi solidantur in *vnum*. Fœminam esse monstrauit coniugium, vt absterreret, dæmonem, qui non deprehenderet fœminæ filium esse Deum. S. Leo S. Leo. hom. 6. de Natiu. Domin. *Nascitur Christus ex fœmina, vt sicut Adam decipientem per illam diabolum non potuit præcauere; ita diabolus aduentantem per Mariam Deum, non deprehenderet esse præsentem.* Ergo desponsata, vt verè mulier crederetur. Druthmari data verba fauent: *Sed in hoc deceptus est, quia de muliere putauit fuisse natum.* Mulier quidem erat, sed Virgo, sed sublimis. Ergo ad sponsalium intuitum dæmon lætabundus abscessit; iam, quam homo duxit, nouit humanam, nec Emmanuelis virginem putauit: quā sub iugo hominis fabri conspiciebat subductam. Deceptus fuit in homine, qui deceperat: & qui erecto supercilio altum sapere gliscit, Deum in homine, & de homine noluit credere nasciturum. S. Odilo serm. 3. de Purificat. apud Biblioth. tom. 10. *Vna eademque res fuit, & quòd de paupere Matre, & quòd de desponsata Virgine Christus nasceretur: vt videlicet Virginis partus Diuinitas, quæ erat in homine vsque ad tempus præfinitum à Deo, diabolo, & mundi Principibus celaretur.* Eò deiicit iugalis potestas, eò premit coniugij nodus arctatque laxam naturæ fœmineę libertatem, quàm subiugat vir, dominantis arbitrio, stringens animum, nedum corpus in votum sui; vt non putauerit dæmon ex vxore Filium Dei generandum: quæ tunc se prodit mulierem, & ex osse conflatam, cùm sustinet virum. Discite, virgines, vestram agnoscere dignitatē. De Virgine, etsi prodigium amoris erat, oriundum Filium Dei non detrectabat credere dæmon. Cæterum de vxore non id sibi poterat insigere: nec Domini Matrem vxoriis retibus, obsequiisque infimis, illigatam: nec timebat à partu, quem de desponsata nouerat euenisse. Ambrosius in c. 1. Luc. exhibens causam cur fuerit desponsata: *Non mediocris quoque causa est, vt virginitas Mariæ falleret Principem mundi: qui, cùm desponsatam viro cerneret partum non potuit habere suspectum.* Vxorem suspicit, non suspicatur tyrannidem esse propulsandam per eius Filium, quem Deum esse ex coniugata fœmina genitum recusabat. S. Odil. Ambros.

Ea ars fuit, quieto illapsu, mutoq; descensu diuinum rorē in sacrum Virginis imbibi vellus, quod dæmonē lactaret, & falleret. Audisti illud: *Descendet sicut pluuia in vellus.* Vtquid vellus ad Incarnationis symbolum? Dixerim Mariæ vellus fuisse connubium, quo velata simul, & vallata processit. Nec tædeat vellus accipere pro connubio: nam pro nube passim reperies. Lucanus lib. 4. 46. Ps. 16. 7.

——— *Phœbus aquis densus in vellera nubes*
Sparserunt. Lucan.

Paulinus natali 6.

Lactea quæ tacito labuntur vellera cælo. Paulin.

Pulchre sub vno vellere & virginitas exprimitur, & connubium. Pluuia descendit in vellus, in nuptam Virginem diuinus ros: vt innotescat, nec lædi Mariam à nuptiali nube, nec à pluuiæ conceptu temerari. Nec satis. Imò vtrumque, vt dæmon fraudatus abiret, roridum non sentiens descensum in vellus, quod absque strepitu, ore silenti, pluuiam ebibit è supernis. Huc spectat Andreas Hierosolymitanus in Salut. Sanct. Mariæ in principio: *Quomodò verò adest? Nullis certè stipatus satrapis, non Angelorum secum ducens exercitum, non suum iactans expeditionem; sed quietè, ac submissè, id agens, quo tenebrarum Principem lateat, quo prudente illaqueato serpente, captaque Assyrio illo dracone, spolia auferret.* Andr. Hierosol.

47. Si forsan pari venustate Iucarnatio sub vnctionis vocabulo effertur, oleumque nuucupatur effusum Filius Dei, qui vterum Virginis insueeauit: oleum enim absque strepitu illinit, mulcet absque susurto, & vsque ad inttanea permeat tacito vestigio; carnemque impinguat, oec sonat, dum sanat. Concipi in Virgine, vugi fuit. An gymnasij mote ad athleticam pugnam? Vt pogilem diabolum silentio vinceret, non lacerto, silentet vt oleum se in Virginem insinuauit: ideò desponsatam, vt securiùs delitesceret oleum, quod mariti nomen seruaret. Damian. ser. 11. de Annun. Damian. col. 1. *In huius vtero maiestas Altissimi mirabiliter liquofacta, sicut adipe, & pinguedine replenis terras, infudit cælos, inferna respersit.* Et paruo interuallo: *Qualiter Deus in hoc ventre concipiatur, decipiatur diabolus, recipiatur perditum.* Addit Damianus: *Hic diuinis manibus vultus est oleo lætitia, & sicut ad altare in summum Pontificem consecratus.* Ecce alterum aduersùs dæmonem vmbraculum: *De hoc altari ad aram crucis ascendens proprio cruore, tanquam alterius generis oleo perfusus, iam non solùm consecratus, sed consecrans, totum corpus machina mundialis largiori ligamine copulauit.* Vterus Mariæ altare fuit, quo initiatus, oleoque illitus, quo delibutus Filius Dei fuit.

48. Consule vmbram, altare videlicet illod, & propitiatorium, quod duo Chetubim coostipabant. Exod. 25. Hos sexu distinctos, maris, & fœminæ exhibuisse Rabbi Salom. formam non vnius Rabbi Salomoois censio fuit Arias Mont. etiam placuit Arias Montano lib. de Noë titul. de propitiatorio. Quàm virginea iugalitas! Angeli neque nubent, neque nubentur: virginitas sexu non scinditur; & tamen Cherubim sub sexus distinctione exlamut; cùm tamen iugiter alterius ad alterum versa facies intenderet. Potuit aduersùs Angelicam puritatem imminere dispendium? Sed qui, in igne decocto metallo, in Cherubica simulacra conflantur, nunquam potuerunt impura mixtione conflari in vnum. Non solùm Chetubim, sed metalla sunt, etsi dispat sexus, etsi compar sodalitas, non timeas ab ære: pudot, quem celte induxit, quem Angelus amat, non ærugini dabitur, noo libidinis mueroni patebit; propitiarorium medium est; etsi coniuges videantur, non iungentur. Cur ita disposuit Sapientia? Vt coniugium adumbraretur virgineum; vt constiparetur veritatis atca: ad Mariam & Ioseph præsagiebatur. Quid hæc ad latibulum aduersùs dæmonem? Hos Cherubim eosdem esse cum Seraphim apud Isaiam, Prado in Ezechiel. putauit. Prado. Bernard. De Seraphim autem Bernardus dixit, expansis pennis caput, & pedes Domini velauisse, vt hac volucti nube tegerent dæmoni Deum hominem, verticem scilicet, & vestigia, in quibus Diuinitas, & humanitas signabatur. Sic ille ser. 5. de verbis Esaiæ: *Duabus velabant caput eius, & duabus pedes, vt nec alta Dei, nec profunda eius iniquus ille valeat contemplari.* Et postea: *Ex hoc pedum velamento factum reor, vt nesciens Regem gloria fecerit crucifigi.* Ergo si omnia colligas, non infaustè cognosces Virginis matrimonium vmbraculum aduersùs dæmonem fuisse; vt quantumuis oculos acueret, propitiationis non cerneret Sacramentum Iuuat Germanus orat. in Natiuitat. Germ. Beatæ Mariæ: *Salue non manufactum tabernaculum, atque à Deo conditum, in quo semel in consummatione sæculi solus Deus, ac Summus Pontifex introinis, occultè in te rem faciens diuinam; Sanctorum alterum velamen, in quo elegans propitiatorium, seu operculum arca testamenti veteris, & Cherubicum venerandum vmbraculum, quatenus ipsum noxiarum adytum Dominum in vtero sub velamento vterum gestans abscondisti.*

Matrimonium è virginitatis exemplo trahere vnitatem, docuit coniugium Mariæ, & Ioseph.

Sectio IV.

QVOTQVOT Matrimonij ioter Mariam, & Ioseph veritatem deturbare contenduut, 49. hoc vno iaculo minantur, quòd vel Mariæ virginitas periculum subire cogeretur, vel matrimonij trucidaretur essentia, quę incumbit proli quæ incubat genialibus officiis, & ex mixtis corporibus speciem prorogare solicitat. Votum virginitatis nuocupauisse Mariam, in cóperto est: quomodò officinæ procreandæ sobolis se dederet (inquiunt) quæ solo maritali flammeo deturparet pudorem? cùm scitum sit illud Hieronymi Hieronym. lib. 1. de Patriarch. *Vouentibus virginitatem, non solùm nubere, sed velle nubere, est damnabile.* Non his scholastico more implicemur: nauarunt viriliter hanc operam iam Theologi cum Magistro in 4. distinct. 30. vbi dilucidè S. Thomas quæst. 2. Magister. diffusè P. Vasquez 2. tom. in 3. part. disput. 125. S. Thom. à capit. 5. Suarius disput. 7. section. 1. Duo nobis Vasquez. P. Suarez. versanda sunt: Matrimonium à Virgine contractum, etiam iuxta sui essentiam, virginitatis oon detraxisse nitori, potiùs præstitisse obsequium; Et matrimonij prouentum fuisse purissimam inter Ioseph & Mariam vnionem, vt doceret virginitas sapientiori arte pollere ad conflandū coniuges in vnom, quàm sordida thalami maous. Quid gloriosius pro Ioseph seruasse Virginem suam, seruisse Matri Domini sui; & in vnum cum Maria euasisse: vt omni gratiarum censu, prærogatiuarum thesauro, cœlestium Sacramentorum dote ex indiuisa communiooe frueretur; nec laudatorius calamus indigeret exteris illum collaudare præconiis, sed ex vxoris aula totam ad eius laudes hauriret disciplinam.

Ergo institutum est, monstremus matrimooio 50. quædam virginitatis inesse semina: quod si, vt pertingat ad sobolem, opus est infortuoio naturæ pollui, & in toro accubitus casu consterni (ideò casu, ideò accubito, quia flos pudoris cadit, & occumbit) attamen primaria eius essentia est vnitati incumbere, diuisionem odisse; aoimos, & corpora cousolidare: quod quidem ex virginitatis, opus est, addiscat lege, quæ amat vnitatem, numerum execratur. Quòd si absque inquinamento, iniuriaque pudotis, contingat proles, omne tulit punctum virginea matrimonij excellentia. Has dotes coniugium Mariæ, & Iosoph sortitum fuit, in quo contigit, qood in eminentioribus causis solet: tunguut in vno, nobilissimo delectu, quidquid perfectionis dispergitur in infimis: colliquataque puritate, erudetatis fæcibus, quod optimum est, capessunt. Huc respiciunt, quotquot solent adduci ex Augustino, Victorino, & Gersone. August. tom. 7. lib 5. contra Pelag. cap 12. August. *Propter hoc in illo, quòd secundùm Euangelium coniugium nuncupaui, omnia tria bona nuptiarum*

dixi

dixi esse completa: fidem, quia nullum adulterium: prolem, ipsum Dominum Christum; Sacramentum, quia nullum diuortium. En tria bona coniugij. Annè malum est concubitus? Neutiquam, in quibus non nisi per concubitum proles. Cæterum, optimum est in eminentiori causa inferioris indole carere, licèt indoles illa praua non sit, Pergit Augustinus: *Non ergo quia dixi omne nuptiarum, id est, hoc tripartitum bonum in illis Christi parentibus fuisse completum; propterea hoc dixisse putari debeo, sicut insimulas, vt quidquid aliter fuerit, malum esse videatur. Dico enim & aliter bonum esse coniugium, vbi proles nisi per concubitum non potest procreari.*

51. Hugo Vict. P. Vasquez. His vestigiis Hugo Victorinus inhæret to. 3. lib. de Mariæ virginit. cap. 1. quem immeritò P. Vasquez in eam opnionem extorquet; quasi senserit præcipuam causam, matrimoniique finem fuisse, vt vir, relicto patre, & matre, adhæreret vxori suæ, non commixtione carnis, sed affectu charitatis; sobolis autem generationem posteà ob generis necessitatem accessisse præter coniugij primam conditionem. Absit, quòd Hugo hoc sibi diuerticulum extra communem parauerit semitam. Enucleauit quod cupimus, & in quod Theologorum debet conspirare chorus; videlicet, matrimonij essentiam non in vsu thalami, sed in primæua adinuicem corporum potestate consistere: vt ex iure vinculi coniugalis duo congruant in vnum, rudisque corporea moles hac asciâ doletur fœderis arte, etiamsi nondum mixtio corporum intercedat. Mens igitur est, connubium constitui ex consensu, mutua corporum traditione, non ex thalami nexu, qui solùm implicitè & ex consequenti infertur. Quare ritè stat connubij essentia, quin cadat in concubitum coniux.

52. Igitur nuptiæ inter Mariam & Ioseph ostenderunt, nuptias ad castimoniæ scopum collimare, & ex virginitatis exemplo trahere institutum: quippe quæ licet ex secundario effectu, qui secunda perfectiò nuptiarum nuncupatur, virginitatem adimant; tamen in primario consensu, in quo consistit essentia, virgineum sibi adsciscunt ornamentum. Nonnè vnitas virginitatis amor est, laus, & officium? Id ipsum peragit matrimonij fœdus; dissimilis materia, similis ars: felicior in virginitate, difficilior in coniugio. Virginitas è corpore, & spiritu spiritum construit, contrahit membra, ne vagentur; cogit in vnum, ne multiplicitate secetur. Matrimonium è corpore, & corpore corpus & animum consolidat; duo arctat in vnum. Nobilius ingenium, tam dissita conserere, tam carnea conflare, tam dura mollire, tam mollia obdurare. Ideò laus nuptiarum virginitas est. Ideò quòd nascitur ex nuptiis, virgo est: natura præuenit arbitrium; virginem edit prolem: sic maneret, nisi arbitrij licentia temeraret. Quid causæ? Quia vnitas primo construit matrimonium: signat genita proles coniugium appetere vnitatem: siquidem pro fructu virginem exhibet. Ambrosius lib. 1. de virginib. *Non vtique dissuadeo nuptias, sed fructus sacræ virginitatis enumero. Nec potest esse virginitas, nisi habeat, vnde nascatur.* Nascitur ex nuptiis virgo, quasi virginitatis fructus sit; non quà corrupta per thalamum, sed quà per matrimonij vnitatem delineata.

53. Respice primordia: materiem hominis contemplare, etsi latericiam, etsi ex argilla; tamen virginem ab exordio: nondum ferrum terram prosciderat aratro, nondum contriuerat ligo, nondum extera pluuia maritauerat: pudica, & virgo ad structuram hominis parabatur: quod disserit Tertullianus lib. de carne Christi cap. 17. *Virgo erat adhuc terra; nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam.* Ad quid tam sedula Dei opificis cura? Vt hominem procreet ex virgine. Si procreat ad nuptias, vt sobole prognatâ successiuisque partubus repleat terram: cur parentem terram virginem meditatur? Vt discat connubij leges, noscat nuptiarum honores. Virgineè format hominem ex virgine terra: virgineè Euam ex virgine Adamo: quamuis ipsa formatio flammeum sit hymenæi, nuptiale velamen: nam manu pingit, voce despondet, opere coniugium destinat. Parabat duos componere in vnum. Quid aptius, quàm à virginitate ordiri? Apparatus virgineus est, vt firmiùs vnitas conflaretur. Imò iacet soporatus Adam, dum costa auellitur, & in ipsa auulsione coniux illi dolatur, & velatur. Dormitnè, ne sensus carnis illudat illum, & incipiat carnis experiri contactum, dum contrahitur coniugium? Iacetnè sopitus, animo vigili, corpore constrato: vt noscat more virgineo priùs in matrimonio, animorū, quàm corporis solicitari vnitatem: ideóque corpus stupidum recubat, mens elucubratur? Benè. Sed qui immisit soporem, dum detraxit costam, soporem pro costa rependere innuit: quasi coniux sopor carnis esset, animique vigilia priùs animo, quàm corpore coniuganda; & à virginitatis ordiendum esset disciplina, quæ stupida reddit membra, & soporata, vt viuacior animus intendat vnitati. Immisit soporem, inquit: at sopor non foris venit, causatur abintus. Sed sopor ecstasis fuit, & excessus à sensibus. Augustinus: *Ecstasis hæc, quam Deus immisis in Adam, vt soporatus obdormires, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per ecstasim particeps fieret, tanquam Angelicæ curiæ, & intrans, in sanctuarium Dei intelligeret nouissima.* Minùs aptum coniectabis esse medium hoc ad nuptias paragendas. Quid cœlesti curię cum nuptiis? Quid Angelis cum connubio, qui nec nubent, nec nubentur? Qualis hæc disciplina viro pòst futuro? Virginitatis aula schola matrimonij est: ab Spirituum cœlestium vnione ad vnionem instruitur coniugij: vt Adamus ex ecstasis reliquijs nuptiarū indolem percalleret. Vnde in illa verba prorupit, diluens soporem: *Hoc nunc os ex ossibus*, &c. *Et erunt duo in carne vna.* Non dixeris, hoc ebibisse in somno, quod pòst somnum eructauit? Vidisse Deitatem tunc, non vnius censio est. Ergo ibi numerum personarum indiuisâ vnitate persistere cognouit; idque euenire ex virgineæ fœcunditatis Sacramento. Ergo se resumens simile contemplatur arcanum in se patrari, duo in carne vna in vnitate numerum, etiam ante corporum mixtionem, virgineis adhuc membris, vt illa virginitas, & vnitas cœlestis præmonuerat. Iuuat Bernardus sermone 2. de Septuagesima: *Qualis autem ille sopor dicendus est? Mihi quidem non nisi incommutabilis veritatis intuitu, & abysso diuinæ sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormisse videtur. Quod ex eius verbis vel maximè coniici potest. Rediens nimirùm indicat, quò abisset; dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans: Hoc nunc inquit, os ex ossibus meis: & propter hoc erunt duo in carne vna.* Ex Adami verbis coniectat Bernardus, quò per soporem abisset, illum

Tertul.

August.

Marc. 12. 25.

Gen. 3.

Bernardus.

illumque in diuinæ veritatis immittit introitum, in diuinæ sapientiæ immergit abyssum: quasi vnitatem in numero pangere nequiuisset, nisi Trinitatem in vniare conspexisset, quam veritas, & sapientia construit, vtpote per intellectum, in quo veritas, & sapientia est, gignente Patre.

54. Quibus vt fidas, denuò perpende illud: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Obseruo dictionem *Nunc.* Quid est, quòd nunc os, carnemque tui appellas? posteà nè caro tui non erit? Tibi coniux nubit, tibi absque tedis, & cereis sponsa nuncupatur: caro tui erit, dum superstite connobio vixerit: vt quid tam curtis metis, ossis, carnisque vocauisti portionem? Arctus matrimonij nexus vnam carnem ex duobus coagmentat. Sed tunc vnitas hæc maiori vinculo viget, cùm adhuc virginitas fracta non est; cùm nondum thalamos euolutus: *Nunc* recens è virgine terra, è virgine Adamo. Eua virgo extructa, *nunc* vna caro est, *nunc* vnum ex ossibus, *nunc* in carne vna magis vnum *nunc* quando è cœlo, quò per estasim abiit, venit Adam: vbi vnitas ex virginitate est. Quasi diceret: Reliquæ vxores ex illecebroso coitu enascentur, ex nuptiis, & vitiis prodibunt. Nunquàm talis vnitas contingeret, vt ex homine vno fiat vxor, & vir, nondum virginitatis contuso flore: ideò solùm nunc, quando nondum temeratus est pudor, adeò communio vnius carnis excreuit, vt nunc sis os ex osse, caro ex carne. Quibus fauet

Diod. Diodotus in Catena Lippomani. *Hoc nunc est, declarare volens, nullam amplius ex ossibus viri nascituram, haud formandam esse; sed deinceps marem, ac fœminam ex vxoris virique concubitu nascituros fore.* Arridet Chrysostomus ibi. Vnde Hebraicè est

Chrysost. vox הפעם *Hapaam*, quam Interpres, Chaldaica, &

Chald. Sept. Septuaginta *nunc* transtulerunt; alij verò *hac vice*; *semel* verterunt. Videas, quid profit virginitas, etiam ipsi coniugio: nunc vna caro duorum est, nunc solidum os, mollitaque membra ante mixtionem illecebræ confluunt in vnum, cùm adhuc regnet virginitas, nondumque vlla carnis blandimenta transierint. Præclara aduersùs Iulianū, Pelagianum, & Vuicleffum probatio, qui prauè volebant, nuptias non consistere, vbi concubitus non accesserit. Abfis. Imò non ignobilium auctorum sententia est, Adamum genoisse Caimum anno decimoquinto à creatione, toto non experto tribus lustris; vt videre est apud Petrum Comest.

Petr. Comest. Vincen. Bellou. D. Anton. Abulens. in Genesim cap. 25. Vincentium Bellouacens. in Speculo histor. lib. 2. D. Antoninum 1. pat. histor. tit. 1. cap. 1. §. 4. Abulensem tractat. de optima politia, num. 65. En qui tot annis procul à thalamo, ab exordio tamen formationis Euæ maritus fuit, exindeque viti nomen assumpsit, viraginemque fœminam nuncupauit, eaque verba protulit, blanda quidem, & saccharo plena, quæ inter vtrumque indiuisam signarunt vnitatem.

55. August. Imò ex tune homo vnus factus est, quando incepit non esse solus. Nouus est Augustini stylus lib. 12. de Ciuit. Dei: *Factus est ergo homo vnus, sed non relictus est solus: neque commodius contra vitium discordia natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit vnum, è quo multitudo propagaretur.* Expende, quando factus est vnus? Quando non relictus est solus. Si non solus, quomodò vnus? Si iam homo constitutus erat, vnus erat, eùm vnitas è transcendentibus fit. Cùm incipiunt esse duo, incipit Adam esse vnus; sed non solus, seu solitarius; quasi nuptiæ magis vnum, quàm creatio ipsa, effecissent. Cur ita? Quia ars virginitatis est, ita corpus animæ subiicere, & in spiritum extenuare, vt malignitatis mole deposita, fluxaque mollitie per censuram districtionis exhausta videantur membra in animū abiisse. Hoc aliquomodò in suo primordio matrimoniū imitatur: siquidem priùs connexio animorum est, vt dom corpora tradontur, vtrumque quasi vnus animus incolat; imò ex duobus corporibus vna caro fit, vt vna sit in vtroque mens. Cur ex vno duo, bone Deus, si posteà duo in vnum? Si iam non sunt duo, sed vna caro; ad quid labor secandi carnem? Vt iterum dissectæ partes, resignatæ portiones noua compage in vnom remearent? Annè duplex corpus ex vno struitur, vt vnus animus, qui Adami corpus informabat, dissita posteà corpora, per matrimoniique nexum compacta animaret? Diuisit primigenij corpus in fœminam & marem; vt inter vtrumq; vna mens, vnos spiritos edisceretur, & vtrinsque animos virgineo more coiret; siquidem corpora in vnum corpos effluebant. Basilius Seleociens. orat. 2. *Neque verò ex terrea, sed ex latere membrum mutuatur, partitur corpus; vt mentem coaptet; & natura vna dissipatur arte formantis; vt vna mens construatur ad imitationem natura.* Benè quidem. Non quia animus informet vtromque. Sicut enim duo verè corpora sunt, duo sunt spiritus. Sed quia matrimonij lege corpora iungebantur in vnam, sic & animi transirent in animnm. Pergit ille: *Qui disiunctis corpora, animas nostras in vnum contrabit.* Quis credetet tam spiritali nuptiarum arti, quibus caro materies est, quibus officina ruditas membrorum? & tamen, vt animorum fiat nexus, qui virgineus est, qui cœlestis, elaborant in carne. Discite coniuges: si animos inimico mocrone discerpitis, licèt corpora misceatis, nuptias detrahitis, artem destruitis, artificisque manum operis turpitudine inhonotatis. Basil. Seleuc.

Ast si hæc ita: cur Adamus ex osse & carne prima verba composuit? *Hoc nunc os de ossibus meis, & care de carne mea.* Nimis ex agro rusticalis sermo. Teneræ, & delicatæ puellæ teneriot sis, & optior, cui blandiris. Ossa, caro, & nerui, non mollia, sed molesta verba sunt, & materiæ malignitate nimis rodia. Si institutum nuptiarū est, vt vnus animus per amorem in duobus corporibus sit, cur non dicas: *Nunc anima mea hac est?* Imò, quia duo corpora nequit vnus animus habitare, cunctuè præmonuit, non duo iam, sed vnum corpus esse, vnum os, vnam carnem; vt satiùs suaderet, vnum in vtroque incolere spiritum. Oportuit instruere, ex nuptiarum nexu vnum ex corpore fieri cum vxore, vt faciliùs vnum esse in vtroque animum crederetur. Ideò forsan dicitur: *Tulit vnam de costis eius, & ædificauit eam in vxorem.* Quid est *ædificauit?* Non aliam formauit materiā, sed ex præformata costa construxit; sicut ædificium ex sectis lapidibus, lignatisq; trabibus, adhibita solùm per artem colligatione, consurgit. Cur hic sedolus conatus non assumendæ nouæ materiæ? Vt costa, quam Adami animus informabat, tota ædificaretur in coniugem: vt per pristinam animam, quasi adhuc informari non detrectaret, sed innata cupidine in priorem tendere formam. Quibus subdo Chrysostomum: *Vide Scriptura diligentiam. Non enim iam dicit formauit, sed ædificauit: quia ex iam formato partem accepit: & quasi diceret aliquis, quod deerat, dedit: propter hoc dixit: Et ædificauit: nam aliam formationem fecit, sed ex eo, quod iam formatum, accepta portiun* 56. Chrysost.

pertinncula quadam, hanc partem adificauit, & perfectum fecit animal. Quanta optimi architecti Dei potentia, qua ex tantilla particala tam elegantia membra concinnauit! Et statim: *Ideò ex latere illius hoc rationale animal formas, per omnia homini simile, & rationale.*

57. En qoid matrimonium possit. Vnum corpus alteri subditur, vt vnus animus in vtroque gestetur, quod à virginitate didicisse opus est. Quare in matrimonium inuehitur cooiua, quæ lædit castitatem. Sic primigenia mulier nuptiarum ingenium malesuada deturpaoit. Vix ea osse compacta didicit gressus, cùm virum linquit, magis auulsa arbitrio, quàm Dei marius ea mariti latere auulserat. Per paradisom pererrat. Serpeos tendiculas parat, vocem fingit, fabellam ipiris pacatis cum fœminâ trahit. Audit illa imperterrita, quasi iam voces viri pertæsa, etiam colubri ambirer eloqoium. Gen. 3. Ast ille; *Eritis* (inqoit) *sicut Dij scientes bonum, & malam.* Quid ais, versute dæmon? Diuinitatem partiris? In frusta secas? Si in carne Adam & Eua solum sunt vna caro; qoomodo io Diuinitate erunt duo Dij? Sanè caro sectioni peruia est; vbi materia quantitate suffulta Diuisionem suffert: Diuinitas diuidi nequit. Si vterque coniux vna caro est, si matrimonium vnum efficit corpus è doobus; cur astu matrimonium adulteras, dum in plures diuidis Deos? Primum telum in coniugij vnitatem vibrauit; adeò vxorem à viro discerpere satagens, adeò connubij nexom infringere gliscens, vt duos Deos esse persuaderet abesu, ne iam vna caro remanerent. O lascioieos fœmina! via virum experta, nondum thalami conscia, iam amputare thalamum moliris, iam cubile diuidere tentas, & tibi solium Diuinitatis meditaris distinctum à solio mariti. Ergonè homo Dij? Dic *Eritis sicut Deus*, vafer serpens: nam qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos. En masculus, & fœmina; sed vnus homo. Id acumen velim in Ambrosio serm. de quatuor debit. Ambros. *In quo licet aduertere, idololatria auctorem esse serpentem, eo quod plures Deos induxisse in hominum videatur errorem, quadam serpentis astutia: & hoc fefellit, quia homo sicut Dij.* Expende, in quo deceptio apod Ambrosium, *quia homo sicut Dij.* Certè; *Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Sed qui plures estis, nam qui homo vnus, quomodo Dij plures? Nupta, & coniux iam non sunt duo, sed vna caro; hominem fecit, qui masculum, & fœminam: ergo hoc fefellit, quia homo dij. Quàm cita adulterij voa irrupit! Quàm in vestibulo meretricantis fœminæ diuisio! Si virgo animo maneret, à Deorum dualitate tectos serpentis dolos prudens agnosceret, non ignara subiret. Iam capio Ambrosium lib. 1. de Virg. Idem. *Hinc religio etiam nomen accepit. Virgo est, qua Deo nubit; meretrix, qua Deos fecit.* Quid ais, ô Beate? A meretrice orsa est idololatria? Nonnè alibi dixeras à serpente? Non immemor Ambros. sed sapiens. Seducta molier, dum arrisit aspidi, diuisionem à marito cupiuit. Ecce meretrix. Annuit distinctioni duorum, nedum & Deorum. Hæc prima iniuria iugalis thalami fuit.

58. Vis probem ea illis verbis scortatam fœminam Cainum parit à paradiso exortis, & in ipso partus dolore. *Possedi* (inquit) *hominem per Deum.* Quid adhuc Deitatem, quam audieras, ore versas fœmina loquax? Alibi diai verbum illud *per Deum*, id est, *loco Dei* accipi posse: quasi prolem illam speraret Deum futuram, quæ Diaboli potius proles apparebat fratrem caosa, velut si concepisset ex Diaboli verbo, qui dixerat: *Eritis sicut Dij.* Dedi Tertulliani locum: recognosce. Tertul. Alio nec inferiori loco mihi vellitur auris: *Gratis venundati estis*, Esai. 52. 3. Esai. 52. 3. Ideò opus fuit redemptione, quæ venundatum nouo pretio recuperaret. Sed cui venundatum genus hominum? Dæmoni. Quo fœnore? Serpentis promisso. Quid spopondit? *Eritis sicut Dij.* Ergo numisma Diaboli adulterium fuit, dum dualitatem promisit vaori. Impodicum pactum toro noxium! Hoc pretium tradidit versipellis pro vtroque coniuge. Audi Orig. hom. 15. in Genesim: Orig. *Rectè quidem dicitur redemisse nos Christus, qui pretium nostri sanguinem suum dedit. Quid tale autem, vt nos mercaretur, Diabolus dedit? Ergo, si videtur, ausculta: adulterium pecunia Diaboli est, Diaboli enim imago in eo est, & superscriptio. Commisisti adulterium, accepisti Diaboli numisma.* Difficilis est Origenes. In originaria labe venundati fuimus nebuloni illi, qui serpentis spiras ereait in Deum, dum malum in arbore malo suasit. Qoid inibi cum adolterio commooe? Quare adulterij sigillum in gulæ nomismate? Quails incestus in ære, quod obtulit pro mancipiis sub licitatione positis mercator ille? Sanè apprimè cogitatum oostrum fulcit. Adulterium enim quasi ad alterum est, vt voluit Isid. Isid. sicuti matrimoniom ex carnis vnitate ad seipsum fit. Vnde Tertullian. lib. de Tertul. mon. cap. 9. *Matrimonium est, cùm Deus iungit duos in vnam carnem, aut iunctos deprehendens in eadem carne coniunctionem signauit. Adulterium est, cùm quoque modo distinctis duobus, alia caro, imò aliena miscetur, de qua dici non possit: hæc est caro ex carne mea, & hoc os ex ossibus meis.* Ergo dum dæmon dualitatem ostendit, diuisionem spopondit, in oumismate adulterium sculpsit, incodit in ære: hoc pretio venundati fuimus. Assensit mulier amica adulterio, quàm marito. Sic meretrix Deos fecit, quæ fecit in coniugio duos. Si religiosa es, caue à numero, vnitatem ama; tibi sis vniuira, dum viro nupsisti. Equidem si vbi plures dij, nullus Deus; vbi in coniugio plures, nullus conioa. Statim si scortaris, desinis esse vxor, quia desinis esse. Id lepidè diait de Lucretia Tertul. de exhortat. ad castit. cap. 13. Tertul. *Velilla Lucretia, qua vt semel per vim, & inuita aliam virum passa est, sanguine sue maculatam carnem abluit, ne viueret iam non sibi vniuira.* Sed quid magis vnum, quàm quisque sibi? Iunatauit in sanguine violentâ illecebra lacessita: quia voitatem, quæ cuique enti transcendens est, sibi perisse credidit: nec sibi poterat vita superesse, cui voitas deficiebat.

59. Ex quibus dignosces, nuptiarum institutum id vnitatem terendisse animorum, & corporeum intulisse nexom ad liberos conserēdos. Quare quod prius in illis intelligitur, vnitas est; sicut priùs cogitatur in Deo id, qood ad vnitatem, deinde quod ad Trinitatem attinet. Ideò dæmon Deum diuisit, Deorum pollicitatione, vt matrimonium detur, paret, illecebramq; carnis acueret, & omnem sobolem vitiaret. Tertullianus lib. de monogam. c. 1. Tertul. *Vnum matrimonium nouimus, sicut vnum Deum.* Aberiat quidem in sensu, secundas nuptias execrana. Meliùs verba sic contexeret: vnum in matrimonio oouimus, nempe vnitatem in coniugibus, sicot vnum Deum, nempe sicut vnum in Deo. Serpens callidis blanditiis numerum Deorom inuehere satagens, virumq; partrauit; & matrimonij vexauit vnitatem, & iuata Deitatis, quod pluraliter extulit, vocabulum censendum esse

coniugium innoit, fordidam in gigoenda prole voluptatem instigans, vt vnitatem corporum inquinatet. Quid ex sponsione maligna? Quid ex excessu fœminæ à viro? Imago Deitatis lacerata est: gratia, & charitas, quæ est vinculum vnitatis, excisa, temeratumque præpostetà inordinatione coniugium. Fœmina è latere viri eoostructa erat. Cur situs iste delectus? Quia qui à latere est, amicus est: in latere locus amoris; amor autem vnitas est. Cauit artifex, ne intraneo duello côiux à coniuge duelletetur, debellaretur vnitas, transiret in numerum. Si ex aoteriori portione mulier dolatetur, formatio proderet aduersariam; si ex posteriori, vilem: vtroque oumerum efficeret; nec

Gennad. amor, nisi æqualitas, nisi pax, est. Profunde Gennadius: *Volens ergo Deus amplieri charitate virum vxori coniungere, fœminam è latere viri formauit: vt quiddam æqualis honoris, vnà tamen cum subiectione præferret. Nam si costam ex anteriori parte eduxisset, quasi viro aduersariam mulierem effinxisset; si verò ex posteriori parte exemisset, nimio plus mulier vilior extitisset.* Sapientet artifex. Malignè deflexit opus: discessit à latere, & decessit. Iam exinde se amabat alteraoi à viro, quæ situm dereliquit. Iuste in situ mulctata est. Audi plectentem Dominum: *Sub viri potestate eris.* Quæ nupet iu latere, iam sub viro est: Vnitatis dispendium culpa fuit; situs variatio, supplicium.

60. En quale coniugij, dum castum est, cum Deitatis voitate commercium. Deitatis amputatio sub coniugnio sectione spondetur à dæmone; numerus Deorum infertur: quia cum muliere sepatata à viro, & vt dirimeret Deitatem, agebat. Tenax fis verborum serpentis: *Eritis sicut Dij*: & te ad vitulum accersi so, quem infidi Hebræi adoraueruut in Horeb. Deos sibi fieri, exeetabili depoſcunt piaculo, iam voce idololatræ, qui Deos petebaot, non vno

Exod. 32. 2. contenti. Inquit Aaron: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Cur vxorum inaures impetat auelli, & cùm filios, filiasque memoret, subiicet viros. Sapienti silentio explicuit sacrilegium. Deorum pluralitas indicitur: atæ idololatriæ statui parantur: qualis aptior idolo materies, quàm aurinm vxorum diuitiæ, poodera auditos mulierem; qoibus idem est numerum Deorum inserte, & à vitis per adulterum luxum dissociari. Si vaoris inauris est, ex qua effingitur idolum; quid vero nisi non memorcturi Scortata est, quæ dedit aurum sacrilegio. Vt quid signatè petuntur inaures? Nulla materia aptior ad Deos conflandos, vxoris meretticantis auriculâ. Audit prisca mulier: *Eritis sicut dij*, & aoulsa à viro virum perdidit, vnitatem vtramque discidit; animo, Deitatis; opere, coniugij. Ergo ab vxore absque viro inauris ad idolum aufertur, vt in vtroque retegatur placolum, & imago sacrile-

Ambr. gij conflctur. Ambrof. lib. 7. epistolar. epistol. 56. *Pulchrè autem dicit: Deponite annulos, & inaures aureas, quæ sunt inaures mulierum vestrarum. Non quod virorum inaures relinqueret; sed quod viros non haberet, manifestaret. Congruè quoque inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eua vocem serpentis audiret. Et ideò, quia sacrilegium audieram, conflatis earum inauribus, conflata est imago sacrilegij.* Pondera illud, *sed quod viros non habere, manifestaret*: quod accipio non quod viri careteut inautibus; aliàs non diceret, non quòd eorum inaures relinqueret, nec filiorum inaures memorarentur; sed aliqualiter possumus conijcere, ex conuocentibus Ambrosij verbis, quòd ipsæ, quæ vxores dictæ fuerant, viros non habetent, disrupta per adulteram illecebram mattimooij compage: siquidem ad idolum construendum earum inaores subseruiebant. Ea enim est idololatriæ iodoles, ideò fornicatio nuncupatur. Qui Deos præconantur io ido-

Hieron. lo; & coniugium, & Deitatem temerarunt. Appositè Hieronymus in Oseam cap. 7. *Ipsi loquuti sunt contra Dominum mendacia, dicentes de idolis: Hi sunt dij tui, Israel: & non clamauerunt ad Dominum in corde suo, sed in idololatria fornicationibus volutabantur.* Nonnè audisti: *Et sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere?* Ludum hunc prolasciuiente luxu accipiunt Patres. Totum habes: Vxorum aures ex serpentis voce, *Eritis sicut dij*: Deorum numerum in auro resignant: luxuriant insidæ viris: manducant: vt pristina paradisi ageretur tragœdia. Hinc Ambrof. lib.

Ambr. 6. epist. 36. ad Sabinum: *Vbi cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera. Ita duo commisit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ; qui autem se ingurgitauerit, perfidiæ laqueos incurret. Sedit enim populus manducare, & bibere, & fieri sibi deos pepescit.* 61.

Si hæc ita, quam sapiente delectu Diuinitas vsa est, & Deitatis consulens vnitati, & nobilitati coniugij Ioseph, & Mariæ mattimonium induxit, vt & nuptias pristino hoore & Deitatem sacra fide perfunderet. Reddidit vnitaten, abegit illecebram, vt vnus Deus ex cœlesti coniugio nasceretur. Quare Rupertus lib. 1. de gloria, & ho-

Rupert. nore filij hominis ad illa verba: *Ioseph fili Dauid noli timere, &c. O coniugium verum, & sanctum coniugium cœleste, non terrenum! Quomodo enim, vel in quo coniugati fuerunt? Nimirum in eo; vnus spiritus, & vna fides erat in eis: sola illic defuit corruptio carnis*; & paruo interuallo; *Coniugium vita, siue continuatio tota fuerit cœlestis, & Spiritus sanctus amborum coniugalis amor.* Curnè cœleste coniugium? Quia Spiritus sanctus coniunctio fuit, & coniugalis amor. Cœlestis nobilitas! Non creaturæ, sed Sanctæ Trinitatis est. Sed oportuit. Explicuit Angelus, quale hoc coniugium. Coniogem dixit, & quasi tationem reddeos coniugij, subdidit: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ergonè coniugium constituit Spiritus sanctus? Sanè nihil commodius, vt Deitatis vnitas, & vnitas virginei mattimonij monstraretur. Spiritus sanctus communio, coniunctio, complexus, & vinculum est in Sancta Trinitate, De quo August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. Isidorus lib. 7. etymol. c. 3. Vnde voitatem ipsam Spiritus sanctus quasi colliquata putitate constringit, & concordi vinculo

Isidor. premit. Augustinus lib. 1. de doctr. Christ. cap 5. *In*

August. *Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis, æqualitatisque concordia.* Si vnitas in Patre, vtquid ad eoocordiam Spiritus? Nescit discordare, quod vnum, infringi, quod dioisionem non suffert. Petoptimè. Ne pater, & Filios duo dij censeantur, Spiritus sanctus in voum edocet arctissima identitate concludi, iosepatabilique bonitate conflati. Quare August. ferm. 11. de verbis Domini, inquit: *Propter inseparabilem æternitatis, veritatis, bonitatis essentiam, vel naturam non esse tres Deos.* Hinc Spiritus sanctus & gluten dicitur, vt alibi obseruauimus. Et si meministi, quod diximus aliquando, pro illis: *Et adhærebit vxori suæ* legere Græcum: *& agglutinabitur vxori suæ*; addisces vinculum vnitatis à Spiritu sancto

sancto plicari, qui coniunctio Trinitatis est. Quod si proprietatem suam penitus infundat; nempe exactissimam virginitatem, non amplius desiderari valebit. Ergo in coniugio Ioseph, & Maria totum se Spiritus sanctus explicuit, dum coniunctio, coniugalisque amor fuit, & simul Virginis vterum fœcundauit, vt filius Dei nasceretur, & vnitatem in Trinitate doceret. Quare quod solius Trinitatis erat; nempe quod Spiritus sanctus communio sit Patris, & Filij, Rupertus ad hoc sacrum transtulit coniugium: *Coniugum coniunctio tota fuerit cœlestis, & Spiritus sanctus amborum coniugalis amor.* O quàm virgineè cùm puritas attributum Spiritus sancti sit! Quare signatissimè Spiritus sanctus Ioseph ab omni concupiscentiæ fomite purgauisse, dum nuptias contraxit, apud Gersonem perhibetur tom. 3. serm. de Natiuit. Mariæ. Vbi non ferendum esse, seriò pronuntiat asseri Ioseph iam senectute grandæuum duxisse Mariam; ne vlla ex iuuentute flamma incuteret æstum, sacrumque virginitatis læderet testimonium, cum Spiritus sanctus, qui huic operi totus incumbebat, aptior sit senectute ad fomitis ignes extinguendos: *Non oportet credere ipsum Ioseph iustum, virum Mariæ senio fractum, debilitatum, aut frigidum fuisse, dum nupsit Mariæ adolescentulæ ad saluandum castissimum, atque pudicissimum cum ea coniictum. Potuit vtique plus operari Spiritus sanctus in conseruanda castitate ipsius Ioseph per extinctionem fomitis originalis in ipso, quam senectus, vel senium operaretur.* Gerson.

62. Certè cum accingebatur Deus figuli more ad lutum effingendum: *Faciamus* (inquit) *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Discrimen inter imaginem, & similitudinem inuenerunt Origenes, & Rupertus; quatenus similitudo sanctitatem addit, & per Spiritus sancti charismata perfectum animi cum diuina puritatis lege conformitatem. Quid est ergo, quod posteà subditur: *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam,* quasi penicilli impetum repressisset: & qui spoponderat vtrumque, vnum concessit. Equidem cùm virginitatis candorem albicabat homo, nondum maritus totam similitudinem diuinæ puritatis hauserat: dum masculus, & fœmina est, minatur post piaculum libido; quidni subticeatur similitudo, quæ Spiritus sancti est? Sic lego: *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam; ad imaginem Dei creauit illum; masculum, & fœminam creauit eos*, pondera in vna periodo discrimen. Homo solus ad imaginem & similitudinem perhibetur; cum masculum, & fœminam memorat, similitudo subsiletur. Vtquid fœminæ nondum constructæ meminit? Vt multiplicationis benedictionem impenderet Deus. Origenes: *Quomodo nondum facta muliere, dicit Scriptura: Masculum, & fœminam fecit eos? Fortassis propter benedictionem, qua benedixit eis dicens: Crescite, & multiplicamini: quoniam crescere quidem, & multiplicari non poterat homo, nisi cum fœmina.* Generationis memoria ante oculos obseruabatur, quæ vt obturpanda erat post flagitium; quid quòd ad memoriam masculi, & fœminæ similitudo sileretur, quousque masculus, & fœmina, Ioseph, & Maria sacro connubio ingenerentur: in quo generatio, & virginitas coirent; & exinde similitudo superueniente Spiritu superueniret; ipsaque Filij Dei imago in corpore formaretur, inciperet virginitas cum natiuitate, puraque lauacri regeneratione coniungi. Sit lux Tertulliano lib. de exhortat. ad castitatem cap. 1. *Vult enim imaginem suam nos etiam similitudinem fieri, vt simus sancti, sicut & ipse sanctus est: sanctificationem dico in species distribui complures vt in aliqua earum deprendamur. Prima species est virginitas à natiuitate: secunda virginitas à lauacro aqua, aut matrimonio purificat ex compacto, aut in viduitate perseuerat ex arbitrio.* Omnis imago similitudo est. Si semel nos imago Dei, quid opus, vt similitudo nouiter efficiamur. Verùm est. Sed qui in primordio distinxit imaginem à similitudine ob moralem cum Deo conformitatem; aliquid amplius in similitudine, quam in imagine præcognouit: quod per virginitatis sanctitatem Tertullianus explicuit. Quin & Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 6. *Ex fide & spe venturi hominis, qui sic ad imaginem Dei, & similitudinem fieret nascendo de Virgine, vt in filios Adæ perditam Dei similitudinem refunderet, vbi sibi consimiles, suosque filios efficeret, abolita vetere, reddita noua origine*, Expende hoc *reddita noua origine*, & illud *nascendo de Virgine.* Ast quid est, quòd tot species virginitatis memoret Tertullianus? Virgo virum non nouit; noscit nupta, nouit vidua: cur immiscet status omnesque virginitatis flore coronat; cùm potiùs virginitas non sit iugalis thalamus, nec viduatus. In causa, me iudice, coniugium Ioseph, & Mariæ fuit in quo matrimonium, & virginitas conuenerunt; natusque est Filius Dei, qui voluit imaginem suam nos etiam similitudinem fieri, vt iam exinde virginitas cū regeneratione copularetur: qualiter in regenerationis apparet lauacro. Et licèt nupta nesciat virginitatem ex Ioseph, & Maria transcribere, dum tamen se vnius viri mancipat toro, & in iugalis castitatis culcitra recubat, vt sobolem virginem gignat; iam virginitati inseruit: & in ipsamet generatione virgineis gestit ministeriis prodesse, præcipuè cùm ex compacto abstinet à marito, vt aliquantulum Mariæ coniugium imitetur. Post quod etiam viduitas sic se Deo consecrat, vt in pristinam virginitatem aspiret animosa; & licèt corpore non præualeat, conatur in animo. En virginitas post Mariam triplicem nobilitauit statum. Agnoscite viduæ, agnoscite nuptæ dignitatem. Si torum vel marito plenum vel marito viduum maculatis, nullus remanet honos, virginitatis radij obscurantur.

Tertul. Rupert.

63. Lucem accipiat difficilis Gregorij Nazianzeni locus. Virginitatis, & coniugij canit conflictum, dumque pro nuptiis pugnat, sic agit carm. 2. de Virgin. Nazianzen.

Attamen humano Christus se corpore iunxit,
Et desponsata per viscera casta Parentis,
Fluxit, coniugiique humani cum Deitate
Dimidium iunxit.

Nuptiæ vt è manibus virginitatis palmam infringant, Christum per desponsatæ parentis casta viscera fluxisse modulantur: ex quo gloriantur iunxisse cum Deitate coniugij humani dimidium. Qualenè dimidium hoc, Deitatisnè, an coniugij? Coniugij quidem videtur. Attamen quid est coniugij humani dimidium? Si forsan dimidium dixit, quia non ex vtroque coniuge, non ex portione vtriusque; sed solùm ex coniugata Virgine purissimum sanguinem Deitati coniunxit. Et tamen totius matrimonij illustris nobilitas est, quod, licèt ex vna tantùm coniuge gigneretur, ex coniuge tamen gigni deligeret; quæ, licèt non

ex

Gen. 1. 26. Origen.

ex thalamo, tamen quiâ coniux,genoir :cum ad generationis valamen vir opus fuisset, & totius coniugij ministerium.In qoo non modica Ioseph dignitas spleoder, cuios quantomuis pars cum Deitate iuncta non fuerit; tamen quòd virginea coniugis portio à Verbo Dei assumeretur, adeò Ioseph profuit, vt totius coniugij dimidia pars Deitati iuncta efferatur ; quasi ad totum coniugium aliqualis haberetur respectus. Non insubtilius alitet Nazianzenum expones, iuxta hoc, quod vetsamor, institurum. Coniogium humanum in stabili vineulo animorum consistit, mutuoque corporum dominio;quasi ex consequenti, ad eoporum tendit immixtionem per thalamum,vt si completè, & omnino perfectum considetes, vtramque perfectionem, quasi gemioam pattam illi concedas essentia autem coniugij in prima perfectione est,& hæc in matrimonio Virginis fuit Sanctus Thomas 3. par. q.29. art.2. *Quantum ad primam perfectionem omnino verum fuit, matrimonium Virginis matris Dei, & Ioseph : quia vterque consensit in copulam coniugalem, non antem expressè in copulam carnalem ; nisi sub conditione, si Deo placeret :* Ergo cùm Filius Dei gigneretur ex coniugata virgine quantùm ad primam perfectionem coniugij humaoi, quam principalius dimidium possumus noncupate? scite cecinit Nazianzenus : *Coningiique humani cum Deitate dimidium innxit.* En dimidium coniugij virginitas est, qualis in hoc sacro emicat coniugio : quod, cum prima hac perfectione polleat, non dimidiè, sed integrè, & verè coniugium fuit. Hic fuit scopus ab initio, quòd Deitas cum humana oatura, tanquam compatte innectenda & generationis eluetet sordes, & honoratet coniugia, & dignam se compartem acciperet. Ideò ex coniugio Ioseph, & Mariæ partem sibi delegit, virginitatem nempe, limpidamque humanitatis sortem, quæ cum Deitate necteretur. Adsit Nazianzenus ipse eodem carm.

S. Thom.

Salue virginitas diuino tradita dono,
Mater inoffensa vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars.

Cur virginitas Christi pars, & non totum, cùm vtraque eius natura virginea sit; Qualisnè ex vtraque pars virginitas est? humanitalnè, au Diuinitas? Sanè virginitas apud Nazianzenum Christi pars inclyta dieitur. Sic enim post plura carmina recinit.

Sic quoque virginitas magni pars inclyta Christi.

Censeigitur de parte, qui auscultas inclytam. Certè pro Deitate videtur esse suffragium; ne in comparatione Deitatis elogium inclytæ ferat humanitas. Imò censuerim pro humanitate, quæ è virgine constructa, ob puritatis excellentiam nô immeritò virginitas nominator. Et quia virginitas hæc à Deitatis virtute fuit, Deitatis elogium, dum humanitatis estenitet illustrius Deitas, & quæ humanitati huic per substantiam innectitur, adhuc per pignus, & similitodinem sui media virginitate imbibitur.

64\. Ex quibus promptum est,fatearis nuptias ioter Ioseph,& Mariam, quà virgineas, pristinum honoreio nuptiis reddidisse,& matrimonij primordia ante coneubitum, primamque perfectionem, qualis in paradiso viguit, illibatè ob nuptiale decus obtinuisse. Cingar Basilius Magn. hom. de hum. Christ. gener. col.2. *Erat & Virgo, erat & viro desponsata, & idonea ad huius dispensandi negotij mysterium diiudicata est, vt Virginitas ante omnia honoraretur, & nuptiæ contemptui non essent. Virginitas enim vt idonea ad sanctificationem dilecta est; per desponsationem autem primordia nuptiarum comprehensa sunt.* Pondera hæc; *primordia nuptiarum*, id est, quod in nuptias virgineum est, primaque in vnitate, & animorum fœdere perfectio. Aceioit Nicetas lib.3.thesaur. cap.38. *Ideò in desponsata Virgine concipi voluit, vt matrimonium, cuius initium sponsalia sunt, commendaret, & ei virginitatem anteponeret.* Quod non accipias de nuda promissione, sed de nuptiarum primordio, quod in prima perfectione consistit.

Basil. Magn.

Matrimonij vnitas non sustinet alterum esse virum à coniuge: insignis Ioseph laudatio.

SECTIO V.

SPONSI Ioseph laus à coniuge est. Vbi gratia dos, vbi vxor Maria, vbi proles Filius Dei; otiatut calamus: vitum dixisse, sat est. Prolixa laudatio, quæ non quæritor, sed tenetur. Dimidium coniugij vir est, & quidem sursum, fœmina latus, vir caput. Quale putaueris caput istud, cui latus vterus fuit, Vnigeniti à Patre conceptaculum; & qui non in lateribus Aquilonis, vt esset similis Altissimo, sedere præsumpsit, Altissimi similitudinem aneupatus est, & io patris nomenclatura, & in sponsi Virginis dignitate. Hue omnes copiæ oratoris effuudendæ sont, à copiis & gazis Mariæ Ioseph accrescens opulento poodere ditatur. Coniugij ius, naturaque arguit gratiam. Gratiarum flumina per Virginis alueum procliui alueo in Sponsum influxere. Vnitas coniugij, sectionem io sacoliatibus non sustinet. Ergo quidquid census, quidqoid bonorum in Maria est, Ioseph laus est. Notum est illud S.Bernard. Senensis in serm. de S.Ioseph. *Quia omnia, quæ sunt vxoris, sunt viri; credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissimè exhibebat.* Quare operæptetium sit aliqua de vnitate vxoris,& viri,quę præcedentibus assuantur, connexere; vt hoc compendio omnem Ioseph celsitudinem, qui re non possumus, arte teneamus. 65.

Bernardin. Senens.

Cur fœmina, & vir, eâdem quasi tota voluente, è manu figuli non prodierunt? Nonnè cætera animantium plebs, quasi gemello partu in mare, & fœmina è voce Creatoris erupit? Curopost Adamum Eua, & non ab eodem madefacto puloere? In aliis omnibus sufficit vox vna ad naturas repræsentandas, & ad sexum dimetiendum: solus Adam fœminâ destirotus dolator. Opus fuit hoc partito labore. Necessum erat Adamum experimento cognoscere, artificem sui fuisse Deum. Quî posset? Se etenim à Deo formari prospicere non valebat, qui non erat, antequam fieret. Quale ingeniom, vt semer à Deo construi intuatur? Reproducatur iterum. Nondum contingeret desiderium. Nam vel desineret esse, qui prius fuerat: vnde in nouo Adamo eadem impenderet difficultas; vel si non desineret, alios esset. Quam faustâ ars! Fit fœmina ex Adamo, vt Adamo oubat. Sic ob matrimonij vineulum eadem caro, sic idem os, sic idem Adamus contingit; suique agnoscit 66.

opifi

opificem, dum Euæ prospicit auctorem ex semetipso compositæ. Acumen est Basilij Seleuciensis orat. 2. *Quomodo Adamus auctorem condisceret, qui facientem non vidit? Quomodo creatorem agnosceret, qui creantem non spectauit? Ea propter ipsius ante oculos fœminam extruxit, & similis natura spectatorem facit vt illa, quæ circa se sunt velut in speculo contemplatus, ex visis discat inuisa: & fictum monstrauit, & sponsam dedit è latere. Quam ob causam non vna voce vtrumque, vt erumperent in lucem, inuitauit; sed formationi certum temporis interuallum præfiniuit. Id Adami cognitioni tribuens, quo naturam parem, cùm fiebat, contemplatus, ipsum vtriusque artificem disceret.* Felix ingenium! Videt se homo à Deo formari, cùm videt ex se formari fœminam, quæ à se auulsa, in se matrimonij nexu remearet. Seleuc.

66. Verùm nondum satis. Quòd fœmina adeò vna cum Adamo sit, vt se prospiciat Adamus à Deo formari, cùm fœminæ artificem prospectat; ex quonè habuit? An à formatione ex osse? Imò auulsio illa diuulsio fuit. Ex matrimonij ingenio? Vix amputatur latus, iam reuincitur: vix secatur, iam sociatur. Diuisio, & vnitas eodem ferme conuenere momento. Quod manus dissecuit artificis, pronubi sedulitas reuniuit. Construi, nubere fuit. Vide celeritatem. Vix ædificat ex osse, & illico dicitur: *Et adduxit eam ad Adam.* Si ibi erat, vt quid adduxisse perhibetur? An adduxisse, nuptui tradidisse fuit? Velox conatus! ne separatio sine reditu occasionem præstaret alterius: vtrumque opus fuit; & ad fœminæ constructionem diuisio, & ad nuptias vnitas. Priùs dirimuntur: matrimonium enim nisi inter duo non est. Ast artifex cupit alterum non esse coniugem à coniuge. Ideò in nuptiis mulierem, quam auulserat, reddidit: ne censeretur altera ab illo, cui iam nupta. Cyprianus de bono pudicit. *Nam & ideò vir suus fœmina est, vt præter eundem alterum nesciat: & ideò viro reddita est mulier, vt subiecto, quod fuerat ei proprium, nihil requirat alienum. Sic & duo, inquit, erunt in carne vna, vt in vnum redeat, quod vnum fuerat; ne separatio sine reditu occasionem præstet alterius:* id est, ne existimaretur altera, quæ formabatur disiuncta. Quam celer reditus, & redditus! Fœmina redit, Deus reddit: hic auulserat, illa secesserat. Licèt fœmina redeat, & auulsum sit os, idipsum redit, idipsum redditur, quod Adami fuit, imò quod Adamus. Cypr.

67. Nobilis Ioseph sors, cui contigit cum Virgine matrimonium: in quo non alter à Virgine fit; ne separatio sine reditu occasionem præstet alterius. Id infixum in animo viri. Ab vteri tumore suspiciosis ictibus flagellatur: seruare satagit Virginem suam; satiùs credit miraculo, quàm turpitudinis suspicioni. Tandem decernit occultè dimittere eam. Quid est, quod occultè dimittere intendat, cuius coniugio nectitur, cuius virginitate firmatur? Si alter à coniuge non est, etsi per dissitas plagas peragretur, coniuge comitatus ibit, qui se comitatus it. Imò ne separatio sine reditu occasionem præstaret alterius, dimittere vult, sed occultè: vt quamuis in specie dimisisse videretur, nunquam discederet ab illa. Pulchrè Anselmus in cap. 1. Matth. *Itaque medium consilium inuenit, vt occultè eam dimittat, vt eam dimissam non videatur dimisisse, sed semper loquatur cum ea, & semper procuret eam; & tamen in assidua cohabitatione non recipiat.* In ipsis separationis signis arcta vnitate vincitur. Nunquam potuit tam extranea virum concutere cogitatio, vt se à Maria reputaret extraneum, dimidiumque sui mucrone discessus amputaret: potiùs in ipsam et fuga species contubernij se obiecit, vt semper loqueretur cum ea; compagem abrumperet vnitatis. Quid Quod corpore aliquomodò discedere simulasset, si virgineus animus non abibat Cur absque viro in Domum Zachariæ nuper fœta puella perrexit: ea nobilium Patrum censio est, ratioque mouet: nam si Ioseph in itinere latus cingeret, ad prima Elisabeth verba, vteri Sacramentum agnouisset. O qualis de coniugis pudore fides! Ire per saltus, montanaque absque viro comite, sustinet vir: quos non caro sed virginitas iunxerat carnis separatio non diuidebat: secum gestat virum Maria, dum viri animum secum vehit: nó altera ita marito, quæ virginitate comite graditur: securus it pudor, vbi corpus pro animo est; sed virginitate magistra dedíscit corpus, quæ corporis sunt. Fauet Albertus Magnus in cap. 1. Matth. *Eximia confidentia sanctitatis Virginis, quæ prohibebat Ioseph ab omni mala suspicione habenda de coniuge, liberè permisit ire, & redire, quando vellet.* Anselm. Alb. Mag.

Ergo si altera à viro coniux non est, & vtriusque corpus animi more virgineum; qualis virtutum à Maria ad Ioseph esset communio; Dixit Bernardinus Senens. *Quomodò cogitare potest mens discreta, quod tanta vnione vniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam; Vnde credo Ioseph fuisse mundissimum in virginitate; profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione.* Quid est, quòd vnionem Ioseph, & Mariæ tanquam viri, & coniugis, mentis & animæ dixerit Bernardinus; Quasi idem fuisset Mariam nupsisse Ioseph, quàm mentem animæ vniri. Eximiè. Si Spiritus fuit, qui in coniugium adegit, caro non profuit quidquam; non caro ad carnem; sed mens ad animam accessit, dum vir: vt & arctior nexus inter vtrumque coniugem, & virgineus plicaretur; & ex animo ad animum omnis gratiarum census, sacræque cœlestium charismatum facultates indiuisa transigerentur vnitate. Quare quia Virginis animus dotibus illis præeminebat, munditie, humilitate, charitate, & cōtēplatione; suopte iure eadem in esse in Ioseph protulit Bernardinus; sicut quæ carnis sunt, ad carneos maritos ex vxoribus deuoluuntur. Audi Adamum: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Heus Adame, elue soporem: adhuc dormis? Ex osse compacta est mulier: solum os dedisti; illico solutum est debitum: *Et repleuit carnem pro ea.* Caro tibi pro osse sub latere mollescit: hæc fœmina os ex osse est? quid tibi blandiris de carne; Tam illico mariti torui, & diri sapis indolem quidquid vxorium est, sibi arroget, suis dispendat vsibus, vendicet vt suum, decoquat vt peculium: colla coniugis denudat à torque, capillorum suggestum ab auro, aurea vincula à digitis; vt abliguriat, vt perdat, dicens suum. Sed ab alto edoctus Adamus est. Quidquid mulieris est, è latere viri est: in dominum areæ dominium constructæ molis, satæ segetis subiicitur. Os dedit Adamus? sed in osse ædificata est mulier; forsan ideò *ædificauit* dixit, vt nouerit mulier etiam carnem, quæ à marito non venerat, esse mariti, ne occasionem præstet alterius: quidquid enim in solo ædificatur, solo cedit. Adscitis pignoribus adulteras, 68. Bernar. Senens. Gen. 3.

teras, etsi non corpore, si extero cultu perpoliris, si non vestiris à marito, & tamen serica sonant? si non comeris à marito, & tamen lapillis, gemmatisque scrupulis spargis capillitium. Suspectum est quidquid à latere non est, latere credam sub veste adulterum; sub tegmine intertextus forsan latet. Quidquid ergo est mulier, totum mariti ædificiū est. Sic os ex osse, caro de carne. Rupert. Rupertus: *Quamuis soporatus fuit Adam, tamen non clam illo fuisse, quod factum est, hæc eius dicta manifestè comprobant. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Tanquam si diceret; Hoc paulò ante tantummodò os ex ossibus meis, id est, costa fuit ex costis meis, nunc autem & caro est. Proinde sicut prius os meum erat, ita & nunc postquam costa ædificata est, rectè caro mea; caro, inquam, de carne mea est.* Ecce ad ædificij leges currit Rupertus, vt Adamum expendat; vt matrimonij iura enodet; vt non alteram esse mulierem à viro manifestet.

69. Adeò lex hæc nuptiarum, indiuulsaque à viro fœminæ societas Deo arrisit; adeò donariola, & munuscula, quæ non à latere viri veniunt, sed ab amasio exterè subrepunt, carpit, & odit; vt vel ipse Deus, dum donum cœleste coniugi elargitur, non absque mariti censu velit vxori donatum. Mirabar suprà fontem fatigatum ab æstu Dominum, Ioannis 4. cum fœmina ex Samaria sermonem serere. Ioan. 4. Theologum agit, ex lapide construit suggestum, & abdita mulieri, cui vrceus aqua plenus, munus erat; cui opus, cum amatoribus luxus, pandit sacramenta. Cœlestis fontis latices spondet, munus offert, quod bibat, vt viuat: & tamen ne inscio viro accipiat, *Voca*, inquit, *virum tuum.* Ergonè dona gratiæ, quæ in cordis penetralia à Cæsaris censu expuncta subsident, etiam maritus perscrutari debeat, ne inscius sit, dum fœmina ditescit? Domine quod spondes, non fori est, non nundinatur, non recensetur in calculo, à ditione viri soluitur; cur virum exposcis? Quia donum est, quod promittitur; & licèt, quia cœleste, à latere viri non venit, cum viri latere communicandum est. Chrysost. Chrysostomus homil. 31. in Ioann. *De dono sermo habebatur, & gratia humanam excedente naturam, eam afflagitabat mulier, & dicit: Vade, voca virum tuum; quasi opus esset cum eo communicare.* Si de cœlestibus sic consulit, quid agat de sæcularibus? Noli ergo degeneri conuersatione corpus maculare, dum marito non vestiris, sed adultero. Dum manus das muneri, das lenoni. Hoc arrhabone alterum meditaris coniugium, dum adhuc semel nupta es.

70. Ad Eph. 3. Ideò forsan credere caput mulieris, virum dici ad Ephes. 3. An vt qualis inter caput & membra fibula connectit; sic inter virum & fœminam vnum corpus, ceu ex capite & membris compingatur? Verum est. Sed vltrà meditor. Quia in fœminæ capite omnis mulieris cultus splendet, muliebris mundus congeritur, lenocinans gazarum pompa micat capillorum vinculis irretita: ideò caput mulieris vir perhibetur, vt in illo capite nihil affulgeat, quod viri non sit. Si in capite vniones amasij prendis & lapillos; si auro discriminas crines, quod ab extera terra effossum sit: si vittis premis, quas vir non iniecit, sed alienus; corpus iugulasti, quod vehis; amputasti caput, quod erat mariti: alienum caput vehis; iam non eadem manes, quæ nupsisti: rupisti pactum fœderis Diuini; alieno capiti membra dedisti, non sua. Pulchrè Cyprian. lib. de bono pudicit. *Inde & Apostolus caput mulieris pronunciauit virum, vt coniunctione duorum pudicitiam probaret. Nam vt alterius caput membris aptum non potest esse; ita & alieno capiti membra non sua: caput enim suis conuenit membris, & membra capiti suo: vtraque naturali fibula in concordia mutua cohærent; ne qua oriente discordia de diuisione membrorum, pactum diuini fœderis rumperetur.*

Si hæc ita sunt, illico sciscitaberis, cur inscio Ioseph, ignara viri impletur Virgo? Cur non eius, si non consulitur arbitrium, saltem Sacramenti desideratur cognitio? Congruum sanè videbatur, Angelum illi priùs apparuisse, aperuisse mysterium, retexisse arcanum, beneplacitum rogauisse; siquidem etiam in gratia humanam excedente naturam (vt audiuimus ex Chrysostomo) Dominus Samariæ fœminæ viri, communionem indixit. Imò quia Ioseph non aliter vir, quin virgineus erat; coniugis vterus non maritalibus subdebatur licentiis: portionem illam ex nuncupato voto virginitas sibi segregauerat, non nisi omnium Domino concessura. Id iam diximus ex Augustino, & S. Thoma. Ideò non opus fuit virum præmonuisse de conceptu; sed procrastinare notitiam, quousque ipsemet se vterus exhiberet plenus Deo, seque tam alienum ab opere viri monstraret, vt nec sciuisset vir, & iam ex crescente fœtu viscera tumebant. Tunc Angelus apparet, ne pariat inscio viro: nuntium repetit similem fermè illi, quod Mariæ protulerat, vt ex vnitate nuntij vnitas vtriusque coniugis signaretur; quasi idem fuisset soli Mariæ ab initio Angelum affulsisse, & exquisiuisse consensum, ac si vtrique coniugi panderet legationem. Eò concors erat animorum nexus, vt quocumque ferretur alteruter, ferret alterutrum. Cur alto silentio Matthæus, cui facies hominis est, & humanam Christi generationem pro munere narrandam suscepit, sopiuit Gabrielis nuntium ad Mariam, statimque se Angelicæ ad Ioseph reuelationi conduxit? Cur & Lucas Ioseph subticet soporatum, æmulisque calamitatibus actum, & ab Angelo mysterium referante leuatum? Quàm amico calamo Euangelistæ sibi diuiserunt prouinciam! Nec dispendium generationis enarrandæ putarunt, si alter solius Mariæ, alter solius Ioseph, Angelica legatione Incarnationis Sacramentum discentium, texuissent historiam. Pari elucidatione Virgineum prodidit conceptum, & qui virum Ioseph desuper ab Angelo protulit instructum, & qui Gabrielis ad Mariam nuntium sacris literis commendauit. Vnitas vtriusque, pudicaque communio in causa fuit. Ex quo (quod miraberis) infidè Sanctæ Scripturæ quidam hostes vnum tantùm nuntium fuisse ausi fuerunt profari; dixereque quòd Euangelistæ dissentientes non sibi conuenerunt, cui fuerit nuntiatum, sed Lucam Mariæ, Matthæum verò Ioseph arrogauisse. Audi Chrysostomum homil. 4. in cap. Chrysost.
1. Matth. *Propterea Virgini quidem ante conceptum, viro autem ipsi iam instantis partus tempore nuntiatur. Quod plerique partum intelligentes ad Euangelistarum discrepantiam retulerunt: quasi scilicet Lucas Mariæ, Matthæus vero Ioseph asserat nuntiatum: ignorantes profectò vtrumque id esse consequenter effectum, quod per omnem hanc historiam obseruare nos conuenit, vt vna hac regulâ multa, in quibus videntur Euangelistæ dissonare, socientur.*

Ad vnitatem igitur, quæ ex nuptiarum fœdere consurgit redeamus; vt hac altiùs immissa, Sancti 72.
Ioseph,

Ioseph, compendiosa manu omnem præconiorum segetem legamus, quam in vnum reddidit cum Maria coniugium eò strictius, quò virginius. Nam si matrimonium, quod carnea vincula in sobolem amat propagandam, geminum corpus coagmentat in vnum, etsi quantitatis resistat soliditas; quid de vnitate credes coniugij, quod ligauit virginitas, quod animos deuinxit, quod corpoream sarcinam ex spiritalibus pignoribus extenuauit? Itaque geminæ carnis congesta moles, per nuptias vnum corpus fit; quisquis diuidet, sauciabit; infliget vulnus non facilis cicatricis. Nonne ingens pressura est, ita comprimi duo corpora, vt in vnum exeant, quasi triturata, quasi contrita, & rastri pondere, culmorum more, comminuta, vt fiant vnum? Verum est. Vide, quibus te pressuris mancipasti propter nuptiale flammeum, quo operiris. 1. Corinth. 7. *Si nupserit virgo, non peccauit; tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Bone Deus; ergo in nuptiis carnis est etiam tribulatio? Censebam ego saltem carnis ex voluptatis illecebra subesse lætitiam. Vt quid nubit, si quæ carnis gaudia quærebat, tribulationem incidit in carne? Sic festiuus ludit Hieronymus lib. 1. aduers. Iouinian. *Nos ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias; quid erit reliquum, propter quod nubant, cum & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit?* Attamen *tribulationem carnis* hic cum omni proprietate acciperem, quasi pressuram vtriusque coniugis carnis, vt vna caro exeat, veluti si contusa, & compressa caro fit. Tribulatio enim à tribula venit, id est vehiculo, quo frumenta in area teruntur, de quo Virgilius 1. Georgic.

1.Cor.7.

Hieron.

Virgil.

Tribulaque, traheaque & iniquo pondere rastri. Vnde significat oppressionem & angustiam. Quasi Paulus Virginem, quæ nubit, alloqueretur. Virgo nunc es, non solum spiritus, sed & corporis domina; cui est caro, qua constas; quasi arista in proprio folliculo, & spicæ cumulo suffulta, sui est, antequam rastris conteratur, & molâ pressa non solùm misceatur alienis, sed in vnam cum aliis transeat farinam. Sed postquam nupseris, tribulationem carnis habebis; vel vt legit Græcus τῇ σαρκὶ id est, *carne*, seu *in carne*, ita in alienam carnem transibis tribulo compressa, vt iam non tua, sed mariti caro fit. Sic videtur suboluisse Tertulliano in Adhortat. ad castit. cap. 4. *Verùmtamen (ait) eiusmodi pressuram carnis habebunt; cum parcere se eis dicit.* Sic & de pudic. cap. 16. Vbi, vt vides, pressuram pro tribulatione posuit. Imò ex aduerso, quia ex duplici carne vna fit, carnis excrescit pondus; difficilè baiulabis, siquidem & alienam vehis & tuam. Quàm grauis nubes eris, si nubis. Festiuè Ambrosius de hortat ad Virg. *Nubes itaque sunt, & graues nubes, quæ nupserint. Namque à nubibus nubem nubentium tractam arbitror. Denique operiuntur vt nubes, cùm acceperint nuptura velamina. Et verè graues nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonij. Nam etiam grauiter aluo feruntur, cum semina conceptionis acceperint.* Sarcinam matrimonij appellat Ambrosius: hac premeris, quisquis sub nube es, quisquis es nubes; alienis grauatus oneribus vix stas, in signum grauescit aluus. Vbi mariti pars latitat, iuxta illud:

Græcus.

Tertul.

Ambr.

Parsque tui latitat corpore clausa meo.

Ouid.

Ama leniora pondera, parce connubio. Si virgo sis, etsi carnem baiulabis, non tantam. Mensura oneris pro mensura debet esse gestantis; alioquin impositi oneris fit ruina, vbi vectoris infirmitas est.

73. Castus Ioseph impetitur ab Ægyptia; amatoriis philtris vincire conatur pellex illa, meretricantibus verbis demulcet: tandem, proh nefas! *Dormi mecum* ait Genes. 39. Ast ille non vt meticulosus se excusat, non vt periculi timidus cauet, vt dicebat Ambrosius, sed tanquam beneficij herilis, & innocentiæ suæ debitor fugit crimen ingrati; & culpæ contagium, quasi iustus horrescit. Vide, quo iaculo pepulit scortum: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es.* Quid ais, macte animi vir? An Putiphar tibi vxorem suam excepit, & qui largus cuncta subegit, coniugem sibi custodiuit? Imò illud: *Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate*, Hebraicè refertur ad personas, vt adnotauit Lippomanus: *Non est maior in domo hac me.* Imò: *Non est ipse dominus maior me in domo hac.* Cur ergo tibi taxasti auarus, legemque præscripsisti, quam ipse forsan conticeret, *præter te, quæ vxor eius es?* Cur non dominam vocas? Et si non domina est, & quidquid est in domo præter dominum tuo labro subiugatur, ne prætendas mulieris votis defectum potestatis. Quàm sapiens vir! Si dominus, quia dominus, non subiectus erat Hebræo adolescenti; ergo nec vxor domini otiaretur exceptionis verbum. Sat fuit vocauisse dominum, protulisse vxorem; etsi nec illam dominam nuncuparet: (quæ non potuit extorquere, quod voluit imperare) vt crederet, quod si non sibi licuisset, in dominum, nec in vxorem domini licuisset, quæ in vna carne idem erat cum domino. S. Bernardus serm. 13. super Cantica: *Cùm autem dominum, & omnia bona Ægypti domini sui sibi credita sciret Ioseph, dominam non ignorauit exceptam, & ob hoc non acquieuit contingere. Mulierem nouerat gloriam esse viri, & iniquum sibi iudicauit, inglorium facere eum, qui se fecerat gloriosum. Aduertit homo Dei sapientia prudens virum vxorem fortiter tanquam propriam zelare gloriam, sibique ipsi retinuisse seruandum, non alij credidisse.* Laudat Bernardus, quia, cùm bona domini sui sibi credita sciret Ioseph, dominam non ignorauit exceptam. Vide, quod dominam non vocauit, sed domini vxorem. Non interest. Si semel Putiphar dominus est, & vxori cur neges dominatum? Sed si præuiis verbis exceperat dominus vxorem, qualis laudatio sapientiæ, quod exceptam non ignoraret? Non igitur excepit expresse, sed pulchra argumentatione sibi cognouit exceptam sanctus adolescens: nam vxor eius erat. Vnde attexit, *Præter te, quæ vxor eius es.* Sed rimare, quod subdit: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum?* Nonne statim in consequentia illa hæsisti; *ergo?* Non bene videtur illata; quippe, si logici annuant, quatuor terminis syllogismus iste conflatur: siquidem in consequentia nouus terminus adsciscitur, nempe Deus, qui in præmissis non inerat. Sic inferret Dialecticus: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum:* siquidem præmiserat; *Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua.* Sed sapientior Ioseph scitè intulit. Etenim, vt alias dixit Cyprianus, pactum diuini fœderis rumpitur, cùm extraneæ carni coniugis caro adnectitur, & à proprio corporis consortio amputatur. Sed quare diuini fœderis pactum infringitur? Quia *qui fecit homi*

Gen. 39.

Lippom.

S. Bernard.

74.

Cypr.

Zerda, Mariæ effigies. Kk

hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit (verba ſunt Chriſti Domini Matt. 19.) *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Sed hæc verba non Deus, ſed Adam protulit è ſomno dilutus; quomodo Deo Verbum Dei arrogat? Quia in ecſtaſi ſoporis illa verba Deus afflauit primigenio Parenti. Sic voluit Auguſt. lib. 9. ſuper Geneſim: *Sed cum hæc verba (ait) primi hominis Scriptura fuiſſe teſtetur; Dominus tamen in Euangelio Deum dixiſſe declarauit. Vt hinc intelligeremus propter ecſtaſim, quæ præceſſerat in Adam, hoc eum diuinitus tanquam Prophetam dicere potuiſſe.* Deus ergo indiuiduum viri & vxoris corpus ſtabiliuit. Cùm igitur Ioſeph ideò poteſtatem in pellicientem Ægyptiam ſe habere negaſſet, quia Domini ſui vxor erat: ideò concludit, in Deum peccaturum, ſi noxæ arrideret, vtpote quia diuini fœderis pactum rumperetur.

August.

75. Sed quid quòd diuini fœderis pactum cenſeatur, ſi diuinæ largitionis munus ſit vtriuſque coniugis indiuiſi corporis concordia? Hoc caſtitatis inſigne, hoc pudoris decus eſt. Pudicus iuuenis, quia vnitatem alteni coniugij ſeruauit illibatam, anulo Regali ditatur. Sed te accerſo ad Suſannam. Nuda libabat latices ſuo ſepta pudore, non ſolum pomario. Impetunt pulchram ſenes, quos in flagrantia tranſactæ iuuentutis incendia rediuiuæ libidinis flamma reuocabat. Aſt illa non timore flectitur, ſed in voces ſoluitur, vt ſenum ignes eludat. De adulterio à procacibus accuſatur. Acceſſitur pulla veſte in tribunal, lapidum turbini damnatur: ſurgit Daniel afflatus Numine, ſontem liberat: deflectitur in ſenes lapidatio. Quare putas præmium ob hoc facinus cuſtoditi pudoris contigit Suſannæ? Concordia viri. Hac dote omne debitum ob merita tanta expunctum eſt. Licèt fracta coniugij non fuit vnitas mucrone turpitudinis, famæ ſuſurro, dedecoris murmure aliqualiter fuit dirempta. Ideò præmium fuit, quod in priſtinam vnitatem rediret cum marito. Noſcas, quantum pretij affulgeat in concordia. Sic Ioſeph adſcitur in regnum; ſic Suſanna in vnitatem coniugij: non minori præmio dotata eſt. Cyprianus de Bono pudicit. *Non illos emollire potuit in vita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quoſdam licentia laſciuiæ eſt miniſtra, non decor corporis, & aptè oppoſitorum figura membrorum.* Et ſtatim: *Digni tamo iudicis præmio, quorum alter regio pene throno illuſtraretur, altera concordia mariti dotata inimicorum mortibus redimeretur.* Ergo ne Ioſephi regnum cum concordia mariti in Suſanna comparatur, quæ nec diruta erat, ſed ſolùm alicuius infamiæ inhonorata vocibus? Noueris, quanti æſtimes coniugij vnitatem, quæ regno illuſtrior, quæ Suſannæ meritis merces eſt.

Daniel. 13.

Cypr.

76. Nec cum regno ſolùm æquatur vnitas coniugij, ſed & Diuino Numini ſic aſſentatur, vt, dum in omne regnum, in omnem telluris plagam fulmina iacit, fluminaque cœlorum dictis mœnibus effundit, vt ſuffocet; nimborum agmina, aqueos carnifices, hoſtiles tempeſtates ſedet, vt vnitatem coniugij ſaluet. Recole ſtabiles vndantis diluuij dies, quibus ex omni cœlo dimiſſi nimbi terras turbine quatiebant, pleniſque gurgitibus natabant vrbes, vixque in vice ſcopuli turrium vertices ſub vndis imminebant. Quis fræno compreſſit aquas? Quis iram ſpumantis æquoris compeſcuit? Equidem Noemi nauis. Sed quali fœcunda fœtu? Sanè coniugij vnitatis pulchro paradigmate, Geneſis 7. *Ex omnibus beſtijs, ex omni carne duo induces in arcam, vt viuant tecum, maſculus & fœmina erunt. De animalibus volatilibus ſecundum genus, & de omnibus ſerpentibus terræ ſecundum genus ipſorum, duo ex omnibus introibunt ad te, maſculus & fœmina.* Quàm pulchrum emblema! Quiſque ales cum iugali, quiſque ſerpens cum ſerpente comite ſubintrat nauim, vt noua geneſis orditetur. Vt quid irrationalibus tam ſtricta lex? Vnus & vna ex quaque ingreditur ſpecie, non binæ fœminæ, non maſculi bini; ne vel in brutis luxus inſoleſceret, nuptiarumque torus inducta diuiſione periret. Si vel animal ſcortaretur, propagationi generis officeret. Neruosè Tertullianus de Monog. cap. 4. *Sed & reformatio ſecundi generis humani monogamia matre cenſetur. Iterum, duo in vna carne creſcere, & redundare ſuſcipiunt. Etiam in ipſis animalibus monogamia recognoſcitur, ne vel beſtiæ è mœchia naſcerentur. Eadem forma & ſeptena ex binis adlegi mandat ex maſculo & fœmina, vno & vna. Quid amplius dicam? Immundis quoque alitibus cum binis fœminis introire non licuit.* Sic ille. Nec te turbet, quod Geneſis 7. dicatur; *De animantibus immundis duo & duo, maſculum & fœminam.* Quippe, vt Eucherius adnotauit, inibi duo & duo non quatuor, ſed tantùm duo ſignificant, maſculum & fœminam. Forſan quia in Hebræo, vt vidit Caietanus, non habetur *duo & duo*, ſed *duo duo*, non interpoſita coniunctione *&*. Tot beſtiis trucibus, & inter ſe bella æternùm minantibus, referta nauis, pacatâ quiete, vndarum domina fruebatur. Quid cauſæ, quod ferocientes animalium phalanges mutuis non arderent conflictibus? Albinus ait: *Quid de pace & concordia, & vnde ſe inuicem non debellarent diuerſi generis animantia ſentiendum eſt. Sicut Dei nutu adducebantur in arcam, ita Dei nutu conſeruabantur in arca. Siue etiam manſiunculis ſecundùm genera ſua diuidebantur, ſiue iunctim manerent, Dei potentia gubernabantur.* Benè. Sed conſerem ab vnitate coniugij miteſcere; nec iubas excutere, nec vngues acuere, nec lacertos exerere; ſed tigridem, vrſam, leonem cicures, & manſuetos quaſi togatam rempublicam efformare.

Geneſ. 7.

Tertull.

Gen. 7.

Euch.

Caiet.

Albin.

ACADEMIA XXV.

Sancti Ioſeph ob Mariam cum Patre ſuperno ſimilitudo.

Mariæ, & Ioſeph coniugium ob virginitatem, & iuſtitiam typus coniugij Chriſti & Eccleſiæ.

Sectio I.

SACRVM coniugium inter Mariam, & Ioſeph virginitas ipſa commendat; non ſatis tamen celſitudo nobilitatis expromitur, niſi cuius typus fuerit, proſpiciatur. Pluries ingeminant Patres in coniugio Mariæ, & Ioſeph Eccleſiæ, & Chriſti ſignificari coniugium. Aug. l. de S. Virg. c. 12. ante med. S. Thom. 3. p. q. 1.

August.

S. Thom.

Chrysol. p.q.29.art.1. Chrysolog. serm.146. expendens illud: *Cum esset desponsata Mater eius*,&c.sic fatur: *Sponsa quaeritur, vt iam nunc Ecclesia Christi sponsa signetur iuxta illud Oseæ prophetæ: desponsabo te mihi in fide.* Et statim, postquam de Ioseph Patriarcha disseruit, cum Ioseph sponso Virginis componens, concludit: *Sic lucet, cur Ioseph iste cœlestis Sponsi typum prætulerit, portauerit imaginem, ambulauerit in figuram.* Et tamen si ad seriem Chrysologi attendas, non ritè distribues, nisi hæc verba ad Ioseph Sponsum reducas. Sic enim & Ambrosius in c.1. Luc agens de Ioseph,&

Ambros. Mariæ sponsalibus: *Verè desponsata, sed Virgo: quia est Ecclesia typus, quæ est immaculata, sed nupta.* Sed typus exemplar est, ad cuius lineamenta, & figuram ectypa formantur: priùs in typo figitur forma? quæ deinde delibatur à cæteris. Si Christi, & Ecclesiæ coniugium typum habuit in Ioseph, & Maria; qualis pro Ioseph g andior excellentia, cùm, si distribuas, in Maria Ecclesia, in Ioseph Christus signaretur? Eò virginea huius illustris viri dignitas attigit, vt sub vmbra coniugij, adumbrans Sponsi cœlestis fuerit delineatio, splendorq; generosumq; stemma, & nobilitas Christi fuerit nasci ex Virgine, cui Spósus erat Ioseph. Præstat Chrysost. hom.1. in c.1.

Chrys. Matth. *Quoniam futurum erat, vt omnes sancti de Virgine nascerentur Ecclesia desponsata Christo: ideò Christus nascitur de Virgine desponsata, ne digniùs nascerentur serui, quàm Dominus. Sed vt per omnia filij paternæ natiuitatis perfectum imitarentur exemplum; ideò & Maria desponsata erat fabro lignario. Quoniam & Christus sponsus Ecclesiæ omnem salutem hominum, & omne opus suum per dignium crucis fuerat operaturus.* Pondera illud: *Ne digniùs nascerentur serui, quàm Dominus.* Nutare credas causam istam. Si serui ex Christo;& Ecclesia nascuntur, in dignitate generis humanum Christi ortum exuperant: quantumuis etenim ex desponsata Virgine natus fuerat Christus; attamen cui non sponsus Christus, sed cui sponsus Ioseph. Nonnè dignior Christus, qui sponsus Ecclesiæ, ex qua serui gignuntur, quàm Ioseph, qui sponsus Virginis, ex qua Christus? Crescit nimiùm hac ratiocinatione eximia Ioseph auctoritas, & excellentia, dum saltem verbo tenus ad nobilitatẽ generis Christi trahitur; qualem sortiuntur, qui ex Christo, & Ecclesia generantur. Ideò amussim, vt persistat in suo cogitatu Chrysostomus, nobilitas delineata est; quin & officium: siquidem fabro lignario desponsata Virgo, ex qua Christus: quoniam in ligno crucis iacens Christus fidelium sobolem erat geniturus.

2\. Vt peniriùs percalleas, quid in typo extitit excellentiæ, quid in hoc coniugio virginei decoris, examina cœlestis Sponsi, Christi nempe,& Ecclesiæ virgineas nuptias, qualiter in Scripturæ locis describuntur, vt illarum simulacrum intuẽs in Ioseph,& Maria, supremæ virginitati huius matri-

Psal.18.5. monij fidas. Consule Purpuratum Vatem: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Quidnè de thalamo suo? Nõ satis de thalamo? Ne de thalamo Sponsæ putaretur; ne lucem obscurauisset concubitus. Nõ ingrediens in thalamũ, sed procedens canitur: ne in ingressu opinareris congressum. Cui lux pro culcitra est, pro tabernaculo Sol, limpidè, & virgineè cubaret: at, ne incubauisse credas, solum se comparat sponso qua diurna peragi officia; quæ è thalamo procedentis sponsi sunt: nec noct.s amat illecebras, qui degit in Sole. Si semper illi mane est (vt vertit Chaldæus) dum sponsus dicitur, virgo probatur. Imò illi procedere de thalamo, exoriri est, radiisque matutinis cœlestia illuminare cunabula. Quod si sponsus dicitur, dum nascitur; quid virginius? Non enim nascentis virginitas in ortu temeratur. Et si Sol ipse sponsus est; qualis Sponsa, nisi Luna? O lucida puritas! Vide si in thalamo iungitur vterque. Dum sponsus Sol procedit de thalamo, in thalamum ingreditur Luna: meridiana lux illi nox est, qua se contineat in cubili: dum è lecto surgit, thalamum ingreditur Sol: nunquam vtroque plenus lectus est. Bene Cæsarius dial.2. duabus columnis ante finem: *Ergo sibi inuicem è regione opposita locauit; illum quidem in regione matutina, hanc verò in vespertina: vt sibi ex opposito currentes, ille quidem per diem nocturnum: hæc autem per noctem diurnam ad eundem pertingat ortum. Vt sit illius quidem ortus,& huius occasus; & huius præsidentia, illius subtractio.* O quale Cæsar. sponsalium simulacrum! Quidni cœlestis Sponsus Ecclesiæ deligeret sibi pro tabernaculo Solem; vt cum non habente maculam, neque rugam, nuptias celebraret? Annè in Ioseph, & Maria eadem sponsalitia indoles? Iam alij adnotarunt Ambrosij lo- Ambr. cum lib. de Patriarcha Ioseph, c.2. vbi expendens Gen.37. illa verba Genes. 37. *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas adorare me:* sic inquit: *Quis est iste, quem parentes, & fratres adorauerunt super terram; nisi solus Iesus, quando eum Ioseph, & Maria, & discipuli adorauerunt? De quo solum dictum est: Laudate eum Sol, & Luna; laudate eum omnes stellæ, & lumen.* In quibus præterquam obserues licèt, Sancto Ioseph etiam in comparatione Matris, Solis apud Ambrosium attributum adscribi; id venustè se obiectat, quod, cùm Sol, & Luna nunquam conueniunt, quin potiùs vnius aspectus, alterius subtractio sit, vt vtriusque virgineus nitor perseueret; Sol, & Luna; Ioseph,& Maria, non conuenere quidem ad thalamum, ad habitaculum conuenere, attamen non nisi vt adorarent. Quàm procul impuritas à conuentu, vbi Sol, & Luna nesciunt coniungi, nisi vt adorent! Ergo Ioseph,& Mariæ coniugium cœleste est, in Sole, & Luna lineatum, vt meritò iam datus Rupertus dixerit: *O coniugium verum, & sanctum; coniugium cœleste, non terrenum.* Rupert.

En sacramenti inter Christum, & Ecclesiam 3.
Gen.2.24. primum auspicium sopor fuit Adami, cùm in ea
Eph.5.32. verba prorupit: *Adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Ad quæ Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Situm dormientis elegit, quando innocentia candebat, quando fœmina dolabatur arte virginea; vt sibi ad coniugium cũ Ecclesia artifex duceret simulacrũ. Sopor ille mortis vmbra fuit: etsi auellitur os, non sentitur. Si nudantur ossa, si iacet; quid mortis defecit imagini? Quàm longè ab illecebra Sponsa, quæ ex imagine mortis & surgit,& nubit! Imò vt dissita censeretur, nec virum contigisse, *Adduxit eam (inquit) Dominus ad Adam.* Si Adam materies, & officina fuit, in qua recens nunc elaboratur fœmina, quò subitò aufugit, vt adducere fuisset opus? Non potuit potius. Si vir exterminatus à sensibus iacet, si Sponsa non solum ex mortis spoliis compingitur, sed longè abest,& latet, etiam dum formatur ex latere; quali potuit inquinamento, hoc fœdari coniugium? Sacramentum erat Christi,

& Ecclesiæ: iam inde præsagiebatur ea vtriusque immaculata coniunctio, in cuius perpolienda puritate ita solicitam curam impendit cœlestis Sponsus, vt & gigneret in aqua, vt generatio virginitas esset; & gigneret verbo, quod non corrumpit mentem, cum gignitur: & vita gigneret, cum vita esset lux hominum, & denique ob munditiem Sponsæ suæ peragendam, se ipsum tradideris pro ea, vt ab ipso in cruce iacente è latere formaretur. Quod pondus est, si consideres, in Apostolo: *Seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ, in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam.* Vmbras ducebat in Adam, iam inibi latus mucrone percussum prospectabat. Ideò forsan ex latere constructam, ædificatam fuisse fœminam, dixit Moyses: quia Ecclesia non solùm Sponsa, sed & templum Dei est, ædificari autem proprium templi est. Nec contaminari praeualet; vtpote aqua, & sanguine lateris Christi consecratum, Augustinus docet contra Faustum Manich. & ex eo Lippomanus: *Tulit Deus vnam de costis Adæ, & ex ea ædificauit mulierem, & de latere etiam Christi, de latere, inquam, dormientis, id est, iam mortui sanguinem, & aquam per lanceæ vulnus eduxit: vnde ex tunc vsque in finem sæculi ædificare non desinit, vt gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam exhibeat illi. Et bene ædificata esse mulier de latere viri dicitur, quia Ecclesia templum Dei est, per sacramenta de eius latere exeuntia generata.* Quàm purum connubium, in quo latus Sponsi dormientis nubes est, quæ aquam, & sanguinem perpluit, vt idem sit Sponsæ & gigni, & nubere, & lauari.

Ad Eph. 5. 25.

Augnst. Lippoman.

4. Nonnè subtus crucem discipulus erat, qui vidit, & testimonium perhibuit. Cur signatè subsignat miraculo, quod silent cæteri? Erat inibi Maria, cuius cum Ioseph coniugium, significatio fuerat noui cum Ecclesia Sacramenti. Ioanni mandabatur, vt pro Ioseph substitueret, non iam sub sponsi vocabulo, quod opus non erat; sed filij, vt pristini Sponsi melius prædicaretur virginitas. Si enim filius munus agit in contubernio, quale agebat Sponsus; nulla valet, contra puritatem Sponsi irrepere suspicio: siquidem ostendit, quoad thalamum non tanquam virum se gessisse, sed potius tanquam filium, cui ad torum matris ipsamet abhorrens natura inhibet commercium. Iure ergo sanguinis, & aquæ profluuium è latere Ioannes intuetur, Christique, & Ecclesiæ adstat coniugio, cui vtpote virgini, in argumentum virginei coniugij inter Mariam, & Ioseph, Maria committebatur ad custodiam. In quo Ioseph virginitas plus enituit: siquidem ille venustam puellam, omnique pulchritudine formosiorem in ætatis flore susceperat; Ioannes iam prouectam accipiebat; qui tamen, vt eius contubernio frueretur, virgo electus est: quali puritate polleret Ioseph, cui adolescentis venustas fuerat commissa? Audi Gersonem tom. 3. serm. de S. Maria col. 7. *Ioseph igitur priùs, quàm iungeretur cum Virgine Maria, corruptus, vel vxoratus non fuerat, & hoc maximè concludimus ex eo, quia si Matri suæ Dominus iam prouectæ neminem dare custodem voluit, nisi virginem, scilicet Ioannem Euangelistam: quanto magis existimandum est, quod hoc fieri voluit in adolescentiori ætate.*

Gerson.

5. Nec par est prætereas (siquidem de coniugio Christi, & Ecclesiæ agimus) locum Pauli: *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Nunquam silet virginitas in hoc sacro hymenæo: cum tamen pro prodigio sit, semper virginem sponsam inueniri? Ecclesiam enim non solum virgines, sed & coniugatæ constituunt. Quid est ergo semper virginem castam exhibere? Hæc noua huius coniugij indoles est. Quæ humana sunt, è virginibus reddunt libatas: florem decidere faciunt, quem inueniunt; istud autem etiam quas inuenit à virginitate extorres, virgines facit. Ideò semper cœlestis Sponsi sponsa virgo est. Pulchrè Chrysostomus hom. 23. in Cor. 11. c. 10. *O rem nouam! In mundo virgines ante matrimonium manent, post matrimonium non item. Hic autem non sic. Verùm etiamsi virgines ante hoc matrimonium non sint, post initum matrimonium virgines efficiuntur. Ad hunc modum tota Ecclesia Virgo est. Etenim ad omnes, & coniugatos, & coniugatas Paulus loquitur.* Quid quòd coniugatas sub virginitatis appellet insigni, si Ecclesiæ portionem constituunt, dum filiæ Ecclesiæ sunt: cognomen enim generis in omnem deriuatur stirpem; Ecclesia autem virgo est? Quid si præcessit coniugium inter Ioseph, & Mariam, & prolis abundans, & virginitate virens, vt exinde omnis Ecclesia simul coniugata diceretur, & virgo? Si Chrysostomo iudice, coniugium cum Christo, quas corruptas, inuenit, virgines reddit: quid de huius coniugij typo, Ioseph scilicet, & Maria dixeris? Adeò virginitas illi connubio deuincta, fuit, vt Ioseph ob Mariam virgo persisteret, quamuis alia causa illius virginitatis abesset. Id iam dedimus ex Hieronymo in Heluidium prope finem: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam: vt ex virginali coniugio virgo Filius nasceretur.*

2. Cor. 11. 1.

Chrysost.

Hieron.

Denique inuitat virginum parabola exeuntiũ *obuiam Sponso, & Sponsæ.* Faculas præparant, oleum examinãt: & quæ lubos virgineâ zonâ cingebant, lucernas in manibus satagunt ardentes gestare. Virginitas agitur: & tamen hic apparatus genialis est, vt canatur hymenæus, vt nuptialis nox, thalamusq; ferueat? Quid virginitati cum nuptiis? Quid castimoniæ lampadi cum geniali nocte? Virginitatis perstrepunt signa, & tamen obuiam exeunt Sponso, & Sponsæ. At vide, quid acciderit: *Venit Spõsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Nonnè te pupugit scribentis obliuio? Vbinè Sponsa, in cuius obuiam exisse virgines præmittitur? Sponsus solus venit: quid actum de Sponsa est? Et tamen nuptiæ peraguntur, plaudentibusque gaudiis intra cubiculum clausâ celebrantur. O benè! Paratæ virgines sponsam constituunt. Si Christus Sponsus est, qualem putas coniugem nisi virginem? Etsi intra clausum latibulum manet, nulla suspicio est: cum virginibus est, quibus iugiter lampas ardet, & in media nocte lux affulget: amat tenebras impudicis, pudor lucem, Augustinus de verbis Domini: *Quod dicit Sponso tantum obuiam venire virgines, sic intelligendum puto, vt ex ipsis virginibus constet ea, quæ dicitur sponsa. Nunc enim desponsata est Ecclesia; & virgo est ad nuptias perducenda, illo tempore, quo vniuersa mortalitate in ea prætereunte, immortali coniunctione habeatur.* Vbi virginitas est, quam aliam Sponsam Christo quæris? Quæ ancillantes erant, puellarumque obsequio nuptias Domini officiosè expectabant, Sponsæ fiunt ea limpiditate vt ex omnibus vna componatur sponsa. Vbi zelotypia nõ est, caro deest. Vbi lampas in omnium manibus ardet, non de pulchritudinis æmula contenditur

6.

Matth. 25.

August.

excel

excellentia. Rapit vnaquæque Sponsum, quia ex omnibus vna est. Nec ingreditur, vt dormiat, qui nouissimè reliquas virgines venientes illico audiuit, & per clausam ianuam respondit: vigil erat adhuc. Vide quid noctis potuit remanere, si media nocte inceperat venire. Et nuptiæ fiunt, & nihil virginitatis omissum est. Sic meditare nuptias Ioseph, & Mariæ, quæ typus, & simulacrum fuere.

7. Vt autem noueris, quàm constanti fœdere huic sacro coniugio virginitas fuerit addicta, examina attributum illud, quod Euangelistà profert de Ioseph, postquàm vteri signa suspexit, gestatique fœtus nutabat indiciis: *Ioseph autem, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Quid est, quod in iustitiæ fulcimento nitatur, ne traducat? Si ancipiti fluctuat periculo, si sontem prodit vterus insolescens, quòd in iudicio non sistat, quod pœnas non vindicet, pietatis potuit esse, non iuris. Quod vir non puniat, quam ab oculorum testimonio iudicat sontem, de misericordia meretur: iustus autem qui prædicabitur? Imò quod iustus dicatur, suffragium validum pro virginitate nuptiarum fuit. Stat iustitia in reddendo, quod suum est, vnicuique ius: ideò iniuriosa est coniux, quæ se dat extraneo: cum, dum se dat, non suum det; vtpote quæ viri est, quod est; quid enim minus tuum, quam tu; si alicuius es, quod es? Gestat vterum Maria: &, dum iniuriam suspiciosus vir poterat dolere; potius, dum parcit, iustus nuncupatur: quia iniustitiam ipse, si plecteret, perpetraret. Quid causæ? Nam virginitas ius Mariæ est: si virgineum Ioseph illi per supplicium auferret honorem, ius eius auferret, & in summmet matrimonium videretur iniustus, cuius proprietas erat, vt virgo vterque coniux persisteret; & tamen virgineè proles gigneretur in vtero. Compendio dixit Paschalius in cap.

Pasch. 1. Matth. Præmiserat. *Quid obsistat, ne vir Ioseph, & Maria vxor rectè dicatur, omnino non video, nisi quod sola libido internenire non potuit, vbi ad informandam vitam perpetuam virginitas seruabatur.* Quòd autem verum fuisset coniugium, etsi omnino virgineum, probare nitens prosequitur: *Sed quid sit, quod Ioseph rectè iustus dicatur, qui non modo castitatis non accenditur zelo, verum nec causam exquirit? Pudoris vtique Mariæ est testimonium, quam innocentem nouerat, vt eam seruando, iustus valeat appellari. Verumtamen pio magis videtur congruere, quàm iusto, ne velit pragnantem tradere homicidio. Sed sanctus Euangelista iustum eum magis commendat, vt ex hoc Mariæ castitatis testimonium esset.* Sanctè quidem cogitauit. Iustus fuit, qui damnare noluit insontem, nec alienum opus à coniuge suspicari. Imò, cùm suam iustitiam ostendit, adeò virginitatem coniugis commendauit, vt ex ipsamet iustitiæ virtute monstrauerit, se nunquam posse Sponsæ violare pudorem: quia hæc conditio matrimonij erat, hæc coniugij dos, hoc virginis Sponsæ pignus. Quod si se non potuisse violare, qui vir erat, iudicabat; quomodò ab extraneo potuisse temerari putaret? Eo valore viget iustitia Ioseph, vt pro virginitate Mariæ vindicanda visum Euangelistæ fuerit, nullo vberiori testimonio firmari, quam verbis his: *Ioseph autem, cum esset iustus:* inibi omne fulcrum pro Mariæ virginitate subiecit. Sapienter Am-

Ambr. brosius in caput 1 Lucæ: *Et ideò, qui Incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putauit vberius prosequendum virginitatis Mariæ testimonium, ne defensor magis Virginis, quàm assertor mysterij crederetur. Certè quando iustum docuit Ioseph, satis declarauit, quod Sancti spiritus templum, vterum mysterij, Matrem Domini violare non potuit.* Quia iustus Ioseph erat, columnis euasit Mariæ virginitas, & in suspiciosa causa vix ad sensuum tribunal delata fuit, cùm faustè iudicata deuicit.

Virtus sponsi iudicium pro Maria fuit: ius dixit, iusque suum & Virgini reddidit, & coniugio. 8.

Ildeph. Ildeph. lib. de virgin. Mariæ cap. 1. *Ecce enim Virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo attestante Angelo, virgo iudice Sponso, virgo ante Sponsum, virgo cum Sponso.* Si in ore duorum, vel trium stat omne verbum; nec nutat fides triplici testimonio fulta; & Mariæ virginitatem Deus, Angelus, & homo confirmant: quid eget Sponsi iudicio; quasi præter Deum, Angelum, & hominem fuerit? O Marianæ virginitatis intellectualis in corpore nobilitas; cui testimonium perhibet, quidquid ad intellectus pertinet gradum: Deus, qui actus purus est; Angelus, qui pura mens? homo, cui animus portio. Quid quod spiritus, aqua, & sanguis tres sint, qui testimonium dant in terra, si aqua, & sanguis ex percusso latere corporis fluxit, quod ex Mariæ virginitate compactum fuerat: si emisit spiritum inclinatò capite versùs Matrem, quæ subtus erucem erat, postquam eius virginitatem per Ioannis custodiam confirmauerat? Triplici suffragio sententiam pro materno tulit pudore, aqua, sanguine, spiritu. Sanguis enim non morte corruptus, sed ardenti murice flagrans, dum cuspis ferit, virgineum fuisse se prodit, cuius limpiditatem aqua confirmat, qualem in Matris hauserat vulua, quæ more spiritus absq; læsione conceperat; quid quod post emissum spiritum sanguis exiret, vt in patibuli tribunali spirantem virginei corporis puritatem ostenderet? Ergo cui hæc supersunt testimonia; cui Deus, cui Angelus, cui homo pro virginitate Mariæ & clientelam agunt, & iudicium: quid opus fuit iudicium sponsi superaddi? *Virgo iudice sponso.* Ea Ioseph sublimitas est: quia iustus est, nescit vnicuique nisi suum reddere: dum pro virginitate iudicauit, de Mariæ iure sententiam tulit: de matrimonij proprietate exhibuit iudicium: nec potuit errare, qui maritus erat.

Ioseph, qui non tangit virginem, qui, etsi fœtam, fatetur intactam, proprius iudex est, in quem deuoluitur iurisdictio, quia proprius vir est; & quoniam iudex est, quà vir; & vir, quà virgo, nequit nisi pro virginitate ferre iudicium. Fuisse absque iudicio crederetur, si Matri Domini virginitatem abstulisset. Quò aduoco Ambr. lib. de inst. Virg. c. 6. *Nec Ioseph vir iustus in hanc corruisset amentiam, vt Matri Domini corporeo concubitu misceretur.* Ac si diceret: Nemo iustus absque iudicio est: & si iudicium, mentis est opus; nemo iustus est amens. Si iustus Ioseph, amens non est, nec absque iudicio. Quod si iudicio pollebat, qui potuit virginis temerare pudorem; cùm potius iustitia eius in pudorem asserendum ex propria indole ferebatur? Ioseph ex virginitate, & Mariæ contubernio, corporis sarcina extenuata, totus est mens: amens, opus est, esset; ac proinde esse desineret, si infringeret castitatem, & virgineum matrimonij læderet honorem. 9.

Ambr.

Ideò iustus probatus est, quia Sponsæ castimoniam approbauit, & ab eius virginitate fœcunda, alterna sorte iustus est iudicatus: quippe non alius exactior iudex pro iustitia Ioseph, quam fœcun- 10.

ditas virgloea Matris, Maternitatiſque gratia. Sic (Origea.) eapenderem Origen. homil. 1. in cap. 1. Matth. *Ioſeph vir eius cùm eſſet homo iuſtus, iuſtus autem in verbo, iuſtus in facto, iuſtus in lege, iaſtus iaconſummatione, iuſtus ia iudicio gratia.* Et poſt pauca: *Iuſtus erat Ioſeph, & illa virgo immaculata erat.* Quid eſt iuſtus in iudicio gratiæ? An quia pro gratia iudicauit in tribunali, ad quod tumens vterus ab oculis potuit ſoſpicioſis deferri? Suprema præfectura eſt in eo, cui competit in negotiis gratiæ iudicium, vbi gratia vocatur ad ius, iudicem diceres Deum, qui dominus gratiæ eſt; & tameo clauus committirut Ioſeph, trabeam iudicaotis iuduit: quia gratia fœcundæ virginitatis agebatur; quæ, cum facta Mariæ fuerit, iure ſuo deuoluta eſt ad virum. Nobiliùs adhuc pro Ioſeph. Iuſtus iudicio gratiæ nuncupator: quaſi gratia pro Ioſeph iuſtitiâ iudicauerit; vt nullum firmius teſtimooium expectes, ſi cenſorium gratiæ caleulum habes. Nulla ſuſpicio in ſententiam valet irrepere; vbi iudex gratia eſt: quæ, etſi gratia, noo gratioſè, ſed iuſtè iudicat; vtpote diuinæ naturæ participatio, in qua ſupremum ius eſt. Ergo & Ioſeph pro gratia iudicauit, cùm coniugem eenſuit illibatam: & gratia alternis officiis pro iuſtitia Ioſeph ius dixit: nam reciproca procliuitate ſe inferunt iuſtitia Ioſeph, & virginitas Mariæ. Quod more illationis capseſſit Origenes: *Iaſtus erat Ioſeph, & illa virgo immaculata erat* (Ambr.) Exhibuit id Ambr. in cap. 2. Lucæ: *Deaique vt ſcias ceaſum eſſe iuſtitia, veniunt ad eum Ioſeph, & Maria, hoc eſt: iaſtus, & virgo. Ille, qai Verbum ſeraaret; iſta, qua pareret. Vbi autem profitentur iuſtus, & virgo, niſi vbi naſcitur Chriſtus?*

11. Quòd vtrumque nectatur, ſuadet Angelus deſuper apparens. Si enim prauè ſuſpicaretur de coniuge, quî deberet cœleſti viſitatione numerari? Angelus, qui totius mens eſt, cui veritatis intuitio, qui iuſte iodicat, & cum iudicio ſpiritalis naturæ virginitatem componit. Imò ea vna radice habet vtrumque: mens eſt, & virgo, quia ſpiritus eſt; ideóque virgo, quia mens; cui pro obiecto veritas eſt, pro actu iudicium. Hic in ſomnis apparet Ioſeph, adſona quidem proportione: vt qui virgo, & iuſtus, quaſi indiuiſo attributo, in iudicio Virginitatis Mariæ extiterat, Angelo frueretur, qui virginitatis, & iuſtitiæ formam eius menti exhiberet, apto meritis dono remunerans. Et quidem (Sim. de Caſ.) ſic intulit Simon de Caſſia lib. 2. de B. Maria cap. 16. *Argamento palmari factum eſt, quod nulla ſuſpicione iniqua Ioſeph ad Virginem mouebatur: qaoniam ei per Angelum Domini ia ſua perplexitate deſuper, & de cœlo ſubuenit.* Ideò forſan in ſomnis, vbi ſopiri oculi, qui de turgente vtero prauam, & ad ſenſum opinioneio concipere potuerunt, iure plectuntur, dum clauſis palpebris ſe Angelus menti reuelat, in qua intemerata mãſit ſententia, & Angelica dignitas refulſit, ob ſimilitudinem cum Angelis, qui inconcuſſa virginitate, veritatéque pollent. Cur in ſomnis Ioſeph de myſterio eruditur? Cur non in vigilia, vt Maria, vt paſtores, vt (Rom. 1. 17.) Zacharias? Ænigmatica, & ſoporata reuelatio dedecus videtur eſſe viri? Imò quia vir erat iuſtus, & iuſtus ea fide viuit, vir fidelis non apertâ ſacramenti per ſenſus manifeſtatione indiguit. Iuſtitia Ioſeph, & Virginitas fœcunda Mariæ facilem ſibi vendicant aſſenſum. Suffragium pro iuſtitia & fide viri fuit, deſuper illuſtrati dormientem Chry- (Chryſoſt.) ſoſtomus homil. 4. in cap. 1. Matth. *Cur in ſomnis & noa potiùs apertè, ſicut & paſtoribus, & Zacharia apparuerat, & Virgini? Quia ſcilicet erat vir prorſus fidelis, & manifeſtiori reuelatione non indigens.* En fidelis, ac proinde iuſtus, quà vir; prooè credit quidquid ad Marianæ Virginitatis attinet excellentiam.

Meditare, quid Angelus dixerit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Si virili acoro accenderetur in coniugem, validæqoe xelotypiæ, quæ vltrices in maſculum pectus ſolet immittere, flammis æſtuaret; cur à timore redderet Angelus ſtrenuum, ſpirituſqoe potentes iacenti cordi conciliaret? Pugnantem ſedaret animum, non inderet robur. Noli belligerari, æmuláque viri ſuſpicione contendere, pronum eſt, dixiſſet. Qui eluit timorem, iuſtum appellauit; vtpote qui pro virginitate fœcunda iudicauerat, potiùs umebat ſe per matrimonium partem coniugia permanere, in qua cœleſte myſterium agebatur. 12.
Obſeruauit id Chriſtianus Druthmarus in Matthæum ad illa verba: *Cùm eſſet iuſtus: Teſtimonium Euangeliſta eſt de Ioſeph, quia iuſtus erat: & hoc etiam ex apparitione Angeli credere poſſumus, ex verbis ipſius dicentis: Noli timere. Si enim ia eam, malam ſuſpicionem habuiſſet; nec ipſe iuſtus eſſet, nec Angelus dixiſſet: Noli timere; ſed, noli deſpicere.* (Chriſt. Druth.)

Imò ea annunciatione ad Virginem verba tráſcripſit, vt maritum eſſe probaret pari virginitate conſtantem, communiq; cum Maria puritatis honore fruentem. Meminiſti: *Ne timeas Maria: inueniſti gratiam apad Deum: ecce concipies in vtero.* Aſt illa, quam conceptus abſterruit, à viro ſe protulit extorrem: *quoniam virum non agnoſco.* Ne à viri dignitate decidat Ioſeph, & ſimol appareat virginitati, & fœcunditati profuiſſe, dictionem illam repetit Angelus: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* In quibus explicuit, geminauitque facto compendio totum priſtinum nuntium. Nec verbum eſt vllum, ſi ritè explores, quod ex prima legatione defuerit. Filium Dauid nuncupat, quia dixerat antea: *Dabit illi Dominus ſedem Daaid Patris eius.* Spiritus ſancti opus illico oſtendit, quia dixerat: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Conceptum, partum, nomen, coniugiom dilucidè explicuit. Quid cauſæ? Vt euinceret Ioſeph verè eſſe virum Mariæ ea, ſingularitate coniugij pollentem, vt ex illibatis nuptiis diuina ſoboles naſceretur vtrique. Quare verba, quæ, vt conciperet Maria, deſuper fuerunt prolata, repetit Angelus ad Ioſeph: ne ſe alienum putaret à prole; eo tameo ſignatiſſimo conſilio, vt ſolum poſt peractum conceptum, diuque iam geſtatum vterum, illi nuntium, quo Maria genuit, exhiberetur: ne ſi ſimul inſtrueretur com Virgine, crederetur Ioſeph genuiſſe; & virginitatis lęderetur honos. Iuuat non modicùm Gerſon de Natiu. Mariæ conſider. 3. *Nouit Maria myſterium Iacarnationis à ſæculis abſcoaditam, Angelo nuatiante: nouit & Ioſeph admonitus ſuper hac in ſomnis. Turbata eſt Maria in Angelica ſalutatione; ſed non conturbata, vel iacredula: turbatus eſt & ipſe Ioſeph ad ſtupeadum tanta nouitatis miraculum, non tamen conturbatus.* Et paucis interiectis: *Quemadmodum enim in annuntiatione turbata eſt in ſermone eius; & reſpondit ei Angelus, timorem ab ea amouens: Ne timeas Maria, &c. ſic etiam turbationi Sancti Ioſephi Angelus eiſdem fere verbis viens reſpondit: Ioſeph fili Daaid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* (Gerſon.) Verbis, quibus Angelus pepulit timorem, celſitudinem Sancti Ioſeph explicuit, cui ſimilis anuntiatio ac Mariæ præſtita fuit,

fuit licèt dissimili tempore: vt totius Sacramenti proderatur arcanum, videlicet, quòd coniugium eo instituto peractum fuisset, vt & virgines cõiuges permanerent, & ex vxore, viro nesciente, virumque ignorante, proles gigneretur. Quare edocuit Angelus, quòd, licèt Maria genitricis prærogatiua, virtutumque fastigiis virum suum præcelleret: vir tamen eius Ioseph ex coniugij sorte aliquomodò non iudicaretur inferior vtero Mariano: siquidem illi & retegebatur mysterium simili Angeli nuntio; & baiulaturus erat more patris infantem in brachiis, quem veritate Matris, vterus baiulabat. Hinc extricabis difficilia verba Christ. Druth. in Matth. ad illa verba: *Noli timere, noli trepidare, noli te indignum iudicare Filio, & Matri eius seruire: quia illa digna, & ordinata inuenta fuerat ad generandum eum: & tu ad enutriendum electus es. Fuit autem tuus æquiuocus castus inuentus, & bonus; sed non tu eo inferior, cui creditur est virginitas Matris, & baiulatio nascentis. Dicatur interim coniux tua, vt liberes eam de persequutionibus Iudæorum; sed melior tibi erit, quàm si habuisses tantas vxores, quantas habuit Salomon.* Diceres mendum subrepsisse, vel aliquid saltem incuria omissum. Quid enim est illud: *Fuit autem tuus æquiuocus castus inuentus, & bonus; sed non tu eo inferior, cui creditum est virginitas Matris, & baiulatio nascentis?* Anne tuus æquiuocus de Ioseph Patriarcha intelligitur, cui æquale nomen cum Virginis Sponso? Non malè. Sic enim Albertus Magnus in Matth. cap. 1. *Clarorum virorum æquiuocatio est Ioseph, Patriarcha præcedentis, & Ioseph ab Arimathia sequentis: quorum vnus typum gerit Saluatoris: alter officium exhibet mortuo pietatis.* Sed non sic arridet, nec cum Angelici sermonis serie quadrat, quo Ioseph animum erigit, ne se reputet consortio Virginis indignum: ex quo inuentus fuerat vterus habens de Spiritu sancto. Igitur non subtiliter hic sensus erit: Inuentus iste vterus ex illibato pudore castus, ex prole, quam gestat, bonus: tuus æquiuocè est, vtpote tuæ coniugis, quæ iure coniugij portio est tui: ne te illo censeas inferiorem: tu enim & castus, & iustus es: & quamuis illa baiulat generationis sorte Filium Dei: tu adhuc nutritij munere, partisque vocabulo baiulaturus es eum, qui æquiuocè tuus filius erit. Ne nimia humilitas te deturbet: parens reddit coniugium; parens redderis: licèt absque impulsu tui pariet Filium, nomen impones, opimoque fructu, quem non seuisti, diues eris, vberiori prouentu, quàm si habuisses tantas vxores, quantas habuit Salomon.

Christ. Druth.

Alb. Magn.

14. Quantus vir iste Ioseph, qui non solùm particeps cœlestium efficitur secretorum, sed & cum vtero Mariano componitur, in quo Spiritus sanctus sæculorum egerat negotium, & aulam construxerat Filij Dei. Attamen non vndequaque par fuisse numinum Ioseph, & Mariæ, scrupulus quidam instigat; quoniam cum de Gabriele nuntiante tractat Lucas, signatè admonet, quòd missus fuerit Angelus à Deo: vt legationis auctoritas, & Virginis excellentia præiret. At Matthæus nudè Angelum Domini desuper apparentem inducit: quasi sat fuisset deduxisse de cœlis: an missus à Deo? Subticet. Neutiquam id Ioseph derogat dignitati: extollit viri decus Euangelistæ silentium. Oriaretur dixisse missum esse à Deo, si nuntium agebat ad Ioseph. Et in ipsomet alloquio Deum mittentem nobili exhibitione monstrauit. Interiori conflictu vir iustus decertabat: animus intra secretum latibulum secum pugil, secum erat puluis ad luctam. Nullus sensus agnouit, quæ intus intra Ioseph animum agebantur: nec traxit suspiria, nec voces laxauit: nec lachrymis vaporauit dolor: nec pandit extraneo. Quare Angelus, qui suapte natura secreta cordis nequit percallere: quæ in animo versabantur, ignorabat, nisi Dei proderet reuelatio. Cœlitùs adest: retegit quidquid in pectore volutabat, eisdem ferme verbis, quæ ægra viri mens intra penetrale mutiebat: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: ergò sciuit, dimittere tentauisse. A quo putas missus, nisi à Deo, qui sic intraneas cogitationes deprompsit? Bellè Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. Matth. *Idcirco postquam suspicione cruciatus est, visione recreatur: vt hoc ipsum quod post suspicionem docetur, ea, quæ dicuntur, vera esse demonstret. Cùm enim quod nulli fuerat ipse confessus, sed inclusum tantummodò mente voluebat, id etiam loquente sibi Angelo recognoscit; certissimum, & absque vllu ambiguitate prorsus documentum est, quod à Deo ad illum missus aduenerit. Ipsius enim est solummodo, cordis arcana prospicere.* O qualis viri censura! Adeò in virgineæ coniugis negotiis se alienum reputat à carne, corporeisque functionibus procul absistit, et intra animi recessus se continuerit, ne corporis sentirent extrema, nec consortes sensus haurirent, quod intra mentem agebatur. Quid causæ? Vt in ipsomet suspicionis ardore, feruidaque pugna lauros pro Mariana Virginitate assurgeret: siquidem quod ad eius vterum attinebat, solus animus Ioseph, quantumuis viti, agitabat; innuens in eo nullā post carnis cum vtero Virginis communionem intercessisse: siquidem & corporei sensus, etiam in marito, à cognitionis communicatione arcebantur; coniugium non corporum ad thalamum, sed animorum esse ad fidem monstrabatur. Ideò intra se versat, & in secretiori mentis disputat aula, ne corpus sentiat, quod extra corporis vsum in vtero Virginis eminebat. Chrysost.

Sola cogitatio, & voluntas; intellectus, & amor, ad occultum tribunal Ioseph vocantur, vbi ius diceret animus, nec vllus iudicij strepitus cum sensibus haberetur. Id signatè obseruauit Euangelista: *Voluit occultè dimittere eam.* En voluntas. *Hæc autem eo cogitante.* En Intellectus. Quid tamen hos animi motus excitauit? Dixerat: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto:* & illico: *Ioseph autem cùm esset iustus;* &c. Cur non dixit inuenisse Ioseph vterū protuberantem? Quod si ipse non inuenit, cur è vestigio Ioseph inducitur agitatus? Eximiè vtrumque; Inuenit quidem: sed quia oculorum fuit, sensuumque; sic ventris conspexisse tumorem; ob virginei coniugij accurentiam, ob abstrusi mysterij spiritale arcanum, ob sancti Ioseph à carne conuersationem semotam, inuenisse subticetur; ne vllius corporei sensus fuisset memoria, vbi quidquid erat, de Spiritu sãcto erat; & intra animi latebras, vbi habitat spiritus, consulendum. Ideò & adsone iuxta statū quē tunc habebat in animo iustus, & pudicus vir, Angelus apparet, videlicet in somnis, dum corpus iacet, dum sensus otiantur imagoque motris per soporatos artus depingitur, animusque à sensilium sequestratur tumultu; ne cum sensibus ageret cœlestis interpres, nec vlla portio carnis sentiret, quod sapiens vir absque sensibus intùs agebat. In quo maximè fidei consultum fuit, facileque Sacramenti Incarnationis credere potuit Ioseph arcanum, cui sic, quæ ille animo occultabat, 15.

in animo teuelabuntur ab Angelo cum omnimoda consonantia ad mysterium. Chrysostomus
Chrysost. suprà: *Quonam igitur modo hæc ille vir crederet, qui nihil prius tale sermone conceperat? Ex eorum, quæ jam peracta erunt, reuelatione. Idcirco enim omnia, quæ celabantur in eius animo, Angelus reuelauit: memorando certè, quæ patiebatur, quæ verebatur, quæque etiam meditabatur efficere, vt, cùm cognouisset ista, etiam illa susciperet.* En totum inter recessus mentis euoluitur, cum soporē membra carpebant. Et vt mireris æqualitatem Ioseph cum Maria, quoad hoc cœleste negotium, etiam dum illa nuntium auscultat, & concipit Deum, sic depingitur à Chrysologo sermone 117.
Chrysolog. *Sanguis siluit, caro stupuit, soporata sunt membra, & aula Virginis tota est in cœlesti commoratione suspensa, donec Auctor carnis sumeret indumentum.* Preme illud? *Soporata sunt membra*; non quòd Virgo dormiret, sed quòd omnis cogitatus carnis abscederet. Apprimè autem conueniunt cum illis: *Apparuit in somnis Ioseph*, ne dispar esset vtriusque coniugis status; & ostenderetur, quàm procul esset à sensu, carnisque vigilijs conceptus ille, qui, dum vir dormiebat, ei ostendebatur; & dum coniux, licèt vigil, animo tamen in cœlesti aderat commoratione, in eius vtero signabatur. O virgineum inter coniuges animorum fœdus! O casti Ioseph nobilitas, Mariæ Genitricis imitatrix! Quare quod
Chrysost. Chrysostomus dixit de Ioseph: *Inclusum tantummodo mente voluebat*, nempe quòd non communicasset ad corporis externa, idipsum protulit de
Chrys. Maria Chrysologus serm. 142. *Beata quæ diuinum pignus sic suo suscepit, & seruauit in pectore, vt illud tota corporis externa nescirent.* Cogit Ioseph intra animum, quod intra animum virgo concludit: in vtroque corporis nesciunt externa, vt virginitas commendetur.

17. Hæc, quæ de Iustitia Ioseph virgineo mysterio obsequentis exornauimus, satis pro virginitate Matris agunt. Annè & viri iustitia nobilitati Filij proficua fuit? Profectò quòd iustus fuit Ioseph, in causa est, à Dauidica stirpe Regio murice purpurata ortum fuisse Christum. Vis probem? Texit genealogiam Euangelista, statimque in vestibulo sacrā libertate profert, IESVM CHRISTVM esse filium Dauid, maiestatisq; calamum tingit in ostro, amans à generis splendore illustrem historiam auspicari; & tamen, qui sic orditur, finit in Ioseph: *Virum*, inquit, *Mariæ, de qua natus est* IESVS. Quid ad Christum tot maioribus consita series, si generationem catena non desinit in Maria, à qua, & nonè viro, genitur IESVS? Sed legis erat non nisi cum contribuli in eūdum coniugium. Quid quòd legis? An ideò absqoe alia discussione, anxiaque vestigatione mentis solida certitudine subsistere potuit, quòd Ioseph duxerit contribulem? O qualis iustitiæ Ioseph excellentia! Adeò iustus fuit, vt sat sit semel agnoscas; iuxta legem fuisse duci cognatam, vt illicò re stabili fidei deuoueas, credent Mariam ex genere Dauid ortum traxisse: siquidem Ioseph à legali sanctione non deflecteret, quem intemerata iustitia commendat. Fruilicet Damasceno lib. 4. de fid. orthod. capit. 15.
Damasc. *Sancta Virginis ortum vterque* (scilicet Euangelista) *silentio præteriit. Quocirca scire operæ pretium est, neque apud Hebræos, neque apud Scripturam sacram hoc in more positum fuisse, vt mulierum genus recenseretur. Verùm hoc lege demùm cautum erat; ne tribus vlla vxores ex altera tribu accerseret. Ac proinde Ioseph, qui ex tribu Dauidica ortum trahebat, iustitiamque colebat (hanc enim laudem ei tribuit diuinum Euangelium) Sanctam Virginem haudquaquam præter legis præscriptum desponḍisset, nisi ex eodem sceptro genus duxisset. Ob idque satis habuit Euangelista demonstrare, vnde Ioseph ortum traxerit.* Non interest in generationum serie, Mariæ computare parentes, nec iterum stirpem ad Genitricem Virginem applicuisse: sat est Ioseph ab stipite venisse Regali, Dauidicumque hausisse stemma, vt omne Mariæ genus clareat, quod in Ioseph iustitia solidatur. Fides, quòd Christus fuit Filius Dauid, tam grauis, & illustris propositio in iustitia Ioseph fulcitur: Quid pro eo clarius? Imò totum Dauidicum genus in vno Ioseph nuncupatur. Cur Angelus inquit: *Ioseph fili Dauid?* Plurimæ generationes intersunt inter Dauid, & Ioseph, si ipsam libri generationis seriem consulas; cur ex tam distanti situ filius asseritur? An quia filius compēdiosa patris definitio est, & Ioseph totius Dauidici generis nobile compendium? Benè. Meliùs: quoniam promissio facta fuerat Dauid: *De fructu ventris tui* Psal. 131.
ponam super sedem tuam. Filius, quid nisi fructus ventris est? Ergo Ioseph, filius dicitur, quippe Dauidici ventris fructus? Ergo de Ioseph Christus? Sed per Mariam, quæ genuit absque Ioseph. Grande præconium! Qui gignere non valuit, genos dedit. Genitor quidem non est, sed in illo genus vocatur; Dauidique facta promissio complementi sortem accepit. Adest Chrysologus serm. 145. *Vi-* Chrysolog.
detis, fratres, in persona genus vocari: videtis in vno totam prosapiam nuncupari: videtis in Ioseph seriem Dauidici stemmatis iam citari, Ioseph fili Dauid. Trigesima octaua generatione natus, quomodo filius Dauid dicitur, nisi quia fides promissionis impletur? Quid est in vno totam prosapiam nuncupari? Certè quia tota prosapia pro cornoide appulit ad Ioseph, cœpit à Dauid. Signatè enim Matthæus orsus est à Dauid, vt dum linea deflecteret vsque ad Ioseph, circulus volueretur, & vtrumque necteretur extremum, Dauid nempe, & Ioseph: & in hunc omnis Dauidici stemmatis, virtutumque cumuli transfunderetur maiestas, splendidumque subsisteret genus. Cur Angelus ad Mariam: *Et dabit illi Dominus Deus sedem Da-* Luc. 1.
uid patris eius; genus protulit ex Dauide, cum tamen nec filiam Dauidis nuncupasset Virginem, nec aliquid de Regali solio prædixisset? Benè diuisit. Nuntiaturus erat Ioseph, ab illis verbis ordiens: *Ioseph fili Dauid*: ideò præpropera præoccupatione patrem gignendi à Virgine Filij nuncupauit Dauid; nec opus erat ex Dauidica stirpe appellauisse Mariam, quippe in vno Ioseph tota nuncupabatur prosapia. Si in persona Ioseph genus vocatur apud Chrysologum, genus dedit non à se genito Filio. O qualis splendor, Vnigenito, à Patre impendisse genus, vt saltem illud sortiretur Ioseph, qui generationem nequibat impendere! Maria genus Ioseph est, in quo series stemmatis Dauidici citatur.

Ioseph

Ioseph, qua Mariæ virgineus vir, quò iure Pater Christi nuncupetur?

Sectio II.

18. Veritatem coniugij inter Mariam & Ioseph non inopibus momentis diratam in superioribus exhibuimus. Par erit è coniuge ad coniugem transilire, vt quos sacer coniugauit amor; laudationis fibula coniugat. Non deflectit à femina vestigium, cùm in obuio figitur biuio, ibique gressum sistit, vt ex indiuulso nexu, in vtroque stet, dum in vno. Non ab orbita aberrabit virginea, nec ab Incarnationis tramite desciscet calamus, qui, vt placidiùs vt altiùs volet scribat de Mariæ viro; quæ, cum Deitatis fines, vtpote Dei genitrix tetigisset, affinem Deo reddidit sponsum, nuptialique catena moueri non poterat, quin traheret animi sodalem, non vllis corporis retinaculis irretitum. Eò in Maria propinquitas diuina succreuit, consanguinitatisque inoleuit necessitudo, vt aliqualiter exundauerit in Ioseph, inuectoque nuptiarum iure iuerit maritus in stemmata coniugis, & familiam. Hæc indoles Deitatis est, qualis & in succino inuenitur; annulos sibi copular, & quidquid propinquum, agglutinat. Ioseph ferebatur, quò Maria. Si illa Mater Dei, qualem cum Deo in Ioseph putaueris cognationem? Dedit Mater, quòd Pater Dei nuncuparetur. Satisnè? Quòd esset. Non quomodò illa Mater, sed quia illa Mater: non quia genuisset, sed quia generationi non institit. Supernus Pater thalamum sponso præripuit, ingessit Filium, viscera non læsit. Quale sponsò pretium rependit? Quòd pater diceretur. Nuda vox. Imò quia thalamum non nudauit; quia pallio mariti virginitatem vestiuit, non nuda. Si Spiritus sanctus viri suppleuit officium, substituit pro marito; genita proles iure irrogabitur proprietario. Munere fungitur, qui per alium fungitur: nec redditus, pensitationesque muneri statutas amittit, qui mittit, qui pro se agat, etsi ipse otietur. Id forsan suboluit Petro Cellensi lib. de panibus cap. 21. in principio: *Virgo Verbo incarnando vteri, & cordis locum parat; Spiritus sanctus mansionem parat, ipsa Filius nuptialia fœdera, Verbi, & carnis legitima copulatione conciliat: Gabriël Archangelus iura connubij hinc inde allegat: Ioseph vices portitoris agens solatia ministrat, & salaria, & pretia, & legationes sportularum implorat.* Si Spiritus sanctus à Patre missus Virginem implet, si vterum facit, dum maritus abstitit: quid est, quòd ille salaria imploret, & pretia? Iure: quia viri munere fungebatur, sibique debebantur salaria, quantumuis desuper coniux impleretur. Qualenè salarium, nisi patris nomen, cùm post filium genitum, quod penditur, paternitas sit? Quid est *Legationes sportularum implorat? Sportula* pecuniam significare solebat, quæ à Magnatibus quotidie dabatur officij gratiâ comitantibus. Iuuenal. sat. 3.

Pet. Cellens.

Nonne vides quanto celebretur sportula fumo,

Iuuen.

Igitur Cellensis acumen sit: pecuniam, quæ comitanti ab Optimate debetur, implorat Ioseph à Patre Deo, & Spiritu sancto: quoniam officio suo, connubialique munere comitatus est virtutem Altissimi; non agens, sed abstinens, nec tangens, sed tegens à nota impuritatis vxorem, vt à virtute Altissimi grauidaretur virginee. Quare sportulam vindicat, nempe paterni nominis pretium.

Quæ ratio, si penitiùs, enucleatiùsque discutiatur, euincet, quàm singulari diuinæ sapientiæ nouitate effectum fuerit, quòd Ioseph, quia non genuisset Filiū Dei, pater eius signatissimâ quadā proportione efferretur. Quòd enim non stolidè putabatur ab inscia turba, sed aliqua causa lateret diuinitùs, quæ iure patrem impelleret nuncupandum; id admonet, etiam ab Euangelista, imò, & à Maria Patrem Iesu dici, Luc. 2. Tractat. Augustinus tom. 4. lib. de consens. Euangelist. Ergo ex thalami defectu Ioseph à paternitate non orbatur; potiùs paternitatem illi conciliat, in vtero non seuisse, sed virginitatis fuisse custodem. Nec probatio deficier Matrimonij fructus, proles est: nisi connubij nubes prouentum ferat, arescit. Perfectum inter Ioseph & Mariam coniugium nequiuit à coniugij fœnore decurtari. Gloriosiores nuptiæ, quæ saltu quodam ad sobolem peruenerunt: nec impuris spatiis detentæ, non thalamo præpeditæ, iam redimiebantur à prole. Non appeteret illecebram coniugium, si anteà perueniret ad fœtum, quàm ad lectum. Quò perfectior causa est, paucioribus agit? quò actiuior, velociùs. Matrimonium hoc, vtpote inter perfectiores, perfectius fuit. Ergò non illecebrosâ intercapedine opus, mollique segnitie, vt prodiret in fructum: compendio egit, dum vir non egit in fœminam; sed reperit grauidam, quam non nouerat. Cur non coniugij fructus hicce erit, eo solùm, quòd gleba virginea non sarculi indignit iniuriā, nec sulcum ab aratro perpessa fuit? Benè Paschasius lib. in Matth. *Ideò hic rectè virum accipimus, maximè cùm in eo affectus seruatur amoris, quod est verum coniugium: & in ea fructus sine coitu inuentus est nuptiarum. Iam vltra in negotio quid obsistat, ne vir Ioseph, & Maria vxor rectè dicatur, omnino non video, nisi quòd sola libido interuenire non potuit, vbi ad informandum vitam perpetuam virginitas seruabatur.* Explora illud: *Et in ea fructus sine coitu inuentus est nuptiarum.* A quonè inuentus? A marito, *licentia penè maritali*, si Hieronymo annuas: quidnè *penè*? Quia penè fructus mariti erat. Cur si Virginis? Quia fructus nuptiarum noua temperies genialis agri, nuptiarum fructus est, & non satus à viro; imò quia non satus. Satis illi fuit gleba imbre cœlesti madefacta: vir non colonus, sed custos fuit. Singularitatem hanc exigebat singularitas nuptiarum. Si ideò Maria nupta Ioseph, vt sub Ioseph virgineè gigneret, tam iure nuptiarum fructus est, quàm qui è corruptâ gignitur sub marito? Obsistit creata generatorum series. Quid? Noua progenies nouam generationis causam expetit, & rationem.

19. Luc. 2. August. Pasch.

20. Obseruauit Euangelista: *Christi autem generatio sic erat.* Cur sic mutauit stylum, quasi pertæsus paridictione largam generationum seriem retulisse, in qua toties de viris *genuit*, repetiuit, quoties nouum filium subiiciebat. Denique: *Genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* Si Iesum non genuit Ioseph, ad quid in generationum syllabo virum dixit? Explicat: Quia Christi generatio sic erat. Sponsæ vterum inuenit Ioseph de Spiritu sancto grauidum, non minus illi deputatur soboles: quis hoc genus connubij

Matth. 1.

nubij generatio Christi expetebat. Vis probem? Non gigneret Filium Dei Maria, nisi Virgo: nec Virgo maneret, si vir maritale ius exerceret: quo abstinuit, tenuit fructum, qui non nisi ab abstinente prodiret. Ergo virginitas dedit Ioseph, quod maritis dare solet illecebra: pater est, quia virgo: eò pater, quò plus à concubitu vxoris separatus. Do Augustinum serm. 15. de Natiu. Dom. *Gaude itaque Ioseph nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij: quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater diceris Saluatoris.* Exaggerat abscessum à concubitu ex paternitatis sorte. Noua rhetoris forma, ab extremis, & inter se dimicantibus, probare quod cupit. Quis crederet, quem, patrem euasisse eò firmius, quò procul abstiterit à concubitu, eaque masculâ vi pollere à thalamo fugam, vt quò longius eat, patrem tenacius efficiat. Si huius sacri connubij hæc natura fuit, parce stupori. Nouit Augustinus, quod dicit.

Auguſt.

21. Nonnè vir & vxor duo in carne vna sunt? Sed mixto corpore. Quid de immixto? Si corpus vtriusque ex castimoniæ disciplina in ipsam castitatem conflatum est; ex virgineis membris, quò plus segregaris, virginitas vna ferax prodibit: vt de communi virginitate in pudoris prodigium filius se prodat, qui Mariam constituat genitricem, & Ioseph, licèt non genitorem; tamen ex virginitatis honore patrem. Eximiè Augustinus suprà: *Habet Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum: quia de virgineis membris virus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua, virginitate seruata: sis autem & tu pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis: vt de virgineis membris Genitricis sæculis Christianis nulla sit zelotypia.* Nil potuit virilius, nil sublimius de Ioseph perorari. E costa struitur fœmina, vt masculum experiretur in corpore, carneoque philtro inciperet ad vnionem instrui coniugalem: ne auersaretur pati mascula membra; cuius ex osse portio erat. Molimen doctrina coniugij fuit, in quo ad generandam sobolem bina corpora curtantur in vnum. Si Maria nubit, non ad carnis commercium, sed ad spiritalem animi nexum, columitatemque pudoris, vt ex virginitate conciperet, non ex viro: quid est, quòd etiam ad membra virginea Augustinus communionem inducat, vt Maria Mater sit, & Ioseph pater; Non minor vis, sed validior, quàm in iugali thalamo ad virginea corpora absque mixtione in vnam conflanda puritatem, in virginitate viget. Facit virgineè coniugium istud, quod non sine inquinamento cætera faciunt. Eius officium disgregare fuit, sicut aliorum copulare; nec tamen extranea corpora manserunt, quæ ab vna virginitate imbuebantur. Mariæ caro, virgo manebat æterna, ex qua virginitatis reliquiæ suppetebant Ioseph, vt ex virginitatis ingenio ob vnam Mariæ carnem duo virgines essent, & ex illibata Virginis carne insolidùm genita proles alij genitricis dederet veritatem, alij patris dignitatem permitteret. Sic acciperem Hieronymum in Heluid. prope finem: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse; ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam: vt ex virginali coniugio virgo Filius nasceretur.* Et statim: *Relinquitur ergo eum virginem mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.* En

Auguſt.

Hieronym.

quia virgo, pater. En virgo ob Mariam: vt esset vna virginea caro, siquidem è Matre patris nomenclaturam mutuatur.

Scis quòd Incarnationis Sacramentum sub œconomia, seu dispensationis nomine passim à Patribus effertur. An quia iuris relaxatio fuit, legumque seueræ naturæ dissolutio, siquidem Deus homo, Virgo genitrix? Sanè ad virginitatem fœcundam videtur respexisse Epiphanius in panar. hæres. 78. *Ostenditur, quod non coniunctionis gratia ipsi* (id est, Ioseph) *tradebatur Virgo; sed quò conseruaretur in testimonium futurorum, quòd non spuria dispensatio aduentus in carne accessit; sed quòd testimonia haberet in veritate, extra semen viri in Spiritu sancto dispensata in veritate.* Quæ verba si placet, inter se dimicant. Cur spuria dispensatio, & notha fuisset, si viri intercessisset accessus, cum potiùs spurius, & nothus sit, qui non ex viro generatur à coniuge, & quoties maritalis iuris thalamus laxatur ad exterum luxum; quod nulla sustinet dispensatio. Peroptimè naturam huius matrimonij percalluit. Nuptias infesta vxor, quæ vt nothum concipiat, noscit extraneum: qui aduersùs legem nuptiarum incumbit; quæ in prolis opus virum fœminæ coniugauit. Cùm ergo Mariæ & Ioseph coniugium ex sua indole non ad thalami tenderet vsum, spurius videretur, suppositâ Incarnationis œconomiâ, filius, qui ex vtriusque concubitu prodiret; imò ille legitimus in his nuptijs filius est, qui non ex viro est. Periret huius sacri singularitas coniugij, nisi extra virum fœtus eueniret: quod explicuit Epiphanius in illis: *Sed quæ testimonia haberet in veritate, extra semen viri in Spiritu sancto dispensata in veritate:* ideò, vt non spiritus, id est, sine patre fuisset, patrem extitisse virginem opus fuit, virumque vxoriæ coniugationis expertem. Id natura huius dispensationis expetebat. Quare per ipsam dispensationem effectum est, vt Ioseph pater diceretur. Epiphanius suprà: *Quis dixerit Ioseph patrem Domini, qui nullam ad ipsum habuit causam; maximè cùm aduentus in carne, extra semen viri sit? Verùm per dispensationem res ipsa hanc sortem acceperunt.* Et negat patrem, & fatetur, illud ex naturæ lege, hoc ex dispensatione fit, id est, ex ipsamet Incarnationis œconomia, quæ exigebat ex matre virgine euenire, & iuxta prudentissimam prouidentiam, ex nupta. Pater est, & non pater; quin singulari paternitate potitur; vtpote quæ ideò est, quia nominatur; cùm cætera ideò nominantur, quia sunt. Institutum diuini consilij fuit, vt pater putaretur ob Sacramenti secretum; & tamen cuius nuncupatio percrebuit, in similitudinem aliqualem veritatis transiuit.

22.

Epiph.

Idem.

Idem.

Nonnè vides? Dixit Lucas: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph.* Et tamen ipsemet vtrumque coniugem parentem appellat: *Cùm inducerent Iesum parentes eius.* Et rursum: *Erant pater, & mater eius mirantes super his quæ dicebantur.* Vtquid veritatis assertor opinionem traxit ad rem vocabulum ad naturam; Putet vulgus; quid Euangelistæ? Sapienter. Quia nuptiarum scopus hæc opinio fuit; ne Marianus pudor subiret infamiam. Sat fuit, compleretur opinio, vt institutum impleretur nuptiarum: & pater incipiat esse, non, quomodò putabatur, ex concubitu; sed quomodò matrimonij ius indidit, virgineè. Ratio est, quia matrimonium verum intercessit, & Filius

23.

Luc.3.23.

Filius legitimus ex virginitate processit, virginitatisque custos fuit coniugium. Augustinus tom. 4. lib. 2. de consens. Euangelist. (August.) *Qui tamen Lucas non eius parentem, solam Mariam, sed ambos parentes eius appellare, minimè dubitauit. Cùm igitur ipse narret non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, vnde eum patrem eius appellat, nisi quia, & virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis, ipsâ copulatione coniugij; & ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si ei esset aliunde adoptatus? Vnde manifestum est illud, quod ait, vt putabatur, filius Ioseph, propter illos dixisse, qui eum ex Ioseph, sicut alij homines nascuntur, natum arbitrantur.* Quibus nihil explicatius. Res tota in comperto est. Amat Augustinus patrem esse, nedum dici; quòd putaretur, carneæ generationi deputat; imò quia carneè non accessit, vult esse parentem coniectum, quo coniugem; in legitimo enim coniugio nititur, quod legitimum esse præmiserat: *Quia nasci eis etiam filium potuit sine vllo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est.* Nec tamen censorio rigore credendum est apud Augustinum, patrem fuisse Ioseph Filij Dei; cùm sine patre in terris, sicut sine matre in cœlis perhibeatur. Tantùm contendit multò coniunctiorem esse patre adoptiuo, cùm ex legitima sponsa legitimè fuerit conceptus; vt appareat, quantùm nomini causa respondeat; patrisque nomenclaturam reddi firmiorem, quia quem non genuit, filium ex genitrice sponsa suscepit. Adat Ambrosium serm. 9. de Natiuit. Christi: (Amb.) *Ignorauit enim saculum: quia & extra conscientiam patris conceptus, & extra ordinem naturæ natus. Nam Ioseph conceptum suscepit filium, quem non genuit: Maria partum edidit, quem sexus consuetudine non creauit.* Contraria, dixeris, attonitum Ambrosium compegisse: *Suscepit Filium, quem non genuit*; suscipere enim filium, gignere est, Tacitus lib. 2. (Tacit.) *Ducere vxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur.* Cicero 5. Verr. (Cicero) *Susceperas enim liberos, non solum tibi, sed etiam patriæ.* Ergonè genuit Ioseph, & non genuit? Quia extra naturam ibat Ambrosius, nesciuit meliùs miraculi stuporem depromere; quia patrem nuncupauerat; ne quis diceret: & pater genuisse est; cauet, non quidem genuit, sed totum patris nomen accepit, quia filium suscepit ex coniuge; ideò suscepit, quia coniux erat: ideò non genuit, quia virgo. Similem conflictum vocum præmiserit: *Extra conscientiam patris conceptus.* Imò qui pater, cognouisse solet vxorem; qui extra conscientiam est; non est, cur pater. Vtrumque. Et pater est, quia extra conscientiam eius fuit, coniugem genuisse: quia non cognouit eam, donec peperit; cognouit post puerperium filium; cognouit coniugem esse matrem, seque patrem agnouit, quia filius ex coniuge fuit. Ideò proloquium Augustini est: (August.) In hoc coniugio *tria bona nuptiarum esse completa: fidem, quia nullum adulterium: prolem, ipsum Dominum Christum: Sacramentum, quia nullum diuortium.* Sic tom. 7. libr. 5. contra Pelag. c. 12. Vt autem penitiùs callleas Augustini mentem, quomodò Christus huius sacri coniugij fuerit bonum, ac proinde plusquam per adoptionem filius Ioseph nuncupetur, irreligio esset non consulere D. Thomam. (S.Thom.) In 4. dist. 30. q. 2. art. 2. ad 4. totam rem prodit. *Proles non dicitur bonum matrimonij solum in quantum per matrimonium generatur; sed in quantum in matrimonio suscipitur, & educatur: & sic bonum illius matrimonij fuit proles illa: & non primo modo; non tamen de adulterio natus. Nec filius adoptiuus, qui in matrimonio educatur, est bonum matrimonij, quia matrimonium non ordinatur ad educationem illorum, sicut hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter, quòd proles illa susciperetur in eo, & educaretur.* Quo nihil explicatius, nihil pro Ioseph illustrius. Qui in matrimonio ad Filium Dei suscipiendum specialiter ordinato vir fuit, & inter generationem, & adoptionem nobili medio potitus est, quo pater efficeretur.

Diuinus Pater ob Mariam nomen Patris indidit sancto Ioseph.

SECTIO III.

EN quo iure pater nominetur: non quia naturam genito dederit; sed quia à natura geniti, qui virgo è virgine erat, hauserit nomen. Si forsan iuuabit illud, quod de superno Patre dixit Apostolus: *Ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*: cur nominatur, & non potiùs est? An quia in cœlo, & in terrâ paternitatem memorat; cùm tamen in cœlo vnus Pater sit Filij Dei, & in terra vnus eiusdem Filij pater nuncupetur Ioseph? Benè *nominatur*, quia primæ personæ nomen *Pater* est: natura vocabulum indidit: quia totus est ad Filium, generatio transiuit ad nomen? Pater est, qua subsistit, sic nominatur. Gloriosus stylus ad Ioseph. Quidquid patris habet, nomen est. Paternitas hæc non in generationis, sed in virginitatis fundamento fulcitur: ideò quòd nequiuit, genitor non est; pater nominatur, vt in vna cum cœlesti genitore, cui nomen Pater, periodo componatur; & tamen appellationem à natura; id est, à generatione Filij quam non dedit, accepit. Abstrusa mens est S. Ephræm. de margar. pretios. col. 15. Dixerat: *Euangelium illam matrem appellat, & non nutricem: & Iosephum quoque patrem vocat, cùm nullam in ea generatione partem haberet.* Ex confestim addit: *Non appellatio naturam tribuit: nam & nos crebro patres nuncupamus, non quidem genitores, verùm senio conspicuos. Porrò Ioseph natura appellationem indidit, honoremque tempus præbuit: quoniam Virginis, & Ioseph sponsorum ac candidatorum, arrhabones, vt hoc nomine vocarentur, effecerunt.* Nodus est non facilis in Ephræm. Breui interuallo duo inter se profert contraria. Si appellatio naturam non tribuit, id est, si non quia pater nominatur, pater est Ioseph; quomodò ipsi natura præbuit appellationem: cùm certum sit, nomina, quæ à natura proueniunt, formam supponere in subiecto, vt vocabulum conformetur substantiæ? Ex præfatis enodatio est; Ioseph pater appellatur; non quia naturam tribuerit proli: quod proprium genitoris est; imò à vocabulo orbaretur, si intendisset per generationis tramitem ad filium peruenire: potius natura, id est, natiuitas, & generatio virginea Filij, appellationem patris ei indidit, cuius decens natura non sinit nominari parentem eum, qui per coniugalem rem eat

Margin notes (right column): 24. — Ephes. 3. 15. — S. Ephræm.

ad

ad nomen; potius per tori discessum trahit parentis vocabulum.

25. Singularis hæc indoles est: pater accipit à filio: vocis honoratur insigni, acsi dederit; & tamen non dedisse, filium suscepisse fuit. Operatur otium, quod in aliis officium: negatio, non actio fuit. Vide, quomodo generatio Christi describatur. *Antequam conuenirent*, inquit *inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Quid est *antequam?* Ergonè posteà conuenere? Ingenuè naturam huius sobolis exposuit, huius patris conditionem explicuit. Cætera soboles, quia per concubitum, & congressum habetur, non antequam conueniant coniuges, inuenitur: præuius est ingressus, naturæ gressibus, id est, accubitu tenditur. Hic stylus est. Audi Genes. 6. *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo, viri famosi.* Hic ordo naturæ, hic illecebræ mos: nisi post conuentionem, non gignitur: quia quod gignitur, agitur à masculo: noc venitur ad fœtum, nisi conueniatur ad torum. Præclarè Euangelista de mysterio erudiuit; *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens.* Quàm impudenter, & stolidè aberrant, qui in dictione *antequam*, impingunt, quasi postea conuenerint. Nequiuit fortius, & explicatiùs huius generationis singularitas prodi. Eximius sensus est. In præiacta generationum serie non anteà seritur proles, nec tumens vterus inuenitur, sed posteaquàm ingressus sit ad fœminam vir. Cæterùm generatio Christi sic erat: aduersus omnino illi modus fuit: antequam conuenirent, generatus fuit fœtus: nam sicut præuia viri actio opus est ad generationes cæteras; generatio Christi præuiam exigit negationem actionis: nec quid factum, sed quid non factum sit, debet exponi. Hoc pondus est in tritis Hieronymi verbis ad cap. 1. Matth. *Antequam conuenirent; non sequitur, vt postea conuenerint: sed Scriptura, quod factum non sit, ostendit.* Quod non socordiùs vertes, sed ingeniosè, & formaliter: ac si diceret: ly *antequam* non tempus posterum præsignat; sed quid necessarium fuit ante generationem hanc præiuisse, tanquam eius causam. Quod in aliis efficit accessus, in hac sortitur recessus; quod in aliis actio, in hoc otium: quod in aliis, postquàm ingreditur vir, & in geniali conueniunt cubili; in hac antequàm conuenirent. Rupertus lib. 1. de gloria, & hon. Fil. hom. *Quod est dicere: Cuiusque cæterorum generatio sic fuit, vt nullus eorum generaretur aliter, nisi conuenientibus viro & muliere, sicut natura vsus est. Christi autem generatio sic erat, vt antequàm vir & mulier conuenirent, inueniretur mulier in vtero habens.* Ex ingressu genitor nomen habet parentis; hîc ex abscessu Ioseph nomen patris habet: naturæ inuertitur conditio: non naturam præbet: & tamen à natura nomenclaturam patris potitur. Cur à natura? Quia hæc est huius limpidæ generationis natura, huius matrimonij natura, huius virgineæ fœminæ, virgineique sponsi natura. Iam capies illud Ephræm: *Porro ipsi Ioseph natura appellationem indidit.* Sed iniuriosum erit præterire rationem, quam subdit Ephræm: *Quoniam Virginis, & Ioseph sponsorum, ac candidatorum* (Græcè μνηςήρων, id est, qui promissi sunt ad coniugium) *arrhabones, vt hoc nomine vocaretur effecerunt.* Haud facilis est explicatus. Quid enim conuenit arrhabonibus cum natura; & quòd natura appellationem dederit patris, ab arrhabonibus factum esse, quid est? Arrhabonem ad sponsalia cum Maria, si consulas Epiphanium Constantiæ Episcop. in orat. de laud. B. Mariæ, edisces, Spiritum sanctum fuisse, quem Pater dedit. Audi: *Gabriel inquit; Aue gratia plena Dominus tecum, subiunxit Gariel, & Pater arrhabonem misit, Spiritum sanctum: præparauit Virginem Vnigenito filio, cælesti Sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit.* Si Spiritus sanctus est in hoc coniugio, non caro ad carnem, vt dixit Chrysologus; sed Spiritus sanctus superuenit ad fœtum, qui iam Patrem habebat: nam Pater miserat arrhabonem. Igitur sententia apud Ephræm est; Arrhabo effecit, quòd Ioseph pater nuncuparetur: nam Spiritus sanctus impleuit Virginem, præcipuit sponsam, coniugem percupiuit: nec destitit, quousque vterum impleret. Mira res! Grauidauit ad pignus, masculique suppleuit officium, viscera fouens; & tamen qui sic virgineè incubuit, pater generati filij non est: cum Filius non Spiritus sancti, sed conceptus de Spiritu sancto dicatur: ex aduerso Ioseph nec fouet ad fœtum, nec agit vterum; & tamen pater nũcupatur. Diuisa est gloria, qui carneus maritus non est, grauidam reddit; nec patris accipit vocabulum; piger otiatur maritus; & patris nomine potitur. Quòd sic nominaretur, fecit arrhabo: hoc fuit harum nuptiarum pignus, hoc institutum, vt spiritus ageret, quæ carnis erant: vocabulum autem, quod Patri conuenit supremo, humano adaptatur marito. O quale Ioseph cum Spiritu sancto commercium! Implet vterum Spiritus sanctus, nec Patris sibi resumit honorem; quasi onus Spiritui, honos Ioseph seruaretur. Origenes hom. 17. in c. 2. Luc. *Quæ causa extitit, vt eum, qui pater non fuit, patrem esse memoraret? Qui simplici expositione contentus est, dicit: Honorauit eum Spiritus sanctus patris vocabulo.* Cur signatè Spiritus sanctus? Quia de ipso concipiendus erat Filius; & quasi assumpsisset Ioseph sodalem ad opus, diuisit in alterutrum; sibi generandi virtutem, sponso patris distribuit honorem.

Ideò Angelus: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Cur non timeat? *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ac si diceret: Parce metui, non præripiet thalamum extraneus; leuimen habes, si attendas. Arrhabo ipse, qui pro his nuptiis præstitus fuit, tuam coniugem grauidauit. Arrhabo tuus est quasi tu; nam pignus est, quod pro sponso substituit, quoniam per antenuptiale pignus seipsum præmittit sponsus: dum repræsentatur in dono, vices sui anticipat; nec solùm se promittit, sed mittit. Ergo si pignus tuum Spiritus sanctus fuit, quia matrimonium in spiritu, vt suprà dedimus ex Cypriano, fuit cõtractum: quid te turbat vteri tumor? tuum est, quod gestat, licèt non à te: quia de Spiritu sancto est. Vis probem, quod tuum est? *Pariet Filium, & vocabis nomen eius Iesum*: id est, dum nomen impones, pater vocaberis; nec te æstimes alienum: impositio nominis, paterni muneris exhibitio est: diuiduntur officia; de Spiritu sancto est, & tu pater nũcupaberis. Bellè Chrysost. hom. 4. in c. 1. Matth. *Pariet, inquit, Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Non enim quia ex Spiritu sancto est, idcircò te à ministerio tantæ æstimes dispensationis extraneum: nam, etsi nihil habeas in hac generatione commune (Virgo quippe permansit intacta) tamẽ quod est proprium patris, quodque mihi infuscat Virginis*

Margin notes: Gen. 6. — Hierony. — Rupert. — Ephr. — Epiph. — Origen. — 26. — Chrysost.

nis dignitatem, hoc tibi facilè concedo: vt scilicet nato nomen imponas: tu enim illum primùm vocabis. Cur reuocatur à fuga, coniugemque recipere iubetur si iam proles in vtero est, & est, qui immiserit prolem in vterum absque viro? Sanè, dum reducere Angelus cõtendit, potiùs acuere videtur abscessum: nam si fœmina Spiritum sanctum habet; è quo vterum gestet, nec viro indiget coniugij fructus, vt quid remeabit Ioseph? Imò præcauet Angelus, ne otiosum putet coniugium: tunc primùm coniugem appellat, quasi inciperet, quòd poterat defecisse, timere: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* quasi timeas à coniuge, quã alius implet; quasi nugatoriæ nuptiæ, quibus non seritur ad prolẽ. Nunc clarius tua coniux apparet: pariet tibi, quod de Spiritu sancto concepit: necessitudinem habes ad Filium, qui Matri, & Filio eris necessarius, nempe cognatus; licèt hic non ex te natus, illa non ex te imprægnata. Iuuat sic expendere Anselmum in cap. 1. Matth. *Et ne videretur sibi Ioseph amplius coniugio esse necessarius, cui conceptio esset facta sine officio eius, ostendit, quòd quamuis non sit necessarius conceptui; tamen vtilis est procurationi: quia ipsa pariet Filium; & tu Matri, & Filio eris necessarius.* Venusta amphibologia. *Necessarius* Matri, & filio Ioseph est: quod significare solet cognatum, & affinem: vt passim apud Ciceronem est, familiar. 1 1. & pro Cluentio. Eximia necessitudo cum Filio in eo, qui necessarius non fuit conceptui, & tamen necessarius, & affinis euasit; & quantum necessitas Sacramenti peragendi exigebat, vt tegeret, vt nutriret, vt moderaretur, tantum necessitudinis contraxit; & per Matrem, quam non cognouit, affinis effectus est ad Filium, quem non genuit. Nominis excellentiam ex coniuge sortitus est: sub illo nomine componitur cum Maria, quæ verè parens est, quia pariens, & genitrix; qui non genuit: imò detrahit vocabulo Mater, vt compari stylo nominetur cum sponso. Singularis est Timotheus Presbyter orat. de Propheta Simeone apud Bibliot. to. 4. expendens illud: *Quid est, quod me quærebatis, nesciebatis, &c. An nesciebatis in negotijs Patris mei versari me oportere? Vnum Patrem habeo in cœlo: vos autem vsuarios habeo parentes?* Patiemur id de Ioseph; cæterùm de Maria quis sustinebit? Non vsuaria parens est, quæ Mater manet æterna: quæ, licèt humanos genuit in vsus, genuit humanum; cuius ventris fructus est; cui venter supra naturæ generantis vsum fuit. Quia Ioseph solùm vsuarius pater erat, nempe nutritius, nec ex vsu cum fœmina, cui virginitate copulatus, non corpore: ideò vterque parens vsuarius apud Timotheum nuncupatur: vt credas coniugium in hoc tetendisse, vt Filium, quem sola gigneret vxor, susciperet vir, & sub eodem stylo censeretur vtriusque, licet dispar vtriusque causa; & vnius tantummodò fructus, alterius vsus fuisset.

Anselm. Cicero. Timot.

27. Hæc omnia tendunt, vt in diuina te conferas, nec dimoueas oculos à cœlestibus, in quibus & cursum teneas, & obtutum. Ex æternæ generationis arcano, quæ ad Virginem attinent, exemplariter deriuantur. Concessum est illi, vt gigneret; sed quia fœmina, solum Mater effecta est, non sibi patris insigne potuit conciliare. Cum Patre superno contraxit contubernium: verùm, quantumuis picturæ nobilitas excreuit, paternitatis nequiuit imbui colore: sanguis, quo miscuit in virginea tabula vuluæ vtramq; naturam, fœmineus fuit; cum virtute altissimi, masculi virtus otiaretur. Ergo, quia Maria pater non fuit, nec dicitur; ob Mariam sponsus pater dicatur: det fœmina, quod non habet, quæ gratiis scatet, quæ ad vicinas ripas exundant: patris nomenclaturæ causa sit viro, qui ex propinquitate cum virgine, non ex thalamo filium habeat, quem ipsa gignit. Paschasius lib. 2. in Matth. *Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam: quia si non ex tuo coitu, quod nascetur; tamen per eam, quia ex te propinquitatem carnis ducit, tibi filius generatur. Et ne suspiceris, quòd genitus sit ab alio; noueris, quia de Spiritu sancto est, vt totum percipias in mysterio, quod olim habueras in promisso.* Preme illud, *Quia ex te propinquitatem carnis ducit; tibi filius generatur.* Ergone filij, qui generatur, sed quem non gignit, pater est Ioseph: quia propinquus in carne cum Virgine est? O qualis in carne propinquitas, in carne distantia! distat, quà maritus; accedit, quà contribulis: *tibi filius generatur*, inquit, & tamen vir est: vt exprimat, quòd quia generationis est exors, compos est filij; nec potuit vxor generare, quin, licet non ex viro, gigneret viro. Hæc carnis virgineæ propinquitas fuit, quod sponsum patrem efficeret; cuius vocabuli incapax officium matris est. Pulchrè illud: *Et ne suspiceris, quòd genitus sit ab alio, noueris, quòd de Spiritu sancto est.* Ergone Spiritus sanctus non alius à Ioseph est? Qui supplet pro viro, vnus cum viro computatur: non alius censetur, qui non lædit coniugium, etsi impleat vxorem: non alius à viro, qui iustus, qui in spiritu vir est, Spiritus S. dicitur; qui & coniugem fecit, & coniugij præstitit fructum. Redeamus.

Pasch.

Quà vir Mariæ Ioseph est, pater huius filij nuncupatur: debuit vxori prouentum; &, quod nõ seuerat, collegit. Probè Beda lib. 1. in Luc. cap. 2. *Quamuis & eo modo pater illius valeat dici, quo & vir Mariæ, sine commixtione carnis, ipsâ copulatione coniugij: multò videlicet coniunctius, quam si esset aliunde adoptatus.* Difficilis comparatio, nisi temperes. Nam vir Mariæ non solum nuncupatur, sed est. Pater autem Christi quî erit, qui nihil dedit, vt esset? Vt vir propriè sit, non indiget carnis commixtione: sed pater propriè non est, qui non genitor; nisi imago naturæ, legalis intercedat adoptio. Si semel origo negatur, non habet, quo fulciatur paternis. Hic proprietatis rigor est, fatemur. Cæterùm luce non vacat, non potuisse aptius vllum concipi fundamentum ad paternitatem, præter generationem, quam virgineum coniugium inter Mariam & Ioseph: quod pluribus tractat Augustinus suprà datus lib. 2. de consens. Euang. Quare in huius sacri coniugij veritate hæc aliqualis paternitatis analogia stabilitur: ideò metienda est ad coniugij lineam; non quia sic strictè sit pater, sicut strictè vir; sed quia pater, quà vir. Quibus Bedæ mens claret. Paternitas hæc nescit, nisi ex coninge deduci: ex Virgine Matre deriuatur in virum. Compendio dixerit Ephræm de marg. pret. *Iosephum quoque patrem vocat; cum nullam in ea generatione partem haberet; non enim propter Christum dicitur; sed propter Virginem.* Quæ verba si parumper deflectas iuxtà præfata, nobili sententiâ fueris. Omnis paternitas in filium rectà deducitur; illuc tendit, quò virtus se masculam extendit. Non patitur relatiuum in aliquo obice immorari: propensâ natura in correlatiuum inclinat. Quisquis pater est, propter filium est.

28. Beda. August. S. Ephr.

Noua paternitas in Ioseph. Pater est, iudice Ephræm, non propter filium, sed propter Virginem Naturæ leges mutantur; exultat gratia: à Marianæ Maternitatis plenitudine respersus est: hausit ab illa, quòd pater diceretur: per coniugem, à cuius coniunctione procul abstitit, coniunctus est ad Filium. Non potuit virginiùs.

29. Non hæc satis, vt huius paternitatis nouitas, virginitasque innotescat. Vt omnẽ dissipet carnis suspicionẽ, quam puritatis osores iam olim cum Photino inducere tentauerunt; imò vt in Maria fœcundæ Deitatis appareat delibatio, effectum est vt dum Ioseph paternis deputatur officiis, Deitatis in Christo reuelentur indicia. Meministi? Tres Christi patres efferuntur præter cœlestem. Filius enim dicitur Dauid, filius Abraham, filius Ioseph. Et si recolas attributa, iustè distribues. Christus homo, Rex, & Deus est. Si fortè ideò ternarius ille creaturarum, quarum filius nuncupatur? Nonne

Gen.22.18. Psal.131.11. Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Qui semen dixit, hominem prædixit. Nonnè Dauid: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam?* Vbi purpurea sedes est, maiestatis ardet indicium. Cuinè vt Deus? Audi: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Qui peccata

Ps.83.13. dimittit, qui saluat, Deus est, gratiam enim, & gloriam dabit Dominus. O virum supra hominis laudem, quia supra hominem! Ad humanitatis sagum Abraham, ad Regis ostrum Dauid, sed ad Deum Ioseph; per gradus viri computa celsitudinem. Si Rex super hominem, quò ascendet Deus super Regem? Mihi crede: oportuit. Tutam dum impensiùs, quò procliuiùs impetus ferretur hostilis. Ioseph vir erat Mariæ: studere solet generandæ soboli connubium: ne impudens dubitaret, non fuisse votum ad carnem, dum filius Ioseph appellatur; nec seminis, vt ad Abraham; nec ventris, vt ad Dauid; sed Spiritus sanctus vox est: Deus ostenditur; nulla potest impura subrepere opinio. Quia genitum in carne Deum non carnee genuit Ioseph, sed illibata carne genuit Maria; dum pater appellatur, vt meliùs diuinum referat Patrem, illi proponitur vt Deus. Adsit iam Rupertus

Rupert. in quatuor Euangel. lib. 1. cap. 6. *Verùm hæc nominatio magnifica propria sit Beat. Ioseph, qui sponsus, custosque esse Beatæ Virginis, & nati ex ea Regis Filij Dei, filij Dauid, optimo nomine pater dici meruit. Ecce enim in hoc generationis libro tres isti sunt patres insignes Iesu Christi, hominis, Regis, & Dei: & secundùm hæc tria ternarium esse aduertimus incrementum promissionis Christi, quæ ad ipsos spiritualiter facta est, scilicet Abraham, Dauid, & Ioseph. Denique homo tantum intelligitur in promissione, quæ ad Abraham hoc modo facta est: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Iam autem Rex ea promissione nuncupatur, quæ facta est Dauid: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Porrò Beatus Ioseph promittitur tanquam Deus, dum ei dicitur: Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Plena verba licet tibi custodias, quibus posthac insignia Ioseph locupleres præconia, Quo excellat Abrahamum, & Dauidem, affatim habes: *Porrò Beatus Ioseph promittitur tanquam Deus* Mira dignatio! Quia non potuit attingere vt hominem, nisi gignens; nec gignere, nisi virginitatis iniuriá: ideò promittitur illi tanquam Deus, qui à cœlesti Patre virgineè generatur. Quod elogium refluit in Mariam, in quam vt omni genere Dei Patris influeret opulentia, sponsum eius vocari concessit Patrem Vnigeniti, eâ notâ, qua gignitur in superis, nempe quà Deus: quoniam Maria, quà Deum hominem virgineè concipere potuit.

Lucæ 3. *Vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli*, &c. finit: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei* Quid est, quòd ducta serie à Ioseph vsque ad Deum fiat ascensus, & eodem stylo homo, qui non genuit, cum Deo, qui verè genuit Vnigenitum, componatur? Amat supernus Pater periodum vnam cum Ioseph, vt, cùm Patrem eum audias nuncupari, credas virgineè: Iesus enim, quà Deus, virgineè à Deo Patre generatur. Cogitatus hic diues erit, si euoluas difficilem Augustini locum tom. 4. part. 2. qq. ex nou. testament. Oportet plena verba dare. Expendit Lucam: *Et ipse Iesus erat incipiens, annorum ferè triginta, filius, sicut æstimabatur, Ioseph qui fuit Heli; id est, Iesus filius æstimabatur Ioseph: non solùm Ioseph erat filius, sed & Heli; non quia Ioseph filium dicit Heli, sed eodem genere, quo Iesus Ioseph putabatur esse filius, hoc etiam modo, filius erat Iesus & Heli: vt per Heli ascendat vsque ad Noe, & Seth, & Adam, & ante mundum ostendat esse Iesum Filium Dei ad confusionem Photini.* Si hæc Augustini verba accuratâ ratiocinatione versentur, non poteris præfixum dispungere cogitatum, quòd in Ioseph diuini Patris paternitas non ignobiles similitudinis deposuerit reliquias; & quem non decebat carneũ esse parentem, ne ex carnis contagione puritas, & Diuinitas læderetur, traxit ad Deitatis aliquale consortium, vt pater diceretur Filij vt Dei, ad quem nulla corporis officia, nulla virilis fœcunditatis obsequia pertingunt, vt gignant. Igitur iam apud Augustinum difficultas. Vult, quòd in illis verbis: *Filius, vt putabatur, Ioseph, qui fuit Heli*, relatiuum *qui* non ad Ioseph, sed ad Christum referatur, vt filius dicatur Heli, eodem genere, quo putabatur filius Ioseph; vt exinde eâdem serie vsque ad vltimum gradum ascendat, pertingatque ad verticem, in quo Deus pro Principe totius generis collocatur: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei:* vt pudeat Photinum suæ deliræ stoliditatis, qui à Dei æterna generatione Christum sequestrabat, volens in tempore incepisse, quem carnalis vsus edidisset.

Sed videat Augustinus hoc ascensu nimium periclitari generationis æternę naturalem veritatẽ. Si etenim vniuersa, quæ describitur generationis series, cõputanda est iuxta stylum, qui in radice obseruatur, vt eo modo, quo Christus filius est Ioseph, filius sit cæterorum ascendentiũ vsq; ad Deũ, obsistit naturali filiationi concatenatus iste processus: *Sed eodem genere*, inquit, *quo Iesus putabatur Ioseph esse filius, hoc etiam modo filius erat Iesus & Heli, vt per Heli ascendat vsque ad Noe*, &c. *& ante modum ostendat Iesum esse filium Dei ad confusionem Photini.* Grandis sublimitas Ioseph, qui eodẽ genere cum Deo Patre cõputatur. Sed Photini hæresis explicat Augustinum. Dicebat enim ille omnium stolidissimus, & procax, ex Ioseph, & Mariæ iugali thalamo ortum fuisse Christum, illũq; & à puritate, & ad æternitate originis deturbabat. Adest Augustin iugulat hæreticũ in vtroque Imò Ioseph, nõ pater ex concubitu: siquidẽ in radice est *Filius Ioseph*, & in cacumine *Qui fuit Dei*: quo vtrumque ostenditur; & quòd Christus æternùm fuit ex Deo; & quòd nõ ex mascula virtute

tute Ioseph: nec enim est Dei nisi virgineè genitus: & si carnaliter ex Ioseph, ptauè texeretur vterque. Quòd fuit Dei, probat non fuisse carnaliter ex Ioseph: quia, qui Pattem habebat ætetnum, etiamsi homo nascatur, patre non eget humano: nam otiaretur viri semen, vt diximus suprà ex Tertulliano, apud habentem viri semen. Vltetiùs:
Tertull. ex eo quòd fuit Ioseph, conficitur, quòd fuit Dei: nec enim potuit esse viri, qui non genuerat, nisi patrè iam haberet, à quo generaretur æternè. Non ergo solùm putatinè, & absque origine naturali filius est Dei, sicut filius Ioseph: verùm virgineè, & iuxta Deitatis indolè filius est Ioseph, sicut filius est Dei. Ideò more æternitatis describitur, *Qui fuit Dei*: ideò vox *genuit*, quam delegit Matthæus, quippe in radice Mariam verè genitricem collocauit; delecta non est apud Lucam qui à Ioseph non genitore duxit exordium. Per fibras arboris succus à radice assurgens propagatur ad culmen, vt eiusdem generis vertex cum stipite sit; stirps, & culmen, etsi dissita sint in situ, iuxta sunt in virtute: virtutis communio continuat vtrumque. En extrema in infinitū distantia: *Filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Dei*; & tamen vna arbor iniungit, & arboris more conuerso, fugit radix à vertice, & ex virtute, quam desuper haurit, verticem imitatur: non quia vim ad germinandum trahat, sed quia quæ verticis sunt, radicis sunt. Christus est Filius Dei Patris in arboris eadēmine collocati: licet Ioseph qui in radice est, non sumpserit vim ad gignendum; tamen pro filio Ioseph computatur: quia Ioseph in radice est, & germen illud filius verticis est. Non inconuestè accipias illod: *Eodem genere, quo Iesus Ioseph putabatur esse filius*, id est, computabatur; sicut prouentus, & fructus pro domino computantur in calculo.

32. Imò adeò radix bæc cum vertice copulatur, & tanquam in circulo nectuntur extrema, vt Ioseph in primo gradu pro radice locatus, nisi nimiùm deergatur aspicientis intuitus, vltimum gradum possit apparere conficere: vt fit mùs cognoscatur personam diuini Patris gessisse in terris, à quo virgineè filium suscepit. Et quidem scitum est scalam, quam soporatus prospexit Iacob, cuius extrema cœlum cum terra colligabant per gradus, Sacramentum Incarnationis sub sacro ænigmate adumbrauisse, librumque generationis Iesu Christi à Patrum communis censio est. Si tamen rectè consideres, præpostero ordine, inuersàque trabe vltimum scalæ gradum figi prospicies. In illa etenim, quam exul ille Patriarcha videbat, in eacumine cœlum cuspide feriente Dominus innitebatur, desuper soporatum prospiciens, oculosque declinans in corpus iacens, quasi medio stipite, scal. eque vnione Deus & homo aspiceatentur innecti, Incarnationisque edere auspicium; & tamè in libro generationis non in supremo cacumine Deus est, sed potiùs in radice, primoque scalæ gradu, *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*. Annè ordo præposterus, sed necessariò commutatus? Benè. Nam Ioseph vir Mariæ in primo gradu statuebatur: quare scala inuersa est, in ibique Dominus innixus huic sacro fulcimento: & quia apud Patrem Deum, vtpote Altissimi Filius, in altissimo situ visus est à Iacob; inuerso ordine, dum se deiiceret in terram, collocauit scalam; & gradū, qui supernо Patri competebat, permisit Ioseph, vt pro patre haberetur, in cuius sustentabantur officiis. Nisi sic accipias, fugiet te acumen Ruperti
Rupert. lib. 3. de offic. c. 18. *Quid scala illa prafigurauit, cui* Zerda, Matia effigies.

Dominus innixus apparuit, nisi generationem Iesu Christi, quam sanctus Euangelista diuino ore ita contexit, vt per Ioseph ad Christum perueniret. Cui, videlicet Ioseph supremo scala gradui, Dominus pernullus innixus est. An non illi Beato innixus est, quando pupillus in hoc saculo, id est, absque carnali patre natus solatio eius cum puerpera Matre sustentari dignatus est? En supremum gradum scalæ vult esse Ioseph cùm tamen in radice sit: vt qui supernè nititur in Patre, etiam dum infernè est, in patris gradu sustentetur, in Ioseph nempe, qui personam Patris obtineat: cùm inuersa fuerit per Incarnationem scala, Deusque tangeret terram, homo cœlum. Significantius adhuc id ipsum dixit Rupert. Rupert. de glot. fil. hom. lib. 1. in Matth. *Supremus scala gradus, cui Dominus innixus est, iste est B. Ioseph, vir Mariæ, de qua Iesus natus est. Quomodò iste Deus, & Dominus huic innixus est? Vtique tanquam tutori pupillus; quippe qui in hoc mundo sine patre natus est, ita innixus est huic B. Ioseph, vt esset infantulo iste pater optimus.* Pondera *Optimus*. Attributum est Dei Patris. Hoc insigni Deus profertur: Deus Optimus Maximus.

Si forsan ideo faber fuit, quia hanc vltimi gradus trabem confecit, vt cum Patre superno æquiuocaretur in officio, in quo, dum artifex erat fabrefacti moliminis creaturarū, Verbum, sine quo factum est nihil, innixum erat. *Et Verbum erat apud Deum.* Consule Iudæos Matt. 14. *Vnde huic sapientia hac, & virtus? Nonnè hic est fabri filius?* Subticent nomen: produnt ex officio, diuinumque Patrem æquiuocant cum Ioseph, Sapientiam mirantur; sapientiæ sciscitantur originem; & in ipsomet, quod subiiciunt inueniunt. Caligant in tenebris, dumque vestigia mouent vestigantes, in ipsamet veritate offendunt ignari. Vnde huic sapientia hæc? Tibi responde, Iudæe; quod obiicis, causa est. Noonè hic est fabri filius? Si filius artificis, quid de sapientia digladiatis? Artifex per sapientiam operatur, vt Deus per Verbum: dum fabri filium dixisti, Patrem nuncupabas, & nesciebas. Si, quā faber, filium habet; si, quā artifex, Verbum; inde huic sapientia, vnde & origo est. August. ser. de Natiuit. *Est autem Pater Christi faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est, arcam Noe disposuit, Moysi tabernaculum ordinauit, arcam testamenti instituit.* Quā proficuus diuini Patris agnitioni est Ioseph! Vel in fabrili proficit officio: Quid, quòd in scala idem vtrique competat gradus! Primò, & vltimum scalæ facili cōmutatione voluuntur: si vertis, erunt prima nouissima, & nouissima prima. Ideò sacro inspiramine Matthæus & Lucas inuerso adinuicem ordine scalam locauerunt. Auspicatur à Ioseph Lucas, gradusque ingeminat vsque ad Deum. Reuoluit scalam Matthæus: ab vltimo gradu, & cœlesti ortus est, æternam ex Patre generationem adumbrans: *Liber generationis Iesu Christi*; sensimque desuper descendit, vltimoque desinit in Ioseph. É vero Patre ad patris imaginem alternis vicibus itur; facer circulus est: initium, & finis facili lineæ inuersione iunguntur: si flectitur trabes, nectuntur extrema, & orbicularis circulus manet; ea vtriusque extremi amica sodalitas est. Agunt cum Ioseph ambo Euangelistæ, quod vnus Lucas agit cum Christo in genealogiæ linea, nam incipiens à Iesu, qui Deus erat, desinit in Deo, dicens: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, quia de Incarnatione agebat, in qua Deus homini, initium, & finis sibi in vtero Virginis occurrerunt. Ruper. lib. 1. de glot.

33. (right margin, beside "Si forsan ideo faber fuit")
Matth. 14. (right margin, beside "apud Deum. Consule Iudæos Matt. 14.")
August. (right margin, beside "de Natiuit. Est autem Pater Christi faber Deus")

Rupert. glor.Fil.hom.in c.1. Matth. *Et ipse Iesus erat incipiens, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli: & sic finit: Qui fuit Adam, qui fuit Dei, Nonne initium, & finem coniunxit, & circulum fecit? Cum enim vno ductu vnea sic flectitur, vt eius initium, & finis iungantur; nonnè circulus formatur?* Et statim: *A Iesu Christo incipit, & in Iesum Christum reduxit, dicendo: Qui fuit Adam, qui fuit Dei: cùm vnus, idemque Iesus Christus, Deus, & homo sit.*

34. Cæterùm dubitabis: si in hac genealogiæ linea accuratè apud vtrumque Euangelistam, dum agitur de Ioseph, generationis vox subticetur: (nam apud Matthæum: *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*; apud Lucam: *Qui fuit Ioseph*: à quo cùm inciperet, stylum inuenit sedulò, quo non obstreperet generationis indicium; ne per genitale commercium crederetur ad Christũ annecti) cur tota vel incipit, vel desinit in Ioseph, solùmque illi, quasi ad latus Maria construitur: *Genuit Ioseph virum Mariæ?* An vt ex lateris situ indicatum coniugium, virgineum credatur, & absque generationis inquinamento, quale structa Primigenia ex latere viri non sensit. Certè, quia veritas huius coniugij effecit, vt Ioseph Christi pater statueretur, ea constantiâ, vt quantumuis Maria (linguâ Augustini loquamur, propriâ nõ auderemus) originem non duceret ex Dauid; Christus filius Dauid diceretur per Ioseph. Verba Augustini to. 4.lib.2.de consens. Euang. *Ac per hoc si demonstrare aliquis posset, Mariam ex Dauid nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundùm istam rationem accipere Christum filium Dauid: qua ratione etiam Ioseph pater eius rectè appellatus est.* Persistit Augustinus, vt suadeat, excepto concubitu, omnem patris rationem habuisse Ioseph. Præmiserat enim nuper: *Vnde hunc patrem eius appellat, nisi quia, & virum Mariæ rectè intelligimus, sine commixtione carnis ipsa copulatione coniugij, & ob hoc etiam Christi patrem multò coniunctiùs, quia ex eius coniuge natus sit, quàm si ei esset aliunde adoptatus.* Et quidem nihil strictius potuit cogitari, nihil pro Ioseph excelsius; vt quoties filius Dauid Christus nuncupetur, inibi submurmuret aliquid de paternitate Ioseph: quia huic successioni veritas inesset, etiamsi Maria à Dauide non traxisset genus. Hoc Augustini est. Satius ducimus subticere, quàm tantæ singularitati aliquid ex nobis impendere. Putamus in hunc cogitatum abisse Augustinum, quatenus filij adoptiui familiam, genusque patrum adoptantium sequuntur: & Christum dixerat coniunctiori vinculo, quam adoptionis, nempe ex iure coniugij pro filio Ioseph computari. Certè in libri generationis serie interiicitur, imò iacitur pro originis fundamento; & sapienti studiositate, vno viri verbo omne impleuit Euangelista punctum. Plurima incumbebant illi, & genealogiam ex Dauide vsque ad Christum trahere, & nullam in generatione Christi operam nauauisse Ioseph; & tamen patrem eius meritò nuncupari, ne à libro generationis, qui ascendentium est, si huius esset exors tituli, truderetur. Omni munere functus est, dicens: *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*: nam generauisse, negauit, generationis vocabulo deportato: rectè in libro generationis probauit inscribi, qui liber Patrum est; quia per Mariæ coniugium eâ necessitudine nectebatur cum Christo; vt, qui pater non esset ex virilis thalami officio, ex viri Mariæ esset dignitate; ordoque à Dauid per Ioseph recto tramite duceretur ad Christum. Origenes hom. 17. Luc. 2. *Quæ causa extitit, vt eum, qui pater non fuit, patrem esse memoret?* Et parum post: *Quia generationis ordo à Dauid vsque ad Ioseph deducitur; & ne videretur frustrà Ioseph nominari, qui pater non fuerat Saluatoris; vt generationis ordo haberet locum, pater appellatus est Domini.* Origen. Ideò deflectit ab stylo Matthæus; & cùm in omni serie, generationis vteretur vocabulo, non inquit: Ioseph autem genuit Iesum; sed *Ioseph virum Mariæ*, vt solùm ex viri dignitate genealogiæ situm impleat, & præter generationem, quidquid patris est, sortiatur. Quantum Mariæ latus profuit! Anselmus in c.1. Matth. *Non potest dicere: Ioseph autem genuit Christum, quamuis & pater eius nominatur secundùm adoptionem; sed dicit virum Mariæ, & ponit in eodem gradu Ioseph, & Mariam.* Anselm.

Ergo Ioseph paternitate functus est; nec nudâ, sed qua Patrem supernum & referat; & exhibeat. 35. Nonnè Pater in diuinis est, quia ratio, & sapientia est? August. lib.83.qq.quæst.63. *Quod Græcè logos dicitur, Latinè & rationem, & verbum significat. Sed hoc loco (Ioan. 1.) meliùs Verbum interpretamur, vt significetur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt, operatiua. Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, illam fiat, rectè ratio dicitur.* August. Ex quo Athanasius in compendio de Spiritu sancto, *esse nefarium dictu*, inquit, *Deum sine Verbo, aut ratione fuisse, ne insipiens, aut irrationabilis habeatur.* Annè ratio Patrem Ioseph constituit? Metaphrastes or. de educat. Mariæ: *Inuentus est itaque Ioseph, qualem quærebat ratio.* Si ratio quærit, si Verbo Dei in Patrem adsciscitur, quidni vices superni Parentis agat: quidni virgineis pareretur officiis, paterque absque temera temerati tori sorde euadat; cum nesciat ratio, quæ concipiendis verbis incumbit, vlla sectione turpari, nec irrationabili didicerit pollui inquinamento? In cœlesti Patre, in quo rationis prima lux renidet, cor inlatet fœcundum, à quo Verbum eructat, vt ex ratione depromat, sobolem eius esse verbum; ex corde, esse secretum, intraneaque generatione dimanans. Metaphrast. Vtrumque rescripsit in Ioseph, quem ratio inuenit, quem iuxta Patris cor; in quo virginitas eo feraci coronaretur prouentu, vt more rationis fœcundus esset Ioseph, & more cordis ipsummet fœcunditas ista lateret. Pater dicitur; & tamen coniugem ignorauit: tumens vterus concitauit oculos vellicauit mentē, instruxit de prole, quam inuenit; vtique quam non seuit: *Inuenta est in vtero habens*, vbi Græcè εὑρέθη, iam Burgensis adnotauit, à verbo εὑρίσκειν, quod significat, præter opinionem, cogitatumque inuenire, casu, non industriâ, nec scrutatione. Reperit Ioseph non quærens: cur quæreret, quod nesciuit? Et tamen pater nuncupatur, cùm pater coniugij segetem spectet, germen ex præiactis seminibus sibi ariolletur. Matth. 1. Burgensis. Sed pater est iuxta cordis indolem, vbi cogitationum latibulum. Quid secretius, si vel ipsum cordis dominum lateat, quod tenet? Verbum è corde Patris eructatum, Virgini insertum, secretum cordis, & puritatem amabat: ideò summus Pater inuenit virum iuxta cor suum, in quo & patris nomenclaturam, & Verbi sui deponeret œconomiam. Hinc Angelus: *Ioseph fili Dauid, noli timere*: erigit ab atauo, generis lumen accendit, ne in suspicione dedecoris caliget: *Noli timere.* Cur eluit à timore, quasi metus Dauidicum virum corripuisset?

Cordis

Cordis aulam tyrannide metus fatigat, cogitatáque virtute in deſidem, & iacentem deturbat ſoporem. Ne timeas, fili Dauid, ne à corde degeneres maiorum: ſi timor in corde eſt, ſecundùm cor ſuum Deus Dauidem inuenit, cuius hæres es; cur hæreas? Imò quia hoc tibi generis ſtemma eſt, quia ſecundùm cor ſuum, quo eructat Verbum, & progignit, te Pater inuenit; pater eiuſdem Verbi vocaberis: hic vterus, quem crebris fluctibus actus auerſaris; demonſtrat, te habere cor iuxta cor Dei: ſiquidem Dei cordis Verbum eſt, quod inlatet in vtero; & te vt Dauid filium, delectum pronuntiat, cui cordis ſecretum Pater committat.
Bernard. S.Bernardus homil.2. ſuper Miſſus eſt: *Plenè filius Dauid, non degenerans à patre ſuo Dauid: prorſus, inquam, filius Dauid, non tantum carne ſed fide, ſed ſanctitate, deuotione; quem tanquam alterum Dauid, Dominus inuenit ſecundùm cor ſuum, cui tutò committeret ſecretiſſimum, atque ſacratiſſimum ſui arcanum.*

Adhuc de cœleſtis Patris adumbrata ſimilitudine in Ioſeph, vbi de eius cum Spiritu ſancto ſocietate.

Sectio IV.

36. 1.Cor.15. SI Licet, en ſecundus homo de cœlo cœleſtis; & tamen nec carnem duxit de cœlo, nec ſtellatam portionem, igneamque ſibi deuinxit ſubſtantiam, vt orbis eſſet pars, vrbis artifex: cur de cœlo cœleſtis perhibetur? An de cœlo, ſicut de Spiritu ſancto definitur conceptus? Verùm Spiritus ſanctus in cœlo non gignit, cùm Trinitatem compleat, nec pater ſit. Si de cœlo dictum ſit, quia ad cœleſtis generationis modum abſque labe, abſque nocte, noctiſque amico luxu fuerit conceptus; & tamen, licèt innuptâ vuluâ, ex nupta Virgine, in quo cœleſtis aliqua exſcriptio eſt? Et quidem cœleſtes nuptias inter Ioſeph, & Mariam appellauit Rupertus libr. 2. Rupert. de gloria filij hominis. *Sponſus, vel nomen ſponſi cœleſtibus nuptiis ſecretum fecit, ita vt non foris omnino pateret tranſeuntibus lux claritatis.* Non meminit Abbas ſubtilis, nullis agitari nuptiis cœlum, nullis maritalibus nubibus operiri. In cœlo neque nubent, neque nubentur. Sed qui, dum nuptias pangeret, genitam lucem dixit, cui cœleſti connubio nuptias has comparauiſſe putaueris, niſi cœleſtis Patris, qui ſibi maritatus, fœcundatus à Deitate concipit Filium, qui lux, & Verbum eſt? Ergo in his cœleſtibus nuptiis, Virgine, cœleſti more, imprægnata, Ioſeph parentis locupletatur inſigni: vt iam ſecundus Adam non de terra humecta rore, exteroque imbre maritata, ſed de cœlo cœleſtis profetatur: quatenus coniugium hoc virginea feracitate cœleſtem ſapiat genituram. Adeſt Rupertus ſuprà col. 8. *Propterea veriſſimè dixit Apoſtolus, quia primus homo de terra terreuus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis, quòd coniugum vita, ſiue coniunctio tota fuerit cœleſtis, & Spiritus ſanctus amborum coniugalis amor, quorum vtique conſeruatio erat in cœlis, in ambobus præſidens, coniugem viri huius fidei commiſerit, & de carne Virginis hominem formans, paterno viro huic eius, qui naſcebatur, infantis amorem penitus infuderit.* Sentet Rupertus acu-minibus, ſi timetis. Nobilis harum nuptiarum dignitas. Ne cœlum deſeruiſſe Vnigenitus putaretur, animoſis lineis cœlum in hoc gemino coniuge ſtruitur. An quod ſapphiris, ſmaragdiſque ruatur, pretioſiſque lapidibus ſternitur, imò cœlum dixeris ſanctiſſimæ Trinitatis, in quod, annuente S.Thoma, Lucifer geſtiuit aſcendere. Cœlum, in- S Thom. quam, vt ipſemet Lucifero cœleſte celaretur arcanum; cœlum, in quo Spiritus ſanctus Patris, & Filij amor eſt. Obſeruaſtinè: *Et Spiritus ſanctus am-* Luc.1. *borum coniugalis amor.* Quid audes? Imò ab Spiritu ſancto amor eſt, & charitas; ipſe verò non eſt charitas creaturæ: id ſuſpicantem omnis Theologia Magiſtrum ſententiarum repellit. Verum eſt. Magiſt. Aſt in hoc ſacro ternario, cœleſtis Triados ducitur vmbra: quia coniugium abſque illecebra: quia Filius abſque thalamo, Spiritus ſanctus in vtroque coniuge, quod neſciuit carò, vinculum eſt, iugaliſque nodus: vt appareat, more intellectus prolem fuiſſe conceptam, præeunte connubio: ſiquidem pro amore, qui intellectus actum ſubſequitur, Spiritus ſanctus computatur. Nec deſes prætereas illud, *De carne Virginis hominem formans, paterno viro huic eius, qui naſcebatur, infantis amorem penitus infuderit.* Spiritus ſanctus hominem format; & tamen caſto Ioſeph patris impendit inſigne. Pende momenta verborum: dum hominem format, paternum viro amorem infundit. Ne vllum inſtans ſubterfugeret, quo Ioſeph à paterno ſequeſtraretur vocabulo: dum format Spiritus ſanctus, iam paternus vir perhibetur, patriſque amore flagrare. Quomodò ſi non nouit vſque ad veri indicia elapſis diebus? Amat, quem ignorat? Filium ſuſpicit, quem non ſuſcipit? O qualis Ioſeph cum Spiritu ſancto ſocietas! Quod inſcio ſponſo Spiritus ſanctus intra coniugis vuluam operatur, ſponſi eſt: pro ſocio illi competit actio. Si vir eſt, cur non paternus erit reſpectu eius, quod in coniugis vtero genitor? Non teferit ſtylus: *Paterno viro huic, qui naſcebatur, infantis?* Quis vnquam paternum virum pro patre nuncupauit? Et ingeniosè. Si pater eſt, non quia genuit; ſed quia genitricis vir eſt, nulla aptiùs dictione reſeratur myſterium. Paternus vir eſt, vt noueris, ſicut pudore manente vir perhibetur; ſic coniugalis clauſtri impotem, patrem haberi; quà vir, paternus eſt, imò quà virgo.

37. Pet.Cellenſ. Hæc generationis cœleſtis delineatio eſt. Suprà expendimus, quem huc recognoſcas, Petrum Cellenſ. lib. de panib. cap. 21. *Clibanus eſt Virgo in Ioſeph deſponſatione, thalamus in Spiritus impregnatione, templum in Filij natiuitate. Quaſi plebeia quidem deſponſatur; ſed tanquam cœleſtis Virgo virtute diuina, Ioſeph ignorante, impregnatur.* Cur quaſi cœleſtis Virgo? Diximus ibi. Ignorat Ioſeph: & tamen ſua Virgo per Spiritum ſanctum grauidatur. Quid maximũ, quòd ignoret, ſi poſt ſciuit? Cur non priùs ante conceptum, de ſacro conceptu monetur? Cautiné Spiritus à marito? Vt ſatius cõiugem non cognouiſſe crederetur, etiã conceptum ignorauit. Dixerat illa: *Quoniam virum non cognoſco*, & impleta eſt: virum nominans, coniugem faſſa eſt: ac ſi diceret: Nupta ſum, flammeum experta iugale, non æſtum: ſed licèt nupta, quem virum habeo, non cognoſco: hæc noſtri coniugij conditio eſt: viri ſum, ſed virginis, ſed virgo: quomodo inſcia viri, inſciuque viro concipiam? Dixerat Angelus: *Ecce concipies in vtero:* addidit, *In vtero*; cùm tamen vxor non ſui corporis dominium habeat. Quid quòd illa confeſtim

ad virũ ſe receperit? Si aliqois vteri dominus,vir eſt,io quem ideò vir meus Ioſeph vſum Dominij, nuncupato voto, exercere non præoalet; qnia in eum non niſi diſpendio virginitatis iiur. Qui vterum ſignatè protuliſti;dic quomodò ignoráte viro,poterit ad vterum deueniri:in quem,qoantumuis virgineum, ſi ſemel concipiat,viri neceſſe eſt dominium propagari. Adeſt Angelos virgineamque ſoluit quæſtionem: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Vbi Spiritus,ibi libertas;quem Spiritus prærigat vterum,non vindicat vir. Cœleſtis Virgo es; ſic imprægnaris, qualiter Dominus omnium, cœleſtis Virgo,diuinus Pater fœcundatot. Quod pondus iudico in Cellenſi: *Quaſi plebeia deſponſatur, ſed tanquam cœleſtis Virgo, Ioſeph ignorante impragnatur:* quæ plebeia eſt, etiam viri quoad vterum eſt:cæterùm Maria,quæ deſuper complectur,quoad vterum ſub viri poteſtate non eſt. Docuit id S. Thom. ſupra datus 3.p.q.30. art.2.ad 2. *Nec ſub viri id eſt, mariti poteſtate fuit, quæ integerrimis viſceribus de Spiritu ſancto Chriſtum ſuſcepit.* Eximia ratio. Viri poteſtas non ſibi ſubiugat vuluam,quam Spiritu ſanctus fouet ad fœtum:licèt quoad gubernationem domus dominium habuiſſe, opus fuit;vterus tamen libertate pollebat, qui ſoli Spiritu ſancti ſubdebatur impulſui. In quo ſenſu accipiendus eſt S.Thom. cùm iura maritalia, etſi in virgineo marito,manſiſſe oporteat illibata. Aſt,quia Ioſeph virgo etiam cœleſtis eſt, Marianæque virginitatis eximia portio:ideò non inuenuſtè poteſt accipi illud Cellenſis: *Tanquam cœleſtis Virgo, Ioſeph ignorante, impragnatur;* id eſt, Ioſeph non cognouit vxorem, virgo quidem fuit:quare ex virginei matrimonij iure, eo cenſu pollens,quòd fœtus vtriuſq; eſſet;vtpote virginitatis fructus. Inde ſicut Maria *Virgo priùs & poſteriùs* dicitur, multoties non ſignato, ratione cuius priùs, & poſteriùs refertatur;quia virginitatis eius indiuiſus fructus diuinus partus fuit; ſic lego, quòd Ioſeph virgo priùs,ac poſteriùs prædicetur. Gerſon ſerm.de Nat.Mariæ conſid.3. *Sicut decuit Mariam, vt ſummâ puritate niteret:ſic decuit,vt haberet ſuo modo parem ſponſum puriſſimum, qui cum perpetua Virgine priùs,ac poſteriùs.* Quid eſt virgo priùs,ac poſteriùs? Quaſi in Ioſeph aliquid interiectum prominuerit inter priùs,& poſteriùs,quod vtriuſq, virginitatis limes eſſe:ſicut in Maria partus fuit. En quam proprius viri Ioſeph partus iſte profertur;quaſi ex communi virginitate prouentus. Virgo priùs,& poſteriùs perhibetur cum reſpecto ad conceptum, ſeu partum Virgineum; quippe,qui,licèt non profuerit virili attactu, texit, & protexit myſterium:nec minus ſolet imputari opus,quod patratur,occultanti, & quaſi terga protegenti,quàm facienti. Abſcondit Ioſeph nuptiali pallio Virginem genitricem, & puerperam: nec lædit; ſed quà vir,tegit; quà virgo,quaſi ad Sacramentum operatur: cùm facet fœtus non niſi à Virgine prodiret. Quid,quòd virginitas Ioſeph ſecundùm priùs, & poſterius iuxta Marianæ virginitatis morem efferatur?

38. Quare, quamuis Mariæ vterus cœlitùs ab Spiritu ſancto prærigatus,non ſub viri licentia, iureque connubij iaceret,quem munerum largitor libertate donauerat;attamen audio, quòd,cùm primùm vuluæ pignus agnouit Ioſeph, non ab alio, niſi ab ipſomet vtero fuit admonitus: *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Cur non Angelus properat? Cur non inſtruit aures,antequàm oculos tumor,ocyorique diſciplinâ edocet myſterium;Si hic vterus Virginis eſt,ſi à Spiritu ſancto poſſeſſus;vtquid turgente tumore, quaſi in dominum ſui,fertur in maritum, ad eiuſque trahitur conſpectum, è cuius poteſtate virginea prærogatiua detraxerat, dominantiſque Spiritus maieſtas abduxerat? O qualis gloria Ioſeph! Iure mariti, ſtabilitateque qua conſtat coniugium, in corpus coniugis dominio pollebat: verùm quod mariti laxabat lex, virginitatis reſtringebat cenſura, arctabat votum, vſum adimebat: & tamen ipſamet Ioſeph virginitas,quæ vteri vſum inhibuit, vteri præſtitit fructum. Vt oſtenderetur ſacrum fœtum fructum fuiſſe virginei coniugij: ipſemet vterus ſe prodidit viro, tutò illi committens Sacramentum, non timens ab vlla impuritate ſordere, ſi penè licentia maritali noſceret, qui virgo erat. Quale virginitatis fœnus! Virginitas Ioſephum ab vtero vacuo Deo repulerat, & eadem virginitas effecit, vt vterus plenus Deo ſe illi oſtendat, quaſi ad ipſum rediens,ſub cuius ſanctitate creſcat puritas,caſtimonia muniatur.

Quid eſt,quòd inuenta dicatur habens de Spiritu ſancto? Annè inuentum fuit,quòd de Spiritu ſancto haberet? Sanè ſi Ioſeph inuenit,quid quod Spiritus ſanctus illi innoteſceret; vtpote qui pro viro egiſſet,virtute supernâ ſubſtituens? Vtrun q; ergo ſe prodidit Ioſeph: vterus,quà viro; Spiritus ſanctus, quà virgini: vt appareret ex virgineis nuptiis conceptum eſſe communem, qui ſingulari nouitate virum in cognitionem ſui concitanit; cum tamen vir nec anteà cognitus fuiſſet ab vtero,nec vterum cognouiſſet. Ideò inuenta dicitur Græco verbo,quo omnis expectatio negatur, quaſi contra conſuetudinem, & præter naturam generatio illa eſſet, quæ poſt tranſactos tot dies, tandem marito innotuit,ac proinde ex virginitate ſe oſtenderet eueniſſe. Chryſoſtomus hom. 4. in cap.1.Matth. *Satis autem proprie poſuit: Inuenta eſt in vtero habens:inuenta eſt, inquit, quo ſermone res, quæ contra conſuetudinem, & præter omnem ſpem, expectationemque proueniunt, notare conſueuimus. Nequaquam igitur euageris vlterius: nec hinc quidquam requiras.* Cognouiſſe Ioſeph,de Spiritu ſancto Virginem concepiſſe, nec ſolùm vterum inueniſſe,ſed auctorem,mens Baſilij eſt homil. de humana Chriſti generat. Bernardi hom. 1. ſup. Miſſus eſt. Origenis hom.1.in diuerſos. Hieronymi, Theophylacti,& aliorum in eodem Matthæi loco. Sunt,qui diſſentiant,ſtatimque Patribus ſeſe obiiciant argumento, quòd cum primum ſe offerat cogitatui,abſurdum eſt putare,illud fugiſſe Patres,quos præmiſimus. Quòd ſi non fugit,& adhuc ſub menti mordicus hæſerunt, quid nos exiles ingenio, virtute impares configemus? Ergo quo in aduerſam ſententiam conuincitur Maldonatus, eſt, quoniam Angelus poſteà edocuit de Spiritu ſancto coniugem concepiſſe,& fluctuanti viro,dimittereque tentanti validos ſpiritus immiſit,procellas ſedauit,& columē præſtitit à timore. Si in præfixis Patribus innitaris,adhuc non fuiſſe otioſum Angelicum leuamen, coniectabis. Apud illos, & apud Chriſtianum Druthmarum in c.1. Matth. Albertum Magn. ibidem, Brigittam lib.7. cap.25.commone eſt, ideò dimittere cogitauiſſe Ioſeph,quia ſe indignum tanta coniuge,quã Spiritus ſanctus,etiam in carne repleuerat,cogitabat; nec contobernio parem,nec Sacramenti flammas ſuſtinere potentem:quando vterus tacito eminentiæ charactere monebat,arduam iam,& ſublimem ab vllius terrigenæ conſortio, ex vteri pignore

in supremam maiestatem ascendisse Mariam: nec iam parilitatem, æquamque conditionem, quam exigit matrimonium, manere: nec opus esse viro, quæ absque viro impleri sciebat. Adstat Angelus: remouet cogitatum, non quidem de nouo docens, quod de Spiritu sancto coniux concepisset; potiùs id, si placeat, pro ratione supposuit: ex qua aliquid nouum, quod Ioseph ignorabat, intulit, & adiecit, quod proprium institutum erat, videlicet, debere accipere coniugem suam: acsi diceret: Ne timeas à coniugio; quod in ea natum est, de Spiritu sancto est: ne te reputes extraneum à pignore: fructus hic tuus erit; manet adhuc, quid fiat: non solum habet de Spiritu sancto, quod iam nouisti; sed quod habet, verè concepit: filius eius est, pariet; ideò & tu tanquam filio nomen impones. Solùm in primis verbis Matthæi dicebatur, quod Maria inuenta fuerit in vtero habens de Spiritu sancto: non verò an illud, quod haberet, propriè esset filius Virginis, puerperioque materno edendum; num aliunde traiectum. Si non, vt propriè filius Virginis, ab eius vulua capessisset naturam, ad Ioseph non poterat attinere, cui ex iure coniugij solùm fructus è radice, licèt virginea, debebatur: non verò, si (vt hæretici blaterant) vel ex cœlesti substantia, vel aliunde corpore formato Spiritus sancti ope, per Virginem, ceu per fistulam, traiecisset. Ergo opus fuit Angelo, qui signatissimis verbis, de hac sacra Theologia Ioseph instrueret: Ne timeas: absterret metum, de Spiritu sancto esse, quod in tua coniuge natum est: si hoc calluisti, cur trepidasti, cui cum Spiritu sancto ea est societas, vt, quod ipse seuerit, tua seges sit? Quare non solum vterus habet de Spiritu sancto; sed quod habet, filius tuæ coniugis propriè est, non verò Spiritus sancti, qui nec in diuinis generat Filium: vt vera Mater pariet: vnde subdit: *Pariet autem filium.* Quod si filius eius est: & tibi paterna munera debentur. Ideò *vocabis nomen eius* IESVM. Subtiliùs nemo, me iudice, rem enucleauit
Christ. Druth. Christiano Druth. in cap. 1. Matth. *Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est. Instruitur Ioseph melius, quod antè sentiebat de B. Maria, videlicet, quod de Spiritu sancto sit, quod in ea videbatur: Pariet autem filium Quamuis de Spiritu sancto sit, quod in ea natum est; tamen pariet filium: quod nunquam audisti, vt fœmina peperisset filium de Spiritu sancto.* Pereximiè. Pondera illud: *Quamuis de Spiritu sancto sit.* Nouum etenim potuit videri, vt quod de Spiritu sancto esset, non filius Spiritus sancti, sed filius hominis euaderet, staroque puerperio, è materna vulua nasceretur, & proles esset non ex thalamo: & tamen coniugij fructus. Imò potiùs quod ita fieret, causam reddidit Angelus id ipsum, quod videbatur obsistere. Obserua causalem: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est,* acsi diceret: Quia de Spiritu sancto est, ea pariet sibi, tibique filium: nec enim de Spiritus sancti substantia: sed de potestate est: pars viscerum est matris, maternè conceptus.

40. Ea est Ioseph cum Spiritu sancto affinitas. Sedulus est Spiritus sanctus, vt indicet Filium Dei, & Mariæ ad Ioseph iure coniugij pertinere. Et quidem, vt ostenderet, Christum diuini Patris esse Filium, plaudentibus pennis in columbæ specie, in eius vertice subsidet, dum regenerationis inter Iordanicas vndas sub peccatoris simulacro agebat exordia. Nonne vides? Columba in capite sistitur, & vox Patris auditur: *Hic est Filius meus dilectus.* Alterum otiari dixeris. Ad quid vox, si columba? ad quid columba, si vox? Appositè vtrumque. Ne alius intelligeretur, qui conceptus de Spiritu sancto in Virgine, & qui æternum gignitur à Patre: ipsamet lingua, qua gignitur, Filius nuncupatur: vix vox, & ecce columba testatur: vix columba, & ecce contestatur vox. Non detrahit Spiritus sanctus, sibique paternitatem vsurpat: pandit, dum se in vtero Virginis expandit, pangens corpus, quod Filius Dei assumat. Ideò in Iordane simul Spiritus sanctus, & vox, vt Christus Filius Dei, & Filius hominis crederetur. Compendio innuit Rupertus, libr. 3. de gloria Filij hominis: *Splendida gloria, & gloriosus honor Filij Dei Filij hominis, quod dum se submittit aquis, aperiuntur ei cæli, & Spiritus sanctus visibili specie super eum descendit, voce simul audita de cœlo: Hic est filius meus dilectus.* En gloria in simultaneo signo, quod indicauit simul esse Filium Dei, & Filium hominis. En Ioseph, & Mariæ præpotens nobilitas! Cum Pater solenni pompa sub nubis ferculo, seu solio Filium suum fassurus erat, adest Spiritus sanctus, qui filium hominis esse confirmet eo superuentionis indicio super Christi caput: sicut superuenerat in Virginem, & ad Ioseph suggesserat: *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est.* Mirum est, quòd Spiritus sanctus partes hominis egisset, hominis Filium ostendens, cum Pater Filium suum assereбat. Id Mariæ præstantia, id Ioseph Iustitia potuit: vt illa de Spiritu sancto repleretur in sobolem: hic de Spiritu sancto conceptum susciperet in filium. Quare tertio quoque verbo (vt adnotauit Rupertus libr. 2. de honore, & gloria Filij hominis) tam ad Ioseph, quàm ad Mariam Spiritus sancti vocabulum geminatur. Studuit ergo Spiritus sanctus, quod in latibulo celebratum erat, in publico Iordanis spectaculo probare: nempe quod superuenisset in Virginem, cum conciperet Filium, & quem Pater appellabat suum: ideoque Dei, & hominis Mater erat. Ildephonsus suprà alij instituto datus sermon. 1. de Assumpt. *Et quia vnus, idemque homo Deus nec in passione diuidi potest secundùm substantiam, nec in maiestate; sic & Dei genitrix speciosa prædicatur quia columba illa, quæ supra Christum mansit: eam totam repleuerat.*

Rupert. Idem. Ildeph.

An & Ioseph columbæ superuentu potitus est? 41.
Imò vt parilis esset in hoc sacro ternario Christo, Maria, & Ioseph tessera, & stemma, columba in capite Ioseph insedit, hoc charactere eum designans ad nuptias, si credimus S. Eustachio in Hexamer. vbi sic inquit: *Simul atque à Sacerdote virgam accepit, ex ea columba volans capiti Ioseph insedit: quare Princeps Sacerdotum, Sacerdotesque omnes qui conuenerant, rem admirati, pari voto illi Mariam desponderunt.* Non de huius signi auctoritate luctemur: deuotæ mentis est acquiescere, quod pietas inter probos viros dispertit? ne moueas iurgium, ipse rei consonus admonet accentus. Refertur in historia de ortu Virgin. quæ Hieronymo arrogatur. Huius familiæ, *columba* pro scuto est. Filius habuit in capite: vt etiam Mariam in capite habuisse doceremur; siquidem superuenturum Spiritum sanctum Angelus spopondit: quid quod in capite habuerit Ioseph? Vnicuique autem iuxta munus insedisse notabis: Christo vt genito, Matri vt genitrici, Ioseph vt Sponso: ideo Filio in regenerationis simulacro, Matri in generationis instanti, Ioseph, dum ad nuptias deligitur: vtrique coniugi in ordine ad Filium, eo ingenio, quod in Mariam superuenit, dum
Eustach.

gignit; in Sponsum, dum nubit; cùm nondum potuit vllâ virginitas suspicione turpati; perspicuè indicans Ioseph patrem fore, pudore illibato; nec alio iure illi paternitatem competere, nisi quà vir esset Mariæ.

42. In quo adhuc non modica dignitatis prærogatiua deuoluitur ad Ioseph: prior columbam subsidentem in capite experitur, Spiritus sancti locupletatur indiciis; quasi ab illo Incarnationis œconomia sumpsisset exordium: ideò nomen eius, & munus præuiè describitur ab Euangelista: *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Quid interest vir, si paruo interuallo, ipsamet Virgo fatetur, se virum non cognoscere: quasi pertæsa virginitas, quod in fronte, viri exhiberetur notitia? Imò felix sedulitas Euangelistę, & Angeli; ille in primoribus verbis, de viro tractat; iste in prima sacri conceptus manifestatione, de Spiritu sancto agit: *Spiritus sanctus superueniet in te*; & tamen intermedia Virgo se interiicit: *Quoniam virum non cognosco.* Extrema hoc medio condiuntur: à viro Ioseph ad Spiritum sanctum hoc tramite itur: *Virum non cognosco.* Inter virum, & Spiritum sanctum tori ignoratio pro nexu est. Indiuisâ sibi, quia diuisio à thalamo est, societate vinciuntur. Nōn completè ostenditur conceptus in vtero Filij Dei, nisi his tribus, quæ inter se partiti sunt Lucas, Angelus, & Maria; vir, virginitas, & Spiritus sanctus. Hæc erat huius generationis indoles, quæ nubem expetebat connubij, vt tegeretur; pluuiam Spiritus sancti, vt germinaret: nec pluuia à nube amat segregari.

43. Quare etsi contendas, Ioseph, dum insolescentem vterum inuenit, non agnouisse Spiritus sancti fuisse opus; tamen ipsemet vterus, qui viro se exhibebat, nequiuit Spiritus sancti indicia subticere: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Cur de Spiritu sancto intempesta dictione, si virum latebat? Ne vir, vterus, & Spiritus sanctus disgregarentur. Vix virum memorat inuenientem, vix vterum tumentem Euangelista, & se continere non potuit, quin illico retegeręt sacramentum, & inopinò Spiritum sanctum adiiceręt, ne à sectione periodus ipsa doleret cui vnum amputabatur extremum. Vterus enim virgineus non tuto, nisi sub his duobus limitibus gaudet; viro, vt obumbret abscondens; Spiritu sancto, vt adumbret formans, & condens. Sic accipias Paschasium in cap. 1. Matth. *Illud verò, quod additum est: habens de Spiritu sancto, Matthæus ardenti probatur amore, præueniendo addidisse, antequam Angelus id exponeret, maximè ne lectoris animum mox subriperet suspicio, quæ posteà dictis Angelicis purganda esset.* En Euangelistæ sedulitas, ne vnquam Virgineus vterus à Spiritus sancti nudaretur nube; sed post vterum illico virtus eius sentiretur, sicut post illa verba: *Ecce concipies in vtero*, expendens modum Angelus adiecit: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Cui cogitatui & adstipulatur Anselmus in cap. 1. Matth. *Sequitur de Spiritu sancto. Hoc ex parte sua Euangelista adiunxit, vt, cùm diceretur habere in vtero, omnis mala remoueretur suspicio à mentibus audientium* Quàm præpropera cautiò! Etiam calamus velociter scribentis, & iamiam Angelicum subiicientis oraculum, in quo luculenter de Spiritu sancto grauidatus vterus mōstrabatur, non patitur properantis literæ tarditatē, quin confestim vterū de Spiritu sancto habere monuisset; ne vlla parenthesi patens ex thalamo posset generato pignori imputari. Vtriusque coniugis causa agebatur, pandebatur virginitas, & cum Spiritu sancto consortium.

Pasch.

Anselm.

Nec desistere fas est ab hac Ioseph, Spiritus sancti communione: quam etiam post eius mortem Filius ipse in patibulo iamiam moriturus explicuit. Mandat discipulo Matrem, virgini Virginem legat, omnemque ablegat vesanam imputitatis opinionem, nullum aptiorem, pro viro Ioseph vicarium, quàm Ioannem ostendens. Quæ causa? Ille met subdidit: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* In suanè, qui cum sæculi dote omnem damnauerat sæcularis census portionem, mundialiaque retia cum reti dimiserat? Si rem familiarem facultatesque discipulorum recenseas, nil aliud inuenies proprium, nisi Spiritum sanctū; vtpote qui primitias spiritus acceperunt, nec alia illis pensitatio, aliud vectigal, quibus dixit Dominus: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata*, &c. vinculorum solutionem in hoc dono spondens, quam vt ostenderet Petrus sub corporei vinculi solutionis imagine, apud portam templi constricta claudi membra ea voce laxauit: *Quod autem habeo, hoc tibi do: surge, & ambula:* vinctos dirimit neruos, diluit ossa; post, diruta solidat, & in organum gressus remittendo, & retinendo conciliat: à pedibus incipiens euangelizare pacem, pulchraque vestigia præmittens; vt doceret sic remittere animos peccatorum catena constrictos, sic retinere laxatos potuisse, qui in corpore claudi fecerat experimentum. Igitur quod dixit: *Quod autem habeo*, Spiritum sanctum concernit. En in quæ Mariam suscepit Ioannes, in Spiritum sanctum. Notus est Ambrosij locus in exhortat. ad virgin. *Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & sæcularia non habebat, quia de mundo non erat? Bonus Verbi, sapientiaque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli à Christo acceperunt: Accipite, inquit, Spiritum sanctum. Neque enim Mater Domini migraret, nisi ad possessionem gratiæ.* Quasi diceret: Ex Ioseph non ad alium Mater Domini erat migratura, quā ad Spiritus sancti possessorem, ne degeneri conuersatione è pristino statu decideret. 44. Ioan. 15. 27. Ioan. 20. 23 Actor. 3. 6. Ambr.

45. Sed nondum quies in his Ambrosij verbis, quę iam cuiq; obuia fuerunt. Si etenim accepit in sua, quia Spiritum sanctum acceperat, non exprimit Ambrosius aliquid singulare in Ioanne; cùm id omnibus discipulis commune fuerit: nec in sua peculariter traxisse dignoscitur, qui in communem Spiritus sancti sortem accepit. Si iterum premas Ambrosium, stillabit. Imò quòd in sua pluraliter dixit Euāgelista, pluraliter explicuit. Habuit Ioannes, quo signatè ditaretur præ cęteris, pręter Spiritus sancti donum. Recubans in sinu Christi, cordisque se applicans gremio, altiùs Verbum, quod erat apud Deum, ex corde Patris hausit, nec primoribus labris, sed vsque ad fundum, vt Verbi, sapientiæque fieret possessor, & quod non genuerat carne, gigneret mente; & calamo, quo volauerat, scriberet. En cur illi mādatur Mater: en iuxta migratio à Ioseph, qui Verbum Dei non carne genuerat, & tamen Patris auctoritate Verbi possessor extiterat ex contubernio cum Maria: ad Ioannem, qui se Virginis commilitonem agebat sub cruce. Sic capies Ambrosium: *Bonus Verbi, sapientiaque possessor, bonus receptor gratiæ: nec enim Mater Domini migraret, nisi ad possessionem gratiæ.* Migratio hæc translatio est, &, vt videtur, de viro ad vir. Qui pro Ioseph substituitur, eisdem debebat dotibus affulgere; scilicet comitari Virgi

Virginem, Verbi Dei esse possessorem, & Spiritu sancto pollere. Nec enim absque discussione abire debet, cur potiùs Ioanni mandauerit Iesus Matrem; cùm omnium Apostolorum & Mater fuerit & Magistra: &, si sub alicuius congruebat peculiari degere custodia, aptius videbatur sub Petro: quem & Verbi possessionem habuisse denegandum non est; cùm signatè protulisset: *Tu es Filius Dei viui*, non à carne, & sanguine instructus, sed Patris inspiramine imbutus; & aliàs caput esset Apostolorum, quibos maneret sacer hic thesaurus communis, si in situ capitis seruaretur. Cur sequestratus à munere Petrus? Quia pro Ioseph ægrè substitui posse videbatur, qui Virginem non inter periculorum anfractus, fluctusque passionis sanguineos comitatus est.
Ioan. 19. Solus Ioannes latus seruauit, latumque clauum fidelis coniugis obtinuit. Nonnè audis? *Cum vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri sua*, &c. Quasi causa commendandi Matrem fuisset, quòd in extremis casibus, calamitateque cruenta Matrem cingeret, aptusque esset, vt vicibus pro Ioseph fungeretur, qui Ioseph in omnibus imitabantur, nempe in iugi sodalitio Matris in Verbi Dei possessione per mentis illibatæ conceptum in virginitate, & in Spiritu sancto. Vide quid mereatur, quisquis non discedit à Maria; in filium eius signatè adsciscitur; quod absentes Apostoli sortiti non fuerunt.
Rupert. Suffragetur Rupertus lib. 14 in Ioannem: *Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo: Mulier ecce filius tuus, itemque ad eundem discipulum: ecce Mater tua, rectè & de alio quolibet discipulorum, si præsens adesset, dici potuisset: nisi quia, licèt omnium mater sit, pulchriùs tamen huic, vt Virgo virgini commendari debuit; præsertim, cùm huic discipulo talis gratia reposita esset, vt Verbum ipsum, quod illa Mater carnem factum pepererat, ipse quantum mortali homini possibile fuit; imò plus quam alius quis mortalium omnium potuit, Euangelico stylo scriberet.* Obserua illud: *De alio quolibet discipulorum, si præsens adesset, dici potuisset.* Quàm faustum fœnus præsentiæ cum Maria, obsequij administratorij ad Virginem! Officiosus Ioseph, virgo, indiuiduus sodalis, Christi pater, etiam defunctus functionem hanc ægrè ferret alij delegatam, nisi qui eius officia fideli sedulitate continuaret, & in virginitatis custodia, Verbique possessione præ-
Arn. Carn. fulgeret. Sic velim enodare Arnoldum Carnotens. tract. de 7. verbis Domini in cruce: *Ioseph, qui eatenus ministrauerat, eo subrogato cedit. & maritalia iura apponit., vt obsoretur os loquentium iniqua in posterum; quia matrimonium illud dispensationi diuina, non copula carnali seruierat. Ideóque nec Ioseph, cùm Ioannes eam suscepit in parentem, queritur de disiuncto connubio, quod dispensatorium fuerat; sine vllo carnalis copula commercio.* Licèt Arnoldus in ea sententia fuerit, quod putaret tempore mortis Christi adhuc in viuis mansisse Ioseph? eóque respicere præfixa verba, non leuiter suadetur, & liquet ea tractatu de laudibus Virgin. circa finem: vbi ait: *Superrest Ioseph, ad quem vsque ad illud tempus præcipua obsequij spectauerat ratio*: tamen priorum verborum neruus etiam potest extendi, vt obitum Ioseph supponant; inuuantque, etiam extra vitæ curriculum constitutum Ioseph non ægrè potuisse ferre subrogatum fuisse Ioannem, in quo defuncti coniugis quasi hæreditarius virtutum census diuite cumulo præstabat: nec forsan passurum alium substitui, cui eximia deficerent ornamenta.



ACADEMIA XXVI.

Deus Pater, quasi antonomastice *Deus* nuncupatur, Maria *Mulier*, & *Homo* quali excellentia? Expenditur Paulus ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.*

Pro virginitate Mariæ, Mulieris *vox non à corruptela, sed à sexu.*

Sectio I.



QVi Mariæ virginitatem sedulò suscepimus exornandam; qui à coniugio euicimus floridiore, nullisque potuisse inimicæ suspicionis stimulis pungi; non impunè abiremus; si mulieris vocem, qua ea communi fœmineo seu Mariæ singulariter insignitur, non libra dederimus; vtpote in qua, vbique libenter cadentes, illecebrosè cæspitantes, vt Marianum pudorem offendant, offendunt hæretici; non verentes mulierem Sole amictam, candidissimoque luminosæ lampadis velo circumdatam, impudicâ tenebrâ impetere. Ergo locus Pauli est ad Galat. 4. 1.
Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suũ, factum ex muliere, factum sub lege. De integritate Galat. 4.
Matris detrahit, qui mulierem appellauit, garriunt hæretici. Imò, quod mirabilius est, & lachrymosius, id Tertullianum non puduit; aliàs in virgineo pudore vocabulum mulieris propriè inesse, strenuo Marte defendentem. Nam lib. 4. de carne Christi cap. 23. ex Apostolo contendit nuptiali passione in partu laborauisse Mariam, resignatâ vuluâ. Audi verba: *Quis propriè vuluam* Tertul.
adaperuit? Qui clausam patefecit. Cæterum omnibus nuptia patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa: Et quid vltrà de hoc retractandum est, cùm hac ratione Apostolus non ex Virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronunciauit? Agnouit adaperta vuluâ nuptialem passionem. Prauè, & sibimet hostis. Nec medicamentu Baronij tom. 1. Baron.
Annal. anno 1. & Pamelij paradoxo 22. valet sa- Pamel.
nari, vt benè vidit P. Vazquez 3. p. disp. 121. cap. 5. P. Vasq.
Dixi, quòd sibi hostis. Liquet ex lib. de virgin. Tertul.
veland. cap. 6. vbi data operâ mulieram de virgine pronunciari edisserit ex Apostolo: *Videamus nunc, si & Apostolus formam vocabuli istius secundum Genesim obseruet, sexui deputans illud, sic mulierem vocans Virginem Mariam, quemadmodum & Genesis Euam: Misit Deus Filium suum factũ ex muliere, quam vtique Virginem constat fuisse, licet Hebion resistat. Agnosco & Angelum Gabrielem ad Virginem missum; sed cùm benedicit illam inter mulie-*
res,

ros, non inter virgines deputat. Sciebat & Angelus, mulierem etiam Virginem dici. Luculentiùs nemo. Ergo de Tertulliano ex Tertulliano actum est. Et quidem sexum hac voce, neutiquamque corruptelam signari à Paulo, Patres facilè propugnant: nec egere verbum hoc colliquari, detergique; cùm fœmineam naturam, non pudoris sectionem significet. Origen. Origenes homilia. 10. in cap. 10. Leuitici: *Apostolus mulierem non pro corruptela integritatis, sed pro sexus indicio nominauit.* Cyril. Hierosl. Cyrillus Hierosolym. catechesi 10. Gaud. Gaudentius serm. 9. in Ioannem, Prim. Primasius in epist. ad Galatas.

2. Attamen, licèt hoc statum, verumque sit; suppetunt, quæ Mariæ nitori, excellentique pudicitiæ ex mulieris vocabulo pendamus, & Pauli locum nouis elucubrationibus illustremus. Diffitendum non est procliui sedulitate à mulieris stylo abstinere Patres, cùm Mariam in ore, calamoque versant, vt ex subiiciendis monstrabimus. Ipsimet, qui sexum, non pudoris dispendium significare profantur, cùm Apostolum elucidant; alibi mitè se continent à voce, floridiori semper nempe Virginis, blandientes. Præmitto, non opus esse meticuloso semper calamo progredi, dum agitur de Maria cautis superstitiosè vocibus; ne, quasi vitrea sit eius virginitas teneri lapilli tactu frangatur. Saxea, solidaque est ad ictum, viret innia fulmini; non eget ære, quod muniat; non ambitiosis verborum floribus, vt floreat. Quà Maria est, virgo est: etsi mulier effetatur, manet Maria; quisque stylus, si tamen ex fidei censura est, Mariæ pudori famulatur eximie. Hieron. Hieronymus in epist. ad Galat. 4. lit. B. *Quod autem sanctam, & Beatam Matrem Domini, mulierem, non virginem nominauit, hoc idem & in Euangelio κατὰ ματθαῖον scriptum est, quando vxor appellatur Ioseph, & ab ipso Domino quasi mulier increpatur. Non enim necesse erat semper quasi cautè, & timidè Virginem dicere.* Peringenuè. Quæ empto fuco sibi de pulchritudine lenocinatur, timeat à næui suspicione; ne vultus venena vel arescant, vel fluant. Fucata virtus solerti indiget vigilia, ne deprehendatur. Natiua venustas curas despicit, nec ab aura breui curem scrupulosa defendit. Quid de mulieris voce, delicate hæretice, turbatis? Sublimior Maria est; non hac voce torquetur.

3. Licèt hoc pro Marianæ virginitatis soliditate sit verum, attamen pro eius reuerentia, candidâ semper, & nitidâ dialecto vtendum est, non tumultuariò, nec ex communi penu: cùm potiùs Hyblæis apibus lectissimos flores libantibus, limpidior debeat esse lingua, quæ Mariam volutat in ore. Quare, cùm saltem aliquando mulieris vox, stolidi vulgi arbitrio, signet corruptelam; ideò Patres, cùm agunt de Maria, nolunt mulieris, sed Virginis vti vocabulo, seu potiùs vtrumque distinguunt. Pendo loca. Chrysol. Chrysologus sermon. 117. *Vbi sunt, qui conceptum Virginis, Virginis partum, mulierum partubus existimant exæquandum: cùm illud de terra sit, hoc de cœlo?* Cyril. Hierosl. Cyrillus Hierosolym. catech. 12. *Et nos recipiamus Verbum incarnatum verè, non ex voluntate viri, & mulieris, vt hæretici dicunt, sed ex Virgine, & Spiritu sancto.* Epiph. Epiphanius contra hæres. lib. 1. hæresi 30. *Ecce virgo in vtero habebit. Virgo autem non appellatur, quà viro coniuncta est, & nuptys copulata mulier.* Clem. Alex. Clemens Alexan. lib. 1. pædagog. cap. 6. col. 11. *Mulieres quidem prægnantes, cùm matres factæ fuerint, lac emittunt, Dominus autem Christus fructus Virginis.* Siricius Papa epist. 2. aduersùs Iouinian. In tom. 1. Concilior. Siric. *Per mulierem mors successit; per Virginem salus euenit.* Beda in Samuel cap. 4. in fine: Beda. *Recole hymnum Beatæ Mariæ, & vide quàm similia de iudiciis, & gratia Dei prophetæ mater, & Domini; mulier, & virgo senserit.*

Causam iudico huius discriminis inter mulierem, & Virginem, ineptientis vulgi opinionem 4. iuxta illud Quintiliani lib. 6. cap. 4. Quint. *Obiurgantibus quòd sexagenarius Popiliam virginem duxisset; cras mulier erit, inquit.* Iam Ambrosius lib. de institut. Virginit. cap. 5. Ambr. *De mulieris nomine quid mouemur? Ad sexum retulit; non enim corruptela, sed sexus vocabulum est, Vulgi vsus non præiudicat veritati.* Et tamen, vt, quod prædiximus de Patrum solenni vsu in distinguendo mulierem à virgine confirmemus; ipsemet Ambrosius audiendus est in serm. de S. Ioanne Baptista: *Habet ergo & huius natiuitas aliquid gloriæ, atque miraculi. Quamuis enim vilior partus mulieris videatur esse, quàm virginis, tamen sicut Mariam suspicimus, quod Virgo pepererit, ita Elisabeth miramur, quod anicula procreauerit.*

Quæ si teneas, non modica sortieris acumina, 5. dum semper fixus maneas in ea veritate, quod *mulier* erga Mariam nullum corruptionis signat vestigium; nec in loco Pauli aliquid inlatet suspiciosum; sed multum sanè sacramenti, quod in sequentibus expendemus. Itaque Lucæ 7. Luc. 7. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Vide Domine, quod factum de muliere te proferet Apostolus. Numquid minor es Ioanne, qui magnus es, non vt ille, coram Domino, sed vt Dominus? Statim Ambrosius subdidit scholium, Ambros. vt præcaueret à noxa. Sic serm. de S. Ioanne Baptista: *Nunquid etiam maior est Saluatore? Absit. Ioannes enim natus mulieris, Christus autem Virginis natus est: ille corruptibilis vteri finibus fusus est; iste impolluta vuluæ flore progenitus.* En in voce mulieris subsidium inuenit pro Virgine; cuius proles à nulla potest laudatione præcelli. Sed nondum Ambrosius nodum dissoluit, quem Apostoli complicant verba. Si enim Dominus inter natos mulierum dixit, & Apostolus factum ex muliere apposuit, nullum effugium est, quod cogitauit Ambrosius. Si perpendas, affabrè procedit. Annè quia Apostolus non dixit natum ex muliere, sed factum; natiuitatemque ex muliere subticuit, ne inter natos mulierum sub Domini periodo contineretur? Absit quòd, qui factum ex muliere retulit, natum ex muliere inficiaretur. Imò Græcè vox est, quæ & natiuitatem, & generationem iuxta varias lectiones, significat, de quo infrà. Attamen, vt statim apparebit, tota Pauli series mulierem illam, ex qua factum dixit Filium Dei, virginem esse eleganti verborum concatenatione declarat. Cur etenim religiosâ obseruatione tenax fuit noster interpres huius *factum ex muliere*? Quia ipsomet stylo viri pulsum à thalamo abfuisse explicuit; qui ex muliere facere non dicitur filium, sed ex se gignere. Quòd si vir accessisset, cur sola referretur mulier, ex qua potiùs facta soboles aliquem præsignat opificem, qui non gignens, sed faciens intra muliebrem vterum fuit operatus? In quo ingeniosè satis peculiarem natiuitatem enuntiauit Apostolus, subticens, quod genitus; proferens, quod factus: vt ostenderet, quod qui à Patre genitus non factus erat; genitus à Matre, iam factus esset asserendus, ea maiori

obserua

obseruatione, quoniam iam habebat esse genitum ab æterno, denuoque esse factum incepit. En & virginitatem Matris, & æternam à Patre generationem breui dictione explanauit. Ergo inter natos mulierum in elogio Ioannis filius Virginis non subintrat; qui, quia eius natiuitas non incepit à muliere, sed æterna fuit à Patre, etiam quando genitus fuit ex Matre, factus ex muliere dicitur; vt noua natiuitas præsignetur, nec cum cæteris in calculo computanda. Quare non natus mulieris solùm, sed & virginis suprà mulierem: non *mulieris* à corruptela, sed à sexu.

6. Hinc quamuis nobiles ex Patribus certum ducant, quòd quoties Maria *mulier* nuncupatur, eius non detrahitur integritati, quæ nec præcone, nec commentario eget: attamen, vt etiam in stylo uiridam seruent, ne ignarus in voce *mulieris* impingat, nolunt mulierem, sed virginem nuncupari singularibus, nec inuenustis cogitatibus. Adsit iterum Ambrosius in Luc. cap. 1. ad illa verba: *Et cogitabat qualis esset ista salutatio*, sic inquit: *Erubescebat ergo Maria, erubescebat etiam Elizabeth. Et ideò videamus, quid intersit inter mulieris & virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, hæc pro verecundia. In muliere modus pudoris adhibetur, in Virgine pudoris augetur gratia.* Quem locum explicuimus Academ. 19. sect. 3. subsect. 1. num. 39. Mulierem appellat Elizabeth, quatenus de causa erubescebat, & à toro (rugis iam attritâ fronte, sulcisque prouectâ senilibus) se emollitam mulieris consuetudine pudebat. Cæterùm Maria pudoris non passa iacturam, potiùs ex gratia incrementa capessiit, cuius verecundia non passionis nota, sed virginis color fuit. Quibus dilucidè Ambrosius *mulieris* acceptioni iuxta vulgus arrisit, licèt sibi compertum sit, cùm de Maria profertur, sexum denotare, non luxum. Respexit forsan ad illud Genes. 3. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Cur dum ad dolorum tormenta condemnat, mulierem appellauit? Cur viraginis vox subticetur, qualem à primordio sortita? An quia mulieris vox vsum thalami præsagiuit, indeque fatale auspicium doloris in puerperio, qui conceptionis illecebram pro mercede subsequitur? Si id ita; non debet pungere dolor in puerperio, nisi quam in concipiendo blanditiæ demulsissent. Hinc Maria absque dolore puerpera, quæ absque illecebra fœta. Si mulier non extitit in conceptu, cur mulier in partu? Nulla igitur exceptio sententiæ in Virgine, cùm supplicium mulieri parienti, non virgini inscriptum. Do Damianum homil. 46. in Assumpt. Mariæ: *Non sequutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum. Dictum namque fuerat Euæ: In dolore paries filium. Quæ sententia in alijs matribus viguit, in Maria verò modum sui iuris amisit. In mulieribus fixa perstitit, in virgine præualere non potuit. Quæ enim virgo permansit concipiendo: dolorem sentire non potuit pariendo.* Ergo apud Damianum ideò dolor in partu, quia in conceptu mulier. Mulieris notione calamitatem vult intelligi pudoris, mulierem ex consuetudine viri discernens à virgine. Acciuit S. Ephræm de Marg. pret. pag. 515. *Absque corruptione & partus dolore. Neque enim passa est Maria vt mulier, nec partus dolorem sensit vt virgo.* Non facilis est periodus ista. Nam vel fallor, vel illa verba *vt mulier*, *vt virgo*, si eandem constructionem exoptant, virginitati derogant: nam mulierum passio virginibus adscribitur; constructio enim obuia est: nec passa est Maria, sicut mulier patitur, dum parit: nec partus dolorem sensit; sicut virgo solet præsentire. Quod fatuum est, cùm non alia pepererit virgo, nisi Maria, quæ in puerperio gauisa est, non læsa. Benè Ephræm virginem vult Mariam, non mulierem, id est, corruptam. Vnde sic construo: Nec passa est sicut mulier, nec partus dolorem sensit vtpote virgo: in vtroque *vt* dissimilis acceptio sit.

Expendere cupio eiusdem S. Ephræm difficilem locum alibi forsan datum, nondum expensum: de Margar. pret. pag. 517. col. 1. lit. D. sic fatur: *Pro arrhabone fidem accepit puella, & non amplius propendens erat gratia, sed dum iure optimo incorruptionis vim illi præbet, fides naturam adduxit; & excipiens gratia, non amplius esse corruptibilem passa est, verùm sibi ipsam adiunxit; sicut Rex vas priuati alienius hominis proprium faciens: atque ita facta est sancta Maria non iam mulier, sed virgo, & gratia plena.* Quid est: *atque ita facta est sancta Maria non iam mulier, sed virgo & gratia plena?* quasi denuo facta fuerit virgo, delieritque mulierem esse, quæ semper virgo nunquam mulier quoad corruptelam, semper quoad sexum, extiterat. Id enucleari non valet; nisi explicentur illa: *Non ampliùs propendens erat gratia, sed dum iure optimo incorruptionis vim illi præbet, fides naturam adduxit, & hanc excipiens gratia, non ampliùs esse corruptibilem passa est.* Quid ais, ô Syre? Ergonè naturæ adscribis, quod supra naturam miraculum est? Conceptio virginea, illibatæ partus, vulua ferax absque colono est; nec natura nouit, nec ratio prægustauit. Mens subtilior hæc est. Anteà propendens erat gratia, Græcè est παρακύπτουσα, id est, quasi suspensa, & velut per ruinas & cancellos prospiciens, optabat tempus fœcunditatis, vt imbueret Virginis vterum, coagularetque fœtum, ex vuluaque castæ fœminæ naturam efficeret, id est, generationis principium: id enim propriè natura significat, vt alibi probo. Fides ergo & consensus puellæ cœlesti ministro pro arrhabone credita gratiam illam sibi vindicauit. Gratia vim incorruptionis præbuit, vt non temeraretur à fœtu, sed conciperet absque toro; simulque naturam adduxit, vt in vna vulua coirent incorruptibilitas & generatio, seu virginitas & natura. Ex gratia & natura compactum fuit generationis principium, & supra naturam natura eleuata fœtum intra casta viscera concepit ex se, suscepit ex gratia. Ex quo iam tota illa fœcunditas, intraneaque Mariæ viscera quasi in gratiæ qualitatem conuersa migrarunt, & ita facta est sancta Maria non iam mulier, id est, non iam corrupta iuxta corruptelam, quæ mulieribus accidit in conceptu; sed virgo, & gratiæ plena. Facta, inquam, est, id est, factum est, vt non mulier esset, quod solenne parientibus est; sed quòd virgo, quæ ante partum & conceptum virgo effloruerat absque næuo. Vel si manis: Et ita facta est Maria non iam mulier, id est, non solùm mulier ex partu & genitura; sed etiam Virgo & gratiæ plena.

Surgit à lapide Christus. Maria Magdalena dolet in horto. Apparet Dominus inter olera, ruricolam agens inclamat: *Mulier, quid ploras?* Ast illa turbida fletu, squalida lachrymis, oculis cæcutientibus incepit præ singultu. Iterum Dominus suauiter fatur: *Maria.* Curnè priùs *mulierem* appellat, posteà *Mariam*? Annè sub *mulieris* voce lasciuientis

Margin notes: Ambr. — Genes. 3. — Dam. — S. Ephr. — 7. S. Ephr. — 8. Ioan. 20.

uientis vitæ memor, temerati sexus increpauit piacula; post, dum *Mariam* mitiori lingua vocauit, nouæ castitatis prætulit ornamentum? Sanè, quæ olim mulier, iàm Maria est. Venit Maria, iam altera Maria. Nonnè audis Matth. 28.

Matth.28.

Venit Maria Magdalena, & altera Maria? Si altera, & altera Maria venit, cur non venerunt, inquit, sed venit: cùm fœminarum numerus numerum exoptet in casu? An quia sub vno nomine venerunt duæ mysterio, non casu: vt quæ priùs venit mulier, iam Maria sit? Id lepide cogitabat

Chrysolog.

Chrysologus serm. 74. *Non dixit venerunt, sed venit: sub vno nomine venerunt duæ mysterio, non casu. Venit ipsa, sed altera: altera, sed ipsa vt mulier mutaretur vitâ, non nomine; virtute, non sexu. Venit ergo mater in nomine; venit mulier, vt fieret mater.* Sed pulchriùs serm.77. *Vt mutatam fœminam diuersitas panderet personarum, venit, non venerunt: venit mulier, sed redit Maria: venit, quæ intulit mortem; redit, quæ genuit vitam.* En apud Chrysologum quantùm dissideat virgo à muliere; siquidem vel Mariæ nomen à mulieris vocabulo denudat: adeò virgineis cupit vocibus honorari, vt vel sonitum corruptelæ reprehendat. Forsan Chrysologus memor nomenclaturæ Mariæ Magdalenæ, quæ mulier dictitabatur. *Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix* Luc.7.37. *Venit mulier habens alabastrum.* Marc.14.3. *Qualis est mulier, quæ tangit illum* Luc.7 39. subtiliter intulit: *Venit mulier, sed redit Maria: venit, quæ intulit mortem, redit, quæ genuit vitam.* Queis verbis Primigeniam incusat, quæ ex virgine mulier effecta est. Cui cogitatui vt fidas, subdo Gregor. Nazianzen. orat. 1.

Luc 7.37.
Marc. 14. 3.
Luc.7.39.

Nazianzen.

Idcirco generatio & virgo; idcirco præsepium & Bethlehem: generatio propter effictionem, virgo propter mulierem: Bethlehem propter Edem, præsepium propter paradisum. Vbi pulchrè recapitulationem inducit pristinorum, repensis in melius omnibus, quæ in pristino statu corruêre: vt nec hilum prætergrediatur reparatio, sed cognatis pignoribus medela paretur. Cùm autem nouam fœminam pristinæ opposuisset: *Virgo, inquit, propter, mulierem*, id est, Maria propter Euam.

9. Hinc quotquot Virginem nostram Mulierem nuncupant, statim Virginem appellant; ne suspicio iniuriosa subrepat, dimidiataque vocabula occasionem præstent erroris.

Nazianz.

Nazianzenus oration.35. *Natus quidem est, sed etiam genitus erat; ex muliere quidem, cæterùm virgine.* Chrysostomus in cap.1. Isaiæ ad illa verba: *Butyrum & mel comedet*, sic fatur: *Nec enim in eo singula quæque enarrabant? & neque in eodem omnia nobiscum communia. Nam quod ex muliere natus sit, commune est omnibus: quod autem ex virgine, in nostra omnium conditione est angustius.*

Areop.

Areopagita ex menæis Græcis in epist.4. *Nostram quidem carnem assumpsit, sed supra humanæ substantiæ modulum, etiamsi ex muliere: non tamen ea qualicùmque, sed virgine.*

Chrysolog.

Chrysologus serm.59. *Deum mulier virgineo portabat in templo. Hinc est, quod & acquisiuit honorem Matris, & virginitatis gloriam non amisit.*

10. Lex de purificatione solùm mulieribus indicebatur. Sic enim Leuit.12. *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus.*

Leuit 12.

Maria quidem iuxta omnium Patrum consonum suffragium huic legi non subiiciebatur. Ratio apud omnes: quia non suscepto semine germinauit; sed intranea virtute absque extero sodalitio concepit. Id obuium est. Cæterùm alia suppetit ex præfatis non insubtilis ratio, vt Virgo districtionis huius expers euadat. Nempe quia sectio hæc mulieribus instituta non decreta virginibus. Nonnè audis, *Mulier, quæ peperit?* Subtiliter id vidit Origenes in Leuit. homil.8.

Origen.

Addi quoque ad hoc etiam illud potest, quod lex ista, quæ de immunditia scribitur, ad mulierem pertinet. De Maria autem dicitur, quod Virgo concepit; & peperit. Ferant ergo leges contra mulieres: virgines verò ab his habeantur immunes. Sed si nobis aliquis occurrat argutus, quod Maria mulier in Scripturis nominatur; respondebimus ei, quia Apostolus mulierem non pro corruptela integritatis, sed pro sexus indicio nominauit, Vide, quàm consonent cuncta, quantis assurgat virginitas Mariana triumphis: adeò ex puritatis sublimitate naturam transcendês, vt nec vocem, quæ signat sexum, sine commentario sustineat; & vel à leui sordis tinnitu, purificationisque charactere celsior emineat. Ne autem vlla suspicio remaneret, supererogata sunt in legis sanctione verba, vt virgineis famularentur obsequiis, & candida virgineæ vuluæ non dehonestarent ornamenta. Ideò pergit stylus: *Mulier si suscepto semine peperit masculum.* Nonnè phrasis hæc nouitatem inducit genituræ? Ergonè contingere valet mulier, quæ absque suscepto semine filium edat? Si mulier parit, ergo libata, ergo spermatis humani temerata contagio. Maria Virgo Mater est: non mulieris communem subintrat censum, nihil præter sexum habet: Timuit vel à vocabulo Moyses; ne, si iuxta naturam originis, in mulierum calculo supputaretur, sordium cogeretur subire munditiem, adiecit serio; *Si suscepto semine peperit filium*: vt vndequaque Matrem Domini virgineis honoraret officiis. Pulchrè S. Bernardus serm.3. in Purificat.

Bernard.

Putas quia dicturus Moyses, mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, nec timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiserit suscepto semine? Alioquin, nisi parituram præuidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Mirus est Bernardus in illis: *Putasnè non timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere?* Qualenè piaculum, si illa verba prætermisisset, quæ, si naturam consulas, otiosa videbantur, & stupida? Equidem ipsamet Maria non sibi blasphemiam inussit, & tamen purificationis legi se subdidit: cur Moyses, si sub generali vocabulo Mariam comprehenderet, super Matre Domini blasphemiæ incurreret flagitium? Graphicè quidem pro Mariano decore agit Bernardus, vel leuis suspicionis vindex. Maria mulier est ex fœcunditate, vtpote cuius viscera prole imbuta supernâ prolem humanam germinarunt: sed virgo est, vtpote quæ nec virum nouit, nec seminis passa tincturam. Ideò si lex simpliciter diceret: *Mulier, quæ peperit filium, immunda sit septem diebus*, sordidam indicaret saltem à partu, fœcunditatem attribueret, negaret munditiem, albidaque, & innocua puerperij ornamenta defœdaret. Ergo super Matre Domini blasphemiam incurreret, cùm Mater proferenda non sit, quin & Virgo; nec ex prole fœta, quin absque suscepto semine fœta decantetur: vt virgineæ fœcunditatis, fœcundæque virginitatis, pari accentu, decantetur elogiis.

Filius

Filius Dei factus ex muliere, *hoc est, ex Virgine desponsata.*

SECTIO II.

11. OPORTET iam eruere mentem Apostoli,cur *mulieris* delegerit vocem, cùm maturè & dignè de venerabili Incarnationis agebat sacramento? Certum est sedulò in id tetendisse,vt vtramque naturam compendiosâ dictione,Deitatem scilicet & humanitatem in Christo, sacro nexu ostenderet illigatam. Non potuit concinniùs. Si factum ex virgine protulisset, non liquidò panderet sexum; nec in omni lingua fœminam significaret, siquidem *virgo* non solum fœminam,sed & masculum expertem tori significat:quin & Angelum, cuius virtus est puritas illibata:cùm tamen Angelum non apprehenderit Filius Dei,sed semen Abrahæ in Abrahæ progenie, nempe in muliebri vulua filiæ Abrahæ. Ergo & Deum protulit & hominem,à Patre genitum, ex muliere factũ significatissimis verbis,quib. vtraque generatio claret:nam Græcè pro eo,quod est *misit*, dicitur ἐξαπέστειλεν, id est, extra sinum suum misit:& quem in vtero gignebat,in mulieris vterum egessit. Nec satis hæc:verùm aliquid nouum liceat coniectari. Ea nobis censio est,quòd putemus ita plene omne mysterium sub breui periodo supra Atticæ dictionis compendiosum pondus Paulum comprehendisse, vt non solùm exprimat processionem à Patre,veritatem corporis humani è muliere geniti absque ope viri? & totius Trinitatis opus, cui indiuisè, quidquid à dextra fit, adscribitur, licèt hypostasis Filij, quà geniti, ad solum Diuinum Patrem referatur: sed(quod singulariter putamus)Mariæ explicet statum, videlicet quod Filius Dei genitus fuerit,factus & natus ex Virgine desponsata viro, seu vxore, quam nulla maritalis officij inquinauit conuentio,Et quidem Græca Regia habet γενόμενον ἐκ γυναικὸς, id est, natum ex muliere, sicque effert August.l. de Trin. & vnit. cap.3. Cyprian. lib.2. in Iud. cap.8. Irenæus lib. 1. cap. 18. Alij Græci legunt γενόμενον, est *factum*:cui lectioni,quæ nostri Interpretis est, arridet Tertullian.de veland.virginib.cap.6.Ambros.lib.1.de fide cap.6.August.& alij.Quæ si iungas, virginitatem Mariæ pangi non abnues, cum qua solius Patris cœlestis eructantis & emittentis è sinu Filium, contubernium ad illius generationem innuitur:nec solius mulieris meminisset, si & viri impulisset incursus. Præterquam quòd qui factus ex muliere profertur, non moras, quæ ex generatione virili ad compingendum fœtum protenduntur,expectauit;sed illicò perfectus enasitur in sinu,quem manus Dei sine manibus ex virgineo lapide simul excidit & dolauit.Nec vir & fœmina filium facere, sed gignere dicitur.

Auguſt. Cypr. Iren. Tertull. Ambr. Auguſt.

12. Habes iam *Mulieris* vocem expiatam ab iniuria pudoris probo non absonè posse significare desponsam,seu vxorem,vt Paulus amussim Euangelistarum verbis accedat, qui non aliter Incarnationis exhibent mysterium, quin complete Mariæ exponant statum, videlicet quod virgo fuerit & nupta. Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro.* Matth.1. *Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Quòd autem *Mulieris* vox Græcè γυναικὸς apud

Luc. 1. Matth. 1.

Zerda, Mariæ effigies.

Euangelistas in hac ipsa re vxorem significet, luculenter confirmat Lucas 1.vers.5.nam ibi Græcè est: ἀπογράψασθαι σὺν Μαριὰμ τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ οὔσῃ ἐγκύῳ, Noster habet: *Vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante*, pro *desponsata sibi muliere pragnante*, & apud Matth. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, Græcè est τὴν γυναῖκα, *mulierem tuam.* Quare cùm Paul. dicat, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, *factum ex muliere*,cãdemmet dialecto; non longè ibit quisquis sic interpretetur, vt Apostolus & Euangelistæ compari dictione consentiant, & totus virgineæ Mariæ exhibeatur status. Faueat Hieronymus sect. præcedenti datus: *Quòd autem sanctam & beatam Matrem Domini mulierem, non virginem nominauit, hoc idem & in Euangelio κατὰ Ματθαῖον scriptum est, quando vxor appellatur Ioseph: & ab ipso Domino quasi mulier increpatur.* Hieronymus scitè pro *vxore* accepit, cùm aliàs virginitas perspicuè apud vtrumque Euangelistam prænotetur; qualis & delitet apud Paulum. Imò quia Hieronymus *nuptam* & *maritatam* solet accipere pro cognita à viro iuxta nuptialis thalami ius; *Mulierem* apud Paulum in hoc non timet accipere rigore,vt tamen agat Apostolus iuxta opinionem eorum, qui mysterij inscij ex viro Ioseph Mariam concepisse sentiebant. Do verba in epist. ad Galat. *Et certè non est natus de muliere, id est, de nupta, sed de virgine Verùm abusiuè virgo mulier appellata est propter illos,qui fuisse virginem nesciebant. Vt itaque propter illos,qui sanctam Mariam arbitrabantur maritum habuere, mulier pro virgine posita est.* Nec Hieronymus matrimonij fœdus inter Mariam & Ioseph conturbat, solùm maritalem abnuit torum iuxta aliorum Patrum stylum,quos illustrauimus Acad. præcedenti sect.1. Gauisus sum inuenisse huic cogitatui patronum, scilicet quòd Maria in hoc Incarnationis sacramento,adhuc quà virgineè concepit,mulier Ioseph nuncupetur. Iustinus Martyr in quæstion.quæst.66. *Delineans & depingens Christi ortum, qui in Spiritu sancto generatus est, ex muliere autem Ioseph, Ioseph filius generatus est.* Et post pauca: *Quòd si id, quòd generatur ab Heli muliere ex Dei lege, Heli est filius; multo magis id, quòd à muliere Ioseph generatur diuina voluntate, Ioseph est filius sine nuptiali coniunctione.*

Hieron. Hieron. Iuſt. Mart.

Nec tamen *Mulier*, etsi *vxorem* significet, præsignat iam à viro cognitam,nisi quà vsus genialis fert, vulgique increbrescit opinio, quæ viri consciam,iuxta quod frequẽtiùs euenit, matrimoniique fructus exposcit,vt plurimum credit vxorem. 13.
Imo probare libet, primæuam *Mulieris* vocem, vxorem simul & virginem significauisse; saltem nemo,nisi stolidè,detrectabit Primigeniæ vxoris fuisse nomenclaturam, dum adhuc virgo erat nec zonam soluerat, quam nuditas albentis pudicitiæ velabat. Et quidem, si te ad primordia reducas, suffragaberis. Diu nobis arrisit, quòd *viri* vox ex impositione pristina significat maritum,ac proinde vox *Mulieris* coniugem. Id nobis singulari elucubratione probandum est. Profectò nomen איש *Isch* primùm auditum, cùm connubium fuit celebratum, ex latere formatâ fœminâ Genes.2. *Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Cùm antea solùm Adam, id est, homo ex limo,& argilla: vix ex costa fœmina struitur, cùm ille vir,hæc virago appellitatur. Et quia ædificij fœminei indoles ex viro,nuptiarum celebratio fuit, eòque tetendit, vt duo in vna carne coalerent,

Genes. 2.

& propageretur progenies; inde est, quod nomina
illa ex nuptiarum fuerunt stylo. Inde vir, & mu-
lier איש *Isch* & אשה *Issa* maritum & vxorem plu-
ries significat in Sacris, quàm datur compilari.
Genes. 3. vers. 13. Deut. 28. vers. 54. Iudic. 14. ver-
su 5. & præcipuè in toto illo Geneseos capite,
Lippom. *mulier* vxor est. Audi Lippomanum: *Maritus*
in his litteris vir nuncupari solet; nec in ea lingua
nomen viri à nomine mariti distinguitur; sicut ne-
que nomen mulieris à nomine vxoris. Ideò autem
hic, cum dicitur adhærebit vxori suæ; est אשה
Cypr. Gen. 3. 17. *Issa, quod suprà significabat viraginem, aut mu-*
lierem, hic autem vxorem. Ex quo Cyprianus
tractat. de bono patient. pro eo, quod Genesis 3.
dicitur vers. 17. *Quia audisti vocem vxoris tuæ*,
citat locum legens: *Quia audisti vocem mulieris*
tuæ. Rationem reddit Lippomanus, quare mu-
lier pro vxore: quia vxoris vox non sic pudica
Hebraicis auribus; in quibus lingua sancta quia
pudica.

14. Imò obseruauit Hieronymus in quæstion. He-
braïc. *Iuxta Septuaginta: Hæc vocabitur mulier:*
Non videtur in Græco, & in Latino sonare, cur
mulier appelletur, quia ex viro sumpta sit, & ety-
mologia in Hebræo sermone seruatur. Vir quippe
vocatur איש *Isch & mulier* אשה *Issa.* Attamen li-
cèt Græcè & Latinè mulier substituatur pro eo,
quòd *Ischa* Hebraicè; tamen in vtraque lingua
non illepidè deductio à nomine viri componitur.
Symm. Nam Græc. Symmachus αὐτὴ κληθήσεται ἀνδρὶς ὅτι ἐκ
τ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὐτή: & in Latino vira à viro
Festus. dicitur, licèt recuset Lyranus, inuenitur apud Fe-
stum: *Fœminas, quas nunc dicimus antiqui viras*
Sanct. Pag. *appellabant.* Quod & adnotauit Sanctus Pagnin.
in dictionario ex Plauto, qui putat nomen viragi-
nis aliud Latinè sonare; quales Amazones fuisse
leguntur. Quare vniuira pro vnius viri vxore plu-
Minut. ries circumfertur. Minutius in lib. de errore pro-
phan. Religion. *Alia sacra coronat vniuira, alia*
multiuira: & magna religione conqueritur, quæ plu-
Tertull. *ra possit adulteria numerare.* Tertullianus lib. de
Monogam. *Fortuna muliebri coronam non imponit,*
nisi vniuira. Et ibidem cap. 8. *Vel ne indigniùs mox*
Conc. Laod. *Christus à fœmina prædicaretur vetere, vidua &*
vniuira. Concil. Laodicens. canon 11. *Seniores,*
vniuira, matricuria; & in monimento antiquo
Romæ. *Renatus Volusia Iustæ Matri charissimæ*
omnium fœminarum sanctiori vniuiræ Habes igi-
tur viram, pro quo mulier legitur significare vxo-
Habenezra. rem, sicut Hebraïcè אשה Issa. Hinc Habenezra
Prouerb. 2. 17. *In nominibus* איש *Isch, &* אשה *Issa*
inquit, *Dei nomen contineri. Quod si ex vtroque*
ademeris vtriusque literam, ignis & ignis remanet,
id est, mera crux. Ludit; vtpote quia remaneat v-
xor & maritus. Ex quo linguæ Hebraïcæ obseruo
Rabb. Dau. mysterium, quod adnotauit Rabbi Dauid in libro
radicum, nempe quòd quælibet res appellatur *Is*,
& *Issa*; attamen non sic generaliter accipio, ita vt
quæque res sigillatim absque consortio ad alte-
ram, his vocibus appelletur; sed, me iudice, solùm
quando duæ res aliqua stabili nectuntur societate
ad stabiliti coniugij modulum. Quod probo ex
eisdem Rabbi Dauid locis Exod. 25. vers. 2. vbi
de duobus Cherubim, & Exodi 26. vers. 3. vbi de
cortinis, quæ coniunctæ erant.

15. Nec iniucundum erit, si obserues idem nomen
fœminæ impositum & virginem, & vxorem si-
gnificauisse; ne dum vxorem audias, illico censeas
inquinatam אשה *Issa* enim vertitur apud nostrum
Virago, virginemque significare iam suprà Acad. 5.
sect. 7. comprobauimus; licèt iam pudica acceptio
innuptam, & viri nesciam puellam præsignet.
Quia virago primitus idem, quòd virgo est; & vir-
go idem, quod *vira*, quæ *Mulier* solet verti apud
Diodorum Genes. 1. vbi legit: *Hæc vocabitur mu-* Diod.
lier, quia de viro sumpta est; effectum puto, vt mul-
toties *virgo* pro *nupta* inueniatur. Terentius in Terent.
Eunucho actu 4. scen. 3. & actu 5. scen. 1. vbi vtro-
bique de Pamphila: *Virgo lachrymat.* Et actu 5.
scen 2. *Idipsum virgo vero, &c.* Si plura cupis, vi-
desis Fornerium ad l. 13. de verborum significat. Fornerius.
Forcatulum dialog. 21. num. 4. Conanum 7. com- Forcat.
ment. cap. 6. num. 5. Gentil. 1. parergon. 12. 16. For- Conan. Gentil.
sterium in obseruationibus cap. 15. Quin Augu- Forsterius.
stinus lib. de fide, & operibus cap. 7. Et habetur August.
34 quæstion. 1. & 2. *Si virgo nesciens vero nupserit*
alieno, hoc si semper nesciat, non ex hoc erit adultera.
Vbi vir, & virgo pro marito, & vxore accipiun-
tur, vt vidit Osualdus ad Donellum lib. 12. cap. Osuald.
29. litera. B. Vnde illud Vlpiani lib. 13. de verbo- Vlpian.
rum significat. *Mulieris appellatione etiam virgo vi-*
ripotens continetur. Sic expenderem illud difficile
Hieronymi aduersus Rufinum: *Et reuera, vbi* Hieron.
inter virum, & mulierem castitas est, nec vir in-
cipit esse, nec fœmina; sed adhuc in corpore positi
mutantur in Angelos, in quibus non est vir, neque
mulier, &c. Blandiuntur sibi hoc loci, quotquot in
resurrectione sexus abscindunt, nullamque dispa-
rilitatem fore gestiunt. Sed Hieronymi mens ex
nostra obseruatione pellucet illico: non etenim
de sexu agit, sed de matrimonij statu, iuxta illud:
Neque nubent, neque nubentur. Quare non ait;
Non masculus incipit esse, nec fœmina, sed non vir,
id est, maritus. Ouidius lib. 1. metam. *Imminet exi-* Ouid.
tio vir coniugis, illa mariti: vbi priùs vir, deinde
mariti.

Præfata, si vera sint, non parum præstant pon- 16.
deris Apostoli loco, quem versamus, quòd Filius
Dei factus sit ex muliere, nempe virginea vxore:
quod enim virgineam manifestet, liquidò constat
ex illis, quæ in breui periodo in latere apud Pau-
lum obseruabamus. Quoties enim voce *Mulieris*
additur aliquid; ex additamenti proprietate clarè
signatur, quid *Mulier* significet: quo fit, vt pluries
non solùm significet illibatam & viri nesciam;
sed & absque viro. Ex quo lux poterit affulgere
alteri Pauli loco, qui agitat puluerem 1. Corinth. 1. Cor. 1.
9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem*
circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & fratres
Domini & Cephas? Sciolus etenim Erasmus in Erasm.
adnot. nou. testam. Paulum coniugatum conten-
dit, & inibi Beza, Petr. Martyr, Valla, quin & Va- Beza.
tablus *sororem vxorem* vertit. Vnde Pauli cœliba- Petrus.
tum perimere conantur. Causa est perperam vo- Mart. Valla.
cis *Mulieris* acceptio absque pipere; nam luce cla- Vatabl.
rius *Mulier*, cui *sororis* vox adiungitur, *vxorem* sig- August.
nificare non præualet. August. de opere Monach.
cap. 4. *Neque mulierem*, inquit, *tantummodò ait, sed*
sororem mulierem: nec ducendi, sed circumducendi.
Equidem *sororium virum* pro marito sororis le-
go: imò absolutè *sororium* apud Methel. in Quiri- Meth.
nal. ode 15. Othon. Frisig. in inscript. cap. 2. lib. 4. Otho. Frisig.
hist. Polycrat. lib. 6. cap. 18 sic Sidonius c. 20. *Ad* Policr.
sororium suum Hecdicium, apud quem literatus Sidon.
Sabaro. Sororis virum pluries inuenies, nempe in Sabaro.
Osorio lib. 7. cap. 28. Greg. Turon. lib. 1. de mi- Osorius.
racul. cap. 71. Isidoro lib. 9. c. vlt. Attamen *soror* Gregorius Turon.
vxor prauè connectitur. Imò quantumuis aliquan- Isidor.
do soror vxor sit, soror exprimitur, vt vxor reti- Genes. 12.
ceatur. Accerso te ad Abrahamū Genes. 12. *Noui,*
quod

quod pulchra sis mulier ; & quod , cùm viderint te Ægyptij , dicturi sunt : Vxor illius est, & interficient me. Dic ergo , obsecro te , quod soror mea sis. Nosce illationem : *Dic ergo* , quasi à *sororis* voce omnis vxoris suspicio abluatur: vbi acutè facessit, quod Sara soror erat Abrahami, licèt non vterina; & tamen licèt sic soror & vxor esset, putatum est non posse credi vxorem, si semel audiretur soror. Caietanus inibi : *Non instruxit, vt mentiretur: quoniam vt inferius manifestanit , erat eius soror , non tamen vterina sed instruxit , vt taceret veritatem.* Nec vrget , quod soror vxor fuerit Abrahamo ; id etenim an priscis illis sæculis non impudicum, differunt Hieronym. in quæst. Hebraïc. ad cap. 20. Genes. August. 22. contra Faust. Manich. Licitum quidem fuisse connubium cum sorore vterina, licet Iosephus refragetur, Caietanus confirmat Genes. 20. Sororem autem vxorem apud Paulum , quis ita ineptiat , vt credat ? Nec *Mulieris* vox vel tantillum suffragatur , non solùm quia *sororis* voce temperata est, nec quia in Græco articulo caret ; sed quià non insuetum est, quòd virgo mulier vocetur. Sic in l. 14. §. 7. de ædilitio edicto, l. 25. §. 9. de auro & argento legato. l. 81. de legat. 3. Vnde Virgil. lib. 11. Æneid. cum de Camilla virgine canit , eius arma dicit muliebria. Maneat igitur cælebs Paulus, de quo lata eruditionis seges apud Pamel. in adnot. in Tertullian. de Monogam. cap. 8. num. 13. Baronium anno Christi 57. tom. 1. Scio aduersari Clementem Alex. 3. Strom. & circumferri S. Ignatium epist. ad Philadelphos pro Pauli coniugio. Sed in his adi Cornel. & Iustinian.

Caiet. Hieron. August. Ioseph. Caiet. Virgil. Pamel. Baron. Clem. Alex. S. Ign.

17. Ergo quæ voci *Mulieris* & *viri* adduntur, signa sunt significatus : sic *vir suus, vir maritum* sonat , dum effertur à coniuge ; sicut *mea mulier* , quod Hispanis & Gallis in vsu est. Vir virgineus dicebatur à puella , quæ in manum viri conuenerat , nondum experta thalamum, quod est apud Ioel. 1. vers. 8. *Super virum pubertatis suæ.* Græcè ἐπὶ τὸν ἄνδρα τὸν παρθενικὸν, id est , *propter virum suum virgineum* Id illustrat Delrius in Adag. tom. 1. Adag. 54. ex Homero Odys. vlt. apud quem ἀνὴρ κουρίδιος : hoc est , *vir virginalis* , nempe qui primus zonam soluebat. Addo & ego Plutarchum in Pomp. vbi Latinè : *Publium, qui me virginem adhuc duxit* , Græcè Πόπλιον τὸν παρθένιον: id est , *Publicum virgineum.* Disces , quid intersit inter hominem, & virum: nam *vir meus, vir eius* pro marito est , *homo* autem *eius* , *homo tuus* pro *seruo.* Statius 2. Syluar. in Epiced. Pileti Vrsi :

Ioel. 1. 8. Delr. Plutarch. Stat.

Tu facies hominem Vrse tuum, cui dulce volenti
Seruitium.

Cicero. Cicer. in orat. pro Quint. *Hominem P. Quintij deprehendit in publicum : conaris abducere.*

Maria ex virginea fœcunditate Mulier.

Sectio III.

18. SVCCEDAT non incongrua mulieris acceptio, vt locupleti fruaris thesauro ad Apostoli explicatum. Mulieris vox contracta ad Mariam fœcunditatem eius enuntiat ad sobolem. Mulier igitur appellatur ob partum; virgo, ob pudorem. Ratio est: nam mulier præsignat sexum, qui partum concernit. Ergo quæ ex virginitatis excellentia extra sexus conditionem ardua videbatur , nec fœmineæ communionis num. copulari ob partum mulier apparet, cui vulua tumuit, cui viscera , muliebresque sinus fœtu tumuerunt Virginitas, & Maternitas has sibi vindicarunt dictiones, *Virgo, & Mulier.* Adest Augustinus libr. de fide contra Manich. cap. 21. *Dicit & Apostolus factum ex muliere : & isti dicunt: quare non ait ex virgine? non intelligentes, quod consuete dictum fit secundum proprietatem linguæ Scripturarum ; sicut de Eua dictum est : formauit eam in mulierem , antequam vel ostenderetur viro. Quamuis Maria non incongrue propter partum dicitur mulier ; virgo verò, quòd virilem nescierit conuentionem , nec pariendo virginitas eius corrupta sit.* Ecce virgo & mulier, vna fœmina cui nec officit cum muliebri partu communio ad virginitatis candorem, nec virginitatis decor ad fœcunditatis prouentum. Pulchrè illud *propter partum dicitur mulier*, quasi mulier à partu, cùm tamen & à partu virgo, dum subdit ; *nec pariendo virginitas eius corrupta sit.* Si virginitas non dehonestatur puerperio , nec obturbabitur vocabulo, quod grandiori elogio fœcunditati ministrabit. Sed cur Apostolus mulierem appellans, virginem subsilnit; cùm nobilior hęc nomenclatura, licèt illa generosior? Equidem quia si mulier propter partum nuncupata, inibi & virgo apparet intuenti : quippe quam non corruptio, sed partus mulierem effecit ; eodem stylo virginem conclamauit. Sic expendo Augustinum, vtrumque partui adscribens, & quòd mulier, & quòd virgo. Nec illud te prætereat : *Virgo verò, quòd virilem nescierit conuentionem.* Ad ignorantiam viri virginitatem adducit, verbis ipsius Virginis innitens : *Quoniam virum non cognosco.* Dixerat enim de Eua: *Sicut de Eua dictum est : Formauit eam in mulierem , antequam vel ostenderetur viro.* Obserua. Eua mulier, dum adeò virum nesciret, vt nec virum prospexisset. Maria etiam pariendo virgo est , quòd virilem nescierit conuentionem : Perbellè : nam Eua , etiam dum virgo viri que nescia, prostituta in animo serpentem alloquens, virgineæ mentis cingulum soluit, spiritaliaque integritatis iura diremit. Maria etiã genitrix , etiam puerpera, virilem conuentionem ignorauit. Vox est Apostoli : *Quæ conuentio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial ?* pulchrè translata ad Virginem , quæ ita procul à cognitione viri fuit, sicut lux absistit à tenebris , & Christus , qui verus Deus, diffidet ab idolo. Apprimè exaggerauit : quasi Mariæ virginitas pro Deitate, pro luce fuisset ; cui comparatus thalamus, tenebræ, & Belial. Eua igitur, dum virgo, mulier fuit, id est, muliebri casu in animo passa ; Maria, dum mulier, id est, dum mater, emicuit virgo. Mulier à partu, non à corruptela est.

August. 2. Cor. 6.

Hesych. Hesych. in ser. de Deipara ὅτι ϗ μήτηρ ἐγένου, ϗ τὰ γυναικῶν οὐκ ἔπαθες, ἔτεκες ὡς γυνὴ, ϗ οὐκ ἐφθάρης ὡς γυνή. Quæ sic vertit interpres : *Vt perspicuum fieret , te matrem esse factam , & tamen non esse passam ea , quæ mulieribus accidunt : peperisti tanquam mulier , non tamen vt mulier corrupta es.* Si tamen Græcè noueris , & Græca examines , non dicendum fuisse disces , *ea , quæ mulieribus accidunt* , *sed ea , quæ matribus* ; sed mulierem inscripsit interpres , vt posteriorem sententiam præoccuparet : *Peperisti tanquam mulier , non tamen vt mulier corrupta es.* Quæ Hesychij verba si premas , totam fœcunditatis œconomiam , totam virginitatis coronam applaudere disces Mariæ 19.

Zerda , Mariæ effigies. Mm 2 præ

præconiis, vbera, vterum, vuluam, lac, viscera, de quibus egerat, muliebria cuncta, tamen virginea: vt sicut Deo quidquid creaturarum perfectionis est, quolibet negato næuo, concordi amicitia connectitur; sic quidquid creaturæ fœmineæ, absque corruptionis verme, Virgini Matri credendum, quæ vt mulier peperit, non corrupta vt mulier.

20. Maria supra mulierem virgo est, supra puerperam illibata. Mulieris fertilitas nihil de integritate detraxit pro fœnore: integra mulier est, quæ non integrè, quæ mulieris sunt habuit; sed quod nobile scilicet partum; non quod sordidum, scilicet impudici vulneris consuetudinem. Enodemus Ambrosium in serm. de S. Ioanne Bapt. (Ambros.) *Habet ergo & huius natiuitas aliquid gloriæ atque miraculi. Quamuis enim vilior partus mulieris videatur esse, quam virginis: tamen sicut Mariam suspicimus, quod virgo pepererit; ita in Elizabeth miramur, quod anicula procreauerit.* Expende illud: *Quamuis enim vilior partus mulieris videatur esse, quam virginis.* Ergonè Virgo etiam dum parit, mulier non erit, ô Doctor grandis? Quomodo igitur Apostolorum enodabis, dum factum ex muliere Dominum pronuntiat? Sed pulchrè mulieris partum in prima parte apposuit, vt mulierem solam præsignaret; posteà virginem subdidit, vt virginem adderet ad mulierem, quasi vilis partus fœminæ, quæ mulier solùm est: ideò libata, ideò inquinamentis conspurcata virilibus. Cæterùm eius, quæ post mulierem virgo est, quæ post virginem mulier, in qua partus & virginitas obuiauerunt sibi, transcendentibusque dotibus sibi rependunt; nobilitas super astra sustollitur. In eo non lenis cogitationis lucremur fortunam. Cur vilem appellat partum mulieris Ambrosius, nobilem virginis? Censeo, quia vilis animi est, indolis vilis, quisquis dum dat, adimit; & in munere, quod præstat, peruia vicissitudine sibi rependit. Nobilis est, qui absque iactura donat, nec redonari cupit ex recipientis iniuria. Partus mulieris vilis est; quippe qui, dum prolem dat matri, integritatem aufert; dum sobolem procreat, pro pretio signacula frangit. Ditior fœmina, si sibi census virginitatis maneret, quàm si castitate venundatâ proles succedat. O quàm nobilis, quam generosus partus virginis! & fœtum tribuit absque fœnore corruptelæ, & puriorem redonat castitatem. Vis aliud? *Dominus de virgine gignitur, Ioannes de sterili procreatur.* Quid in primo partu felicius? Quòd quæ illibata peperit, immutata permansit, virgo pristina, virgo noua, virgo semper: quæ sterilis enixa est, licet in melius statum commutauit, perdidit antiquum; quippe iam non sterilis est, quæ prole coronatur. Ignobilitatis signum est vicissitudinis obumbratio, & quod fluidis successibus variegatur, nescit cum æternitate inire consortium. Nec longè à simili sensu Ambrosius in verbis suprà (Ambr.) discussis in eodem sermone de Sancto Ioanne Baptista. *Ioannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est: ille corruptibilis vteri finibus fusus est, iste impolluta vulua flore progenitus.* Virginem in partu à muliere in partu distinguit: non quia non mulier, quæ virgineè parit; sed quia quæ infracta, & puerpera est, supra mulierem virgo est, vtpote quæ impollutæ vuluæ flore genuisse dignoscatur. Vulua Mariæ, dum concipit, flos est; cùm flos ante conceptum decidat in muliere: vt noueris; quam consonè huic vuluæ flori Christus non tantùm succedat, sed accedat: cùm simul flos sit vterus, cùm fœtus in vtero fructus est. Vnde mulier est, quia cum fructu; virgo, quia fructus ille ex flore & cum flore fuit. Vtrumque Elizabeth à Spiritu sancto edocta coniunxit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui:* (Luc.1.) quasi ex fructu ventris clarescat virginitas, & ex mulierum benedictione innotescat fœcunditas.

21. Idipsum Angelus protulit: *Benedicta tu in mulieribus.* Sensit Bernardus cogitabundam hæsisse: (Ibi.) Qualis esset ista salutatio: perculit *Mulieris* vocabulum, matris notio perterruit, ab extraneaque prolis vmbra timuit, cui virginitas applaudebat in gremio. Commentatur vocem Angelus: *Concipies in vtero.* Virginis se obiicit pudor: *Quoniam virum non cognosco.* Sed qui inter mulieres benedixerat, quod nobile mulieribus est, nempe sobolem præsagiuit; quod miserum & maledictum, nempe illecebram & sectionem euenturam negauit. Qui benedixit, virginum & matrum bonum prædixit, integritatem & prolem. Sic melleus Abbas serm. de verb. Apoc. (Bernard.) *Fortè propterea primò turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio, quod benedictam sese audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat.* Et paucis interiectis: *Meritò proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit: vt longè gloriosior fiat & virginitas ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas.* Si forsan ideò signatè *Benedicta inter mulieres* dicitur? Sanè *inter* medium quoddam significat ab extremis, quidquid decoris est, hauriens. Mulier quidem est, & quæ mater, & quæ virgo, dum largiori acceptione sexum significat, non statum. Benedicta est inter matres & virgines: fœcunditas ab vno extremo, ab altero contigit virginitas. Virgo infœcunda, mater emollita & corrupta dimidiatum sortiuntur honorem: hæc partus fortunam floris obturpatione contristat; illa lilij candorem sterilitatis spinâ compungit. Maria inter vtramque lapis angularis est, ab vnoquoque, quidquid decoris est, participans. Sic decuit Mediatoris Matrem & medium esse, & mediatricem. Sic oportuit similitudinis commercium inter Matrem & Filium interesse, quippe ille lapis angularis est Iob. 38. in (Iob.38.) quo Diuinitas & humanitas quasi duplex paries stabilitè fulcitur. Totum ingenium est Richardi à (Richardi S.Laurent.) S. Laurentio. Ne tædeat eius auscultare verba: sic lib.1. de laudibus Virgin. *Benedicta in mulieribus, id est, in matribus emollitis, & in virginibus infœcundis, vel inter matres & virgines. Sicut enim lapis angularis in duobus consistit parietibus, & inter duos parietes, nec totus in vno, nec totus in altero; sic Maria in numero matrum est quoad fœcunditatem, & in numero virginum quoad incorruptionem: sed nec omnino in pariete matrum, quia est incorrupta; nec ex toto in pariete virginum, quia est fœcunda. Talem quippe decebat esse Matrem Saluatoris, vt mediatrix mediatorem, lapis angularis lapidem pareret angularem.* Quid pulchrius? Quid pro sacra similitudine honoratius? O quam innoxia Mater! O quam firma, quæ nullo indiget fulcimento; sed ipsa potiùs fulcrum est, stabileque firmamentum, in quo tota Incarnationis superstruitur moles! Lapis angularis lapidem peperit angularem, vtrobique medium extremorum participans naturas. Sed qualis fuit lapis angularis Filius? Nempe qua Diuinitas & humanitas in vna persona coaluerunt, & qui totus homo, totusque Deus; tamen non totum, quod est, humanitas, seu Diuinitas est.

Lapis hic angularis ab angulari lapide, tanquam à monte sine manibus præcisus, qualem, rogo, similitudinem hausit à Matre? Sanè quia Mater, Virgo & Mater est, & vtriusque extremi perfectionis partici pium: Filius, homo & Deus est: igitur virginitas Deitati respondet, humanitati Maternitas. O quàm virginei decoris inconcussa sublimitas! Pergit Richar. *Christus mediator Dei & hominum lapis est angularis, in quem duæ concurrunt naturæ, diuina & humana, stans in vtroque pariete, quem de Matre virgine nasci decuit, vt in Matre mortali conciperetur mortalis, & in virgine conciperetur iustus.* Sic ille. Rich.

22. Si Prophetarum oracula explores, quæ Mariam prædicebant, sciscitari non pigebit, cur diuerso stylo iam virgo nuncupetur, iam mulier à Vatibus, quos vnus spiritus imbuebat? Isaias: *Ecce virgo concipiet.* Hieremias: *Mulier circumdabit virum.* Tam amplum est Marianæ excellentiæ regnum, vt opus fuisset ad eam computandam, canendamque, prouincias sibi distinguere Prophetas; & vt totum à pluribus præstaretur, signatam assumere vnumquemque portionem. Alter virginem, alter matrem protulit; & dum secernere intendebant elogia, ipsimet innato pondere conueniebant in vnum: nec virginitas pôtuit absque Maternitate, nec Maternitas absque virginitate proferri; alterutrius perfectio traxit alterutram: nec potuit dissecare calamus, quę suprema nobilitas transcendentibus dotibus vniebat. Nonnè vides; Qui virginem enuntiauit, concipientem prędixit. Qui mulierem præsagiuit, nempe matrem, ex nouitate, & integro vteri circuitu, prodidit illibatam. Paschasius lib. 2. in Matth. *Notandum, quam Hieremias mulierem appellat, Esaias vt mirabilius illud enuntiaret, virginem designauit. Ille siquidem mulierem, vt sexum monstraret, & ostendit, & præmisit; nouum, vt virginem explanaret. Iste vero, vt incredulos mulceret ad finem, manifestius pariturам pro miraculo virginem præsignauit.* Ea attributorum Dei indoles est: auelli nesciunt, quin totum secum trahant. Intra misericordiæ viscera, simplicis perfectionis vnitate, latet iustitia: attributum; quod explicas, cætera complicat, etsi taceas. Maria non mulier, quin virgo; non virgo, quin mulier est, id est, Mater: fœcunda virginitas conciliat vtrumque. Albert. Magn. in Marial. pag. 9. *Prophetiæ, quæ de persona beatissimæ Virginis loquuntur, ipsam appellant modò virginem, modò mulierem. Isaias: Ecce virgo concipiet. Hieremias Mulier circundabit virum, ad signandum videlicet, quòd habitura fuerit, & virginis integritatem, & mulieris fœcunditatem.* Sed virginitas sustulit vexillum, quæ mulierem, id est, Matrem effecit. Quare nomen dedit, nec aliqua passa est coarctari dictione. Et quidem Maria quædam mulier sub figura nuncupatur, cæterùm Virgo absque additamento, vt eius amplitudo monstretur. Pergit Albertus: *Ideò sub nota singularitatis, quoniam figuratur vt quoddam castellum, & quædam mulier: sed quia ista virginitatem sola verè in summo habuit, ideò Virgo sine additione antonomasticè nominatur.*

Isai. 7. 14. Hierem. 31. 22. Pasch. Albert. Magn. Idem.

23. Cur autem à filio non virgo, sed mulier nũcupata est? Si mulier matrem significat, vocabat ex nomine, omnemque Mariæ compendio significatum edebat. Quid beatius, quam à beato ventre vocari? In Maria super Angelos sublimi non aliud videbatur esse mulicbre, nisi peperisse. Et quia gloria eius à partu, nobiliori stemmate insigniri nequiuit, quam appellatione mulieris. Christus non alio vocabulo nisi *Patris* cœlestem vocabat genitorem: quid quòd non alio, nisi *Matris* nuncupet genitricem; & quia *Matris* tenera vox, pusionisque est, non viri, sub sacro mulieris ænigmate *Matrem* dicebat, quam partus mulierem declarauit? Fruamur S. Gaudentio serm. 9. *Hoc totum pro Beatitudine Mariæ dixerim, cùm illam Christus mulierem nuncupauerit, quæ diuino partu sic cœpit esse Mater, vt Virgo sacratior permaneret.* Filius Paternæ gloriæ, & Beatitudinis splendor est. Cur splendor? Quia splendere, & clarescere præstat flammeum Deitatis latibulum, igneaque caligine cinctam Paternæ dignitatis substantiam, hominibusque enarrauit, vt à compendiosa Patris definitione, quæ Filius est, in eius cognitionem irent. Cùm autem gloria, & beatitudo Dei in perfecta sui cognitione sit, per quam Pater Filium progignit; inde est quòd cum gloriæ sit splendor, Patrem enuntiat; gloriamque, qua gignitur, manifestat. Ergonè idipsum perhibet de Maria Gaudentius, videlicet pro beatitudine Mariæ, à Filio vocari mulierem? Benè quidem: nam subdit: *Quæ diuino partu sic cœpit esse Mater, vt virgo sacratior permaneret:* hoc est, in mulieris voce Matris fœcunditas insonat; quæ cum virginitate coniuncta ostendebat partum esse diuinum: sicenim concipitur à Patre, virgine nempe & fœcundo. Quare in muliere, id est, Matre, sicut in Patris nomenclatura vtriusq; panditur Beatitudo. En in mulieris vocabulo vtriusque generationis retegitur sacramentum ob virginitatem fœcundam. Prodest Bonauentura in opusculis tit. 10. de gloria paradisi c. 6. *Quid mihi & tibi, mulier? Quasi diceret: Mihi est Diuinitas & humanitas, & tibi est virginitas, & fœcunditas. Mihi Diuinitas, & humanitas, quia Deus sum, & homo, & tibi virginitas, & fœcunditas, quia Mater es, & virgo. Mihi Diuinitas ex virgine Patre, & humanitas ex virgine Matre: tibi virginitas sine labe, & fœ cunditas sine semine.* S. Gaudent. Bonauent.

Igitur, qua Mater est, mulier nũcupatur, aliquatà mulieris dictione; vt solùm nobilis fœcunditas maneat: quoniam mater non est, nec fertilitate potens, nisi vt Filium gignat diuinum: nec alij partui se fassa est mulierem quia alterius prolis virginitate iudice, mater esse non potuit. Nõ facilis August. sensus est tom. 9. tract. 10. in Ioann. *Vnde fratres Domini? Num enim Maria iterum peperit? Absit. Inde cœpit dignitas virginum. Illa fœmina Mater esse potuit, mulier esse non potuit. Dicta est autem mulier secundum fœmineum sexum, non verò secundum corruptionem integritatis.* Si ex adhuc discussis apparet, quòd Maria mulier dicitur, quià Mater est, muliebri fœcunditate traxit dictionem: quid est, quod Augustinus distinguat: *Mater esse potuit, mulier esse non potuit?* Probè quidem: nam potiùs negat alios peperisse filios, quià mulier esse non potuit: ac proinde nec filiorum mater: cùm tamen dicat, *Mater esse potuit.* Ingeniũ est. Maria ex fœmineæ virginitatis celsitudine solùm mulieris perfert indicia in eo, quòd vterum gestauit, quòd taxatis mẽsibus peperit, & de materna vulua enixa est: attamẽ quia inuiolata, nullisq; mulieribus vexationibus acta: solius fœcũditatis decus, quà mulier, habuit, ideoq; solũ Mater esse potuit totũ autẽ, quod mulier est, dũ genitrix, dum puerpera, esse nõ potuit: neq; à rosei floris honore decidere: in quod tamẽ incurreret, si alios filios peperisset. Quæ mẽs August. est. Venustè explanat Ildephons. ser. 1. de Natiuit. Virg. *Virgo ante partũ, virgo* 42. August. Ildeph.

virgo in partu, virgo post partum. Concepit, & virgo est; generat, & virgo est; lactat, & virgo est. Mater quippe esse potuit B. Maria, mulier esse non potuit. Vterus, puerperium, & vbera, quæ mulieris sunt, virginis fuere: onus vteri, puerperij cruciatus lac ab illecebra elaboratum Virgini defuere: habuit quidquid matris, non quidquid mulieris: quia mulier peperit, non quà mulier. Sic capies S.Ephr. S. Ephr. de margarit. pretiosa: *Vt illius, qui in ipsa erat, Virgo instar cochleæ naturaliter peperit, & vt mulier affecta est; nulla tamen ratione rursus, natura sicut conchyliorum plicis, ac sinibus vsu venit, ad virginalem statum recurrente.* Quid sit *naturaliter peperit*, suprà docuimus. Nec segniter, & oscitanter cætera verba legas, quæ non tardum stimulum figunt. Quid est enim, quod ad virginalem statum post partum natura recurrerit, quasi in partu deflexerit, nusquamque rursus, vt mulier affecta sit? Procul sit hoc probrum ab Ephræm, vt putauerit nuptialem passionem, afflictionemve, quæ mulieres angit in puerperio, integram dum puerperum, vulnerauisse Mariam. Imò mens est: edito Dominico pignore, non habuit amplius Maria, quo mulier diceretur, eo explicatu, quo partus signatur; non vltrà affectionem habuit mulieris, aliam sobolem pariendo, quæ solius Mater extitit Saluatoris. Recurrit virginalis status ad pristinam semitam, in qua nulla solet fœcunditas impinguari, pullulare germina, & ab inculto cespite fructus se prodere. Nudè virgo mansit, non vlteriore ad sobolem vbertate.

25. Mulier igitur, cùm de Maria profertur, fœcunditatem explicat, vterumque feracem. Id lu- Athan. cem præstat Athanasio dialog. 4. de Sancta Trinit. *Deus Sermo, vbi vnitus est animæ & corpori, genitus est Deus, & homo per mulierem. Atqui ex muliere scriptum est: Ex muliere secundùm carnem; per mulierem secundùm spiritum.* Difficilis quidem orthodoxi insinuatio. Christus etenim ex Maria natus, non per Mariam perhibetur; ne, sicut latex per tubum peruio tramite, fluidoque gressu suffunditur, absque eo quòd tubus vena sit, iugisque scaturigo; sic Christus non originem, sed semitam Origen. debeat Matri. Id Theologicè præcauet Origenes dialogo de recta in Deum fide, vbi hæreticus sic: *Nos quoque fatemur eum natum esse per Mariam sed non ex Maria. Vt enim aqua per tubum transit, nec quidquam assumit, sic Verbum per Mariam natum est non ex Maria.* Vapulat iure hæreticus, cum Angelus dixerit: *Quod nascetur ex te.* Quomodò igitur apud Athanasium: *Ex muliere secundùm carnem, per mulierem secundum spiritum?* Alibi hunc locum seduliori oleo elaboro. Sat sit pro voce mulieris nunc expendere. Voluit mulierem ostendere, sed virginem; cum partu, sed cum castitate; matrem hominis, sed Dei: & ideò, quia mulier efficientiam ex carne, cognationemque ex vulua prætendit; & non Diuinitas, sed humanitas ex Maria genita est; Verbum Dei non ita ex muliere natum est, vt Diuinitas eius gigneretur, sed genita est ex muliere caro; Spiritus autem, id est, Deitas non ex muliere, id est, ex genitura; sed per mulierem, id est, ex qua mulier illa illum hominem, qui Deus est, peperit, nasci dignoscitur.

26. Aliud non iniucundum subiicio. Forsan à similitudine Filij Virgo nostra *Mulier* appellitatur, vt tandem credideris, vocabulum istud eius præconiis famulari. Mulier dicitur: quæ pubertatis annos egressa, maturam tetigit stationem ætatis, sicut vir, cui iam non aurea lanugo, nec ephebi viror os exhilarat, sed iuuentutis tempus excessit, quamuis & onus ignoret iugale, & mariti nesciat officia. *Vir oriens ex alto* Filius Virginis est, etiam dum tenellus pusio, etiam dum in vtero Matris, vnius diei infans. Quidni quod *Mulier* dictitetur Mater quæ virum parturiuit, nec lasciuientis iuuentæ senserit ignes, nec stolidæ infantiæ nouerit crepundia? Ideò igitur *Mulier*, quia virgo matura: ideò *Mulier*, quia Mater viri est. Præclarè Origenes hoc ibidem negotium versans, Origen. in Leuit. homil. 8. *Est porrò & ætatis istud vocabulum, eius scilicet, qua fœminino sexui de annis pubertatis exceditur, & ad id tempus, quo habilis viro videatur esse transitus. Sicut & è contrario vir appellatur is, qui adolescentia tempus excesserit, etiamsi vxorem nondum habeat, cuius vir esse dicatur, quem fœminea admistionis macula nulla perstringit. Quomodo non eadem consequentia etiam Virgo quæ intemerata permansit, pro sola ætatis maturitate mulier nominetur?* Ad quid hæc, nisi vt noueris adsonam Matris & Filij etiam in vocibus cantilenam, vt si ille *Vir*, illa *Mulier* nuncupetur? Quod Hieron. vtrumque concinnè copulauit Hieremias 31. *Mulier circundabit virum.* An inurbanus, minúsque comptus vocitauit *Mulierem*, quæ puella venusta in vtero concepit ab aure? Sed si prolem *virum* dixit, Mater illi de vocabulo gratuletur, cùm in breui periodo & mulierem protulerit & virginem; siquidem circundare in vtero virum nequiret, si Filium à viro suscepisset, cùm non totum materna potestate circuiret, si maritum nosceret generantem. Id scitè Bernard. serm. 3. in Purificat. Bernard. *Mulier*, inquit, *circundabit virum. Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem; sed intra viscera intacta & integra virum claudet.* Ecce virginitas in viri circuitu pangitur à Propheta. Integra Mulier circuit, quia integrum possidet virum absque viro conceptum.

Maria Mulier, & Homo *dicitur vniuersitatis vocabulis. Quo ingenio? Christus pro glorioso stemmate Filius hominis.*

Sectio IV.

Licet, quę adhuc discussimus, Apostoli stylum, quo Mariam appellat mulierem, luculenter commendent, & comant; attamen, si verum fatear, innata mens Pauli eò fertur, vt absque spe tergiuersationis hæreticæ vera humanitas ex vera muliere decerpta asseratur in Christo; quam sexus prodat, quam natura confirmet. Absque verborum copiis compendio sacramentũ arctauit, laxiori sententia, quàm dictione. Deitatis & humanitatis nexum explicuit. Si Deus à se misit Filium suum, vt explicuimus; ex sinu, vteriq; satis latebris, intra quas quidquid est, Deus est: si misit, non dimisit. Si ex muliere factus, inhumanè homo de eius humanitate luctabitur: quæque sapiunt genus; nec ab homine gignitur, nisi homo. Ergo enixè Mariam esse mulierem edocet Paulus, vt de Christi humanitate nulla sit in posterum disceptatio. Delegit vocabulum, quod Mariæ celsitudini obsequeretur, & mysterij veritati inseruiret. 27.

Et

18. Et quidem eò Mariæ sublimitas nobilibus attributis euecta est, vt, ne ab humana putaretur absolui naturâ,& à creaturæ pusillitate eximi, mulieris opus fuerit deprimi voce: vt homo subleuaretur deiectâ ad hominum contribulem statum Mariâ. Quid quòd Apostolo cura suadendi humanam, si & ipsi Filio, ne Paterna stemmata eum Maternis confunderentur glebis; Quoties vocat, silet Matrem, explicat mulierem; ne ex virginitate fœcunda Deitatis illi ambitiosum intruderetur obsequium. Bene Epiph.lib.3.panar.hæres.79. *Reuerâ virgo erat ipsa, virgo & honorata, sed non ad adorationem (id est, latriam) nobis data; sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est, de cœlis verò ex sinibus Paternis excessit. Et propterea Euangelium munit nos dicens, quòd ipse dominus dixerit: Quid mibi, & tibi est mulier? Quò non putarent aliqui magis eximiam esse Sanctam Virginem, mulierem eam appellauit.* En finus Paternos cum Maternis finibus composuit, tersitque oculos suspicientium, vt finus decernerent, ne eluderentur in signo, quale excellentia Virginis exhibet, & illam, nisi constantibus, fideque moderatis palpebris spectent, intra Deitatis collocent fastigium. Hæc maior Mariæ beatitudo est. Mulieris vocabulum, dum eam à Diuinitatis diluit suspicione, eius clariori gloriæ ancillatur; quippe quod indicet fœminea voce opus fuisse, primigeniæque massę memoria, ne Virgineæ fœcunditatis sanctitas occasionem præstitisset erroris. Voci debes: & arcet à piaculo, & Virgini obsequitur. Quò traherem, quòd suprà dedimus ex Gaudentio serm. 9. *Hoc totum pro beatitudine Mariæ dixerim, cùm illam Christus mulierem nuncupauerit.*

Epiph.

Gaud.

19. Imò mulier nuncupatur Maria communi notione, & ex communi censu mutuatâ, vt quæ Virgo singularis erat, pro communi humana natura Mater delecta quasi omnem sibi hominum vindicaret speciem, totamque communitate mysterij contineret naturam. Non effertur nisi vniuersali vocabulo, ne curtis putetur arctari cancellis, taxatisque officiis inseruire, quam pro natura, naturæ opifex in totius naturæ leuamen eduxit. Ideò Filius *Mulierem* appellat, quem Apostolus factum ex muliere Sic acciperem Isidorum Pelus. in Epistol.ad Isidor.Diacon. *Quid ais, Paule? Virginem mulierem appellas? Ita, inquit, mulierem ob naturam appello, virginem autem mente teneo Mulier enim est Virgo etiamsi alioqui à virili contactu aliena sit: mulier ob speciem & effictionem, virgo propter integritatem & puritatem.* Quæ, si placet; ne decidat humiliter Pelusiotæ sensus, eam mentem ferunt: Ob totam naturam *Mulier* appellatur Maria quasi ardua speciē ad se trahat; ideò mulier ob effictionem, cùm tamen effictio solùm Primigeniæ, vtpote ex osse contigerit. Sed quæ instaurandæ naturæ à Filio formata sud noua creatura, nouum figmētum aduenit; *efficta* venustè dicitur, vt in natura teneat principatum, à qua totius generis fons non vitiatis laticibus emanauit, Angelus inter mulieres protulit benedictam: curta laudatio, cui & inter homines sua benedictionis manet nobilitas. Sed qui *inter mulieres* dixit, non solum in gynæceo computauit: nec fœminæ tantùm claritudine excellere sensit, sed inter naturæ semina, generationisque fontes, à quibus homines procedunt, innuit sublimem. Chrysolog. serm. 142. *Hæc cùm dicit, & ipse Angelus miratur, non fœminas tantùm, sed omnes homines vitam meruisse per fœminam.*

Pelus.

Luc. 1.

Chrys.

Non sat hæc. Eleuatior, & abstractior Mariæ competit notio. Quæ generi nata, totius generis emblema est. Non amat auarum sexus stylum natura in Mariæ nomine. Hominem vocat, quæ fœmina est. Profectò non absonè occurrit vestigatio cur Seruator noster *Filius hominis* nuncupetur: & quidem, si obserues, non ab aliis, sed à semet pluries. Dixēre plures plura: non vocat excutere; sat erit pro nostrâ Virgine venustam discutere rationem, quæ plurimum interest naturæ, gratiam commendat. Qui hominem induit, vt homini mederetur: ne aliquem exciperet, sed vniuersos cepisse videretur, non signatè alicuius, sed hominis in communi filium amat vocari; non abstractione logicâ, sed physicâ opitulatione. Homo in Primigenio perierat; virus ab vno viro, generis origine, natura sparsim infecerat; venit sub ratione hominis homo Deus; & quia non sibi, sed homini, homo hominis nuncupatur, hominis filius; vtpote ob totam naturā denuò genitus. Ast ex singulari fœmina nascitur; cæterùm virgine. Eâ ars Sacramento proficua. Quod virgo parit, nullius potuit sub taxato segregari dominio; deest pater, matri potestas non est; vniuersitas erit, quod nullo serente colono, ex communi cœlo virginea gleba produxit. Tritum est illud Chrysol. ser. 142. cur non addiderit Angelus *tibi*, nec *tuum* cùm dixit: *Concipies, & paries filium*, Ait: *Non dixit, tibi, non dixit, tuum. Monita ergo per Angelum Virgo, ne præsumas hunc vocare filium tuum, sed mox vt genueris, inuoca Saluatorem; quia virginitas non parit sibi filium: sed parit pignus auctoris.* Quid est pignus auctoris? Supernus Pater Auctor dicitur, cùm Vnigenitum gignit. Eusebius Cæsar, de demonstr. Euang. lib. 4. cap. 2. *Perfectus, ac primus tanquam Pater, & qui auctor sit, vt Filius consistat.* Annè Filius, quia Auctoris est, non sui iuris, sed alieni est? Imò ex generatione intellectus virgine nascitur, vt auctoris imago: nec vlla ei contumelia, sed æqualitas. Nescit gignentis puritas deprimere sobolem; exprimere potiùs omnem sui opulentiam assuescit in illa. Hilar. l. 9. de Trin. prope med. *Cum innascibilis Deus ad perfectā diuinæ beatitudinis natiuitatem Vnigenito Deo Auctor sit Auctorem natiuitatis esse, Sacramentum Paternum est. Caterùm non habet contumeliam, qui se Auctoris sui esse imaginem genuinâ natiuitate consumat.* Probè. Qui per intellectum innascitur, viuida imagò gignentis est, nulla sorde perstricta, & obducta omnem eius communem exprimens maiestatem. Ideò communis Deitas in Filio est. Ergo iam Chrysologus: *Virginitas non sibi parit Filium; sed parit pignus Auctoris.* Ac si diceret: Hoc Virginis puerperium pignus est Deitatis Filij, qui, dum à Patre virgineè generatur, & Patris est, quà Filius; & tamen totum sui est, totique Trinitati commune quod, præter esse Filium, est. Itaque hoc ingenio non negat Chrysologus Filium esse Mariæ: imò, quà Filius, Virginis est, edocet totius naturæ esse communem, hominibus nasci hominibus mori; qui si non esset homo non liberaretur homo. 30.

Chrys.

Eus. Cæs.

Hilar.

Aptissima huic instituto Maria fuit, quæ ex hominibus non in aliud assumpta, quàm vt Filius hominis nasceretur: vt qui pro vtroque sexu Seruator veniebat, illam sibi deligeret genitricem, quam virginitas, in qua sexus non est, quasi à sexu dirimebat; non quia verè non fœmina, sed quia supra fœminam Virgo. Quamobrē censerem quod Maria homo nuncupatur, vt acceptis firmabimus 31.

 Patri.

Patribus. An quia vox *hominis* etiam fœminam
Clemens. Alex. continet? Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. *Viris ita-*
que & mulieribus commune nomen homo est. Ea ratio-
ne mihi videntur Attici [illegible] *communiter non*
solùm masculum, sed etiam fœminam vocasse. Certè
sic cecinit Virgil. 1. Æneid.

Virgil. *O quam te memorem, virgo? Namque haud tibi*
vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; ô Dea certè.

Attamen signatissimâ causâ censeo *Filium hominis* vocari Christum, quà filius Virginis est, ex virginitatis insigni, quod nomenclatura præfert. Si petis rationem; præstabo. Profectò *homo* idem, quod Adam est: vtrumque ab *humo*. Dum recens Adam è manibus erupit opificis, constans suo latere, absque fœmineo latere fuit: totus virgo, quia solus; nondum virginitatis potuit impendere calamitas. Effictа ex portione mulier nomen cum osse mutuauit: vtrique nomen Adam, quia vnius erat, & ex vno duo; cùm materiâ dissecuit & nomen. Masculus & fœmina Adam est; sed nomine virgineo, quale absque fœmina habuit mas. Hoc vtrique nomen à Deo, quia vni. Nomen sexui imposuit, qui sexu ad sobolem procreandam indiguit, primigenius. Grandis emphasis est Genes. 5.
Gen. 5. 1. *Hic est liber generationis Adam. In die qua creauit Deus hominem, masculum & fœminam creauit eos, & vocauit nomen eorum Adam, in die, qua creati sunt.* En quale nomen à Domino. Aliud nomen imposuit vir, cùm se virum nouit ex nuptiis; reliquias sui *virginem* appellauit. Diuiso sexu, diuisum est, & nomen. Igitur *homo* virginis notio fuit: non enim fœmina Adam, nisi quà in Adam ante fœminæ ædificium erat, & cum costa traxit vocabulum. Puta, nec excidium ob fœminam timens natura, hominis nomine gauisa est. Ergo, vt hominem sanet, ad naturæque puritatem reducat, Dei Filius homo factus est. Cur itaque *Filius hominis* dicitur? Quia ex Virgine, qualis ante piaculum albicabat natura innocentiæ nitore. Flos, & candor primigeniæ humanitatis erat, quam nec serpentis cauda contriuerat, nec lingua pupugerat, nec thalamus inquinauerat. Ideò Maria homo ex recapitulatione priorum, vt homo esset similis homini primigenio dum in innocentiæ albis ambulabat. Forsan ideò Ioannes Can-
Ioan. Cantac. tacuzen. apolog. 3. *Credimus & confitemur, quòd Maria similis homo nec natus sit, nec posthac ex viro: & muliere nasciturus vsque ad consummationem sæculi. Et secundùm humanam quidem naturam eam Angelis inferiorem esse iudicamus tanquam hominem; honore autem, & sanctimoniâ ipsam omnibus Angelis indubiè præferimus.* Ergo Mariæ similis homo, qui non natus? Similisnè, Adam? Pulchrè, quia Mariam hominem nuncupauit, cum sancto pristini hominis statu componi non detrectat, vt in eam nulla irrepsisse vitia conuincat, quæ post diuisionem sexus naturam hominis infecêre.

32. Filij hominis nomine quasi nobilissimo stemmate Filius Dei delectatur: tam procul abest detrimento esse ingenuæ Diuinitatis statui. Ergonè, limus extollit Deum? Ab exordio Deus manus illeuerat in limo virgineo, quem nulla vitiauerat sordes, nullus impudicæ turpitudinis luxus diluerat, contrectauerat, effinxerat; nec ignobilior euasit, qui figulum egit. Nouit per hominis figmentum non ab statu cadere, sed clarere. Nescit humus virginea opificem hominis maculare. Cũ primùm homo fit, decus erat auctoris; quod postеà detraxit illecebra. Ergo Filius Dei quasi pristini honoris cupidus, se amat Filiũ hominis credi: ingeminat nomen, vt ex homine virgine, ex virginea humo se prodat effictum; inde honorem sibi decantans quòd deiectior portio hominis est. Hieronymus hoc pondus habet discutiens illa
verba Matth. 1. *Quem dicunt homines esse Filium* Hieron.
hominis? Vbi quærit, cur non sciscitatus est signatè de se? Humilitati tribuit, ne iactãter de se quærere putaretur. *Non enim dixit: Quem me esse dicunt homines? sed quem dicunt esse homines? Ne iactanter de se quærere videretur. Et nota, quòd vbicumque in vetere Testamento scriptum est, Filius hominis, in Hebræo positum est, Filius Adam:* Præclara iactatio: si se Filium hominis nuncuparet, dicens: Quem me Filium hominis esse dicunt homines? Deumnè potuit humus subleuare, quem amor traxit ad ima, dum illum glebis circuit humanis: &, sie non cadere, descẽdere fecit; nec enim diffident: *Descendit de cælis,* ab illis *& homo factus est?* Qualis ergo insolescentis animi suspicio potuit suboriri, si diceret se esse Filium hominis, de quo quærebat? Quid pro Mariæ nobilitate dignius? Homo est, quà in innocentiæ statu diues opum cœlestium gradiebatur homo, quà virginitatis flore candidus, candidatus Deitatis: ad illum statum reducere satagit Filius Dei. Gloria fuit illi ex Virgine nasci, & sic hominis Filiũ nuncupari; nẽpe Mariæ, quæ Adamum innocentẽ referebat.

Quare obseruat Hieronymus, quòd Hebraicè 33.
pro Filio hominis Filius Adam est. Hoc splendore claret Filius Dei; Filius hominis, dum Filius Virginis est. Nõ sic cætera humana soboles. Quisque non hominis, sed hominum filius dicitur: qui nec est, quem duorum genuit coniunctio; nec potuit ab homine nasci, quin ab hominibus, si semel & fœmina vocetur homo. Qui se filium hominis liberâ fronte prædicabat, virgineum sub ænigmate euulgauit conceptũ, cui Virgo desuper perplura pro gemino parente fuit; illumque edidit hominem, quem virginitas, & manus Domini effin-
xit. Ansel. in epist. 1. ad Hebr. c. 2. *Omnes enim alij* Anselm.
sunt filij hominum, quia originem habent ex coniunctione duorum: sed Christus filius est solius hominis, quia sine carnali Patre natus est de Virgine. Et ideò magnum quid, & incomparabile est apud Deum. Vide quid conspicuum traxerit è Matre, quid generosi nominis è stirpe virginea; etiam apud Deum Deus ipse emicat clarus, satus hominis sanguine, qui Dei Vnigenitus est: quia sanguis ille totus ex Maria fuit, nec alterius hominis infectus consortio. Ideò apud Deum magnus, iudice Anselmo, quia filius hominis est, vbi Verbum erat apud Deum: quoniam à Paterna magnitudine non desciuerat, qui Verbi pudicam generationem ex vno homine genitus, nempe ex Virgine, non turpauit. Subri-
det Irenæus lib. 3. aduersùs hæreses: *Hic igitur Fi-* Iren.
lius Dei Dominus noster existens Verbum Patris, & Filius hominis: quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ & ipsa erat homo habuit secundùm hominem generationem, factus est Filius hominis. En iunxit illud: *Verbum Patris, & Filius hominis.*

Imò aduersùs inficiantes Deum in homine sub- 34.
stitisse, Deitatemque sacrilega manu à Christo Domino amputantes, artificioso argumento dimicabis, obiiciendo, quòd Maria homo est, ex qua
ille natus. Athanasius dialog. 5. de S. Trinit. col. 4. Athan.
arguit hæreticus: *Nulli homini conuenit nomen, quod est super omne nomen; & gloria, quæ solius*
est

est Dei: at Christo conuenit: non est igitur homo Christus. Orthodoxè insilit Athanasius: *Hoc quoque dixeris de Virgine Maria: Nulli hominum conuenit, vt virgo sit, & pariat: Maria ergo virgo cùm esset, peperit: Maria igitur non est homo.* Attendistinè ad Deitatem Filij arguendam, à Maria fieri gradum, dum homo concluditur, vt Filius eius Deus euincatur? Id potuit Matris virginitas: quæ, dum supra hominem collocat, absolutè hominem esse probat, nulla ab indiuiduorum contagione adhærēte. Quin (vt supra dicebamus) opus est Mariam fuisse hominem præmonere, quàm nobilitas singularis, eximiaque sanctitas supra hominem statuebat, vt mysterium duarum naturarum in Christo prædicetur. Adest Athanasius in Synopsi Sacr. Script. lib. 16. Cant. Cantic. col. 2. Idem. *Carnem enim sibi, tanquam Creator, ex sola Virgine assumpsit; attamen ex homine: homo enim fuit genitrix Dei Maria.* Otiaturnè calamus in re nota? Neutiquam. Præcauet ab altioris naturæ suspicione, ne in lumine virgineæ dignitatis ignarus oculus caliget. Ita supra hominem est ex sanctitatis incremento, vt ipsemet Athanasius, qui seriò hominem esse prædocuit, non simpliciter hominem fuisse, insolitā dictione protulerit. Audi dialog. 4. de Trinit. col. 2. *Deus, cùm vellet conspici, vniuit sibi corpus; neque quod quidem prius extiterit, postea verò virtute vnitum fuerit: neque simpliciter ex homine Maria, sed ipsa prius sanctificata, vt Deus sermo desumptam ex ea humanitatem tum demum participans, & sibi ipsi œconomicè vniens corpus animatum, vnus, & idem esset Deus, & homo.* Habes plura, quæ mentem inuitant. Vt esset Deus & homo, Maria homo est, singularitateque styli homo vocatur, vt non solùm naturam, sed & vocem cum Filio haberet communem. Si enim *fæmina*, vt cæteræ solùm appellaretur, non sibi cum Filio etiam in nomenclaturæ syllabis appareret communio.

35. Quid est autem, quòd quia prius sanctificata fuit Maria, in ea verba iuerit Athanasius: *Neque simpliciter ex homine Maria*; quasi ex simplicitate naturæ extraxerit eam sublimitas sanctitatis? Vt Deo sermoni apta genitrix crederetur, nec à sarcina humanitatis subacta, hominem quidem fuisse fatetur Athanasius in natura, sed supra hominem in gratia. Aliàs maius Marianæ claritatis fastigium est, quòd cùm purè esset homo, ad Dei solium prærogatiuarum se euexerit excellentiis. Ideò nouiter, & venustè *pura homo* dicitur apud Bedam Beda. libr. 1. in Marcum cap. 3. *Beata itaque Virgini, quia quasi pura homo, omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter capere nequibat, virtus Altissimi obumbrauit.* Et nostra natura sub vniuersitatis amplitudine celebratur in Virgine: & tamen vt Filium Dei concipiat, ab Altissimi inuaditur virtute, vt quæ pura homo; non simpliciter, quà tantū homo; sed quà cœlitùs nobilitata, & ad Deitatis participium euecta, Dei genitrix fieret. Quare in eodem sensu conueniunt Athanasius & Beda, licèt diuersa phrasis videatur. Adest Bernard. ser. Bernard. de Aquæd. *Aduocatum habere vis, & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim: Exaudietur & ipsa pro reuerentia sua.* Obserua rationem. Quia pura humanitas in Virgine est, pro reuerentia sua exauditur à Filio. Quod à gradu deturbare videbatur, nobilitat: grandescit ab humo, quam purè humanam Deus reuere- tur. Nam sublimitas gloriæ fuit, tot in pura homine, Deitatis inclaruisse attributa. Crescit claritudo in Virgine, quæ eiusdem naturæ nobiscum, & alterius est gloriæ.

Quid quòd Filius Dei pro sua reuerentia vocetur *Filius hominis*, nempe Mariæ, quæ quà homo solùm habuit, quidquid puri hominis erat, qualiter Deus condidit ab initio absque adulterinis contagiis, sordidisque vitiosæ adhæsionis colluuionibus, quæ ab extraneo peccato turpiter homini accesserunt? Ideò homo dicitur, quia solùm homo: colliquata hominum natura mansit in Virgine. Meministi videntem Danielem c. 7. vers. 13. *Aspiciebam, & ecce cum nubibus cœli quasi Filium hominis.* Cur similitudinis nota adhibetur, & vbi veritas fuit, veritatis notatur simulachrum? An quia & supra hominem, qui verè homo? Sanè quia ex Maria Virgine Filius hominis, & supra hominem est, cui natura non communem generationis semitam constrauit, sed quem accepit hominem, non dedit ex virili semine conceptum: Id obseruauit Iustinus dialogo cum Tryphone. Deitatis generoso splendori Maria proficua est. Quantumuis se Deus demittat, & in deiecta hominis materia deturbet; formam hominis exhibet; aliquid supra hominem habere ipsamet humanitas, vtpote ex Virgine compacta, demonstrat, in quo plus quàm homo videtur, etiamsi cætera sit homo. Cui cogitatui arridet Dionysius Areopagita alibi datus. 36. Dan. 7. 13. Iustin. Areop.

Non potuit aptiori dialecto Incarnationis retegi Sacramentum. Opportuna doctrina est, quæ in ipso homine exhibetur; disciplina felix, quæ audito nomine tenetur. Auribus passim indere studebat Filius Dei incarnati Verbi mysterium: impellebat amor, quod semel fecit, repetere pluries. Non aptior vox, quàm *Filius hominis*, vt totum panderet, quod patrauerat. Augustinus lib. 2. de consens. Euangelist. *Ipso nomine singulare Incarnationis beneficium declarasse.* In quone? An quia naturam humanam sic innuebat distinguere à diuina? Sensit id Augustinus ipsa epist. 174. Profectò mediator, præclarè duarum naturarum in Christo proprietatem ostendi, vt homo, & Deus, imò Filius hominis, & Filius Dei singulari hypostasis notione monstretur. Si filius vnius hominis est absque homine patre, cur non & Filius Dei absque alterius coniugis communione? Qui Patrem Deum nudè proferebat, vtpote absque thalamo, numeroque generantem, nec credebatur; Filium se hominis nūcupat, vt à solitudine genitricis edoceat se vtrobiq; virgineè generatum. Quale puto acumen in Ildephonso de virginit. Mariæ capite 11. *Propter quam duarum naturarum proprietatem in vnitate personæ connexam, Dei & hominis, vnius Christi, hæc sola homo Mater est, & virgo?* Quid est *Hæc sola homo?* Absque viri complexu. In qua sola vox *hominis* cœpit ad pristinam redire puritatem. Quæ omnem speciei humanæ perfectionem quasi sola humanitatis idea continuit: nec indiguit numero, discretioneque sexus, vt gigneret; sicut Deus Pater, qui, cùm totum, quod Deitatis est, habeat, ex Deitatis plenitudine Deum generat. 37. August. Ildeph.

38. Clarius rem dedit Tertullian. de carne Christi cap. 17. *Itaque sicut nondum natus ex Virgine Patrem Deum habere potuit sine homine Matre; æquè, cùm de Virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre.* Quæ argumentatio non sic virilis, & pugnax videtur, quoniam Tertull.

Deitatis

Deitatis infinitudo, quæ in Patre renidet, omni diuinâ constat perfectione, & supra omne genus ipsum esse comprehendit; nec potuit adminiculo egere ad prolem, quam ex redundanti diuitiarum corde eructauit: cæterùm taxatum hominis genus non in vno sexu, omni perfectionis humanæ pollet complemento; fœmina enim masculi destituta vigore eget à masculo compleri, vt vtero germinet feraci. Ast peroptimè Tertullianus forsan ideò signatè, ne curtam, & exilem vteri fœminei ad sobolem absque viro gignendam protenderet virtutem; non à sexu, sed à tota specie *hominem* vocauit Mariam, innuens in nomenclatura, validâ virtute viguisse, ac si simul, quidquid hominis est, nempe masculi, & fœminæ, perfectionis habuisset. Quod eo stylo ingenioso adumbrauit, non quia non vere, & solùm fœmina esset Maria, cæteris fœminis in muliebri virtute æqualis; nec quia viri virtute potens esset: sed quia in ea Altissimi virtus viri defectum suppleuit, ne ab extraneo indiga imbueretur, quam decebat omni creaturæ humanæ perfectione gaudere. Id saltem vox *hominis*, quæ de Maria circumfertur, venustâ insinuatione depromit.

39. O qualis amor! Qui pro humanæ naturæ medela omnem hominem venientem in hunc mundum illuminare veniebat, cur non omnem humanam naturam assumpsit, cui à primordio esse cum filiis hominum erant deliciæ? Cur non in omnes humanitates subsistentiam delegit propagare? (Dam.) Certè Damascenus dixit lib. 3. de fide cap. 11. *Filius Dei non assumpsit humanam naturam, quæ in specie consideratur; nec enim omnes hypostases eius assumpsit.* Nonnè impensiùs ferueret charitas, si assumpsit? Sed qui inimici, qui peccatores, si omnes homines assumpti essent Deus? Satius fuit, & blandius amori, quòd essent inimici, pro quibus vnus homo Deus moraretur. (S.Thom.) Benè S. Thomas 3. p. q. 4. art. 5. ad 2. *Secundum illud Roman 5. commendat autem Deus charitatem suam in nobis; quia, cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: quod locum non haberet, si in omnibus hominibus naturam humanam assumpsisset.* Quid? Si non te homines assumpsit, saltem totius naturæ vocabulum adamauit, se *Filium hominis* efferet, non quia signatè singularis hominis non est; sed quia totius amat esse humanitatis. Quidni *hominis*, si in Maria totius naturæ ornamentum, nobilitasque commendatur, & quidquid in hominibus perfectionis elucet: elegit Matrem, cuius cùm singulariter esset, ex simplicitate tamen virginea, hominis posset Filius nominari. Obiiciunt imperiti circulatores, quòd Christus non dicitur ὁ υἱὸς τῆς ἀνθρώπου cum articulo fœmineo, sed masculino τοῦ ἀνθρώπου quasi Filius hominis maris, non Mariæ, quæ fœmina fuit. Prauè delirant, cùm potiùs venustas assumptæ vocis vniuersalis læderetur, si alius apponeretur articulus. Ea Mariæ virtus fuit, quæ omnium hominum, nec solùm fœminarum, circumfluit virtutibus; nec contractis notis amplitudo eius amat exponi, quæ virum suum egit, quæ circumdedit: etsi mulier, supra virum est. Similibus percurit sic cæcutientes Iustinus Martyr in quæstionibus quæstion. 66. (Iustin.) *Si quia Christus Filium hominis fœmineo genere se esse non dicit, ob id non est hominis fœmineo genere filius: profectò etiam quia alicuius hominis se filium esse non dicit, alicuius hominis filius non est. Si enim non alicuius hominis Christus est filius, non sit hominis filius, necesse est.* Acsi diceret: Eò ad homines amoris indicia propagauit, vt non taxatè, cuius hominis esset filius, passim efferret; non vt alicuius non esset, sed vt omnium putaretur: ideò ampliori notâ, nempe articuli masculini, notionem Virginis signauit; præcipuè quia mascula illa virtus opus non fuit, optata è foris, cui Altissimi virtus pro viro. Imò enim hoc articulo dignoscitur, tanquàm tesserâ Christus: cùm præter eum, quisquis *filius hominis* dicitur, absque articulo profertur. Iob. 15. vers. 8. 6. Psalm. vers. 5. Num. 23. vers. 19. Apoc. 14. vers. 4. & alibi. (Iob 15. 6. Psalm. 8. 5. Num. 23. 19. Apoc. 14. 4.)

40. Eximium Marianæ celsitudinis spatium est nominibus vniuersalibus præsignari. *Homo* nuncupatur, & *Mulier*. Ea cum Patre diuino similitudo est. Cùm Deus dicitur, vt plurimùm pro Deo Patre suppositio fit, pro Deitatis fonte, altaque diuitiarum abysso, à quo Filius, & Spiritus sanctus, licèt in maiestate æquali, dimanant. Ea vtriusque procedentis personæ nobilitas est, vt quoties Deitas in eis subsistere euincitur, Deus plenè vocetur Pater, à quo absque vllius taxati generis angustiis procedunt. Quibus capies stylum Damasceni lib. 1. de fide cap. 11. (Dam.) *Vnus vere Deus est, Deus & Verbum & Spiritus.* Præmisit, sanctam Trinitatem vnum esse Deum; particulariter deinde personas signans, pro Patre Deum posuit. Quod & Theophylactus obseruat in illud Ioan. 1. (Theoph.) *Et Verbum erat apud Deum*; id est, apud Patrem, vt procliuis, quam subintulit, esset deductio: *Et Deus erat Verbum.* Apud Paulum vsitata phrasis est, *Deus pro Patre*: ad Galat. 4. 1. Cor. 5. & 8. 2. Corinth. 1. & 15. & vltim. Quin & Ioan. 3. (Ad Galat. 4. 1. Cor. 1. & 8. 2. Cor. 1. & 15. & vlt. Ioan. 3.) *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.* Quare si se Filium Dei appellans Christus Dominus, Patrem Deum quasi antonomasticè nominari præsignat; vt ex suæ originis indole omnem à Patre plenitudinem Deitatis hausisse confirmet; cùm omnia, præter esse Patrem, dederit Filio: adionâ quidem similitudine Filium se hominis amat appellari; vt quidquid hominis perfectum est, à Matre traxisse perhibeat, quam vniuersitas perfectionum non sustinet, nisi vniuersali vocabulo definiri.

41. Ideò, dum vt Filius hominis agnoscitur, statim vt Filius Dei proclamatur, promptâ illigatione. Ea proportio in vtraque natura, & quæ à Patre, & quæ à Matre fuit. Sciscitatur Dominus: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Et Petrus: *Tu es Christus Filius Dei viui.* (Matth. 16. 14.) Si de humanitate sciscitabatur, cur non ad quæstionem, sed extra lyram Petrus? Qui hominis filium audierat, quidni assurgeret in Dei Filium agnoscendum? Qui se Filium Virginis esse supposuit, semitam aperuit ad Patrem, cuius virtus, immisso Spiritu Sancto, Virginem impleuerat: nec ex voluntate carnis, voluptateque sanguinis; sed ex vnius hominis, nempe Mariæ, virginitate fuerat conceptus. Attende, quid respondeat Dominus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Scis quòd Barjona Filius columbæ solet verti. Quid est ergo, quod quia à filio hominis promptâ deductione ad Filium Dei illicò perrexit Petrus, columbæ filius appelletur pro munere, quasi filius Spiritus Sancti? Procliuis sanè illatio. Eadem fermè, quæ apud Angelum: *Spiritus sanctus superueniet in te; ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: quia ope Spiritus sancti (cuius indoles in superuentu est;

qua

qualiter sub columbæ specie in Iordane) absque carnis, & sanguinis nuptialibus blandimentis concipiendus erat fœtus in Virgine, obuiâ sequelâ Filium Dei vocandum esse prædixit; vtpote qui filius esset vnius hominis, quà Virginis; & Filio hominis agnitio, prona cognitu est, quòd Filius Dei sit. Ergo quia Petrus penetrauit arcanum, apposite Filius columbæ vocatur, quem nequibat alius instruxisse Magister, quàm ipsemet Spiritus, qui superuenerat in Virginem: & virtus Altissimi Patris, quæ obumbrauerat; non caro, & sanguis cuius illecebrosus feruor abfuerat. En accommodè tria hæc: *Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus*; consonant illis: *Virum non cognosco, Spiritus sanctus superueniet in te. Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Eadem conclusio: *Tu es Filius Dei viui*, &, *Vocabitur Filius Dei*. Iuuat Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. Virginis. *Ait ergo Petrus pro omnibus: Tu es Christus Filius Dei viui; non quòd eum negaret Filium Beatissimæ Virginis Mariæ, quod ait Christus* (cuius Filium se dixit, cùm se Filium hominis nominauit) *sed vt demonstraret, vnum, eumdemque Filium hominis esse Filium Dei. Et ideò veneremur sicut Matrem Domini*. Et statim: *Accepit Sponsa Christi in dotis titulo, & pignus hæreditatis æternæ Spiritum sanctum*. Quid quòd ab Spiritu sancto edoctus mysterium percalleret Petrus? — Ildeph.

42. Id autem obsistere videtur, quòd lepidâ distinctione vsus fuerit Dominus: quippe cùm sciscitaretur de hominum opinione, *Filium hominis* protulit. Quare responsio fuit, percrebrescere suspicionem de homine puro, nempe Elia, Hieremia, aut alio ex Prophetis. Cùm verò Apostolos, quos ab hominibus, quia supra homines, discreuisse putauit Hieronymus, rogaret, non dixit, *Quem Filium hominis?* sed *Quem me esse dicitis?* Quæstionem de persona fecit: Deitatis scintillas excussit: quid quòd Petrus hypostasis naturam exponere: *Tu es Christus Filius Dei?* Ingenium fuit Bernardi de gradibus humilitatis col. 4. *Hominum de se opinionem à Discipulis inquirens, Quem dicunt, inquit, homines esse, non me, sed Filium hominis? Rursus eosdem interrogans: Quid de se ipsi quoque sentirent: Vos autem non quem Filium hominis, sed quem me, ait, esse dicitis? Carnales videlicet populi sententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod propriè est Filius hominis, posuit; spirituales verò Discipulos de sua Diuinitate interrogans, non Filium hominis, sed signanter, me, dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc, quod dixerat, me requisiti fuissent, sua responsione aperuit: Tu es, inquiens, non Iesus Filius Virginis, sed Christus Dei*. Sed vide, qui subdat: *Quod vtique si respondisset, nihilominus veritatem dixisset; sed in verbis interrogationis sensum interrogantis prudenter aduertens, competenter, propriéque ad interrogata respondit*. Imò eò spatiosior Virginis dignitas, quòd tam subtili distinctione fuerit opus; vtpote cui idem prorsus, ac Patri superno, Filius: & quæ sola carnem dederat, non personam, personam obtineret in Filium; & à carne ad Filium Dei nullæ prorsus syllabæ intercederent. — Bernard.

43. Quare non possum arridere Maldonato, qui putat non honoris, sed abiectionis causa se Dominum Filium hominis nuncupauisse. Resistunt plura loca, in quibus Filij hominis nomenclatura gloriosa sibi munera decantauit. Constat Ioannis 3. vers. 13. Matth. 9. vers. 6. Matth. 12. vers. 8. & 24. vers. 30. & 25. vers. 31. Nunnè Stephanus inter lapidum crepitus, ictusque saxorum, gloriam Dei cùm videret, & Iesum stantem à Dextris virtutis Dei, gloriam suspicere siluit, in eaque verba in excessu suo labra laxauit: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei?* Obserua quod immediatè Euangelista dixerat: *Intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, confestimque adiungit, & ait: *Ecce video cælos apertos*, &c. Si in Deitatis absorbebatur abysso, & in maiestatis gloriam exceptus pascebat obtutum; quid cætera transiliens, quæ beatitatis sunt, quasi toto gloriæ pondere ad Filium hominis rapitur, eumque pro exaggeratione gloriæ se vidisse pronuntiat? Certè quà Filius Dei: beatificum obiectum constituit: caro non præualet, quòd Deitatis est, beare videntem; & tamen qui in gloria beabatur, solùm refert se Filium hominis conspicere. Quid pro Virginis carne nobilius. Qui se vt Filiũ hominis exhibuit, eo stemmate gloriari in dextera Patris iudicauit: quippe dum Filium hominis se exhibebat, Filium esse Dei, reuelatione pandebat eâdem: cùm Virginis non esset Filius à virtute Altissimi fœcundatæ; quin Filius Dei; & tamen si solùm se Filium Dei ostenderet, non tam prompta esset illatio, quòd Filius hominis esset. Ideò stans à dextris virtutis Dei perhibetur, vt se prodat esse, quem ex virtute Altissimi obumbrante conceperat Virgo. Non longè abit S. Maximus serm. de S. Stephano: *Cùm Beat. Martyr Dominum nostrum Iesum Christum ad dexteram. Dei Patris stare vidisset, cur se Filium hominis videre testatus est, & non potius Filium Dei: cùm vtique plus honoris Domino delaturus videretur, si se Dei potius, quam hominis Filium videre dixisset? Sed certa ratio postulabat, vt hoc ita, & ostenderetur in cælo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Iudæorum scandalum hoc erat: cur Dominus noster Iesus Christus, qui secundùm carnem est Filius hominis, esse etiam Filius Dei diceretur*. — Maid. — Ioan 3. v. 13. — Matth. 9. v. 6. Mat. 12. v. 8. & 24 v. 30. & 25. v. 31. — S. Maxim.

44. Eâ sibi Filius Dei, dum se Filium hominis exhibet gloriâ perungitur, nobilitatisque mulcetur blandimentis, vt antequàm carnẽ susciperet Virgineam hominisque naturam subiret, quibus in Filij hominis simulacro se prodebat, & voce, nomen Filij hominis imponeret: adeò in se rapiens prospicientiũ animos, necdum oculos, vt in ipsius transirent vocabulum. Signatissimè Ezechiel & Daniel hoc nomine potiuntur *Fily hominis*, quod fermè nonaginta vicibus, siue ab Angelo, siue à Domino audiuit Ezechiel. Cur? Arguuntur Interpretes, qui de Ezechiele vt plurimùm agunt. Ne reuelationis altitudine extollerentur, in nomine admonitos esse de limo, vt ea dictione superbos spiritus declinarent, sensit Hieronym. in Daniel. 8. Refellit Ribera apud Delrium adag. 890. cui ipse arti 'et: quasi arrogantiores non fuerint Daniel & Ezechiel cæteris Vatibus, vt ipsi sedulâ curâ, hominis ignobilitas obiicienda. Miror tam leui occasione Doctorem maximum deseruisse viros doctos & pios. Sanè Hieronymo accinit Gregorius Magn. lib. 2. homil. 14. in Ezech. Subsignat Ruper. lib. 1. in Ezech. c. 17. Nec nouum, quòd, ne altitudo reuelationũ extollat, detur, si non stimulus, carnis memoria. Adstipulatur Theodoretus; & non indocti ex Hebræis. Maldonatus, cui arridet Delrius, putat — Hieron. — Ribera. — Greg. Magn. — Rupert. — Theod.

Rabbi. Dauid. Chimi. Mald. Delr. Rabbi. Abraham.

putat Ezechielem filium hominis ab Angelis appellari, qui eum vt à se, qui homioes noo erant, sed videbantur esse, distinguerent, filium hominis nuncupabant. Nec enim ipse se, sed eom Angeli sic vocant. Fuit sensus hic Rabbi Abraham in Ezech. Facilè decidit hic explicatus, cùm & alij Angeli ad alios Vates, & non eâ notâ fuerint loquuti. Quotquot cum Ezechiele agebant, rectè percallebant, eum esse hominem, distinctum ab Angelis; nec opus erat vocabulo coram discernente natura. Daniel semel tantùm *filius hominis* appellatus est. Daniel 8. *Et ait ad me: Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio.* Quem locum non satis demitor latuisse Maldonatum in capit. 8. Matthæi versicul. 20. *Filius hominis.* Sic inquit: *Nec enim memini alium quem præter hos duos* (agit de Christo, & Ezechiele) *aut certè iam frequenter, & propriè ita vocari. Nam quod Daniel dicit: Et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, omnes de Christo interpretantur: nec dubium est, quin de illo sit intelligendum.*

Dan.8.v.17. Mald.

45. Liceat causam ostendere, cur hæc nomenclatura bis Vatibus fuerit mutuata. Meditor, quia Deum in specie hominis viderunt, ingentique exinde Incarnationis desiderio æstuarunt. Visa enim species Filij hominis eò medullitùs illorum mentibus impressa fuit, vt quasi in limpido speculo facies Filij hominis appareret. Id illustro ex nobili Ruperti loco, dum rogat, cur Matthæo pro stemmete inter cæteros Euangelistas effigies hominis appingatur? inquit: *Erat ipse Matthæus tanquam speculum pellucidum, in tenebris reconditum. Vbi ergo vidit eum* IESVS, *& Sol verus resplenduit ex aspectu eius, quia vidit eum talis Filius hominis, reddidit imaginem eius, & formata est in ipso facies hominis.* Igitur quòd è tenebricosis innolucris expeditus Matthæi animus hausit, nempe viuidum faciei hominis signaculum idipsum accidisse fateatis Ezechieli & Danieli, quibus *Filius hominis* exhibitus & effigiem indidit & vocabulum. Sensum hunc non detrectaret, Iustinus Martyr. quæstion. 45. ad Orthodox. qui ideò Ezechielem vocari ab Angelo filiom hominis opinatur, ex ordine nempe ad Christum, qui Filius hominis est: *Quia ab Ezechiele per visionem depingenda erat mortuorum resurrectio, quæ futura est in fine rerum per Filium hominis Christum, qui nominatim seipsum exprimit, cùm agit de illa.* Certè Ruperti stylus, quo Christum Dominum Solem esse vult, dum respexit Matthæum tenebris innolutum; & quòd Danielis 7. *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat,* non incongruè in animo figit, Solis similitudinem, & effigiem, ac proinde Filij hominis simulactum, sicut Matthæi, sic Danielis animo fuisse impressum. Nam quæ à Græcis *parellia* appellantur, imagines sunt, figuræque Solis, quas ipse in propioqua, & spissa nube consignat, coacto nempe aëre, & limpido, vt faciem Solis excipiat. Præstat audire Senecam lib. 1. natur. qq. cap. q. 11. *Sunt imagines Solis in nube spissa, & vicina in modum speculi.* Et paucis interiectis: *Quemadmodum vtriusque imago* (id est, Solis, & Lunæ) *in terris aspici potest; ita & in aëre, cùm sit coactus aër, & limpidus constitit, vt faciem Solis acciperet, quam & alia nubes accipiunt, sed transmittunt, si aut mobiles sunt, aut rara, aut sordida. Mobiles enim spargunt illam, rara emittunt, sordida turpesque non sentiunt; sicut, apud nos imaginem maculosa non reddunt.*

Rupert. Iust. Martyr. Seneca.

En quam tetrò Filij hominis splendebat imago reliquiasque sui prospectantibus incutiebat, vt is exinde gloria Virginis percrebresceret, tum stylo vocis, tum pictorio stylo: siquidem & Filius hominis pingebatur, & Filios hominis vocabatur. Nec abhorret tamen, quod docti, & pij cum Bernardo suprà senserunt, in dictione Filij hominis se homillimum, mitemque corde gessisse Dominum: quod nec à gloria vacat, nec à transcripta è Matre proprietate deflectit. Adnotaui suprà hac eadem Academiâ, quod *homo meus, homo tuus* pro *seruo* soleat accipi. Annè Filius hominis communis seruituris notam præsignat: vt qui habitu inuentus vt homo, formam serui accepisse crederetur? Filius ancillæ vocatur; quidni hominis: siquidem in Incarnationis momento Mater se protulit ancillam, vt seruilem partus sequutus ventrem, dedititiam pro genere humano subiret seruitutem? Id Beatus Thomas à Villanoua concione 1. de Annuntiatione. *Benè ancilla, ex qua qui nascitur, seruus est: nam secundùm leges Filius non Patris, sed Matris conditionem sequitur. Ancillam se Mater agnoscit, seruum se Filius esse fatetur Psalm. 22. Ego seruus tuus, & iure seruus, quia Filius ancillæ tuæ. Grandi mysteria conceptura Deum, sui meminit ancillatus, vt orientem à se Filium, mundi obsequio manciparet.* Qui igitur religiosa obseruatione ancillatus voce inseri in Matris vterum delegit, se hominis voluit hominem esse, adscititiisque obsequiis hominib. inseruire; & ex nomine Filium hominis appellari, vt se planè deditum homini probaret. Hebræa enim idiotismus est: *Filius mortis*, 2. Regol. 12. *Filius pacis*, Luc. 10. 6. *Filius nuptiarum.* Matth. 2. n. 19. *Filius sponsi*, Matth. 9. 15. De his, qui enixè dediti sunt, & adsciti morti, paci, nuptiis. Vt tuis totis erogaretur vsibus, ô homo, vt impensus ardor, quo pro homine flagrat, per omnes hominis sensus innotesceret: etiam aures per vocabulum voluit admonere, se totum hominis esse, cui oritur, cui occumbit. Ideò Matrem Virginem delegit: nam mulier sub vnius viri potestate est, peculiarisque portio: virgo, quò magis à materiæ angustiis expedita est, & abstracta, vniuersalior est. Quin & voce communi *Mulieris* Matrem appellabat, vt vniuersitatis se proderet filium. Non te lacessiuit illud: *Quid mihi & tibi est mulier?* Obiurgat? Neutiquàm. Carperet insontem, & cuius potiùs è vestigio preces impleturus parabatur? Poposcerat vinum, futuræ conuiuatum consolens siti. Annuit Dominus, & sub ænigmate bonam fuisse petitionem pronuntiat, licèt nondum opportunam. Quæ ad communem hominem; & vniuersitatis seruum pro subleuando communi defectu accessit, ritè processit. Ideò Christus: *Quid mihi & tibi est mulier?* Benè petisti: impetrabis, quia non tibi, sed omnibus natus sum: nec mihi & tibi ea est curta necessitudo, qualis in priuato filio cum matre, omnium sum, dum tui: nam quæ me virgo peperisti, generi peperisti, non viro; ideò mulier hominem, vt vniuersæ naturæ te ministram præberes, ideo virgo, quia Deum. Gaudentius serm. 2. in illa verba: *Quid mihi & tibi est, mulier? Audi ergo diuinam rationem spei communis, ac vita. Nascitur Christus non sibi, sed nobis.* Nec te prætereat in breui periodo totum Incarnationis compressisse mysterium, dum se hominem pronunciauit, & Deum *Nondum venit hora mea.* Ergo appetente hora miraculum spondet, quod Dei est; quia tamen Matrem *Mulierem* dixerat, vt se hominem 46.

Philip. 2. 7. S. Thom. à Villanou. 2. Reg. 12. Luc. 10. 6. Mat. 2. 19. Matth. 9. 15. Gaudent.

ostende

ostenderet, & vt communem, qualis Deus omnium est, non sibi cum Matre limitatam esse partem indicauit. Cyrillus Alexandrin. lib. 10. Thes. c. 2. *Quid mihi & tibi mulier? vt homo dicebat; & aquam in vinum vt Deus conuertebat.* Cyril. Alex.



ACADEMIA XXVII.

Quid de æternitate Patris superni præfulgeat in Maternitate Mariæ.

Maria quasi Mater æterna ex virginea fœcunditate.

SECTIO I.

1. STudium & ardor, quo animus incalet pro Marianæ excellentiæ famulatu, flagrantiori per momenta percellitur aculeo: vt & erigatur sublimiùs, & intẽdat acriùs quousque in perfectæ cum Patre superno similitudinis exhibitione quiescat, & cõpleto perfruatur elogio, cuius sustollitur patrocinio. Succrescenti conatui ardua sese obiectat rupes, quæ & desidem exterret pedem, & mentem sublimia cogitantem desperationis flagello castigat. Diuinus Pater non solùm æternus, quà persona, sed & quà Pater, est; nunquam fuit, quin gigneret, qui nec verè fuit per subterlabentem temporis fluxum: elapsaque caducæ lucis interualla, sed in æternitatis insecabili conformitate semper est, qui est: nec se esse cognoscit, quin pulchritudine prolis coronatum prospiciat. Maria curtis existentiæ definitur mensuris, angustisque creatæ generationis stringitur spatiis: nec quandocumque fuit Mater fuit; fuit aliquando, quod non esset. Si genitrici deficit æternitas, non modicè deprimitur genitricis auctoritas: nec plurimùm in similitudine cum superno Genitore valet confidere, quæ temporalibus subdita legibus, irrequietisque motibus agitata, nescit in æternitatis pacatâ statione fulciri. Verum est. Maria ex hominibus fuit assumpta, ab sterili vulua procreata, anili baiulata sinu; ab effœta, & senili parentum virtute, in quos fluxi temporis vetusta potestas inoleuerat, erupit: quasi ab attritis temporis sulcis nasceretur, & plenitudinem temporis iam aduentare præsignaret, quam emerita, & longa Ioachimi & Annæ ætas parturiuit. Transierunt anni, quousque, desuper accepto nuntio concepit Filium. Et tamen viriliter agendum est, vt ad aliqualem ad æternitatem Patris tractam similitudinem temporalem Matrem euehamus. In hanc thesim plura nos concitant, non sine venusto lepore, quæ non ignauos cogitatus enutriunt, nec paruam acuminum segetem studiosis Virginis parant: ne aliquantula saltem in temporali Matre æternitatis scintilla deficiat.

2. Profectò in ipso vestibulo circulus vteri nos conducit, virginea nos promouet inuiolati ventris rotunditas. Sic circulum æternitatis symbolum esse. Scis, quòd mulier circumdedit virum, eâ circuitus nouitate, quàm sæpè notauimus, vt nunquam per sectionis iniuriam hiulcus discederet. Maria virgo fuit, & fœcunda; per fœcunditatem in virginitatem remeauit, virgæque rectæ, à qua flos ascendit, coniunxit extrema: qua arte & circulum effecit, & æternitatis effigiem. Oportet alibi datum audire Richardum de Sancto Laurentio lib. 10. de laudib. Virginit. ad illa verba. *Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori*, sic inquit: *Pars verò throni anterior, status Virginis ante partum; posterior, status post partum, aliquando autem fuit, quod Mater non fuit; sed quandocumque fuit, semper Virgo fuit: & ita à virginitate per fœcunditatem redit ad virginitatem.* Ex quo concludit: *Igitur in summitate, Mariæ Maternitas; in rotunditate, æterna virginitas; in posterioritate, gloriæ æternitas figuratur.* Si in summitate rotunditas est, & summitas est Maternitas; quid Maternitatis æternæ defecit typo; Pudicus circuitus, æternitatis ænigma est. Benè symbolicis lineamentis figurat, ne putetur veritas, sed proportio; vt similitudo credatur, non substantia. Suprema nobilitas est in temporali mensura, æternitatis aliqualibus gaudere lineis, æternæque Genitricis imagines præsentare. Quæ verè in tempore cœpit esse Mater, æternis dotata pignoribus, in æterni Patris meditationem nos vrget in quo Deitatis circulus egreditur, & regreditur, & Filio genito, sancti Spiritus gyro reuoluitur, & mansurâ duratione æternatur.

Nonnè æternitatis indoles est, subterlabentis temporis tardâ prætergredi spatia, segnesque anteuolare moras; & quæ sub temporis mensura extrema dissita sunt, nec possunt nisi successiuis, cõtinuisque motibus attingi; indiuisibili momento colligare? Non eget gressibus, vt perueniat ad metam: non dubiâ spe in floris exercetur deliciis, donec fructibus satietur: vtriusque tempestatis gaudet prouentibus, flore simul & fructu redimitur. Cur ficum vocis æstu arefacit Dominus, funditúsque decoquit, quia fructum non edidit accedenti; si non erat tempus ficorum? Æternitatis dominus accedebat, & temporis ignobiles leges depromis? Quid quod tempus non esset? An ideò qui æternitatis sublimi lege fruitur, impransus abibit? Debuit arbor ad æterni Domini conspectum, fructum copulauisse cum fronde; imò cum nuda virga, & radice. Nonnè hæc æternitatis conditio in Virgine genitrice? Gignit, antequam virum nosceret: parit, antequàm parietis vexationẽ sustineat. Obseru astinè stylum: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Ergonè posteà conuenerunt? Desipis, si sic sapis Imò quia conuenire virum & vxorem, medium est, vt fœmina gignat; & Maria his mediis non indiguit ad partum: ingeniosè nimis dictio illa *antequàm* apposita fuit, vt aliqualem in hoc conceptu, æternitatis indolem nosceremus: vt quæ verè Mater cœpit esse in tempore; quia tamen Virgo & Mater erat, æternitatis efferretur stylo. Non dissidet Augustinus tom. 10. serm. 13. in natal. Dom. *Concepit Virgo, antequàm sponsum haberet; parit, antequam nubat: & , quod ad laudem pertinet nominis Domini, & Mater & Virgo cœpit esse post partum.* Explicuimus suprà, quid intellexerit Augustinus in voce *sponsi* & *nuptiarum*. Sanè cognitionem virilem thalamique innuit experimentum. Ergo quæ verè incepit esse Mater in tempore, quia & virgo simul efflоruit, non statas naturæ moras, spatiosaque molimina expectauit; sed antequam

3. (margin, beside "Nonnè æternitatis indoles est")

Mar. 11. 13. Aug.

totum exercet, iam opimo prolis fructus gaudebat. Quamuis non videretur tempus esse ficorum, fructu se mirabatur onustam, quia æternitatis modus supra temporis graditur interualla; & æternitatis Dominum concipiens, inferioris mensuræ conditionem oblita est. Quare Hesychius homil. 1. de Sancta Maria sic Virginem fantem inducit : *Ais me parituram puerum absque semine, concepturam dixisti, nullis nuptiis interuenientibus : loculum vteri absque vlla cum viro cohabitatione & conuersatione habiturum fructum. Quis vidit, quis audiuit fertilium agrorum natura peritus, anteà agrum incultum produxisse spicam, aut terram non plantatam germinasse vuam, vinum sine vite, aut fluuium absque fonte prodeuntem?* Et tamen quia Filius Altissimi concipiendus erat, quia Maria conceptura; nullis interstitiis obnoxius vterus fuit : se fructus implicuit in flore : se vigor spei cum possessionis maturitate coniunxit. Id præter temporis leges inualuit, quia virginitas flos erat, & ventris sobolis fructus. Benè Venantius lib. 8. hymn. 5.

Hesych.

Venant.

Cuius fructus adest, & flos non perdit honores.
Quæ nato es genitrix, & tibi virgo manes.

Canorè illud, *& flos non perdit honores*: floris enim honos fructu maturescente marcet, & dum ex æstiuis fomentis fertilis ager fructibus turget, deliciæ florum transiere, augustusque temporis sinus nequit vtroque simul honestari. Sed de radice Iesse flos ascendit. Curnè flos, si totiùs benedictus fructus eius? Vtrumque. Flos, quia ex virgine; fructus, quia ex Matre. Canat iterum Venantius lib. 8. hymn. 3.

Idem.

Radix Iesse floruit,
Et virga fructum edidit :
Fœcunda partum protulit,
Et Virgo Mater permanet.

Nec dissidet Prudentius alibi datus.

Prudent.

——Florens de fertilitate pudica
Virginitas, & prompta fides Christum bibit aluo.
Cordis & intactis condit paritura latebris.

Ergo ex virginitate fœcunda non modica cum æternitate similitudo Virgineæ Genitricis est. Quibus accommoda, quæ supra Academ. 5. sect. 8. præstruximus, dum Maternitatem cum Virginitate componentes, quasi primatum Maternitati præstabamus; vtpote à qua Mariæ nomen deriuantes, quo, adhuc antequam conciperetur, insignita fuit, in vteroque oppignerata, cùm fieret. Notum est illud Chrysologi : *Quomodò non ante conceptum Mater, quæ post partum virgo permanet; quando non Mater, quæ sæculi generauit Auctorem?* Plura ibi cogitauimus : hùc omninò ascisce, quippe proprius locus est, vbi de Maternitatis aliquali agimus æternitate. Adiicimus nunc Ildephonsum de virginit. Mariæ capite 11. *Extra hanc autem Matrem esse virginem visa non est : ista verò post Matrem esse virginem visa est.* Et statim : *Tam mirabiliter ergo concordantibus in vna persona simul & tempore diuersitantibus rerum, vt hæc eadem sit Mater, quæ & virgo; ipsa virgo, quæ & Mater : nunquam Mater nisi quando & virgo; & postquam Mater, nobilior, & virgo.* Quid est, *Post Matrem esse virginem visa est*, quasi præiuisset Maternitas, & vteri calathum genito fructu locupletem virginei flores desuper redimerent. Ordo præposterus, sed ingeniosè commutatus. Virginitas, quæ fertilem vuluam, soboléque tumentem antecedit, occumbere solet, & quæ tam flos non est, non odorem spirat; sed expirat : fructus illi pernicies est; nec ditescit pignore, quin interea. Quæ post maternitatem perdurat, à nullo deinceps potest Aquilone quassari, non fulminum ictus timere, non de cœlo tangi, quæ potiùs de cœlo est. Ergo vt ostendatur inoccidua stabilitate Mariæ stabiliri pudorem, post Matrem virginem visam esse subtiliter asseritur : non, quia non & antequàm Mater; sed vt vtriusque qualitatis parentis firmitudo monstretur.

Chrys.

Ildeph.

Imò Mariæ antiqua virginitas, in Maternitate antiquitatem argutè confirmat. Cur inscio Ioseph, nec eius expetito consensu sponsa eripitur, grauidatur, diuinisque deputatur obsequiis, si semel Incarnationis opus non ex suprema potestate, seuoroque dominij imperio, sed per nuntiū sponsoremque, & creatæ voluntatis arbitrium peragebatur? Quoniam Maria votum virginitatis festino nuncupauerat gradu, Deoque litauerat pudorem. Quid si, quod suum est, vindicaret; nec egères viri licentiâ, cui non licebat in Deo depositam deprædari virginis pudicitiam? Verùm aliud est virginitatem vouisse, aliud fieri parentem. Si ante coniugium Mater extitisset: causa subesset non expetendi viri arbitrium, vt verum Dominus possideret. Quod sola virginitas fuisset dicata, quî potuit Virginis excusare capturam? Ingenuè. Mariæ virginitas nec ab initio absque prouentu, nec Deo oblata absque fœnore. Si sterilis non est, sibi Maternitatem deuinxit, cùm se vouit. Iam ex compacto Mater erat, quæ fœdus de virginitate cum diuino Numine pepigerat. Quæ si teneas, capies Augustinum lib. de virginit. cap. 4. *Ipsa quoque virginitas eius ideò gratior, & acceptior, quia non eam, conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse, præripuit, sed priùs quàm conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit.* 5.

August.

Maria quasi Mater æterna ex antiquitate prædestinationis in Matrem.

SECTIO II.

EX Virginitate fœcūda, velut si hilari calamo luderemus, æternitatis dotē in Genitrice Virgine coniectabamus. Solidiùs iā agendū est. Profectò plures status sese offerunt cogitanti, quos si versauerimus, citiùs quòd cupimus, inueniemus. Certum est, Mariam non solùm fuisse Matrem temporalē; verùm nec toto vitalis tēporis interuallo: genuit enim ad minus puellarem egressa ætatem, cùm natura incipit vi pollere ad fœtum. Attamen & considerari datur situs, quem obtinuit in prædestinatione diuina, in qua ad Maternitatem delecta est : & vlteriùs suæmet generationis primordium, in quo iam Matris insignita sigillo, si non illicò corpore, saltem animo Filium in vtero gignendum concepit, sinuque spiritali præoccupauit: ne instans aliquod deflueret, quin ex munere, nedum ex nomine, Mater putaretur. Denique æternitas non solùm præteritis & præsentibus, sed & futuris durationibus altior, futuris, vt præsentibus, potitur: nec sibi deperit, quidquid elapsum est, nec sperat; sed possidet, quidquid sub temporis auara perendinatur segnitie. Igitur discutiendum etiam est, an alioquali analogiâ Maria, quæ semel tantùm genuit, iugiter adhuc in posterum gignere possit cogitari, 6.

diminu

diminutè forsan diuini Patris imitans conditionem,qui semper gignit:imò cui proprietas gignere est.Hæc & lucubratione exquirenda,& ingenij acie,quasi acu,pingenda sunt.

7. Profectò id mordicùs affigendum est animo, Mariæ existentiam solùm tetendisse,vt FiliumDei humano eniteretur puerperio;ac proinde non alij instituto,nisi vt Mater esset. Id pluribus confecimus suprà Ergo quà mulier, Mater : nec in prædestinatione sibi aliquando locus fuit, quin vt Mater decerneretur. Iuuat id adhuc venustate, si sciscitari liceat,cur Maria semper à Domino non Mater sed Mulier nuncuparetur, tam continuo vocis vsu, vt facilè impingentes hæretici à Maternitatis honore deturbare contendant,quã sub dictione *Mulieris* limis oculis legunt. O extrema stoliditatis impudentia ! Ex nobiliori Virginis stemmate in Virginis gloriam inuehuntur. Maria idem est, quod mulier, quàm quòd Mater sit; si ideò mulier effecta est,vt Mater fieret. Si in lucis non veniret vsuram, nisi in genitricis officium ; qui mulierem nuncupauit, probauit Matrem;vocabulum transiuit in vterum ; non inanescit vacuum pignore plenum est. *Quid mihi & tibi est, mulier?* Plurimùm, Domine, quia Maria Mater tui est.Si semel mulier,ergo Mater. Adi Euangelistam. Dixerat : *Erat ibi Mater Iesu.* Et statim: *Dixit ei Mater eius.* Cur datâ operâ, gemino conatu Matrem asseruit, si eadem fermè periodo,Christi memorat verba,quibus mulierem vocauit? Optimè rem rimatus est. Ne offenderet hæreticus, Mariæ offensus, Matremque negaret ex *mulieris* dictione, præuio vocis *mulieris* commentario,quid significaret,explicuit:vt quo vincere satagebat, vinceretur. Præclarè Augustinus tractat. 8. in Ioann. *Quid dicit? Non habuit Matrem fœminam Iesus. Vnde probas? Quia dixit : Quid mihi & tibi est,mulier? Quis hoc narrauit? Nempe Ioannes Euangelista. At ipse dixit : Erat ibi Mater Iesu. Et statim : O Euangelista fidelissime, tu mihi narras dixisse Iesum : Quid mihi & tibi est mulier? Cur ei apposuisti Matrem, quam non agnoscit : Nam tu dixisti, quia ibi erat Mater Iesu, & quia dixit ei Mater eius. Cur non potius dixisti : Erat ibi Maria : & dixit ei Maria? Vtrumque tu narras. Quare hoc, nisi quia vtrumque verum est? Illi autem in eo volunt credere Euangelistæ, quod narrat Iesum dixisse Matri : Quid mihi & tibi est, mulier? Et in eo nolunt credere Euangelistæ, quod ait : Erat ibi Mater Iesu, & dixit ei Mater eius.* Ex insipientia castigat hæreticum,& capite damnat, cui nedum ratio, sed sensus deficit,dum admittit, quòd Maria mulier sit;negat,quòd Mater.

Ioan.11. August.

8. Hoc igitur prælibato, non erit iam operosum conficere,quomodolibet decretorum Dei momẽta pangas,aliqualem æternitatis vmbram in Maternitatis honore,Mariæ concedere. Certè Filio in prædestinatione denectanda non est, qui Deo homini situs, & Matri præstandus. Duæ sunt extremæ sententiæ. Altera primatum non solùm inter omnes prædestinatos,sed & inter omnes creaturas intendit impertiri prædefinitioni Christi,quem ob vniuersitatis decorem, etiamsi Adamus, perpetrato piaculo, non temerauisset progeniem,hominem futurum contendit, si non in medelam,in gloriam. Vexillum sustulit huius opinionis Scotus in 3. distinct. 19. quæst. vnic. cui asseclæ mordicus adhærent; quam & extremùm propugnat Suarius tom.1.in 3.par.quæst.1.

Scot. Suar.

artic.vltim. Communior semita est,à sanctis Patribus aperta, & sancti Thomæ mirâ eruditione constrata, post præuisum originale peccatum Incarnationem decretam; & (vt dicebat Augustinus) quia homo nesciuit ad imaginem Dei conformari,vice versâ,factus est Deus ad imaginem hominis.Iuxta hæc placita, Mariæ prædestinationem compone,quàm iam nosces non aliter definitam, nisi vt vterum gestaret,Filiumque Dei progigneret.

S.Thom.

Si priori sententiæ arrideas,æternitatis apicem in hac Maternitate miraberis; siquidem etiam intra æterna Dei consilia antiquius illi intueris affixum.Quid est,quòd Virgini Angelus tertiæ de Trinitate personæ patefecit insigne,explicuit nomen,proprietatem expressit? *Spiritus sanctus superueniet in te.* Sic Rupertus censuit cap.1. Matth. *Ab hoc loco primùm insonuit in auribus nostris hoc reuerendum insigne vocabulum, proprium, & absolutum : Spiritus sanctus.* Id tractauimus suprà Academiâ 1. sectione 2. Nec solùm sacra Spiritus sancti hypostasis Virgini iamiam genitùræ inspiratur, sed in priori loco, vt non semel adnotauimus, cùm in Trinitate tertius nomenclaturâ ex originis indole Spiritus sanctus sit. Eximiè hoc situ, Marianæ prædestinationis arcanum depromitur.Si prima cum Filio homine destinato ante omnem creaturam in antiquiori Dei consilio præfinita resplenduit,appositè post Spiritum sanctum, qui tertia persona est, Triadisque coronis,& consummatio, illicò adiicitur Maria: quoniam completis emanationibus intra, succedit è vestigio inter operationes ad extra, cum Filio obtinens principatum,quasi Spiritui sancto vicina creatura,& post ipsum emanatio syncera omnipotentis Dei.Quid quòd Spiritui sancto ardens studium, vt virgini priùs ex propinquitate reuelaretur,quam ipse per anteacta sæcula adumbrabat?Quibus iam capio Damasc.de fide orthod. lib.4 c.15. *Ipsa enim ano omni antiquiore, ac præsciente Dei consilio, prædestinata, variisque Prophetarum imaginibus, ac sermonibus per Spiritum sanctum adumbrata, atque antè prædicata; certò tamen atque præfinito tempore ex Dauidica radice, quemadmodum ipsi promissum fuerat, orta est.* Obserua illud : *Antiquiore, ac præsciente Dei consilio.* Profectò in æternitate,quæ antiquior est omni duratione, nihil est antiquius, vtpote cui successio non sit. Quomodò ergo antiquius in Deo consilium,cuius decreta insecabilis metitur æternitas. Certè in ipsa æternitate, dum decreta rimamur,non tumultuariè miscemus,sed prioritatem aliquam ab ipsa rerum qualitate compulsi cogitamus. 9

Luc.1. Rupert. Damasc.

Ergo Maria antiquius Dei consilium est,quam post Trinitatem collocamus:nec se diuina voluntas ad creaturas explicuit exuberans, quin hac excellenti creaturarum primiceriâ priorem delectaret affectum. Cur in prima creatione Spiritus sanctus sub aquarum symbolo, quas appellauit *Maria*,Mariam ad gignendam sacram sobolem incubans fouebat? Forsitan innuens pòst Spiritum sanctum, in quo Trias completur, Mariam exprimæuo Dei consilio se prodidisse,vt incarnandi Filij ministram se præberet.Cur aqua,& Spiritus Domini in Mariæ symbolo?Quia venturus erat in aqua,& Spiritu sancto, per aquam, & Spiritum sanctum in creaturarum exordio sub sacro ænigmate Maria adumbrabatur. Ex quo addisces,quid innuant Patres, quotquot prælectam in

Dam. in æterna asserunt sapientia. Damianus ser.45.de
Natiu. Virgin.col.vlt. *Hac eadem Beatissima Vir-*
go ante constitutionem mundi in consilio æterna sa-
pientia electa, & praelecta est. Adsit iterum Da-
Damasc. mascenus oration.1. de dormit. *Hac ab antiquis*
generationibus electa, præfinito consilio, ac benig-
nâ voluntate Dei, & Patris, &c. Ex Deo vero
Deum verum extremis temporibus ex se incarnatum
Anselm. *peperit.* Sanctus Anselmus: *Tu ante omnem crea-*
turam in mente Dei præordinata fuisti, vt omnium
fœminarum castissima Deum ipsum hominem ve-
S.Hieron. *rum ex tua carne procreares.* Sanctus Hierony-
mus in sermon. de Assumptione. *Dei genitrix*
electa, & praelecta verè ab Angelo salutatur, &
prædicatur gratiâ plena, per quam largo Spiritus
sancti imbre superfusa omnis creatura. Sibi suppar
est Damianus in sermon. de Annuntiatione. *A*
Dam. *Deo electam, & praelectam totam eam rapturus erat*
sibi Spiritus sanctus. De quo loci iam alibi dis-
seruimus. Si mentem intendas in hanc præpro-
peram electionem, & quasi antelucanam festina-
tionem, primam post Trinitatem agnosces hanc
venerabilem creaturam: vtpote quæ non solùm
ex connubio, nedum etiam ex cognatione vir-
ginea; verùm ex situ, & positione Spiritui
sancto propinqua statuitur: quoniam post Spiri-
tum sanctum non iam vlterior emanatio est, iam
exinde creaturarum series ab omnipotentia di-
stenditur: quare prima creatura non sine ingenio-
sa proportione sancto Spiritui decantatur vicina.
Quid etenim est, quòd Damianus, & Hierony-
mus, dum præelectam fuisse Mariam, accordi
modulantur accentu, statim cum Spiritu sancto
componunt: nisi quòd hoc dicendi genere, quo
nobilius nihil, præsignant, primùm in diuinis cō-
siliis festinâ præfinitione obtinuisse subsellium
cui proximitas ad Deum tam arduum maiestatis
locum constrauit? De quo extant trita loca. Bona-
Bonauent. uentura sermone 2. de Virgine Maria: *Hac enim*
in tantum Deo proxima fuit, tantâque sanctitate re-
splenduit: & sic in summo bonorum omnium cul-
men obtinuit, vt creatura aliqua non vnita Verbo,
nec perfectior, nec maioris boni capacior sit. An-
Andr. Hierosol. dreas Hierosolymitanus alibi expensus: *Virgo*
ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam, miraculo
Dei generationis. Prima natura proximè accedens
ad Deum, opificem omnium generationum. Quæ
non inscitè de primatu in prædestinatione solent
expendi.

11. Quæ, si placeant, pacatum animum mulce-
bunt, ne antiquitatem genitricis Virgini in tem-
pore generati detrectet; siquidem intra spatiosos
æternitatis sinus primus illi locus eminuit, vt mi-
raculum Dei generationis, proxima ad Deum
accedens, transcriberet in vterum: nec enim in
aliud præelecta dicitur, nisi vt gigneret Filium
Dei. En quantum de æternitate mutuauit, quæ
in æternis Dei consiliis, & antiquius aucupa-
ta fuit, & proximiorem locum occupauit, vt
Mater iam exinde pangeretur eius filij, in quem
generandum prima Deitatis vergit persona, ac
proinde illi æternitas attribuitur; licèt trium
personarum communis sit. Angelus cogitabun-
Luc.1. dam erigit: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Quid
Ioan.1. est *apud Deum?* Certè Verbum erat apud Deum,
sed Deus erat Verbum. Ergonè per gratiam sor-
titur Maria situm, quem per naturam Verbum;
ne discideretur à Filio, cui in mente Patris, à
quo gignebatur, iam parabatur Maternitas? Be-
nè ista. Sed Verbum esse apud Deum, æquali-
tatem significat essentiæ. Quid est ergo, quòd
Maria inuenerit gratiam apud Deum? Sanè nulla
creatura æqualem cum Deo valet sortiri situm: ast
quia gratia inuenta à Virgine fuit Maternitas Fi-
lij Dei, quem sibi in natura fecit æqualem, in situ,
& in natura apud Deum Virgo constitit à pri-
mordio creaturas omnes supergrediens, & in al-
tissimo Dei consilio persistens. Tractat venustè
Albertus Magnus in Mariali cap. 236. vbi mo-
dos, quibus aliquis dicitur esse apud aliquem,
recenset. Intercipiam verba. *Ipsa enim inuenit* Alb. Magn.
gratiam propinquiorem, quàm aliqua alia creatura
non tamen simpliciter æqualis situs potuit esse cum
Deo. Impossibile est enim in situ, vel in aliquo crea-
turam æquari Deo. Oportet ergo, si dicitur quoad
aliquid esse apud Dominum, quòd hoc sit respectu
aliarum creaturarum. Et paruo interuallo: *Vel*
sicut dicitur Filius esse apud Patrem (& Verbum
apud Deum) *propter identitatem naturæ; sic etiam*
dici potest esse apud Filium propter identitatem
naturæ, in qua vnum est cum Patre. Et denique
in cap. 237. *Hac omnia inuenisti apud Deum:*
apud, dico, propinquissima similitudine, dignitate,
familiaritate, natura vnitate. Quæ si colligas, &
non oscitanter prætereas plurimum in Marianis
excellentiis lucraberis. En apud Deum Maria
est, non solum positione, quia in decretis constitit
prima; sed eâ vnitate naturæ, quam explicuit Al-
bertus, nempe quia cum Filio per humanitatem
identitate naturæ gauisa est, & Filius in humani-
tate cùm Deus perseueret, vnum adhuc cum Patre
est. Ex quo saltem per obliquum apud Deum Pa-
trem ex Alberti acumine in vnitate naturæ Maria
statuitur, quod, opus est, non absolutè proferas,
& absque præfato explicatu, ne ad insolitum elo-
gium insipiens animus insolescat, & ibi sauciet ur,
vbi vniuersitatis medela est.

Ex quo non dubitauerim, cur Mariæ prædesti- 12.
nationem signatè diuino Patri plures ex Patribus
appiugant: cùm tamen in ipsa prædestinationis
sorte ab Spiritu sancto non seiungant: Sat sit Da-
mascen. oration. .de dormit. Beatæ Mariæ: *Hanc* Damasc.
& Pater prædestinauit, & Propheta per Spiritum
sanctum prædixerunt: Spiritus autem vis sanctificans
superuenit, ac purgauit, & sanctificauit, veluque præ-
rigauit. Ac tum tu Patris terminus, & Ratio circa
vllam circumscriptionem commoratus es, vt extre-
mam naturæ nostræ vilitatem ad infinitam incom-
prehensæ tuæ Diuinitatis magnitudinem reuo-
cares. En totius Trinitatis comitatus se Vir-
gini insinuat, eo sapientiæ consilio, quòd &
prima inter creaturas possideat solium in præfi-
nitione superna, & Deitati proxima ex cognatio-
ne cum Spiritu sancto compareat. Quid enim
est, quòd signatè Pater prædestinet, nisi quia
in eo Deitatis fons aliqualem in signo rationis
primatum subiiciat: ac proinde prima in ele-
ctione creatura illi adscribatur, quæ in Vnige-
niti Matrem non solùm electa, sed & condita
est? Quid quòd à Spiritu sancto prærigetur, nisi
quia post Trinitatem proximiorem statum obti-
nuit: ac proinde ab irriguis imbribus, quos tertia
persona pluit, non solùm rigetur; sed &, vtpote
vicina, prærigetur: & (vt Chrysologus dicebat)
qua largo imbre totam infunderet, & superfunderet Chrysol.
creaturam.

Igitur in hac positione, qua Christus ante om- 13.
nem creaturam præfinitus stabilitur, Marianæ
Maternitatis æternitas se nimiùm conspicabilem
exhibet; siquidem post Trinitatem in omni priori
signo

signo rationis confestim Mariam decretam, non vtcumque, sed vt Mater esset, sancimus. Quin omnes Virginis dotes, circumfluaque prærogatiuarum pompa, & diues charismatum thesaurus, quibus specie, & pulchritudine suâ, varietatibus circumamicta processit, Maternitatis electioni postponuntur: priùs enim electa fuit, vt esset Mater, quam gratiæ, & gloriæ taxatæ gazæ, virtutumque congestus cumulus in æterna prædestinatione micarent. Id benè obseruauit Suarius 2. tom. in 3. part. disput. 1. sect. 3. (Suar.) Ast in hac semita, quam constrauit, & aperuit Scotus, illud non ignauiter sese obiectat, quòd si ante originarij piaculi præuisionem Filius Dei in carnem decretus est, neutiquam passibile corpus, iniuriisque naturæ per flagitium temeratæ obnoxium, illi in eo signo valuit definiri; ex consequenti nec decerni Mater quæ illum veheret in vtero, carneoque præpediret ergastulo, & tenello puello horridum sinum, viscerumque latebras, muliebriaque nutrimenta pararet. Non ergo ex primatu Christi in præfinitione, Virginis primatus eruitur, nec electionis in Maternitatem antiquitas. Satiùs in hypothesi conseruatæ innocentiæ Filius Dei corpus assumeret gloriosum, quod nec posset estrema cuspis prægustare, sugillare verber, pungere vepres: ea culpæ seges fuit, & ex maledictione telluris flagitiosa progenies. Huius argumenti solutio à suis auctoribus inuenta plusculum Mariæ dignitati famulatur. Virgineus vterus eò limpidæ nobilitatis gloriosam celsitudinem attigit, quòd, quamuimuis Filius Dei, non intercedente crimine originali carnem assumeret gloriosam, ex vtero Mariæ progrederetur in gloria: nec à glorios status perfectione deturbarent fœminea viscera, angustaque claustra; imò gloriam auspicaretur ab vtero, vt nouo nascendi ordine qui orbem nobilitate veniebat, illustraret. Nescit se calamus continere, quin pij, & supra omnem laudem doctissimi, & excultissimi viri Patris Suarij verba rescribat, suprà disput. 1. sect. 3. in fine: (Suar.) qui, cùm præfisum sibi obiiceret argumentum, inter alia sic fatur: *Non improbabiliter posset aliquis dicere, etiamsi Christus concipiendus esset gloriosus, & perfectus, hoc nihil obstare, quominus ex materno vtero progrederetur. Præsertim quia durante illa vitâ immortali, in qua homines post certum, ac definitum ab eo tempus, essent ad beatitudinem transferendi, potuisset facilè Beata Virgo statim post Filij conceptionem, & animo, & corpore simul cum Filio fieri gloriosa. Itaque non est, cur dicamus, dignitatem Matris Dei per se, aut necessariò à peccato pendere.* Admodum præ lætitia ex præfatis verbis concepta salit animus, & inter suauissimas hilaratur delicias. Nimis congratulor huic sapienti viro, qui sic censet Mariæ vterus non gloriæ detrahere valebat, sed benedictio fructui placidam instillare fruitionem.

14\. Scande mecum Thaboris ad altum verticem: (Matth. 17. 2.) Resplenduit facies eius, sicut Sol, stagnansque gloriæ abyssus ad extremas corporis ripas exondans reliquiis beatitatis effluxit. Vt quid accuratè dictum est: *Facies eius, vestimenta eius?* Si ille transfiguratus fuit, certum est, quòd non facies aliena, non exteræ vestes, splenderet iubare, albicarent candidiùs niue Serio signatur faciem eius, eiusque vestiméta enituisse, ne aliud putares corpus, aut cœleste, aut aëreum, quod dotibus afficiebatur gloriosis: sed quale à Virgine accepit, cuius vterus, adhuc dum passibile edidit, non ex-

Zeeda, Mariæ effigies.

tranea à luce gloriæ parturiuit. Hieronymus in Matthæo 17. (Hieron.) *Vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium, non substantia tollitur; sed gloria commutatur.* Christus non est, nisi qui ex Virgine natus: gloriam Christo deprædaris, si nouum illi in fulgoris abundantia corpus impingis. Abulensis in capit. 17. Matth. quæst. 32. (Abulens.) *Isti valde desipiunt: nam corpus Christi ante transfigurationem erat verum corpus humanum, sumptum de Virgine: si autem in transfiguratione esset aereum, iam non esset corpus, quod priùs habuerat, & sic non esset verus Christus, sed quidam alius.* Ergo caro ex Virgine decerpta, quam nulla maculauit contagio splendentibus apta fuit collustrationibus vestiri: siquidem ex virtute obumbrante, qua concepit, desuperque perpluente nube, iam inde pignus fuit corporeæ transfigurationis in gloria, in qua rescribens priora nubes lucida obumbratura descendit, Altissimique insonuit contestans eumdem esse Filium, quem ex virtute Altissimi conceperat Virgo; de quo fusè egimus Acad. 4. sect. 1. num. 34.

Itaque Mariæ viscera idonea fuissent gignendo & baiulando impassibili corpori, quod in præfata sententia, si Adam à iustitia non discederet, decederetque, Filius Dei ob vniuersi decorem acciperet; ne in vllo statu à Matris honore orbaretur Maria, quam in sui parentum suimet pigneris condere præfiniuit auctoritas. 15. Nonnè Mariæ caro stabile claritatis gloriosæ pignus fuit? Scis, in quem sensum nobiles ex Patribus iuere, dum illud Euangelistæ exponunt de Ioseph: *Accepit Mariam coniugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit.* Censent ex facie Virginis fœtæ Deo flagrantes spirari radios, fulgentissimumque contorqueri iubar, quod pusillos oculos arcebat, pulcherrimumque vultum inuium reddebat obtutui. Sufficit Hilarius in Caten. S. Thom. (Hilar.) *Propter Sanctissimæ Mariæ glorificationem à Ioseph cognosci non potuit, donec peperit: Dominum enim gloriæ habens in vtero, quomodo cognosceretur; si Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, vt non possent intendere in eum filij Israël: quantò magis Maria agnosci vel intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ vtero habebat? Post partum autem à Ioseph agnita inuenitur specie faciei, non tactu libidinis.* Obserua hæc, *Specie faciei.* Ergo coruscabat in facie, quæ excussâ claritudine intuentium lumina propulsabat. Quod si componas cum transfiguratione Dominici corporis, è facie in faciem pronum argumétum deduces. Mariæ vterus, Solis baiulus, clara specimina excudebat in vultu, vt in corpore passibili impassibilitatis & gloriæ posteà in cacumine montis propalandæ, matutina indicia præmitteret, & quasi instrueretur in Matre, vt per gradus incrementa claritatis exhiberet. Cui cogitatui vt fidas, disputat Abulensis, in c. 17. Matth. quæstion. 35. quale fuit discrimen inter claritatem, quæ à conceptu vsque ad partum in facie Virginis resplenduit, & Dominicæ faciei in transfiguratione nitorem: decernitque: (Abulens.) *Dicendum, quod illa* (scilicet facies Virginis) *fuisset de conditione claritatis Moysi; id est, non esset claritas gloriæ, quia gloria corporis nunquam datur ante gloriam animæ, cùm gloria corporis causetur per refluxum ab anima in corpus: & tamen Virgo viuens non habuit animam glorificatam: hoc enim sola anima Christi habuit; ideò non daretur ei claritas gloriosa, sed esset claritas de conditione naturalis claritatis.* Hæc ille. Sed ex Abulensis principiis liceat

agere ingenio. Fulgor in Virginea facie iradians contorquebatur ab vtero, quem gestabat: flammam illam diuinus eructabat fœtus, & ad speculam vultus splendidissima sui pignora dispensabat, vt sensit Chrysostomus hom. 4. in c. 1. Matth. Chrysost. Igitur si semel verum sit, quod adhuc sub lite est, splendorem illum in Mariæ facie micuisse, quem fœtus emittebat; siquidem sacra proles in anima gloriosa beatitudine fruebatur, non contemnenda ratio suadet nihil illi claritati deficere, quod gloriæ aliqualiter non deputaretur. Id arcta Filij cum matre admonet adhæsio, & quasi in vnum suppositum transfusio dum in vtero est, cùm pars viscerum dictitetur: arctiúsque & solidiùs virginea Mariæ soboles, pars Mariæ fuit, quia non aliùs, vtpote virgineè concepta. Itaque Filij beatam animam cum Mariæ corpore nectæ, intra cuius vterum ambiebatur, cùm vtriusque caro non dissideret: vt deuotè saltem cogites, claritatē illam Matris, ab anima beata, nempe Filij, scatuisse, vt quasi in paradigma præiuisset, typomque transfigurationis in Tabor. Quæ piè magis, quàm censorio rigore suscipias: certum enim duximus, splendorem illum, si in vultu Virginis fuit, non inter dotes gloriæ computandum.

16. Sed ne tenuas, in opinione, quam præstruxi Filium Dei, non peccante Adamo, venturum fuisse in carne impassibili, seu gloriosa, Mariæ vterum famulaturum fuisse, qui etiam dum passibilis venit, eius gloriæ experimenta protendit: præstat audire Richardum de Sanct. Laurent. serm. a. partic. 1. col. 25. (Richard. à S.Laur.) *Domus ista beata Virgo. Vnde Sapientia ædificauit sibi domum, Prouerb. 9. Et locum habitationis gloria tua, id est, Filij tui. Locus iste vterus virginalis. Et benè dicit: locum inhabitationis gloria tua, id est, vterum virginalem, vbi habitasti gloriosè, & quem inhabitando gloriosum effecisti.* Quid est hoc, *vbi habitasti gloriosè*, siquidem in carne passibili, in horrido naturæ situ, qui pati venerat, fœminei ergastuli non detrectauit iniurias? Quid Ricardus censeret, si Primigenio non peccante Filius Dei in corpore glorioso fieret homo; si passioni obnoxium, mortalitatisque calumniis adhuc in vtero Matris gloriosè habitauisse putauit? Demirare vteri prætogatiuam: gloriosum reddit, quem edit mortalem; quasi Paterni vteri hæreditauisset indolem, à quo Filius oritur splendor gloriæ. Nasci à Matre etiam in carne passibili, gloria fuit nascentis, beatitudo puerperæ. Beatus Pater, cùm ex corde Verbum eructat, gignit ex vtero Vnigenitum: quippe cum gloria in Deitatis intuitione sita sit, Deumque intueatur; dum gignit Deum, gloria est illi Diuini Verbi generatio, eò virginea, quòd ab intellectu.

17. Ex quo Pauli locum illustrabis: *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* (Ad Heb. 1. 3.) Quid est, quòd figuram substantiæ cum gloriæ splendore componat? Appositè: figura enim imago est, viuidusque character, compendiosaque definitio Genitoris per intellectum expressa. Quare eò gloria, quò generatio est; eo splendor, quò conceptio ex vtero. Si forsan gloria nasci ex Matre? Chrysostomus homil. 1. in cap. 1. Matth. (Chrysost.) *Ideò autem, & desponsata, & domi habita, vt desponsatio ipsa fidelis esset, & fornicationis opprobrium à Matre repelleret, & virginitatis gloriam nascituro Domino reseruaret.* Qualisnè gloria? Cui proprium generari est, & virgineè; quid quòd, dum nascitur ex Virgine, gloriam sibi resumat? Attende laudum cantica, quæ circumuolantibus Angelis reboant in æthere. Nascitur Dominus, & ecce multitudo militiæ cœlestis canit: *Gloria in Altissimis Deo.* Quam mirabile melos! Annè ab amoris prodigio, quod Filius Dei factus homo hominibus exhibebat, arrepti, stupentesque Angeli errauerunt in carmine, & natiuitati temporali ex Matre abrupto subitæ & tumultuariæ lætitiæ pondere, carmen cecinere, quod æternæ generationi ex Patre intonare consueuerant? Qui in splendoribus Sanctorum iugiter generatur à Patre, splendor gloriæ, vt diximus, innascitur: & ab Altissimo gigni ex altissimis Diuinitatis secretis gloria illi est, dum intellectu, quo gignitur, in Genitorem ipsum per gloriosam beatitudinem regreditur: ergo tunc gloria in altissimis Deo est; hæc illi suauiter concrepare debet cantilena. Cæterùm quando temporario parturitur puerperio, & è visceribus maternis emittitur, sit gloria enitenti Virgini, vtquid signatè in altissimis Deo Patri? Considera, quàm aptè Deitatis gloriæ Marianus obsequitur vterus: quasi indiuisa esse generatio, vna natiuitas; tunc gloria pangitur Patri, cùm Filius eius temporariè oritur ex Virgine. In Altissimis gloria Deo est, dum nascitur ille apud Matrem, qui ex virtute Altissimi conceptus in vtero fuerat. Vide consonantiam: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, cùm gignitur: *Gloria in altissimis Deo*, cùm nascitur. Admonent vtrobique cœlestes legati, quantum impassibilitati, generationique gloriosi corporis vulua Mariana proficeret in hypothesi, quod innocente Adamo Filius Dei regalem, omnique carnis calamitate, iniuriaque passionis liberam carnem assumeret; siquidem etiam dum sigi venerat in opprobrium hominum, obiectionemque plebis, gloria Deo Patri pangebatur: quasi idem fuisset illi in medio terræ, nempe in vtero virginali, progigni, quam in Altissimis arcanis apud Patrem.

Hæc habui, quæ in huius opinionis libarem obsequium: quia inopis animi, nimiúmque impoliti esset, quidquid meæ virginis gloriosum est, non auido arripere, locupletareque labore. 18. Ergo si indulgeas huic Mariæ in diuina electione primatui, fruere præfatis, eamque in Maternitatis functione tam præproperâ prouidentiâ super omnes diuinæ omnipotentiæ effectus demirare conspicuam, & obuersantem ante diuinum intellectum, quasi luderet coram eo omni tempore, vt ad eius formam omnes fingeret creaturas. Documentum habes in Angelis, cœlo, terra & aquis, quæ ab artificis labio, tanquam à manu, priùs eruperunt: in quibus huius Virginis præoccurrerunt indicia, symbola & typi, quos longum esset recensere; & quæ alij feliciter nauarunt, otioso calamo reproducere. Do Anselmum de excellentia Virginis capit. 2. (Anselm.) *Tacitis illis, ab initio omnis creaturæ vsque ad sanctum sui aduentum sunt de hac Virgine prophetata, sicut tam per eos, qui ante legem, quàm & per eos, qui sub lege iusti fuerunt. Illud coniicio apud me, natiuitatem eius, quam quidem ex linea generationis humana non nescio descendisse, magna quædam, atque miranda diuinorum signorum indicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo nouit, qui eam antequam nasceretur in Matrem elegit.* En electionem in Matrem pro causa apponit, cur præluserint eius indicia ab initio omnis creaturæ: velut si quædam ex primâ electâ Mariâ reliquiæ, & pignora in

cæteras

cæteras creaturas spargerentur, quæ à primordio illam exprimerent, & singulis sæculis spem nutrientes ænigmaticis coloribus præsentarent.

Maria in æternitate Diuinæ generationi intentionaliter ministrans. Qualis excellentia.

SECTIO III.

19. ALIA nobis suppetit via, si diutius in altissimis Dei nostri latibulis, contemplationis ligone fodiamus, vt antiquitatem virgineæ Matris in prædestinatione cum æternitate diuini Filij contendentem auspicatò eruamus. Duo ex schola non ineruditis suffulta patronis operæpretium est educamus. Alterum est, terminum diuinæ æternitatis primarium, vt non ignobili Neoterico placuit nouissimè, esse duas emanationes æternas indiuisibiliter continuas, Filij nempe & Spiritus sancti. In qua sententia Filium Dei æternè subsistere, nihil est aliud, quam semper in egressione sui à Patre durare per eminentiam super infinitum durationis fluxum; Patremque æternitate potiri, est in natiuitate Filij perennis generationis motu perfectissimo persistere. Ex quo æternitas vtriusque eadem est. Vnde Nyssenus orat. 7. contra Eunom. *Ille, qui omnia, quæ sunt Patris, habet, atque in omni gloria, Patris consideratur: quemadmodum existens in vita Patris fine carentis, finem vitæ non habet; sic in Patre originem non habente dierum principium non habet: sicut inquit Apostolus: sed ex Patre est & in Patris æternitate conspicitur.* Alterum est, Verbum diuinum non solùm ex cognitione possibilium creaturarum, quod communis fermè sententia fert; sed ex futurorum, contingentiumque præuia cognitione per se ab æterno Genitore exoriri: quod ex Societatis Patribus in scholis sonat. Quid nos sentiamus, in Theologicis Academiis depromimus. Præstat nunc hanc vtramque positionem supponere in nostræ Virginis, quod paramus, obsequium. — Nyssen.

20. Profectò si creaturæ futuræ primæ personæ obiectabantur, non accidentali, sed proprio concursu, vt illis inspectis vnum progigneret Verbū, quod infinitam diuinæ cognitionis & exæquaret, & saturaret opulentiam; quid contemplaberis de Maria à primordio in Matrem electa? Si primum locum in futurarum creaturarum præordinatione obtinuit, primaque se Paterno obtulit intellectui, & eius prima electio in Matrem fuit, vterique illius maternus cōcursus vt futurus obiectabatur; iam quidem aliqualiter Matris peragebat officiū, generatione temporali sibi subseruiente ad æternam, & in obiectiuo concursu, intentionalique motu lineas quasi ducebat temporalibus in visceribus generandi; cui etiam ad generationem æternam temporalia viscera æternè monstrabat, vt iam exinde Filius Dei nouisset vt Matrem, quando à Patre absque matre gignebatur. Non longè abit Augustinus tract. 8. in Ioann. *Et antequā de illa natus esset in prædestinatione nouerat Matrem & antequam ipse ipsam Deus crearet, de qua ipse homo crearur, nouerat Matrem.* Quid multum est in prædestinatione Filium Dei nouisse Mariam, in quo omnia non solùm facta, sed & præfinita sunt & electa? Certè emphasis est. Non inquit, nouerat Mariam, sed nouerat Matrem, etiam antequam ex ea natus esset. Id quidem insolitum est & nouum; siquidem nondum filio nato, nondum Mater est; ac proinde nec valet vt Mater cognosci. Igitur subtilitas latet. Cùm gignebatur à Patre absque coniuge, absque sodalitio fœmineo; Matrem quidem nondum habebat, quia nondum ex ea nascebatur: sed Matrem quidem agnoscebat, ex cuius cognitione oriebatur à Patre, & velut si auspicaretur iam inde matris obire functionem, adeò exculta virginitate, vt solum intentionalem concursum ministraret; Mater iam ab Vnigenito à Patre & noscebatur, & nuncupabatur: quod summæ puritatis & pignus fuit & indicium, qua nobilitanda erat generatio temporalis. Forsan huc respexit Petrus Cluniac: Abbas epist. 10. ad Nicol. apud Bibliot. tom. 12. *Credo, dico, assero, & iuro, beatissimam Virginem nostram in æterna prædestinatione singulari priuilegio munitam; nec à sua conceptione in aliquo violatam; sed semper mansisse & permansisse illibatam: & sicut beata vltra humanam & cæterorum hominum naturam, sic secreta & incognita manet vltra omnium notionem.* Quid est, quòd ex singularitate in æterna prædestinatione in nullo fuisse violatam, sed semper illibatam enituisse Virginem deducat? Sanè id prædestinationis nobilitas induxit. Si enim supernus Pater primùm in Virginem oculos mentis iniecit, & ad eius intuitum, ex eiusque speculatione Vnigenitūm progignebat; iam ex tunc illibata functio erga Filij generationem in matre resplenduit, & purissimo, candidissimoque perstitit munere, auspicans exinde in tempore in nullo violaturam esse candorem, qui in ea illuxit, dum candor lucis æternæ gignebatur à Patre. — Petrus Clun. — Aug.

21. Audisti non semel Mariam à Patre prædestinatam. Apposita quidem attributio est, in qua & antiquitas prædestinationis in Matrem, & consonū Matris ad Patris æterni munus innuitur. O quale defæcatæ & excultæ mentis spectaculum? Gignit Pater non solum in æternitate, sed & in æternitatis fastigio, in priori videlicet signo rationis: priùs enim est, quod naturæ est; priusque cognitor genitor, quàm spirator; priùs mentis, quàm voluntatis opus & terminus. Si ergo Pater, qua Pater, Mariam in matrem Filij prædestinauisse profertur: quid aliud piæ meditationi parat, nisi analogicè saltem & per venustam attributionem illi prædestinationem istam adscribi, simulq; genuisse Filium absque matre, thalamoque iugali, & matrem ipsi Filio decreuisse, vt ab illa temporaliter gigneretur, eo sapientiæ prodigio, quòd generatio æterna, & absque matre esset generante, & nō nisi coram obuersante iam & obiecta matre ad genitricis officium, quam Pater vt sponsam simul & virginem cognoscebat. Iuuat non parum Augustinus tom. 10. serm. 22. de temp. *In Patre perpetua Diuinitas, in Matre æterna virginitas: sic enim ad eam Dominus loquitur per Prophetam: Et desponsabo te mihi in æternum. Semper ergo virgo est, quæ semper sponsa est: & quæ vocabulo sponsæ non carnis, in æternum virgo permansit.* Sponsa & virgo in æternum à diuino Patre nuncupatur; quà sponsa, ex fœcunditate concernit fœtum; quà virgo, purum & nitidum generationis officium. Ergo si sponsa in æternitate est, non deflectet à vero quisquis contempletur, iam ex tunc coram Patris æterni conspectu, genitricis hausisse experimenta: non quia gigneret in æternitate; sed quoniam quæ genitura erat in tempore, ad ipsius Filij generationem æternam more famulabatur obiecti. — August.

22. Mich. 5. 2. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Fusè suprà hunc locum explicuimus: superest adhuc quid demus. Vtquid dies æternitati tribuuntur, quæ super fluxas, sensimque labentes temporis graditur differentias, indiuisibilique, & simplicissima infinitudine non lucibus vicissim exortis, demortuisque variatur; sed vna absque vicissitudinis obumbratione persistit. Scis, quod ibi dictio illa *egressus* pluraliter est construenda, vt liquet ex Græco. Gemina ergo generatio, quæ à Patre scilicet; & quæ à Matre describitur. Dies cum æternitate iunguntur, & in ipsam transire æternitatem denotatur; quia Mater, cuius temporarij dies sunt, in æternitate præcessit coram ipso Genitore, licèt non gignens, generationi ministrans, seque præbens obtutui Patris, vterum ostendens & vbera, vt æternum Verbum oriretur, vtpote Verbum existens suiipsius, prout hominis faciendi expressiuum. O quantus hominis amor, ô quantus Virginis! In egressu à Patre egressum meditatur à Matre: quasi idem illi esset egredi à Patre, & iam temporis præteruolare spatium, seque totum temporali generationi permittere. Grandis energia in Amadeo est, homil. 3. de laudib. Virginis. *Hoc fuit illi egredi à Patre, quod tempora nostra suscipere, quod foris visibiliter apparere & fieri, quod ex Patris natura non erat. Quod verò dictu mirabile est, iste venit ab eo, à quo non recedebat; ab illo egrediens, in quo remanebat: vt sine interuallo totus esset in æternitate, totus in tempore, totus inueniretur in Patre quando totus in Virgine: totus in sua, & Patris maiestate, quando totus in nostra humanitate.* Supra prodigium est illud: *hoc fuit illi egredi à Patre, quod tempora nostra suscipere*, &c. siquidem, licèt totus inueniretur in Patre, quando totus in Virgine; non tamen semper totus in Virgine, quãdo totus in Patre: solum enim quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. O anteuolans humanitatis cupido, ô antiqua in altissimis Dei consiliis Mater! Auiditate inter homines nascendi, consilio præfinitioneque antequam carne, cucurrit, & in prima liberi decreti explicatione se humanitati destinauit, prædestinauitque Matrem, à qua vt obiecto, quod mentem alliceret venustate, raperet puritate, gigneretur in Patre; idemq; illi fuisset egredi à Patre, & per æternæ mentis celerem super omnes creaturas lationem iam tempora nostra suscipere, iam Virginis vterum, licèt nondum in carne, tamen carnem assumpturum implere.

Amad.

23. Malac 8. Expedit versare Malachiæ vaticinium: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Quàm nouus Solis apparatus? Cur non rhedâ vehitur, quam cornipedes per æthereos tractus celeri rotarum volubilitate vehant? Alipedes equos Phœbi curtui copulauit vetustas, non alas Phœbo. Sed si Sol Verbum oriens est; quid quod equorum alæ ascenderint ad Solẽ, qui, dum equos non patitur vt desides, vt ignauos, à brutorum cruribus arripit pennas, vt equos præteruolet, qui & auras? Quam nobile Verbi amantis emblema? Nonnè Habacuc cum quadrigis vidit: *Quadrigæ sua saluatio?* Vtquid deserit quadrigarum subsellium, & alas circumdat? Nam oriens describitur: *Orietur vobis.* Vir igitur oriens ex alto depingitur à Malachia. Hic æterni Patris Filius est; non iam quadrigis vtitur, qui citissimum ortum sui à Patre in hominum arripit medelam, vt totus sit in tempore, qui totus in æternitate. Præpetes crispantur pennæ, quibus Filius Altissimi volet ad terram. Iniuriam facies, si temporis spatiis celerem eius præpedias amorem. Sed cur alæ ad Solem? An vt cœli gyrum circumeat? An vt ad terram veniat? Pennas Solis apud Malachiam pro radiis accipiebam: post adiui Riberam, & inibi inueni suffragium: *Radios Solis*, inquit, *metaphoricè vocat pennas, quod Solem circumstent radij ad similitudinem alarum expansarum, iuxta illud.* Ribei.

Habac. 3. 8.

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustrat,

Sed radiis Sol omnia lustrat, non verò omnia præsens tangit. Licet citissime vix oriens lampas radiis feriat montes, abigat tenebras, & croceis luminibus, colorumque beneficiis terram venustet; non tamen ipsum Solem secum radij vehunt: sed dum ipsi illuminant æthram, Sol arduus enitet in orbita, sphæram, quà voluitur, non relinquens. Non igitur radij pennæ sunt, quæ per aëris campum Solare corpus baiulent, quod circumdant. Sed en amoris diuini citior volatus. Sol non gerulis sui radiis appellit ad ima, licet celeri radiorum eiaculatione commercium sui luminis terris communicet. Ast Sol diuinus radiis pro pennis vtitur; vt qua radij sunt, momento terras collustret; qua pennæ fiunt, ipsummet Solem terris adducant. Æmulus pie conflictus inter Solem & radios; ne radij priùs Sole accederent, pennæ fiunt, vt Sol in illis eâdem velocitate terris sui præsentiam exhibeat.

Vis pennam hanc intueri? Prospice calamum: 24.
Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Psalm. 44.
Pro calamo apud Symmachum est γραφεῖον, apud Symm.
Aquilam κάλαμος, apud Græcum κάλαμος, quod Aquil. Græcus.
iuncus, seu arundo. Hinc quid ad scriptorium instrumentum attinet, sub illa voce latitat: sed (vt adnotauit Lorinus) calamum ex penna sonare valet. Lorin. Hinc noueris acumen. Lingua, verbum, calamus Filium Patris perspicuo præsignant stylo? Anne Verbum volat à Patre? Nonne Verbo Pater scribit, quæcumque nouerit? Duo munera sunt in calamo: per cristam volat, per cuspidem scribit. Hoc huius calami insigne, quòd, dum volat, scribit; dum scribit, volat. Oritur à Patre, quà Verbum: quidquid in Patre alloquitur, exarat, & nobilioribus sermonis instrumentis manifestat. Stylus Patris est non silens, sed semel absque incisione figura, character viuidus; semel calamus velociter scribentis. Amor est, dum sic scribit vt calamus, vt penna volet: & adeò celer nostris occurrat obsequiis, vt vtrumque obeat absque intercapedine munus; quasi æternum volet, qui æternum scribit. Sic Sol cum pennis oritur, sicut si nasci, volare sit. Non ales enascitur volans, nisi quæ Solis filia nuncupatur Phœnix. Ast dum Verbum è Patre nascitur, iam plumas explicat, quæ scribant apud Patrem, quæ volent apud nos & in vtraque natura binas concitat pennas, volat ad humanam, qui ad diuinam scribit. Seriò & grauiter Arias Montan. in Malach. *Verbi vis & celeritas per alas describitur: vt enim in volucri alæ non accidentes sunt, sed naturæ partes; sic Deus huic Soli alas addidit, partes ipsius naturæ proprias scilicet naturam Diuinam & humanam, quibus Christus constans mundo apparuit.* Arias. Mont. Quid est, quod Deus huic Soli alas addiderit, si alę sunt Diuinitas & humanitas; cùm Diuinitas non addita, sed indita à natura, ex suique proprietate à Genitore fuerit illi communicata: non sicut humanitas, quæ posteà in tempore superaddita fuit, suimet, non Solis, incremento? Ergonè compar in vtraque ala

ala dictio est æqualisque conditio; quasi vtraque gemellâ emanatione è substantia Solis erumperit? Et quidem nulla alesalâ vnâ constat; nisi duplex sit, potiùs casui prodeerit, quàm volatui. Vide, quam procliui & veluti inuato impulsu Filius Dei in homanam naturam à Matre capessendam auidissimè ab æternitate proruperit; siquidem Deitatem, quam naturaliter in omni complemento hauriebat à Patre, quasi vnam alam censuit, alterius indigam, vt volaret, sapientiæque, quæ omnibus mobilibus mobilior est, inclinationem ostenderet: quasi in eadem duratione vtraque illi obuenisset natura, de vtraque agit, sicut de gemina ala, quæ aui simultaneo egressu contingit. Oriebatur à Patre Verbum: ideò Sol, quoniam lux mentis est; ideò oriebatur, quia Filius; cui ortus insigne est, nomenclaturaque *vir oriens ex alto*: sed qui egrediebatur à Patre per intellectum, quidquid in Deo & extra Deum cognoscentem; dum ibi prætordinata Mater obiiciebatur, iam pennas sibi circumdate visus est, & in vtraque volitare natura; in Deitate quidem, quam naturaliter habebat; in humanitate autem, quam in tempore habere disponebat, sibique ex præmeditata carne blanditus, iam cum duplici gloriabatur ala, vt penniger a charitate in ipsamet natura, quam acciperc veniebat, venire videretur.

25. Gilib. Abb. Dicebat Gilibertus Abbas: *Pennigera est charitas: & prapeti volatu interiacens hoc praterno-las vacuum.* Cur ne *vacuum*, si orbis creaturis plenus est? An quia ab æternitate, quando nondum erant abyssi, necdum fontes aquarum erupetant, sed vacuitas iners; pennatos Filios Dei per æternitatis præscientiam, coëxistentiamque cum futuris creaturis aduolabat, vt totus esset in tempore, qui in æternitate totus: vacuumque transiliebat, iam operationis ad extrà cupidus; vt ad Mariam, quæ prima creaturarum erat, in ipsomet egressu à Patre peruenitet, vacuum, operationis incapax est, quæ transeat in corpus Ideò prætervolat vacuum, quia vacuum. Corpus adamabat, interiacensque inter æternitatem & tempus saliebat spatium; vt simul esset in vtroque, geminoque patente gauderet. Prou. 8.24.

26. Ibi.v 31. Obseruastine: *Ludent coram eò omni tempore, & delicia mea esse cum filiis hominum?* Obstupesce, quæso ad ineteatæ sapientiæ tapidum impulsum in homines. Si cum Patre erat, stabilique emanatione deliciis affluc otem incessabilem oitum carpebat: quid euagatur illicè amoris fucius, humanitúsque delectamenta capessete auet? Profectò amabilis, venerandaque nimis humana natura est, quæ inter eroces Paterni finus euoabula, inter stillantia Paterni cordis vnguenta, ridentiaque gaudia trahit in sui delicias Vnigenitum. Alibi adnotaui, quòd *ludere* conceptionem, generationisve actum significare solet; qnare *ludens coram eo omni tempore*, phrasim videri generationis æternæ, quam terminat Filius Dei. Obseruo nnne Hebraïcè esse: *Et lusus mei esse cum filiis Adam*, quæ adnotauit Caietanus, pro eo, quòd noster: *Et delicia mea esse cum filiis hominum.* In quo non insipidè conjectati datur eâdem dictione vti; & apud Deum Patrem, qua generationem indicauit; & apud homines, vt generationem temporalem nectetet eum æterna, & vtrasque illigaret delicias, iam inde vocem filij hominis appetens, qua se posteà nuncupaturus erat: ideò *cum filiis hominum*, inquit; non cum hominibus: se filium hominis amabat, cùm se Caiet.

Filium Dei proferebat; delicioso vocabulo linguam dulcorauit. Si præfatis artifetis, de antiquitate Matris non luctaberis: quam, vt in tempore gigneret, iam habebat ad vteri munus officiosam æternitas in antiquis diuinæ prædestinationis consiliis. Nondum quidem pariebat vt Mater, sed in Matris parabatur officium: nec tamen ibi otiosa, quæ Patris oculos sui depascebat conspectu, & qualemqualem influxum intentionali more in eum, quem erat in tempore genitura, impendebat.

Otiosè, dixetis, agimus; siquidem nec vllum ibi Matris munus exequi potuit, nec dissimile à cæteris obiectis creatis. Fatemur hoc: cæterùm scimus, plurimùm huic in æterna prædestinatione præsentiæ Patres detulisse, vt Virginem Matrem extollant, probentque Deitatem eius, quem in carneo vtero genetauit. Quòd præelecta fuerit in Matrem, & geniti & genitricis excellens elogium est. Plurimum enim eum mentis socordia pacificetur, qui non subtili cogitaui accommodum dixerit spectaculum, quando carnet quæ vlnis conceptura erat humanis Filium Dei; dum ipsum Pater in æternitate gignebat, Patris intellectum quasi vellicans, & ad se conuerti solicitans sic se primam obiicit, vt post primatium Deitatis obiectum primatum ferret, vt simul ex eius cognitione Verbum Pater conciperet, quod illi dare disponebat in Filium. En Deitas Filij Virginis probata? nec enim nisi Filius Dei, qui Deus sit, sic ab intellectu, obiecto allicientes, concipi potest. Ergo prius eum Maria Deus diuinè egit, seque Deum explicuit; posteà humanè, seque hominem dedit. Venustus locus est in Athanasio dial. 4. de Trinit. colum. 3. ad princip. *Hominem igitur genuit Maria? Nudum & duntaxat hominem, nequaquam, sed Deum, qui hominem indueret. Primum enim Dominus fuit cum ea diuinè, & tum demum infantulus ex ea œconomicè. Quamobrem etiam Deipara est Maria.* Quid est: *Primum fuit cum ea diuinè?* Non incuriosè potest intelligi: primum fuit eum ea intra Deitatis arcanum, quando prædestinauit in Matrem; *& tum demum infantulus ex ea œconomicè*, id est, per Incarnationem, quæ solet œconomia vocari, vt alibi diximus. Ex quo arguitè probat, Mariam non solùm hominis, sed & Dei esse parentem, quam Deus in vtroque statu cognouit; & in egressu à Patre, cùm elegit, vt Deus; & in egressu in vterum, eum in illa fuit factus vt homo: quasi iterum tunc Matiæ experiretur concursum; & à qua in æternitate tanquam ab obiecto, modo intellectuali, prouenicbat, in tempore rursus naturali substantia & veritate, vt à Matre oriretur. Non pigeat sic deflectere verba Epiphanij in Anchorato col. 69. in medio: *Ipse enim Saluator sanctus est, qui de cœlis descendit, qui in officina Virginis salutem nostram operari dignatus est, qui ex Maria rursus genitus est, per Spiritum sanctum conceptus, qui carnem accepit, & Verbum caro factum est.* Quid est, *ex Maria rursus genitus est?* An antea semel genitus erat? neutiquam. Imò qui iam antea gignebatur à Patre, iterum gigni delegit à Matre. Verùm non abnues, non modicam ansam Epiphanij verba conniuente stylo præferre, vt sensum elicias: Rursus genitus est à Maria, qui iam semel ab æterno in matrem definierat, & in fœcunda Patris memoria, a qua trahebat ortum, tanquam ex obiecto, intentionali concursu prodiuit. Idipsum 27. Athan. Epiph.

Idem. sum ab eodem Epiphanio sortieris, hæres. 44. expendens illud: *In principio erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt*; sic inquit: *Si verò in ipso facta sunt, & ab ipso, ipse tunc Adam formauit, & ipse rursus corpus à Maria Virgine in seipsum efformauit, & perfectè omnem suam Incarnationem couniuit; tunc ab ipso formatam, & nunc in seipso counitam.* Quia Verbum erat apud Deum, in quo quidquid factum, præfinitum fuit, vt fieret; cursus corpus à Maria sibi efformauisse profert Epiphanius: forsan, si lubeat, quoniam iam antiquitus in æterno condiderat exemplari, in quo speculabatur genitricem.

28. Hieron. Quibus si assentias, non vltrà ad Hieronymi verba nutabis, qui in Psalm. 96. expendens illud Isaiæ 19. *Dominus venit in Ægyptum super nubem leuem*, sic de Maria loquitur: *Nubes ista leuis quæ est? Videtur mihi sancta Maria, nullo humano semine prægrauata. Ista nubes leuis venit in mundum, & secum portat mundi Creatorem.* Enodauimus Hieronymum suprà Academ. 4. sect. 1. num. 30. Non suffert animus perfunctoria forte frui. Venit in mundum Maria, cum gignitur: nondum gignit, nondum Sole impleta est; lustra transeunt? quî festino, concitoque tumore iam vterum gestat, quæ gestatur in vtero; iam Deo fœta, secum portat creatorem mundi? quod ea emphasi dicitur à Doctore maximo, qua non leuiter simulat, quasi extra mundum nubem hanc onere sacro impletam fuisse: siquidem, cùm in mundum venit, iam secum illud portat, Creatorisque mundi baiula graditur. Sic liceat pro ingenio discutere, vt in generosi vteri Mariani antiquitate nobili proficiat: non quòd tempus anteuertat, generationemque temporalem sacrilega laude velit æternam cogitare (id nefas) sed quod Mariæ præfinita existentia non in aliud collimauerit, quàm vt Mater esset Filij Dei; ei proinde nullum fuit rationis signum, instansque in æternitate, in quo non vt Mater præfinita præiret, eâ cum Deo homine connexione, vt quando extra causas educta veniebat, iam secum portare mundi Creatorem videretur: quippe signum constans, pignusque edebat stabile aduentus Filij Dei in carne.

Maria quasi Mater æterna, quia priùs concepit mente, quàm ventre.

SECTIO IV.

29. AD antiquitatem Maternitatis virgineæ vtcumque comperiendam, retroactam ante Mariæ existentiam durationem exploraumus & æternæ prædestinationis transfretauimus pontum: in quo vetustiorem illi situm præstitimus in sententia, quæ de cœlo deducit Filium Dei, humanæque inserit naturæ, quantumuis Adam ab albenti iustitia non labaret. Nec in alia sententia, quæ ex præsenti decreto non vult Deum carni deuincire, nisi prius homo ab innocentia decidisset, deperit multum de vetustate Virgini Matri: siquidem semper cum Filij prædestinatione coniungitur, quem in genere causæ finalis præcessisse intentionis serie, quidquid in æterna electione præfinitum fuit, hæc eadem sententia stabilit. Agamus iam de Maria ab instanti, quo in Annæ vtero consita fuit, ne subterlabatur momentum à vitæ primordio vsque in posteros dies æternitatis, quod perscrutationem subterfugiat, an semper Matris & vocabulo & stemmate fuerit gauisa; licèt non re vsque ad temporis taxatam legem, quam desuper ab Angelo visa concepit. Sanè de *Matris* voce non est, cur calamus fatigetur vlterius: Academ. 5. contendimus, Mariæ nomen, antequam gigneretur insonuisse: & ibidem sect. 7. confecimus in Mariæ nomine significatum *Matris* recludi: ne momentum efflueret, quin se genitricem auscultaret ex voce.

Quòd autem in re ipsa à conceptionis intra Annæ vuluam exordio, nobili Matris genere functa fuerit, admonet non insuauiter, quòd Dauidicæ stirpis regia Virgo delecta fuisset, quæ sacro granidanda fœtu, priùs conciperet mente, quàm corpore: quod proloquium extulit Leo Magnus in serm. de Natiuit. cui & Patres alij non dissimilibus verbis arriserunt. Curnè priùs mente concepisse absque signato perscripti temporis perhibetur instanti? Egregiè. Vt semper priùs quolibet signato concepisse credatur; & nisi peruenias ad instans, in quo concepta fuit, non quiescat mens, quæ momentum vestigat. Certè cum virginitatis duratione Maternitas ista mentis coæua est: virgo concipitur, quidni Mater? Energiam hanc cupio in Augustino lib. de sancta virginit. cap. 5. *Maria faciens voluntatem Dei corporaliter Christi tantummodò Mater est: spiritualiter autem & soror & Mater: ac per hoc vna illa fœmina non solùm corpore, verùm etiam spiritu & Mater & virgo.* Et statim: *Sola ergo Maria & spiritu & corpore & Mater & virgo.* Ne denectas ista *Mater* & *virgo*; quippe, quâ virgo corpore & spiritu, Mater spiritu fuit. Virginitas mentis vberioribus solet prouentibus cumulari; nec sterilibus ariditatis calamitatibus frangi: feracior corpore est. Maria, quæ in conceptionis momento animam dæmoni non prostituit, nec sub vteri fornice fornicata per originale piaculum contabuit, innoxiâ limpiditate venustatem mentis poliens absque hæreditaria macula, nequiuit à fœcunditate destitui: concepta è vestigio concepit; genuit spiritu, quem corpore gignere veniebat. 30. S. Leo. August.

Hæc igitur prima ratio sit, cur statim animo concepisse Virgo dicatur. Quare putas? Quia virgo. Virginitas mentis, vtpote nobilior, & generosiori & antiquiori debet insigni pollere: nec corporis virginei fructui deferre victoriam, primatumque fateri. Si fœcunda in corpore Mariano pudicitia, quidni in mente? non fœcunda in corpore nisi Deo, nisi Verbo Dei; cui proles est: Verbum autem aptiùs mentis soboles, quam ventris creditur: intellectualis sinus & capacior & aptior est. Igitur quæ conceptura erat in corpore, non debuit sterilitate mentis arescere; sed ex animi Maternitate in corporis Maternitatem proficere. Simon Cassia lib. 2. de B. Maria cap. 26. exponens illa verba: *Quæ est Mater mea? Quinimo altius verba Christi intelligens se cognouit duplicem Matrem, carnis videlicet, quia verè sic erat; & spiritus super omnes animas, quoniam peramplius Dei voluntatem ipsa perfecerat, quæ plene perfecta iuxta sententiam Saluatoris eam animam, quæ fecerit, efficit Christi Matrem. In qua Maternitate perfectiùs Virgo profecit, quàm in illa, quæ solùm est carnis.* Plura sunt, quæ offerunt acumen. Quid est, quod Maria perfecisse dicatur 31. Sim. de Cass.

dicatur Dei voluntatem, cum potiùs ex verbis Matth.12. 50. Dominicis solùm habeas: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic mater & soror & frater est?* Annè cæteri faciunt, si iusti; Maria perficit? Sed perficere non solùm facere, sed & ad factum, decoris, nobilitatis, pretiique aliquid addere est. Si voluntas Dei in se beneplacens est & perfecta, egetnè, vt perficiat Maria? Profectò sublimius nihil. Perfectum dicitur, cui nihil de suo complemento deest. Hinc Deus perfectus dicitur, S.Thom. Sancto Thoma confirmante 1. p. q. 4. art. 1. non quòd factus, sed quòd in vltimo actu absque vllius defectus inopiæve calamitate subsistit: nec iacet egenus, adiacentisque cupidus sortis: sed totum est, quia omnia est. Quare actus purus nuncupatur, vtpote cui nulla vacuitas, nullum complementi auidum receptaculum: & quidquid & semel, & semper est. Sic in eo voluntas perfecta est: nam quidquid voluit, semper, semelque voluit. Homo, etsi eius voluntatem faciat, non perficit; quia non semper voluntati obtemperauit: ex quo inobediens Primigenius mandatam sibi pepulit iustitiam, præuaricationisque piaculo mandatum temerauit. Inde progenies in iniquitatibus concepta, rebellibus se diuinæ voluntati vepribus opponit, & ab originario dumeto spinis armatur appetitus procacis. Quis voluntatem Domini perficit? Qui in initio suæ conceptionis Psal.19.9. in ea verba laxauit linguam: *Tunc dixi: Ecce venio: Deus meus volui, vt facerem voluntatem tuam.* Annè & Maria? Sanè. Scelesti criminis non passa inuasionem, quasi cœlestis gignitur Virgo: Dei voluntatem perfecit momento, quo facta est. Luc.11.2. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Cur cœlum apponitur pro exemplari? Quoniam in cœlo quotquot Angeli sunt, voluntatem diuinam perfecerunt, vtpote in cuius iugiter actu absque vlla ab exordio vicissitudine persistunt. Igitur si Maria non solùm corpore, sed & animo Mater fuit; quia voluntatem Dei ipsa perfecit: simul cum virginitatis flore erumpente, spiritalis Maternitatis fructu illicò maturo ditata est. Iam calluisti Simonem de Cassia, dum probat spiritu matrem: *Se cognouit duplicem matrem, carnis videlicet, quia verè sic erat; & spiritu super omnes animas: quoniam peramplius Dei voluntatem ipsa perfecerat.* Vide, si perfecit, quæ vtrumque receptaculum actu puro, qui Deus est, non inane, sed completum habuit. Laurent. Iustin. de connub. Verb. & anim. cap. 9. col. 5. Laur. Iustin. *Quem cæli capere nequeunt, Maria mente concepit; concepit in ventre. Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratia, quidquid est gloria, totum fuit in Maria Magna, cùm nascitur; maior, cùm concipit: vbique sancta, vbique immaculata. Sancta quidem mente & corpore, plena gratia & virtute, immaculata Verbo & sponsa.* Si quidquid bonum, in Maria est, & bonum, diuinæ voluntatis est obiectum; non immeritò dicitur diuinam voluntatem perfecisse, quæ obtulit ei obiectum, in quod ferretur: de qua dicebat apud Guerr. Guerricum Dominus: *Vocaberis voluntas mea in ea.*

32. Quòd autem oportuit priùs in mente concepisse Mariam, quàm in vtero, non segniter virginitas suadet genitricis: vt addisceret à mente venter, & exerceretur in animo de generatione & puerperio eius soboles, quæ Verbum est, amatque virgineum sinum: imò vt & alterna vice virginitas mentis in fidelibus à mariano vtero de generatione ipsius Verbi in aula mentis erudiretur. Sic vterus mariæ ab eius mente; sic mens fidelium à mariæ vtero, quomodò Deum concipiat, carpit disciplinam. Augustin. serm. 22. in August. Natal. Dom. *Beata virginitas desiit esse iam mortis ancilla: quia illum intra se gestat in mente, quem Maria portauit in ventre.* En carnei ventris insolita conditio. Nonnè satius fuisset, quod iam virginitas post mariam in mente veheret, quam maria etiam in mente baiulauit; siquidem & antiquior gestatio fuit, & eius gerula à primordio marianæ conceptionis virginitas: præcipuè, cùm mens menti potius comparetur, quàm ventri? Non bellè huius vteri discutis excellentiam. Mariæ mens priùs grauida in vterum prolem egessit, carneè gignendi doctrinam inspirauit, hausit vterus, virgineo mentis more, vt ad Christianas mentes deductâ quasi per calliculum serie dispensaret. Hoc cogitatu delectatur etiam Damianus Dam. serm. 45. de Natiuit. Virg. col. vlt. *Hinc etiam, dilectissimi, considerandum est, quanta sit dignitas nostra, quantaque sit nobis proportio cum Maria. Concepit Maria Christum in vulua carnis, deferimus & nos in visceribus mentis.* Ecce proportio: ne dubites, quàm adsona methodo disciplinæ fidelis mens ab vtero mariæ edocetur; qui & ab eius mente priùs grauida edoctus, grauidatus effloruit.

Quòd hæc pro æternitate marianæ maternitatis decertent, iniuriosè nimis detrectabis, cùm 33. nota sit clientela Venerabilis Bedæ lib. 4. in Luc. Beda. cap. 11. *Eadem Dei genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra est facta temporalis; sed inde multò beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna.* Miror, quòd in hac æternitate non offenderis. Si agit de æternitate à parte post (vt dicitur) quomodò iam æternitas in custodia, spiritalique sinu: siquidem, cum ea verba protulit Christus: *Quinimò: Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud,* Luc. 11. 28. solùm custos extiterat temporalis, cuius nec longa ætas, nec vlla æternitatis suspicio. Quòd si de æternitate à parte ante, minùs conuenit, taxato tempore, creatæ genitrici. Verùm quid æternitati similius, quam mente concipere coæua duratione cum existentia; quàm esse, & animo gignere, in eadem computari mensura? Si Maria vix existere incipit, & iam in spiritu Mater est; quid deficit vmbræ illius æternitatis quæ in superno residet Genitore? Ideò appositè dicitur: *Custos manebat æterna,* per imperfecti temporis dictionem, quæ phrasis æternitatis est. Consule Ioannem: Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* Si in principio, quomodò erat? diutiùs fuisse, vox *erat* præsefert: siquidem quando incepit principium, iam erat. Nequiuit ingeniosiùs. Dixit Moyses: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Gen. 1. Cur non, *creabat,* qualiter Ioannes, *erat?* Alter esse, alter actionem describit. Creatio auspicium sortita in tempore est: Verbum Dei principio temporis perseuerat coëxistens, non tunc orsum; sed tunc durans. Si cùm incepit duratio, iam erat, nunquam potuit incipere perdurare. En æternitas. Non me cohibeo, quin subdam subtilem Caietanum Caiet. in cap. 1. Ioann. *Hæc duo simul iuncta esse æternum à parte ante significant. Nam ex hoc, quòd res aliqua in initio durationis erat, optimè infertur, nunquam incepisse eius durationem. Si enim incepisset ipsius duratio; ergo in principio non durationis erat, quia non præcessisset initium dura*

durationis, quæ incepit. Ab æternitate ergo à parte antè contra dicentes Iesum inchoasse ex tempore, directè incipit Ioannes. Et describit eam non à negatione, sed ab affirmatione (in principio erat) tam breuiter & tam formaliter, vt verè monstretur Spiritus sanctus loquutus in Ioanne. Addiderim ideò dixisse *Verbum*, non verò *Filius*: quoniam, cùm ideò Filius sit, quia per intellectum procedit, Verbumque est, totam hauriens intelligentis Genitoris naturam; rationem à priore delegit, quò antiquius demonstraret.

34. Hæc si penitiùs cordi impresseris, facilem gradum facies ad Mariam: quæ licèt in principio non erat, quippe quæ æterna non est; in eius tamen principio iam Verbum erat apud eam: cuius semper amandi custos manebat æterna. Non discedas à Ioanne: *Et Verbum caro factum est.* Cur non: *Et Filius caro factus est.* Si forsan, vt antiquitatem panderet genitricis? Creatura rationalis priùs concipit verbum, quàm filium: antequam fœtus generandi capax, iam mentem exercet, intellectualibusque exultat germinibus. Verbum caro factum est: à verbi methodo non desciscens, mentem genitricis impleuit, vt posteà impleret vterum: illicò in spiritum se recepit conceptæ puellæ, antequàm adolescentula conciperet; vt non solum Deum, sed & Verbum Patris se ostenderet, quod Patrem nullo momento absque Verbo præire permisit. Hac spiritali semita in vterum Matris processit. Ingenium est Alberti Mag. in Ioann. cap. 1. *Et Verbum caro factum est: non autem Filius caro factus est (vt dicit Chrysostomus) ne carnalem, quæ exclusa est à diuinis, æstimes generationem. Supernaturalis enim generatio concipitur, quæ primo cor obtinet & spiritum, & deinde totam carnem mundando & sanctificando trahit in spiritus obsequium & sui societatem: & sic etiam caro sanctificata efficitur templum Dei Sic Verbum sibi carnem vniuit in vtero Virginis benedictæ. Iste autem modus facturæ non importatur in nomine filij, & ideò non dicit: Filius caro factus est.* Ergo sedulus Ioannes, vt vtrumque contexeret, summum scilicet æternitatis apicem Verbi apud Patrem, summamque, licèt in tempore, anticipationem in Matre, quæ in spiritu præripuit, vt posteà carne vestiret, nec solùm secundùm verbum Angeli concepit ad illa verba: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; sed & secundum naturam ipsius Verbi diuinâ celeritate progenuit in mente. Obserua solertiam. Dixerat Angelus: *Ecce concipies in vtero & paries filium*; ipsa tamen non filij nomen, sed verbi delegit: *Fiat mihi secundum Verbum.* Causam applica ex Alberto: *Iste modus facturæ non importatur in nomine filij; & ideò non dicit: Filius caro factus est.* Nec pertæsus fastidies, si rogem cur ferme semper, dum Maria apud Patres genuisse in spiritu, prinsquàm in corpore, circumfertur; pro spiritu mens, & cor ponatur? Agam infrà latè de mente; suprà egi de corde Academ. 15. sect. 2. Quoniam sinus Verbi mens & cor est: nam & cor Patris eructat, & ex vtero mentis ante luciferum genuit, dispersitque superbos mente cordis sui. Ideò dicebat Dominus: *Quinimò: Beati, qui audiunt verbum Dei.* Benè verbum cum auditu coniunxit: nam per aurem itur ad mentem. Experire, quanti materna viscera fecit, qui ab vtero Matris audito, statim concitatus est ad verbum se prodendum: velut si vterus ille cor esset, à quo Verbum eructauit Pater: quod expendens Augustin. lib. de sancta virginit. cap. 3. *Sic & materna propinquitas (inquit) nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset.* Curnè *felicius*: An quia explicit à proprietate Verbi? Et quia permanentiùs. Ideò beata ob æternitatis in hac gestatione participium. Beatitas tentio summi boni est, sed quod non defluat, remissèque prehēsum labatur, vbi perpetuitas non est, beatitas exulat. Summa felicitas beatitudo vocatur: nec inter felices deputat, quibus aliquando felicitas deperit. Feliciùs Mater in corde Maria, quia beatiùs; beatiùs, quia solidiùs. Pignore sacro vterus fruebatur; sed ad condictum tempus pignus deposuit: cessit dies, discessit fœtus, interiit carnis beatitudo. Cor & mens, quod semel apprehendit, nunquam dimisit: arctè custodiuit Verbum, quod hauserat.

Ioan. 1. 14.

Alber Mag.

Luc. 1. 38.

Psal. 44. 2.
Psal. 109. 3.

Nec tumultuariè hunc mentis Mariæ sinum putes à Patribus decantatum, quasi pro tota anima sumant. Certe sicut, vt filium ederet, naturalis fœminæ situs delectus est, videlicet vterus; sic, vt proderet esse Verbum, aptè suprema animæ portio, quæ mens dicitur, apposita est, vt præuie conciperet. Audiendus est Gerson tractat. 12. super Magnificat col. 5. sic in persona Virginis: *Conceptio nempe priùs effecta est in superiori cœnaculo cordis per virtutem gratiæ seminalis, quæ virginalem animæ meæ portiunculam eleuauit diuinitus, vt essem Mater Verbi per dignatiuam susceptionem priùs in mente, quàm in carne.* Quis tale censeret? Tam seriò generationis intellectualis series recensetur, sigillatur portio, & insecabilis animæ pars deputatur suprema, cordisque culmen, vt Paternæ mentis terminus omni genitali apparatu conciperetur in Virgine, quæ ad concipiendum in carne parabatur. Nonnè vides? Nec seminalis virtus defecit: *per virtutem gratiæ seminalis*, inquit Gerson. Quis hunc fructum gratiæ, quæ semen est gloriæ, potuit sperare, vt Verbo, quod gignit naturâ Pater, pro frutice coronaretur, mentemque impinguaret, vbi in sobolem gemmesceret æternam? Profectò benedictus fructus oriundus erat in ventre, & gratiæ semen iacitur in mente: quasi communis ex vtroque gleba coalesceret, cespes vireret. Et quidem gratia radix est videndi & amandi Deum. An & generandi? Si videndi, quod actus mentis est, quod Verbum concernit; & Maria non in mente Verbum prolectat, nisi quia eius genitrix in ventre est futura: ex compari situ (licèt radicem, semenvè videndi Deum habuisset in mente (sacri fructus propaginem ad vterum protendisse, ipsius vteri supra spiritum indicauit auctoritas, vt vtriusque, & mentis & ventris virginitas eâdem fœcunditate frueretur. Quid enim est illud: *Quæ virginalem animæ meæ portiunculam eleuauit diuinitùs, vt essem Mater Verbi per dignatiuam susceptionem priùs in mente, quàm in carne?* Quid non virgineum in anima Mariæ? Vtquid segregatio illa *virginalis portiuncula?* Quoniam mens erat, quæ ab exordio virginea, nec per carnis, licèt ex Adam deriuatæ, immersionem violata, vtpote quæ, quod mentis erat, nempe scire, recusauit à serpente capessere; bonumque & malum scire pro fœmineo Primigeniæ pruritu non tentans. Verbum bonum, quod eructat Pater, concepit illicò: nec malum nouit, nec ab arbore malo passa est. Imò noluit ad vterum transigere pomū, nec scientiam in stomachum deglutire; sed mente seruauit: ideoque meruit & inserere ventri, & vterum in mente sortiri, vt ex vtroque vnum sapientiæ

35.

Gerson.

Psal. 44. 2.

pientiæ Dei conceptaculum propagaret. Quò advoco Ildeph. li. de virg. Mariæ c. 8. *Audisti Virginis oraculū, qua tā vere vtero carnis concipit & generat, quā verè vtero mentis accipit & enarrat Vno enim spiritu & ad fidem fœcundata est, & ad prolem.*

36. Id tamen prætereundum non est, quòd licèt Maria concepta illicò in mente conceperit Deū, non iure eius in Maternitate probatur antiquitas: cū non Mater Dei, quin hominis sit; & mens præcoci, & intempestiua celeritate nequiuerit Deum & hominem, qui nondum in vtero fuerat constructus, progenuisse. Quòd si non Christi, sed Dei amplexibus se in instanti conceptionis implicuit; non de genitricis diademate tam festina exultatione congaudeat. Rupertus in Prologo ad Cant. sic de se narrat: *Sedebam quasi solitarius per visum noctis: & ecce quasi sibilus auræ tenuis, per vtramque aurem transcurrens velocius, quàm dici possit, istos in me versiculos deposuit.*

Fœmina mente Deum concepit, corpore Christum.
Integra fudit eum nil operante viro.

En distinguit *mente Deum, corpore Christum.*

Verùm si Deus & homo vnus est Christus; nec Deus in Virgine, nisi vt homo sit; quamuis nondum carnem gestauisset, si Verbum cum Virgine componas, Christum vocare non resilieris: ea pro humanæ naturæ excellentia sigillatio ad carnē è Virgine in Verbo Dei est, vt quoties in Virgine cogitatur, Christum protinus saltem intellectui cogitanti proponat. Ergo semel præcurrēs Maria, dum mente concepit Verbum, Christum venustè dicitur concepisse: sicut si vterus eius mentis carneus fuisset. Mutua inter vtramque vuluam, spiritus nempe & carnis, vicissitudo, permutatioque est: virginea gloria admonet, quod vtraque accipiatur promiscuè. Quid quòd vtrobique Christus, si vtrobique Verbum in Virgine fuit? Adest Laurentius Iustin. ser. in Natiu. Dom. col. 5. in fine: *Est autem Maria ad opitulandum paratissima: vtpote quæ genuit mente & corpore Christum.*

37. Equidem nō in aliud institutum mentem Virginis Verbum Dei præoccupauit, nisi vt exuberaret in ventrem, seque panderet Deum, dum carni affigeretur vt homo, & ex mente & vtero Mariano accordi consonantia Deus & homo crederetur. Cur Beatus venter Virginis perhibetur? Cur beatam se decantandam à generationibus ariolatur, si de Beatitate caro præsumere non præualet, nisi reliquias ab anima gloriosâ redundantes sugat? Effectum est in Maria simile quid ad beatitudinis normam. Vnguentatā, delibutaque deliciis beantibus anima refluit in corpus reunitum: & quæ cadunt dotes à Dei intuitione, qui in mente renetur, caro participat. Fiat igitur priùs exemplar in Maria, à qua homo mente & corpore constans glorificationis in vtraque portione sumpsit auspicium. Prændit mente Deum, contrectat animo & gratiæ semine fœcundata progerminat, vt ex exundanti plenitudine Verbum Dei redundet in vterum, emarginet littus, stagnansque refluat, vt sapiat Mariæ caro, & post eam videat omnis caro salutare Dei. Nonne gratiā plenam Angelus nuncupauit? Quo cogitatu? Qui plenam dixit, nihil exclusit. Ne ventrem inficiaretur, qui menti affinis exundantes animi diuitias, effluentisque Verbi Dei impulsū sentire debebat. Prodest Laurent. Iustin. ser. de Annunt. col. 2. *Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Tecum in mente, tecum in ventre; tecum in thalamo, tecum in præsidio. Cæterum hoc non habet abs te, sed ab illo, qui fecit te, vt nasceretur ex te, pasceretur à te, permaneret in te, atque gratiā sua fœcundaret te. Repleuit enim te, vt fieret in te.* Pondera ista, quæ grauia sunt: *repleuit te, vt fieret in te:* quasi ex abundantia cordis, nedum os, sed & vterus loqueretur super quem Verbum Dei fieret; imò Verbum fieret homo, cùm iuxta conditionem sinus, in quo est, censeatur, quidquid est; & in vtero feraci Mariæ fœcundæ Verbum esse, quin homo fieret, non posse videretur. Pater Verbum progignit non ex indigentia, sed ex abundantia. O vtere virginee, quantum à Patre traxisti superno! Quia cæteris abundantiùs Verbum Dei Maria hæreditauit; superabundantius in te redundans, homo factus est. 38.

Nonnè Angelus. *Dominus tecum*, inquit? Vtquid *tecum*, vt probet in illa iamiam carne vestiri? Prona deductio. Si ex gratiæ plenitudine in Maria erat, omnesque sinus, animique spatia replebat; dum propagari adhuc sitiebat, quod spatium suppetebat, nisi vterus? *Ecce concipies in vtero.* Pende fidem. Deus stagnare non patitur: si in animum hoc impetu influxit, & ab instanti conceptionis sic omnem cauitatem peruagatus torrente sui satiauit, quidni refluat in vterum, vt Diuinitatis plenitudo in carne inhabitet delibata? Hieronym. in Psal. 64. ad illa verba: *Sanctum est templum tuum*, his ingenuè suffragatur: *Homo ille, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat, de quo dicitur ad Mariam: Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, cùm in ea Dominus carnem assumpturus inhabitauit.* Perpende ista. Ergo inhabitauit, vt assumeret, nouaque protendit spatia, vt promptum esset ex animo ad vterum transilire; nec animum linquere, sed more verbi & colere mentem, & incultum vterum absque alienigeno semine confouere.

Altius rem fodio. Non solùm ab animo quasi transiliens colles salit in vterum. Iam diu in vtero erat Virgineo, cùm ex vtero carnem assumpsit. An immensitatis munere? Sed id commune cuique creaturæ, quam incolit Deus opificis iure, operisque ratione. O qualis cōsonantia! Ab exordio, quo Maria gignitur, in eius vtero immensus degit Deus. Allexitnè, deliniuitque sedes, quam postea corporaliter inhabitaturus delegerat, vt iam exinde mordicùs, præ cæterisque singulariùs huic vtero adhæreret, & immensitatis capta occasione ibi assuefieret inesse, diutiusque immorari ipsa locis venusta inuitaret limpiditas, & percrebrescente consuetudine cum habitaculo carnis caro euaderet, qui Deus erat? Habeo nobilem Ambrosij locum in Psalm. 50. explicans illud Hieremiæ: *Priusquàm te formarem in vtero matris tuæ, noui te*, sic inquit: *Vide igitur, ne illi dicatur, qui antequam nasceretur ex Virgine, iam dudum erat, & erat semper, & operabatur in vtero Mariæ constitutus: & ita sanctus erat, vt sanctificaret Prophetas suos; in quo solo & conceptus virginalis, & partus sine vllo fuit mortalis originis inquinamento.* Æstimo illa: *Et erat semper, & operabatur in vtero Mariæ constitutus.* Quantus vteri amor! Vt qui in procinctu iam erat, ad præcingendam sibi humanitatē diutinus in vtero exercebatur: vbi quà Deus, inerat; nec solùm, sed *operabatur*, inquit, *in vtero Mariæ constitutus.* Hunc sibi constituit locum, quasi aulam Regiam: qui vbique per immensitatem est, operabatur in vtero; quasi opus Incarnationis meditans; & qui ab vtero Patris gignebatur, 39.

quà Deus solùm, sibi pro voluptatis subsellio comparauit vterum inhabitare virgineum, solùm quà Deus, antequam homo fieret in eo: in quod si intendas animum, pios poteris & ingeniosos edere cogitatus. Verum est, quòd Ambrosius potest accipi de interuallo, quod inter tempus conceptionis & puerperij intercessit: in quo tanquam ex sacrario salutem operatus est in medio terræ; siquidem & Ioannem sanctificauit, & supernaturales functiones peregit. Attamen quia coniungit Ambrosius ea verba cum præcedentibus, *Et erat semper*; quem præmisimus, cogitatum admittit.

40. Ne expatiemur, & quasi guttatim, sensimque terminos tanemus huic Mariæ in vehendo Dominum perpetuitati; prosit Bernardus Senens. Senens. tom. 1. serm. 52. cap. 2. art. 1. *Dominus tecum: tecum autem ante vterum, tecum in vtero, tecum post vterum. Ante vterum te præsignans in multis figuris & propheriis. In vtero te sanctificans. Post vterum te fecundans. Tecum in mente, tecum in ventre, tecum in potestate: in mente, per virtutum abundantiam, in ventre, per suam præsentiam, in potestate, propter peccatorum indigentiam, cùm de Deo pro nobis facias, quidquid tuæ placuerit charitati.* Quid plenius Deo? Quid in Deitatis possessione abundantius? Nec instans fugit cassum virgineo Dei Verbi captu; nec animi nec corporis portio vacua marcescit. Cor enim signatè: *tecum in mente, tecum in ventre* phrasis iam percrebruit in Patribus? Crediderim, vt compendio totum animum, totum corpus Virginis Deo plenum palàm ostendant. Namque venter in medio corporis constitutus in omnes corporis partes, quasi publicus minister officioso nutrimento percurrit: & vbique est opere, licèt diffideat situ. Sic mens, intellectusve inter animam & voluntatem cogitatur interiici; manat ab anima, sequacique ducatum fert voluntati. Ergo in Mariæ mente & ventre Deus vtramque sibi circuit regionem; vt esset diffusiùs, delegit intimius inesse: medium habitauit, vt cum extremis necteretur in medio: & qui medius inter Patrem & Spiritum sanctum est, & in vtroque totus; in medio terræ virgineæ, mente videlicet & vtero, se penitus collocauit. Alibi dedi Damianum: fauet iniussus Rupert. lib. 1. in Cant. Rupert. *Profectò anima tua liquefacta est, vt dilectus loquutus est, scilicet Deus Pater, loquutione admirabili, loquutione ineffabili, dum substantiam Verbi sui cum illo amore suo Spiritu sancto tuæ menti, tuo ventri penitus insereret.* Si tuta anima liquefacta, cur menti solùm insertum præscribitur Verbum? Quòd si ventri inditum, cur corpus solidum riget, nec liquescit? Imò si anima liquefacta est, stillauit per corpus, carnemque præ liquente spiritus vnguento in se transfudit, & ex mentis pignore totus animus incalescens effluxit: quia substantia Verbi penitus inserta fuit. Pondus habet dictio *penitus*. Vt altrinsecùs omnis Virginea portio vsque ad fundum meracissimum biberet Verbi liquorem, benè consultum est, vt per mentem, cuius natura est, res ad se trahere, intellectualique collo deglutire; & in ventre, à cuius epulis vegetantur & aluntur membra. Congeneri ratione apud Rupertum Verbum (vt vidisti) quod in Trinitate ex origine medium est, Patrem & Spiritum sanctum traxit in Virginem: vt quidquid Deitatis est, quidquid Virginis est, inhabitaret.

41. Ex quibus non ignobilem rationem luctaberis, cur consensus exquiritur generaturę Marię: Si in corpore gignendus fœtus, ad quid animi sensa recludere solicitat Angelus? Quid ventri feraci cum rationalis mentis consilio? Sed quæ inceperat in mente concipere, spiritalique methodo, in qua voluntatis actus intercedit; vt appareret eiusdem Verbi conceptionem in vtero, animi more, nempe Virgineè, peragendam, nec pristinam suã sobolem deserere, sed dilatare: idemmet intellectualis progressus obseruatur, expetitur assensus, exoptatur voluntas, hortatur nuntius, mater exercet animum, voluntatis actum eliciens, dum concipit. Exigebat id singularitas sobolis concipiendæ, cuius duplex natura; altera Deitas, quæ intellectualis est; altera humanitas, quæ carnea: quare ab intellectu ad carnem producta moralem intellectus conditionem non deseruit, sed ex consensu, animique actibus se traiecit in vterum. Ex quo Mariæ meritum in concipiendo non inaniter persuaderi valuit, grandi quantitate viguisse, cùm mentis, voluntatisque actus in tam longam & aliqualiter infinitam ferretur distantiam; videlicet quòd à mente ad carnem quaque sphæra longius spatium, Verbum Dei propagaretur, & vterus cùm mente compar euaderet: siquidem mentis Verbum vtero inserebatur, quod omnem exuperat virtutem, capacitatem & extensionem. Subdere licèt Bernardinum Senens. tom. 2. Senens. serm. 51. art. 3. c. 1. *Si quis consideret virginei consensus ad tantum mysterium finalem terminum; clarè intelliget, quòd omnis dignitas & perfectio inclusa in hoc, quod est esse Matrem Dei, tam mente, quàm carne, comprehendatur in eo, quod quidem transcendit in merito in infinitum quidquid aliud sub Deo homine cogitari, vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet, quòd meritoria perfectio huius consensus fuerit perfectioni sui termini comproportionata.* En in quo sita perfectio, videlicet *in hoc quòd est esse Matrem Dei tam mente, quàm carne*: quod ex proportione cum termino benè Bernardinus euincit.

Pro coronide, ne euagemur, ex hac mentis præpropera conceptione, antiquoque puerperio, quo 42. Maternitatis dote in suæ existentię vestibulo Maria per originalem iustitiam micuit insignita; non leuiter nobilis æternitatis portio probatur. Sume tibi illud: *Antequàm parturiret peperit.* Ergone duplex puerperium? Scio, quòd particula hæc *antequam* aliquando æternitatis est nota. *Antequàm Abraham fieret, ego sum.* Quidni *antequàm*, cùm super omnia sæcula gradiatur æternitas, quæ Filij Dei duratio est? Probè *antequam*, quod omni tempore signato anterioritatem præsignat. Quid est *Ante partum partus, ante parturiginem puerperium?* An peperisse mente, antequam corpore? Peroptimè. Eiusdem personæ adhuc in matre geminatur natiuitas, quia geminæ naturæ tota Virgo subseruit, quæ diuinam, humanamque naturam priùs concepit mente, quàm corpore; benè mente, quoniam diuinam; benè corpore, quoniam humanam. Quod Deitati Christi ita proficuum est, vt hoc ad eius æternitatem præstet argumentum, si Rupertum consulas de operib. Spiritus sancti: Rupert. sic in Esai. cap. 31. *Sed non iam dicat Iudæus, non dicat Hæreticus, eundem Christum ex Maria existendi habuisse initium. Nam antequam parturiret, peperit: antequam parturiret illic, antequam tempus illud ei veniret, vt filium visibilem ex ventre Virginis sancta Sion ederet, peperit, & Mater eiusdem Verbi effecta est. Concepit enim corde, & Verbum Dei peperit ore.*

Maria

Mariæ Maternitas qualiter in triplici temporis differentia, vt cum æternitate contendat.

SECTIO V.



43. QVI Marianæ Maternitatis momenta pendimus, partitè iam diiudicare debemus temporis differentias, & ab æternitatis fastigio in temporalis durationis descendere vallem, si forsan ioter temporanea spatia quid de perpetuitate Matris floridis fasciculis colligamus. Supponimus, Imò repetimus pluries, ne in errorem auiditate virgineæ laudationis decumbas, Mariam semel & iam ætate nubili, vtpote nuptam, genoisse; ac proinde non iugi conceptione, perpetuoque puerperio, sed iuxta fœmineæ mensuræ tarditatem & vicem. Sed enim Virginis singularitás, Maternique prodigij nobilitas vltrà longa spatia meditari permittit, in quibus Maternitatis, antequàm genuit, præcocia illi pangantur insignia; & postquã genuit, permanentia attributa canantur. Igitur Mater dum concipitur; Mater, dum oritur, antequam concipiat, puerperaque enitatur? Adhue in vtero, antequam vterum gestet, Mater? Si nobilitas in antiquitate, quid antiquius conceptionis instanti? Si fertilis telluris vbertas in celeri, inopinoque prouentu; quid glebâ opimius, quæ producere dicitur, dum producitur? Gignitur Maria; quid in generationis momento originarium piaculum absterruit, ne fœtum recentem pollueret?
Psal. 50.7. Maternitas Filij Dei. Quæ in Matrem signabatur, non decebat traduce maculâ inquinari. Ergo in Maternitatis beneficio concepta fuit, quando in iniquitatibus concipi; communis natiuitas instigabat. Ideonè & tunc Mater asserenda? Et ingenuè. Non vtcumque à noxa immunis illuxit, sed ex
Exod. 12. Redemptoris officio, qui effuodendo cruore vestibulum illud illiniuit: vt nequam Angelus abscederet, nec volgare pateretur excidium, nec anguis
Cant. 7. eius pungeret pedem, quæ in calceamentis Filia Principis gradiebatur. Non autem Redemptor est, nisi homo; nec homo, nisi Mariæ Filius. Si Mariam redimens à culpa defensat, Matrem iam abundè fatetur, vt miro iongeretur instanti in Maria, qua gignit, & qua gignitur, generatio. Quò
Senens. aduocare non pigeat Bernar. Senens. tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 1. *Sanctificatio maternalis remouet culpam originalem, & confert gratiam. Et hac fuit in beata Virgine Maria Matre Dei. Sanè Deus ipse æternus sic illam benedictam Matrem suam talem condidit & sanctificauit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua æternitate Et talem eam nobilitate natura, quàm perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam gloriosissimam maiestatem: quia in ea & de ea debebat sumere, quod in æternum sibi erat vnitum vnitate personæ de quo exiret pretium totius liberationis, iustificationis, & beatificationis humanæ.* Si pretium totius liberationis humanæ, ergo & Marianæ. Quàm præpropere! Pretium est maternæ redemptionis, dum Mater futura generatur, caro delibanda ex Matre. Virginis caro à fulmer portione in conceptionis instanti in libertatem asseritur; nec stigma suffert seruile, nec dæmonis turpi charactere notatur. Obserua illod: *Quia in ea & de ea debebat*

Zerda, Mariæ effigies.

sumere, quod in æternùm sibi erat vnitum vnitate personæ. Quomodò iam in æternum vnitum, si agitur de Maria; non dum concipiebat, sed dum concipiebatur in vtero? O qualis studiositas Filio Dei in nuncupanda sibi Matre, præripiendoque totius temporis spatio: quasi sibi blandiretur in carne Virginea, antequàm sumeret! Affectos aote opus cucurrit. Intuere matris antiquitatem, quam Bernardini suadet stylus. Nec piget præteritum pro futuro in Mariæ Maternitate adscribere; *quod in æternum sibi erat vnitum vnitate personæ:* cùm tamen immediatè dixisset: *quia in ea & de ea debeat sumere*, quod futurum tempus præsignat.

Vis in vtero matris iam matrem Filij Dei comprobari? Certè oportuit, vt præoccuparet Dominus, sibique oppignetaret Virginem suam, ne præriperet communi tyrannide dæmon. Originaria labes, etsi non in carne tanquam in subiecto fundator, originem trahit in carne, distenditurque per traducem; inibi successiua malignitate vitiatum corpus, tabificoque veneno corruptum, in ipsamet impressione sui aggrauat & inquinat animum. Non semel id ex S. Thoma adnotauimus. Quid igitur fieret, vt culpæ exors Virgo emineret? Iam inde in coagulatione, coagmentationeque sui caro illa sigillatur in maternitatis officium, quod carnis, non animæ est: notantur viscera, membra cælantur, vt adueniens anima nulla posset contagione vilere. En quid profuit maternitatis antiquitas: vt vetustior fuisset; in carne, quæ aliqua prioritate infusionem animæ præcedit, sacrum tulit stemma. Iuuat Dionysius Carth. Carth.
de dignit. Mariæ artic. 13. *In matris igitur vtero Maria sancta fuit, eo abundantius, quò præ famulis Mater veneranda extitit. At verò tam excellenti puritate venustanda extitit puellaris caro, vt eam supersplendenti Diuinitati vniri dignum esset; ideoque ab omni prorsus macula præseruanda fuerat, quò tanto ministerio congrueret.*

44. (beside "Vis in vtero matris")

45. Hinc non mirabetis, cur Ecclesiastica disciplina, dum natiuitatem Virginis exhibet celebrandam, nec parentes eius recenset, nec felicis ortus texit historiam, non eunabula, non fascias puellæ Math. 1.
Euangelicis recolit monumentis: sat illi est: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Vtquid natiuitas filij Maternæ natiuitatis festũ est? Quid te nellæ infanti cum genitricis officijs? Certè natiuitatis Filij, Mariæ natiuitas exordium est, nedũ vaticinium. Quasi gerola diuinæ prolis nascitur virginea puella: calamum in parentibus erogare non sinit, quæ signata parentis exoritur, licèt nondum pariens. Tota in Filium est. Nobilis conflictus. Priùs aliquis filius est, quam parens; opus est priùs gigni, quàm gignat, Id creaturarũ stylus est: ab vno propagatur progenies; per successionis calliculos natura succrescit; dispẽsat in sobolẽ, quod mutuò accipit à parẽte. Deus Pater Pater est, quin Filius sit. Hinc in Trinitate, quantumuis vna sit æternitas, fons originum prioritatem natotæ in Patre deposcit. Quid? Nonnè huius attributi vmbra in Mariæ? Decertat pro primatu Maternitas. Sanè nequibat. Priùs fuit illi in vtero esse quàm vterum ferre; Annam matrem nuncupare, quàm se. Attamen, vt aliqualiter primatus Maternitati contigisse adumbraretur, mirabili sapientia effectum est, vt & Euangelice silerentur parentes, & ex sterilibus, effœtisque, senectutisque pruina decoctis Virgo proditet: ne natura de prioritate præsumeret. Tam ingeniose elaboratum; vt

ipsa Virginis natiuitas, quæ parentes necessariò supponit, conticeat; imò natiuitatis Filij initium censeatur, vt Mariana Maternitas omnem durationem detriumphet. Accersendus est. Ildeph. serm. 3. in natiuit. Virginis. *Maria Virgo non sic est nata, sicut solent pueri, vel puellæ nasci, sed Anna sterili & patre iam sene, extra consuetudinem mulierum post refrigescentem calorem & sanguinem in pectore iam tepidum & omnem amorum libidinis discessum, mundo corde & corpore ab omni pollutione carnali orta est. Sic enim Dominus voluit, vt tali vasculo Mater sua nasceretur.* Et breui interuallo: *Adiuuet nos ipse omnipotens Deus per intercessionem suæ Matris, in qua felix eius est inchoata natiuitas.* Tibi fige ista. Nascitur Maria, & Filij Dei natiuitatis inchoatur. Porrò natiuitas Filij natiuitas Matris est.

Ildeph.

46. Bonauent. Si cupis huius velocis antecedentiæ radicem eruere, præstò sit S. Bonauent. in 3. dist. 4. art. 2. q. 2. agit de generatiua potentia, qua viguit Virgo ad gignendum Filium Dei, sicque post plura: *Et ideo Virgo Maria potentiam habuit supra naturam, & potentiam secundùm naturam. Et potentia supra naturam fuit ei in sanctificatione collata, & vtraque erat in illa, conceptionis tempore, in complemento suæ operationis constituta.* Multum velocitatem amauit Seraphicus Pater, qui sic cogitatum in tam antiquum instans discinxit. Nonnè sanctificatio Virginis in suæ conceptionis fuit peracta momento? Sat fuit ibi potentia naturalis ad sobolem procreandam, quæ fœmineæ naturæ perfectio est: qui tam præruptè potentia diuinitùs illi affigitur, quam potiùs sub Incarnationis propinquæ interuallo Angelus spopondit in virtute Altissimi obumbraturâ, superuenientisque Spiritus amplexu? Certè si de prima Virginis sanctificatione Bonauentura intelligitur, insolito se attripuit volatu: priscâ concupiuit prodere Matrē, iam cœlitùs singulari impressione notatâ per aliquale illius potentiæ auspicium, quam tamen cōplementum admonet accepisse in conceptionis tempore, forsan ne Angelica ditimite verba putaretur. Quàm serio, quàm maturo consilio in genitricem Virgo parabatur, cui in sinu matris aspirabat aula cœlestis, velut si inciperet, diuino animata fomento, & in plenitudine temporis ante sæcula præfiniti daret fructum suum! Quid quod exinde Mater nuncupatur, quæ, vt sæculi generaret auctorem, iuxta præfatam Bonauenturæ mentem, in sanctificationis exordio initium hausit virtutis, ne iners vllius spatij vacuitas otiaretur; nec subito, insalutatoque hospitio Deus appareret humanus, sed sensim, vtpote à conceptione materna, sumendæ carnis traheret iudicia.

47. Hæc ita de tempore ante Incarnationis in vtero Virginis veritatem. Quidnè postquam genuit & peperit? Remanebit adhuc nonquam intermissa maternitatis relatio? Disserit P. Suarez 2. to. in

Suarez. 3. p. disp. 12. sect. 3. asserit perdurare. Quamobrem? cùm in triduo mortis non manserit homo, quem Virgo genuit. Cùm mortalis falx demetit vitam, licèt animus, corpusque perdurent, scisso nexu, interit humanitas: quòd si portiones denectas, occumbit homo; nec valet filiationis relatione parentem respicere, qui non est. O Marianæ prærogatiua singularis! Adhac occumbente filio,

Ioan. 19. 25. mater persistit. *Stabat ante crucem Mater Iesu.* Cur signatè stetisse Mater proferturi? Non cadit mater, etiam defungente homine, quem genuerat. Non interit maternitas, feralique strage perit: quidni stet? Quæ causa? Nam vere perseuerat ille, qui filius matiæ erat, quem Virgo genuit: filiatio enim non humanitatis, sed personæ est, suppositum nuncupat, non naturam. Ast Verbum Dei nunquam, quæ sumpsit extrema, dimisit: permisit morti denectere, non absumere: paries, quas mordicùs apprehendit, ad lethi cuspidem derelinquere non sustinuit. Igitur infracta stetit maternitas, filioque percusso, impercussa. Quid solidius & in perpetuitate constantius, quam mortis non subigunt iura, nullúsque corruptelæ dens corrodit? Semper mater est, quæ, etiam mortuo filio sine filio non est. Hoc acumen præsentio in Anselmo in versib.

Flos æternus, rosa lenis, lignum semper viride. Anselm.
Semper Mater, quia nunquam erit sine sobole.

An quia soboles æterna est? Imò vt à cæteris matribus per nobile disgregetur fastigium, in eo perpetuitatis dos locatur, quod nunquam illi soboles defecerit, quam genuerat, quantumuis spiritum egit, pondusque mortale subiuit. Qui sapor etiam sit in Althelmo in carm. de laudibus Virgin.

Angelus: En sobolem generabis, Virgo perennem. Althel.

Cupis idem attributum in matre? Geteberttus Gereb. serm. in Assumpt. Virginis apud Biblioth. tom. 10. *Tu Mater singularis, tu Mater perennis.* Quia perennis soboles, perennis & mater: id relatiuorum exposcit natura.

Cantic. 4. *Emissiones tuæ paradisus. Hortus* 48.
conclusus Soror mea Sponsa. Meditare in triplici Cant. 4.
verbo totum sacramentum. Si *Soror* nuncupatur, filius debet esse, qui loquitur: nequit, nisi qui filius, habere sororem. Quod si filius simul & sponsus est, non potuit genitricis vulua violari; quam fœtus non temerat, sed à sponso assulet supponere temeratam. Cur autem *hortum* vocauit, iugesque emissiones ex conclusa glebâ elogij protulit nouitate? Scis rura, seu prata, nemora, & syluas iuxta stationes anni variis qualitatibus affici. Quas vestit ver, diuiteque baccarum prouentu, onerat æstas, decoquit bruma, & ad frondes vsque deuorat hyems. Ast hortus cōtinuo virore vernat; pronuntiat in nomine semper ibi aliquid oriri: nulla tempestate viduatur à germine. Ergo quam appositè Maria *hortus* appellatur, quia *Soror* simul & *Sponsa*: nam si Soror suimet filij est, opus fuit filium fuisse æternum, vtpote qui iā erat filios, cui suamet genitrix Soror. Hortus est Maria, cui nunquam deficit fructus: quantumuis lethalis falx demessuerit, adest persona Filij, quam mater respiciat. Ingenium est Ruperti lib. 4. in Cant. *Vnde* Rupert.
hortus? Nam inde nominatur hortus, quòd semper ibi aliquid oriatur, quia cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Vnde ergo hortus es tu, ò dilecta dilecti, nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquam decidit, & fructus tuus nunquam marcescit, aut deficit? Ergonè continuò oritur à Virg. Deus, qualis ab horto fructus, qui non desistit ab origine gleba assurgere, illique adhærere iugiter fugens, nec intermittens, qua alitur à radice, virtutē? Aliàs non æqua in omnibus comparatio. Imò vidit id Rupertus, qui non ex perpetua germinatione Mariam, quæ solùm semel genuit, *hortum* esse perhibuit; sed quia fructus, qué semel edidit, *nunquam marescit, aut deficit.* Ex perennitate fructus, horti perennitatem concludit, eâ industria, quòd semel genuisse subiudicet: & tamen quia fructus eius nunquam arescit,

nec

nec marcidus est, quod auulsis ab arbore fructibus accidere solet, arguitè perpetuam esse matrem probauit.

49. Et quidem Deus genitus à Virgine iuxta hypostasis proprietatem fructus est, absque intercapedine oriens ex alto. Obserua, quàm ardua sublimitas priuilegij Mariani. Qui continuè generatur à Patre, licèt semel tantum genitus à Matre, fructus eius perhibetur: hac notione vtriusque parentis esse dignoscitur; & Altissimi, à quo semper, & ideò *fructus*; & Mariæ, à qua semel, & ideò *eius* perhibetur: & tamen vna vtrique communis dictio est, vt æquiuocetur cum Patre supero Maria. Nonnè vides: *Benedictus fructus ventris tui*, dixit Elisabeth, quando erat adnexus origini vuluæ, in qua radicem & egerat, & seruabat Tertull. de carne Christi cap. 21. *Si Maria non filium, sed hospitem in vtero gestabat* IESVM, *quomodò dicit: Benedictus fructus ventris? Quis hic fructus vteri, qui non ex vtero germinauit, qui non in vtero radicem egit, qui non eius est, cuius est vterus? Et qui vtique fructus vteri? Christus.* Et tamen etiam postquam fructus hicce ex radicis Iesse virga decerptus est per puerperium, adhuc continua oratione, Elisabethæ verba repetimus: *Benedictus fructus ventris tui* Sanè hac dictione Filium Dei, qui perpetuò gemmascit à Patre, virginei ventris fructum esse profitemur: quasi in illa iugi emanatione Marianus vterus se socium exhiberet. Bernardus super Salue Regina præfata verba trutinans: *Fructus tuus, Domina. Hic certè est fructus beatus à principio sui ortus. Hic est* IESVS *Dei viui Filius.* Ex nomenclatura *fructus*, Filium Dei viui arguté subintulit Bernardus. Nec enim semper fructus potest esse, nisi qui semper oritur; nec semper oriri, nisi qui Filius Dei viui est: ideò viui, ne fructus quem fert, intereat.

Luc. 1.

Tertull.

Bernard.

50. Si hæc ita sunt, cur sedulus Dominus in vicinia mortis in parandum Mariæ filium incumbit: *Mulier ecce filius tuus?* Cur substituit sobolem, qui soboles est perennis? Voluitne in occubitu desolatam legato pignore leuare, ne orbaretur à filio, quæ filium amittebat in cruce? Sed qui filium dedit, non filium abstulit; nec se negauit, qui Ioannem pro filio legauit. Imò in sui pignus reliquit, quasi se in illo visibilem exhiberet, ne Matri adhuc in corpore, corporei filij humana deficerent specimina. Adest. Bernard. Sen. tom. 1. ser. 55. art. 1. cap. 3. col. 4. *Nec quisquam humana pietatis amore pro compassione Virginis moueatur, quòd pro Filio Dei acciperet filium Zebedai, & quod pro moriente Christo, pro successione tenendus esset Ioannes: quoniam Christus nec filium Virginis denegauit, & indubitatam resurrectionis proxima fidem alma Virgo tenebat.* Quid est, quòd ex indubitata resurrectionis proximæ fide confirmet Bernardinus, non viduatam filio fuisse Mariam; cùm potiùs hoc denotet indicio saltem in triduo, filio caruisse, quem lethale supplicium sustulerat? Ast acutè processit. Qui se suscitauit è lapide, nec alieno iuuamine ad exuuias morti eripiendas indiguit, Deus est: qui à cadauere non secessit; cui, licet decessit homo, affixa Deitas persistebat. En cur Virgini non pereat filius, cui eadem persona etiam in sigillata carne remansit; quæ & carnem suscitauit, & constanti nexu deuinxit spiritui. Illudit hæretico Tertullianus, Matrem inficianti Christo ex illo testimonio: *Quæ est mater mea, & qui fratres mei?* Sic Afer ille cócurit lib. de carne Christi cap. 7. *Etiam si temandus esset de natiuitate, non vtique hoc modo tentaretur earum personarum annunciatione, quæ poterant, etiam nato Christo, non fuisse. Omnes nascimur, & tamen non omnes aut fratres habemus, aut matrem. Adeò non competit tentatio natiuitatis, quam licebat & sine matris & sine fratrum nominatione constare.* De stoliditate flagellat de natiuitate tentantem, matris, fratrúmque obiecta nuncupatione, vtpote cùm soleat filius, qui verè natus est, sepeliuisse parentes, defunctaque matre, maternitatis obisse respectus. Quæ ratiocinatio sit valida in aliis, non in Christo, cuius natiuitas eò innexa cum Matre est, vt sciungi recuset. Semper Mater est, cui soboles æterna perennat.

Ioann. 19. 26.

Senens.

Tertull.

Mariæ vterus in iugi Virginitate, quasi iugiter gignens Filium Dei, cùm semel tantùm genuerit.

SECTIO VI.

51. Non sat est perpetuitatem abstruxisse genitricis, nisi & generationis aliqualem perpetuitatis vmbram, conniuente penicillo, ducamus. Semel quidem genuit Maria: ast sibi constans vterus, quà non dirutus per puerperium, quà per virginitatem conclusus, solida stabilitate sibi continuisse pignus videtur; nec amisisse, cum emisit: quippe nullum passus est emissionis vestigium. Cur supernus Pater, licèt Verbum eructet non ablactat; nec ab splendenti vtero egerit, etiam cùm hominibus prodidit conspicabile? Profectò quia Verbum est, nec mentem deserit, etsi per carnea labra dispensetur. Ideò amasia: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. Cur *osculum oris sui*, cùm nondum osculum sit, quousque in ore alieno osculans imprimat suauium? Bellè *osculo oris sui*, quia adhuc oris sui est, postquam in me est; licèt infixis labris sapidum mihi verbum insinuet, ab ore suo non discedit? non est rimula, per quam exeat; omnem semitam virginitas gignentis obstruxit. Qui concipit, dum intelligit, nequit perdere, quod communicat: quia inuiolata mens intra virginea septa recondit, etiam quæ enunciando largitur. Ergo Mariæ vterus, si fœcundus & virgo fuit, quid quod hanc indolem à mente participet; & licèt vacuus homine Deo post partum extiterit, sacri ponderis argumenta effingere non detrectet, nec cogitanti se prodat, quin in vtero Christū gestare repræsentet? Sic pingitur quasi proprio stemmate Maria à Bernardo in paruis serm. 8. *Quid est autem, quod Maria portat* IESVM *in vtero: Ioseph in humero in Ægyptum iens & rediens: Simeon portat in brachijs? Significant isti tres tres electorum ordines, Maria prædicatores, Ioseph pœnitentes, Simeon bonos operatores.* Equidem viscera Mariæ portauerunt æterni Patris Filium: *Beatus venter, qui te portauit*, protulit illa: vtrobiq; agitur de præterito. Bern tempore præsenti mulcetur: quasi constanter in vtero pottet Iesum, quæ solū statis mensibus, pueri fuit gerula *Erit clausa Principi*, de orientali porta Vates prædixit, postquàm ingressū, egressumque inturbatis valuis explicuit. Vt quid Principi, si nunquam regressurus in vuluā? Diximus alibi. Sat fuit semel intra virginea septa viguisse per generationis

Bernard.

Ezec. 44. 2.

commercium, vt inibi virtute mansisse censeatur, licèt corpore in lucem dissiluerit.

52. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Cant 7. v. 2. Quid tenello ventri cum triticeo cumulo, qui protuberante congerie, orbéque erecto tumet? Benè cùm, aceruo Marianus vterus comparatur, ne quid ibi vacuum, ne quid hians putetur; sed à plenitudine diuinitatis corporaliter inhabitante tumebat infartus, quæ omnes viscerum latebras præsentiâ suę maiestatis implebat. Erras hęretice, si vt fistulam credis aluum Virgineam: erras, si nugatoriam corporis speciem effingis in Christo. Vterus puellæ adeò absque onere onustus, absque pondere grauidus eminebat, vt aceruus tritici censeatur. Benè Guilhelmus apud Delrium. Guilb. *Veritatis plenitudine tumidus. Benè igitur venter ille virgineus, qui non phantastico & simulato, vt mentitur Manichæus; sed vero, solidoque fœtu intumuit, ad confutationem eiusdem erroris aceruo tritici comparatur.* Verum hoc, & subtile. Attamen fœtus ille solidus & verus semel tantum compleuit vterum, semel inibi genitus granum est, quod in terram cecidit virgineam: aceruus autem tritici ex plurib. coagmentatur granis, quæ e pluribus aristis excussa, pluribus natiuitatibus edita, in triticeum orbem aggeruntur. Ioan. 12. 24. Si granum fœtus est, quî venter aceruus? Certè postquam granum illud contritum à ligno iacuit, multum fructum attulit; in aceruum creuit à grano: cæterùm in vtero Matris, nondum crucis contusum aratro, nondum enata segete quo efficeret ventrem aceruum? Quàm vber vterus! Granum accepit, manipulum germinauit. Imò quasi pluries gigneret, pluraque grana repetitis ortibus ederet, aceruus dicitur triticeus, quo conualles abundarent frumento. Iuuat Ambr. Ambrosius de instit. Virginit. cap. 4 *In quo Virginis vtero simul aceruus tritici, & lily floris gratia germinabat: quoniam & granum tritici generabat & lilium Granum tritici, secundùm quod scriptum est: nisi granum frumenti cadens in terram, &c. Sed quia de vno grano tritici aceruus est factus, completum est illud Propheticum: Et conualles abundabunt frumento.* Si de vno grano aceruus tritici factus est; granum fit aceruus, non vterus, in quo satum conualuit. Imò si aceruus constitit postquàm granum auulsum è virginea gleba, de terraque viuentium abscissum, mortuumque, plurimam segetem emisit; quomodò venter, qui iam diu officio functus orabatur, aceruus tritici dicitur, velut si iterum granum in illo insitum, triticeum illi cumulum addnxisset? Facilis expeditio est, si Mariani ventris conditionem explores. Virginitas eius, & à carnali sarcina immunitas æquam cum animo sortem illi impertitur. Quia postquàm Verbum genuit carne Maria, non cessauit gignere mente, & quasi repetitum fœtum educere; aceruum effecit geminatis vicib. productionis, quod granum in vtero generauerat. Si Verbum accepit, & omnia verba conseruabat conferens in corde suo; nonnè ex grano tritici potuit aceruum reddidisse? Eo respexit Rupertus: Rupert. *Hinc venter tuus sicut aceruus tritici, quod videlicet triticum prudenter congregasti, sicut dictum est: Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.*

53. Ad quid superuenit Spiritus in Virginem, & Altissimi virtus obumbrauit? Iudicet Angelus, qui pauidam de generationis qualitate, sciscitantemque modum erexit & direxit, superuenturi Spiritus & obumbraturæ sponsione virtutis? Et quidem superuenire Spiritum sanctum in gratiæ iam plenitudine refertam, nihil aliud potuit esse, quam ab animo, in quo inerat, se in vterum per sacrum opus protendere, vt ibi corpus Dominicum conflaret, annuente Bernardo hom. 4. super Missus est. Bernar. *An prior quidem gratia eius tantùm repleuerat mentem; sequens verò etiam ventrem perfundere debeat, quatenus scilicet plenitudo Diuinitatis, quæ ante in illa sicut & in multis Sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat? Ait itaque: Spiritus sanctus superueniet in te.* Quid est: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Quòd obuium fertur ex Gregorio libr. 18. Mor. Greg. *Corpus in te humanitatis recipies incorporeum in lumen Diuinitatis.* Hæc si tibi insinues, dabo iam Athanasij locum serm. de Deip. col. 7. Athan. *Idcircò gratiâ plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret, & Virtute Altissimi obumbraretur; quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido, & post conceptum etiam retinuisse: nec enim id temporarium in Virgine accidisse opinor; sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum & nunc in præsentia & in æternum vsque habet hæc Virgo sibi obumbrationem virtutem Altissimi, & superuentum Spiritus sancti.* Profectò sublimius nihil. Nullum tempus à superuentu & obumbratione dimouet Athanasius; & tamen superuentus & obumbratio, vt audisti ex Bernardo & Gregorio, in corpus in vtero compingendum tetendit. Quid vltrà in æternitate his cœlicis præsidiis opus Virgini Matri iam non generanti? Sint vmbræ, sat superessusionis Spiritus sancti in carnē; si Christus exurgens ex mortuis; iam non moritur; natus ex Virgine, iam non humanitùs nascitur. Certū est. Ast quia pristinæ generationis, ex gratiarū & virtutum affluentia, nō solùm vestigia, sed & pignora remanent, impressaque insignia perdurant, toto tempore propter charismatum abundantiam concipere aliquali tropologia censetur, indiesque Christum parere, qui indeficiens est, ortumque in Matris vtero capessiuit. Ad Rom. 5. 9. Quid quòd iugiter superueniat Spiritus, obumbret virtus?

Hinc illa: *Sub vmbra illius, quem desiderauerat, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* 54. Cant. 2. 3. Qualis fructus ex vmbra? Vis noscere? Dixerat Angelus: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. Nec longo interuallo Elisabeth: *Benedictus fructus ventris tui.* Fructum vmbra attexit. Sed si semel sedit Maria, fructum concipiens ex vmbra, illicòque exurgēs, abit in montana; quomodò continuò sedisse gloriatur, & in fructus dulcedine guttur saporante mulcetur: quasi continuò fructum in carnea guttura transmittat; benè gutturi dulcem, quoniam Verbum per guttur mandari solet; Verbumque in Virgine caro factum est; Verbum lux est: si in corpore fit, quid quòd vmbra formaretur? Verbum Filius Dei est; quid quòd fructus diceretur? Ergo Maria, etsi semel concepit, perpetuò sedit vt quem iam pepererat, iterum parturiret; & habens, quem desideraret, quem habebat. Guilhelmus: Guilh. *Ideò quem desiderabat, habebat, quia sub eius vmbra sedebat, tamen adhuc eum desiderabat. Lucis ad corpus accessu vmbra gignitur. Lux diuina humano se corpori in Virgine vniuit & sic, vmbram produxit densam & caliginosam, venerabile & inscrutabile mysterium Incarnationis. In hac vmbra soli humanitati Christi sedere datum: sub ea tamen sedere peculiari priuilegio datum, cui dictum ab Angelo: Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Accedat

Rupert.

Rupertus lib. 1. in Cant. expendens eadem verba: *Ex quo mihi Angelus loquutus est: Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ego sub vmbra illius sedi. Non steti ad horam sub vmbra, sed continuo sedi: quia semper pacem habui, iugiter sub vmbra illius quieui.*

Hæc vtcumque de Maternitatis virgineæ duratione sint dicta: mutila tamen, & imperfecta manebunt; donec sequentem construamus. Academiam, quæ gloriam Virginis, si tenacibus oculis constans sit, ne opprimatur, differet; in qua Mariæ mens omnium perfectissimo conceptu iterum concipit Deum, quem anteà in vtero generauit, quasi priscam generationem propagans, & in æternum duraturam protelans. Quarè operæ pretium erit legere, quæ subiicimus.



ACADEMIA XXVIII.

Marianæ Gloriæ, & Beatitudinis ex Patris superni gloria delibatio.

Marianæ gloriæ mensura Virgineus eius vterus est, qualis Filius splendor gloriæ Patris.

SECTIO I.

1. 

V T Cum Petro Damiano loquar hìc totum recurrat ingenium, & aureus sermo totâ reluceat maiestate. Voluntaria oris nostri beneplacita faciat sibi Genitrix Dei; Domina mundi, cœli Regina: ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio: illustret lucem hanc lumine clariori, & suo conuentui suam præsentiam donare dignetur. Gloriam Dei Genitricis chordis committere suauioribus, & Dei, & Genitricis gloria est. Nisi in tam splendenti maiestate perscrutandi auibus caliget intuitus, in supernæ beatitatis fastigium ascendat; & in cœlestis culminis solio Mariam verso ingenij poplite adoret. Ab vtero Virginis ad gloriam ductilis & peruius trames est. De Diuini Patris agimus attributis, quæ Filio tradito, qui character, & figura est sustantiæ eius, impressit in Virgine. Inter quæ post Filij generationem primatum obtinet gloria, & beatitudo: imò gloriâ indeficiente pollere, ex suprema sui prouenit intuitione; quæ radix, & origo est, cur Verbum gignat, intellectus negociante sapientiâ, altitudinéque diuitiarum scientiæ Dei. Consule Apostolum: *Cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Cùm priùs *splendor gloriæ*, nec gloria nuncupatur, cùm filius sapiens gloria sit patris? Quidni Filius, qui Sapiētia est? Cur *figura substantiæ*, cùm in splendore figura non sit? Non valuit altiùs, aptiúsque. Et patris & Verbi conditionem explicuit. Gloria, & beatitudo in perfectissima operatione stat, qualis intellectualis est. Hinc in Deo gloriam eminere sublimem confirmat S. Thom. 1. p. q. 26. art. 2. *In Deo autem non est aliud esse, & intelligere secundum rem: sed tantùm secundùm intelligentiæ rationem. Attribuenda ergo est Deo beatitudo secundùm intellectum sicut & alijs Beatis, qui per assimulationem ad beatitudinem ipsius, Beati dicuntur.* Vbi obserua, quod mirum est: absque vllo interstitio de Diuini Verbi processione disserit, similique ratione eam in Deo esse contestatur quæst. 27. artic. 2. *Processio Verbi in Diuinis habet rationem generationis; procedit enim per modum intelligibilis actionis, & secundùm rationem similitudinis: quia conceptio intellectus rei est similitudo rei intellectæ. Et in eadem natura existens, quia in Deo idem est esse, & intelligere.* En quàm apprimè à Paulo, qui *figura substantiæ* dicitur, vtpote in similitudinem, quippe per intellectum expressus; splendor gloriæ perhibetur: quia Verbum est, & lux ex illa plenitudine gloriæ, nempe intellectionis, eructata. Quòd autem gloria in luce sit, ipsum lumen gloriæ persuadet. Quò respexit Basilius 2. contra Eunom. col. 5. *Lucem audientes ingenitam, Patrem intelligimus; genitam verò lucem audimus, Filij sententiam capimus.*

Ad Hebr. 1. 3.

Ibidem.

Prou. 10. 1.

S. Thom.

Idem.

Basilius

2. Ex quo non à recto tramite abibit, quisquis cogitauerit inter attributa, quæ cum insecabili simplicitate toti competant Trinitati; attamen ex signata propensione perpetuo Ecclesiasticorum Patrum calculo, vni vel alteri personæ peculiariter appinguntur, gloriam, sicut potentiam, & æternitatem diuino adscribi Parenti. Cui sensui plurima Scripturæ loca, nisi despio, nos addicunt. 1 ad Timotheum 6. vers. 15. *Quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens Rex Regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Vbi Græcè est ὁ μακάριος. Id est: *Ille Beatus*, quasi antonomasticè. Quòd licèt de tota Deitate, quatenus in tribus personis est, plures ex Patribus accipiant, de Patre exponunt. Euaristus Papa epist. 1. ad Episcop. Afric. Ambrosius libr. 5. de fide ad Grat. cap. 1. Chrysostomus 1. ad Timotheum homil. 18. col. 2. Athanasius dialog. 1. contra Maced. & pluries. Sic ad Rom. 6. vers. 4. *Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris* Match. 17. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis.* Pulchrè vtrumque, & quòd communis sit gloria, & quòd Patri, tanquam Deitatis fonti, & per intellectum generanti adscribatur. Cur enim non *cum Angelis eius*, sed *cum Angelis suis*, si gloria Patris sui est? Imò *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*, lux, & splendor gloriæ est: nec in simili gloria cum Patre, sed in ipsa gloria Patris, venturus prædicitur. Chrysostomus appositè homil. 54. in Matth. *Non autem dixit in tali gloria, in quali est Pater, ne alteritatem gloriæ suspiceris; sed ait, gloria Patris, vt eadem gloria ostendatur Si autem gloria vna est, manifestam, quòd substantia vna est.* Suppetit ratio, quam prælibauimus, cur gloria signatè Patri arrogetur: fons enim est originum, emanationisque intellectualis, quæ vita, viuidaque cognitio est, in qua, vt diximus, beatitudo persistit: & sicut ex Deitatis natura prouenit, quòd Verbum diuinum gignatur; sic quòd Deitati insit Beatitudo. Bonus & pius auctor Henricus Suson sic Deum definit: *Cuius substantia vita illius & operatio est: cuius viuacissima intelligentia in se ipsa, & per seipsam cuncta nouit: cuius scientia in seipsa abyssus quedam est deliciarum, & gaudiorum & sui ipsius, & omnium supernaturalis, & ineffabilis, & iucundissima beatitudo.*

1. ad Tim. 6. 15.

Euarist.

Ambros.

Chrysost.

Athan.

Ad Rom. 6.

Matth. 17.

Psal 103.

Chrysost.

Suson.

3. Semitam hanc construximus, vt placido gradu

perge

pergeremus ad Virginem. Duo præstanda sunt, vt amussim cum supero Patre componatur. Primum est, singularis attributi more, Virginis emblema & insigne esse gloriam. Secundum est, hoc gloriæ stemma ex Verbi Dei generatione illi excudi. Primum hæc, secundum sequens sectio monstrabit. Vtrumque compendio contestatur illud Angelici chori melos: *Gloria in altissimis Deo.* Quid est, quòd ex partu Virginis, in quo Verbum se exhibuit factus homo, quod primum canoris neruis intendunt Angeli, gloria in Altissimis est? Obseruastinè adsonam cantilenam: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, cùm concipitur Filius Dei in Maria: *Gloria in altissimis Deo*, cùm nascitur; vtrobique Angelica personat lingua? Torquentur in explicatu quotquot Lucam elucidant. Nos, ne nouitatis insimulemur, vnum ex altero expendere tentamus. Fermè cuncti illud: *Virtus Altissimi* accommodant Patri, cui altitudo diuitiarum irrogatur. Quid ergo vetat, quòd gloria in altissimis Deo peculiariter de Patre canatur, qualis in aliis appropriatio increbruit? In quo solers industria est. Nam Filius Dei, & virtus Dei dicitur, annuente Apostolo 1. ad Cor. 1. *Christum Dei virtutem: & splendor gloriæ Dei*, vt liquet ad Hebr. 1. En quàm concinnè *Virtus Altissimi*, dum gignitur: quoniam per generationem in Virgine virtus, aut potestas æternè generantis lineatur: *Splendor gloriæ*, seu *gloria in Altissimis*, cùm nascitur: quia per carneam natiuitatem Vnigeniti sese conspicuam natiuitas æterna profudit, Paterque in altissimis habitat, hominibus innotuit, cuius gloria vincens operatio; viuidaque Filij generatio est. Quò accerso grande Pauli proloquium 1. ad Timot. 3. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* En cuncta. Dubium de quo Sacramento. Autumo, de vtroque, Trinitatis nempe, & Incarnationis: ab hoc in illud facilis vicissitudo fuit. Si semel gloria in altissimis prolata est, æterna se palàm dedit generatio, quæ in altissima cognitione stat: quin altissimum penetrale non sine Theologico pondere dici valet; nam prima, nostro captu, operatio ex intraneis emanationibus, intellectus Paterni est. En quid profuerit puerpera Virgo: Verbum parit, & quasi repercussa vox personat in æthere: *Gloria Altissimo Parenti*, Angelicis cuneis modulantibus. Non longè discedit Caietanus in cap. 2. Luc. *Et est sensus, quòd mysterium hoc est ad efficiendum in superioribus gloriam Dei.* Et statim: *Ordinatur siquidem Incarnationis mysterium primò ad gloriam Dei in superioribus, vbi comprehenduntur omnes Beati.* Ergo Maria puerpera gloriam superni Patris pandit, & procliui argumento, quia parit Verbum, & gloria illi decantanda est.

Luc. 2. 14. | 1. Cor. 1. | Ad Hebr. 1. | 1. ad Tim. 3. | Caiet.

4. Scis iam ex præfatis, quòd Deus gloriosus accommoda subsignatione Pater effertur, quantumuis attributum hoc totius Triadis sit, iuxta illud Gregorij lib. 12. Moral. cap. 5. *Ipse gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigus non est.* Exponit S. Thom. dicta quæst. 26. art. 2. *Esse autem gloriosum significat esse beatum.* Annè *Gloriosa* nomen Virginis est? Profectò. Ea nomenclatura passim apud Amadeum. Homil. 5. de laud. Virgin. *Tam pro nati morte, quàm pro Iudæorum perditione, ineffabili dolore Gloriosæ pectus vrebatur.* Quo appellas: ô Sacer? Voca *Mariam*; vel si mauis, voca *dolentem*, ærumnisque percussam. Curnè *Gloriosa* inter doloris spicula, inter flagra & ictus? Turbine quatitur afflictionum, tormentorum tempestate coecutit; sed *Gloriosa* nomen quasi innatum, nescit etiam inter furentes crepitus non sonare. Sic & homil. 7. *Tradit fides maiorum iuxta veritatem historiæ ab ortu Saluatoris vsque ad transitum Gloriosæ, terrarum accolas, sopita armorum rabie, ac tranquilla pace quiescere.* Accinit S. Hieronymus eadem phrasi in festo de Assumpt. *Nisi quod hodierna die Gloriosa migrauit à corpore.* Quin quidquid Mariæ est, gloriosum nuncupatur. Dedi alibi Odonem Episcop. Camerac. in Opusc. *Igitur gloriosus sexus, gloriosus vterus, gloriosa viscera, gloriosum totum, quod totum gratia plenum.* Quod si *Gloriosa* idem est, quod *Beata*; quàm altè hoc nomen infixum Virgini, vtero, & vberibus! *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent. Beata, quæ credidisti: Beatus venter, qui te portauit. Beata viscera Mariæ Virginis.*

Gregor. | S. Thom. | Amad. | Hieron. | Odo. | Luc. 1. 45. & 48. & c. 11. 27.

5. Vt quid Virgo hoc sibi *Gloriosæ* generosum nomen arripuit? Quia gloriosus à gloria dicitur, sicut quilibet effectus formalis ab indita forma profertur. Si splendor gloriæ Dei descendens de cœlo, Virginem inuasit: si assumpta in cœlum, gloriæ hausit opulentiam, cui nulla pars inanis, nulla iacuit portio ab impetu gloriæ non inundata; cur non transiret in nomẽ? Prospectastinè amictam Sole? Quid nisi Sol in Sole est? Qualiter specimina sensibus ab obiectis induuntur, nomẽ accipiunt. Si à Sole absumitur Maria, nec præbet obtutui aliud conspiciendum; quidni nomen mutuetur à Sole, *Gloriosaq;* vocetur? Quamobrem? Lumẽ gloriæ dicitur virtus, quo intellectus Beati fouetur, stenuéq; erigitur in Dei intuitum. Portio vni, portio alteri dispensatur: vt stellæ ab stella discrimen est; non cuique plenitudo contigit, non totius gloriæ bibulus animus est: angustiis quisque præpeditur: siue Propheta sit, carbone candente contentus est: siue Seraphim, ignem de altari prægustant; Mariam pro lumine gloriæ totus Sol cõtegit, quia præ omnibus abundantiùs in Deitate immersa plus participauit de gloria. Probè Bern. serm. 5. in Assumpt. *Illo igne Prophetæ labia purgantur: illo igne Seraphim accenduntur: longè verò aliter Maria meruit non velut summatim tangi: sed operiri magis vndique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi.* Operitur, circumfunditur, concluditur Virgo ab ipsomet ignis fonte, arbitroque luminum Sole. In quo excessus eius gloriæ, intuitionisque nobilitas claro indicio monstratur. *In lumine tuo videbimus lumen* in beatitatis auspicium canebat Vates. Ergo lumen: à lumine distinguit; quod videtur, & quo videtur: lux etenim affixa mentibus, quæ acuit, & incendit, infirmitatisque rubiginem mentibus abstergit gloriosis, Solis diuini deriuatio est. Annè in Maria vidente, lumen decerpitur à lumine, vt in gloriæ obiectum aciem intendat? Verum est. Solus etenim Deus semet vt lumine, semet prospectat vt lumen: nec in eo secernitur, quo videt, & quod videt; nullius confortantis virtutis indigus, sibi virtus est. Quid est igitur, quòd *Mulier amicta Sole* perhibetur; quasi Sol illi lumen sit, vt videat Solem; nec dissecta portio, sed integer globus pro virtute illuminante clarescat. Equidem luminare maius lumen Mariæ est. Mira prærogatiua maiestatis. Quantumuis creaturæ more finitam creati luminis partem accipiat, & aliud sit, quo videt; & aliud, quod videt: vt huiusce visionis altitu

Apoc. 12. 1. | Esai. 6. 6. | Bernard. | Psal. 35. 10. | Apoc. 12. 1.

altitudo, opulentiaque præsignetur, nequiuit subtiliùs alio symbolo à cœlesti stylo describi, quàm amiciente Sole: vt quà Sol creatura est, creato lumine ad intuitum confortata credatur: quà Sol Deitatis imago, ob plenitudinem gloriæ, & excellentiam ab ipsamet Deitate pro lumine suffulta, vt eam prospectet, non sine aliquali proportione putetur. Præclarè S. Bernard. de verb. Apoc. Bernard. *Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ Sapientiæ, vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyssum: vt quantum sine personali vnione, creaturæ conditio patitur, videatur immersa.*

6. Qui Bernardi cogitatus in plura non iniucunda nos concitat. Decertat quidem pro illa à Patribus decantata sententia, Mariæ beatitudinem in nobilitate, claritudine, abundantia omnium creaturarum, siue beatos homines, siue gloriosas Angelorum Hierarchias ad calculum reducas, eorumque beatitudinis gradus, scrupulosus supputator resumas, gloriam excedere. Quam thesim benè tractat P. Suarius 1. tom. in 3. disp. 21. Suar. sect. 3. Id quidem ænigma Solaris amictus lucidissima perspicuitate, contestante Bernardo, declarat. Cæteri, quantumuis vrentes ignes, administratorios spiritus commemores, Seraphim & Cherubim explores, qui magis à vicinio Deitatis igniuntur, lumina gloriæ partitè deriuant, & quasi per ferulam à Sole diuino, ceu prunam à foco, decerpunt. Virginem totus Sol ambit, vt collectos cæterorum ignes exuperare, credatur. Cur sub Solis ambitu, tam flagrantique peplo potuit à Ioanne, sub conuexis adhuc degente, Mulier agnosci, cùm luminosus circumdans orbis in vehementi sinu, fœminæ delitenti latebra esset, quæ oculum explorantem arceret? Plura huic quæstioni in hoc opere cogitauimus: nunc non incommodè meditemur: In modum vestis, clarissimique syrmatis Sol Ioanni apparebat protensus, cuius potuit cogitare peplum istud, nisi Mariæ in cœlo regnantis: post cuius migrationem iam alij adnotarunt hanc illi reuelationem contigisse? Argutè deduxit mulierem sub ardenti delitescere tegumento (eâ ratione, quam iam subiiciemus) eoque lumine gloriæ perfundi, quod subtus Deum, nobiliorem omnibus intuitionem Bernard. accendit. Hoc pondus est in illis Bernardi: *Vt quantum sine personali vnione*; id est; Maria Deus non est, cæterum subtùs Deum eximior creatura Virgo Mater. Hinc Sole perhibetur amicta: quippe in tam arcta penetratione cum Solis increati maiestate mens auida nutaret; an eximiorem vnionem; qualis personalis est, fuerit sortita; ac proinde Diuinitatis participauisset naturâ. Quare datâ operâ Sol tegumentum est: non alia profertur vnio, vt simul tota in Diuinitate appareret immersa; & tamen diuinam non esse personam demonstretur amicta est lumine, sicut vestimento; palla Sol est. Sic vestitur Diuinitas: vestis eadem, disparilis natura. Id eleganter tetigit S. Hieronymus de Assumptione Virginis dum ait. *Meruit exaltari super choros Angelorum, & peruenire,* Hieron. *vltrà quàm nostra humanitatis est natura. Vbi non substantia tollitur, sed gloria magnitudo monstratur, cùm eleuatur in dexteram Patris, vbi Christus pro nobis introiit Pontifex factus in æternum ad cœli palatium.* Perpende illa: *Peruenire, vltra quàm nostra humanitatis est natura.* Quæ aduersari videntur sequentibus. Si enim peruenit vsque ad Christi solium; ibi nostra residet natura cùm illùc ascenderit humanitas, captiuaque captiuitas perrexerit. Optimè Doctor maximus. Arduus ille beatitudinis locus altior est nostræ naturâ humanitatis absque personali vnione: non illùc subrigeretur homo, nisi in virgine. Fausta in homine Deo super Empyreum collocata maiestas, cuius pedes cunei Angelici fulcire desinant. Si homo est, etiam Deus est: quid non sibi Deitas vindicaret? Ast propemodùm faustior (si fas sit dicere) in Virgine Matre humanæ naturæ sors. Deus non est; & tamen illi Deitas sedes, & amictus. In situ renidet, subtus quem cœlites cuncti lambere vestigia festinant. Quare Theologica sententia est, Mariam singularem chorum sub Christo in beatitudine constituere, de qua Suarius suprà Suar. sect. 4.

In Christo captiua humanitas; sicut vellus 7. Diuinitatis bibulum cœlos penetrauit; in altum euecta dedit dona hominibus, cùm natura ascendit in Virgine. Rependit etenim Filius hominis quod acceperat ab homine. Vestiuit humanitate Mater personalitatem tamen non dedit: habitum hominis imposuit; panopliam induit; & defæcati conchylis murice tinctam carnis purpuram induxit. Ast persona non à Virgine assumpta, quippe nascens à Patre descendit de cœlo; & homo factus est. Vnde S. Ildephonsus de virgin. Maria cap. 1. *Absque veste Deus, vt ita dicam ingredi-* Ildeph. *tur; qui, vt certè dicam, carne vestitus egreditur. Ad domum sui operis venit; carnis tantummodò vestem tulit.* Sic accipe dictionem *tantummodò*: non tulit personam, non animam, sed solam carnem. Ecce redditum beneficium. Vestit Sol Virginē, tota Diuinitas peplo corusco cingit; absque tamen personali vnione: non etenim diuinam efficit personam, quæ nostra interest, quòd ex hominibus sit, non ex Deitate. Hinc habitu Diuinitatis inuenitur amicta in cœlo, per quam Deus habitu inuentus vt homo est. Nequiuit intimior nexus cogitari, quàm Solis intima penetratio; semper tamen vice tegumenti, ne Deum Mariam credas. Attamen nunquam intimior; siquidem Sol ambiebat illam in cœlo; & tamen apparebat in terra id, quod à Sole tegebatur, esse mulierem. Nec minus signi ostentum, & prodigium est, quòd tanto Sole amicta mulier dignosceretur vt mulier. Id puto, effecit reciproca penetratio mulieris, & Solis. Sol mulierem inuaserat intùs, & extra; mulier ambiebat Solem: non Sol videbatur, quin mulier: non mulier videbatur, quin Sol. Sol in muliebrem vestem adeò attemperatâ formâ apparebat assutus, vt vel Solem fœmineum crederes, vel fœminam Solarem. Sic intima mulier Soli, sic vestis Sol. Ad hæc S. Bernardus serm. de verb. Apocalyp. *Mulier amicta Sole: planè* Bernard. *amicta lumine tanquam vestimento. Quam familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima fieri meruisti! Quantam inuenisti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo. Vestis eum substantiâ carnis; & vestit ille te gloriâ suæ maiestatis. Vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris.* Ecce repensa concinnè dona in sacro hoc vestiario. Si mentem arrigas, supra miraculum ex præfatis inuenies Mariæ gloriam. Neque etenim subtiliùs, & sublimiùs potuit explicari, illibatâ semper fide Diuinitatis non esse Deum Virginem Matrem, nec ipsi diuinam personam per modum subsistentiæ vnitam; & tamen tam pleno alueo à Diuinitate absorptam intimiore præter personalem vnio-

ne

ne vnitam: siquidem vtraque vestis comparatur; & carnis, qua mulier vestiuit Solem; & Solis, qua Sol vestiuit mulierem. Vnde si nouum fecit Dominus super terram, quod mulier circumdaret virum; signum fecit magnum in cœlo, quòd vir circumdaret mulierem: repetitis vltrò citróque muneribus; & Filius beat Matrem, & Mater concipit Filium. Id prosequitur Bernardus: *Nouum enim fecit Dominus super terram, vt mulier circumdaret virum, nec alium, quam Christum, de quo dicitur Zachar. 6. Ecce vir oriens nomen eius. Nouum quoque fecit Dominus in cœlo, vt mulier Sole appareret amicta. Denique coronauit eum, & vicissim ab eo meruit coronari.*

Bernard.

8. Andr. Cret. Nec longè ab enodatione huius signi, quod apparuit in cœlo, symbolicè gloriam Virginis præconantis, abest Andreas Cretensis loco nobis pluries proficuo hom. 2. de dormit. Virgin. *Erat autem spectaculum verè nouum, & quod non poterat consequi cogitatio. Mulier, quæ cœlorum superauerat naturam puritate, in adyta, quæ sunt in cœlis, sancta commeans, & ingrediens. Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis: Mater, quæ ipsum viuere pepererat, consequuta vitæ finem, partui non absimilem, & miraculum Deo, & fide dignum.* Alibi expendimus, quare in natura superare Seraphim Virgo adstruatur, nempe prout natura præsignat principium motus, & quietis; ac proinde, productionis est principium, & generationis radix; in qua Diuinæ personæ Genitrix super omnem naturam eleuatur: quare alibi subdit Cretensis: *Et reuera omnes superauit, quæ sunt in generatione, naturæ magnitudine.* Nunc autem illud nos non sine suaui concutit stimulo, cur, dum gloriam eximiam Virginis Matris pangit, generationis meminit, qua superus Pater pollet: *Proximè accedens ad Deum opificem omnium generationis*; & qua Maria genuit Vnigenitum *consequuta vitæ finem, partui non absimilem.* Ingeniosè; & profundè. Hæc est connexio orationis: Maria Dum genuit; ideò naturam excelso situ exuperat Angelorum, vtpote qui infœcundi, & virtutis genitricis expertes. Quare cùm cœlorum adyta ingreditur, solium obtinet, primæ naturæ debitum: proximior ad Deum accedit, quà Deus Pater est, naturâque constat, non tantùm creatæ generationis opifice, sed & omnium auctore, vt & diuinæ prolis generatio subintret. Mater igitur Parentis superi thronum comitatur. Vt quid tam clara sedes? Subtili illationis, vt gloria virginis in retributionem generationis, qua diuinam personam concepit, eodem generationis solio donata sit; & tantumdem accipiat gloriosa, quantum contulit puerpera. O diues remuneratio! Quid quòd *Gloriosæ* nomen acquisiuerit, quæ obtinuit Genitricis? En ex diuino Patre transcripsit vtrumque. Gloriosus ille est, eò in nobilissima intellectus operatione validus, quòd ex vberrimâ fœcunditate, sapientissimâ mentis abundantia Verbum progignat, gloriæque splendorem educat; eò splendorem, quò cumulatissimæ gloriæ indicem, qua Pater fatur, & opimus se in sobolem leuat. In huius altæ generationis situ appositè dicitur collocari Maria, quo & beatitudinis excellentia, & causa beatitudinis indicatur. Non vt intra Trinitatis arduum solium sedere credatur, sed vt iuxta generationis Vnigeniti, qui medius in Triade dignoscitur, dignitatem, beatitudinem ca-pessiuisse notetur. Hoc pipere intellige Damianum, & quos subiicimus.

Ex quo subrexit Cretensis: *Mater, quæ ipsum viuere pepererat, consequuta vitæ finem, partui non absimilem.* Si calleas, sensumque latebres, diues abibis Ipsum viuere peperit Maria. An quia generatio, & natiuitas vitæ auspicium est? Id humile, & segne Verbum Dei vita est. Non inane est illud: *in ipso vita erat.* Curnè *vita?* Quia prima, & nobilior vitæ manifestatio intellectio est, in qua vitalis, & sapida natura viget. Igitur Maria adeò vitalibus instructa est dotibus, vt ipsum viuere pepererit, & viuida manserit. Quid longius à morte? Mors *viuere* inductâ falce deprædatur; vita defungitur, cui vita eripitur. Virgo enixa extra se *viuere* parturit, & vitâ solidiori perennat. Nonnè videas? Moritur, & finis vitæ non absimilis partui asseritur à Cretensi. Quid est *non absimilis partui*? Nisi decipior, hæc mens est. Mariæ mors non illato mucrone, non extersâ falce virgineum viuere demessuit; sed qualis, dum peperit, ipsum viuere, videlicet Verbum, extra se emisit; & tamen in nobiliorem vitam asserta est: sic placido sopore functa mortale viuere transmisit in æternum. Non absque acumine istud. Aliud nec ignobilius subodoror. Gloria Virginis ad lineam vsque cum vtero eius generante componitur; non absimili fulgore in cœlesti beatitudine radiat; ac in filij conceptione totâ Trinitate incumbente, refulsit: in vteri medio Trinitas operata fuit, virtus Altissimi Genitoris obumbrauit; compar illi in Altissimis rependitur situs, quasi intra generationis æternæ circulum. Ergonè in medio Trinitatis? Adsit Damianus serm. de assumpt. Virg. *Sublimis ista dies, & splendidiore Sole refulgurans, in qua Virgo Regalis ad thronum Dei Patris euehitur; & in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam Angelicam solicitat ad videndum.* Prospice, quam contiguè ad ea; quæ discussimus adhuc, assideat Purpuratus iste, Curnè speciali delectu ad thronum Dei Patris concinit euectam. Nonnè satis ad thronum Dei. Quid est, quòd & Patris? Thesim nostram confirmat. Inibi reponenda iudicatur, vnde traxit generationis sacræ priuilegium. A Patris vtero Verbum in vterum carnis abduxerat: inibi genitricis gratiam inuenit: illuc iure asseritur in gloriam.

9.

Damian.

Mentem stimulat dictio illa *reposita*: quod enim reponitur, iam semel positum fuisse dignoscitur. Non absque serio delectu ea vox præfixa, est; similem apud Hieronymum inuenies de Assumpt. Virg. *Hæc est dies, in qua vsque ad throni celsitudinem intemerata Mater, & Virgo processit, atque in Regni solio sublimis post Christum gloriosa resedit.* En iterata sessio, sicut & positio describitur. Nam dictiones has non casu obrigisse argumentum est, quòd post aliqua Hieronymus de Filio Dei ascendente loquens inquit: *Ascendit eandem gloriam resumpturus, licèt non amiserit, quam prius habuerat, antequàm mundus fieret.* Latet igitur acumen in voce. Adeò Virgo Mater fastigiis virtutum excreuerat, vt ad Triadis solium meritorum cumulis perueniret, & Vnigenitum ex sinu Patris sibi deuinxerit corporandum. Id & Bernardus prodidit nulli non obuius: *Tantum se ad cœli fastigia subleuauit, vt Verbum in principio apud Deum de suprema cœli arce susciperet.* Dum ergo ad cœlum assumitur gloriosa, scitè reponi dicitur, scitè in Trinitatis throno residere; siquidem iam elatis illuc virtutum pennis ascen

10.

Hieron.

Hieron.

Bernard.

aſcenderet. Non alia decebat vox, quam toto Trinitas in toto præcedenti s periodo incoluerat, ſibique ttieliniom conſttuxerat, vt ipſa in Trinitate, & Trinitas in ipſa ſtationibus teciptocis conſidêret. Quare Angelus in oranonis veſtibulo, *Dominus tecum*, inquit. Cur ſie promiſcuè, nec Filij perſonam, euios Inearuationem enuneiaturus aduenerat, conſignat? Vt tota Trinitas tecumbens io Virgine compareret. Atteſtatur Bernatdus hom. 2. ſupet Miſſus eſt: *Ait itaque: Dominus tecum: nec tantam Dominus Filius tecam quem carne tua induis; ſed & Dominus Spiritus ſanctus de quo concipis; & Dominus Pater qui genuit, quem concipis.* Ex quibus iam claret Bernardi Senenſis mens tom. 1. ſerm. 61. art. 3. cap. 3. *Vt intra Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit euecta, ac plus Beatiſſima Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat, & fruatur, quàm omnis alia pura creatura ſimul ſumpta; de cuius gloria poſt Filium participant vniuerſi.*

Bernard.

Bernard. Senenſ.

11. Accommodatiùs tamen præfatis Damianum expendes, ſi ideò in Trinitatis ſede repoſitam dixiſſe mediteris, eomet ſapore, qoo ad thronom Dei Patris pethibuit eoectam: quaſi quando genuit virtute Altiſſimi obumbrante, & ſub placido ſancti Spiritos amplexu, ſibi gloriam præſtruxiſſet, & velut in paradigmate, & ſimulacro adumbraſſet; cùm tamen incorporabilis gloriæ venturæ radix conceptio fuiſſet Vnigeniti, è cuius intellectuali origine glorioſus Pater beatur. Itaque tunc valut incepiſſe in Trinitatis ſede locari, anagogicis ſaltem lineamentis, non inaniter coniici valet: vt, cùm aſſumpta in cœlom ſedit in throno, reſediſſe putetur. Prodeſt alibi datos S. Epiphanius: ait de Maria generante; & tamen ſic ſe continet. *Quid dicam, & quid proloquar? Quo pacto beatam prædicabo gloriam radicitus fundatam?* Et alibi: *Quo pacto prædicabo gloria radicem?* Quam putat radicem gloriæ, niſi gratiam. Quid eſt, quòd Sacer iſte gloriæ radicem virginem vterum diuino fœtu refertum appellet! Certè gratia increata, natura videlicet diuina gloriæ radix eſt, quâ & infinitæ intellectionis, ex cuius ſapienti abyſſo Filius gignitur apod Patrem: qoaſi eadem ſit & gloriæ increatæ, & generationis radix. Quid non inconcuſsâ fide liceat de virgine cogitanti? Quò magis ſe protrahit generis arduitate, magis ingenij volatum impellit. Gloriæ radix Marianus vterus nuncupatur. Quid quòd tranſitet in gratiam, quæ adhuc ante conceptum gratiâ plena dicta eſt? Imò quæ gratiam increatam compreſſit in carne, increatæ gloriæ prætulit ſpecimen, & Paternæ beatitudinis innoteſcere fecit originem. Nec diſſidet Epiphanius, qoi in oration. de laudibus Virgin. ſic eam alloqoitur: *O Beata Virgo, quæ gloriam cœleſtem portaſti!* Quaſi nulla ſit gloria cœleſtis cuius gerula non ſit Virgo Mater. Vnde S Hieronymus de Aſſumpt. Virgin. *Talibus decebat Virginem oppignerari muneribus, vt eſſet gratiâ plena, qui dedit cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit.* Quid eſt, dediſſe cœlis gloriam, cùm eius diſpenſatio ſolius Domini ſit iuxta illud: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus?* An quia Regem gloriæ humanitùs indutum induxit in cœlum: quippe peperit carnem, vt homo reſumeret gloriam, quam ſibi Deitas obtinebat? *Aperite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ.* Imò quis Rex gloriæ, qui extra gloriam remeat diuagatus? Si Rex gloriæ eſt, oon eget cardinum reclusione, non ei vectes, noo ei valuæ poterunt obſiſtere ingredienti; ſpiritui corporea repagula non officiunt. Pulchrè carnem indicauit, cùm portis reſerationem indixit; licèt caro glorioſa ex ſubtilitatis dote nnn mole vllâ valeat impediri. Cœlis ergo redonata eſt gloria in Regis ingreſſu, quem Regia Virgo enixa eſt. Qoidni cœlis? Potiùs hominibus, ſapienti induſtriâ. Cœleſtem gloriam traxit in vterum, humanitate medullitùs veſtiuit, tali ſubtegmine, quod exuere non valeret: vt dum remearet in cœlum, ſecum veheret in veſtimento naturam. Quare de veſte Cœlici conclamant, aſcenſum eius proſpectantes: *Quis eſt iſte, qui venit tinctis veſtibus?* Cui ſenſui ſuccineret Damaſcenos orat. 1. de dormit. B. Mariæ: *Hanc non hominum lingua, non mundo ſublimior Angelorum mens ſat dignis laudibus efferre poteſt: per quam Domini gloriam perſpicaè intueri nobis datum eſt.*

Idem.

Hieron.

Pſ. 83. 12.

Pſal. 23. 7.

Eſ. 63. 1.

Dam.

12. Hæc quidem de gloria, cuios obiectum Deus eſt, quæ ob Mariæ Filium intellectualibus eontigit creaturis. Attamen impunè perſcrutanti indidem ſe obiectat gloria, quam cœleſtis curia capeſſit ex ſacræ Virginis proſpectu, de qua nobiles Patres agunt Hugo Victorin. libro 3. titulo 125. de Aſſumptione Virginis in erudition. Theol. *Fœlix dies, in qua Virgo virginum Sancta ſanctorum, miſericordia Mater aſſumitur, paradiſus deliciarum, Angelorum gloria ad Regalis ſolij celſitudinem ſublimatur.* Anſelmus de excellent. Virgin. cap. 8. *Dies enim illa, non ſolùm te, Domina ineffabiliter ſublimauit; ſed cœlum ipſum, quod penetraſti, necnon cuncta, quæ in eo ſunt, nouâ, & ineffabili gloriâ decorauit. Nouâ quidem cœlum decorauit, quia priorem gloriam eius ex præſentia ſui, vltra quam dici poſſit, aut cogitari, magnificauit.* Vel excedere timeas elogium, vel decedere ingenium quod à tam euecto cacumine periclitatur in caſum. Quid eſt, quòd pura creatura nouâ gloriâ cœlos perfundat, præcipuè Angelos cùm corporea ſit, quod dedecere putabis inferiori natura gloriari? Meritò id perealluit Anſelmus, dum nouam gloriam eſſe præmonuit, inſolitamque nimis, quæ mulcet cœlites, hilarat ſpiritus; & tamen ſub conuexis adoleuit, è terra traiecit in ſuperos. Verùm quæ magnificauit Dominum, ipſa per hymnum conteſtante, quidni gloriam *magnificaret* cœleſtem? Quid fuit animam Virginis Dominom magnificauiſſe? Scis ex Origene. Quoniam in animi limpido, & pellucido ſpeculo totam retulit fidelibus, nullibique lituratis lineis, Deitatis imaginem; imò & in vtero, Trinitatis ſpecimen: quoniam, cùm Deus in creaturis non relucea, niſi vt vnus, Mariæ cato Filio Dei grauida explicuit vt trinum. Creuit igitur aliqualiter in agnitione Deus, & quaſi magnom, vtpote pleno perſonarum numero, ſe in virginea præſtitit criſtallo. Ergo cùm vita æterna ſit, *vt te cognoſcant Deum Patrem, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum;* probè dixit Anſelmus, quòd Maria in cœlum ſublimata *priorem gloriam eius præſentia ſui magnificauit;* id eſt, quaſi protractiorem reddidit: in qua habuere cœlites viuidam ſimilitudinem Trinitatis ex miraculo Dei generationis in Virgine. Quæ gloria, quantumuis accidentalis, nequiquam cum eſſentiali comparanda, multom de eſſentiali obiecto trahit, Triados ſcilicet nobiles ſcintillas excuſſas in Maria, quam ideò forſan in Trinitatis ſede repoſitam dixit Damianus. Vis Anſelmo bonom commilitonem addamus?

Hugo Vict.

Anſelm.

Ioan. 17. 3.

Anſelm.

mus: Quid quòd magnificet gloriam sic in gloria Filij sui dilatata; si & ipsum Dominum gloriæ
Gerson. tunc magnificauisse profertur: Gerson tract. 4. super Magnificat, col. 13. *Magnificat hodie Dominum, quia magnificata præ omnibus diebus vitæ suæ. Plenum gratiæ complementum hodie secura recepit.*

13. Nec prætereundum est absque trutina, quod reliquimus in expensum: *In ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam Angelicam solicitat ad videndum.* Grandi emphasi, & energia naturam etiam Angelicam dixit; quasi id attonito stupore
1. Pet. 12. dignum. *In quem desiderant Angeli prospicere*, dixit Petrus: sed de Spiritu sancto misso de cœlo, seu de Deo communiter, qui obiectum visionis est beatæ: in qua, licèt ob plenitudinem mens satietur, ob alacrem, & viuidam fruendi auiditatem desiderium acuit possessio, dum intendunt se, & extendunt in eum, cuius ardent amore. Ideo stantes simul & volantes pinguntur in spectaculo
Esai. 6. 2. Prophetico, Esai. 6. 2. stant, quia possidenti; volant, quia fastidium possessio non generat, sed possidendi sitim multiplicat. Id aliàs venustè Ber-
Bernar. nardus: *Seraphim stant, & volant, intendentes se, & extendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt.* Hæc indoles visionis est: ipsamet fruitione sui, studiositati videndi blanditur, vt absque inopia famescat, absque defectu sitiat, qui plenis saturatur obsoniis, qui fluidis fontibus irrigatur. Vt quid ergo Damianus de Maria canit, quod naturam Angelicam solicitet ad videndum? Quid potuit de creatura sublimius? An quia in Spiritu sancto vndique immersa, eius instruitur attributis, & qui in Spiritum sanctum prospicere desiderant, desiderent in Mariam? Imò quia in sede Trinitatis reposita asseritur, quidni Trinitatis participio gaudeat commendari: Non intrat quidem obiectum visionis beatificæ Maria; id fatuum esset de creatura proloqui: attamen quia post sanctam Trinitatem propinquior, & nobilior est, ea sibi non detrectat elogia, quæ Theologica pipere conspersa, & suæ beatitudinis excellentiam, & humanæ naturæ dignitatem extollant: nec tamen tantisper ob prauum intellectum à Fidei veritate deflectant. His adhære documentis, si Bernardum adeas serm. 1. de Assumpt. Virg.
Idem. *Maria præsentiâ totus illustratur orbis, adeò vt etiam ipsa iam cœlestis patria clariùs rutilet Vir-*
Apoc 21. 23. *gineæ lampadis radiis.* Notabis ad elogium. Gloriæ lumen ab increato lumine delibatum cœlestem aulam illustrat: lucerna eius Agnus est; nec Sole, seu Luna eget; quid proderit Virginea lampas, quæ si meridianæ luci se obiectat, fuscâ verecundia pallere dignoscitur; perstringitur, non illucet. Grandis ardor Marianæ lucernæ, quæ coram Deitatis luce refulget. Quidni si non sua, imò Agni est, quæ Mariæ est, cuius & Agnus? Sponsi & Sponsæ eadem lampas, à quorum reuibrato splendore reliquæ virgines acceperunt lampades suas.

14. Cupis vltrà progredi, vt penitiùs, altiúsque maneat infixum, adeò in gloria Virginem conualuisse, vt *Gloriosa* sibi adsciuerit attributum? Virginis gloria gloriosa est. Curtum tibi virgineæ beatitatis videtur compendium: Si magis inuenisti, cedo. Ne opprimamur à gloria, non dese-
Dam. ramus Petri Damiani ducatum. *Et cum gloria suscepisti me. Gloria vtique gloriosa, quam non nouit, nisi qui dedit, & cui donare dignatus est.* Nulla est forma, noscunt Philosophi, quæ a semet denominationem accipiat; nec enim albedo alba, nec nigredo nigra profertur; quippe forma non est quod, sed quo aliquid est: sola quantitas, quæ ob partium multitudinem fulcit accidentia, quanta dici valet. Hæc in creatis vera sunt, in quibus taxatum vnicuique formæ limen: nec abstracta concretis nominibus gaudent. Ast in diuinis ob actus puri prærogatiuam nullum est abstractum, quod prædicatum renuat concreti. Sic Deitas Deus est; sic omnipotentia omnipotens. Id in terminata suadet perfectio. Dum ergo gloriam Virginis nuncupat gloriosam Damianus, quid potuit cum Dei gloria affinius prodidisse? Excurreret nimium præconium hoc, nisi sanus comprimat intellectus; cùm genus quoddam infinitatis subindicet, quod gloriæ Dei peculiare est. Quare qui gloriam eius dixerat gloriosam, non dubitanit Mariam gloriam Dei appellare, necnon principij & finis expertem. Do in sermon. 45. *Glo-* Idem.
riam, quæ eam de hoc mundo transeuntem accepit, principium ignorat, nescit finem; de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te, gloria Dei. Gloriam Dei vocat, quia principio & fine dixerat eius beatitatem carere. Id non Deitatis initiâ sencrè accipias; potiùs ex Deitatis participio hæc in Virgine elucere contendas: quæ, postquam infinitum concepit, ideò illimitatè circumfertur beari, ideò gloriam Dei esse; non quia infinitudine creatâ non taxetur, sed quia fines naturæ supergressa est: quæ per Maternitatem in confinio Deitatis, videlicet affinis Deo, collocata resplendet, vt alibi ex Caietano docuimus. Nec Damianus longè it ab Augustini trito illo August.
proloquio: *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Quod plures explicatus admittens, non renuit accipi pro gloria Dei. Ergonè Maria beat? Absit. Non intellectibus beatorum assuitur, vt in visionem prorumpant; potiùs ei, qui in forma Dei erat formam serui induit. Verum quia ex hac forma in illam homines deduxit, non immerito & forma Dei, & gloria Dei nuncupatur. Quin post obiectum beatificum proximior est: ideò sub visionis dictione Angelos solicitare profertur; signatè Angelos, quia in perenni intuitione sunt. Quo extricabis Damianum in serm. de Assumpt. *Tota conglomeratur Angelorum frequentia, vt videant Reginam sedentem à dextris Domini virtutum in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam.*

Quæ adhuc moliti sumus, perpolit, & solidat 15.
insignis locus S. Epiphanij Episcop. Constant. de Epiph.
laudib. Virginis. Sic fatur: *Virgo plurium nominum, & multocula effecta est, Seraphim incomprehensæ visionis, quæ inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis, Cherubim transcendens. Illa enim auertuntur, cùm nequeant spiritualem ignem Diuinitatis fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem, & somni expertem oculum Christi cum desiderio & osculo salutabat.* Singularis phrasis in elogiis Virginis Epiphanij est. Discutiamus, licèt perfunctoriè. Idem vbique scopus, Virgineæ gloriæ sublimitas. *Multoculam effectam* dicit, cùm beatitudo in visione Dei stet, & intellectus ad intuitionem Dei sit. Adeò eximia est beatitudo, & visio Matris, vt non ab vno oculo, seu intellectu, sed ab innumeris elicita censeatur. Caligaret oculus, si vnus. pluribus glomerantibus opus est ad tantæ visionis pondus sufferendum. Quia & oculum video accipi

Leu.3. accipi pro colore, præcipuè apud Hebræos: nam Leuit.3. vbi Latinus interpres ait, iuxta Vulgatam: *Cum viderint non creuiſſe lepram*, Hebræus
Num.11.7 habet: *Si lepra non mutauerit ſuum oculum*. Et Num. 11. vbi Vulgata: *Erat autem Man quaſi ſemen coriandri coloris bdelij*, Hebræus legit: *Habebat Man oculum bdellij*: vbi accipitur potentia viſiua pro obiecto, nempe colore. Vnde *multoculus*, poteſt etiam *multicolor* accipi. Multicolorium autem accepit Petrus Cellenſ. lib.5. epiſt.11. pro plurium virtutum floribus depicto. Sic vernat eloquio: *Aliquid de Paſchate proſequar quaſi quendam pannum pretioſum, & multicolorium de diuinis theſauris aſſumens.* Et deinde: *Siquidem hic pannus, ideſt, Paſcha, in exteriori facie plurimum nitoris exhibet, ſed valde ampliora intrinſecùs continet, & chariora pignora. Rubet igitur purpureo colore propter paſſionem, rutilat hyacinthina ſpecie propter reſurrectionem, ſubobſcurus eſt propter ſputorum, alaparum, & flagellorum, & cæterarum iniuriarum coaceruationem; albet vnica nube propter innocentiæ integritatem, & peccati immunitatem.* Hæc
Petr.Cell. de Filio Petrus Cellenſ. Eadem ad Matrem facili permutatione transforma; ſic etenim à dextris Filij ſedere conſpicitur circumamicta varietate, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis. Multicolorius ille, multicolor hæc. Vnde & multocula, quæ cœleſtes oculos ob ingeminatas dotes ſolicitat ad videndum. Tot igitur ex virtutibus meritorum cumuli adeò ſupremam intuitionem vendicant in Maria, vt ei innumeri oculi, quibus viſionem adimpleat, & cæteras excellat beatitates, effigi videantur.

16. Eâdem lineâ metiendum eſt, quod ſubdit: *Vir-*
S.Thom. *go multorum nominum*. Id eximiâ in Virgine Matre perfectionem præſignat. Obuius eſt S. Thom. locus 1.p.q.13. vbi docet, ideò plura nomina Deo
Dionyſ. mancipari, quia nequit vno nomine perfectionum pelagus cingi. Multus eſt Dionyſius, non moror. Nomen etiam apud Epiphanium pro debito, & obligatione acciperem. Facilis eſt de hac
Apoc.3. acceptione literatura. Apoc.3. *Scio opera tua: nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Iuuenalis.
Iuuen. *Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.*
Virgo multorum nominum eſt: quia quamuis omnis creatura totum, quod eſt, debeat Creatori; Mariæ tamen debet Creator, quippe Mater, quippe
S.Method. nutrix, quippe Virgo. Sic eleganter. S. Method de Purif. Virg. *Euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim vniuerſi debemus; tibi autem etiam ille debet.* Nimium aſſurgit elogium iſtud! Non etenim ait: *Tibi autem etiam ille debuit*, ſed *debet*, de præſenti: quaſi quantalibet gloriæ retributione Virgo claruerit, quantiſlibet repenſa donis adhuc debitor Filius videatur; nondum expunctum debitum, nondum calculus ſupputatus, licèt verè abundantior fuerit retributio, quam meritum. Quare *Multorum nominum* Virgo dictitatur. Solutum nomen in aliud pullulat ſoluendum. Vinculum obligationis illigatione æternatur rediuinâ: quoniam qui ſoluit, licèt Deus eſt, gradus eſt. Vixit à Virgine fœtus ab vtero; nec vita infiniti temporali pretio rependitur. Supra condignũ remunerat Deus: quis dubitet ære alieno liberum eſſe, cùm tot præmiis Matrẽ honorauerit? At quia humanitas, quã odedit Mater, ſtabili duratione perſiſtit, iugiter obligatio perẽnare videtur, & poſt ſolutionẽ ſuppetere quid ſoluatur.

17. Quæ recollige ad beatitudinis eminentiã: *Seraphim incomprehẽſæ viſionis, quæ inuenta eſt velamẽtum quoddam intellectuale corporis, vniuerſalis, Cherubim tranſcendẽs.* Abſtruſus quidam in his Epiph. eſt Corpulnè grauiſque ſarcina mẽbrorum poteſt intellectu operiri, ſpiritali obtegi velamento: Potiùs animum, in quo ſubſidet intellectus, denſa corporis materies obnubit, & vitali thecâ recondit. Imò ideò Seraphim incomprehenſæ viſionis dicitur, quia vtero Deum comprehendit, taxataq; eſt illi beatitudinis menſura ex Dominicæ conceptionis prodigio, eâ induſtriâ, quòd intellectus, in quo Deitatis viſio ſubiectatur, Deum per intuitionem concipiens, reſpondeant vtero, qui Deum hominem carneo circulo comprehendit, ea cum intellectu ſimilitudine, vt more ſpiritus virgineum Deitatis extiterit conceptaculum. Vnde Cherubim & Seraphim tranſcendit: quoniam Angelus, etſi naturâ illuſtrior, exilior in gratiam. Quem Virgo Mater ſacris gremij limitibus continuit; etſi valeat prendere, non præualet comprehendiſſe.

Hinc illud: *Hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehenſibilem, & ſomni expertem oculum Chriſti cùm deſiderio, & oſculo ſalutabat.* Non 18.
negat Epiphanius beatis Angelis intuitionem Dei, dum ait: *Cùm nequeant ſpiritualem ignem Diuinitatis fixis oculis intueri*: id etenim hyperbolicum eſt, noſtroque captuí accommodum. Cui deſeruit illa apud Iſaiam imago, in qua duabus alis velauiſſe faciem Seraphim, ne ab impetu Diuinitatis caligaret obtutus, deſcribitur, quod de infinita, comprehẽſiuaque viſione liquet. Igitur immotis, & non hæſitantibus oculis intueri Diuinitatẽ qualis aliqua audet in vicinio Solis, perfectiſſimam cognitionem arguit, in qua omnes Angelicos ordines exuperat Virgo. Illud ſingulare eſt: *Oculum Chriſti cum oſculo ſalutabat.* Oculos oſculari apud prophanos & Patres inuenio. Sic En- Ennod.
nodius l.7.c.14. *Vt cum domino meo Presbytero vtrique oſcultantes manus & oculos tuos.* Oculũ Chriſti Virginẽ oſculari, cum ſubintrat in gloriam; viſionem cum ipſo Filio multum perſimilem intelligo. Ore oculo applaudit Mater Chriſti; imprimit labra feliciora vberum labris, dum lactantis oſculo premebantur. Sic Bernardus ſerm.1. de Aſſumpt. Bern.
Felicia prorſus oſcula labris impreſſa lactantis, cui Virgineo Mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non feliciora cenſebimus, quæ ab ore ſedentis in dextera Patris hodie in beata ſalutatione ſuſcepit, cùm aſcenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, & dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui?

Hæc eò tendunt, vt conſtet Deiparæ incõparabilẽ gloriã omnẽ ſupergredi laudationis virtutẽ; 19.
cui, ſi diuinã excipias, cæterorum ne beatorũ gloria quaſi momentũ ſtateræ reputatur? Equidẽ Sol ipſe non eſt Maria. Ideò Sole amicta, electa vt Sol. Ardeat in frigida nocte tremulâ luce ſydera, & medio cœlo Luna principetur. Sol matutinus exurgat, & iubare diffuſo depingat æthram, Quid deliquij perpeſſa fuerunt aſtra? Vbi Lunæ albicãtis ſplendor ſepelitur? Vbi ſyderũ ſeceſſit chorus? Sanè à luce Solis micantis luces profligantur. Syderum tenebræ Sol eſt; Lunæ & ſtellarum cõcentus ad vocem Solis cõticeſcit. Virgo Mater electa vt Sol, cui ſi compares beatorum ſtellas, non apparent, nedum fulgeant. Eloquens eſt Petrus Da- Damaſ.
mianus de Aſſump. Virg. *Electa vt Sol. Hanc attende ſimilitudinem, quæ nulla in rebus mundi poteſt eſſe ſublimior, Nihil enim habuit Spiritus in viſibilibus creaturis excellentiùs, cui excellentiam Virginis comparaet. Sol lucidiùs incandeſcens, ita ſyde*

Zerda, Maria effigies. Pp

ſyderum, & Luna rapuit poſitionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſunt. Similiter & virga Ieſſe veri prauia luminis in illa inacceſſibili luce perlucens, ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint, nec debeant apparere. Ergonè, Purpurate Pater, adeò Diuinitatem ſpirat Beata Virgo, vt cotam ea ſint, quaſi non ſint, vtrorumque ſpirituum cohortes? Tot gratiarum cumuli, tot perfectionum dotes, tot faſtigia virtutum à facie Virginis inaneſcunt, adſtipulante Damiano, qui ideò ait *Vtrorumq; ſpirituum hebetat dignitatem*, vt homines & Angelos comprehendat. Sint acuminati apices; hebetantur ab ardore, quem eiaculatur ignis, quo ignitur Virgo Mater. Sint luces eximiores; obſcurantur à Virginis luce. Siue Luna ſit; ſiue ſydus, omnium Maria rapit poſitionem.

Mariæ beatitudo, quoniam ab vtero taxatur, aliqualibus quaſi comprehenſionis vmbris depingitur.

SECTIO II.

20. SPOPONDIMVS Virginis gloriam ab vtero metiri, Marianæque beatitudinis momenta ex beato ventre, qui Dominum portauit, expendere. Aciem dirigit cum ſuperno Genitore compoſitio. Beatus eſt, & glorioſus tentione fruitioneque Deitatis, quod tribus perſonis eſt commune. Se videre, ſe tenere eſt. Id Gregorius Nyſſen. or. 6. de beatitud. col. 2. confirmat. (Nyſſen.) Ex cognitione autem, quæ intuitio eſt per Paternitatem ſigillata, Verbum Dei ſuboritur. Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 5. (Cyrill. Alex.) *Filius appellatur Verbum, ac Sapientia: quoniam ex intellectu immediato, atque indiuiſibiliter eſt. Et propter iſtarum (vt ita dixerim) reciprocam immiſſionem: mens enim, & intellectus in Verbo, ſi Sapientia eſt, & Verbum rurſus, ac Sapientia in intellectu conſpiciuntur.* Ergo origo eadem, & quòd Pater beatitudine, & quod ſobole gaudeat: ſuprà prælibauimus. Hæc beatitudinis ratio non incongruè reſcribitur in Maria. Gloria, quæ Matrem beat, ex gratia, quæ Matrem effecit, menſuranda eſt. Abſque Virginei ventris ope nulla Virginis, etiam glorioſæ, texenda laus eſt. Exilis lingua deiecto recipit ſtylo, ſi immemor vteri Mariam cœleſtem decantat.

21. Quibus numeris tympaniſtria canit Eccleſia in aſſumptæ virginis epithalamio? (Luc. 10. 38.) *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam excipit illum in domum ſuã* Cur tam extera cantilena, dum Virgo in ſuperos euehitur, templaq; ſolẽnibus incendũtur oreolis? Querulus Eccleſiaſtes pro roſtris dicturus, meritò inclamat: quale cecini ſti Euangeliũ Leuita Sacer? Si aſcẽdit Virgo, Angelico comitatu plaudente: ſi cœlum coruſcis feritur ſpectris: ſi cœlitum aula quaſi ab altis ſedibus euulſa obuiã confertiſſimis apparatibus exit; cur ad Marthæ transfugis officiũ, nec breue feſti perſonat verbũ? Intrat Maria, & *Ieſus intrauit* auditur: illa in cœlum, ille in domum hoſpitaturus mulieris. Singularis terminorũ inuerſio, celebritatum cõmiſtio! Nec deſtitit hæreticus ab aſſueto aduerſùs Eccleſiam morſu: inſcitiæ incuſat ob Euangelij delectũ. Abſiſtat inſipidus, & hebes ille, qui Eccleſiæ Sacramenta, & abditos, Spiritu ſancto flante, ſenſus inſalubri, & tabificâ linguâ prægustans, iam venena refudit. Nunquam ingenioſior electo pro virginis ineffabili gloria. Curtè exponeretur beatitudo regnantis, ſi non, ſaltem in vmbra, gratia generantis audiretur. Neſcit impetum gloriæ dignis celebrare concentibus eloquentia, niſi fœcundum vterum allegoricis ſaltem penicillis deſcribat. Incarnatis purpuriſſum aſſumit, vt aſſumptionis feſtum coloret. Prædicat beatam, ſed laudibus puerperæ, ſed panegyri prægnantis. Beatitudo eſt nobilis quædam Dei in mente beati conceptio. Ad hanc crudita eſt Virgo Mater, dum concepit in vtero. Vt diſcas, quàm ineffabilis fuerit glorioſa, ineffabilis tibi carnea proponitur: vt ab omnium ſublimi gradum faciens, ſupra omnem ſublimitatem noſcas alteram collocari. Bernardus ſerm. 1. in Aſſumption. (Bernard.) *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Chriſtum Maria ſuſcepit; nec in cœlis Regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius ſublimauit. Felix nimirum vtraque ſuſceptio, ineffabilis vtraque, quia vtraque inexcogitabilis eſt. Vt quid enim hodie in Eccleſiis Chriſti Euangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepiſſe intelligitur Saluatorem? Credo, vt hæc, quam celebramus, ex illa ſuſceptione aliquatenus æſtimetur; imò & iuxta illius inæſtimabilem gloriam; inæſtimabilis cognoſcatur & iſta.* Et deinde: *Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris: & tantum & in cœlis obtinet gloriæ ſingularis.* Nullum ſatius elogium. Myſteriorũ Dei hominis abyſſus, in qua Angelica acies hebetata retunditur, cum gloria virginis Matris componitur? Vide ſubtilis Abbas, quòd in Chriſti generatione Spiritus ſancti amplexu, virtute Altiſſimi obumbrante, virgine genitrice, plura interfuere prodigia. Adhuc in aſſertione perſiſtit Bernardus: *Quis etiamſi linguis hominum, Angelorumque loquatur explicare queat, quemadmodum ſuperueniente Spiritu obumbrante virtute Altiſſimi, caro factum ſit Verbum Dei? Sed & illud quis cogitare ſufficiat, quàm glorioſa hodie mundi Regina proceſſerit:* Profectò quia ab vtero Deum continente corporeum, ad animum Deum incorporeum continentem, in virgine peruius eſt commeatus, qualis à beatitudine Patris ad generationem Verbi; vtrumque Bernardus ſub eodem ineffabili Sacramento concludit.

Mulier è turba compendio dicat: *Beatus venter qui te portauit.* 22. (Luc. 11. 27.) Et illicò Dominus ſe Verbum Dei promit: *Beati qui audiunt Verbum Dei.* Cur beatitudo carni, ſi nondum animæ adſcribitur? Quid vero cum gloria, quæ mentis eſt opus? Imò vtquid Verbi Dei generatio recluditur ob vteri beatitatem auditam? Præclarè. Quoniam ex vtero gloria virgini ad lancem vſque parabatur; & ex ſplendenti Patris vtero, vtpote intellectuali, in ſplendoribus Sanctorum (id eſt, in lumine, è quo Sanctis lumina gloriæ ad beatitudinem diſpenſantur) Verbum Dei gignitur, beatitudo virginis celebratur, & Verbum Dei prompta deductione monſtratur. Simili fronte gloriam virginis intulit Auguſtinus ſerm. 18. de Sanctis alibi expenſus: *O felix obedientia, ô inſignis gratia, quæ* (Auguſt.) *dum fidem humiliter dedit, cœli in ſe opificem corporauit. Hinc promeruit gloriam, quam poſtmodùm ipſe auxit: Ecce ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* De quo loci ſuprà ediſſeruimus.

Verùm Patris gloria comprehenſio ſui eſt, quæ virgini

Virgini competere nequit: plurimum ergo à similitudine declinat. Sub aliquanè tropologicâ falcè, & allegorica comprehensionis vmbra beatitudo virginis celebrabitur? Obserua sanctæ Ecclesiæ
Luc.14.38. solertiam, quæ dum Maria in cœlum subintrat, canit: *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Quàm profundè! Tanta est Maria, vt, cùm ascendit in cœlum, non dicatur Mariam in gloriā intrare, sed gloriā intrare in Mariam. Noua res, nedum à paradoxo timeat. Meritò insilies. Locus maior esse debet locato, quod in locum ingreditur. Concha grandior est gemma, quam sepelit. Si flumina ingrediuntur in mare, quantumuis crispatis vndis superbiat Tyber, fluidis excursibus abūdet Nilus; si semel mare subintrent, altius est mare, spatiosior pontus, cui vt grandiori venerationis ergò reliqua flumina vestigia lambunt. Grandior est gloria, quàm beatus, qui in gloriā ingreditur. Obiectiua beatitudo Deus est, omni beato maior. Gaudium Domini, corde, quod hilarescit, maius est. Si nō credis, consule operarios. Quid post Solis æstum post lassatos diurno labore artus audie-
Mat.25.23. runt? *Intra in gaudium Domini tui:* in quibus beatitudo cœlestis repromittitur. Domine, cùm gaudeo, gaudium in me intrat; non ego in gaudium: cor lætitia imbuitur, ridet subintrante voluptate pectus, & perfusâ dulcedine ab intus salio. Benè. Quia gaudium meum accidens est, disparet illicò, tantillum est: desiderium gigas, gaudium pusionis paruuli ad instar. Vix gaudeo, iam mœreo: vix hilaris frons, iam subtristis: nunquam affatim gaudet cor, si inanibus, si lubricis inhiet: semper auidus vlterioris gaudij famescit. Gaudiis fictilibus bona phrasis est, *Gaudium accipe, gaudio imbuere:* quippe qui gaudet, gaudiis his maior est. Ast non accommoda dialectus gaudio, quod Deus est. Mutandæ voces, *Intra in gaudium*, non verò *Gaudium intret in te.* Sapienter S. Thomas in
S.Thom. Matth.c.25.alibi tactus: *Quare dicit: Intra in gaudium, non accipe; Quia quod est in aliquo, continetur ab illo, & continens maius est. Quando ergo gaudium est de aliquo, quod minus est, quàm cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum. Sed Deus maior est corde; & ideò qui gaudet de Deo, intrat in gaudium.* Contine gradum, Thoma sancte. *Sed continens maius est.* Maior est Deus, quàm Virgo; & tamen, dum in beatitudinis gaudium ascendit Virgo, canitur, quòd gaudium, quid est Deus, intrat in Mariam. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Quando de cæteris beatis communis vox circumfertur: *Intra in gaudium Domini tui:* dum beatur Virgo, non alia vox sonat sub vmbra castelli, nisi quòd Dominus intret in Mariam. Annè Virgo Beata maior Deo beante, quà continet? Absit. O quantum Virginei animi excreuerūt spatia? In inopinos excessus Ecclesiastica acumina euexerunt. Comprehensio est perfectissima omnium beatitudo. Quod comprehendit, re comprehensâ maius est; hæc à comprehendente ambiitur. Creatura Deum valet ambire desiderio, prendere visu; infinitudine nequit comprehendere cognitionis. In Diuinitatis subintrans abyssum beatus, quam tranare non potest, è ripis attingit intuitu. Maria, quà creatura, & infiniti luminis incapax, ad comprehensionis non appulit cacumen: attamē eius gloria, omnium sublimior inclaret Quid agat Ecclesia, vt nec erret elatior cultus, Diuinitatis dotes Virgini irrogans; nec repat humilior, perfectissimæ gloriæ derogans? Vterum adumbrat, etiam dum beatam prædicat in cœlis: vterus enim verè Deum infantulum comprehendit. Allegorice per Marthæ hospitium, viscerum Virginis recordationem instaurat, quæ Deum continuere; nec comprehensionis licèt corporeæ, munere caruerunt. Ne igitur aliqua cōprehensionis linea, licèt, vt opus erat fidei censuræ, vmbraticæ tantum, & tropologicæ, Mariæ beatitudinis deficeret; sub castelli symbolo, vteri refricatur memoria, & dum verè intrat in gloriam Maria, Regem gloriæ Iesum in Mariam intrare profertur. Dionysius Alexandr. vt circumferri solet, hunc adiuuat cogitatum: *In sancto suo tabernaculo non manufacto habitat, quod est Deipara Maria: in ipsa* Dion.Alex.
enim Rex gloriæ factus, intrauit semel in sancta, æterna redemptione inuentâ.

Nec his abnuere valebis, si naturam beatitudi- 24.
nis percalleas. Beatur mens, quatenus imprægnata per ipsius Deitatis illapsum, quæ vt forma impinguat, & adhæret, prorumpit intuitum. Ergo cùm Deus iam dudum receptaculum carneum Matris intrasset, vt totus intra latebras vteri teneretur; arctaque vulua, quia virginea fuit, illum potuerit absque iniuria cōprimere: quid de spatiosa mentis aula dicendum, quam subintrabat vt Deus latiori capacitate, protensiorique super omnes intellectuales creaturas? Nonnè ab vtero ad mentem aliqua comprehensionis potuit vmbra transire; non quidē vt animo cōprehendisse putetur, sed vt citra cōprehensionem intuitio nobilior arguatur? Et, si liceat fari, beatitudo Virginis quædā extensio Incarnationis illustri analogiâ putetur: non quia carneus Deus iterum in Virginē se insinuauerit, sed quoniā qui anteà vterū subintrauerat, vt homo fieret velut si propagasset spatia, mentē impleuit plenitudine Deitatis. Plurics vaticinium Ieremiæ: *Nouum faciet Dominus super terram. Fœ-* Ier.31.22.
mina circumdabit virum, de Incarnatione expendimus, quæ in medio terræ, nempe in vtero virginis peracta fuit. Modo nouiter, sed piè meditemur, verâ iam explanatione literæ suppositâ. *Virum*, inquit, *& super terram:* quasi in cœlis fœmina virum circumdatura prædicetur. Cùm fœmina in cœlum euehitur, tunc in fœminæ castellum virū intrare concinitur. Fœmina, quæ in medio terræ infantem Deum vtero circumdedit, iam virum, id est, in Deitate in qua *vir oriens ex alto* nuncupatur, circumdat super terram Sinu fouit tenerum: ambire virum plus est: peregrinum excepit diuersorio; plus est: palatio excipere regnā[n]tem: tabernaculo pugnaturum continuit; plus est solio continere triumphantem: torus fuit sponso; thronus fit Regi. Quantum excedit vir puerulum, Rex peregrinum, victor dimicantem, diademate redimitus carne cinctum; sic exuperat Virgo Mater plena gloria virginem Matrem plenam gratiæ. Perennent verba Guerrici serm.1.de Assumpt *Veni electa mea. Parum est, vt iudicanti consideas, nisi &* Guerr.
ipsa mihi sedes fias, vt maiestatem regnantis eò facilius, quò familiarius in te contineas & specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio, continebis immensum in animo: fuisti diuersorium peregrinantis, eris palatium regnantis: fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris solium triumphantis: in cœlo: fuisti thalamus Sponsi incarnati, eris thronus Regis coronati. O Fili Dei, nihil tibi in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetis, tamque affluenter remunerat tua dignatio! Quid hac aureâ vberis styli glebâ nobilius? Ecce à Guerr. suffulta quæcumque in superioribus affigimus. Recognosce

præhabita. En comptehensionis vmbra: *Specialiùs præ cæteris incomprehensibilem comprehendas.* En quasi iteıata Incarnationis repetitio, sanè in animo: *Nihil tibi in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetis tua dignatio.* En fœmina non iam paruulum, sed virum citcundans: *Continuisti paruulum in gremio, continebis immensum in animo.* O Adami cato tanto fœnore Filio Dei præstita à Matre, tantâ gratitudine redonata à Filio ardua super æıhera tot suggestibus sublimats! Quid repis homuncio super terram? Erige supercilium, agnosce dignitatem, recole dignationem, desere terram, calca caduca, subterlabentia temne. Maria caro nostra est, non Deus, nõ Deitati in personam vnita; & tamen adeò Deitatis infulis munerata radiat in cœlestibus; vt in talia calamum pottenta deducat.

25. Non oscitsnter prætereundum est illud: *Nihil tibi in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamque affluēter remunerat tua dignatio.* Quid est, rogo, Filiũ Dei hospitium Virgineũ repetisse, & quasi hospitali tesserâ in pristinũ tabernaculũ remeasse? Virgineus vterus hospitiũ extiterat, dum ulim puella, vt hominem faceret, hauserat Deum; carneo tabernaculo peregrinaturũ suscepit, puerperio emisit, & a castis visceribus in mundi redēptionem effudit. Constantior animus nunquã ab eius destitit incolatu: quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Si repetit hospitium suum Deus, cù n Mater attollitur in cœlestia; anne geminato illapsu in carnea Matris viscera tegredirut, quæ incoluerat; aulaque corpoream reuisit non pertæsus vterum, sed ab eius delinitus deliciis. Profectò id asserendum non est, si rigori sensus indulgeas: quòd si amori Filij, si venerandæ Virginis aulæ; vt æterná genitricem compelles, lubeat sic aliquando mentem intendere. Non quòd Virgo Mater iterum carneè Filium genuerit in cœlo, id fatuũ; sed cũ ibi in carne gloriosa resplendeat, & à dextris corporei Filij adstet irradiata fulgoribus; dũ Filij corpus iuxts corpus Matris, à quo sumpsit exordium, & materiã, illucet: quasi iugem ab ipso originem iudicet delibare, cùm delibauisse pronunciat. Inter Patrem & Msttem Filius subsistit. Hinc illinc vterus, vterque ferax, vterque virgo: Patris fluida scaturigine gignit; Matris, genuit semel non vltrà; adhuc tamen vicini Patris vteri piâ æmulatione succensus æquali æternitate gestiat parturire vt medius Filius ex Patre, quà Deus, ex Matre sit, quà homo Id Filij ad Virginem ardor, id Matris potuit ad Filium vnio: affectus agitur, non effectus proportio, non res. Supra prodigium

Ildeph. Ildephonsus it. c. 10. *Hæc fœmina sanctificationis vas est, æternitas virginitatis est, Mater Dei est.* Et statim: *In præterito manda Deo; in præsenti plena homine, & Deo, in futuro generans hominem & Deum* O quantum audes, Antistes sacer, & quidem Virginis aulicus, & vsque ad arcana familiaris! Recole tempora, discerne momenta. Virgo Mater in futurum Deum generat, quem in præterito generauit? Puerperium nouimus in Bethlehē: qui in cœlestibus longam Incarnationem propagss; Ad Ildephonsi verba obstupesco, & segnis trutinator discutere mentē non præsumo. Forsan agit cũ Virgine, antequam conciperet; futuramq; eius generstionē pronunciat, qua homo Deus concipiendus: at reluctatur illud, *In præsenti plena homine & Deo.* Igitur oratoriè, non Theologicè, censoriàque fronte estrices. Ea est Filij Dei sd materτnum vterum propensio, vt, si fas esset, si consonum iugiter in illo cuperet gigni? Ea virgineæ vuluæ feracitas fuit, quæ semel absque viri pulsu concepit, vt suppeteret ei ex feruidis amoris fomentis ignis, quo incalesceret ad perpetuam, si possibilis Dei hominis conceptionem? Hæc hyperbolicè. Si propriùs, & saniùs; Deum hominem in futuro generare profertur, vt Maternitatis innuatur æternitas, quæ nunquam illi deperiit, quæ in corpore, quo genuit, iuxta Filium in cœlestibus æternatur: cui virginitas contulit non à mortis decoqui corruptela, sed perpetuo virore iuuenescere. Quare præmiserat Ildephonsus:

Æternitas virginitatis est, Mater Dei est.

Hinc nulla festiuitas à Matris elogio vacua est. 26. Matth. 1
Vix concipitur, vix nascitur; & ad vtrumque festum, illud *De qua natus est Iesus*, quod librum generationis claudit. Cùm tenella templi adytis Luc. 11. 27.
dicatur: sonat fœminæ encomium: *Beatus venter, qui te portauit.* Cùm Angelus annuntiat, *Dominus tecum* primordium est; & tamen auspicabatur venturum. Cùm vritur amans Ioseph dubiis sponsi curis ad grauidæ intuitum: cùm Dauidico nubit viro iam Mater profertur: *Cùm esset desponsata* Luc. 1. Matth.
Mater Iesu Maria Ioseph. En omnis panegyris *Matrem* conclamat; nullaque fausta laus, quin à Maternitate auspiciũ. Quid ergo cũ moritur, cùm halat spiritum, & ceu virgula fumi euaporatur in æthera? Quid cùm Empyreum Regina subintrat, strataque adamantina gloriosâ crepidâ terit? Annè & tunc Mater, annè Genitrix? Imò & generans ab Ildephonso canitur; imò & concipiens, siquidem sub ænigmatis vmbra depingitur Iesus in castellũ Virginis ingressus. Ast mors priuatio vitę est: quomodò fieret generatio victuri? Verum est. Peruenit ad mortem; mors nullius fœtus nouæ generationis vitæ incubat, quæ potiùs generantis vitam interimit. Ergonè absque Maternitatis elogio Virgo, dum moritur, dom beatur. O ingenium! Repetatur iterum Incarnationis œconomia; si non quod veritatem denuò generantis, denuò geniti; saltem sub vmbra, sub emblemate:
Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam excepit illum in domum suam. Id fulcio Athanasio Episc. Alex. ser. de S. Deip. *Nunc scilicet adest Regina à dextris tuis in vestita deaurato, circumamicta, variegata; eo quod secundùm sexum fœmineum Regina, & Domina, & Mater Dei appellari debeat. Variegata rursus, quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem suffulciunt. Nam ex carne eius, & ex ossibus eius, veluti ex vetere Adam, nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirum istam Incarnationem, eamque semel indutam perpetuò gestat: ac proinde ista noua Eua Mater vitæ appellatur.* Ex eo probat Virginem Matrem in cœlo permanere carne variegatam, ossibus suffultam, quia filius eius, qui in cœlo est, *istam Incarnationem semel indutam perpetuò gestat.* Qualis hæc ratio? Variegata remanet, & immortalis vitæ æternatur sorte, etiam in corpore, etiam in ossibus: quia nouus Adamus semel indutam perpetuò Incarnationem gestat. Accinit sanè cogitatis. Quasi necessum sit ibi carnem Virginis esse, & ossa, vt ex illis delibata, & ficta caro, & ossa Christi integrè persistãt, veluti si adhuc figularetur ea illis Corpus Filij, corpusque Matris mutuis prospectibus se intuerentur: velut si illud ex hoc reduci prodeat generationis origine. O felix, nimiumque felix virgineus vterus? tui semper amans, tui semper proles: te gaudet Matre, qui Patre Numine potitur. Obserua stylum:

Incar

Incarnationem semel indutam perpetuò gestat : & tamen carnem dicere debebat, cùm Incarnatio actio fuerit, qua Filius Dei carnem assumpsit, dum Virgo genuit. Qui incarnationem sibi gestare perhibetur, in ipsamet generatione ex Matre persistere innuitur; nec maternum respectum dirimere sed velut perenni origine ab ea humanitùs scaturire : non quia generatio perduret; sed quia caro, quæ genita fuit, stabili mansione in æternitate subsistat.

27. Ex quo elatebrabis illud difficile in Athanasio: *Nunc scilicet adest Regina à dextris tuis*, in quem situm designandum alij conspirauêre Patres. Nónè à dextris Patris, ipsomet attestante, Filius collocatur? Si à dextris Filij subsidet Mater potiori, quam vterque, sede congaudet, eom in læua Filij, si solium metiaris, subsidere Pater deducatur. Imò à dextris Filij reponi censuerim, id est, in dextris, in quibus Filius est, nempe in dextria Patria, vbi sistitur Filius, in dextris scilicet, quas Filius occupat: ibi etenim Mater persistere deputatur, vbi caro ab ipsa genita, quæ portio illius est, collocata resplẽdet. Prodest nimium huic meditationi Philip. Abbas in Cant. lib. 6. cap. 5. in fin. *Illud sanè dici potest, quòd vbi est Filius, qui sumptam carnem ad Patris dexteram collocauit (quidquid illud verè est quod Scriptura dexteram appellauit) illic est Mater eius, qua illi carnem propriam ministrauit, quæ ex suo vtero, integritate salua, Deum hominem generauit.* Philip. Abbas.

28. Hinc enodabimus, cur dum Maria ascendit in cœlum, sub Marthæ nomine, & non sub contemplatricis Mariæ, construitur hospitium, nec Deum ingressum esse canitur, sed Iesum Deum hominẽ. Si in animo glorioso Deum accipit beantem, spiritalique sinu obtinet affixum, cur corporei hospitij sub Martha simulacra præludunt? Quòd enim in Martha typus corporis insit, docuit Bernardus serm. 3. de Assumpt. *Quòd si luteam hanc cogites domum, facile erit nosse, quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat, quàm Mariam. Quod enim ait Apostolus : Glorificate Deum in corpore vestro, Martha dicitur, non Maria. Fortè tamen & ipsa Dominum suscepisse videtur, sed in spiritu; Dominus etenim spiritus est.* Bernard. Satius videbatur Mariæ Magdalenæ, quam sororis officiosæ, sedulitas spiritalis, vt Virginei animi Deo in beatitudine grauidi figuraretur hospitium Parum esset. Imò quia exuberans Virgineæ mẽtis gloria vsque ad sepulchrum, vbi corpus iacebat, more magnetis, & succini virtutem effudit; sibiq; traxit alliciẽs, vt vnio Deitatis in animo quasi disciplinã à corpore; quod Deum concepit, acciperet : ideò corporeæ figuræ hospitij carnei peraguntur, vt plenitudo gloriæ pandatur ex gemina conceptione Dei; videlicet & corporis, quod genuit, & animi, qui à fluentibus diuitiis parit in gloria Gerson. tract. 4. super Magnificat. col. 13. *Plenum gratia complementum hodie secura recepit. Nulla dies ipsi festiuior, nulla desiderabilior iucunditate refulsit. Felicius parit hodie gloriosa Filium in corde, quàm viatrix in corpore genuerat. Imò iam non meminerit pressura, quia natus est homo in mundum alterum, & in sinu Patris collocatus.* Gerson. En consummata perfectio; incepit in ventre, in mente absque fine omnis consummationis vidit finem. Sinus Patris, qui spiritus est; sinus Matris, qui caro, vnum Iesum, Deum, & hominem in cœlestibus repræsentant. Quin vltra Virgo Deum animo, corpore hominem, Ideò Iesus intrauisse præcinitur: ideò Martha, non rode & exani-

Zerda, Maria effigies.

me castellum recepisse notatur. Attendistinè : *Intrauit Iesus in quoddam castellum*; & tamen castellum non recepit, sed mulier quædam: ne exanime, & exors mentis, spiritalisque vitæ putares hospitium, quale antè corporea viscera ministrarant, sed intellectiuum, perfectæque vitæ possessione fruens, ex animo petiret & corpore constans. Vt appareret Iesum in cœlo, qua Verbum, immobili statione se Matris animo imprimere; quà hominem, se in Matris carne exhibere cœlatum. Affabrè Guerricus alibi datus serm. 1. de Assump. *Nunc autem & in ea, & eam cæficat interminabili ano, sic incomprehensibili modo habitans satiat eam beatificantium gloria visionum : foris quidem glorificata carnis formam exhibens; intus verò glorificantis Verbi formam imprimens.* Luc. 10. 38. Guerr.

29. Triplicem sensum odoror in illis : *foris quidem glorificata carnis formam exhibens.* Primus : vt Christus exhibeat sui corporis gloriam Virginis prospectui, vt Virginẽ pulchritudinis recreet intuitu. Sed id aliis beatis cõmune. Secundus, quòd Virginis carnem exhibeat glorificatã, sicque perfecta beatitate satiet Matrem. Tertius & ingeniosior, quòd sicut, qua Verbum est, formam increatam medullitùs imprimit Matris intellectui; sic glorificatæ carnis Christi appareat forma in carne Virginis, quasi quæ eadem caro non disparilibus dotibus præfulgeat Huic sensui adstipulari video Arnoldum Carnot. in lib. de laud. Virgin. *Vna est Maria & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas. Vnitas diuisionem non recepit, non secatur in partes; & licèt ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltra scindi non potest : atque adeò Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eandem.* Arnold. Elaboratiùs Cyprianus in serm. de natio. Virg. *Erat ei priuilegium speciale, quòd nulla mulierum nec antea, nec deinceps meruit obtinere : quòd erat simul Mater, & virgo singulis titulis insignita. Vnde & Matri plenitudo gratiæ debebatur : & Virgini abundantior gloria, qua carnis & mentis integritate insignis, spiritali & corporali intus & extra Christi præsentia frueretur.* Cypr. Partitè agit Cyprianus. Quà Mater, carnem dedit Filio Dei; quà virgo in interiori mentis penetrali Deum intuetur. Vnde vtraque Domini præsentia potitur. Id non solùm acciperem de præsentia, quam in Christo sortitur Virgo Mater, cuilibet beato perspicua; sed de præsentia, quam visa à nobis Maria præbet in cœlestibus. Adeò enim forma Verbi sacro charactere intus in Virgine cuditur in gloria : adeò forma glorificatæ Christi carnis in carne Virgin. sigillatur & sculpitur, vt Virgo Mater in semet, ã spiritualem & corporalem intus, & extra, Christi præsentiam exhibeat, qua fruitur.

30. Duplex forma in beatitudine Virginis exercetur, cùm in cæteris beatis vna forma Deitatis sat sit. Plena sunt succo, & venustate verba illa Guerrici: *Foris quidem glorificata carnis formam exhibens, intus verò glorificantis Verbi formam imprimens* Quid erogas formas, solers Abbas, & derogas vnitati? Viquid bifariam, si qui in forma Dei est, sanctos glorificat, in quibus formam Deitatis excudens, cõmunionem æternitatis largitur? Vna visio, beatitas vna simplici forma contenta est, quæ mentẽ instruat, grauidet, & perpoliat. Si forsan excessus Marianæ gloriæ nisi numero contentus nõ sit Plurale solet assumi in scriptoris ad rei amplitudinem indicandam Non te pupugit illud: *Satiat eam beatificantium gloria visionum?* Visio, quæ beatificat, vna tantùm est, vnum obiectum,

Deus videlicet in Trinitate perfectus. Si quæ sunt illius obiecti beantis appendices; si quæ creaturæ ex alta Deitatis introspectione patescunt, neutiquam beatitatem constituunt: quid est, quod visionibus beatificantibus Virgo saginari dicatur? Ambigit studiosa mens, quo Virgineæ gloriæ sublimitatam euehat stylo: cùm intendere nescit, se extendere eligit; in numero quiescere putat, mulcetur multitudine, cùm singularitatem visionis ignotet singulari dictione proferre. Qui visiones dixerat, quidni formas geminaret? Nō inscita hæc. Alio Guerricus tendit. Marianæ beatitudinis prærogatiua excurrit in corpus, quasi ex nouo gloriæ typo excusa: carnea forma opus habuit, ad cuius dolaretur exemplar. Angeli, carnis expertes: cœlites humani, qui in humo depositum corpus reliquere, simplici forma Deitatis incusa, quid ad corporis gloriam intentur, non egent. Maria integra beatur; nullam passa sectionē, corpore emicat glorioso: viuidam terram inuexit in cœlum, nouæ formæ ad carneæ gloriæ disciplinam paradigmate indiguit. Ergo quam appositè duplex illi penditur forma: vtraq; in eodem Filio, quē genuit; cui & formam præstitit serui, ne sibi corporis forma deficeret in cœlestibus. Explicat Filius, quidquid habet, in Matre. Prædestinantur à Patre beati *conformes fieri imagini Filij sui. Filij sui*, inquit,

Rom. 8. 29. 1. Ioan. 3. 2.

id est, quà Filius imago Dei est, qua mentibus impressa, *similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est.* Cæterùm Maria vltrà iam in conformitate procedit. Illicò in corpore assurgit in superos post Dei hominis ascensum, iuxta gloriosa resedit, vt conformis fiat imagini Filij sui; sui scilicet, & quà à Patre, in animo beato; & quà à Matre, in corpore glorioso. Inde Bernardinus Senensis tom. 1. serm. 61. art. 2. cap. 6. *Tertia excellentia Virginis magnitudinem eius ostendens, conformitas nominatur.* Pro forma serui, quàm in viscerum officina præstitit Mater, eius animo forma Dei insculpitur, vt beetur: eòque remuneratio præcellit, quòd ipsâ serui formâ, quam passibilem dederat Mater, redonetur gloriosa. Accinit Amad. hom. 5. de laud. Virg. *Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, & mente cernebat gloriam Diuinitatis; vt intus & foris egrediens, & ingrediens frueretur pascuis veræ, sempiternæque felicitatis.* Sed quoniam de Maria adhuc in via forsan agit, vberius suffragium sit ex homil. 7. *Eleuata cum vocibus exaltationis & laudis, prima post Deum super omnes cœligenas in sede gloriæ collocatur. Ibi resumpta carnis substantia, & duplici stola induta, Deum & hominem in vtraque natura quantò cæteris clariùs, tantò ardentiùs vniuersis, mentis, & carnis oculis contemplatur.*

31. Guerr. Quò lubenter venit explicandus Guerricus ipse serm. 2. de Assumpt. iuxta finem: *Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi præter alia, quòd homo sum; communicabo tibi, quòd Deus sum. Flagitabis osculum oris, quinimo tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo, & indissolubili.* Quæ verba ad lineam retuli libentiùs, quoniam perperam locum hunc transcribi doleo apud insignem nostræ Hispaniæ oratorem, qui & linguam ingenij cuspide perpoliuit, & ingenium, linguæ flumine in sacram segetem irrigauit. Apud quem

Hortens. Felix serm. de Assumpt.

sic audit, imò audet Guerricus: *Communicasti mihi, quod homo sim, communicabo tibi quod Deus sis.* Quod Ecclesiastes ille studiosæ orationis luminibus incassùm illustrare conatur. Nescio quibus typis, è quibus biberit, tam prauè irrepserit. Oratores nunc, vt nostræ tempestatis conditio est, hac furtiua sententia delectentur: non amant hæc interminata proloquia Sancti: imò sensus nimium alget, qui altàs viuax est. Tibi communico, quòd Deus sum, formam Dei penitiùs tuæ menti imprimens, vt in nobilissimam intellectuali partu prorumpas visionem: quoniam mei genitrix, quòd homo sum, communicauisti; nouo conceptu conceptum rependo. Nec sat istud. Imò quod homo sum, & quòd Deus sum, ineffabili tibi largitate communico, vtramque exhibens formam, vt & habeas, quod do, & fruaris quod dedisti: beeris: in totaque animo ex meo in corpore ex tuo. Hoc pondus in illis: *quinimo tota de toto osculaberis.*

En igitur gloria Filiæ Regis ab intus, ab vtero 32.
videlicet, à quo & normam & quantitatem descripsit. Vltrà fastidiosus inquires, cur Marianæ beatitudinis scintillæ Euangelistarum pennas nō attigerint. Sat est vteri spatiosi sacramenta narrauisse, vt gloriæ pondus absque interprete coniectes. Bene B. Thom. à Villanoua serm. 2. in Natiu. Virg. *Quam ita placuisse Spiritui sancto, eiusque prouidentia Euangelistas siluisse propterea, quia Virginis gloria intus erat, & magis cogitari poterat, quàm describi. Quid ampliùs quæris, quid vltrà requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est. Quænam, obsecro, pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gloria Matri Dei non congruit?* Compendium Marianæ gloriæ vterus est. Ex eo etenim similitudinem teximus cum superni Patris beatitudine, cui gloria, & generatio ab eodem intellectionis comperit fonte. Scis in pompa virgineæ assumptionis in ea verba canorè cœlites erupisse. *Quæ est ista sicut aurora consurgens?* Cur signatè *auroram* conclamant, cùm potiùs mors, è qua surgit, vmbræ deputetur? An quia aurora non sui causa, sed Solis est: quæ matutinis fulgoribus cōcipit, & in ipsammet lucidam sobolem, postquam peperit, transfunditur? Non alibi *aurora* vox in Scripturis Virgini Matri irrogatur, nisi Psalm. 109. ex originalibus: *Et vtero aurora tibi ros adolescentiæ tuæ:* quod solet de vtero Virginis expendi, cùm tamen idipsum de vtero Patris exponatur lectione communi: *Ex vtero ante luciferum genui te.* En habes totum. Dum scandit in superos, *consurgens aurora* nuncupatur: quasi iam inde baiula Solis vterum luminosum gestaret, vt cum splendenti vtero Patris, sicut in Filio, sic & communicaret in gloria. Ideò quæ Sole in cœlo perhibetur amicta, è vestigio *habens in vtero* depingitur, ne absque vteri gestationis symbolo, regnante maiestate refulgeat. Cur nunc signatè aurora, cùm è mortalium oculis ardua leuatur? Peringenuè. Aurora non aliùs, quam luminis mater est. Gignit lumen Pater, Verbum nempe, quod lumen est de lumine. Maria eiusdem luminis genitrix sub opaca corporeæ glebæ vmbella, luce, quam genuit, sublatente, nondum vt luminis Mater nascebatur, quousque clarificato per mortem Filio luminosa Deitas innotuit, & vt vteri luminis genitrici rutilis corusca lampadibus Hierusalem cœlestia occurrit. Bellè Guilhelmus inibi: *Ipsa est verè aurora, in qua finitæ sunt tenebræ, & inchoata est lux, eo ipso quod Solem iustitiæ generauit. Itaque aurora fuit, ex quo lumen peperit: sed tamen ante clarificationem Filij non progrediebatur sicut aurora consurgens*

B. Thom. à Villanoua. Cant. 6. v. 19. Psal. 109. v. 3. Guilh.

gens, id est manifestè, quod erat, apparens. Quando Sol institia natus ex ea putabatur filius Ioseph, & ipsa puri hominis mater putabatur. Clarificato iam Sole institia per triumphum resurrectionis & ascensionis, Mater quoque eius progreditur sicut aurora consurgens, id est, non iam mater puri hominis, sed sicut est verè mater veri luminis, manifestè apparens. Quid pulchriùs? En in consurgente aurora lumine grauida symbolum assumptæ Matris elucet: nec à Maternitatis typo deflectere cœlites sciunt, cùm Mariam in Cœlestem Filij gloriam ingredi intuentur. Ex Guilhelmi loco lux
Gaud. affulget Gaudentio aliàs difficili serm. 19. ad Neophyt. col. 4. *Erat minor adhuc in carne natus Filius Dei, donec in antiquam gloriam suam susceptis hominis naturam. Et ideo alibi ex persona eius dicit ad Patrem: Pater glorifica me gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus esset. Vtique vt gloriam Diuinitatis, quam Deus apud Deum Patrem Filius ante mundi constitutionem semper habuerat, cum totu natiuitatis corporea substantia possideret.*

33. An quia in glorificato corpore conuera penetrat; & thronorum calcans fastigia trepidam super Seraphim colloeat, vteri generantis indicia præbet? Si quidquid ad gloriam eius spectat, hausit ab vtero disciplinam: cur in corpore beanda sustollitur, à vuluæ virginitate docebris. Cur integra ascenderit, nullâ sectâ portione, si roges; dicam: Quia integra peperit, nec sectionem fuit passa in puerperio. Cur corpus non abiuit in cineras & corruptelæ morsibus punctum occubuit? Ignorauit corrumpere mors, cùm obiit, quam illecebra non corrupit, cùm genuit. Si forsitan ideò quæcumque admirationes ad assumptam Virginem inducuntur, sub Angelorum nomine veniunt; quos attonitos rapuit tam rutilans in pura humanitate maiestas, tam diues luminum in fœmina opulentia. Nonnè procliuius erat homines stupore concuti, quàm Angelos? Quid est, tam indefessè solicitent: *Quæ est ista, quæ ascendit?* Trifariam rogauerunt. Vbique quod torquebat solicitos, fuit corpus Virgineum superos penetrans. Id ob-
Cant. 6. v. 3. seruare licet. Nam Cantic. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & vniuersi pulueris pigmentarij.* Qui puluerem recolunt, corpus puluereum mirantur, quod
Cant. 6. v. 9. non in terram, sed in cœlum ibat. Cantic. 6. vers. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c. Consurgere* dicitur, quasi propria eius indoles esset iacere: corpus etenim, quod mors inuasit, iacere assolet, non consurgere. Cantic. 8. vers. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto innixa super dilectum suum.* Inniti corporis est. Ergo perculit stupor conceptos ob corpus animo tam constanti fibula iunctum. Quid causæ? Quoniam conditio Angelica non sic integra perstitit, sicut natura Virginea. Dissecta, dissectaque plurima portio ab altera ruit, intraneaque discussione pars iuit in Orcum, parte in superis solidata. Ast Virgo Mater nullam sui partem corruptioni permisit: & peperit illibata, & integra ascendit. Quidni mirentur in fœmina, quod Angelica celsitudo non habuit? Fruor Ildephonso de virginit. Mariæ cap. 10. *Quid incorruptius, quid integrius, quid solidius inter virginitatem maternam & conditionem Angelicam? Virgo, quæ fœcundatur, & non corrumpitur, an Angelica celsitudo, cuius pars in ruina prosternitur? Integritas materna, quæ & post partum prolis concrescit in gloria Virginis, an conditio Angelica, quæ detrimentis læsa est in electis? Beatitudo matris, quæ inde fit generatio Dei, unde nescia corruptionis est, an Angelica plebis, quæ ante soliditatem, incurrit diminutionem partis multitudinis suæ?* En beatitudo integræ Mariæ ea integritate in puerperio describitur, & cum amputatis Angelicis Hierarchiis per superbum cadentium flagitium, vt eius excellentia patescat, componitur. Nouum dicendi genus, & plurimum Virginis dignitati consulens. Vna Maria est; tamen non cum vno Angelo, sed cum omni Angelorum frequentia, totaque spirituum glomerata comparatur congerie. Ergo super omnem Angelicam naturam fastigiata coruscat, cui cum natura, generisque vniuersitate, non cum indiuiduo præ nobilitatis amplitudine comparatio decernitur. Mira res! Descendit Filius Dei de cœlo, & Virgo generans minuit eum paulò minus ab Angelis, vtpote quæ carne cinxit humana, quæ ignobilior Spiritu est. Ascendit in eadem carne Virgo, & quæ Filium depresserat, eò subrigitur, vt super choros Angelorum exaltata, naturam Angelicam soliciter ad videndum. Quid causæ? Tetigit Ildephons. Quoniam Angelica celsitudo diruta in ruentium portione fuit, paulóque minùs minuta. Mariæ nulla minuta pars, sed à corruptela mortis Immunis stabili soliditate constitit in cœlestibus: cuius integritatis radix partus fuit, & absque illibatæ carnis dispendio Dominicæ carnis generatio. Accinit Damascen. de dormit Mariæ orat. 1. Dam.
Non in morte manet, nec à corruptione dissoluitur: nam cuius in partu incolumis virginitas mansit, eadem è vita migrante, ita conseruatum est, vt non dissolutum, sed ad præstantiorem & diuiniorem vitam translatum sit.

Ne aliquid assumptioni Virginis & perennis 34.
beatitudinis exordio ex Incarnationis quasi iterato apparatu deficiat; si virtus Altissimi obumbrauit, vt gigneret, nubes circumdedit, vt scanderet. Vtquid nubes? Si forsan quoniam Vnigeniti gloria non nisi sub nubis vmbraculo à Patre delineatur in monte, nubesque ascendentem suscepit, vt gloria à generatione Paterna, generatio à nubis symbolo describeretur: quod alibi datus adnotauit Gaudentius? Quidni persimilis in Matris glorificatione pompa, cui eadem Filij generatio cœlestem nubem vindicabat? Cupis nubem?
Adest S. Germanus in dormit B. Mariæ: *Cœlum enarrat gloriam eorum, quæ tunc in te confluxerunt: terra eorundem veram demonstrationem præbet: nubes tuum, ex ipsis honorem tibi famulantem proclamant,* B. Germ.
Annè Spiritus superuenit? Quando abundantius? Id de quoquo beato diceret Augustinus lib. 4. de August.
Trinit. cap. 10. Descenditnè Filius, quem in Incarnatione descendisse testamur? Imò in hunc descensum non absque singulari acumine conspirant Patres. Melito Episcop. Sardens. de transitu Melit.
B. Mariæ cap. 7. apud Bibliot. tom. 2. *Et ecce subitò aduenit Dominus* IESVS *cum magna multitudine Angelorum, & splendor magnus in locum illum descendit.* Hinc illud notum Damiani ser. 40. Dam.
de Assumpt. Virgin. col. 2. *Attollit iam oculos ad assumptionem Virginis, & saluæ Filij maiestate inuenies occursum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt; Matri verò cœlorum palatia penetranti Filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quam iustorum solenniter occurrens euexit ad beatæ consistorium sessionis.* Ex quo ascensum Matris in sydereos choros, supremique cœli

Damasc. laquearia cum descensu Filij in eius vterum comparat Damascenus oration. 2. de Assumpt. Virginis. *Sic etiam hanc è tumulo abripi, ac Matrem ad Filium migrare par erat: atque vt ipse ad eam descenderat, sic eandem quoque ad maius ac præstantius tabernaculum, hoc est, ad ipsum cælum efferri. Opus, inquam, erat, vt quæ Deum Verbum ventris sui hospitio conceperat, in diuinis Filij sui tabernaculis collocaretur.*



ACADEMIA XXIX.

Immortalitatis attributum qua luce in Maria moriente resplendeat?

Genitricis vitæ vi Mariæ mors talis; dimidium imperium amisit.

SECTIO I.

1. POst Virginis animæ gloriam vicina est de statu virginei corporis disceptatio. An ab animo dira mortis falx demessuit, suique satellitibus vmbris obdidit & benedictam terram, quæ dederat fructum suum, in pulueris trituras comminuit. Nec à Patris attributis discedendum est, quæ, quà potuit capere creatura, in Vnigeniti Matrem transcripsit. Immortalitas & æternitas vna in sancta Trinitate viget: cæterùm quòd superno Genitori adscribatur appropriationis more, contestatur Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, quod de Patre sacra Patrum cohors pacata censione exponere solet. Quare æternitas in Patre commune proloquium est: de quo S. Thom. 1. part. quæst. 89. art. 8. S. Bonauent. in 1. dist. 31. art. 1. quæst. 3. Augustin. lib. 6. de Trinit. cap. 10. Nec ratio refragatur. Natiuitas enim & generatio, qualis in creaturis inuenitur, mutuum quoddam est cum mortalitate: quod neruosè dixit Tertullianus de carne Christi: *Multum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate. Forma moriendi causa nascendi est.* Cùm igitur Pater ingenitus sit, procul etiam in voce à mortalitate degit: imò ideò Filius æternitatem cum natiuitate coniunxit, quia nascens eam hausit à Patre, Deitatis, in qua gignitur, appendicem. Quin, non sine subtilitate, ab ipsa generatione Filij in Patre æternitatis attributum singulariter renidere deduces: quoniam non priùs persona est, quàm Pater; non priùs viuit, quàm gignat: vitæ autem viuacior index generatio est, cui vita suppetit, quæ proli præstetur. Ergo cùm Pater & ingenitus sit, & fons originum absque præcedenti fonte subsistat, meritò illi pangitur immortalitas. Quibus annuit Cyrill. l. 4. Thes. c. vlt.

(Margin: 1. ad Tim 6. — S. Thom. — S. Bonauent — S. August. — Tertul. — Cyril.)

2. Si è Diuini Filij conceptu supremæ immortalitatis, fausto sydere, vena inuenta est, in ipsius Filij genitrice, immortalitatis pignora explorare animus non detrectet, si quæ fortè in ea deposuerit Matris dignitas veneranda. Non defuit vnus Epiphanius, qui hæres. 78. ea verba contexit. *Quærant vestigia Scripturarum, & inuenerint vtique neque mortem Mariæ, neque an mortua sit, an non mortua; neque an sepulta sit, an non sepulta.* Et deinde: *Ego enim non audeo dicere, sed silentium mihi impero.* Denique: *Non autem definio hoc, & non dico, quod immortalis mansit; sed neque affirmo, an mortua sit.* Si cupis, quid in nutantem mentem adegerit Epiphanium? Filij Dei generatio fuit. Præmisit etenim: *Alicubi verò Apocal. Ioannes dicit, quod draco festinauit ad mulierem, quæ genuit masculum, & data sunt ipsi alæ Aquilæ & assumpta est in desertum, vt ne ipsam arriperet draco; fortassis autem potest de ipsa accipi, ac impleri. Non autem definio hoc.* &c. De eius morte decernere recusauit, quæ vitam genuerat. Quidni viam? Imò vitalis, vt sic dicam, abundantiæ plenitudine tota absque iugali consortio Verbum vitæ genuit, quod Pater ex viuacissimæ naturæ congesta infinitudine per intellectionem, quæ primus vitæ excursus est, progignit. Hæcnè in dubium reuocant Mariæ mortem, quam tot nobiles Patres spectatissimis literis consignatunt? Neutiquam. Verè decessit Virgo Mater: non in eo dogmate nutauisse crediderim Epiphanium. Mens eius est, mortem silentio sopitam, vt mors vitalis censeretur; nec Euangelicæ scriptioni mandatam, vt rediuiua tam celeriter putaretur, quòd calamus iam nequiret de morte contestari, cùm concito gradu vita redux omnem lethi memoriam abrasisset. Id generatio vitæ, quæ à Maria fuerat, non sine venustate persuadet. Oportuit vitę genitricem in vitam florentissima sorte generari. Quî fiet, cùm generatio noua non fit in creaturis, nisi non esse supponatur. Ergo decedat, & pręperi industria ex morte redux generetur, ea velocitate, quod mors tantùm interiecta putetur, quantùm ad regenerationis ex morte veritatem interfuit. Succenseat his Andr. Cretens. in encom. de dormit. Virg. *Quæ autorem vitæ pepererat, in eo loco iam rediuiua collocatur, vbi fons perennis est vitæ: qui corpus & animam illius primò inter se vinxerat, moxque soluta, indissolubili societatis vinculo inter se rursum colligauerat.* Expende istud: *moxque soluta.* Vtquid soluit, si mox complicat, & indissolubili stringit nexu? Ea ars opificis: demoliri, vt moliatur; frangere, vt solidet; vt ferruminet, dispungere. Quàm valida manus! nectit; denectit, vt iterum nectat. Quid prodigij in Virginea vita, si non à Verbo, quod generat, gigneretur? Opus fuit mori, vt vitæ recreatæ spectaculum fieret. Mortem, quæ ocyssimè in vitam asserta est, historiographus prodere renuit, ne de iam viua ferales exuuias, flebileque epicedium canere videretur. Cui cogitatui adstipulatur: si roges, cur si Deus se hominem ad imaginem & similitudinem suam formare præcinxerat; posteà sic Moyses refert *ad imaginem Dei creauit illum*, similitudinem subticens, quam spoponderat à primordio? Aderit roganti Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 6. *Nunquid casu, vel obliuione tam magna parte conditionem hominis in suo sermone diminuit, quam in Dei dictione tam nobiliter vtraque parte extulit? Non vtique. Cùm enim diceret Deus: Faciamus hominem, ipse vtique illum ad imaginem & similitudinem suam facere intenderat: cùm autem hoc ipse scriberet, homo per peccatum Dei similitudinem amiserat.* Similitudinem illicò liturauit flagitiũ: nec se litare Deo suo elegit homo per obedientiæ cultum. Ea fuit rapida velocitas à similitudine molitionis ad præuaricationis piaculum, vt è calamo iam scribentis vsque ad literę scriptionem breue anteuerterit spatium: nec

(Margin: Epiph. — Andr. Cret. — Genes. 1. 27. — Rupert.)

nec quod iamiam effluebat è manu, dirutâ similitudine, in literæ potuerit exprimi monumentis. Moritur Maria; æmulâ mortis festinatione florida vita redit: non reliquit historiographo spatium, quo lethum scriberet à rediuiua sorte præuentus.

3. Oportuit mori, quam resurgere oportuit; illud, quà Adami filia: hoc, quà Mater Dei. Si hæc vtriusque vicissitudinis ratio fuit, in ipsa morte immortalitatem perennare non dubites. Quid causæ; Quoniam eò fuit adstricta Marianæ existentiæ Maternitas Dei, (id suprà pluribus confecimus) vt non aliter filia sit, quin Mater. Si ergo traxit ab Adamo duræ mortis subigi inclementiæ per ipsammet successionis progeniem, quà filia; debuit, quà Mater vitæ, feralia vincula eâdem velocitate resoluere: vt vtrique subiaceret attributo; & mortalitatis, quà filia; & immortalitatis, quà mater. Perbellè Damasc. orat. 1. de dorm. Mariæ: *Vt filia veteris Adam, veterem sententiam subiit; nam & eius filius, qui est vita ipsa, eam non recusauit: vt autem Dei viuentis Mater, ad illum ipsum dignè assumitur.* Consimile quid in Deo homine meditabere. Vtquid vitæ auctor, mortis spicula non retundit, sed lethali obedit telo? Quia à Mariæ vtero se profusum ostendit. Vtquid manubiis mortis reportatis è lapide immortalis erumpit? Vt se ab vtero Patris progenitum esse proclamet. Vterumque parentem in patibulo pronuntiauit: *Deus meus, Deus meus*, & deinde: *Mulier ecce Filius tuus.* Cur vltimo loco Matrem? Vt innueret ab ea hausisse, quòd moreretur; non in Matris verecundiam, quæ, quà Mater, virgo; quà virgo, mortalem arcebat corruptelam; sed ob conditionis humanæ exilitatem: ideò mulierem nuncupauit, non matrem; quasi decederet ob eam, quà mulier, non quà Maria. Igitur vt hoc altiori fide maneret infixum, fœdus cum morte pactum fuit, iurisque dimidium acceptum, aliudque dimidium exclusum. Subit mortem, quia à muliere natus; corruptionem non subit, quia à virgine. Idipsum in Matre peragi constantia conformitatis admonuit. Compendio Augustinus: *Memores conditionis humanæ, Mariam mortem subiisse temporalem dicere non metuimus, quam idem eius Filius, qui Deus & homo est, legem sortis humanæ sustinuit; & hoc, quia homo de eius susceptus & profusus est vtero.* Et quidem validioris strenuitatis est deglutitam prædam è feræ visceribus crudam adhuc, nondumque vehementi calore decoctam euellere, quàm à primoribus dentibus defensare: quippe quod auellitur necesse est partem trahere, cui innexum erat. Cruenta mors, auulso Mariano corpore, quod gustauerat, cruentata, laceraque contabuit: plurima pars eius cum rediuiuo corpore per auulsionem iuit: corruptio, quæ portio mortis est, victori pro spoliis adhæsit, & in incorruptionem affecta immortale trophæum remansit. Id in Filio & in Matre facinus, omnipotens dextera peregit.

Damasc.

August.

4. Scis illud: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Cur non nec videre mortem? Quantum acumen! Qui videt, viuit: videre actus vitæ est. Eum viuere innuitur, de cuius videntibus oculis, obiectisque intuitionis tractatur. Cadauer corruptionem non videt, licèt in fluxas fauillas eat, vermibusque cognatis pabula ministret. Qui post mortem se à corruptela videt immunem, mortem triumphauisse necesse est. Ea ergo fortitudo spondetur, quòd intra mortis sinum, latebrasque sepulchri se integrum, floridumque videat, nullamque corruptelæ reliquiam prospectet: vt ipsi morti plurimam partem sui auferre credatur. *Ero morsus tuus, inferne*, quod de sepulchro dictum alibi ostendimus: vbi & dixisse meminimus, morsum & passiuè, & actiuè accipi posse, vt se à morte morsum eam momordisse pronunciet. Et tamen quod mordetur, non funditùs deuoratur: dentes, in quo prenderunt, relinquunt. Si placet, elegans est tropologia. Mors Christum confodit: non tamen vermium potuit in cadauer sacrum spicula acuere: momordit tantùm, nempe vitam amputans, corpus non dissoluens. Similem morsum, sed inuersa parte, Dominum morti infixisse apparet: siquidem corruptionem ab illa dissecuit, solùmque mori passus est. Id sibi prodigium inuenit; in Virgine Matre repetiuit: vt sic iam possessione fundata, communis posteà mortuorum resurrectio firmaretur. Quidni in Virgine? Recognosce Dauidicum testimonium: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Cur signatè *sanctum tuum?* Nequibat in sepulchro corrumpi mortuum, quod vterum non corruperat generatum. Virginitas Matris in causa fuit. Se virginitatis vallo sepiuit: ast Angelus, ne abnueret vterum, florentem spopondit: cuius vitoris ob causam subtexuit: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vides *sanctum*, de quo prædixerat Vates: *Non dabis sanctum tuum*, &c. Qui ergo vaticinatus est de Filio; & Matrem illustri dictione commiscuit, ne in immunitate à corruptela, censeretur aliena. S. Bernardin. Senens. tom. 1. serm. 52. art. 1. cap. 1. *Fuit sine tertio væ, scilicet pœna, quæ in separatione animæ & corporis, quæ est incineratio & corporis dissolutio. Nam sicut non dedit Dominus sanctum suum videre corruptionem, id est, Christum; sic nec sanctam suam, de qua natus est sanctus; sed corpore & anima in cœlum assumpta est.* Quia nascitur ex Maria sanctum, corruptionem non videt. O quantum spatij virginea sanctitas Matris cucurrit! vsque ad monumentum, quod in virginea petra excisum erat, incorruptionis dotem extendit, indeque sibi incorruptæ sanctitatis prærogatiuam conseruauit. Quod pondus est in illis Bernardini: *Sic nec sanctam suam, de qua natus est sanctus.* Quo argumento & Augustinus à Mariano corpore putredinem propulsauit serm. 4. de Assumpt. *Putredo namque & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio cùm Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de illa sumpsisse probatur: caro enim Iesu caro est Mariæ.* Retrogradè quidem procedere argumentatio videtur: potiùs enim Mariæ caro ob Filium à putredinis morsibus viruit immunis, quam caro Christi ob Mariam, qualiter innuitur in illis: *Quam Iesus de illa sumpsisse probatur: caro enim Iesu caro est Mariæ.* Verum est, si efficaciam; secus si materiam consideres. Priùs Mariæ caro fuit, quæ post in Christo rabifico mortis satellitio se imperuiam obiecit, & absque vitij malignitate euasit Immunis: ideò sanctitatem carnis eo dicendi genere, quo nihil Mariæ augustius protulit Angelus: *Ideò & quod nascetur ex te sanctum*, virgineo ex Maria puerperio irrogauit. Sanctitas, quæ absterruit corruptionem, virginitatis dos fuit: inibi Matris depositum pignus reflorere exigebat, quæ floruit in partu.

Psal. 15. 10.

Osee 13. 14

Luc. 1.

Senens.

August.

Vide

5. Vide quàm consonent cuncta: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua.* (Psal. 131. 8.) Sanctificatio à sanctitate differt, sicut actio à termino. Quid est, quòd cum resurgere Dominus admonetur, & funestæ mortis opprobrium excutere; non aliter è saxo rediuiuus ascendere prædicitur; quin & arca sanctificationis resurgat. Familiaris inter pignus & thecam, inter corpus & arcam connexio est. Si non videt corruptionem corpus, quia sanctum; si sanctum, vipote ex arca, seu vtero Virginis: quidnè resurrectionis eius non præeant varicinia, quio & arcæ sanctificationis memoria refricetur? In quo duo innuuntur; & quòd caro Christi, quasi continuâ actione conseruata sanctitatem soliditatemque, quam ab vtero traxit intemerato, adhuc in sepulchro obtinebat, quæ resurrectionem nimiùm maturabat; & quòd Maria, quæ arca sanctificationis fuit, nequibat sub vmbris monumenti iacère, postquam Dominus resurrexerat. Glycas p. 3. Annal. *Nam quia norat Dauid eam, qua Christum vtero suo gestasset, ac illam ipsam ob causam arca sanctitatis esset, atque nuncuparetur; eodem pacto resurrecturam è sepulchro, quo & natus ex ipsa Christus Dei Filius & Deus resurrexit: idcirco non abs re consimilem vtriusque resuscitationem ex mortuis multò ante quasi pictura quadam expressit. Etenim ni res ita se haberet, non sanè postea quam dixerat: Surge Domine, subiecisset: & arca sanctitatis tua.* (Glycas.) Ingenuè. Si tot lustra à resurrectione Filij vsque ad Matris interfuerunt occubitum: quid est, quòd vna periodus breui metro concludat vtrumque, & sub arcæ symbolo, quasi simul cum arca pro mausoleo sui, & theca, Dominus fuisset sepultus, euque resurgente arca ipsi iam per longum adhæsionem ferruminata, & continua pariter debeter resurgere? Non potuit venustiùs vnionem carnis Marianæ cum Filio cecinisse. Inualida est longi temporis potestas, vt denectat vtrumque. Etsi pluribus annorum curriculis Filij præcesserit resurrectio, Vatis prospectus vitamque copulauit; sicut arcam & id, quod cum arca, in qua conditur, leuatur. Cœpit in corpore Filij resurrectio Matris, cui vt portioni agglutinata inhærebat. Quò respexit obuius Petri Blesensi cogitatus ser. 2. de Assumpt. *Mater & Filius sunt vna caro. Indecens videri debet si altera pars carnis virginea sit in cælo & pars altera reddatur solo: si parti alteri datum sit non videre corruptionem, & altera soluatur in cinerem.* (Petr. Blesf.)

6. Ergo Mariæ caro dimidiumà morte abstulit imperium: mortem vidit, corruptionem non vidit. Adnotabam, quòd videre actus vitæ sit. Quam viuida Mariæ mors! Quàm vitalis vmbra! In cæca sepulchri nocte, tenebricosæque mortis imagine adhuc videre dignoscitur, quidquid corruptio non est. Nucleus est prædulcis in illis: *non dedit videre corruptionem.* Quàm procul à primigeniæ piaculo, cuius supplicium puluerea corruptio fuit, abiit Maria! Intra ipsam mortem corruptionem non vidit; cùm tamen prima mulier intra vitæ viuidiora cunabula mortem conspexerit. Meministi: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectùque delectabile.* (Gen. 3.) Viuam se prodidit, cùm vidit, sed per actum vitæ venit ad mortem. Gelidæ mortis indicium est, quod lumina claudat, oculorum hebetet aciem, & ostia lucis tenebris obducat. Curnè videt viuentium mater? An vt de vita præsumeret? Sed quia in ligno, quod vidit, inlatet mors; per oculos vitæ duces venit in mortem. Extrema infœliciras, per vitæ indicia in indicia mortis venire! Gregor M. lib. 21. Moral. cap. 2. *Nec enim Eua lignum tetigisset, nisi hoc prius incautè prospiceret. Pensandum ergo, quantum ab illicitis visum debeamus restringere, qui mortaliter viuimus, si etiam mater viuentium per oculos ad mortem venit.* (Greg. Mag.) Quàm dispar Mariæ indoles! Dum in morte est, non videt corruptionem & oculis iam ad vitam immortalibus fasciis præcincta videt, quidquid vitæ est: videre non præualet, quam non patitur, corruptelam. Si forsan ideò mors aufugit, nec cinerem è spolijs efficere ausa est: quia vidit Mariam videre, vitamque iam ab oculis præsagiuit? Certè Christi corpus postquam ab animo, ferali falce disiunxit, lubrica, pauidaque timuit concutere, nam inibi Deus, id est, videns: ea enim Dei etymologia est, vt contestatur S. Thom. 1. p. q. 13. art. 8. aduocans Dionysium cap. 12. de diuin. nominib. *Deitas est, qua omnia videt prouidentia, & bonitate perfecta.* (S. Thom.) Si Deitas à Dominico cadauere non recessit, corruptionem videre nequibat, quæ cuncta videbat. Mors fauces sicca continuit, oculis deuicta est. Non dispari ingenio mediatrice in Virgine, quam non vidisse corruptionem data Bernardini verba prætulerunt. Ad eius conspectum lethi corruerunt conatus; nec in puluerem terere præsumpsit, quam propè ad vitam ex aspectu remeare cognouit. Sic nouiter acciperem Damasceni leporem, quo aliter iam alij gauisi sunt, orat. 2. de Assumpt. Virg. *Quonam pacto corruptio corpus illud, quo vita suscepta est, aggredietur? Abhorreat omnino hac, atque aliena sunt à deifera illa anima & corpore. Ipsius enim aspectum mors quoque ipsa pertimuit: siquidem ipsius filij aderta, ex his qua pertulit, erudita, periculoque facto prudentior reddita est.* (Damasc.) Obserua illud: *ipsius enim aspectum*, quod actiuè accipio, id est, ipsam videntem, & quasi soporem simulantem timuit mors, vtpote quam iam agnoscebat non visuram esse corruptionem. Quæ eò tenduot, vt nouetis, quàm festino gradu rediuiua Virgo vmbras ferales aufugit; siquidem dissolui non passa est: imò è vestigio, quasi euigilans, præsagio teducis vitæ oculis cohortes rebelles mortis profligauit. Habes quid vltrà exprimas à Damasceno. Innuit aliquantulùm Mariam à mortis audacia liberiorem extitisse Filio: siquidem filium corruptionem adorsam fuisse ait, licèt minimè cuspidem affixerit, vtpote in ipsamet audacia dertiumphata; attamen Mariam nec saltem adoriri potuisse putauit; ne, sicut per experimentum Filij didicerat, vinceretur.

Nondum quiescit animus; qui sperare videbatur, mortis non subigendam imperio, quam culpæ tradux non læserat. Primi piaculi supplicium mors fuit: albicans innocentia non pullâ, funebrique veste induebatur. Nunquam homo pallidæ mortis tyrannide teneretur, nisi semel eius infausto, nigroque vexillo addiceret per peccatum. Beneficium esset creatoris, pugnantes inter se corporis qualitates sub ea pace continere, vt æqua librata lance nunquam vergerent, vt occumberet. Si Maria nec flagitium nouit, nec à viciata progenie fluxam malignitatem contraxit; cur insons plectitur mortali supplicio, quo sontes? Si sic rogas, pete, cur & Filius, in quo dolus non est inuentus, in quo generationis priuilegium 7.

1.Petr.2.22. gium Pater agnouit, non euasit mortis dominium. Verùm quid quòd Filius neci se subiugari permitteret, si vt propiùs mortem vinceret, in interiora mortis ingredi oportuit: vt dum assumpti corporis Christi sollicitaretur illecebra, & auidis faucibus faeram prædam mors deuoraret; viscera eius velut adunco dente confoderet: quæ
Hieron. fermè sunt verba Hieronymi in Epitaph. Nepot. ad Heliod. Hanc in Maria causam defuisse; cur moritur, mentem acuit. Sed facilè expedies, si memineris, mortem, etsi non inductam à fœmina: quippe si vir non deflecteret à iustitia, posteritas non interiret; tamen auspicium à fœmina traxisse: quæ, dum pomum obtulit; & virum sustulit, & virus toti generi propinauit. Ergo vt restauratio recapitulationem acciperet pristinorum, si morte peragenda erat mortis victoria; compari industria, noui Adami mors opus fuit, nouæque fœminæ: non vt ipsa recreationi proficeret; sed ne deficeret ex primo spectaculo fœmina, quæ simili trami te pelliceret ad remedium, qualis illa ad ruinam. Hoc condimento capies Al-
Alb. Mag. bertum Magn. in Mariali cap. 10. *Hac* (scilicet morte) *fortior erat beatissima Virgo, quæ mortem destruxit. Sicut enim mors intrauit per fœminam, & vitam destruxit; ita & vita redijt per fœminam, quæ mortem destruxit.* Id intelligas iuxta
Richard. Richardum de laudib. Virgin. *Intrauit enim mors per Euam in mundum, sed perempta est mors per Mariæ puerperium.* Per puerperium inquit; quod
Aldhel. licèt potest accipi de Filio, qui per puerperium effusus est, ex quo lux difficili carmini Aldhelmi de laudibus Virg.

Angelus: En sobolem generabis Virgo perennem,

Atque puerperium paritura puerpera gignes.

Quid est *puerperium paritura*, seu *puerperium gignes*, nisi filium: qui etiam sub partus nomine solet venire? Attamen non inuenustè per Virginis puerperium mortis vim occubuisse, autumare licebit: quoniam, quia peperit incorrupta, rabifica mortis lues, fluxaque corruptionis scabiosa tempestas nec Filij, nec Matris factum potuit violare cadauer.

8. In quo iam est quid singulariter eruamus de virginea aduersus mortalitatem victoria, ex immunitate ab originaria noxa. Profectò minæ aduersus hominem comedentem à primordio im-
Gen.2. v.17. pendebant: *In quocumque die comederis, morte morieris.* Manducat scelestus homo. Vide, si
Gen 3.19. vlla mortis vox in supplicio. Imò? *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua assumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sanè licèt post mortem suapte interiori pernicie corpus soluatur in puluerem: pulueream tamen stragem à morte distinctam esse Dominica admonet mors, quæ affectam in cæteris corruptelam amisit. Quid ergo plectitur in putredine homo, pus illi decernitur virulentû, fœtidus puluis; & tamen pristinæ comminationis mors fuit? Equidem non transiliuit ab eo, quod indixerat, supplicio: cùm sbeunte spiritu, in quo mors sistit, parumper in vetustum limum testa remeet corporea. Sed non negabis ab hac appendice mortis, quæ puluis est, exarsisse iudicis sententiam. Cur mortem, quam fuerat minatus, non memorat? Noluit rursus mortem geminatis verbis infligere, ne primæ comminationis minueret efficaciam. Horrendum tamen voluit extremi pulueris ante oculos spectaculum ponere, à mortis effigie, quæ putredo est, terrirans hominem: ne censeret leuemilli mortem solùm impendere, nec comitibus illius pestibus, euanidique pulueris consectariâ defluxione infestandum. Ergo si rem seriùs explores, explicatior pœna, qua Deus hominem ore puniuit ob originale scelus, corruptio fuit. Demirate, quam profuso eam describat stylo: *Donec reuertatis in terram.* Ecce iam semel. Iterum: *Quia puluis es.* Tertiò: *& in puluerem reuerteris.* Bone Deus, quid tergeminas fermè synonymis vocibus corruptelam? Imò homo viuens, etsi ex puluere traxit initium, cur puluis sit, & non corpus carneum? Tertull. de resurr. carn. cap 7. *Obliteratus*
Tertull. *& deuoratus est limus in carnem: Quando? Cùm factus est homo in animam viuam de Dei flatu, vapore scilicet, idoneo torrere quodammodo limum in aliam qualitatem, quasi in testam, ita in carnem.* Quòd si iam puluis, dum adhuc eius animantur artus; qui fieri valeat, quòdin puluerem conuertatur: cùm totius conuersionis terminus ad quem distinctus debeat esse, quin & oppositus, termino à quo: nec enim aqua in aquam, nec in ignem ignis conuertitur? O quantum corruptionis & supplicio & memoriâ studuit Deus hominem saturare! Triplicis temporis in puluere differentias illi obiicit; quòd fuit puluis, quòd est, quòd erit: vt etiam in dissimili qualitate perpetuam in se putredinis materiam prospectans, totam, quam voluerat superbia, ad pulueris pondus recolligeret. Caietanus ibi: *Vbi aduerte, quòd cùm dici-*
Caiet. *citur: quia puluis es, non significatur puluis sub forma pulueris sed sub forma corporis humani; sicut si diceremus, quòd panis est farina, non significatur, quòd est farina sub forma farinæ, sed sub forma panis. Cùm autem dicitur: & in puluerem reuerteris, significatur puluis sub forma pulueris.* Breuius Tertullianus suprà, *Tamen & argilla homo, quia limus ante, & testa caro, quia ex limo per afflatum diuini vaporem.* Et in propria & in aliena pulueris forma Deus per supplicium obiurgat Adamum; vt in corruptione pœnam sibi stabilitam esse cognoscat. Quòd si tu conuertas ad fœminæ supplicium, non dissimilia indicia corruptelæ nota-
Gen.3. bis: *In dolore paries filios tuos.* Nonnè corruptio;
S. Thom. imò dira ruptio est, cùm fœmina in puerperio fatiscit? Quare S. Thomas 2.2.q.164.art.2 *Quacumque enim mulier concipit, necesse est, quòd ærumnas patiatur, & cum dolore pariat, præter beatam Virginem, quæ sine corruptione concepit, & sine dolore peperit.*

Igitur non sine luce panditur id, quòd explica- 9.
tum fuit in pœna primi piaculi, neutiquam transfusum fuisse in Mariam: quam nec conceptus corrupit, nec partus fregit, nec mors redegit in puluerem. Forsan ideò, dum plecteret reos misericors index, mortis, quam antea minitatus fuerat, non meminit, sed corruptionis & pulueris: quoniam Deus homo, & Maria à traduce piaculo immunes mortem erant subituri, non pulnerem. In quem sensum non inuitus extorquetur Augusti. serm. 1. de Assumpt. dixerat de Christo, *nec vllam perpessus est corruptionem*; illicòque subtexit de Maria. *Quem, quia sine peccati*
August. *colluuione, & sine virilis admistionis detrimento suscepit, sine dolore genuit. Maria ergo etsi communicat ærumnis Euæ, non communicat parturie[illegible] dolore.* Et statim: *Quid ergo si dicimus [illegible] humana sortis mortem subisse, nec vinculis eius retineri. Si voluit integram Matrem cum virginitatis*

tis seruare pudore: cur non velit incorruptam à putredinis seruare fætore?

10. Quid est illud *Mariam humanæ sortis mortem subiisse?* Profectò ne puretur in Virgine admissi pœna delicti, sed conditio naturæ. Mors etenim corpus, etsi in florente innocentia validum, ex naturæ iure, elementariumque indole qualitatum insequeretur, nisi beneficium attrificis eius retunderet potestatem. De quo S.Thom. 2.2. q.164. art.1. Supplicium fuit præcedentem auferre fauorem, rapidæque morti naturalia lora laxare. Ergo resolutio in puluerem, postquam halatur spiritus, naturalis est: sed signatè in ea plectitur homo, vt diuini beneficij ampliùs subtractionis continuitas ostendatur: potuit enim diuinus Opifex, sicut figmentum suum, viuidum à lethali mortis incursu munire; sic vitâ functum absque aromatibus, areolisque pigmentariis, nec balsama sudans, aduersus putredinem solidare. Moritur Maria; naturæ cessit non corrumpitur; super naturam graditur. In eo, quo se originaria noxa explicuit, supernaturaliter exempta processit. Ergo super naturam se naturæ legibus dedit. Quid nobilioris triumphi; intra ipsammet naturam super naturam ire? Perpulchrè Cosmas Hymnographus: *Tu, sacra & casta Virgo, qua præter naturæ ordinem, Deum enixa es, chara victoriæ symbola deferens, illamque, qui te genuit, æmulata, super naturam, naturæ legibus concedis. Nam & moreris, & mortuo cum Filio denuò exsuscitaberis, in omnem victura æternitatem.* Preme illud: *super naturam, naturæ legibus concedis.* Videas, quantum Maria moriens cum Maria Verbum vitæ gignente componatur. Gignit fœmina virgo, qua fœmina, naturæ lege, muliebri situ, naturæ conceptaculo; quà virgo, super naturam. Quà fœmina, moritur; statis naturæ legibus concedit: quà virgo, cinereas exsufflat inimicias, aduersus ferales morsus asperatur; super naturam stat incorrupta, quæ iuxta naturam cecidit mortua.

11. Ergo morti terminum præfixit, sanciuit metam, curtauit imperium; in easque angustias compressit, vt nullum pulueris palmum reliquerit. Nonne vides? Post mortem, adhuc spatiosum regnum mortis fit; indies plagas suæ dominationis extendit in ipso corpore, quod enecuit: fluxum cadauer, fibris hinc inde resolutis, in puluerem propagatur: hæc noua terra regno mortis continuâ alluuione, aggereque subcrescens, nigram regionem dilatat. Stat Maria, & mortali fini fines constituit; non illi vel breuem permittit puluerem: sat est mori, ait, non puluis fiam: sat est decessisse, resurgam. Expendendus est Nyssen orat.13. de virgin. *Neque enim fieri poterat, vt hominum genere à nuptiis procreatio mors vnquam cessasset: sed superiores omnes hominum ætates prætergressa, cum his etiam, qui hanc vitam ingrediuntur, simul iam illa percurrens, virginitatem muneris sui terminum inuenit: quæ porrò transilire difficile est, tanquam Dei Matris Mariæ tempore ab Adamo vsque ad eam regnum mors obtinuerit; postea que sola efficit, vt cum tanquam ad lapidem aliquem virginitatis fructum mors offenderit, in ea contrita sit.* Quid est contritam fuisse mortem in Virgine, & vsque ad Virginem pergere fuisse mortis tyrannidem; si Maria sepulchralibusque fuit abdita claustris, & mortem non interfecit, quam iam Filius moriendo confoderat? Peringeniuè contrita dicitur in Maria, quia nulla ex virginei corporis terrâ tritura morti concessa est; nullus excussus puluis, in quem solet contritum cadauer exsufflari. Hic morti terminus fuit; mori, non tabescere; decedere, non conteri; cadere, non in casu persistere; sed maturo gradu in vitam tedire perennem. Regnum obtinuit mors vsque ad Virginem: quia ex corruptela generati, fataque ex concubitu humanæ segetes, deindeque à morte demessæ, corruptionem, quam in generatione didicerant, repetebant in morte, illique alimenta simul & terræ possessionem præstabant. Virgo posuit terminum. Quam ob rem? Quia Virgo fœcunda: genuit incorrupta; impercussa enixa est.

Hoenè satis, vt terminum morti statueret? 12. Affatim satis. Virgineè generans, Verbum Dei sibi addixit pro fœtu: Verbum autem Dei terminus est intelligentis Genitoris. Vsque ad terminum Paternæ immensitatis se explicuit & excussit Virgo: tractauimus id fusè Academ.13.sect.2. subsect. vnic. vbi accersiuimus Damascenum, qui captui Nysseni nimiùm prodest.

O Virgo, radix cui pius Iesse fuit.
Excedis omnes terminos mortalium,
Æuo priorem dum Patris logon paris:
Transire vt ipse se nouo vacuant modo
Clausum per vterum voluit expertem viri.

Quoniam Patris logon, terminumque peperit inuiolata, mortalium terminos excessisse profertur: non solùm etenim carnem in spirituum apicem dilatauit; sed extra carnis terminum, vt potè absque viro gignens, abiuit. Quid quòd terminos mortalium exuperet? Cur nè *mortalium*? Vt parumper deflectas, *excedis omnes terminos mortis*, id est, quò mors appellete non præualet, collocaris: caro enim, quæ sic inremerata excessit, non obnia putredini, taboque est. Quare idem fuit terminos excessisse mortalium, & morti terminum præfixisse. Præclatè suffragatur Michaël Glycas in 3. par. Annal. *Tametsi Virgo Mater naturæ legibus fuit obnoxia; tametsi vt homo in sepulchrum est deposita: naturæ tamen fines atque terminos superauit & excessit; nec sepulchrum, nec mortalitas eam in potestate sua retinere potuit. Nam & ipsa de sepulchro resurrexit, prorsus vti filius eius, idemque Deus etiam fecerat, solis sepulchralibus exuuiis in monumento relictis.* Obserua illud: *naturæ tamen fines, atque terminos excessit*: vt gaudeas, quantum accinat Damasceno & Nysseno. Ex protensa latitudine & dilatatione Virgineæ carnis, quæ vsque in Patris Verbum spatiosa capacitate peruenit, mortis terminos transiliisse, non operosum est ex præfatis adiscas. Strinxit breuibus angustiis spatium mortis, dum vteri latitudinem auxit. Eadem ratio fuit ampliandi vuluam, curtandique mortem. Accinit S.Germ. in hom. de dormit. Virgin. *Corpus tuum virgineum omnino sanctum est & humanum quidem; sed quod ad summam immortalitatis vitam perueneris; adeoque integrum sit & absolute viuum, quippe quod vas Dei capax fuerit.* En ex capacitate ad Dei conceptaculum probat corporis latitudinem vsque ad immortalitatis excessum.

Si ad terminum Patris peruenit Virgo Mater, 13. seque in illum intima adhæsione conuertit, eo nexu, vt ipsiusmet sobolem & ab ipso conciperet; nequiuit conuerti in puluerem. Seis illud Pauli, per peccatum in vniuersum genus mortem intru

instrusam. Vtquid per peccatum? Quoniam peccans & à bono incommutabili auertitur, & in bonum conuertitur commutabile: commutabile autem bonum ad nihilum valet vltrà, si non dirigitur in Deum; interna euanescit pernicie: ideò peccatum ad nihil reducitur, iuxta illud: *Sine ipso factum est nihil.* Ioan. 1. Ergo mors plectit auersionem: puluis, qui aura spirante ventilatur, & concussione inanescit; nihil reputatur, conuersionemque ad creaturam castigat. Si insons Maria, nullaque peccati aspergine madens; cur in nihilum pulueris abiret? Quin potiùs in bonum, cui iugiter animus affluebatur nullis mortis pedicis deorsum impellentibus sursum corpus impetu validissimo remeauit accitum. Ingenium est Abert. Magn. in Mariali cap. 172. Alb. Magn. *In peccato enim duo sunt, scilicet auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile. Istis respondent duo in pœna: quia anima auertit se à sua vita, & incidit in necessitatem auersionis à corpore, cuius ipsa est vita. Ex conuersione autem ad nihilum incidit in necessitatem redeundi in quasi nihilum, id est, in puluerem. Sed beatissima Virgo nunquam conuersa fuit actualiter ad quasi nihilum: ergo non debuit incinerari.*

14. Non in puluerem it, quæ humani limi figulo semper agglutinata permansit; & postquam spiraculum vitæ hausit, nunquam ignito calore decoctum figmentum superbâ peccati euentilatione siccauit, vt in puluerem ageretur. Limum manus Dominicæ detornarunt: limus autem humecta terra est, nullis rimis hians, ariditateque denexa; sed humida densitate coalescens. Quid ergo est, quòd Dominus hominem obiurgans, & Gen. 3. 19. terrenæ vilitatis insimulans, inquit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris?* Imò luteus homo à puluerea siccitate alienus ab artificis figlina prodierat. Psal. 1. 4. Voca luteum Domine, voca limum. Puluis ante faciem venti intestina clade dispergitur. Potiùs in hominis genesi cura, vt solidius in statu persisteret, ex gleba compactus in puluerem non abiret. Quæsitus est limus non absq; industria: vbi enim terra humore madida, si iam diuisæ erant aquæ, adeóque arescebat, vt siccitas transiret in nomen: Genes. 1. 10. *Vocauit Deus aridam terram* nondumque Deus su- Ibi. 2. 5. per terram pluerat? O qualis in humecta tellure conatus, ne plasma æstu interiori, incendiisque concupiscentiæ dehisceret; sed aquâ dilutum strictiùs ferruminaretur, portioque cum portione coiret, censuraque subiectionis spiritui corpus adhæreret. Ideò forsan ex terra rubra, cui *Adama* vocabulum est. Olcast. Contestatur Oleaster Genes. 1. *Assumpsit autem Deus terram hanc rubram ad corpus hominis fingendum: quod aqua mista meliùs conglutinetur, & coniungatur. Vnde figuli ex ea vasa sua communiter fingunt.* Quanta Opificis cura, ne discingeretur compages & per ciuilem, intraneamque rebellionem pars scinderetur à parte. Proh nefas! Isai. 14. 13. Superbiæ Aquilo, in cuius lateribus arrogans ille Angelus sedere gliscebat humens hominis simulacrum, appetitus incendio arefecit, deindeque in tot trituras cupiditatum contriuit, & excussit, vt qui limus erat, puluis fieret, & in plura dissectus, qui creatus in vnum. Meritò *puluis es*, inquit: quasi pilo contusus, aëris ludibrium, dæmonis pila. En cur Maria non puluis; quam & densauit humili- Luc. 1. 51. tas, & qui dispersit superbos, sibi conglutinatam, omnique portione adhærentem continuit, nullo peccati vento sufflatam, nullo aspirante flabro dispersam: sed in qua nouus Adamus, candidus scilicet & rubicundus, Deitatis candorem cum humanitatis rubore in perpetuam commiscuit vnionem: ideóque terram illam rubram elegit, quæ superno Patri perpetuò conglutinata, fatris sanguinibus, ex quibus coalesceret, rubebat per amorem. Cui applica illud non semel datum, Amadei homil. 5. de laud. Virg. *Facta igitur extra* Amad. *se, suique oblita præ gaudio adhæsit corde latissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo, in illum tota efferebatur, in cuius amoris immensitatem tota refundebatur.* Expende illud: *tota efferebatur, tota efferebatur, tota refundebatur*, postquam dixerat, *& conglutinata Deo*; & coniunge illis Oleastri: *quod aqua mista meliùs conglutinetur.* Quæ sic tota, sibique constans, nullaque sequestrata portione, Deitati adhærebat; mortali non potuit etiam sub mortis cuspide vulnere per frusta secari, nec corruptæ materiæ subiici, licèt materiâ fluida & terrenâ constaret: sed quasi adhuc in manu Opificis, cui conglutinata, tanquam limus limpidus manebat & incorruptus, in dominium mortis, totiusque corruptelæ asserta. Appositè S. Germanus de dormit. Beatæ S. Germ. Mariæ colum. 4. *Dicatur, Deipara, Mors tibi subiecta: quia vitam mortalibus protulisti. Dicatur, sub te sepulchrum: quando sublimitatis inexplicabilis diuinum facta es fundamentum. Dicatur, sub te egesta tellus: figura es etenim, quando materia ex limo corrupta Domina vocaris.* Quando sub terram virgineum corpus ingeritur, & funebri more in cauis latebris vsque ad telluris viscera detruditur; egestam terram liberiori principatu calcare scribit Germanus, Dominamque materiæ ex limo corruptæ gloriosiùs apparere: quippe terræ sinus se vitali furto deprædans, priuilegio assumptæ immortalitatis, euacuauit.

Nec vacat illud *Patri spirituum conglutinata.* 15. Cur signatè *Patri*; Puluis fuit Adamus, dum se à Dei adhæsione segregauit; sensibilibusque frustis comminutus, se dispersit in plura. Pellexit amor vxoris, cui magis voluit per obedientiam conglutinari, quàm Deo. Aduerti iam supra pro eo quod est: *Et adhærebit vxori suæ*, legi apud Septuaginta? Septuagint. *Et agglutinabitur vxori suæ.* O peruicax gluten, quod te & polluit, & non vniuit! Prauæ obedientiæ illex coniunxit vxori, seiunxit à Deo. Ideò Dominus? *Quia audisti vocem vxoris tuæ.* Chaldaicè: Chald. *Quia obedisti verbo vxoris tuæ.* Quasi Diuinitatem puderet, sibi inobedientem hominem vxori obediuisse. Quia carni voluit adhærere, non Deo; puluerem illi mandat, vt absque glutine, nexuque dispunctus, dissectusque dispareat. Quia conglutinatus fuit vxori ob perfidam ventris ingluuiem; in puluere humiliatus occubuit. Quàm appositè Vates Psalm. 43. *Quoniam humiliata est in puluere* Psal. 43. 25. *anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.* Gradum facias ad Virginem, quæ, dum se disiunxit à viro, eò in obedientiam Patris abiuit, vt ei conglutinata germen in ventre produceret, eius Vnigenitum: nec fructum arboris, sed Dei in vtero seuit. Ergo non habuit caro, cur frangeretur, disiectaque per puluerem, disiunctionis pœnam subiret. Aptè Damascenus orat. 2. de Assumpt. Virgin. Dam. *Nunc verò eam, quæ vitij omnis impetum discussit, ac propulsauit, ac Dei Patris obedientia germen produxit, an non paradisus excipiet? Quonam pacto corruptio corpus illud aggredietur.*

Mariæ corpori non terra locus, ſed cœlum : non puluis, ſed ſpiritus adinſtar eſt.

SECTIO II.

16. Damaſ. OTVM illud Damaſceni or.2. de dormit. Virginis. *Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata eſt affectibus, ſed cœleſtibus educata cogitationibus, non in terram reuerſa eſt; ſed cùm eſſet animatum cœlum, in cœleſtibus tabernaculis collocatur:* Hoc vt commodè percipias, oportet, ad paradiſum eamus, vbi poſt flagitium ſtat iudex Deus: ius dicit ſerpenti: (Gen 3.14.) *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ:* deinde homini: (Ibi 3.19.) *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Benè Deus, quæ iura rogas? Quibus plectis noxios ſuppliciis? Quali contexturâ ſententiæ hæ nectuntur? Serpens, vt terram comedat; homo, vt terra ſit? Ergo damnatur homo in aſpidis alimoniam? Ergo damnatur aſpis in hominis heluonem? Ergo ex homine paſcitur ille? Ergo ſerpenti paſcua dat hic? Ille conuiuia hic alimentum. O miſer ab eſca! Eſca fis colubri, qui ad eſcam laceſſiuit: & qui Diuinitatem in pomi fruſto mandere geſtiebas; dum ori admoueres infauſto, iam ſerpentis ori epulum deſtinatis; vt pereas his ab ore, & quia audiſti, & quia comederis: idem aſpidis os, quod te adegit ad ficum, te puluerem mandit. Aſt Domine, dira lex eſt in hominem, quem ex puluere compegiſti; fauſta ſerpenti, qui non aliud cuncupierat, niſi in hominem pergraſſari, in puluereaſque contetere trituras: vt ipſe, caudâ dominante, in te artificem liuoris toxicum effunderet, dum moleret plaſma, quod moliris. Sed imò feralis ſerpenti lex homini læta. Cupiebat vafer in filios Dei, in cœleſtes propagines, quæ cœli inania ab Angelis ſubſellia erant repleturæ, protendere principatum, exturbare ab Empyreo, in Orcumque deiicere, & ex illorum animis depaſci. Sententia eſt, quòd terram comedat, non cœlum; quòd manducet aridos, reprobos, pulureos, laſciuiæque cœnoſo volutabro fœtidos: non cœleſtes, qui in ſuperioribus habitant, qui ſæcularia tranſcendunt, qui viuunt ſpiritu, qui limum deponunt, & virtutum pennis euolant ad conuexa. (Rupert.) Scitè Rupert. 3. in Geneſ. cap. 18. *Interea terram comedes: terram, inquam, comedes, & non cœlum: id eſt, non quorum conuerſatio in cœlis eſt; ſed qui terrena ſapiunt, illi cibus tuus erunt.* O rigor in hominem pietate medicatus! O ſupplicij miſericors vindicta in ſententiæ fulmine! Pœna hominis magiſterium eſt pietatis, ſchola diſciplinæ: dum plectitur, addiſcit, quidquid puluereum eſt, deponere: ne dapes ſuppeditet ſerpenti, ne fercula miniſtret inimico. Ergo qui pœnas luis à perpetrato flagitio; qui terram ſcindis aratro; qui frontem ſubmittis, glebas feriens vomere; excutere de puluere, dediſce coloni officium ruſticale, cœlum cogita, vt cœlum audias, iuxta illud (Origen.) Origenis homil. 5. in Hierem. *Si ad peccatores dicitur: Terra eſtis, & in terram ibitis: quare non dicatur ad iuſtum, cuius eſt regnum cœlorum: Cœlum es, & in cœlum ibis?* Ergo Mariæ corpus iure in cœlum inuehitur, cui cœleſtes dotes virtutum priuilegia contulerant.

17. Cauſetur homo, cur illi dictum: (Gen. 3.19.) *Puluis es, & in puluerem reuerteris:* ſiquidem, etſi glebis conſtet corporeis, melior pars in ſpiritu eſt. Cur non ſpiritus à nobiliori portione nuncupetur, qui à vili puluis? An quia terreum & graue, quaſi talentum plumbi, corpus aggrauat animam? Cur non in cœlum leuet vergentem ſarcinam impetus ſpiritus, & ſaltem in ſimili cauſa animus vincat? Non cauſeris homo. Peccatum ſe carni inſinuat in pondus, vt vergat deorſum, totumque hominem inter æthera libratum trahat. Si carni additur peccatum, & contra vnam animam duo præponderant, cur non graueſcat geminatum pondus? Cur vnum duo non ſupprimant? Cur leue onuſta non trahant? Aptè Bernardus in allegoriis Tilmani: (Bernard.) *Audire, inquies, velim: Spiritus es, & ad ſpiritum ibis; ſiquidem etiam ſpiritus ſum. Agit hoc non tam ſubſtantia, quàm culpa. Traxit animam corpus in regionem ſuam, & ecce præualens opprimit peregrinam. Factum namque eſt talentum plumbi, non aliunde tamen, niſi quia ſedet iniquitas ſuper illud.* Et ſtatim: *Licet quodammodò cœlum ſit homo, cœleſtibus ſpiritibus ſimilis; ſubſtantia, quia ſpiritualis; & forma, quia rationalis: minimè tamen eum leuare iſta ſufficiunt, nec audire meretur cœlum es, & in cœlum ibis.* Id pulchrè proſequitur pluribus. Quæ nimis illuſtrant Damaſceni locum de Virgine: (Dam.) *Non in terram reuerſa eſt; ſed cum eſſet animatum cœlum, in cœleſtibus tabernaculis collocatur.*

18. Cur in puluerem ſolueretur caro Virginis, ſi ab ſpiritu tracta ſpiritales functiones excelluit, dum ſibi ſupremum Spiritum corporauit. An ſibi nomen ſpiritus deuinxit, ne in corpus mortis auderet contagium, nec corrodere poſſet, quod ad tactum malignum euaneret? Sanè cecinit Virgo, (Luc. 1.) *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, poſtquam magnificantem animam præmiſerat. Non ſubticuiſſe carnem, eius nobilitas, in qua ſacramentum peractum fuerat, perſuadet. Nomenclaturâ ſpiritus vterum forſan inſigniuit, cui Verbum Patris fructus erat. Eadem recollige, dum in cœleſtia ſubleuatur. Funerea vincula diſſoluit caro, quaſi nullæ compedes ſpiritum vincire valerent: carnem ceu ſpiritum inuehit in cœlum: nulla pars contabuit, quia nulla ſuper carnem ſedit iniquitas. Quibus explica Andream Cretenſ. in (Andr. Cret.) encom. de dormit. Virg. *Spectaculum inter omnia, quæ ſpectari poſſunt, pulcherrimum hodie exurgens, ac cœlos omnes latè penetrans, eos cum ſempiterna illa mente ac ſpiritu ſermonet miſcet, quod is vel ſolus, vel maximus nouit, qui corpus & animam illius primò inter ſe vinxerat*, &c. Menti & ſpiritui corpus & animam Virginis contraponit: quaſi caro, quæ eo ſpiritu fœta effloruit, neſciat componi cum carneis. Vnde S. German. in homil. (S. German.) de dormit. Virgin. *Sacratiſſima Virginis caro ex mortuis iam reſuſcita, expedita & ſpiritualis effecta eſt, vtpote ad omnem immortalitatem & incorruptionem iam transformata.* Immaculati ſpiritus dotibus affulget Virgineum corpus, quod Spiritus Sancti ad nauandum præclariſſimum opus, Dominicum ſcilicet corpus, extiterat officina & materies: quid quòd cum animo & ſpiritu comparetur?

19. Pondus eſt in verbis Angeli, quæ loquutus eſt ad S. Brigittam ſerm. de excellent. Virginis cap. 21. (Apud S. Brigit.) *Verè notandum eſt, quòd ſicut ſola ſacratiſſima anima Christi, excepta ſua Matris anima, pro virtutibus & meritis ſummis præmiis digniſſima extitit, quia in bonis operibus nullum defectum habuit:*

ita etiam ſolo excepto Chriſti corpore, ſua Matris corpus fuit digniſſimum longiori tempore, quam aliorum corpora, cum ſua anima meritorum præmia recipere: quia ſemper cum ipſa omnia optima eius opera perfecit, & nulli peccato vnquam conſenſit. Conſenſus non ſtupidæ, ſtolidæque carni imputatur, ſed animo, qui arbitrij lora gubernat corporique ius dicit. Et tamen Marianum corpus eò animi ſe euexit in munia, vt ſibi vindicet conſenſus officia. Parum hoc. Non leuis energia eſt in ſtylo comparationis Virgineæ animæ & corporis ad animam & corpus Dominicum: *Sicut anima Chriſti, excepta ſua Matris anima pro virtutibus & meritis, ſummis præmiis digniſſima extitit.* Ergonè excipi, opus eſt, Matris animam, ne excelli putetur? Abſit à delirio mens. Quò longiùs ſuper omnem ſpiritum, aggeſtis gratiarum cumulis, ardua Virginis anima faſtigiatur; eò longiùs ſub anima Chriſti corona ſtatuitur: ſed quia vna vtriuſque caro ex arctiſſimo integræ generationis vinculo, abſque extera viri portione cenſetur, nec vnius carnis duplex anima eſt, forſan ſic animam Filij Matris anima ſublimitatis priuilegio accedere perhibetur. En erga vtriuſque corpora non diſpar compoſitio, ſed ordine inuerſo, *ita etiam ſolo excepto Chriſti corpore; ſua Matris corpus fuit digniſſimum,* &c. Alteruant vices Mater & Filius, & velut ſi æqua lance, vtriuſque attributa librarentur, reciprocis dictionibus menſurantur: nec anima vtriuſque, quin & corpus, æqualis comparationis gaudet priuilegio.

20. Scis pro corpore Chriſti aſcendente in cœlum Spiritum ſanctum remuneratorio cenſu deſcendiſſe. Captiuitas, catenæque compes in ſuperos, trophæi more euecta eſt; dona tamen hominibus pluuia largitate fluxerunt. Igneis linguis quaſi vocalis incéditur aër, & Spiritus, qui, vbi vult, ſpirat, ſuper Apoſtolorum vertices inſidens, eorum ora ſatagit implere. (Ioann. 3. 8. Act. 2. 4.) Quale donum hoc, quod pro Dominico corpore hominibus præſentatur? Spiritus quidem pro carne. Excellens retributio! Sed ſi caro ab Spiritu ſancto in Virginis vtero fuerat compacta: quibus ſpiritalibus dotibus emineret? Et caro eſt; & Verbi Dei, & ab Spiritu fabricata. Ergo dono, quod cœleſtibus terreſtria dederunt, ſimilis repenſio à cœleſtibus refundatur. Ignea lingua. Vt quid? Quà lingua, & carnis & verbi organum eſt, quà ignea, flammei amoris, qui Spiritus eſt, ſcintillat indiciis. Ex quo illud S. Leonis (S. Leo.) ſermon. 1. in Pentec. *Vt Verbum Domini lucidum & eloquium conciperetur ignitum.* Præclarè Tertullianus (Tertul.) lib. de reſurrect. carn. cap. 15. *Quemadmodum enim nobis arrhabonem ſpiritus reliquit: ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum pignus totius ſummæ, illuc quandoque redigendæ.* Arrhabo fulcimentum eſt initi contractus, vt ſponſionis fides firmandæ ſecuritate gaudeat; non excedit pretium, quod in ſtipulationem deductum eſt; potiùs cenſetur illius quantitatis pars. Pignus è contra ſolet excedere, quod venit in promiſſum. Quid eſt igitur, quòd his vocibus vtitur Tertullianus: *vexit in cœlum pignus,* id eſt, carnem ſuam; *arrhabonem ſpiritus reliquit?* Profundè nimis: nam Spiritus ſanctus non totum eſt, quod Chriſtus eſt; (Coloſ. 2. 9.) ſiquidem Deitati, cuius plenitudo eſt in Chriſto corporaliter, aſſociatur caro, quam Spiritus ſanctus non aſſumpſit. Ergo Spiritus ſanctus ad vnam, quæ in Chriſto eſt, attinet portionem, nempe ad Deitatem. Benè igitur arrhabo nuncupatur. O grandis Dei hominis æſtimabilitas! O quantum humanitatis momentum! Pars Chriſti Deitas eſt, & pro eò recuperando Spiritus ſanctus arrha. Cæterùm quia Chriſti caro, quà vnita Deitati, totius carnis ſummam excedit, & pretioſior eſt; acutè dixit: *vexit in cœlum pignus totius ſummæ, illuc quandoque redigendæ.* Quæ mens Tertulliani eſt, ſi medullitùs introſpicias; licèt probè Spiritus ſanctus pignus nobis datum aſſeratur, etiam inter arrham & pignus agnita differentia apud Paſchaſium contra Macedon. c. 11. (Paſch.) *Daturus ſeipſum, dat iam in præſenti pignus Spiritum ſanctum. In terrenis negotiis arrha quantitas, contractus illius, pro quo interceſſerit, quædam portio eſt: pignoris verò ratio meritum rei, pro qua poni videtur, excedit.* Quæ verba nouior Tertulliani commentator refert; ſed nec Tertullianum, quod præſtitimus, explicuit; nec Paſchaſium, quod præſtabimus, enodabit. Quid eſt enim quòd Spiritus ſanctus pro pignore detur, & tamen *pignoris ratio meritum rei, pro qua poni videtur, excedit?* Neutiquam inter diuinas perſonas exceſſus eſt. Si ergo daturus ſeipſum, ſiue Pater ſit, ſiue Filius, pro pignore dedit Spiritum ſanctum, malè pignoris in exceſſu natura depromitur. Cenſeo Paſchaſium diuina negotia, cœleſtiaque commercia à terrenis diſtinguere. In rebus creatis qua poſſilitas eſt, inæqualitas inuenitur: quod increatum eſt, quia maximum æquale ſibi eſt: cùm Deus ſe promittit, nihil ſe pretioſius pro pignore poteſt deponere: & tamen adeò liberalis largitor eſt, vt præ munificentiæ maieſtate non ſuſtineat minoris pretij, quàm res promiſſa eſt, pignus impertiri. Quid igitur agat? Deponit æquale; imò vnum, vt ſimul cum pignore rei promiſſæ res promiſſa præſtetur: *Daturus ſeipſum, dat Spiritum ſanctum:* & tamen vbi Spiritus ſanctus eſt, & Pater & Filius eſt. Prodigus amor forenſium contractuum auaras, curtaſque leges tranſgreditur; non ſub haſta ad lancem pendit, quæ retribuit. Accepit carnem, reddit Spiritum: quod & Chryſoſtomus (Chryſ.) dixit hom. 13. in Incarnat. *Venit Chriſtus ad nos; dedit deſcendentem ex ſe Spiritum, & corpus noſtrum ſuſcepit.*

21. Annè pro carne Virginis, quam libentis ſepulchrum obtulit Empyreo, Spiritus redonatur? Enodare oportet S. Germani (S. Germ.) in dormit. Sanctæ. Mariæ col. vltim. in fine: *Ideòque & corpus tuum, quo Deum velut hoſpitio excepiſti, ſanè par erat nulla mortifera corruptione, inuolui: ſed & ſepulchrum velut hominis propriam meſſem ſuſcipere, ac te viuentem ad cœleſtem domum in vitam traduci; vacuum quidem tuo corpore monumentum oſtendere; inſeparabilem verè ab humana conuerſatione inueniri ſpiritum tuum, inuiſibili eius virtute, qui ex te virgine natus eſt Dominus Deus noſter.* Non te laceſſit illud: *inſeparabilem verè ab humana conuerſatione inueniri ſpiritum tuum?* Quoniam inaneſcit ſepulchrum euacuatum ſacro pondere, quod velut primoribus labiis deguſtauit: quoniam ſacrum corpus, quaſi vt illicò repatriaret, penetrauit cœlum, ſuique prædâ ab humana eripuit poteſtate; ideò ſpiritum Virginis, remunerationis ergo, inſeparabilem ab humana conuerſatione adſtruit Germanus. Aliud munus nequibat corporis debitum luere, in quo Spiritus ſancti adhuc veſtigia tepebant; quidni ſpiritus ageret vices, ſuaque propria opitulatione reprehenderet? Ergonè Mariæ ſpiritus ab humana conuerſatione non diſſidet, cùm hæc ſub conuexis, ille ſit ſuper ſydera? Si incendit & vrit hîc corda; dum illic

aduocat munera Paracleti: quid oon desistat ab hominum conuersarione, quæ à conuersione noo destitit? In quo adhuc ex sancti Spiritus similitudine habes, qoo struaris in illa dictione Germani *inseparabilem.* Id de Spiritus sancto ingeniosè

Athan. obseruauit Athanasius quæst.49. *Et Dei quidem Filius, & Deus post impletam totam dispensationem tandem assumptus est. Spiritus verò sanctus super Apostolos veniens, & super omnem carnem effusus, non est rursus assumptus; sed generationes transis in omnes; & si quemlibet hominum inuenit, habitat super eum.* Non remeat visibili specie in æthera Spiritus sanctus; nec amat symbola, quibus dis-

Ioan. a.1.3 cessum exponat. Sic dum in columba sui exhiber & effigiem & præsentiam; satius ducit, peracto spectaculo, auem simplicem euanere, quàm reuersionis specimen indicare. Sic dum in linguis ignei eloquij ministrat abondantiam, etsi suapte

Act.2.3. indole ignis sursum repetere, subrigique propendeat; volantem comprimit flammam, ne per corporalem ignei vaporis ascensum sui abscessum præsignaret. In omnes generationes pertransit,

Luc.1. qui semel hominibus datus aduenit. Non dissimile protulit Germanus de Mariæ spiritu; quam omnes generationes nuncupare beatam non insubtiliter innuit, quòd, licèt beata sit, & in Deitatis gloriosis absorpta deliciis, omnibus generationibus spiritu præseotissimo fauet. Vide, quid valuit corpus Virgineum, cuius pretium & rettibutio spiritus.

22. Non est hæc terra, cui comedendæ in supplicium addicitur serpens. Spiritalis dæmon est; verùm non spiritibus, sed carneis saginari solicitat, carnaliumque illecebrarum nidore delinitos, ab Angelo corporis experte degenerat. Humanum animum, vt sibi cibum præstet, carneum efficere, in terramque solidare contendit. Spiritale corpus, cœlestibusque proprietatibus nobile, toxicum illi est: mandere non audet, ne per viscera rescindatur. En vtrumque Virginis caro; & cœlum dicitur, & spiritibus comparatur. Tam longè absuit, quòd serpens manducaret, vt nec mors

Dam. absorbere ausa sit. Damascenus orat.2. de Assũpt. Virg. *Quoniam pacto mors absorbebis? Quonam pacto infernus excipiet? Quoniam pacto corruptio corpus illud, quo vita suscepta est, aggredietur?* Quæ vt faotiùs obtineas, meminisse iuuabit in Eucharistiæ Sacramenro; ex vi consecrationis poni corpus Christi, Deitas, anima, cæteraqoe circũstant, & per comitatum assistunt. Quod assumpsit ex Virginea carne, in mysterij frõte collocauit: imò & portionem aliquam, quæ in Virginis vtero coagulata fuit, vtpote nondum deperditam in corpore Dominico, perdurare, & sub accidentibus persistere, non vnius censio est. Ad quid hæc? Plectitur serpens, vt terram manducet; terreos scilicet homines, vt audisti ex Ruperto. Panis de cœlo hominibos proponitur, vt ex conuiuio cœlum fragrent, cœlum fiant, spiritaliaque priuilegia resumant. Ergo famescit serpens, illi alimonia pereunte, dum hoc pane vescitor homo: aridus occumbet; & cum auidus dentem figat, seu cœlum, seu spiritum transfigere non valebit: super cibo leuissimo ieiunabit, nedum oauseabit. Subti-

Paulin. lis est Paulinus epist.9. *Cum hoc pane saginamur, serpens tabescit, cuius fames & pœna est cibus vita nostra Christus Iesus, qui datus est nobis in escam.* Expende rationẽ, cur tabescat serpẽs, id est ab esurie pallida ęgrotet; cur dẽtem in dante fatiget, & edẽdi ardore depereat: quia hoc pane saginamur. Ergonè hoc ille pascitur pane, & ob eius prædam famescit? Mirum est illud; *cuius fames & pœna est cibus vitæ nostra Christus Iesus, qui datus est nobis in escam.* Anne vitæ cibus alimonia est illi, & cœlestis panis edulium? Imò fames est. Ecce acumen. Homo terreus illi destinabatur in escam: dum hoc pane saginatur, terram exoit, in cœlum exit, spiritos fit: ergo cibo conuerso in cœlum & spiritum, qualiter faboloso in aurom, serpentem tabescere opus est, & inaui gutture deludi.

Non distat oimiùm à Paulioo Ioaones Carpathiens. in exhortat. ad Monach. Indiæ: *Ipsa igitur caro quoddam nutrimentum est dæmonum: Dum appropians super me nocentes, vt edant carnes meas. Qui ergo per virtutem carnes, de quibus loquimur, macerat, ac tabefacit, dæmones fame occidit, & ad arma sibi inferenda imbecilliores reddit.* Si pallet & tabescit serpens, dum hominis caro carni Domioici corporis agglutinatur, in qua portio à corpore Mariano deriuata persistit: quî in totum Virginis corpus irrueret absorbendum? Quo iam capies illud Damasceni: *Quonam pacto mort absorbebis? Quonam pacto infernus excipies?* Nonnè huc esset Dominicæ cœnæ quasi frustum aliquod manducare. Certè resurrectionem carois à gentibus oon credi irridet Tertullianus ex eorum inet io funere moribus repercutiens in libr. de resurrect. carn. cap.1. *Sed vulgus irridet existimans nihil superesse post mortem. Et tamen defunctis parentant: & quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, vt quos negans sentire quidquam, etiam desiderare præsumant. At ego magis videbo tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissimè exurit, quos postmodùm gulosissimè nutrit, iisdem ignibus & promerens & offendens.* Agit de ferali cœna epulisque, qoæ superbis impeosis in defunctorum siue rogis, siue sepulchris parabantur: de quibus plena eruditio est inibi apud Cerdensem. Extat Apuleius 4. Florid. *Procul igitur faces abigerent, procul ignes amolirentur: cœnam feralem à tumulo ad mensam referrent.* Concludit Tertullianus: *Ita sæculum resurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat.* A sepulchralibus prandiis, esculentisqoe funerom apparatibus, resurrectionis veritatis vmbra quasi pallescit. Vnde Epiphanius in Anchor. *Coguntur à consuetudine confiteri mortuorum resurrectionem. Nam vbi posita sunt corpora defunctorum, accedunt & inclamant, nomina proferentes mortuorum, dicentes: Resurge tu, comede & bibe.* Qualis in corpore comedendi facultas, quod comeditur non iam à tinea, sed à vermibus? Quod putredo deuorat, quo potest saginari alimenro? Si terram manducat serpens, si absorbet mors; quid edulia, quid vina paras, vt mandenda caro, absorbendaque mandat & sorbeat? Mariæ corpus clarus resurrectionis Index est, non ferali putredioe comeditur: non feralem cœnam à parentantibus extorquet; potiùs cœnam præsagit Domioicam, corporisqne viui, quod nobis datur in escam, argumentum est & origo: vt eius parentalia præludia sint Dominici sacramenti, in qoo caro ex virgineis sanguinibus compacta in futuræ gloriæ, resurrectionisque pignus proponitur. Forsan iuxta huoc saporem corpus Mariæ: corpus Dominicum appellat Andr. Cret. homil.2. de dormit. virgio. col.5. *Te nequaquam potest habere sepulchrum: corpus enim Dominicum non detentea, quæ intereunt.* Nonnè corpus Dominicum dici consueuit, quod fidelibus in mysterio

23. Ioan. Carp.

Tertul.

Apul.

Tertul.

Epiph.

Andr. Cret.

Eucharistico datur in epulum? Cur hæc dictio Mariano corpori arrogatur? Eodem guſtu, quo ipſe Cretenſis in eadem homilia inquit: *Quæ ipſam ſapientiam ſecundùm carnem genuit, totam ſeipſam tanquam menſam myſticam, cæleſtemque parauit.* Quæ reſpiciunt ad communionem corporis Mariæ cum corpore Dominico, quod in Sacramento eſt. Senenſ. Bernardin. Senenſ. tom. 1. ſerm. 61. *Subſtantia panis tranſubſtantiatur in ſolam ſubſtantiam carnis, non in Diuinitatem, nec in animam: & vt expreſſius magnificem illam digniſſimam & beatiſſimam carnem de Virgine glorioſa deciſam, dico, quòd tanta infinitate nobilitatis eam dignificauit Altiſſimus.*

24. Hæc dicta ſint, vt noueris, quàm meritò exemptum fuerit Mariæ corpus à verminum, ſerpentiſque pabulo, ob quod potiùs ſerpens fame tabeſcit, vtpote cum ex corpore Dominico depranſo terrei homines ſpiritales euadant, ſerpentique illudant, terream illi eſcam auferentes. Nonnè ſpiritus dotes in corpore virgineo Mariæ? Expende Andr. Cret. Andream Cretenſ. homil. 2. de dormit. virginis ſic ſepulchrum alloquitur: *Sit arca tibi cuſtos theſauri. Cautè & diligenter ſanctum cuſtodiatur. Si conſeruetur quidem, manens in ipſo, eris communis poſſeſſio, qua adorabitur ab Angelis & hominibus. Si quid autem contigerit admirabile & præter opinionem, & tranſlatum fuerit id, quod eſt impollutum, eſto prædicans miraculum. Narrato tranſlationem iis, quæ ſunt poſtea conſequutura generationibus, ſupernis quidem ſpiritibus concedens ſpiritum Dei Matris, nobis autem dans inſtar vnguenti ſanctificationem corporis.* Obſeruauiſtinè diſtributionem? Si corpus tranſlatum fuit à ſepulchro reſurgens, quomodò ſepulchrum ſupernis ſpiritibus ſpiritum Dei Matris conceſſit? Præſtare nequiuit, quod non concluſerat. Ea prærogatiua huiuſce corporis eſt: ſarcinam decennauit virginitas, incorruptio ſpiritalia ei contulit elogia: dare ſpiritum tumulus dicitur, cum verum corpus dat.

25. Sed quali ſemita corpus hoc pergit in cœlum? Inſolita. Sepulchrum eſt, vbi & mortis morſus, & ſerpentis terram corrodentis ſolet ſpecus latere. Cur cauitas cæca telluris trames in cœlum fit corpori virgineo? An vt maior à ſerpente, putredinéque immunitas appareret, adhuc in eius ventre depoſitam eſcam decoquere non potuiſſe; imò quaſi ex concepto veneno euomuiſſe illicò, vt ſepulchralis vteri noua forma fieret, qui mortuam concepiſſet, pareret viuam? Profectò ſic oportuit, vt explicatius incorruptibilitas carnis panderetur, & mortis deluderetur poteſtas; quæ adhuc intra ſuum regnum non potuit ſubiugare, quod tenuit. Audi Tertullian. quid de Henoch & Elia cogitet Tertul. libr. de reſurrect. carn. *Hodie Henoch & Elias nondum reſurrectione diſpuncti, quia nec morte functi; qua tamen de orbe translati, & hoc ipſo iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria & contumelia immunitatem carnis ediſcunt.* Pondera iſta: *immunitatem carnis ediſcunt.* Tot ſæculis in incorruptionis diſciplina tanquam tyrunculi agunt, in innocuis orbis plagis, de nullo contagio infamibus, de nulla inſalubri qualitate faucijs; ſed quas melior & defæcatior lux imbuit, ſubtilior aura perflat: & tamen adhuc immunitatem carnis ediſcunt, cùm paradiſus pro regione illis ſoleat adſcribi. Nec à Tertulliani phraſi multum diſcedit Iren. Irenæus libr. 5. cap. 25. dum poſt plura de Henoch & Elia ſubdit: *Iuſtis enim hominibus, & ſpiritum habentibus præparatus eſt paradiſus: & ibi manere eos, qui tranſlati ſunt vſque ad conſummationem coauſpicantes incorruptelam.* Quæ lectio caſtigatior eſt & ſubtilior aliâ, in qua circumfertur *conſpicantes.* Meliùs: *Coauſpicantes incorruptelam*, inquit, id eſt, vaticinantes incorruptionem, & eam in ſuis corporibus aliqualib⁹ lineamentis ductantes. Quàm difficilis incorruptelæ ars, quæ tam longis exercitationibus eget, vt penitiùs inſideat! Veni ad Virginem Matrem. Non in aëris felici temperie, non in paradiſi inoffenſa regione, non in propitio alicuius vitalis ſyderis aſpectu emortuum eius corpus deponitur, non inter cedrina, ſcopuloſque ſæculorum ærugini rebelles; ſed intra terræ viſcera: & tamen nec à verme pungitur, nec à proprio puluere aſpergitur, nec fauillam relinquit ab igne; ſed abſque incorruptelæ rudimentis, abſque frequentia in immortalitatis ſchola, paruo interſtitio, floridam reſurgit. Magiſtra vitæ diſciplina non eget in morte. Velut corporis virginei proprietas, quæ abſque mora inſequitur naturam, incorruptio fuit. Cœlo non indiget, vt erudiatur de incorruptela, ſicut illi duo immortalitatis candidati; imò caro dignior cœlo quaſi innato pondere ſuper cœlorum arces tetendi. Fauet Auguſtinus tom. 9. lib. vnico de Aſſumpt. B. Auguſt. Mariæ: *Tanta ſanctificatio dignior cœlo eſt, quàm terra. Thronum Dei, thalamum Domini, domum atque tabernaculum Chriſti dignum eſt ibi eſſe, vbi ipſe eſt. Tam pretioſum enim theſaurum dignius eſt cœlo ſeruari, quàm terra. Tantam integritatem meritò incorruptibilitas, non putredinis aliqua reſolutio ſequitur.* An non immunitatem carnis ediſcit Maria, nec eius candidata eam inſequitur abeuntem: potiùs ſicut ſequuntur virgines poſt eam, ipſamet incorruptio, annuente Auguſtino, corpus eius inſequitur: quæ phraſis inſeparabilium proprietatum eſt, vt in putredine liquet, quæ enectum corpus, pugnacibuſque inter ſe qualitatibus fluxum illicò inſequuta corrodit. Ideò triduum non exceſſiſſe, ſed eo peracto reſurrexiſſe virginem communior ſententia fert; licèt eadem die, qua halauit ſpiritum, non deſint, qui putent. Forſan ea mora, vtpote quam reſurrectio Filij taxauerat; ne ocyor vitales auras reuiſeret, & à priuilegio imitationis orbaretur.

Si ob velocem hanc excuſſionem à ſepulchro, Virginis anima depoſita in cœlo perhibeatur? 26.
Audi Damaſcenum orat. 1. de dormit. Mariæ: *Non anima tua in infernum deſcendit, nec caro tua corruptionem vidit. Non corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum eſt; verum in cœlo ac regiis ſedibus tu Regina ac verè Mater & genitrix depoſita es.* Damaſc. Quid eſt *depoſita es?* Principum ſolent deponi cadauera, ne ibi diutiùs perdurent; ſed vt editis poſtea pyramidibus inſerantur, vrniſque marmoreis, vbi immota pace quieſcant. Virginis anima in cœlo deponi, cùm è corpore halatur, adſtruitur: quaſi nondum illi competens locus, ſtatioque digna cœlum eſſet, donec breui interuallo corpus reſumeret. Quid pro corpore Mariano nobilius? Non diſſimili guſtu idem de corpore erga animam meditabere. Deponi dicitur, non ſepeliri: breuis in ipſa dictione tranſlatio præſagitur. Imò tranſpoſitum illico perhibetur Græcis verbis apud Cretenſem in encomio de dormit. Virgin. μετατεθὲν καὶ ἀναληφθὲν: id eſt, *in cœleſtia tranſpoſitum, & à Deo aſſumptum.* Cret. Quæ verba ſic exponit Caniſius lib. 5. de B. Virg. cap. 5. Quibus & accinunt alia Leonis Imperatoris in

oration. de dormit. Virgin. τὸν θειότατον θρόνον εἰς τὸ θεῖον ἑαυτῆ ἀνάκτορον μετατίθησι : *Te diuinissimum thronum ad suum diuinum, & augustale templum transponit.*

27. Hæc Cretensis & Leonis verba in lucubrationem nos adigunt. Quid est à Deo assumptum Virginis corpus? An noua Incarnatio, quæ assumptionis nomine solet efferri, non iam in vtero Virginis, sed per assumptionem Virginei corporis ad diuinam hypostasim denotatur? Absit. Non ea potuit subrepere cogitatio. Quid est à Deo transponi, deponique Virginis carnem in cœlestibus? Certè in vtroque incorrupto, limpiditas, & innocentia huius sacri plasmatis ingeniosa obseruatione concluditur. Scis assumpsisse Deum limum, vt effingeret. Stylus humanæ genesis est. Gen. 3. 19. Genes. 3. *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Oleastri locum dedimus suprà. Nonnè inter Dei manus immortale plasma vigebat, nullis tunc corruptionis obuium iniurijs, potiùs ex eliquato limo quibusque sordibus excusatum? Vide, quantùm opifex suo figmento mulcetur. Assumit, Gen. 2. 15. coaptat, baiulat, ponitque, vt habes: *Et posuit eum in paradiso voluptatis.* Cur tam familiari blandimento cum suo plasmate Deus? Vt innueret, quos ipse assumeret, & deponeret, in pristina soliditate gaudere, nec mortis assectis patescere iniuriis. Iren. Eximiè Irenæus lib. 5. cap. 25. *Et Elias sicut erat in plasmatis substantia, assumptus est, assumptionem Patrum prophetans. Et nihil impedit eos corpus in translatione & assumptione eorum: per illas enim manus, per quas in initio plasmati sunt, per ipsas & translationem & assumptionem acceperunt. Assueta enim erant in Adam manus Dei coaptare & tenere & baiulare suum plasma, & ferre, & ponere, vbi ipsa vellent. Vbi ergo primus positus est homo, scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit: & posuit ibi hominem, quem plasmauit.* Quid pulchrius? En à Deo assumptum, à Deoque positum: quæ apprimè conueniunt præfixis ex Cretensi. Qui nuper puluis; qui propè limus, quà caro; statim è puluere in paradisum trāsfertur. Quid pro diuinæ manus figmento, incorruptionisque munere honoratius? Vt disceret, non quia puluis ex natura est, carnem sepulchralibus in escam vermium speluncis recondi; sed quia puluis iterum fit per peccatum. Vt nosceret è limo ad paradisum, è testa ad quietem tramitem fuisse securum; nec carnis substantiam, sed improbos actus inhonorari; vix è luto fingit Deus simulacrum suum, cùm trāsuehit in deliciarum hortum in quietis tutissimam arcem: ne corruptelam causaretur, qui ab incorruptis opificis manibus ambitiosè detornatus exiuit. Chrys. Optime Chrysostomus libr. de statuis apud Glycam p. 2. *Si noscere quæritis, quare à principio corpus nostrum finxerit Deus; paradisum ingrediamur, & ab initio hominem conditum inspiciamus. Non enim vt nunc corpus illud corruptibile & fluxum erat, sed tanquam aurea quædam statua recens è conflatorio educta, & clarè fulgens: ita omni corruptione vacabat.* E manibus Domini, velut in figlina laborantibus, peruia ad paradisum vicissitudo est. Vehit plasma suum Deus; nec è manibus deponit, quibus contrectauerat; tractat, & suo luto illitus adhæret, & agglutinatus limo suo gaudet manus prospectare à fluido bitumine liquentes. Iam inde lutum sibi auspicabatur in natura: iam inde hominis humum parabat assumere. Vt homini magis adhæreret, figulum egit: elegit ex argilla fortmare; sic molitionis suæ reliquiæ manus Conditoris aspergerent. Quid causæ tam auidæ vnionis? Quia inculpabilis erat materies illa & ab omni fuco detersa. Vbi culpa deest, Deus penitius est. Trahit innocentia, quem noxa propulsat. Bellè Philo lib. de opificio: *Cùm terra tunc recens extitisset, secreta ab aquarum mole; quod mare appellatum est, sequebatur, vt materia rerum syncera & infucata, puraque esset, ex qua quidquid conficiebatur, meritò erat inculpabile.* Philo. Si inculpabile, quid quòd manus Domini contrectarent, assumerent & deponerent? En cur Mariæ corpus assumptum à Deo, depositumque à Cretensi adstruatur. Limpidum, inoffensumque mansit; quale è manibus sapientis figuli. Venustate refertum, sordibus vacuum, statim è pulueris officina, nempe sepulchro, absque pulueris intinctione supra paradisum euehitur. Quod à Dei manibus culpa non eripuit, in earum contrectatione perseuerat innocuum.

Nec extra chorum saliet, quisquis inter manus 28. Domini construentes hominem, Mariani corporis ductata lineamenta prospectet. Scis illud Tertullianicum lib. de resurrect. carn. cap. 6. Tertull. *Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus & Sermo caro, quod & terra tunc. Et fecit hominem Deus. Id vtique, quod finxit, ad imaginem Dei fecit illud, scilicet Christi. Ita limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.* Quid in hunc cogitatum impulerit Tertullianum? Crediderim esse non rigorem similitudinis corporis Adami ad corporeas Christi lineas; sed potiùs quia Deus homo formandus erat iuxta primum illud plasmatis paradigma ex tam innoxia materia, tam defæcata argilla, nempe ex vtero virginis & sanguinibus; limus ille Christi imaginem induebat: sicut occisus dicitur agnus ab origine mundi, quia in Abel sanguine rubuit innocentiæ candor, à fratre nequam rubricatus. Apoc. 13. 8. Ergo Incarnationis œconomiæ aliquale præformatur exemplar, assumpto virgineo limo, inculpabilique materia à manu Dei. Manus enim Dei Filius Dei solet appellari, vt alibi ex S. Basilio admonuimus, & Filius Dei immersus in lutum, Deus homo parabatur. Compendio cinxit apud Philip. Solitar. lib. 5. Dioptræ cap. 3. Præpositus Monachorum Synaitarum, dum Præp. Monach. Syn. inquit: *Ob eandem rationem hominem Deum diligere, quia præformatum œconomiæ suæ animal.* Ait *œconomiæ suæ*; sic Incarnatio vocatur. Si præformatum œconomiæ animal Adam fuit, non tenues inibi in virginea humo Mariam lineatam; de qua Andr. Cretens. homil. 2. de dormit. virgin. col. 4. Andr. Cret. *Tu es res illa magna veneranda Oeconomia, quam cupiunt inspicere Angeli. Tu es diuinæ dimissionis pulchrum habitaculum. Terra, quæ est verè desiderabilis.* Nobile elogium. Si œconomia Incarnatio est, vt quid Maria hoc nimium emphatico dicendi genere res illa magna œconomiæ perhibetur: quasi res illa magna Incarnationis sit? Non dissimili gustu Ildephonsus: Ildeph. *Procido ante te solum opus Incarnationis.* Adeò cum Maria connexa fuit Incarnatio, vt meritò res Incarnationis vocetur, quippe quæ Incarnatio dici non valeat. Ergo si in Adamo limus ille non tantùm Dei opus erat, sed & pignus Christi venturi in carne: vtique & rem illam magnam Incarnationis, Mariam videlicet, præfigurabat. Caro virginis iam inde contrectabatur in vmbra, quam in eius vtero genitus Filius, qui & manus Dei, verè assumpsit: vt aptiùs

de

Tertul. de ea dicas, quod de primo plasmate Tertullianus suprà: *Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac debitum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectione, qua lineamenta ductabat* Nonnè hæc innato pondere vergunt in Mariam, in cuius vtero tacta, decepta, deducta, effictaque cato manum Dei, nempe Filium eius, passa est? Si limus

Luc 11.27. satis beatus, etsi solummodò à Deo contractus; quidni beatus venter, qui nedum tetigit, sed portauit, & absque sectione vlla indiuiduas Christi partes exhibuit? Certè sic S. Anastasius Synaita

Synait. lib. 7. in Hexam. *Sexto die factus est Adam, vt qui præfiguraret imaginem indiuidualium partium Christi.* Nonnè corporis Christi indiuiduatio à Maria fuit, quæ signatam ei contulit portionem, & sub humanæ vniuersitate naturæ singularem edidit, & indiuiduum? Ergo præstruebatur Virgineæ Mariæ figura in limpido, limo manus Dei illinente. Ideò è vestigio in paradisū plasma transfertur, tanquam à mortis imagine; quippe & Christus iam morti affixus paradisum sibi vicinum spopondit; & Maria è mortis artio in cœlestibus est deposita. Hæccinè caro non resurgeret illicò

Tertul. totiens Dei? *Absit, absit, vt Deus manuum suarum operam, ingenij sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ heredem, religionis suæ sacerdotem, testimonij sui militem, Christi sui sororem,* imò Matrem, *in æternum destituat interitum.* Quæ Tertullianica sic acri iudicio de carnis encomiis perorata nulla vacua syllabâ suopte ingenio in Marianum corpus se litant. In cuius veritatis firmamentum plura possemus aggerere sanctorum Patrum testimonia, quæ in hoc opere spargimus.

Mariæ mors dormitio dicitur, vt Fœmina ex soporato Adamo constructa, citissimè in Paradisum redeat.

SECTIO III.

28. Hæc de hominis structura, in qua Christi specimina præludebāt, & Virginis Matris elementa virginea præstruebantur. Non minor sedulitas, nec minùs honesta commendatio in molitione fœminea, cui & nobilius solum pro cunabulis, salubrius cœlum pro temperie, paradisus scilicet, cōtigit: vt ipsa formatio, celeris resurrectionis post mortem pignus esset, & sponsio. Attende. E mortis effigie construitur fœmina, Dubi-

Gen. 2. 21. tas? Ex osse, & somno. *Immisit Dominus soporem in Adam, & tulit vnam de costis eius.* Somnus, mortis

Tertull. Maro. Seneca. imago est: parua mortis mysteria dixere Græci: speculum mortis Tertullianus: lethi consanguineum Maro: fratrem duræ mortis Seneca in Herc. furent. Hebræi sexagesimam mortis partem dicūt

Plutarch. soporem. Causā mortis, & somni copularunt Philosophi: adi Plutarchum lib. 5. de Placit. c. 24. Mors & soporatus eadem facie est. Somni vi elisus, & à

Tertul. luce raptus, & à sensibus, otiisque intercalaribus sepelitur. Benè Tertullianus in libr. de anima cap. 43. *Proponit tibi corpus amica vi soporis elisum, blanda quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam iacuit, & quale post vitam iacebit: vt testamentum plastica, & sepultura expectans animam; nondum conlatam, & quasi iam ereptam.* Expende illud: *Testationem plasticæ, & sepulturæ.* Testatur somnus hominis plasma è puluere fuisse, in puluerem decessurum. Vitæ intermiscetur, vt ortus & mortis refricet memoriam. Ergo si fœmina fit è soporato Adam; à viuente, spirantéque mortis imagine traxit exordium. Et si contingas ædificatam ex osse; quale viuacius in ipso plasmate speculum sepulturæ? Cur sic agit cum fœmina Deus, sic fœminam agens? Certè sopor ille, vt ex Augustino & Bernardo alibi confirmauimus, ecstasis fuit, & raptus Primigenij in cœlestis curiæ admissi secreta. En imago mortis, cadauerisque paradigma, & cum paradiso, & cum cœlo coniungitur, & Mater viuentium ab his exemplaribus efformatur. Quæ causa tam mirabilis molitionis? Vt diceret homo, quòd si in innocentiæ sorte persisteret, non à mortis spiculo prægustaretur, sed quasi per placidum soporem mortisque speculum, in cœlestia oblectamenta transiret raptus, & illectus. Id in fœminæ ædificio operæpretium fuit adumbrare, vt grauiùs homo doleret extra paradisum, ob fœminæ illicem, corruptioni deditum iacuisse: cùm etiam in imagine mortis, immortalitatis munere, & paradiso lætabatur, menteque eleuata, vt cœlestis initiabatur accola, dum fœmina fingebatur ex osse. Quorsum hæc? Vt noueris in muliere Eua, soporis illius, constructionisque digniùs saporem inualuisse: cuius mors, etsi vera fuit, verè tamen imago mortis censetur, cui illicò immortalitas, paradisus, aulaque cœlestis, absque vllius corruptelæ fastidio refulsit. Cui cogitatui fauet plurimum, Patres mortem Virginis sub *dormitionis* voce extulisse, vt liquet ex orationibus Germani, Andreæ Cretensis, Damasceni, Leonis Imperatoris, & aliorum. Quid in hoc vocabulum concitauit? Censeo, quoniam simulacrum mortis ocyssima resurrectione in pristini soporis Adami recapitulationem, ex quo fœmina pullulauit, cum paradiso coniunxit; eaque celeritate, incorruptionis stola vestita emicuit, vt nec ossis, costæque nuditatem sufferret: sed illicò circumamicta, & variegata ad Filij latus adstiterit in cœlestibus, vt noua Eua vitæ mater eluceat. Hic gustus est in trito Athanasij loco: *Eaque nunc vt Regina assistens à dextris Filij vbique regnantis, quasi in vestitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis circumamicta, & variegata, non quidem secundum spiritualem simplicitatem, aut quasi sine corpore, & carne assistat; sed quod induta sit (quantum spectat ad sanctissimam eius carnem) incorruptibilitate, & immortalitate. Proinde ista noua Eua mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium.*

[Right margin: August. Bernard. — Germ. Andr. Cret. Damasc. Leo. Imper. — Athan.]

Absistant ergò, quotquot liuido dente, morteque ipsa procaciores hæretici corpus Virginis, cui putredo pro reuerētia sui non detraxit, corrodere gestiunt; nec carnis assumptionem fateri amant, dormitionisque voci blandiuntur, assumptionis, dictioni reluctantes. Imò quia dormitio dicitur, imago mortis innuitur, vitæque in noua Eua incolumis restauratio. Ergonè non est mortua puella, sed dormit? Mortua quidem est, sed quasi ex cōducto, sicut cum somno agit; à quo recidiuus illicò surgit, qui, vt recreet artus, cadentiaque membra per placidam quietem instauret, se mutuo dat 29.

 sopori:

sopori: potiùs se commodat, vt paruo interstitio actione commodati agat, pignusque resumat. Ea fuit celeritas resurgendi in Virgine, vt, ne mora eundi, redeundique absumpta putetur in anima, *dormitio* mors nuncuperur, in qua anima non cum carne sternitur, non cadit etiam in imaginem mortis, ne resurgere cogitetur. Acutè Tertull. lib. de resurrect. carn. cap. 18. *Arctiùs dicam: Ne in somnum quidem cadit anima cum corpore, ne tum quidem sternitur cum carne. Etenim agitatur in somnis, & iactitatur: quiesceret autem si iaceret, & iaceret, si caderet. Ita nec in veritatem mortis cadit, quæ nec in imaginem eius ruit.*
Tertull.

30. O quale spectaculum! Primordia Genesis adhuc feruent. Struitur è costa parens vitæ; & tamen sopor incutitur in molitionis materiam: viuida mortis pictura elisum corpus est Primigenij. Demirare artificis studium, vt fœminam ex somno decornaret. Vix è manibus limosus euadit homo, cū dormit. Nec audis fantem, nec edentem, priusquam sopore correptum. Vtquid in vestibulo vitæ iam piger sternitur! Non artus fessi quietem carpere expetebant; non crapula cerebrum excussis vaporibus densauerat; & tamen dormit. Voluit opifex ab imagine mortis, vitæ rationalis numerum recensere: & quæ mater viuentium parabatur, iam inde in vitæ cunabulis addisceret per mortis lineamenta ad vitam rediuiuo vestigio remeare. Sic ipse soporem immisit in Adam: sic ex osse fœminam compegit. Libet subdere Tertullian. lib. de anima c. 48. *Ille fons generis Adam ante ebibit soporē quam sitiit quietem: ante dormiit, quam laborauit; imò quam & edit, imò quam & profatus est: vt videant naturalem indicem somnum omnibus naturalibus principaliorem. Inde deducimur etiam imaginem mortis iam tunc eum recensere.* Ergonè mors in vitæ visceribus; in viuaciore officina instrumenta feralia? Imò imago mortis; ne mansio in lethali puluere homini à primordio parari crederetur; sed potiùs per mortis in imagine victoriam, immortalitatis prærogatiua. Disciplinam stolida fœmina oblita est, quam è latere ebiberat. Secessit è latere incorruptionis magistro, & lenoni serpenti se in corruptelæ prostituit famulatum. Qualis reparatio? Quòd noua fœmina à noui viri latere non discedens, è mortis vmbris vitales splendores educat: dormire putetur, dum moritur, breuique noctis interuallo sopita matutinis lucibus renouetur. Nonnè vidisti iuxta crucem quasi è latere Filij dormientis, rediuiuæ sortis, incorruptionisque perpetuæ doctrinam ebibere? Iam inde Ecclesia semper viuens formabatur. Pergit Tertullianus: *Somnus Adam mors erat Christi dormituri in mortem, vt de iniuria perinde lateris eius vera Mater viuentium figuraretur Ecclesia.* Mentem concitat, cur triginta trium annorum curriculū expectauerit Deus homo, vt conderet Ecclesiam. Vix moritur, & iam ex iniuria lateris conflat. Forsan sic à vitæ periculis communiuit; quasi timens non æternandam, si non oriretur à morte. Construxit hominem Deus, sed viuus: mori nescit, qui vitam facit. Interiit homo mortis immemor, in ipsoque mortis casu obliuiosus. Inuerso ingenio reparat Deus. Solùm ex imagine mortis condiderat hominem ex puluere, fœminam ex osse, & somno. Iam ex veritate mortis instaurat: moritur, vt mortuos recreet, quòd creauerat viuens: vt edoceat è morte immortalem Ecclesiam pullulare. Athanasius Synaita libr. 9. in Hexam. *Immisit Deus ecstasim in Adam, & sopiit: & accepit vnam ex costis eius. Per hoc discimus, quòd in Christi morte exorta est, & in lucem processit Ecclesia, quæ quidem est costa. Quamobrem Christus quoque post mortem punctus in vno latere tanquam ex scaturigine emisit sanguinem & aquam, hoc est, mysterium & regenerationem Ecclesiæ.* Obserua illud: *In Christi morte exorta est* & illud: *Post mortem punctus.* Viuus considerat, & funditus cecidit homo, desolatum perflauere zephyri. Mortuus restituit; & perennat, qui à viuo Deo plasmatus ad ficus illecebram occubuit. En pristinus somnus, cùm imago tantùm, & ludus depictæ mortis fuisset, in veram mortem per delictum commeauit, origoque interitus fuit, ex se educens fœminam, quæ lethalibus hominem addixit imperiis.
Idem.
Ioan 19.34.
Tertul.
Synait.

Succedit in nouo Adamo, Euaque noua vera mors: & tamen vmbratilis mortis imago videtur, dormitioque vocatur, cui tam cita immortalitatis lux affulsit, vmbrasque mortis radiorum dominio propulsauit. Ergo ex dormitione Eua constructa, de somno, qui placida, viuensque mortis imago est, in veram mortem deuenit; soporem transtulit in lethum: ideò de paradiso exulauit. Maria veram mortem suauis dormitionis decorauit effigie, quasi supplicium traheret in requiem, mortem traduceret in somnum, vt se per dormitionem in paradisum transferret, vbi prima somni quies auspicata est in Primigenio, auspiciumque fuit cœlestis stationis, vbi per ecstasim, iuxta multorum placitum, atreptus stetit. Sit huic cogitatui lux Damascen. de dormitione Deiparæ apud Metaph. *Olim quidem Dominus Deus eos, qui fuerunt principes humani generis, & se impleuerunt mero inobedientiæ, & magnitudine transgressionis cordis clauserunt oculum, & peccati crapula grauatos habuere mentis oculos, & somno in mortem fuerunt sopiti, exterminauit è paradiso Edem. Nunc autem hanc, quæ omnis vitij repulit insultus, & produxit germen Dei Patris obedientiæ, & vniuerso generi fuit vitæ principium, non suscipiet paradisus, non cœlum gaudens portas aperiet? Maximè.* Quod post somnium dixit Adamus; expendens Apostolus inquit, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Pro Sacramento Græcè est μυστήριον *mysterium*, quod vocem Sacramenti non deturbat, sed explicat: Mariæ dormitio & mors mysterium dicitur ab Andrea Cret. Ex quo non intortè colliges mysterium fuisse mortalem Mariæ soporem, vt iuxta pristinam dormitionem Adami iam cum paradiso mors coniungatur, nullumque post Christi & Mariæ mortem metum incutiat, ac si placidus vnius diei somnus. Audi Cretensem homil. 2. de dormitione Virginis colloc. 3. *Cuius opus est etiam, quod nunc peragitur, Virginis mysterium. Est enim mysterium, etiamsi circa nostrum finem consideratur. Quid quod contemptui mors est habita, tanquam Dei somnium? Abiit metus, non ampliùs terrens eos, qui sunt in Christo infantes. Sed nunquid nisi mortuum fuisset Dei receptaculum, non dissoluta fuisset corruptio, quæ seminata fuerat inobedientia? Dissoluta certè fuit, Christo priùs mortuo.*
31.
Dam.
Ad Ephes. 5.32.
Andr.Cret.

Stoici sapientum animas sub Luna collocabant. 32.
Liquet apud Lucanum.
Lucan.

Quoque patet terras inter, Lunæque meatus,
Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitâ patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animum collegit in orbes.

De

Lactant. Tull. De qoo & Lactantius disserit lib. 2. cap. 13. & Tullius 1. Tuscul. & 4. Academ. Quæ delitij causa huic situi viuentes animas deuinxit, cùm potiùs Lunæ dormitio, vt ex Endymionis coustat fabula, deputetur, somnusque per noctem, vbi Luna principatur, obrepat? An quia in imagine mortis, non in morte suos defunctos Stoici statuere curabant? Certè Tullius 1. Tuscul. ad hanc imaginem fabulam illam reduxit. Idem. *Endymiom verò, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmio obdormiuit, qui est mons Cariæ. Nondum (opinor) experrectus. Num igitur eum curare censes, cùm Luna laboret, à qua consopitus putatur, vt eum dormientem oscularetur? Quid curet autem, qui nec sentit quidem? Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. Et dubitas, quin sensus in morte nullus sit; cùm in eius simulacro videas esse nullum sensum?* Ergo dormientes testes suæ immortalitatis adhibet Stoicus, qui sub Luna subsidere defunctos impellit. Id leporis sentio in Tertulliano lib. de anima cap. 55. Tertull. *Sed in æthere dormitio nostra cum pueris Platonis: aut in aëre cum Ario: aut circa Lunam cum Endymionibus Stoicorum*; id est, cum dormientibus. Dormit sub Luna apud Stoicum animus, vt mortis simul & immortalitatis agat simulacrum, & per somni fugacis lineas se ad matutinam vsuram vitæ reducat. Si illic corpora isti Philosophi reponerent, non sic animum læsissent, & resurrectionis documenta præstruerent. Si forsan primæ dormitionis aliquam disciplinam traxêre, in qua ex latere viri fœmineum ædificium emersit? Lunam quidem ex latere Solis paulisper editam somniarunt aliqui: quod ad constructionem fœminæ ex viro aduocat Rupertus lib. 2. de Trinit. Rupert. cap. 10. *Aliis è contra asserentibus, quòd vtrumque vt simul fecit, ita & in coitu posuerit, vt paulatim Luna de sub latere Solis emergeret cum incremento mutuati luminis.* Quid quod dormitio Endymionis sub Luna adscribatur? Quid quòd somnus virgâ sub nocte, cui Luna præest, defessa corpora percutiat, si ea latere Solis, quasi ea soporato Adamo decerpta concinitur? Imò quia in vicissitudinibus Lunæ resurrectio corporum comprobatur, non malè ex dormitionis symbolo fabricatur, quasi ex mortis simulacro, quæ velocis, reperitæque resurrectionis emblema est. Irreligio esset auream eloquij venam S. Zenonis Zen. comprimere serm. 2. de Paschate: *Luna quoque, quæ verè rationis humanæ omnia in se delineamenta depingit, nata sanguineæ teneritudinis, dubio cornu primò quasi de cunis apparet, paulatimque crescendo iam puella, iam virgo, pro quotidiana ætatis incremento progrediens, lascivi cursus ambagibus carpit pensa mundana. At vbi matura aureo igne flagrantis lucifluì auriga par laboribus fratris angustis circulis argenteum compleuerit globum, paulatim deuergit in senium, donec vltima senectute consumpta, suâ morte reuiuiscens, menstrualis ignis solemni germine accenso sumat rursus de fine principium.* Ad specimen resurrectionis Lunam aduocant S. Cyrillus catech. 18. Theophilus Antiochen. lib. 1. ad Antolyc. Cyril. Theoph.

33. Dedi plena verba Zenonis, vt in lunari speculo: rediuiuæ Mariæ splendentem prospectes effigiem, quæ postquam argenteum compleuit globum, declinauit in senium, suâque morte reuiuiscens, sumpsit rursus de fine principium. Ideò eius decessus dormitio dicitur, ne aliquid deficiat emblemati. An ex latere, siue visi dormientis, vt Eua; siue Solis, vt Luna, emersit cum incremento mutuati luminis? Imò ea Luna virginea, quæ semper plena absque deliquio lucis splenduit, Sol ipse matutinum ortum capessiuit. S. Anastasius Synaita lib. 4. Synait. *Ex secunda Eua Christus tanquam ex quapiam Luna plena Maria, quæ nunquam imminuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine.* En egressus dissimilis, sed admodùm concinna positio: sicut enim ex primo viro fœmina; sic ea noua fœmina vir euasit: quæ non quotidianæ lucis portione flagrabat, sed impleto semper circulo iugiter ardebat, & post plenitudinem, virtutum incrementa ferebat. Ideò & illi mors pro dormitione censetur: nec menstruis tarditatibus, vt impleretur, indiguit. Adeò etiam in morte ad lucem concita remeauit, non sensim, & per frusta, lucentia cornua explicans, vt posset nunquam decreuisse censeri. Hinc vix pulchra vt Luna pro elogij dicitur claritate, Cant. 6. 9. cùm statim electa vt Sol perhibetur. Vtquid à Lunæ attributo ad Solis similitudinem gradus succedit? Ne vlla vicissitudinis obumbratio, qualis in Luna in Virgine deputetur, Bernardus in de- Bernard. precat. ad B. Mariam: *Tu ergo pulchra es vt Luna, imò & pulchrior Lunâ, quia tota pulchra es, & macula non est in te, nec vicissitudinis obumbratio.* Quare Mariæ mors potiùs Solis inter flagrantis lucis officia eclyptico deliquio comparatur: qui, dum pati videtur, ægréque ab interposito vmbraculo laborare, nobis tantùm deperit; sibi constans est, & ob reputatam lucis cladem igne feruentiori, liberioreque imperio, vibratis flammis conuexa ferit. Id æsibi datus dedit Damascenus de dormit. Mariæ orat. 1. Vide totum locum suprà Academ. 4. num. 18. vbi concludit: Damasc. *Ad eum modum tu quoque fons perennis veri luminis, atque inexhaustus ipsiusmet vitæ thesaurus, etiamsi ad breue aliquod temporis spatium corporeo modo morte obtegeris: tamen immensi luminis, & immortalis vitæ, ac veræ beatitudinis puros, & inexhaustos latices, gratiæ flumina nobis fundis.* Ipsimet Soli comparatur in morte; quæ Solis baiola in vita præcesserat, vt feruentioris vitæ scaturigine perfundi sciatur in ipsismet vitæ casibus.

34. Si ab imagine mortis remeauit ad Filium, & in eum transfusa lucidissimo amplexu ad perpetuas æternitates incanduit; quid quòd Soli comparetur? Non à Primigenia discedas. Vix ex Adami dormitione euasit, cùm è vestigio Deus *adduxit eam ad Adam.* Gen. 2. 22. An vt iterum agglutinaret in latus? Imò vt solidiori vitâ frueretur; nec sicut portio à corpore amputata putreret, & à viuentium numero arceretur. Rupertus lib. 2. de Trin. cap. 34. in fine: Rupert. *Item & mulier, si virum reliquerit, iam apud Deum in numero non erit: quia non corpus integrum, vel tota caro, sed pars esse conuincitur ex lege conditionis, quid de viro sumpta probatur.* Ob piaculum pulueri mandatur Adamus, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. 3. 16. Ergonè mulier non puluis, quæ funesto flagitio causam dedit? Obserua diligenter iudicis industriam: plectit priùs fœminam inquiens: *Sub viri potestate eris.* Legunt Septuaginta: ἡ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου. Septuag. *Et ad virum tuum conuersio tua.* Si fœmina conuertitur ad virum, imò ob carnis nexum, & vnitatem, in virum; & vir in puluerem conuertitur: ad puluerem mulier damnatur; pronâ quidem, & arctâ consequutione, vt quæ ad virum se conuertit, sceleratum fructum

pro

propinans, & in eius viscera venena mortis incussit; dum post ad virum conuerteretur, reuerteretur in puluerem. Impranso ficu moritur Maria, & ad virum eius, qui Filius est, conuersio eius fit. In eum immersa, quidni conuersa putetur, & ex dormitione in nouum Adamum adducta: quippe, cùm dedit dilectæ suæ somnum, Ps.126.3. Filij merces fructus ventris fuit? Ergo in Maria reuersio in puluerem, ad pristinam vteri gloriam reuersio fuit, vt à viro circumdata absorberetur in cœlestibus, quæ sub cœlo circumdedit virum.

35. Suprà notabamus, in ea sententia. *Puluis es, & Gen.3.19. in puluerem reuerteris*, non leuem complicari nodum: obsistit enim conuersionis natura, vt ex eodem in idem fiat transmutatio. Præcedens forma corrumpenda est, vt noua eueniat. Ex contrariis gignimur: priuatio formæ generandæ principium eius est, dum gignitur. Moralis disciplinæ solutio fit *Puluis es*: si te cognoscas, reuerteris in te: nihil aliud est se cognoscere, quam in se conuerti; sicut ad obiecta conuertuntur potentiæ cùm elicitis actibus attingunt. Ergo docet supplicium, si te noueris, æternaberis, & ab ipsomet puluere rediuiua seges assurges. Reuertaris in te: tibi oculos fige, & non minus, quàm æternæ generationis lucraberis simulacrum. Æternus Pater noscit seipsum (O quanta philosophia!) nec tantillum ab irrequieta sui cognitione desistit. Quid inde? Ideò Verbum gignit, Deus Deum. Rescribe exemplum. *Puluis es.* Vis medelam, leuamen cupis inhonoræ sortis; reuertere in puluerem: te cognosce; sic viues, teque tui hæredem simul & Bernard. prolem nanciseris. Bernardus 1. de consideratione ad Eugenium. *A te incipiat tua consideratio, non solùm autem; sed in te finiatur. Tu primus tibi, tu vltimus. Sume exemplum de summo omnium Patre Verbum suum & emittente, & retinente. Verbum tuum consideratio tua; quæ, si procedit, non recedat: sic progrediatur, vt non egrediatur, si exeat vt non deserat.* Fige in pectore verba hæc plena virium succi, spiritus, & venustatis. Ergo, mellite Pater, multum audes. Generationem æternam resculpam, dum in puluerem meum cognitione mei reuertar puluis? Certè quidem. Si circulum ambiam: si à me egrediar, regrediar ad me: si in propria cognitione persistam, repetitis partubus memetipsum æternitatis candidatum reproducam.

36. An huius beati circuli aliqua in Mariæ morte vmbra est? Quomodò quæ puluis non est, in puluerem reuerteretur? Certè vsque ad sacrum Trinitatis concessum euectum fuisse Patres suprà dati præconantur; cui Filius obuiam exit, vt deDam. cantat Damianus sermon. 40. de Assumption. Virginis colloc. 1. Vtquid signatè Filius? Vt corpus sacrum, quod ab vtero quondam beatam dicebatur, quasi ad vterum oculos reuerteret; & dum in animo esset impressa Deitas, in vtero Incarnationis vestigia persisterent, non opus haberet, egredi à se Maria, sed in se reuersa totius beatitudinis experiretur commercium. Sic de vteArnol. ro Virgineo agens Arnoldus Abbas tractat. de laudibus Virginis colloc. 1. inquit: *In huius beatitudinis commercio vnita sunt diuinis humana, terrenis cœlestia.* Nobilis ausus. Si gloria beatitudo, quæ in cœlestibus repromittitur, tota merces est; & commercium, à mercium nundinatione, commutationéque dicitur: quid est, quòd vterus commercium beatitudinis adstruatur: quasi emporium sit, in quo totius gloriæ merces dispensentur, vt non extrà quærere indigeat, quæ, cùm ad se reuertitur, tali beatitudine fruatur? Appositè. Vnita sunt enim, vt infert Arnoldus, diuinis humana, terrenis cœlestia: quare corpus cum animæ comitatu geminatâ mercede duplicique stolâ perfruitur. Benè commercium dicitur beatitudinis vterus, ob cuius fœcunditatem duplex Matri contigit merces, animi nempe, & carnis. Ergo Mariam beati, quasi ad vterum se reuertere est, à quo beatitudinis illi fons erupit. Amat hunc sensum difficilis Damiani locus suprà expensus orat. 1. de dormit. Mariæ: *Nec enim mors tibi beatitudinem attulit, nec migratio perfectionem conciliauit: nec rursus hoc tibi affert è vita discessus, vt iam periculi nihil extimescas. Omnium etenim bonorum initium, & medium, & finis; securitas item, ac vera confirmatio, in illa seminis experte conceptione, in illa diuina inhabitatione, in illo denique à labe omni remoto partu posita fuit: ac proinde verè abs te non à morte; sed ab ipsa conceptione dictum est fore, vt te generationes omnes beatam dicerent. Quocircà non te mors beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti, vt quæ eius mœstitiam sustuleris, ac mortem gaudium esse plenum feceris.* Damian.

Maria corpore in cœlum ascendente, Domus & Thronus Filij Dei ascendit.

Sectio IV.

Cur in sepulchro tabescat Mariæ caro, quæ locus Dei hominis extiterat, illique spatiosam inter angustias vteri Regiam ministrauerat? Imò opus fuit non vermium flagella nouisse, non pulueris tenuisse situm; sed quæ Dei situs fuerat, in cœlum euehi, vt loci aliqualem illi præberet famulatum. Venustam cieamus quæstionem: Si Maria corpore & animo constans in cœlestibus Christi locus & thronus sit? Et quidem aureo stimulo in hoc stadium nos pungit Ecclesiæ in celebranda Virginis beatitudine delectus. Assumptionis festum venerabili cultu nobilitans canit: *Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam excepit illum in domum suam.* Luc.10.38. Castelli, & ingressus dictiones mutantur. In cœleste castellum confertissimisætherei apparatus copiis intrat redimita Regina vehementem Solis orbem Mulier ingreditur intuenda: & tamen Iesus in mulieris castellum, & domum intrare perhibetur. Ergonè idem fuit ascendere Mariam, ac ascendere domum, locumque homini Deo; quasi absque loco esset Iesus in cœlestibus, donec thronus eius Virgo Mater introiret in cœlum? Equidem nimiùm adstipulatur Guerricus ser. 4. de Assumptione. *Sit igitur illud cœli palatium ple-* Guerr. *num sedibus & thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se, & aptans cuique pro meritis. Non immeritò tamen creditur sine iniuria, vel inuidia cæterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum & eleuatum super gloriam omnium; Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur super se Mater, nisi Filium suum.* 37.

Prima mulier ædificium fuit mariti: scis illud: 38. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de*

de Adam mulierem. Curnè *ædificauisse* profertur? An vt locus esset viri, situsque domesticus, in quo familiam, domumque sibi adsciscaret? Sanè is in Scripturis stylus est, vt liquet in obstetrici- Exod. 1. v. 21. bus Ægyptiis, Exod. 1. versicul. 21. *Ædificauit eis domos.* Nulla potuit arctior exprimi vnio inter virum & coniugem. Locus est vltima superficies corporis ambientis, quæ ita corpori assuitur, vt penitiùs ei penetrata, & addicta, eidem correspondeat spatio strictique amplexus ope vna vtriusque superficies putetur. Ergo ædificatur mulier, vt ex loci qualitate vir in vxorem transiisse putetur. Cur enim euigilans sic prorupit: *Hoc nunc os de ossibus meis?* Ac si diceret? Eo philtro vincior eo nodo ligo, vt ab ædificio vndequaque mordicùs ambiar, & in illius portionem traducar. Gilbertus in Allegoric. Tilman. Gilbert. *Virilis costa in infirmiorem mollescit sinum: & propter socialem copulam de latere viri formata est mulier. Imò in sociam mulierem Adam ipse conuertitur, & conformatione quadam transit in coniugem. Ideò dum euigilat, charitatis vocem primam emittit, in compari sua se ipsam agnoscens: Hoc nunc est os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Annè locus protensior lacato est? Neutiquam si rigori philosophico indulgeas: nec excedit, nec exceditur, vt vtraque superficies contiguâ æqualitate polleat. Quomodò procerum fœminæ ædificium ex osse paruo? Annè aliunde membrorum, neruorumque contignationes elaboratæ, vt compingeretur opus? Imò ex costa totum ædificium fuit, vt tota fœmina ex viro, cui sub Domini manu portio incrementa capessiit? Solers ars fuit ne ab ædificio discederet vir, non exteris illud compaginari elementis. Hugo Victorin. Hugo Vict. *Si perficiendam corpus mulieris de costa illa Deus extrinsecùs augmentum sumpsit: cùm illud, quod addebatur, maius, quàm ipsa costa, fuerit; potius de illo mulierem factam Scriptura debuit dicere, vnde plures partes substantia sua acceperit. Restat igitur, vt dicamus costam illam in semetipsam multiplicatam, & ex ea mulierem formatam, nullo additamento extrinsecùs sumpto.* En quidquid coniux est, viri est ædificium habitanti commensuratum: quidquid altus est, domus non est mariti, quia mulier non est. Ossea domus quàm citò carneâ concussione ruit! Cœpit ambulare, & ab incola sui discedere: quid quod laberetur? Domus, quæ turbine tremefacta quasi mouetur gressibus, citò Marc. c. 8. decumbit. Arbores ambulantes vidit ille Euangelicus cæcus. Quàm illicò nutatur absque supplemento radicis, & lubrico consternetur vestigio?

39. Nouus homo nouam sibi ædificauit domum,
Prou. 9. 1. excidit columnas septem? Mariam struxit, quæ super dilectum innixa nunquam cadit, quantumuis surgat Aquilo, & verbere valido annosas quercus concutiat. Non tenerescit auræ blandientis deliciis, non adulationibus venti mollescit: quasi Marpesia cautes stat. Si incedit, non discedit ab inquilino suo: ideò tuta graditur: ab incola, quem gestat, in omnem casum munitur. Ab ipso ædificationis momento in se locauit artificem, nec postquàm admisit, dimisit; nec alterum incolam passa est. Damascenus oratione 1. Damasc. de Natiuitate Virginis. *Quonam modo grauissimum tuum incessum exprimam? Honestus vestitus mollitiem omnem, ac laxum fugiens. Gressus grauis, ac sedatus ab omni mollitie remotus. Ita comparata eras, vt ad te nullius viri accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusitato Angeli alloquio incidisti. Denique, quid aliud, quam Dei domicilium?* En domicilij noua indoles. Solidatur erigens, & inconcussum; & tamen ambulat, & incedit. Ideò Dei domicilium perhibetur quippe cùm Deus per immensitatem vbique sit, non potuit aptiùs domicilij cum incola suo nexus depromi, quam si Deus eius inquilinus diceretur, quasi quocumque eas, si semel Deum (cuius immensitas eum ab ambientis loci cancellis reddit immunem) sub domicilio mediteris; debeas in claustro Virginis offendere. Non sic Eua ædificium fuit mariti: euacuauit viro domum, cùm discessit à viro impleuit alienigena, cum dæmoni per aurium ostia præstitit accessum: ruit domus, quia incedere ausa fuit Maria, velut si totius orbis spatiosos, localesque sinus latior, & profundior excedat, non à se egreditur, cùm se mouet: nec se mouet incolam, cùm graditur. Hùc compello Thaumaturgum sermone 3. de Annuntiatione. *Aue, quæ in tuo vtero Matris* Thaum. *Euæ mortem demersisti. Aue animatum Dei templum. Aue cœli, & terræ æquiualens Dei domicilium. Aue naturæ illius incomprehensibilis capacissimum receptaculum.* Perpende illud: *Cœli, & terræ æquiualens Dei domicilium.* Quale in hoc acumen? Quantumuis totus orbis volubilibus motibus regyretur, & irrequietis circulis tremulisque agitationibus euoluatur; nec à se discedit; nec à se excutit quidquid continet: mobiliter stat immotus, fixus in inquietudine quiescit; & qui totum se vehit, nescit se totum à loco, quem semel obtinuit, dirimere; nec quod semel continuit, à se ablegare: licèt vbique totus non sit, vbique aliquid est, quod totius est. Maria æquiualens toti orbi domicilium Dei est: tota continuit totum. Quare de ea Dionys. Alex. contra Paul. Samosat. quæstione 10. colloc. 3. *Erat enim cum eo domus* Dion. Alex. *magna Dei, manifestat mons Dei, Deipara Maria.* Curnè domus magna, quasi ob discrimen ab alia domo? Equidem Sapientia ædificauit sibi do- Prou. 9. 1. mum; non iam plasmati suo, qualem ædificauerat mulierem primigenio; sed sibi, vt pristini ædificij puluerem stragem solidiore molimine leuaret. Domus hæc corpus fuit Filij Dei, vt ex communi Patrum sensu computabatur. Quòd si in vtero Virginis ædificata fuit, & ex vtero: priùs Virginis domum incolere opus fuit ei intra cuius receptaculum, si inquilinus opifex domum nouam struxit, mole maiorem, sinuosisque spatiis protensiorem indicauit esse Virginis domum, quæ alterum sub se ambiebat ædificium. Ildephonsus sermone 4. de Assumptione. *Bona siquidem do-* Ildeph. *mus in quam tota simul Diuinitas illabitur Verbi, in qua Sapientia Dei Patris septem sibi columnas erexit, super quam omnis innititur domus, & fabricatur Ecclesia.* Ergonè domus magna Maria est, etiam respectu domus quam sibi Sapientia molita est? Si in ea inhabitauit & domus & artifex; quid reluctaberis? Bernardus in deprecatione ad Virginem Mariam: *Verè beneplacitum fuit Deo habitare* Bernard. *in te, quando ex ipsa illibata carnis tuæ substantia, quasi de lignis Libani architecturâ ineffabili, domum sibi ædificauit Dei Sapientia: suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocauit. Hi sunt septem Spiritus Dei, & hæc est vnica illa Saluatoris fœmina, in qua sola quæsitam in omnibus requiem inuenit, atque in eius sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit.* Non te lacessit illud: *Et hæc est vnica illa Saluatoris*

fœmi-

fœmina? Ad quid refertur, *Et hæc est?* Impunè
putares ad domum, cuius laquearia, argenteasque
columnas describebat. Imò inopino gradu
sese ad fœminam conduxit, quasi cum ea non
ageret numerum, nec amaret discrimen domus
ex eius fabrefacta visceribus. Potiùs ea fuit eius
insolita conditio, & altitudo, vt domus, quæ
habitaculum solet esse aliis, habitaret in ea.
Quòd si domus hæc, quæ incolit Virginem, non
solum in altissimis habitat; sed & virtute Altissimi
obumbrante, priùs ab alto se demittit, &
extendit in imum, quàm ab imo ædificiorum
more, se in altum subleuet: quali altitudine Maria,
quæ domus huius ædificij fuit, sublimabitur?
vt meritò ignores, quantus sit Deus, iuxta Chrysologi
disciplinam, si huius Virginis renuas altitudinem
explorare. Sapor est in Philone Epi-
Phi.Episc. scopo Carpathio in Cantico. *Rectè enim in altissimis
reuerâ domus Dauid ædificata est, quandoquidem
in sinu æterni Patris ante sæcula erat, ac fuit, estque
semper Filius Verbum. Quod tunc etiam domum
hic sibi ædificasse potest intelligi, cùm sacratissimæ,
& intemeratæ Virginis vterum sibi præparauit.*
Et breui interstitio: *Huius altitudinem si quis nosse
cupit, non modò in Deipara Maria humaniter
ædificatam contempletur, verum etiam supra cælos
in dextera Dei Patris sedentem videre deprecetur:
tunc enim eius Sapientiæ qualis, & quanta
sit altitudo, apertissimè intelliget.* Preme illud:
*Non modò in Deipara Maria humaniter ædificatam
contemplatur:* quasi nisi Deiparæ illustris subseruiat
status ad altitudinem huius domus peragrandam,
reptet adhuc deses in infimis cogitatus: nec
addiscere queat, quod cupit; quoniam non vestigat,
per quod discat.

40. Ergo Maria excelsa domus Dei hominis erat.
Peractâ redempione Christus ascendit in cœlum,
Virgine adhuc sub conuexis relictâ: domus
igitur manebat in terra, vt fidei acolas tutissimo
receptaculo locaret. Ergo Mariâ ascendente ascendit
domus, in quam proprius habitator subintret
quid quòd illicò sonet: *Intrauit Iesus, &
mulier excepit illum in domum suam?* Non abeamus
Guerr. à Guerrico: melleus, & sapiens est. sermone
2. de Assumptione: *Veni electa mea, & ponam in
te thronum meum. In te mihi quandam regni sedem
constituam, de te iudicia decernam, per te preces
audiam.* Et statim: *Nec satis glorificatus videbor
mihi, dum, & tu conglorificeris.* Equidem Filius
diuulsus à Matre, veluti ab innata sede, thronoque
disiunctus, non satis sibi glorificatus videbatur,
vtpote absque materno subsellio. Sedere
enim à dextris Patris ob Deitatem, quàm æternâ
generatione contraxit, asseritur: non ineptâ proportione
sedes illi Mater adstruitur ob humanitatem,
quam ab eius vtero temporali generatione
decerpit, in qua sede ad eo sibi blanditus est, vt
etiam in beatitudinis quiete eandem sibi pangere
videatur. Pergat Guerricus sermone 1. de An-
Idem. nuntiatione: *Et venientem à regali sede Patris regalis
etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet
Matris. In ipsa quippe, & ex ipsa Sapientia ædificauit
sibi domum, & in ipsa parauit sibi thronum, cùm
in ea, & ex ea corpus aptauit sibi, ita ad omnia perfectum,
& congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum,
& thronus ad iudicandum, quod primò tabernaculum
ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum.*

41. His lusimus adhuc oportet iam seueriori fronte
explorare rigorem, cur thronus, domusque
Filij etiam in cœlestibus Virgo dicatur? Scias
Christum Dominum etiam iuxta humanitatem
non esse in cœlo tanquam in loco corporeo. Dotibus
gloriæ coruscat omnes sydereos circulos,
micantesque globos penetrans, arduus supra Empyrei
laquearia immobilis cœli igneum fornicem
calcauit. Ad Ephes. 3. *Ascendit super omnes
cælos, vt adimpleret omnia.* Igitur corpus Ad Eph. 3.
Christi supra extimam, seu conuexam superficiem
Empyrei est, vltra quam non aliquod corpus
inuenitur, quod circumdare possit, & ambire.
Decebat omnium nobilissimum corpus omnia
corpora supereminere, & subtus habere declinia. D.Thom.
Doceat S.Thomas 3. part. quæstione 57. rartic. 4.
in corpote. *Inter cætera corpora gloriosa manifestum
est, quòd corpus Christi maiori refulget gloriâ:
vnde conuenientissimum est sibi, quòd sit supra omnia
corpora constitutum in alto.* Vis illi locum denegari?
Audi in respons. ad 2. *Vnde nihil probibet,* Idem.
*corpus Christi esse extra totam continentiam cælestium
corporum, & non esse in loco continente.
Nec tamen oportet, quòd extra cælum sit vacuum,
Quia non est ibi locus: nec est ibi aliqua potentia
susceptiua alicuius corporis; sed potencia illuc perueniendi
est in Christo.* Sic ille. Annè Maria in
corpore beato super conuexam cœli subsidet superficiem?
Id detrectare non esset Theologi,
cùm omnia corpora gloriosa supra supremi cœli
conuexum statuenda esse communis censio sit:
idque illustris glorificati corporis admonet nobilitas,
quæ cœlestia corpora dignitate præcellit.
Virgineum corpus inter cætera beata, quæ post
extremum iudicij diem aurea cœli laquearia sunt
ornatura, eminens obtinet fastigium: cui & super
Angelicas Hierarchias solium sicut principatus
illucet. Hinc prærimandum, an aliquo iure
erga Christum corporei loci valeat gerere munus;
Absonum esset sic sedem, aulamque Filij
Virginem præconari, vt more loci, corporeo
capiat amplexu, ambituque circumdantis superficiei
intimâ penetratione contineat. Subtilitatis
dote corpus gloriosum non saxeis, non æreis obstaculis
impeditur, quominus absque quantitatiuæ
molis decremento permeet, & penetret, spatiumque
quod moles occupat, arbitrio dominantis
vsurpet: attamen cum corpore glorioso non
præualet penetrari; non quia repugnantia maior,
quam in non glorioso; sed quoniam non decet id
penetrationis commercium inter beata corpora
frequentari. S.Thomas in 4. dist. 44. q. 2. Suarius 2. Idem.
tom. in 3. p. disp. 48. sect. 5. in fine. Ergo alia semita Suar.
ineunda est, qua Mariam corporei Filij sui thronum
aliquo sensu conficiamus.

Obserua, Christi corpus in situ cœlesti spiritales 42.
supereminere substantias ob vnionis hypostaticæ S.Thom.
dignitatem: edocet id S.Thomas 3. p. q. 57. art. 5.
Nondum implicat Caietano, quomodo inibi Caiet.
super cœli conuexum conserendi sint situs, vt
cacumen, Christi corpus obtineat. Quòd enim
Empyrei vertex rotundus sit, & sphæricus, consentiens
opinio est: in perfectè autem sphærico
nulla pars altior est alterâ respectu centri. Ille sic
explicat: Posse in sphærica superficie cogitari
quandam partem diuinitùs in maiestatis arduum
fastigium destinatam, quam designatio in Regis
solium comparibus partibus, quà digniorē, altiorē
constituat: cuius ad propinquitatem, seu distantiam
cæteri situs in nobilitatis gradibus computentur.
Id apprimè expendit Suarius in præfati Suar.
articuli commentatio, qui Caietano subsignat,

cā

eâ opinione delinitus, quòd iuxta Christi locum (quemuis ille pro arbitrio mutauerit) eminentia, seu inferioritas cæterorum situũ probetur. Ergo si orientalis (verbi causa) pars dextera sit ad Christi Regiam & situm, corpus gloriosum, quod in proxima rotundæ sphæræ decliuitate collocetur, Christi pedes quasi fulciet, & in vertice pro beato pauimento, gloriosoque stromate vestigia sacra, proxima vicinitate, sustinebit. Roga omnium Patrum calamus, qualis Virgini in corpore iam beatæ, cœlestis sedes obtingat? Vna vox aspirabit: Statim post Filium. Sat sit Bernardus

Bernard. in deprecat. ad Virginem: *Tantâ ante Deum sanctitate fœcundaris, vt sola solio Regis æterni immediatè approximare merueris.* Ad illud ergo sublime cacumen, conuexumque cœli supremum euecta

Ps.18.13. Virgo rutilat. Consule Vatem: *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* En ad summum, conuexum nempe, vt omne æthereum corpus subtùs iaceat. An illuc Virgo tetendit? Do Hieronymum sermone de Assum-

Hieron. ptione: *Hinc quoque David olim gratulabundus Christo canit: A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Ascendit ergo eandem gloriam resumpturus, licèt non amiserit, quam prius habebat. Ascendit, & praeparauit huic sanctissima, & gloriosissima Virgini locum immortalitatis, vt cum eo regnare posset in perpetuum.* Si ad summum cœli occursus eius, & ibi locus Matri paratur; in summo eius illa renidet. In summo quidem, si Virginis caput prospectes. Cæterùm, cùm superficies illa perfectè sphærica sit, nequit gemino corpori velut in planitie geminum situm æqualem exhibere. Itaque Maria quasi vestigia Domini lambit, & subtus pedes est, velut toto corpore more throni Filium sustinere gestiens, quem antea in vtero gerula portauit. En quo sensu thronus, & locus corporea Virgo corporei Filij valeat cogitari. Quò Guerrici mens iuit, dum speciale Regis solium Virginem nuncupabat, eâ innixus ratione, quam eius præferunt verba: *Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur super se Mater, nisi Filium solum.*

43. Si ingenij aciem instruas, subtilem Ecclesiæ solertiam aduertes in præfati cogitatus beneficium. Beatam Virgo sublimis beatitudinis gloriam mysticis Ecclesia celebrat officiis. Nequibat illustriùs supereminentiam prodere beatitatis, quàm si Mariam thronum Filij, domumque cœlestem apud superos esse nuntiaret. Id vndequaque probare non valuit: audisti enim ex Theologico fonte, absque continente loco Christum in aureis splendere conuexis. Sed quoniam in proximo beatitatis solio corpus Virgineum pro diuino illi pauimento est, & ex loci indole fulcrum ob declinem contiguitatem ministrat: inde allegoricis coloribus adumbrat pro castello, domoque esse Mariam super sydera; eâ tamen veritate, vt solũ secus pedes Domini sit. Eapropter præmittens de castello, & de domo Marthæ, statim conuolat ad Mariam, dum parilis cum Virgine nomenclatura ad viuidiorem similitudinem adducit, de

Luc.10.39. qua dicitur: *Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Vt de hac spirante imagine deducas, qualis sit Marianæ beatitudinis excellentia, nempe quòd secus pedes Domini collocata subsistat. Nec iam mirum, cur in vtroque statu, & pœnitentis, & perfectæ, semper ad Domini pedes Maria Magdalena decumbere gestiat. Vidisti apud epulum Pharisæi: *Stans retro secus*

Zerda, Maria effigies.

pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat. Quæ fluentem capitis Luc.7.38 comam tergendis Domini vestigiis admouit, pedes super caput sustinere cupiuit, totoque corpore iam exinde Dominum baiulare, quæ capillorum suggestum, vt in capite veheret, ad pedes Domini declinauit. Hæc Mariæ Magdalenæ altè insita propensio. Quare apud hortum sic hortulanum interpellat: *Si tu sustulisti eum, dicito* Ioan.20.15. *mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* En strenua fœmina, quam & doloris rigor molliebat, & sexus teneritudo lactabat: & tamen corpus, in quo myrrhæ & aloës quasi libras centum sepulchri curator erogauerat, se baiulaturam spon- Ibi.19.39. det. Quid illicò, dum subcoloni sagu, fiticinoque stramine cognouit Dominum è vestigio sibi familiares, cognitosque pedes contrectare studuisse: conijci datur ex Domini verbis: *Noli me* Ibi.20.17. *tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Greg Mag. Hinc Gregorius Magnus homil.25. *Iam verò ab Euangelista non subditur, quid mulier fecit; sed ex eo innuitur, quòd audiuit. In his namque verbis ostenditur, quod Maria amplecti voluit eius vestigia, quem recognouit.* Quid Gregorium impulit ad vestigia? Indoles Magdalenæ. Ibi pondus: illuc fertur, quocumque fertur; vt ferat Dominum, se sub plantis declinem amat. En emblema Mariæ Virginis in cœlestibus. Ideò gloriosi pedes fœminæ non permittuntur. Expende rationem: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Innuit solùm Mariam Matrem subter gloriosus Domini pedes proximam assidere, postquam ad Patrem ascendit: recusauit à Maria Magdalena, quæ Mater erat in nomine, contrectari, donec Mater Maria in cœlestibus obtineret.

Si cupis Virginei apud superos situs prospectare figuram, adi patibulum. Protractus in cruce 44. sub stantis specimine, discussis neruis, & deneais Ioan.19.24. Christus defungitur: stat subter crucem Mater liberalis corporis venustate, erecta, & firma, quasi pedes crucifixi sustinens, ne corporis vergente mole discissis foraminibus manus lanientur. Sedulus obseruauit Euangelista: *Stabat iuxta crucem,* &c. Stat interrita parens, etiam in Solis ægritudine, extremique iudicij apud elementa disciplinâ, & exercitatione. Quòd inter tormenta feralia stet, victoriam illi præsagit de morte. Lucidus temporum dispensator Sol occumbit: nec stetit in fulgore suo, sed libenter tenebris opacatus in suismet radiis cæspitans cecidit, vt momento tempora fluerent, Auctori temporum commorientia. Tunc stat Maria, ne cum tempore deflueret in corruptelam, quæ decidentis Adami non hæreditauit flagitium. Quòd enim iustitiæ originalis fuisset stare hominem, etiam temporibus decedentibus, nec ad eorum labilem decursum mutari, luculenter præstat Gregorius Magnus lib.25. Moralium cap.2. expendens hominis in puluerea corruptione supplicium, ad illa verba: *Donec reuertaris in terram*, fatur: Greg.Mag. *Sic primus homo conditus fuit, vt manente illo decederent tempora, nec cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tantò robustiùs, quantò semper stanti ardentiùs inhærebat. At vbi vetitum contigit, mox offenso Creatore cœpit ire cum tempore. Stata videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit. Et, dum à iuuentute ad senium, à senio traheretur ad mortem;*

transenndo didicit, stando quid fuit. Ergo quòd Maria stet in temporum, Solarisque lampadis casibus eius innocentiæ deputatur, incorruptionisque fuit auspicium, quòd in terram itura non erat; sed potiùs illam io corpore obseruabat figuram, quam subter Filium suum obtentura erat in Empyrei conuexo. Quòd enim Christi gloriosi situs in cœlo statio sit, & non sessio, Suarius 2. tom. in 3. parte disputatione 51. his verbis contestatur.

Suar. Dixerat; *Nullus Sanctorum, aut Catholicorum Doctorum ita interpretatur hoc verbum sedere de corporali sessione* (videlicet in illis,

Ps. 109. Matt. 16. *Sede à dextris meis*: & Marc. 16. *Et sedet à dextris Dei.*) Deinde subdit: *Licèt vtrumque sit in eius potestate; tamen multò probabilius videtur ipsum stare: quia sedere per se non est tam connaturale homini; sed solùm propter necessitatem, vt requiescat, & non fatigetur. At vero in cœlo nulla erit huiusmodi necessitas, cum immortalia, & gloriosa corpora laborem sentire non possint.*

45. Act. 7. Hinc Stephanus: *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* En stans apparet ad crepitantium lapidum fragosum turbinem. Cur stat directus, dimicantis ad instar, si præfatæ opinioni non arrideas sciscitari valebis. Sanè sic excessit è vita distractus in ligno, io quò supra stabat Filius, iosra Mater, radicem crucis, vt sustineret pondus sacrum, corroborans & de Deo baiulando, sicut Virgo benè nouerat, communicans disciplinam. Nondum Mater ascenderat, cùm discedentibus cœlis stantem Iesum prospexit Stephanus: nondum thronus Virgineus scanderat superastra, quid quòd stet? Adsunt Cherubici throni, fulcimenta virtutum firmâ stabilitate præfulgent: sedeat Filius Dei factus homo. Imò procrastinare videtur sessionem, donec Mater conscendat.

Mat. 19. 28. *Cùm sederit Filius hominis*, inquit, *in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos*: sic spopondit Apostolis in futuram sedem se protrahens: Matri autem: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.* Nosce discrimen, signa mysterium. Cum discipulis sedere promittit, non in discipulis. In Matre ceu in throno sedem sibi parat.

Guerr. Nescio diuelli à Guerrico sermone 1. de Assumptione: *Non poterat signantiùs, vel elegantiùs describi prærogatiua gloriæ eius, quàm vt thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tantâ plenitudine, aut familiaritate copiam sui diuina Maiestas videtur indulgere, sicut illi, in qua spiritaliter præ cæteris sedere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur: In regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes. Matri verò cuius longè differens est meritum, nihilominùs differens promittit præmium: Veni inquit electa mea, & ponam in te thronum meum.*

46. Igitur quæ subter pedes Domini pendentis in patibulo stat sublimis, subter pedes regnantis in conuexis stat gloriosa. Stetisse sub ligno, mortales casus detriumphans, delineasse fuit beatitudinis capessendæ normam. Quò euocare valebis illud obuium apud Epiphanium Virginis attributum,

Epiph. *Cruciformem* nuncupat. Ecce verba in oration. de laudibus Virgin. *Dico illam esse cœlum, thronum simul, & crucem: extendens enim sanctas vlnas, Dominum portauit, thronus Cherubicus, cruciformis, & cœlestis.* Vtquid artexit esse thronum Filij? En vocabuli causa: Thronus in Empyreo est Virgo Mater, quà supra se constitutum conspicit Filium, cui caput applicat sub pedes: quasi sustinere sollicitans. Id, quia iuxta statum sub cruce, scirè thronus cruciformis vocatur. Iniussus se iouitat Habac. 3. *Eleuatus est*

Habac. 3. *Sol, & Luna stetit in habitaculo suo.* Imò, dum Sol eleuatur, & dominante iubare verticem sui orbis coronat? Luna pallet, & quasi funestata decumbit, donec emortuo die cum suo cultu, cum Sole doteque vniuersi reaccenduntur stellarum tadij, syderumque absentiæ reducuntur, & Luna stat noctis præses. Quòd, eleuato Sole, leuata Luna stet, Vatem in prodigium addixit. Aliud maius luminare prospexit ab stationibus syderum, vicissitudineque temporali exemptum nempe Christum arduum super astra, Mariamque iuxta eius orbitam in habitaculo suo stantem, vt lumen, quod ebibit, commercio lucis dispenset ad ima. Quidni stet Luna coram Sole suo, si stat Regina à dextris eius; si stella cœli est, quoniam in cœlo stat; si stetit iuxta crucem addiscens figuram, quam in immortalitate seruanit; si etiam in communi casu stetit erecta? Reddat totum Bernardinus Senensis tomo 3 sermone 1. capite 1. articulo 1.

Senens. *Comparatur Beata Virgo stella cœli. Stella quidem à stando denominatur, quia in cœlo stat fixa. Propterea Mariam designat, eo quòd fixa stetit in cœlo suo; quia immobiliter stetit in Filio suo.* Et paruo interuallo: *Iuxta quod Habac. 3. dictum est: Eleuatus est Sol, id est, Christus in cruce: & Luna, id est, Virgo Beata, stetit in habitaculo suo.* Stat Mariæ caro in cœlestibus, vt quæ per mortem cecidit, mortem vicisse stando pronuntiet. Tertullianus libro de resurrectione carnis cap. 18.

Tertul. *Siquidem nihil resurgere spectabit, nisi quod antè succiderit. Qui ignorat carnem cadere per mortem, potest eam nec stantem nosse per vitam. Sententiam Dei natura pronuntiat: Terra es, & in terram ibis. Nulla mors non ruina membrorum est.* Si quòd stet caro, superstite vitâ; quod cadat emortuâ, resurrectionis sibi parat spem: quæ adhuc in morte suæ carnis, nempe carnei Filij, stat; resurrectionem ipso mortis penicillo depingit, & quasi anticipat, iam se resurrecturam præsagiens: cui solum non cecidisse defecit, vt resurrexisse credatur, antequàm mortua; siquidem stat erecta. Stetisse Mariam in filij morte, spes fuit resurrectionis, & pignus. Bonauentura in meditatione vitæ Christi capite 84.

Bonau. *Domina tamen stabat mente tranquilla, & pacata, quia certissimam spem habebat de resurrectione Filij.* Ergo quia Maria in cœlo stans, thronum Filij fulcire dignoscitur; ideo stat vt pertingat, sufferatque solidiùs. Vt sublimior beati agnoscatur, stare perhibetur. Cingat Damascenus orat. 1. de dormit. Mariæ:

Damasc. *Non enim vt Elias in cœlum ascendisti, non vt Paulus ad tertium vsque cœlum subuecta es: verùm vsque ad regium Filij tui thronum peruenisti, perspicuè eum, ac latè conspiciens, & cum magna, & inenarrabili quadam libertate stans.*

En quo iure aliqualis loci qualitas throni, & sedis respectu Filij apud superos Mariæ obuenire censetur: quæ & prima Dei hominis locus fuit, & Christum in cœlestibus absque loco stantem sacrâ propinquitate, aliquali loci portione cōtinet. 47.
Si forsan id suboluit Ecclesiæ, dum canit: *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti?* Non facile metrum est istud. De vtero comprehendente fusè egimus Acad. 28. illinc accerse huc plura. Christus, quà Deus, sicut cœlestibus metis protractior est; sic & virgineis vteri cancellis: quà homo, sicut potuit in gremio Matris contineri,

&

& capi; nonnè & à cœlo potuit concludi? Imò acumen est ex prælacta Sancti Thomæ doctrina. Christus in cœlo tanquam in loco continenti non est: ergo cœli capere non potuere, quem gremium Virginis cepit, & ambiuit. Iunge Virginem cum cœlo, quod gloriosa crepida carnis calcat; stadium credas: inter corpus cœleste & Marianum æmula concertatio feruet, qualenè capiat Christum? Inibi quidem neutrum: ast plurima victoria est pro Mariano. Empyreum enim subtùs, Marianum eminùs fulget: quod verè continuit sub conuexis hominem Deum, quidni suprà conuexum agat de capacitate triumphum? Et quidem super arduam illam superficiem Filij, & Matris corpora esse creduntur. Quàm amica familiaritas! Si inibi Virginis vterus splendet, qui domus, locusque olim fuerat hominis Dei, non à loci, thronique nobili stemmate debet orbari. Adsit Ildephonsus auspicatò. *In hac regione solitudo Deo tantùm, & domui: in hac mansione singularitas hospitio tantùm & hospiti: hic locus cum vno tantùm adnectente cohæret.* Quæ lubenter sese erga regionis cœlestis explicatum permittunt, licèt de vtero Virginis, quem incoluit Dominus, sint prolata. Nec diffitearis validam esse analogiam: ideò etenim thronus Filij dicitur Virgo Mater in cœlo, quia locus extitit vterus sub cœlo. Suffragetur sibi Præsul ipse sermone 3. de Assumptione: *Hodie siquidem audiuit illam vocem blandientis à sede maiestatis, quæ dicitur: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. Ad quam sanè vocem credidit, quod gaudens, & exultans soluta est beata illa anima, ac perrexit ad Dominum, vbi facta ipsa thronus, quæ fuerat in carne templum Diuinitatis.* Sic non intortè elucidabis Anselm. in Psalter. Virg.

Ildeph.

Idem.

Aue Virgo singularis,
Placens aula virginalis.
Cuius in templo Dominus,
Et in cœlo sedes eius.

Forsan sensus Anselmi est, quòd Dominus, cuius in cœlo sedes est, in Virginis vtero, ceu in templo requieuit: cecinerat enim paulò superiùs:

Aue thronus Deitatis,
In quo, Deus maiestatis
Dignatur homo fieri.

Ast quia, vt prædiximus, ab vtero ad statum in cœli suggesto valida argumentatio est: non prauè vtrumque Anselmi carmina permittunt, & quòd Maria templum Domini fuerit sub cœlo, & quòd in cœlo sit sedes eius: eo pipere, quod adhuc sparsimus, nempe ex vicinia, & iuxta Dominica vestigia statione. Hinc Damianus eam sic appellat serm. 42. de Natiuit. Virgin. col. 6. *Thronus Dei, solium Diuinitatis, palatium Regis æterni.* Augustinus apud Bernard. Senens. tom. 2. serm. 51. artic. 3. c. 3. *Maria est flos, & ianua paradisi, gloria generis humani, thronus, & camera Regis æterni.*

Dam.

August.

48. Mariam sedere ad dexteram Filij in excelsis, præter Athanasium, quem supra dedimus, plures Ecclesiæ Patres consignarunt. Si roges, quid sit sedere Filium Dei à dextris Patris? aderit tibi S. Thomas 3. part. quæst. 58. art. 3. *Secundùm autem quod homo, sedet ad dexteram Patris, id est in bonis Paternis potioribus præ cæteris creaturis, id est, in maiori beatitudine, & habens iudiciariam potestatem.* Vnde Origenes tractat. 12. in capite 20. Matth. *Vide, ne fortè quod dicitur Christum restitui in regno suo, recipientem proprium principatum, hoc sit sedere Christum in solio gloriæ suæ.* Principatus ergo, & prætexta iudicantis dextera Patris censetur. Quid ab hoc explicatu poterit Filij dexteram deturbare? Ego ad dexteram Filij gloriosa Mater collocatur, vt eius regni, iudiciique pignora prælibet. Vtquid iudicantis potestas super sontes Filio Dei, hominisque deputatur? Quia insons. Non iure prætextam induit, vt plectat quem priùs aduocant propria crimina ad supplicium, quàm ipse ad tribunal aliena. Qui innocens, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, meritò iudicis throphæam stringit: vt simul, dum scelestus plectitur, erudiatur, & in iudicis innocentia dignas præuaricationis pœnas agnoscat. Ad Hebr. 7. 26.

S. Thom.

Origen.

45. Qualisnè cum hoc innocentiæ stemmate principatum, tribunalque Domini poterit comitari? Vna Maria, quam nec tinxit proprij fuligo peccati; nec aspersit alieni, nec hæreditarij nigrauit. Regnum ab albore parta est. Anselmus in serm. de excellent. Virginis: *In æternitate consilij sui eam dominatricem, & Reginam fore Angelorum, & nunc inferiorem gratiam Angeli illi datam, & in consortium conceptam esse credemus hominum peccatorum?* Ex regno arguit immunem, de quo plura iam alij congessêre. Ex virginitate Matris, si non alia probatio esset, à noua immunis Filius decernitur. Fulcrum ergo, roburque, in quo nititur Christi iudicantis auctoritas in flagitiosos, innocentia, & sanctitas est, quæ in conceptionis præludio iam in Virginis auribus, Angelo loquente, sonabat; quæ, dum de Virginitatis perseuerantia firmatur, de sanctitate prolis pronâ argumentatione eruditur. Hæc iudicantis Domini sedes erit, in qua sibi blanditur: *Cùm sederis Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israël.* Hæc si recolligas, hanc sedem, thronumque non ineptè meditaberis esse Virginem Matrem, quam proponet in spectaculum Deus mundo, & Angelis, & hominibus, vtpote fulciens, & corroborans iudicium aduersùs excusationes carnis, & sanguinis, in ea, quæ in copore mortali, virginitatis vexillum, & innocentiæ insigne leuauit, nunquamque imaginem liturauit Auctoris, sed Amplissimum per cauitatem corporeæ sarcinæ illi solium construxit. En sedes, & thronus iudicantis Maria est. Debes cogitatum Petro Blesensi serm. 28. de Assumpt. Virg. vbi expendens, quomodò Maria Dominum magnum effecerit, sic fatur: *Legitur Salomon fecisse sibi thronum de ebore grandem. Salomon quasi vnus de Regibus terræ sedet? sed cùm thronum cæteris eminentiorem conscendit, celsior est in thronis factus. Pacificus noster, qui fecit vtraque vnum, vsque ad B. Virginem, thronum non habuit eburneum, id est, non insedit animæ propositum virginitatis habenti vsque ad Virginem: quasi super communē & plebeium thronum sedebat plenus dierū.* Et aliquib. interiectis: *Prima votum virginitatis gloriosum sanctimoniæ munus obtulit Deo: acsi diceret: Tempus est, vt quò magis ad futurum iudicium appropinquas, tantò celsiùs modò sedeas.* Quid sublimius? Sublimis apparet ex throni eburnei incremēto sedēs in Maria Deus, quasi hæc fuerit in iudicio sedes maiestatis suæ. Quod arridet datis ex Guerrico verbis: *Ponam in te thronum meum, in te mihi quandam regni sedem constituam, de te iudicia decernam.* Candet lucidius ebur in glorificata Virginis carne, eò spiritalibus dotibus affulgente, vt in cœlesti specula speculum fiat, vibratis radiis, grandem Dei maiestatis imaginem reddens.

Anselm.

Mat. 14. 22.

Petr. Blef.

Guerr.

50. Eapropter absque intercapedine funestæ tarditatis resurgit è morte caro Mariæ, ne ebur deficiat throno resurrectionis pignus virginitas est; sed in Maria eruit pignoris depositum velox immortalitatis solutio. Qui se dat libidini, Domino sedem deprædatur. Qui resurrectionem non credit, se libidini mancipat. Quæ causæ? Vna vtriusque. Infestus est suæ carnis, qui illam perpetuis putat aggregandam esse pulueribus; nec recidiuam fore confidit, resurrectionis fidei diffisus: ergo non vt suam æstimat sed alienam: quòd si alienum, membra facit meretricis: corpore abutitur velut non suo. Pulchrè Cyrillus Hierosolymitanus catech. 18. *Credens manere corpus in resurrectionem, parcit illi tanquam vesti, & non polluit eam in iniquitatibus: qui verò non credit resurrectionem, exponit sese libidini, ac veluti alieno abutitur corpore suo.* Profundè quidem. Nec minùs venustè Tertullianus lib. de resurrectione carnis capite 11. *Hucusque de præconio carnis aduersùs inimicos, & nihilominus amicissimos eius. Nemo enim tam carnaliter viuit, quàm qui negant carnis resurrectionem.* Fige tibi illud Cyrilli: *Ac veluti alieno abutitur corpore suo.* Alienum putat, qui sic appetiuum flagello dehonestat: nec credit rediturum in gloriam, qui sic, vt constituat inglorium prostituit. Quæ si ita sint, nemo intensiùs resurrectionem credidit, quam Maria: quæ adeò proprium sui putauit corpus, vt nec ab animo distinxisse potuerit censeri, siquidem in animi spiritalia documenta transfudit, & ex animo ad vterum illice virginitatis Deum fecit transmigrare, vnum ex vtraque portione eburneum thronum dilatans, in quo sedens Dominus, de magnitudine caperet maiestatem. Ideò absque mora surrexit: virginea credulitas in ipsa morte, immortalitatis traxit experimentum.

1. Cor. 6.

Cyrill. Hierosf.

Tertull.

51. Quibus Blesensis illustratur acumen: quod vt venustare non cesses, obseruare non pigeat, dum iudicantis Domini thronus Maria decantatur, in valle Iosaphat sepultam fuisset ex lib. de Assump. Virginis, qui Hieronymo adscribitur, perspicuum fieri: qui placito subsignat Beda libr. de locis sanctis cap. 6. Bruchardus in description. terræ sanctæ 1. part. cap. 7. §. 47. Non deside prouidentiâ id contigisse demonstrat, vniuersale iudicium super vallem Iosaphat peragendum, vt liquet ex S. Thoma in 4. distinct. 40. q. 1. art. 4. quæstiunc. 4. & opusc. 60. cap. vlt. D. Antonino 4. part. titul. 14. cap. 11. §. 5. & ex Ioel. 3. firmatur. Inibi in resurrectionis pignus, tot vertentibus sæculis corpus Virginis iudiciariæ valli mandatur: vt vacuum sepulchrum resurrectionis simul, & iudicij refricaret memoriam, torpentemque, & segnem carnis suæ lenonem acueret, vt à venturi Iudicis cogitatu non cesset; sed iamiam aduenturæ timeat, siquidem sedes eius iam diu subuecta est in cœlum, iuxta illud Blesensis: *Tempus est, vt quo magis ad futurum iudicium appropinquas, tantò celsiùs modò sedeas.*

Hieron. Beda. Bruch.

S. Thom. D. Anton. Ioel. 3.

52. His vt solidiùs fidas, Mariamque neutiquam detrectes Filij Dei esse thronum, si de throni proprietatibus ambigis, consule Dionysij Areopagitæ cœlestem hierarchiam, inuenies, quòd sint *Regis celsitudò, Regis circumdatio, stabilis collocatio, Regis susceptio, Regis delatio, familiaris apertio.* Verba Dionysij sunt: *Ipsa autem altissimarum compactarum sedilium omni diligenter exaltari ignauia subiectionis, & ad summum supermundanè sursum ferre ferens, & omni extremitate ineffabiliter in sublimissimum, & verè excelsum totis viribus, & immutabiliter, & stabiliter collocatum, & diuini superaduenientus in omni impassibilitate & immortalitate acceptiuum difformiter, & familiariter in diuinas susceptiones apertum.* Si lineas has, venustaque filia in Virgine Matre non noueris, depone à throno; potiùs à throni munere. Ne te moret, artificiosè depingit eas Albertus Magnus, qui postquàm Dionysium fantem induxit, sic in Mariali pagina 3. prosequitur: *Hæc autem omnia completa sunt in Beatissima Virgine, quæ celsior omnibus creaturis, ipsum Deum vteri sui in gremio circumdedit: per quod se, & nos in æterni regni solium collocauit, & tanquam familiarissima mediatrix totum mundum sibi reconciliauit: & per quam, tanquam per coniunctissimum sibi medium, omne bonum effluxit, & omne genus humanum per se, tanquam per portam cœli, ad summam familiaritatem Dei Patris introduxit: & per hoc, quòd ipsum Deum cum homine familiarissimè in vna persona coniunxit.* Ex hac throni prærogatiua arguit Augustinus Mariam illicò cum corpore cœlos penetrauisse; vt ibi esset thronus, vbi Deus Filius; ibi thalamus, vbi Sponsus; ibi domus, vbi incola. Sic in serm. de Assumptione: *Possidens in Christo corpus suum, quod genuit, clarificatur in dextera Patris. Et quare non suum, per quod genuit? Verè credo, & per quod genuit: quia tanta sanctificatio dignior cœlo est, quàm terra, Thronum Deo thalamum Domini, domum, atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse, vbi ipse est.*

Areop.

Alb. Magn.

August.

Mariæ corpus non exanime, sed gloriosum, & à Beata anima viuidum cœli conuexa penetrauit.

Sectio V.

Qvi argumentosâ studiositate seduli pigmentarij agimus officium in corpore Virgineo, non puluerem mortis colligentes, sed aromata myrrhæ, & thuris, quæ incorruptionis suffitum exhalant, & suaueolentem immortalitatis fumum emittunt: vel minuta grana examinis pilo contundere debemus vt vndequaque pigmenta fragrantiam spirent. Fortè in Neotericum incidimus, qui, licèt sub aliqua formidinis vmbra ingenij tamen pennas explicare studens, concitat quæstionem: An Mariæ corpus in sepulchro surrexerit; an priùs in cœlum, plaudentibus Angelis fuerit euectum, vbi in meliore marmore virgineæ animæ amplexum resumeret. Posterioris partis censione mulcetur ex aliquibus coniecturis, quas Patrum enititur confirmare suffragiis. Certè synceræ veritatis amator nullum Patris vestigium, nullam vel leuem coniecturæ vmbram huic posse imaginationis licentiæ fauere facili negotio conficiet. Perfunctoriè rem transeamus. Patres, quos aduocat patronos, aduersarij sunt. Exploremus. 53.

Amadeus homil. 7. de laudibus Virginis *Maria prima post Deum super omnes cœligenas in sede gloriæ collocatur: ibi resumpta carnis substantiâ, & duplici stolâ induta, Deum & hominem in vtraque natura quantò cæteris clariùs, tantò ardentiùs vniuersis, mentis & carnis oculus contemplatur.* Figit se in 54. Amad.

illis : *Ibi resumpta carnis substantia* : quasi ibi carnis substantiam resumpsisse dicatur. Odit fucum hunc Amadeus : prauè construitur : clara perindus est. Ibi contemplatur Deum & hominem in vtraque natura, duplici stolâ induta, vtpote resumptâ carnis substantia. Amadeus nec ad vmbram meminisse intendit locum, in quo resumpserit carnem : in eo solùm mentem exercet, vt ponderet quantâ similitudine, & satietate ex Dei hominis, carnem & Diuinitatem gestantis, intuitione Maria mente & animo beetur : cui accinit Richardus Victor. (Rich. Vict.) apud Canisium libr. 5. cap. 5. *O iubilum, quo iubilat Materna vnita! O quam praclara rutilat duplicibus vestita! Verè surrexit, ô dulcis Mater Christi.* Quod autem ascenderit in cœlum non exanime corpus Virgineum, adhucque mortis sopore constratum, sed tota Virgo animo iam & corpore constans luculenter eademmet homil. 7. Amadeus (Amad.) contestatur : *At gloriosissima carne integerrimâ, mente serenissima, viuentium mitissima, quò cunctis humilior & sanctior extitit, super omnes eleuata, & in cœlum à cœli ciuibus honorificentissimè, & ex more imperiali suscepta à Patre supremo, in regno claritatis æterna, & in throno excellentissima gloria prima post Filium, quem ex se genuit incarnatum, iussa est residere.* Quo sapure prima illa, quæ iecimus : verba protolit : sic enim periodum orditur : *Eleuata igitur cum vocibus exultationis & laudis, prima post Deum super omnes cœligenas*, &c. Rogo, pro quo sopponat ly *eleuata* : pro anima solùm? Non suffert Auctor ille, qui vocem *assumpta* & *translata*, carni mauult exanimi adscribendam. Si ergo pro Virginea carne, qualis nexus cum illis, *Ibi resumpta carnis substantia* : quasi caro carnem resumeret? Agit ergo Amadeus de assumptione Virginis, qualiter ab Ecclesia & Patribus celebratur, nempe de animi & corporis in cœlum gloriosa transmigratione. Quare non corpus, sed potiùs Virginem cum corpore cœlos penetrauisse dixit Amadeus (Idem.) eadem homil. *Sublimata itaque super omnia ligna paradisi, & super altissimorum montium præcelsos vertices exaltata, ipsos cœlos inæstimabili magnitudine penetrauit cœlestium Ordinum stipata choris, & virginum choreis adornata.* Quis id de mortuo corpore tentabit accipere? Sed nec de animâ à corpore soluta : non enim magnum, quòd anima penetret cœlum. Lacteus & ductilis sensus Virginem corpore & animo amat euntem.

55. (Andr. Cret.) Aduocatur Andreas Cretens. qui in homil. 2. in Assumpt. Virg. sic habet : *Plaude terra, prosequere laudibus : narra, qua sunt gloriosa Virginis, partus, fascias, sepulchri miracula, quomodo sit sepulta, quomodò translata.* Et iterùm infra : *Hac, qua ante & post sepulturam fiunt, monimenta ad prosequendam eam, qua planè ignoratur, translationem.* Translatio autem, cadaueris nondum spiritibus redeuntibus viuidi videtur esse transpositio. Translationis stylum amant & alij Patres, præcipuè Damascen. in orat. 1. & 2. de dormit. Virg. Vindicemus prius Patres hos, deinde stylû. Andreas Cretensis resurrectioni intra sepulchri latebras, non verò insolitæ, & ad cœlestia laquearia funebri vectationi functi corporis adstipulatur. Rem seriò tractat homil. 1. de dormit. Virg. col. 5. vbi apptimè exponit ; quid *translationis* vocabulo indicetur; nempe rediuiui corporis, redeuntéque spiritu animati, ex virtute superna transmigratio : *Quomodò est monimentum inane? Vos enim alloquor. Quomodò corpus euanuit?* (Idem.) *Quomodò non sunt in ea vestes ; in quibus est sepulta, nisi effugisset interitum id, quod sepultum fuerat, si translatus non fuisset thesaurus? Quod si ita est, quomodò non est vera & à mendacio aliena translatio? Nam alia quoque concurrerunt : animæ à corpore separatio, carnis depositio, compositionis solutio, partium disiunctio, resolutio, adiunctio, concretio, & eò discessio, vt nihil appareat. Stat enim sepulchrum inane vsque in hodiernum diem : quod & testimonio est approbatum, & approbat factam translationem.* Quàm luculenter! Vocabuli *translationis* momenta pendit. Recenset quidquid, quouè ordine peractum in corpore : *Anima à corpore separatio* ; en mors : *carnis depositio* ; en mortis reliquiæ, cadauer : *compositionis solutio, partium disiunctio, resolutio.* Putas in his corruptelæ fluxum, membrorum denexum putredinis resoluentis tyrannide, somniasse? Absit. Non vidit corruptionem; non pulueris sensit iniuriam, quæ vitæ mater effloruit. Ergo *partium disiunctio*, animæ & corporis solutionem sonat. Pergit : *Adiunctio, concretio.* En animi & corporis iteratus amplexus, spiraculi remigratio, rediuiua sors. Finit : *Et eò discessio, vt nihil appareat.* Et in cœlum, corporis & animæ euectio Hæc igitur est translatio & assumptio, quam cum Ecclesia celebrat Cretensis : quod in fine illius homiliæ innuit : *Hoc est nostra formatio, hoc concretio, hoc solutio, quod etiam hodie celebramus.* Difficilia admodum sunt verba, quæ subdit Cretensis (Cretens.) post illa prima, quæ dedimus, explicantia transuectionis miraculum : *Nescio autem, an id factum sit partibus rursus inter se collatis, & concretis in vnam compositionem (de his enim parum philosophabor) cùm sic visum esset Creatori, arcano hoc excogitato modo honorare parentem : an vno ex his alteri imposito, & vno quidem extra, altero verò intra fines sortito constitutionem, postquam fuerunt à se inuicem separata : an noua quadam & aliena consequentia supernaturaliter in ea concurrente : vt sint reuera omnia noua, qua ad eam pertinent appositè admittentia rationem, qua superat naturam, vt quibus cedat omnis ratio, & cognitio.* Quæ verba, fatemur, omnino fugiunt nos, Delioque narratore egent : expectamus magistrum, qui nobis enodet. Quid enim, rogo, est illud : *an vno ex his alteri imposito?* &c. Venit nobis in mentem, quod iam non agat Andreas de Virgineo corpore, quod surrexisse supposuit ; sed de sepulchro eius, quod inane dicitur, & contrectatur : cuius inanitatis vsque in hodiernum diem persistentis rationem indagans periodum illam contexit. Cui existimationi fauet sic orsum fuisse. *Stat enim sepulchrum inane vsque in hodiernum diem : quod & testimonio est approbatum, & approbat factam translationem.* Cuius inanitatis causam vestigans pergit. *Nescio autem, an id factum sit partibus rursus inter se collatis*, &c.

56. Damascenus nusquam cadaueri adhuc intra mortis vlnas in cœlo subleuato fauet. Potiùs non corpus ex sepulchro, sed Matrem, id est, corpore & animo constantem in superos atreptam fuisse (Dam.) præconatur, oratione 2. de Assumptione Virginis : *potiùs quemadmodum illud sanctum & corruptionis expers corpus, quod Deus Verbum ex ea personaliter sibi copulauerit, tertio die è monumento exurrexit : sic etiam hanc à tumulo arripi, ac Matrem ad Filium migrare par erat : atque vt*

ipse ad eam descenderat, sic eam quoque ad maius ac præstantius tabernaculum, hoc est, ad ipsum cælum efferri. Hanc Filij, & Matris in resurrectione similitudinem, cui innititur Damascenus, vrgebimus infrà. Hinc non nudum corpus depositum in cœlo fuisse, sed potiùs totam Mariam, in corpore scilicet & animo, perhibet oratione 1. de dormitione Mariæ: *Non anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit. Non corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum est: verùm in cælo ac Regiis sedibus in Regina, Domina, hera, ac verè Mater & genitrix deposita es.* De corpore agebat, & ad totam se Matrem transfert: quasi, nisi illa per reaccensum animæ lumen spiritumque informantem veheret in cœlum, emortuum corpus non subrigeretur in sydera.

Damasc.

57. Nec aliquod pondus habet, quod assumptio Virginis & translatio, & non potiùs resurrectio, Ecclesiastico efferatur stylo: quasi molis cuiusdam & inanimatæ sarcinæ vectatio, & veluti sublatio in funereo cadaueris feretro fuerit. Potiùs quæ verè ascensio fuit, assumptio dicitur: quoniam licèt corpus gloriosum ex beatæ animę redundanti scaturigine affluens, agilitatis, subtilitatisque dotibus affulgeat; nec exteris portitoribus egeat, baiulisque humeris, vt vectetur; sed adamantinos propria gloriæ strenuitate penetret globos: tamen quia dotes hæ peculiari miraculo ante communem resurrectionem resurgenti Virgini insederunt, non sicut corpori Christi, quas connaturalitas vendicabat; ideò Christus ascendere, Maria dicitur assumi, transferrique. Sic sapienter, & piè obseruat P. Suarius, cuius verba subdere non grauabimur, huic nimis instituto proficua 2. tom. in 3. part. disput. 21 sect. 2. in fine: *Illud in hoc mysterio aduertendum est propter assumptionis nomen, & propter vulgarem picturam, qua depingitur Virgo quasi Angelico ministerio, & virtute in cælum eleuata videlicet non esse hoc ita intelligendum, ac si beata Virgo illorum operâ ad ascendendum indigeret propria enim virtute, quæ omnibus gloriosis corporibus communis est, ascendere poterat. Dicitur ergo assumpta ab Angelis, quia honoris causa eam comitabantur, & magis dicitur assumi, quàm ascendere: quia illa virtus simpliciter non erat connaturalis tali personæ, sicut fuit Christo; ac propterea etiam magis propriè dicitur assumptio de corpore, quàm de solo spiritu: qui spiritus non tantùm gloriosâ, sed etiam propria, & naturali virtute ascendere potest.* Ex quo enodat Bedæ placitum qui in Martyrologio nono Kalend. Octob. constituit secundam sanctæ Mariæ Virginis assumptionem, & priorem constituerat decimo octauo Kalend. Septembr. *Vnde necesse est*, ait Suarius, *hanc intelligi de assumptione in sola anima: illam verò de assumptione in anima, & corpore.* Quod euehi & assumi resurgentia in sepulchris corpora sacro dicantur stylo; contestatur nobilis Ezechielis locus capite 37. apud Tertullianum: *Ecce ego patefacio sepulchra vestra & euehâm vos de sepulchris vestris, populus meus.* Et statim: *Eduxerim vos de sepulchris vestris, populus meus, & dabo in vos spiritum, & viuetis, & requiescetis in terra vestra.* Ad quem locum præmiserat Tertullianus lib. 5. de resurrectione carnis capite 29. *Si simplices voces resurrectionem carnis quamquam sine nominatione ipsius substantiæ, subradiant, quantò magis quæ hanc ipsam spem, ipsas substantias corporales spiritali mentione determinans, non erant deducenda in quæstionem? Accipe Ezechielem.* &c. Quòd autem in hoc Ezechielis loco totius resurrectionis facies depingatur, cecinit S. Paulinus in Paneg. de Ce si obitu,

Suar.

Beda.

Ezech. 37.

Tertul.

Ezechiel tibi testis erit, cui prodita dudum
Tota resurgendi per Dominum facies.

S. Paulin.

Cur assumpta dicatur Virgo potiùs, quàm ascendens perbellè dixit Damianus sermone 41. de Assumptione Virginis colloc. 1. *Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem & Matrem assumptam & videbis aliquid excellentius in Assumptione Virginis demonstrari. Ascendit enim Saluator in cælum, potestatiuæ virtutis imperio, sicut Dominus & Creator, Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus. Assumpta est Maria in cælum, sed gratiæ subleuantis iudicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis, quem subleuabat gratia, non natura.* En non deprimit *Assumptionis* vocabulum vitales Virginei corporis spiritus, & intra mortis adhuc deputat onera: potiùs obsequitur in mole corporea celeri immortalitate in cœlum eunti. Mirus est Damianus. Mariæ excellentiam ex *Assumptionis* dictione depromit, etiam coram Filij ascensu. Quòd Aquila, Solis ales, vt innocua lucis carpat alimenta se in superam arcem subleuet, pennarumque plausu anteuolans auras aureum ebibat è Solis vicinio splendorem; prospectantes oculos demulcet, non rapit animum attonitum de miraculo, qui tunc stuperet, si absque innato comitatu alarum graue corpus, multaque sarcina obessum adusque sydera penetrare conspiceret. Illud naturæ, hoc gratiæ est.

Damian.

En quid assumptio mirabile præconetur. Assumptam corpore & animo plures dixêre Patres 58.
Bernardinus Senensis tomo 1. sermone 52. articulo 1. capite 1. *Sicut non dedit Dominus sanctum suum videre corruptionem, id est, Christum; sic nec sanctam suam; de qua natus est sanctus, sed corpore, & anima in cælum assumpta est.* Sanctus Augustinus homil. 4. in festo Assumptionis. *De sanctissimo igitur corpore perpetuæ Virginis Mariæ, eiusque sacra animæ assumptione, quantò Dominus donauerit, loqui suscipientes.* &c. Ergo iam alios accersamus Patres ex propria officina, qui perspicuè præfactam veritatem confirmant. Sancto Melito, vel quicumque ille auctor sit, in festo Assumpt. latè mortis, funeris, & resurrectionis Mariæ historiam contexens, sic habet inter plura: *Et præcepit Michaëli Archangelo, vt animam sanctæ Mariæ deferret* (agit de delatione à cœlo ad sepulchrum) *ecce repentè Gabriel Archangelus reuoluit lapidem ab ostio monumenti, & ait Dominus: Surge amica mea & proxima mea, quæ non sensisti corruptionem per viri contactum, non patieris resolutionem corporis in sepulchro. Et statim resurrexit Maria de tumulo.* Et post pauca: *Cùm hæc dixisset Dominus eleuatus in nube receptus est in cælum, & Angeli cum eo efferentes beatam Dei genitricem Mariam in paradisum Dei.* Richard. de S. Laur. lib. 3. de laud. Virg col. 2. *Extrema huius terræ* (id est Mariæ) *dici possunt conceptio carnalis, & mors corporalis. A primo extremo excussit, vt dictum est, fomites & motus prauos in sanctificatione. Ab vltimo extremo excussit putrefactionem, vermem & puluerem in resuscitatione.* Otiosus labor est in re clara aciem construere, Patres aggerere, lucubrationem erogare Sat sit S. Thomas in opusc. 8. *Credimus, quòd post mortem Maria resuscitata fuerit, & in cælum deportata.*

Senens.

August.

S. Melito.

S. Thom.

Nobilius

Nobilius Virgini est, iam gloriosum ab anima corpus in cœlum ire, quam ab Angelis, vt ibi resurgeret, transuectari. Vbi pulchra de veste gloriæ.

SECTIO I.

59. AST ne ieiuni & aridi abscedamus, nõ iniucundè, nec absque ingenij flore agitari valet, quid Virgini magis gloriosum: an anima immotâ, nec à cœlestibus diuulsâ, corpus è sepulchro Angelicis fretum subsidiis, adhuc exãgue, exanimeque transuectari in cœlum, vt inibi spiritum reciperet; an' magis Virgini decorum, animam è cœlis ad corpus labi, vt illud intra sepulchralem vterum, tanquam sui sacram thecam, vitalemque capsam, impleret, & immortalitatis perenni trabea animaret? Timeo, ne & hæc Academica quęstio illicò inanitatis insimuletur: quod enim gloriosius Dei genitrici fuit, in ea peractum fuisse confidimus. Si igitur in sepulchro surrexit, viuensque penetrauit Empyreum, hoc illi nobilius; vt quid calamus otiosis crenis discurret? Attamen quia in pugna & miles solet feruentiores vires assumere, & in ancipiti victoria fortiùs exercentur lacerti; siquidem vtrumque agmen in Mariæ decertat obsequium, vt quã pugnacius, subtilius se gerat ingenium, id libenter perfunctoriã

60. saltem amœnitate præstabimus.

Et quidem quid Auctor ille meditetur, prægustare oportet. Inquit, Reges non in apothecas descendere, vt ibi vestes sumant; potiùs ad cortinam, cubiculumque ab aulicis eas deferri, vt ibi se induant, nec ipsi ad vestes vestigandas nudi secedant. Caro Virginis vestis dicitur: ergo dum Regina à dextris Filij secundùm animam splenderet, illuc debuit purpura transuectari, quam induens in vestitu deaurato circumdata varietate micaret. Quàm facilè huius rationis cuspidem retundemus. Hæc ratio à veste nobis versanda est, vt omnino oppositum euincatur. Benè. Si qui nudus est, & Regia pollet maiestate, non discedit ab aula, vt opercula quærat: annè decorum Regiam carnem & Virginis, & fœminæ, nudam è sepulchro vectari absque byssinis, Tyriisue operimẽtis, quia aliena erant à cœlesti regione; absque gloriæ chlamyde, quia nondum gloriosum ibat corpus? Melius est, vt trahas vestem corpori, quod potest erubescere à nuditate, quàm carneam vestem animæ, quam nuditatis non pudet; imò ieiunio operitur, & à totiùs carnis abscessu solidius solet amiciri. Quæ ratio tantum roboris sortitur, vt in ea fretus S Andreas Cretens. perspicuè arguat, Mariam in sepulchro resurrexisse: quoniam inibi inuentæ fuerunt vestes, nec in corpore permanserunt. Audi in homil. 1. de dorm. Virg. *Quomodò potest hoc demonstrari? Vultis, dicam? Quomodò est monimentum inane? Vos enim alloquar. Quomodò corpus euanuit? Quomodò non sunt in ea vestes; in quibus est sepulta, nisi effugisset interitum id, quod sepultum fuerat?* Funebria vestimenta, sepulchraliaque lintea in mausoleo vacuo reperta fuisse communis censio est ex Nicephoro cap. 23. vbi ex Iuuenali Hierosol. Patriarcha sic scribit: *Aperiri monumentum iubet: quod quidẽ vt ita est factum, desiderandum illud corpus non comparuit; sepulchralia tantùm lintea ritè composita loco manebant, itidem vt Filij quoque eius, in sepulchro relicta.* Ergo Cretensis hinc pulchro epicheremate, Virginei corporis resurrectionem arguit. Si adhuc caro funestis mortis pedicis tenetur, alioque demortua translata est; quomodò non sunt in ea vestes, sed derelictæ iacent, vt iaceat nuda? Sanè nisi effugisset interitum id, quod sepultum fuerat, & immortalitatis subserica veste operiretur; puderet eam nimium nuditatis. Arguté collegit à vestium depositione, recidiuum corpus absque interitu in superos volauisse.

Nec dicas sat fuisse nudi corporis decori, Angelico operiri, comitatu, aliisque circumdari? 61.
quod poteris Græcanicæ Ecclesiæ cantico confirmare apud Canis. lib. 5. cap. 5. *In tua translatione, vel ascensione Mater Dei, Angelorum exercitus gaudio, stupore & admiratione plenus augustissimum illud corpus tuum, quod Deus susceperat suis quidem alis reuerenter operiebat.* Angelicas enim alas, non crispantes alitum plumas intelligas, nec aliqua comata opercula, densosque pennarum pilos; id fatuum: sed claritatis & immortalitatis dotes, quibus resurgens corpus induitur. Hic habitus Angelicus est. Tertull. de resurrect. carn. c. 41. *Abhinc enim definimus carnem quidem omni modo resurrecturam, atque illam ex demutatione superuentura habitum Angelicum suscepturam.* Qualisnè hic habitus? Gloriæ nempe & immortalitatis Cyrillus Alex. *Resurgent quidem proculdubio omnia corpora, immortalitatis gratia induta: at non omnes immutabuntur, sed inhonori permanebunt impij; soli verò immutabuntur iusti, nimirum ad immortalitatis commodum immutati, & diuinæ gloriæ indumento ditati.* 62.

Ex quibus eluderis, si dicas sat fuisse Virgineæ carnis honestati vndique circumfusa claritate splendere, & quasi in nitente capulo transuehi: quòd enim etiam defuncta caro post sanctæ animæ discessum sic cœlitùs sparso iubare illuxit, prodidit ex S. Cosma Auctor Pometij lib. 19. p. 5. art. 2. *Tanta quoque statim corpus eius claritate resplenduit, vt tangi quidem à Virginibus ad lauandum posset, videri non posset. Tandiu autem lux illa resplenduit, donec corpus à Virginibus fuit lotum aqua mundissima; non ab ipsa inundatum, sed potiùs à corpore sacro aqua sanctificata.* Imò lux, quæ radicem non agit in corpore, solidaque claritudine corpus amiciat, debile teristrum est; non decenter nudum corpus opacat: non habet intrinsecus, vnde oriatur; vestimentum non est. Secus si corpus resurgat: ab intranea animæ radice cum erumpente luce oritur vestimentum. Hæc vestis, resurrectionis est habitus: hæc innata, decoraque gloriosi corporis palla. Quomodò Mariæ corpori denegandum in ipso sepulchri cubiculo vestimentum, quod oriatur, non quod extrinsecus adsciscatur; quod innascatur in ipso corporis textorio subtegmen, non quod alieno radio emendicetur contexum? Insignis locus est Esaiæ 58. ex lectione Tertullianica de resurrect. carn. cap. 27. probat ex vestimentorum nomine, resurrectionis spem. Audi: *Itaque in albis erunt vestibus, id est, in claritate in nube carnis, & in Euangelio indumentum nuptiale sanctitas carnis agnosci potest. Itaque Esaias docens quale ieiunium elegerit Dominus, cùm subijcit de mercede bonitatis: Tunc, inquit, lumen tuum temporaneum erumpet, & vestimenta tua*

Marginalia: Psalm. 44. 10. — Psal. 68. 11. — Andr. Cret. — Nicephor. — Canis. — Tertull. — Cyrill. Alex. — Auctor. Pomer. — Tertull.

tua citius orientur: non subserica vtique, nec pallium, sed carnem volens accipi, ortum carnis resurrectura de mortis occasu prædicauit. Plura ex hoc
Cerdens. loco stipendia feras. Putat Cerdensis non scindendum illud *in nube*, sed vnica voce copulandum *innube: Quid enim, inquit, claritas cum nube? Melius in claritate innube, id est serena, liquida, innubila.* Non benè. Melius discindas cum Pamelio. Inlatet subtilitas. Gloriæ claritas in resurgente carne, siquidem vestimentum est, nubes est; luce obnubit, radiis vestit. Quare nobilis recensio gloriæ in Thabor à nube lucida obumbrante orsa est: *Ec-*
Matth. 17. 5. *ce nubes lucida obumbrauit eos.*

63. Iam explorandum de lectione Tertullianica, quæ non cum Vulgata cohæret; legimus enim
Esai. 58. Esai. 58. *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur.* Vtquid vestimentum
Hieron. pro sanitate? Carpere videtur Hieronymus, seductionemque putat ex similitudine vocis: nam pro ἰάματα legere ἱμάτια: & primum medicamenta, curationes, seu emplastra significat; secundum verò vestimenta. Ast Tertulliano suffragantur
Cyprian. Cyprianus in serm. de eleemos. August. serm. 172.
August. Chrysost. Chrysostom. in cap. 16. Matth. homil. 55. Compones vtrumque, si alterum periphrasis sit alterius. Sanitas enim symmetria est, & benè compositi corporis pacata valetudo, quæ illi diuturnitatem conciliat, & ab ingruentibus ægritudinibus fouet: quasi subinducto medicamento & em-
Vatabl. plastro: quare Vatablus pro *sanitate* legit *diutur-*
Hieron. *nitatem*, & Hieronymus *cicatricem*; quæ, dum callum facit, carnem obdurat, & ex mollescenti rigentem reddit. Hæc vestimenti indoles est. Benè
Cornel. contexit Cornelius cum paulò antecedentibus
Esai. 58. 7. apud Prophetam: præmiserat enim: *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Quid quòd illicò assuat præmium? Ideò non in nuda carne, sed vestita à gloria resurges. Scis iam, quid sit illud: *Et vestimenta tua citius orientur.* Vtquid de vestimentis ortus perhibetur? Prælibauimus. Quoniam gloriæ claritas, quæ vestit, non subserica est, & per commercium extrinsecùs empta; sed ex animæ beatitate abintus oritur. Quid ergo empititium lumen aduocatur, vt Mariæ
Psal. 44. 10. corpus iamiam resurrectionis candidatum vestiat? Citò potiùs à vernaculo gloriæ indumento abintus vestiatur: gloria enim Filiæ Regis abintus in vestitu deaurato circumdata varietate. Moras amat, tardamque segnitiem, quisquis expectat corporis in cœlum vectationem, vt ibi induatur lumine sicut vestimento. Resistit Esaias, qui matutino iubari comparat resurgentis è sepulchro lumen. Vide quantum celeritatis. *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum.* Hebraïcè משחר *Cassachar*, id est, sicut aurora: & vestimenta tua citiùs, id est, in ipso momento resurrectio-
Chrysost. nis è sepulchro, orientur. Chrysostom. suprà: *Matutinum lumen, subitum, repentinum significat, antequam cogites, te beans: vt qua matutino tempore: antequam expectes, te excipiunt bona. Lumen porrò illud est, quod Angelos & Archangelos beat, vestimenta virginum illa fulgentia.* Accedit accuratissimam periphasim esse pro sanitate vestimenta apud Esaiam, si semel de resurrectione agat: perfecta enim sanitas resurrectio est, inte-
Tertul. gra corporis stabilitas. Perbellè Tertullianus de resurrect. carn. cap. 57. *Si non integros Deus suscitat: non suscitat mortuos. Quis enim mortuus integer, etsi integer moritur? Quis incolumis, qui exanimis? Quod corpus illæsum? cum interemptum, cum frigidum, cùm expallidum, cùm edurum, cùm cadauer? Quando magis homo debilis, nisi cum totus? Quando magis paralyticus, nisi cum immobilis? Ita nihil est aliud, mortuum resuscitari, quàm integrum fieri, ne ex parte mortuus adhuc sit, ex qua non resurrexerit.* Quid pugnacius pro agmine, quod agimus? Ergonè Mariæ corpus nondum à morte dispunctum, nondum resurrectione clarum efferretur in cœlum? Si nondum resurgens, nondum sanè, adhuc edurum, adhuc cadauer, non incolume: ergo non integrum: & tamen corpus Virginis est, cuius stemma integritas. Quòd si non sanum; nec vestitum, vt ex vtraque Esaiæ lectione iam didicisti. Profectò si in omnium resurrectione corporum ex gloriæ vestiario, ex sanitatum apotheca intra ipsa sepulchra vestimenta & salubritates dispensantur, ne corpus appareat interemptum, frigidum, expallidum, edurum, cadauer: quid de Mariæ corpore, quod caro Dei hominis est? Si illud, in veste aliena, quid in propria? Quàm appositè
Augustin. serm. de Assumpt *Si elegit Diuina volun-* August.
tas sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas non solùm puerorum corpora seruare illæsa, verùm & ipsa vestimenta seruare inusta: cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Si alienæ vesti, id est, carni, vermium pabulo, subcinericiæ mortis conceptaculo, sic intra ipsas latebras succurrit Deus, vt in dedecoris loco, loco dedecoris, resurrectionis decus accipiat: quid agat in Matre propria, qui sic elegit in veste aliena?

Nuda Mariæ caro cœlum ascenderet absque 64.
intrinsecus elaborato ab anima subtegmine, solùm venalibus & alienis lucibus opacata? Absit, quod non imperialibus trabeis, impropriis & ex creaturarum plebe indumentis in propriam aulam Regina conscenderet. Quid mortis terminos vsque ad cœlestia propagas? Quid cadauer, etsi sacrum, Empyrei ignibus exanime committis? Curnè Adamus illicò extra paradisum detruditur, à coloni munere amandatur, exercendoque extra beati viridarij requiem ligoni mandatur? Quia iam puluis erat, & quod impendebat in carnem sacrilegam supplicium post piaculum, iam in carne gestabat, vtpote mortis rubricata sigillo. Non mortuis spelunca, sed viuentibus regio paradisus est: nisi resumat spiritum caro, à quo dotibus gloriæ remunerata beetur. Cur minatur in valuis Cherub cum gladio; ignis cum ferro? Vt romphæa sanguinem excutiat, ignis carnem cremet, ne caro & sanguis absque spiritu regnum Dei possideant. Sanctus Bernardus S. Bernard.
sermone 5. de verb. Esai. *Non incongruè forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, vt à ligno vitæ incisio pariter & incensio, quibus nihil carni terribilius, manum prohibeant corporalem.* Quid est illud Apostoli: *Caro & sanguis* 1. Cor. 15. 50.
regnum Dei possidere non possunt? Ergonè resurrectio corporum non est? Nonnè in cœlo caro mercedem cum sodali spiritu accipiet? Resistit illicò Apostolus: *Omnes quidem resurgemus.* Nota, quòd dicit: *Regnum Dei non possidebunt:* id est, non ipsa seorsim, antequam ab spiritu possessa, aurea cœli possidebunt conuexa: possidere & animi & corporis est. Nonnè illud: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt* Matth. 5. 5.
terram? Quid plurimum miti repromittitur terræ possessio, qui portat imaginem cœlestis, cuius disciplinam hausit, qui mitis fuit & humilis Cap. 11. 29.
corde? Imò preciosa retributio est post pretiosam mortem terram corporis ab anima in cœlestibus possideri.

possideri. Præclarè rem expendit Irenæus lib.5. cap.9. *Si enim oportet verum dicere, non possidet, sed possidetur caro; sicut & Dominus ait: Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram: quasi hæreditate possideatur terra in regno. Vnde & substantia carnis nostræ est. Sicut igitur Sponsa assumere Sponsum non potest, assumi autem à Sponso potest, cum venerit & acceperit eam Sponsus: sic & caro hæc secundùm seipsam, id est sola, regnum Dei hæreditate possidere non potest. Hæreditate autem possideri in regno à spiritu potest: hæreditate enim possidet, qui viuificat ea, quæ sunt mortua: & aliud quidem est hæreditate possidere, aliud autem hæreditate possideri.* Compendiosior Tertullianus de resurrect. carnis, cap. 50. *Meritò ergo caro & sanguis sola regnum Dei capere deficiunt. Iam verò cùm deuorari habeat corruptiuum istud ab incorruptibilitate, id est, caro; & mortale istud ab immortalitate, id est, sanguis post resurrectionem ex demutatione; meritò demutata ac deuorata caro, & sanguis regnum Dei hæreditate possidere possunt, non tamen non resuscitata.* Si caro non possidet, nisi primum à spiritu possessa, incorruptibilitatis veste præfulgeat; vtique nec ascendet in regnum, vt possideat, antequam superuenienti induatur.

65. Ergo ne emortuæ carnis probrum, quod occultabat sepulchrum, irreuerenter prodas cœlitibus, expecta quòd viuat, vt spectaculum fiat & prodigium: quæ Angelicis spiritibus non aliter exhibetur, nisi toto Solis orbe amicta, vt venerentur maiestatem, nunquamque nisi viuentem in cœlo prospiciant, quam totus ambit vitalis lucis splendor Epiphanius in serm. de laud. Deip. *O Virgo Sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est miraculum in cœlis, Mulier amicta Sole: stupendum miraculum in cœlis, Mulier gestans lucem in vlnis: stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus.* Quid in stuporem arripit Angelicas acies, quæ viuaci intellectus acumine absque inscitia cuncta percallent: difficileque est, quòd de nouitate mirentur, quæ in mirabili Deitatis merguntur abysso? Miraculum est, quod vsus naturæ non habet. Vt mirum recipitur, attonitosque captiuat obtutus, quod extra regionis vsum apparet. Mulier gestat lucem in vlnis. Sole vestitur, vterum habet: non cœlestis regionis conditio fert ista! mirantur Angeli. Benè est. Sed quod impensiùs stuporem gignit, Solis est amictus, nempe quòd ipsemet Sol, quem in vtero in terris gestauerat, sit mulieris peplum, integramque amiciat, etiam coram Angelis, qui penetrant vsquequaque. Pars maiestatis est non trabeam, chlamydemque deponere: indicat imperium: venerabilitatem conciliat. Quos retegit inter familiares æqualitas, inter subditos operit maiestas. Etiam Angelis Maria Sole se exhibet amictam, vt & se prodat Reginam, & cultum vindicet à spiritibus. His mulcebris, si adeò vesti maiestatis quasi innatæ assutam & intextam fuisse credideris Virginem, vt ipsiusmet vestis vocabulis nuncupetur, Adi Andream Cret. homil.2. de dormit. Virg. col.4. vbi postquàm solicitus meditatur, qualia indumenta eo dignitatis potuere pretio pollere, quæ Virginis corpus in sepulchro vestierunt: *Quænam erunt vestes, quibus sepelieris? Quænam fasciæ? Qui amictus?* Breui interuallo subtexit: *Quæ à Deo es contexta purpura, Indumentum regale, Amictus à Deo variatus, Aurea specie diplois Verbi purpuræ, quæ intelligentia percipitur, quæ non potest nominari tinctura.*

Quàm illustris indoles vestimenti! & nudum exhibet, & indutum corpus, quòd semel absorbetur à gloria: nudum, nec timet vel à summo vngue posse concuti; vt innoxium est, sic cuique minaci tempestati imperuium: indutum, ne erubescere existimet ab exutis membris, quæ innocentiæ candor amicit, non turpitudinis prurıtus inhonorat. Cur sic eadem gloriæ vestis & denudat, & operit, vtrumque in honorem? Quoniam vestis ab intrinseco oritur, in interiori texitur officina. Audisti: *Et vestimenta tua citiùs orientur.* Quis brutum nudum dixerit, quod semetipso vestitur? Quis non nudum, cui nec anus fila nent, nec sutores vestes accommodant? Ergo quia pellis ab intrinseco venit, & vestit & denudat. Quàm nobile indumentum in glorioso corpore, quod vbique vestitum, sed lumine; vbique nudum, sed cum honore præsentat! Erant nudi coloni paradisi Parentes & non erubescebant. Manducauere, & ecce cognouerunt se esse nudos. Quid quòd cognouissent post escam, quod erant ante escam? Sed nuditas, quæ innocentibus decorum operimentum fuit, sontibus cœpit esse pudor. Quid causæ? Deciderunt à gloria. In gloria nuditas non opprimit, sed operit; non infamat, sed inflammat: lumen est; nudans, quà peruium, quà pellucidum; vestiens, quà solidum. Pulchrè Chrysostomus: *Cogita, quanta confusione digni facti sunt protoplasti. Denique post vetiti ligni esum, cum transgressi fuissent præceptum Domini, consuerunt folia ficus. Vide à quanta gloria in quantam vilitatem deducti sumus, qui anteà quasi terrestres Angeli videbamur.* In quo sicut Angeli terrestres? Scilicet in quali Angelorum gloria nobis extat de cœlesti claritudine repromissio. Ex gloriæ lumine, quo abundat anima, ad appendicem sui corpus gloria redundat: & quia ab interiori venit, denudat & amicit.

67. *Non sic Salomon in tota gloria sua, coopertus est sicut vnum ex istis.* Matth.6. id est, sicut vnum ex liliis: præmiserat antem: *Et de vestimentis? quid solicitis estis? Considerate lilia agri, quomodò crescunt.* In quonè victoria florum coram deliciosis, præpotentisque Regis purpuris, picturatisque, trabeis? Scio, quòd Hieronym. inquit: *Reuera enim quod sericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Quid ita rubet vt rosa? Quid ita candet vt lilium? Viola verò purpuram nullo separari murice, oculorum magis, quàm sermonis iudicium est.* Attamen pro Salomonis de liliis triumpho contendere valemus, quoniam potuit aliquando ipsismet rubentibus floribus constipari, violis fulciri, liliis coronari; tunc ex aliorum florum vetusto apparatu vestitus lilia seorsim sumpta deuinceret: & tamen *in omni gloria sua* dixit Dominus. Quod acute explicuit Chrysostomus tomo 2. homilia 23. in Matth. *Est autem Salomon superatus à florum decore; non semel tantùm, nec bis, sed per totum tempus sui Regni. Et hoc est, quod dicit: In omni gloria sua: qui nec in vno die ita decoratus est vt flores.* Vtquid lilia de Salomone partâ victoriâ gloriantur? Quippe quantumuis liliis ipsis pro prætexta, subsericaque Salomon indueretur; non abintus purpura illa, emergeret, extrinsecus illatus flos marcesceret: cuius tamen color, vtpote ab intrinseco innatus, gloriosius flori indumentum est. Ortus abintus vestem commendat; non emptitius

Marginalia: Iren. (p. 477, l. 1) — Tertul. — Epiph. — Andr. Cret. — 66. — Isai. 58. — Gen. 3. — Chrys. — Matth. 6. v. 28. — Hieronym. — Chrys.

tirius color, non adulterius fucus, non in alieno ostro tincta filamenta. Hæc gloriosæ vestis excellentia est: non venit, non emitur in foro; sed abintus venit, & nunquam demitur. Ideò à semetipsis vestitis liliis Dominus vestimenta Beatorum, quorum corpora à reliquiis animæ vestiuntur, depinxit: sicut Angelorum chlamys claritas est, cuius habitus cœtui iustorum repromittitur. Hilarius. Ad rem Hilarius canon. 5. à medio: *Vel lilia intelligenda sunt Angelorum cælestium claritates, quibus à Deo gloria candor indutus est. Non laborant autem, nec nent: quia virtutes Angelorum ex ea, quam adepta sunt, originis sua sorte, vt sint semper, accipiunt: & cùm in resurrectione similes homines Angelis erunt, sperare cœlestis gloria voluit operimentum, exemplo Angelica claritatis.*

68. Gen 3 7. Ab hac indumenti gloria per piaculum annisi fuere Primigenij: incepit ab extrinseco vestiri, qui textinam interiorem operientis nuditatis amisit. Ergo quis inuidebit hanc corpori Mariæ gloriam, vt sub conuexis adhuc resurgens corpus ab scaturiente animæ beatitudine, sancta luminis nuditate vestiaretur? Imò antequam paradisus hanc meliorem vitæ Matrem exciperet, iam pristinam nuditatem, quam à parentibus traximus, gloriosum eius corpus operuerat: vt ibi supplicium ex peccato contractum luebamus, nempe extra paradisum conterendis glebis addicti; ibi naturæ nostræ cognatum corpus in Virgine assurgeret, veste perfusum gloriosa, ab interioribus luminis gloriæ radiis contexta ante communis resurrectionis tarditatem. Dam. Appositè Damascenus de dormit. Virg. apud Metaph. *Hodie Edem noui Adami paradisum suscipit rationalem, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vita, in quo operta fuit nostra nuditas. Non sumus enim ampliùs nudi, & veste carentes, & non ferentes splendorem diuino imaginis, & copiosa priuati gratia spiritus. Non ampliùs tragicè veterem deflentes nuditatem dicemus: Exui me tunica, quomodò me ea induam? In eum enim non patet aditus serpenti.* Perpulchrè. En rationalem paradisum ascendentem Virginem appellat: quod non de corpore exanimi, vtpote non rationali, valet intelligi. En operta nuditas, quam primus paradisi colonus contraxit, gloriæ, quam amiserat, indumento. Ex quibus dilucidè compatet digniùs & honoratiùs esse Virginis animam è cœlis ad vestiendum lumine corpus, gloriáque imbuendum descendisse (quod absque vllo suæ beatitudinis dispendio fuit) quàm absque beatitudinis operimento cadauer, adhoc mortis pignus, fuisse subleuatum in æthera. Hæc Virgineæ carnis honestas est: quam eo nixu & sedulitate Deitas contendebat ab effigie mortis eluere, à funesta eximere nuditate, citiúsque ab interitus forma diuellere, celerique beatitudinis abundantiâ replere, vt, dum ex recente morte corpus elisum Apostolicis humeris ad sepulchrum ferebatur, splendore suæ diuinitatis contegeret, ne vel breui spatio mortuæ exhiberet simulachrum, quæ vitam genuerat. Dam. Diues pondus est in Damasceno. Audi *Portatur autem corpus Maria manibus Apostolorum, Rege Regum id tegente splendore suo, qua sub aspectum non cadit, Diuinitatis; & emittente & sacrificante sacrificium laudis, donec in sepulchro, tanquam in thalamo, & per ipsum in deliciis Edem in cœlestibus repositum fuit tabernaculo.* Quid est, rogo, quòd Rex Regum sedulus studuerit contegere ipsomet Deitatis suæ splendore Maternum corpus, donec à sacris portitoribus inferretur; posteà tamen iam ab studiositate tegendi quieuisset: potiùs è sepulchro ad Edem non illo Diuinitatis operculo amiciente corpus migrauit; Satiùs videbatur tunc operiri flammâ Deitatis, quando per æthram elatum claustris cœlestibus inferendum abibat. Quàm ex veræ Theologiæ fonte Damascenus! Imò cum Virginis corpus cœlestibus inserebatur, iam beatum radiabat, iam in sepulchralibus exuuiis, feralibusque linteis deposuerat nuditatem, gloriâ abintus effluente extima membra tegebantur: non opus erat solicito operculo. Secus quando è lecto, lethoque in sepulchrum traducebatur, inibi officiosa Deitate opus erat, quæ splendore tegeret, quæ vestiret, quæ functam occultaret, & peplo ambitioso operiret. Ergo luminis ex animæ beatitudine respersione vestitum in sepulchro corpus Virgineum sensit Damascenus, reaccenso spiritu in carne in immortalitatis gloriam: siquidem ex sepulchro vsque ad Edem non memorat vlla exteri splendoris veste opus ei fuisse, qua vsque ad sepulchrum anteà operiebatur. Ex quo iam disces, quid in ea quæstione dicendum sit: an in resurrectione corpora vestita, an nuda apparebunt? Infaustè Renatus apud Cerdens. tom. 2. in Tertull. lib. 5. de resurrect. carn. cap. 52. n. 605. vestita corpora proditura defensat. Sat Sanctis pro veste gloria. De quod D. Iulian. lib. 5. Progn. cap. 26. Iustin. quæst. 116. Philip. Solit. libr. 2. Diopt. cap. 10. Dominic. Garcia quæst. 15. in c. 2. Genes. Renat. D Iul. Iustin. Philip. Solit. Domin. Garc.

Nobilius est Virgini in sepulchro resurrexisse, quàm in cælo: Vbi pulchra de celeritate resurrectionis Virginea.

SVBSECTIO II.

VT à veste ad aliam non minùs floridam properemus rationem: Ipsemet corporis resurgentis status, qui pullulanti ex corruptione herbæ, flori, segetique comparatur, nimiùm succurrit. Quid causæ est, quòd tam perpetuo stylo apud Sacra corporum resurrectio redeuntis post brumam Veris florescenti apparatui comparetur, granoque ab vtero corruptelæ in spicam assurgenti? Isai. 66. *Gaudebit cor vestrum, & ossa vestra velut herba germinabunt.* Apostolus 1. ad Cor. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Sunt plura. Certè non aptiùs potuit resurrectionis indoles explicari. Quid innato, &, vt diximus, ab intrinseco effluenti vestimento persuadendo in nudo resurgente corpore efficacius, quàm flos ex sui nuditate & dedecore suamet claritatis pompa vestitus? Accipe Tertullianum de resurrect. carn. cap. 25. *Seritur solummodò granum sine folliculi veste, sine fundamento spica, sine munimento arista, sine superbia culmi. Exurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & vsquequaque vestitum.* Pondera istud, *& vsquequaque vestitum.* 69. Isai. 66. 1. Cor. 15. Tertul.

tum. Qui est illud *vsquequaque*? Quòd nulla sit pars non vestita. Vestitur mortalis homo, sed oon vsquequaque. Capitis suggestum non veste operit, quia gloria et est: nudis genis, apertisque oculis, liberaque & expedita fronte, sui status principatum ostendit; mauus non regit, ne impediat opus: cætera vestitus incedit, quia in contumeliam & pudorem. Si partim vestitus, partim nudus incedit, est cuius eum pudeat, & occultat; est quid eum deceat, & retegit: non in toto honestus est, qui in maiore parte, quam abscondit, odit lucem, ne verecundetur. Quàm nobilior status, cùm in omnibus nudos, in omnibus vestitos apparebit; cùm vestis gloria, & nuditas erit in gloriam; cùm totos vbique nudos, vbique vestitus: quia appendices beatitudinis animæ fulgores nudam faciem sicut cætera membra vestient? Hic floris vsus est, vrbanitasque campestris: vsquequaque vestitus, non partim, purpurascit, seu viret: quia visor & purpura sui est, nec alienis eget venenis, vt rubeat; nec alieno murice, vt coloretur. Sic Tertullianum percalluisti.

70. Non satis hæc, nisi vita redux, immortalitatisque dos in ipsomet sepulchro corpori resurgenti conueniat, nec egeat aliò transuectari: imò dedecus sit ei, vt vitalem accipiat stolam, priùs pallorem, tristemque mortis faciem conspectibus publicare, quàm rediuiua forte resurgat. En cur

Ioan. 12. 24. similitudo grani, floriferique seminis in terram iacti ad formam corporis resurgendi diligitur. Vt noueris, quantò gloriosius sit Virgini, quòd corpus eius & ossa in terra germinauerint, ibique assumpserint gloriam, vbi mortis situs est; quam ad exteram transportati regionem contra ipsius Virgineæ terræ feracitatem. Quæ absque seminis iactu dedit fructum suum, nempe totum sui, non viri partem; quantò magis seminata in sepulchro daret fructum se, vitamque resumeret iam anteà terra benedicta, quæ, vt omnem suæ fœcunditatis abundantiam expleret, non potuit ampliùs opimam vbertatem ostendere, quam, siquidem priùs germinauerat Saluatorem ex vita, semet germinaret ex morte? Grandis fertilitas est, omnemque naturæ exuperauit prouentum, quòd Maria, naturæ artificem, qui & ipsa natura nominatur, produceret, eique imperriretur naturam. Suppetitne huic feracitati aliud suæ opimitatis signum & opus, vltra quod nulla possit vbers explicari? Certè quod illam met, quæ artificem naturæ produxit, se producat. Sed fieri nõ valet, quòd non supponatur producta, quæ genuit. Quid fiet? Quasi reproducat se. Seminetur in morte, assurgat in vita, & ab inuita morte se eripiat; germinet è sepulchro; sumet spica sit & seges; sed eà super flores & segetes dissimilitudine, vt non è corruptione se prodat viuam. Ea Marianæ fœcunditatis excellentia est: non eget corruptela, vt resurgat in vitam, quæ non indiguit, vt gigneret vitæ auctorem. Si fa-

S. Germ. ueat his S. Germanus in dormit. B. Mariæ: *Ideoque & corpus tuum, quo Deum velut hospitio excepisti, sanè par erat nulla mortifera corruptione inuolui: sed & sepulchrum velut hominis propriam messem suscipere, ac te viuentem ad cœlestem domum in vitam traduci.* Quid pulchrius? En è sepulchro viuo corpore in cœlestem domum traducitur Virgo. En sepulchrum suscepit corpus velut propriam hominis messem. Acutè nimis. Terra vberi sinu non suscipit messem, sed nudum granum, sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine superbia culmi: sub torua brumæ conditione diu tenet in vtero; sarculo laceratur, aratro subigitur, aëre ventilatur. Quot tempestatum vicissitudines agnotur, donec veniat messis! Quid causæ? Quoniam intra corruptionis aulam, redeuntis vitæ addiscitur disciplina. Sepulchrum, cùm corpus Mariæ suscipit, iam hominis messem suscipere rectè notatur: ea velocitas resorgendi fuit, ea corruptelæ eliminatio, vt etiam conspicienti vnum instans visum fuerit, & grani seminati & messis; & corporis depositi, & redíuiui. Ex incorruptione vteri generantis, ex velocitate conceptus qui antequam thalami corrupti tarditas, virique intercederent officia, iam frugiferum ventrem coronabat; benè colligitur hanc eandem benedictam terram erga se simili vbertate potitam: vt non corruptelæ moras, non vulgaris resurrectionis segnitiem, non annuas temporum vices expectaret; sed se celerem in sui regenetatione proderet, quæ celeris in Filij generatione præextiterat.

Ideò Virgo concipiens, resurrectionis probatio est; nec allegoricè accipiendam esse resurrectionis sponsionem ex Maria virgine verè generante probatur. Sic agit aduersus figuratè accipientes resurrectionis imagines neruosus Tertul. lib. de resurrect. carn. cap. 20. *Nam & Virgo concepit in vtero non figuratè; & peperit Emmanuelem, nobiscum Deum Iesum, non obliquè: Etsi obliquè, Accepturum virtutem Damasci & spolia Samariæ, sed manifestè.* Quo iure elidit de figura resurrectionis sentientes, ex Virgine in vtero concipiente? Quoniam pro delirio est Virgineum vterum manifesta, solidaque veritate concepisse; & veræ resurrectionis impotem credi. A virginitate carnis generantis imaginaria & allegorica resurrectionis acceptio detruditur. Virginitatis dos resurrectio est. Nonne vides? Ideò flos dicitur: florum autem recidiua fortuna est. Quòd si semel virginitas genuit, quid de hac generosa fertilitate non cogitabis? Meritò se germinat, postquam vix iacuit in sepulchro meritò vix vincta in morte è monumento absoluta prodiuit, quæ Christum peperit incorrupta: cur non repullularet illibata, quasi se Dei parentem patiens? Trahere potes id, quod aliàs de humanæ carnis præstantia dixit Tertullianus suprà cap. 8. *Ne illa beatissima & gloriosissima, quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto, vt hoc solum dabat ei, quod ei debere desierit; hoc magis vincta, quo absoluta.* Si sic resurgit, potest apud Christum Dominum parere; scilicet per plurima merita, & tandem per martyrium, de quo agebat; quo videtur omnia debita soluisse: quid dicendum de virginis carne, quæ potuit non apud Christum, sed Christum parere, debito tanto vt ei solum debeat ille, cui omnes debitores sumus, iuxta S. Methodij proloquium.

72. Itaque hæc floris virginei sit in Mariæ corpore conditio, vt non alibi stipitem, folia, culmumque vitæ resumat, nisi in sepulchro, cui vt semen mandata fuit. Sicut alias Chrysolog. serm. 118. *Tunc subitò reuiuiscit in germine, in herba pubescit, iuuenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam periisse deflebat speciem resurgit & formam.* Quare semina, quæ è terra, redeunte vitæ largitate, consurgunt, de sepulchris, tumulisque resurgere dicuntur, ne resurrectio corporum nisi ex ipsis tumulis euentura putetur. Prudent. lib. 2. contra Symmach.

Tertull. (margin, beside "pientes resurrectionis imagines neruosus Tertul.") · 71. (margin, beside "Ideò Virgo concipiens") · Idem. (margin, beside "tia dixit Tertullianus suprà cap. 8.") · Chrysost. (margin, beside "mandata fuit. Sicut alias Chrysolog.") · Prud. (margin, beside "ex ipsis tumolis euentura putetur.")

——In ipsis
Seminibus natura docet reuiuiscere cuncta
Post obitum: siccantur enim pereunte vigore,
Quo vixere priùs, tunc sicca & mortua sulcis,
Aut foueis mandata latent, & more sepulchri
Obruta de tumulis rediuiuo germine surgunt.

S.Zen. Præstat aureum eloquium S. Zenonis auscultare: *Præterea granum vniuscuiusque frumenti conditum terræ interit: & tamen in eo, quod intus est, reuiuiscit, nec mortem medullitùs capit; sed suum sibi genitale in germen expirans, vetusti corporis superficie deleta, imò in melioris naturæ iura transmissa, felix caput comis virentibus redimitum, quasi ab inferis demersum, in superna sustollit, perennitatis gloriam fructu propuloso tenturum.* Compte & maturè. Expende illud: *quasi ab inferis demersum*, & illud: *in eo, quod intus est, reuiuiscit, nec mortem medullitùs capit.* Vtquid huius genitalis originis gloriâ sepulchrum Virginis exhæredas, & quod quæque gleba in suo demortuo grano sortitur, quæ vberiora & cultiora restituit, viuaque soluit, quæ defuncta suscepit, Mariani floris tumulo detrahis, eumque communi honore defraudas: qui omnibus sepulchris attribuit, vt corpora, quæ mortua conceperunt, pariant viua?

73. Nec floris & grani similitudinem contemnas. Cur in valle Gessemani Mariæ corpus sepelitur? Cur tertia die resurgit, annuente Nicephoro (Nicephor.) apud Suarium 2. tom. in 3. p. disp. 21. sect. 2. (Suar.) An vt ex florido situ, resurrectionis celeritas pararetur? Latent quidem diuina mysteria. Cur in horto Dominicum corpus sepelitur? Cur in monumento nouo? Cur in alieno? Ioann. 19. in fine: (Ioann 19.) *Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus; & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.* Habes plura in hoc horto, quæ vt apis argumentosa delibes. Quid sepulchro cum horto? Quod orienti flori cum resurrectione. Cuncta velocitatem vitæ redeuntis spirant. Hortus, vt iam inde ortum resumere putaretur, qui vt efficax floris semen, hortensis terræ fertilitati mandabatur. Præsagit citissimam vitam, qui, vt ortum reciperet, horto pigneratur. Vtquid in tumulo alieno deponitur? Non eget proprio, cui mors non domicilium est, sed tabernaculum: vt triduò maneat, perfunctoriaque sede quiescat, sat est tentorium alienum. Sicut hortum elegit, vt illicò vitæ symbola daret; sic alterius sepulchrum: non enim mortis suppellex ad dominium pertinet vitæ. Optimè Augustin. sermon. 133. qui est de (August.) Sabbatho sancto: *Ideò autem Saluator in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Vtquid ergo in propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? Vt quid illi sepultura propria, qui tridui tantum temporis spatio in sepulchro non tam mortuus iacuit, quam velut in lectulo conquieuit? Sepulchro autem mortis est habitaculum necessarium; ergo non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est.* Tandem cur in monumento nouo? En Mariæ pignus. Vt virgineus esset sepulchri vterus: vt citiùs mortalitas fugaretur: vt sepulchrum conueniret cum horto: vt ocyoris vitæ esset auspicium, cui virginei floris depositum applaudebat. Ecce in quod Dominici corporis funebris apparatus peruenit. Rupert. lib. 14. in Ioann. in fine: (Rupert.) *Et hoc sibi prouiderat ipse, qui sepeliebatur, vt sicut nasciturus vterum sibi virginalem præparauit, ad quem vir non accesserat: ita resurrecturus nouo & lapideo monumento conderetur, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Maiori emphasi Hieron. in Cat. S. Thom. Matth. 19. *Potest* (Hieron.) *autem & nouum sepulchrum, Mariæ virginalem vterum demonstrare.* An quia arguta & efficax demonstratio est celeris resurrectionis vterus Marianus? Benè. Et quia benedictus fructus, qui ex vteri virginei flore pullulauit; non alibi inserendus erat, nisi in horto: cui nouitas monumenti, florigerque horti comitatus velox vitæ postliminium illi suaderet.

Est autem, quid obserues in hac celeri resurrectione è monumento, quod vteri Mariani symbolum fuit. 74. Non te pupugit illud Ioannis: *Ibi ergo posuerunt Iesum?* (Ioan. 19.) Imò *corpus Iesu* dicas. Iesum sepulchri latebræ non tenent: non ibi sublatet anima, cuius ad membra vinculum diripuit mors. An *Iesum* dixit, quale nomen prima Virgo genitrix audiuit, prima vocauit: *Et vocabis nomen* (Caiet.) *eius Iesum*, ad cuius vocabuli auditum illicò se virginem fassa est; nec passa lædi, quæ Mater dicebatur? Quare nomen hoc, fœcundæ virginitatis recordatio est. Ea propter Ioannes Iesum protulit monumento mandatum, quippe quod vterum Virginis præsignabat, vberemque ex virginitate, resurrectionis velocis spem præbebat. *Iesum* dixit, quoniam tam celeri nexu reuinctum fuit, quod soluit mors, vt ex breui triduani spatij intercapedine resurrecturum, iam *Iesum* facili anticipatione duxerit appellandum, vtpote quem festinus tumulus soluturus esset viuentem. Meliùs *Iesum* dixit: diuinam hypostasim ingeniosa dictione deprompsit. Permansit hypostasis in cadauere: Filius Virginis non deperiit. Si adhuc mortuo Christo Maria Mater Iesu est; quid quòd in tumulo nouo qui Mariæ significatio est, Iesus deponi diceretur? Eò velocitas resurrecturi impulit, vt quia citissimè reuinciendâ animâ carni Iesus integer assurgere in ipsamet morte parabatur, interim variari vocabulum non permiserit. (Luc. 1.) Profundè Caietanus in cap. 19. Ioann. *Cum debuisset dici: Posuerunt corpus Iesu; dixit tamen: Posuerunt Iesum: non solùm seruando solitum loquendi morem (quo Dauidem aut Abraham sepultum dicimus) sed etiam ad significandum identitatem hypostasis in mortuo & viuo Iesu, quod fuit in ipso singularissimum. Quamuis enim anima Iesu separata fuerit à corpore eius, eadem tamen numero hypostasis perseuerauit in corpore mortuo & in anima.* Nescit à Mariæ carne, quam semel sumpsit, Diuinitas diuelli. Habes ergo, & quòd sepulchrum, quà Mariani vteri virgineam fœcunditatem est imitatum, ab intima vulua Dominum resurgentem protulisset: vt non alibi resurgeret, nisi in monumento nouo, vtpote symbolo Mariano. Habes in festina resurrectione velocitatem: quoniam quem non communibus naturæ moris, quas corruptela concubitus sanciuit, concepit Virgo, non debebat intra mortis pigram segnitiem retardare sepulchrum. Si hæc Mariani corporis virginea fertilitas in emortuo Filij corpore præbet cogitari, quid aget in proprio? Ergo in sepulchro surrexit, & eadem celeritate erupit ad vitam. Odit vectationis moras caro Mariæ, quæ in monumenti quiete potuit in florem reuirere virgineum.

75. Putas, non probabimus à Mariæ vtero Dominicum didicisse sepulchrum, celeriter & viuidè regerminare Saluatorem? Accipe Gregor. Nyssen. orat.

Nyssen. oratione in Christi resurrectione: *Tunc parturiit terra, & dies concepit, & mors regessit omnium vitam. Non enim fieri poterat, vt is a morte detineretur, qui verbo tenet omnia. Celebremus igitur resurrectionem tertia die factam, æterna vitæ conciliatricem. Vt enim Maria Dei parens virginalibus atque innuptis partibus non solutis, Dei voluntate & sancti Spiritus gratia genuit sæculorum opificem, ex Deo Deum Verbum: sic etiam terra ex propriis penetralibus fœtu mortis edito,* Obserua illud *ex propriis penetralibus.* Hæc maior efficacia victoriæ, quòd penetralia mortis fœtum ederent vitalem; nec aliò prius eructarent, vt viueret, sed è lethali sinu proferrent viuentem; eâ industriâ, vt ne putaretur aliorsum sacro cadaueri vitam extrinsecùs contigisse, priúsque ex se tumulum cadauer proiecisse, quam viueret, clausum obriguerit sepulchrum; nec amotus fuerit lapis, quousque resurrectione peracta nulla posset esse suspicio. In quo iam similitudinem, qua Nyssenus vtitur, agnosces: *Vt enim Maria Dei parens, virginalibus atque innuptis partibus non solutis,* &c. Partum hoc. Imò quòd concussâ terrâ, halante Domino spiritum, è monumentis plura corpora Sanctorum resurgerent, Mariæ virgineè generanti arrogat Chrysipp. Presbyter. Hierosolym. homil. de Sancta Maria: inducit dæmonem sic eiulantem: *Eripuit eos, quos ipsi morti tradidi. Tandem etiam consiliis meis in crucem actus, multò maiore me verecundia perfudit, & mecum denuò mortem, dum è cruce concussit vniuersa, quæ sunt in terra, ex morte patefaciens omnia, quæ sub terra iacebant decerpens tam me hîc, quam, mortem, ibi, resurgentibus cum eo mortuis. Horum igitur omnium quæ mihi causa est? Quæ alia præter eam, quæ genuit huiusmodi miraculorum opificem.* Vtquid Mariæ generanti miraculorum opificem, signata attributione, adscribit Chrysipp. aperta coram patiente, expiranteque Domino monumenta, defunctorumque puluerem in substantiam veteris carnis mollescentem, repetitamque demolitæ structuræ compagem? Profectò oportebat granum emortuum, patibulique ligno contusum non absque prouentu, vsuraque fœneratum resurgere, diuiteque manipulo, vberique culmo muneratum. Si igitur decidentis grani in horto seminati & in monumenti noui gleba suscepti, florens renouatio iam à Maria absque corruptione genitrice habuit auspicium; quid quòd & illi omnis illa resurgentium seges imputetur: illius enim messis integra est, cuius & granum, ex quo messis, quod fœnore interitu, & iniuria vsura, & lucro damno emortuum fuit, vt restitueretur vberius. Sic aliàs S. Epiph. orat. de laudibus Virg. *Ipsa est ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti suscipiens; etiam manipulum germinauit.* Ea propter nullus iam sanæ mentis detrectabit, Mariæ corpus à sepulchro resurrexisse, siquidem quòd multa corpora Sanctorum resurgerent, carnis à Maria delibatæ opimitati deputatur. Simile argumentum composuit Sophronius serm. de Assumpt. Virgin. *Legimus, quia multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & venerunt in sanctam ciuitatem: de quibus profectò nonnulli Doctorum senserunt, quòd iam in illis completa sit perfecta resurrectio; fatentur enim, quod veri testes non essent, nisi & vera esset eorum resurrectio.* Et statim: *Quod, quia Deo nil est impossibile, nec nos de beata Maria virgine factum abnuimus.*

Matt. 27.52.

Chrysipp.

Epiph.

Sophr.

Zetda, Maria effigies.

Nondum Nyssenum explicuimus, qui resurrectionem Christi tertia die factam commemorat, quatenus docilis terra documentum à Maria, innuptis partibus non solutis, patiente suscepit: *Celebremus igitur resurrectionem tertia die factam, æterna vitæ conciliatricem. Vt enim Maria Dei parens virginalibus, atque innuptis partibus non solutis.* Certè quòd Christi corpus corruptelæ morsibus non pateret: quòd illud ferales vermium cuspides non pupugissent: quòd ab vtero monumenti non temerato assurgeret in temeratum ex prototypo Mariani ventris exscriptum est. Certè quòd tertia die surgeret, quid transcripsit ex Matre? Non contemnendum acumen. Obseruastinè? Triduum sibi Christus ad resurrectionē taxat, triduum & Matri. Nullus ternario breuior numerus est. Nulla caro tam cita è sepulchro reuixit. Si se vitæ auctorem in festino de morte triumpho publicare contendit; cur diurna triplicat spatia? Cur, dum prægustauit lapidem, non euasit? Voluit non solùm mortis, sed & corruptelæ se Dominum exhibere, illamque intra proprios lares, regnumque debellare: ideò laxat tempori lora, triduum spectat in stadio profundo, si accedat corruptelæ phalanx. Si statim viuentem carnem è funebri compede eduxisset, non nobilitatem, generosamque floridi corporis è Virgine desumpti aduersus corruptelam indolem probauisset. Ergo triduana expectatione sustinet recondi: caro, quæ triduo sub funesta latebra se aduersus corruptelam obarmauit, si ibi pluribus lustris mansisset, eadem soliditate obduraretur. Sat fuit triduum corrumpendæ carni, si corruptioni pareret. Cur piscis deglutitum in aluo, sed crudum, sed incoctum tenet Prophetam, spatioque euomit transacto; nec amplius expectat, si forsan decoquat, & aliquid ex onere viuenti diminuat, si vel mollem portionem vehementis stomachi calore consumat? Benè ad littus rationalem viscerum sarcinam deposuit, humanoque se ponderé euacuauit tertia die: non sperauit se largiori tempore fore cocturum, quem per triduum interior ceti flamma nec tepidum reddidisset. Diuinæ potestatis documentum fuit: iam inde Dominicæ resurrectionis amussim lineæ trahebantur, scrupulosaque exercitatione momenta temporis mensurabantur: vt Christus & velociùs resurgeret, & tamen ob triduanam expectationem non fugisse corruptelam; sed vicisse, fugauisseque panderetur. His applaudit Tertullian. libr. de resurrect. carn. capit. 32. *Puto autem huius quoque diuinæ potestatis documentum idoneum Ionam, cum incorruptus vtraque substantia carne atque anima de aluo piscis euoluitur, & vtique triduo concoquendæ carni viscera ceti suffecissent, quàm capulum quàm sepulchrum, quam senium requieta atque recondita alicuius sepultura.* En cur incorruptus: quia vtique triduo concoquendæ carni viscera ceti sufficissent. Ergo quod triduum sustineret in sepulchro caro Dominica de asserendæ incorruptionis studiositate venit, quam ex incorrupto Matris vtero traxit. Quare & celeritatem & taxatum resurgendi tempus, quod corruptioni sufficisset, probè apud Nyssenum didicit ex Maria sepulchrum: sic Virginis plenam, summamque incorruptionem compendio monstrauit, in conceptu videlicet & partu: *Virginalibus atque innuptis partibus non solutis:* quòd *innuptas* dixit, Virginem genitricem;

76. Nyssen.

Ionæ 2.1.

Tertul.

quòd *non solutus*, virginem puerperam ostendit. Ideò forsan Dominus ventris meminit, cordisque Matt.14 40. Matth. 14. versiculo 40. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terra.* Non potuit à ventris, cordisque vocabulis se dirimere, cùm de corporis sui resurgentis agebat incorruptione: vt vel dictio recordationem faceret Matris, cuius vterus velut cor fuit, quod nescit corrumpere cogitatus. Ex quo iam colliges, cur eadem triduanæ lucis obseruatio in Matris resurrectione conualuit: vt quorum vna caro fuit, vna esset resurgendi paritas.

77. Cur amicum Lazarum sub saxo putrescentem quatriduano spatio suscitaturus Dominus sustinet: nec maturat gressum, nec intermittit tarditatem: Functum sciuit, nec accedit: imò quasi religiosè metitur horas, momenta temporis obseruat, ne in triduo reuoluat lapidem, dominantisque vocis imperio à mortalibus faucibus prædã eripiat. O benè! Tantùm expectauit, vt triduum flueret, quatriduanusque sub cauea fœteret, ne in resurrectionis è sepulchro velocitate alium comparem haberet, quam Matrem. Non te rapuit il-Ioan.11.39. lud Matth: *Domine quatriduanus est, iam fœtet.* Vtquid se immiscet fœminæ vox, Dominicisque interserit Sacramentis? Non otiosè. An quia sicut Maria Magdalena erat mater in nomine, nec mors nisi Mariæ recordatione fugatur, vt piè Chrysologus: sic quia Martha per Domini hospitium, materni Mariæ corporis symbolum erat; ideò in resurrectione intercedit, vt iam exinde Materni corporis resurrectionem figuraret? Benè. Sic enim Ecclesia in Virginis de morte victoria, Marthæ commemorat hospitium: sic apud Anselmum Martha Virginis corpus figurat, animum Magdalena. Ergo quæ Mariani corporis effigiem agebat, bene quatriduanum Lazarum iam fœtentem sollicito testimonio firmauit: ne triduanus tantummodò putaretur, & Dominicæ, Maternæque resurrectionis compar. Obserua sedulum Euangelistam: *Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet; quatriduanus enim est.* Etiam triduanus fœtebat: nec enim quartæ diei fœtor est addictus. Quid opus fuit subdere scholium illud: *Soror eius, qui mortuus fuerat*; cùm iam præmiserat, quòd frater esset, qui functus plorabatur. *Frater meus non esset mortuus?* Vt certam faceret fidem de quartæ diei veritate, quæ insomni dolore momenta temporis à fratris occubitu numerabat, vtpote quæ soror erat. Acutè Rupertus libr. 10. in capite 11. Rupert. Ioann. *Quare non contentus est Euangelista dixisse: Dicit ei Martha? sed addidit; Soror eius, qui mortuus fuerat? Videlicet vt omnes auditores huius gloria Dei non dubium arbitrentur, quòd mortuus iste quatriduanus fuerit. Dixit enim non quiuis, sed Martha; neque alia mulier æquiuoca, sed Martha eadem, quæ iam sæpè nominata est soror eius, qui mortuus fuerat, videlicet quæ vulnerata mente, & ideò vigilante, nec dormitare valente memoria, funereos fratris sui dies nescire non poterat.* Quia funereos dies nescire non poterat, quæ soror erat; soror eius non otiosâ ingeminatione profertur. Quid quòd Martha satagat quatriduani defuncti sub lapide iam fœtentis, quem putredo & fœtor, spatiisque dierum à Mariæ corporis incorrupti, & post triduum suscitari, cuius ipsa ferebat imaginem, & à cadaueris Dominici resurrectione discriminabat?

In eo tamen suæ, Mariæque resurrectionis voluit Dominus in Lazaro exhibere figuram, quod 78.
intra profundam tenebricosi sepulchri cauitatem corpus resumeret animam: nec egeret exurgi ad superiorem regionem, sed inibi vitæ reaccenderetur flamma, vbi mortales vmbræ iacebant. Ioan.11.43. Nonnè attendis? Cur inquit: *Lazare, veni foras?* Aliud *venire*, aliud *resurgere* est. Qui venire iubetur, viuens supponitur, cùm sit egressio viuentis de loco ad locum. O efficax Dominicæ vocis viuacitas! Ea celeritate ad obscuræ fossæ fœdum recessum appulit: ea potentia funesta vincola diremit, vt iam peregisse videretur vitale prodigium, cùm ad defunctum peruenit, nonque opus habuisse de resurrectione tractare, quam illicò sparsit; sed de exitu, sic agens cum cadauere, ac si viueret. Perbellè Chrysost. hom. 63. in Ioan. Chrysost. *Non autem dixit: Surge tu, sed veni foras, vt viuenti loquens ei, qui mortuus fuerat.* Clariùs Augustin. sermon. 52. de verb. Domin. *Venit autem* August. *Christus ad monumentum, in quo Lazarus dormiebat? & tanquam mortuum, sed tanquam sanum, tanquam viuum, tanquam audire paratum, de sepulchro protinus vocauit.* Studuit diuina potestas ostendere intra monumenti caueam vitam cadaueribus obuenturam, & ad vocem, sonorumque fremitum tubæ vitam per ima discussuram esse sepulchra, animasque, quà data porta, è receptaculis egredientes, profundas subitâ festinatione visuras esse cellas, vt ibi resumant corpora, quæ reliquerant. Curnè ligatis pedibus, habituque mortis non deposito è latebra Lazarus erumpit? Formidinem Dominica vox incussit: obedientiæ studiosa mors, ne in enodandis vinculis tardaret, vinctum excussit: vt velociùs vita perfudisse defunctum crederetur, statim motum, qui vitæ index est, exercuit; eam restitutæ vitæ abundantiam manifestans; quòd adhuc impeditis per ferales compedes, motuum organis, ex nimia vitalis respersionis redundantia viuidum corpus etiam ligatum sonibus moueretur. Multâ industriâ omnia impedimenta ad motum memorantur: *Prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis; & facies illius sudario erat ligata.* Defecit quidquid opus erat ad gressum: pedes, quibus ambulet: manus, quibus saltem repat: oculi, quibus videat, quò pergat. Adsit Rupertus lib. 10. in cap. 11. Rupert. Ioann. *Mira res! Sic enim ligatus, nec pedibus ambulare, nec saltem manibus reptare; sed nec oculis, quo prodiret, potuit videre. Quid ergo nobis Euangelista hac prodeuntis descriptione induxit, nisi magnam fuisse fortitudinem vocis, vel clamoris, qui mortuum ligatum ad viuos excussit & excutiendo è mortuo viuum fecit.*

Quorsum hæc, nisi vt saltem tantumdem velocitatis in vita corpori Mariæ perfusã fatearis? 79.
Si etenim sic alienæ carnis & putridæ, & quatriduanæ horrenti sepulchro Dominus indulsit, vt vitæ officina crederetur, in qua mortis instrumenta iacebant; quid monumento propriæ carnis, nempe Marianæ, limpidæ, virgineæ, incorruptæ & triduanæ, vitalium munerum largiretur? Ergo quæcumque sancta, quæcumque rationabilia, conspirant in Virginei monumenti patrocinium, mordicusque recusant, in cæteram regionem transuectari debuisse corpus Mariæ, vt vitæ perennitatem capesseret. Descisceret nimiùm à similitudine Filij, cuius in carne communio eandem resurrectionis indolem,

videli

videlicet, & quòd à sepulchro sit, & ab incorruptione, & in triduo, ab hortique florido situ, sibi reposcit. Contestetur, quidquid diximus Damasc. oration. 2. de Assumpt. Virgin. *Quin potius quemadmodum illud sanctum & corruptionis expers corpus, quod Deus Verbum, ex ea personaliter sibi copulauerit, tertio die à monumento surrexit: sic etiam hanc à tumulo eripi, ac Matrem ad Filium migrare par erat: atque vt ipse ad eam descenderat, sic eam quoque ad maius ac præstantius tabernaculum, hoc est, ad ipsum cœlum efferri.* In quibus religiosè nimis, strictéque ad vnguem parilitas demonstratur. Pro monstro esset discordare Matrem resurgentem à Filio: cùm vniuersalis resurrectio imitatura sit Christi exemplar, qualiter graui sententia Tertullian. explicuit lib. de resurrect. carn. cap. 48. *Exemplum porro ex diuersitate, an ex parilitate componitur? Vtique, inquis, ex parilitate. Quomodò autem Christus resurrexit, in carne, an non? Sine dubio si mortuum, si sepultum audis secundùm Scripturas, non alias, quam in carne, æque resuscitatum in carne concedis. Ipsum enim, quod cecidit in mortem, quod iacuit in sepultura, hoc & resurrexit; non tam Christus in carne, quàm caro in Christo. Igitur si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexerit in carne; iam non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne & ipsi resurgemus.*

80. Et quidem grandis energia est in Damasceno in illis verbis: *Atque vt ipse ad eam descenderat, sic eam quoque ad maius ac præstantius tabernaculum, hoc est, ad ipsum cœlum efferri.* Vt quæ præmiserat, probet, subtiliter inopinam illam similitudinem cõtexuit, Incarnationis nempe cum morte & assumptione Matris. Affabrè quidem. Nuncupauerat enim sanctum Mariæ corpus. Id in Incarnatione protulerat Angelus de Filio: *Quod nascetur ex te sanctum.* Dixerat corruptionis expers. Id de se cecinit Virgo concipiens: *Quoniam virum non cognosco.* Ex quo infert eandem Matri & Filio in resurgendo velocitatem obtigisse: quoniam eadem vtriusq; reducis vitæ origo, nempe maternorum viscerum incorruptio. Si enim roges Patres, cur Mariæ corpus tabo, fœdoque vermium agmine læsum non fuit; Dicent: quoniam incorrupta genuit, solida peperit. Quare nec in corpus genitum, nec generans potuit inuadere corruptela. Sic Augustin. serm. de Assumpt. Virg. Andr. Cret. in encom. de dormit. Virg. Durand. in 3. dist. 3. quæst. 1. Debuit non absimilis esse generationi ex Maria regeneratio ex monumento lapideo, qui excisus erat de petra. Benè de petra, vt iam Christi, qui petra erat, symbolum esset. Quin Mariæ regeneratio, qua prodiuit ex morte, eâdem lineâ metienda erat, vt viua ex incorrupto exiret mausolæo, quæ viuum ex incorrupto prodiderat vtero. Ex quo addisces, quid sibi voluerit Cretensis verbis illis suprà expensis: *Consequuta vita finem partui non absimilem.* Qualinè partui? Forsan vitalem Mariæ mortem pandere studens, cui abundans vitæ plenitudo supererat, non potuit alia similitudine pleniùs describere, quàm partus, è quo prima vitæ cunabula ordiuntur; eóque viuaciùs incipit infans viuere, quò impetuosiori auiditate progreditur ad viuẽdum. Quid viuidius morte, quæ partui comparatur; cui verna cunabula; cui funerea lintea fasciæ infantiles; cui ipsa mors & puerpera & obstetrix? Verum subtiliùs. Partui non absimilis mors Mariæ dicitur, id est, suomet puerperio, quo integra peperit & illibata: vt non nuda similitudo sit, sed vnius ab altero illatio & argumentum. Quoniam incorrupta peperit festino virtutis supernaturalis impulsu, claustri reserationem non expectans; incorrupta redeuntem vitam parili festinatione, intra monumenti obserati claustrum accepit. Adhuc meliùs. Mariæ partus ipsemet Christus solet nominari? ergo Maria mortua similis fuit partui suo, nempe Christo: quem vtique quia petra virginea, Mariæ videlicet virginitas, antea pepererat, posteà excisus de petra peperit tumulus. Non huic absimilis Mariæ mors, quam triduo tantùm conceptam petra edidit non absimilis.

Mirum Mariæ generantis & regeneratæ cum petra commercium! Pro immolatione Isaac iamiam à cadentis paternæ dexteræ vibrato ferro mactandi aries hærens cornibus inter vepres apparet, vt igni sacro pabulum esset in holocaustum. Genes. 22. *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus: quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Aries iste verus fuit. Iure rogabis vndene? Respondet Alcuinus: *Aries, qui pro Isaac immolatus est, non putatiuus, sed verus est. Ideò magis putatur Angelum eum aliunde attulisse, quàm ibi de terra post sex dierum opera procreasse.* Quid est *post sex dierum opera*? Quasi requieuisse ab vniuerso opere, quod per hexemeron patrauit Deus, destitisse ab vlteriori creatione fuisset. Alia mens insedit S. Ephræm, Mariæ fœcundæ virginitati proficua audi fantem in serm. de Abraham & Isaac col. 9. *Nam cùm futuri essent homines increduli, qui fidem non præberent partui Sanctissimæ Virginis, qua ratione potuerit sine virili contactu concipere; quasi fieri non posset: idcirco ex rupe arietem produxit, vt quod admirabile erat, ex hoc fidem acciperet. Sicut ergo ibi solo verbo diuinæ voluntatis ouis in rerum naturam prodiit; ita & in Virgine Verbum caro factum est.* Quid hac mente venustius? Quid hac rupe feracius? Carneam ouem produxit saxum: exanimis petra non stylo cælata, non manibus instructa, non calore fota, non imbre rigata; sed ex cautibus rigens & inculta, holocausti animal peperisse profertur, vt iam fidem de Maria virgineè generante sterneret. Ast non vndequaque similitudo ista, figuraque animum complet. Aries etenim, qui apud Ephræm ex rupe prodiuit, inter senticosa dumeta vepribus hærebat, iam inde crucifixi speciem præfigurans, pendulique è ligno in holocaustum pro peccato. Quod & Ephræm subdit: *Et quemadmodum ouis in planta, seu virgulto Sabec ligata hærebat: sic etiam Vnigenitus Filius in cruce clauis confixus pendebat. Propterea clamat Isaias dicens: Sicut ouis ad occisionem ductus est. Rursus autem Dominus dicebat ad Iudæos: Desiderabat Abraham videre diem meum: & vidit & gauisus est: diem scilicet passionis in figura Isaac super montem sanctum.* Cui mortis figuræ subscribit etiam Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei cap. 32. Iam ergo sic cogita. Si aries pendens Christum mortuum figurabat; quomodò ex rupe cõtinuò sub mortis imagine, patibulique specimine emersit: cùm rupes illa virgineum Mariæ vterum expressisset, qui nõ hærentem spineto, non trabibus crucis suffixum, sed viuum edidit & infantem? Satius videbatur in sepulchralis lapidis fidem rupem illam sic feracem ostendi, qui virgineè & ostio inaperto edidit Saluatorem, quẽ è crucis ligno, è redimẽtibus vepribus suscepit immolatum. Imò quia ab vtero

Mariæ virgineè genitricis & puerperæ ad lapidem sepulchri virgineè parturientis prompta & necessaria illatio est, eleganti compendio vsus est Ephræm, comparans ouis parentem rupem cum Virgine generante, vtpote ex qua sepulchralis rupes incorruptè regerminare didicit Saluatorem. Si sic rupium magistra est fœcunditas virginea Mariæ, qualem suo lapidi, quo mortua tegebatur, disciplinam resurgendi inspicaret? Crede in rediuiua Matris & Filij luce similitudinem illuxisse. Crede vtramque incorruptionis vitalis sortem ex virginitate venisse Genitricis.

82. Psal.21.7. Quid est illud: *Ego sum vermis & non homo?* Cur te vermem appellas Domine? An quia illico appetitum manifestas ad lignum: adeò ligni auidus, vt non solùm ligni extremam superficiem, sed intimam profunditatem te impensiùs amare ostendas, ex ligno victitare, in ligno oriri; &, vt in te eius natura transeat, nec tamen externa ligni forma aboleatur, intima ligni corrodere, & 2.Reg.23. in visceribus eius sepeliri? Quid multum? Ipse est tenerrimus ligni vermiculus: ideò forsan tenerrimus, quia à teneritudine ortus sui toto impetu ferebatur in lignum. En mors in vermis dictione figuratur: sed mors in ligno pulchra emphasi; non secunda mors in sepulchro, quæ solet esse corruptela, vermiumque ex cadauere resoluto natiuitas. Christus ligni vermiculus fuit, non sepulchri: quia, licèt mortuus in ligno, non vidit Psal.15.10. corruptionem. Quare hoc? Ex ipsius vermis Virginea natura. Putasnè, cùm vermem se Dominus appellauit, in abiecto despicabilique nomine, illustris originis claritudinem non explicuit, suumque generosum stemma non protulit? Vermis non ex coitu nascitur, non ex illecebra impura concipitur: cariosa eius cuuabula nobilitat virginitas geniturae. Ergo inquit: *Ego sum vermis, & non homo*, id est, non sicut homo ex cœnoso concubitus volutabro generationem accepi: sed sicut vermis, cui pepercit impuritas generandi. Præclarè S. Thom. Sanct. Thom. in Psalm. 21. *Secundo modo vt pertineat ad Christi dignitatem. Vermis enim non generatur ex coitu, sed ex terra solo calore Solis cœlestis. Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, vt dicitur 2. Regum 23. Sic Christus ex Virgine, sola operatione Spiritus sancti. Psal.84. Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. Ideò dicit: Ego autem sum vermis & non homo, scilicet tantum; sed etiam Deus.* Quis sic cogitaret? A verme sibi pangit Dominus dignitatem, ibique maiestatem clarere persuadet, vbi conculcationi, despectuique inter deiectam vermium fortunam humilitas tradi videbatur. De genere gloriatur illustri, dum sibi in vermis insigni blanditur. Eò extollit Mariæ virginitas Filium Dei, vt dum eius irradiet manifestationis scintilla, non eum pudeat despicatissimum vermem nuncupari; eâ industriâ, vt à corruptionis verme se prodat immunem, ab incorruptione genitricis per vermis symbolum se prodat exortum. Quod si vermis hic in Mariæ visceribus non corrosis innutritus conualuit, quomodò in ea viscera vermium agmina conflagrarent, florentisque vitæ reditum fœtido milite impedirent? Id iniuria Genitricis est.

83. Cant.1.16. Cantic. 1. v. 16. *Lectulus noster floridus tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Vtquid florentem lectulum quasi genialé versicoloribus floribus & suaueolentibus herbis pictnrarum præmisit, si posteà domos pluraliter protulit, laqueariaque & lacunaria? Nonnè perpendis: *Lectulus noster?* En thalamus singularis: en cubile; ideò floridum, quia vnum: en hymenæi indiuiduus torus; & tamen tigna domorum inquit. Vtquid diuersa domicilia, cùm aduersa sint sponsalitio nexui, si lectulus vnus est? Sed quæ cedrina dixit tigna, cypressinaque laquearia, noluit rudia & campestria ligna intelligere; sed corpora, quæ à lectulo florido à thalami virgineo virore ad incorruptionis sortem transferunt. Tigna domorum dixit: quia, licèt Mariæ & Filij vna ex generationis virgineæ commercio caro in lectulum vnum floridum compegit, duo verè corpora sunt, non vermibus peruia, non carie morsa, non rimis hiantia; sed cedrina potiùs & cypressina, quæ cum perpetuitate nitoris, totius incorruptelæ præbeant documenta. Bene Guilhelmus Guilh. apud Delrium inquit, non dixisse tantùm domus tuæ, sed domorum nostrarum: *Quia non tantùm domus Iesu, sed & domus Mariæ hoc priuilegium commune fuit; eo quòd Iesus os ex ossibus & caro ex carne Mariæ fuit: ideò enim corpus Matris propter corpus Filij cum corpore Filij à generalis lege corruptionis exceptum, perpetuæ imputribilitatis gratia conseruatum fuit.* Subscribit Alanus: *Domus hæ* Alan. *intelliguntur corpus Christi & corpus Virginis, tigna domorum substantia corporum, quæ dicuntur cedrina, id est, imputribilia. Cedrus enim imputribilis est.* Quæ gustum facient, si obserues pro eo quod legitur: *Lectulus noster floridus*, apud Septuaginta Sept. esse σύσκιος, id est *vmbrosus*, quod Ambrosius vertit Ambrос. *opacus*: quæ lectio à nobilibus Patribus amatur. Quin apud Origenē ad ipsummet accubitum Origen. transfertur: *acclinatio nostra vmbrosa.* Vt noscas, ideò corpora Matris & Filij cedris vetustiora, nitidiora cupressis, quia florida generatio, nempe virginea fuit & fœcunda, sub virtute Altissimi obumbrante. Quid quòd vermium fœda spicula non ferirent corpus, quod voluptatis in concipiendo vermis non pupugit; sed potiùs vermis conceptus est in virginitatis testimonium. Quare Chrysipp. hom. 2. de laud. Virg. *Quam concu-* Chrysost. *piscentiæ fumus non attigit, nec vermis voluptatis eam læsit.*

Ipsa corruptelæ vocabula officioso puritatis 84. obsequio incorruptioni Virginis famulantur: quia vermem genuit, vermes aufugit. Cuius scatere dicitur sepulchrum, qui vermium stylus est, sed charismatibus, sed odoraris vnguentis. Andr. Andr. Cret. Cret. hom. 2. de dormit. Virg. *Quodnam sepulchrum te teget? Quibusnam vnguentis vngent tuum corpus odoriferum, impollutum & plenum sanctificatione; ex quo scatet remissio, ex quo manat immortalitas, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio?* Damasc. Damasc. de dorm. Virg. apud Metaph. *Sepulchra fœtere solent, tristitiam conciliare: ego autem quasi vnguentum pretiosum, & boni odoris particeps; vnguentum, inquam, tam odoriferum & tanta efficacia, vt vel parua sui portione donet defensionem, quæ auferri nequeat: sunt enim reuera eiusmodi charismata diuina, vt ea nullam vnquam inducant pœnitentiam. Lætitia fontem excepi hospitio, & diues remansi perenni eius scaturigine.* En qualibus scaturiat Mariæ sepulchrum: messes odoratæ, irrigua vnguentorum flumina à virginitate scaturientia pro vermibus & tabe sunt. Quā non culpa momordit, culpæ appendix, posthumus fœtor non inuadit. Non te arripuit illud Damasceni: *Sunt enim reuera eiusmodi chrismata diuina, vt ea nullam vnquam inducant pœnitentiam?* Quid est pœnitentiam non inducere charis-

charismata,quibus delibutus manet Virginis tumulus ? Peroptimè explicuit insontem.Innocentiæ argumentum est, in quam nulla pœnitentiæ conscientia cadit.Non eget pœnitentiæ pharmaco,qui saucius non contabuit à culpa. Ergo charismata, quæ à loculo virginei corporis effluunt, cum arguunt insontem promptaque argumentatione deducunt nec pœnitentia in medicinam, nec corruptela indiguisse in supplicium. Quia floridus innocentiæ lectulus fuit : ideò tigna domorum cedrina,ideò cypressina laquaria, ideò in modum testudinis cameamerata , in orbemque rotata, quoniam vteri orbis virum cum pudoris flore circumdedit.

85. Coniuncta sunt, oderuntque deuecti virginitas Mariæ concipientis , & incorrupti corporis
Psal.91.13. tam Filij,quàm Matris resurrectio triduana. *Iustus vt palma florebit.* Legit
Tertul. Tertullianus:*Et florebit Phœnix.* Additque : *id est, morte, de furore , vti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Id ad Christum resurgentem accersit
Epiph. S.Epiphanius in Physiol. capit. 15. *Cur igitur Iudæi iniqui Domini nostri* IESV-CHRISTI *triduanam resurrectionem non crediderunt , cùm auis trium dierum spatio ipsa se suscitet ? Aut quomodò seipsum à mortuis suscitare non potuit , cùm de illo dixerit Propheta : Iustus vt Phœnix florebit ?* Promiscuæ lectionis causa est, quod anonymum sit vocabulum ; nam Græcè φοίνιξ vtrumque significat, & *palmam*, & *Phœnicem* auem : de quo erudite
Cerdens. Tertul. Cerdensis in Tertullianum de resurrect. carn.numer.212. Non tamen quiescit animus in hac anonymia vocis, vt etiam æquiuoca sit apud Prophetam : quid est enim , quod componatur *florebit* cum *Phœnice* aue ? id de arbore propriè, intortè de aue. Verùm si elucubreris , ingeniosa inlatet venustas. Ideò resurrectionis Phœnix symbolum est,quia & virginitatis fœcundæ. De-
Cypr. dimus suprà S.Cyprianum in exposit. Symb. *Et tamen quid mirum videtur , si Virgo conceperit, cùm Orientis auem, quam Phœnicem vocant , in tantum sine coniuge nasci , vel renasci constet, vt semper & vna sit , & semper sibi ipsa vel nascendo , vel renascendo succedat.* En cur Phœnix floreat ; quia redeuotis vitæ per fragrantia, flagrantiaque mortis incendia causa virginea feracitas sit ; adeóque coniuncta est eius rediuiuæ vitæ virginitas fœcunda, vt tunc Virginis concipientis more se gerat,solumque in morte Venus sibi sit;ideò absque illecebra,quia in morte ; ideò fœcunda,quia cum sobole. Lucretius faueat.

Lucret. *Mors illi Venus est, sola est in morte voluptas.*
Vt possit nasci hæc, appetit antè mori.

En quam appositè de Christo , vt vult Epiphanius:*Iustus vt Phœnix florebit :* à conceptione virginea trahitur vocabulum in resurrectionem. Tã arctus nexus inter vtrumque est,vt pro vtrumque vna dictio suffecerit. Nec iocus est ludicer iste vocia ludus à Phœnice,quæ palma,ad Phœnicem, quæ auis,Mutuum amant explicatum.Palma etenim virgineè ferax est sui, tantùm ex obumbrante
S.Ephr. sibi mare, vt aliàs dedimus ex S. Ephræm.

86. Quid hinc ? Patiuntur sub eadem voce geminam significationem Mater & Filius ; & tamen vtramque non dirimunt,sed communicant.Non-
Eccl.24. nè vides ? De Filio resurgente : *Iustus vt palma florebit :* de Matre ; *Quasi Palma exaltata sum in Cades :* vbi cadauer à cadendo est, ibi vt palma Maria exaltatur , surgit vt Phœnix : cur enim non legas ; *Quasi Phœnix exaltata sum*,sicut apud *Zerda , Maria effigies.*

Iob inibi : *In nidulo meo moriar , & sicut palma multiplicabo dies meos.* Scribit Beda lib.2. de ex- Iob 29.18.
posit.in Iob : *Palma autem arbor secundum Græcos* Beda.
φοίνιξ dicitur. Auis quoque illa, quam multi , facilè quidem viuere autumant , φοίνιξ eodem nihilominus vocabulo nuncupatur. Potuit fortasse de eadem hoc loco dixisse , vt sicut illa nidum sibi faciens , in ipso post multa tempora a semetipsa concremari,& rursus de eiusdem nidi cineribus fertur inter breue tempus resurgere,qua deinceps multis viuat temporibus. Obseruo Palmæ & Phœnicis sub vna dictione amicum nexum non iniucundam causam habere in eo,quòd Phœnicis nidus,in quo cunabula,piumque sepulcbrum occumbens simul & renascens construit,vertex palmæ sit,si Ouidio credis lib.5. Metamorph..

Hæc, vbi quinque sua compleuit sæcula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ, Ouid.
Vnguibus, & duro nidum sibi construit ore.

In celebrem de morte triumphum,in virginitatis emblema cacumen palmæ vrna & nidus Phœnicis est:quid quòd illi daret vocabulum,si commisit & vitam, vt ex virginitatis symbolo incensum corpus meliore viriditate vernans reproduceret? En quàm concinna est illa connexio : *Vt Phœnix florebit*,vt inter palmam & Phœnicem alternetur stylus, inter Christum & Mariam , inter virginè generantem,& incorruptè resurgentem.Mirè cogitatum hunc fulcit,quod circumfertur,decedenti Virgini palmam cœlitùs fuisse allatam,quæ vitenti victoria ex virginitate resurrectionem præsagiret. Melito Sardensis de transitu Virg. *Ecce ramum palmæ de paradiso Dei attuli tibi, quem por-* Melit.
tare facies ante feretrum tuum, cùm in die tertia assumpta fueris de corpore. Quod & Niceph. lib.2.
cap.21.contestatus est, & D.Cosmas cognomen- Niceph.
to vestitor apud Auctorem Pomerij lib.12. part. Cosm.
5. cap.2.

Mariæ mors Amor , vt in Amoris circulo ab ipso fine sortiretur. exordium.

SECTIO IV.

PRÆSTAT exquirere, quo iaculo percussa 87.
sacrum spiritum halauerit Virgo;an medicata ab amore sagitta ; an alicuius cuspide doloris;an ægritudinis contagione; an extenuata senio; an pacatâ obedientia ad placidum Domini imperium?Non iuuat fastidioso calamo, Eph.2.14.
raridoque gradu per tot ire dissertationes. Nullo vnquam morbo corpus illud digladiantibus inter se ægræ naturæ qualitatibus , in quo Rex pacificus, qui fecit vtraque vnum, qui medicus venit , genitus fuit , contabuisse consentiens opinio est:quare nec morbo defunctam , quam symmetria , complexionisque benè librata temperies ab initio conceptionis solidauit,suis scriptis consignarunt S. Damascenus de dormit. Virgin. Damas.
Nicephor.libr.1.capit.35. Galat. libro 7.capit.10. Nicep.
Caiet. opusc. de Spasmo Virgin. Arridet Suarius Galat.
tom.2 in 3. part. disput.21. sectio 1. Auctor Po- Caiet.
mer.libr.10 part. 1.articul.2. Dionys.Carthusian. Suar.
libr.4 de laud.Virgin. art.3. Quoniam non mor- Auctor. Pomer.
bo tacta occubuit Maria , non illi opus fuisse Sa- Dion.
cramentorum Extremæ Vnctionis accipere scribit Carth.

 Alber

Albertus Magnos in Mariali cap.74. audi: Alb, Magn. *Et quod hoc Sacramentum potueris Beatissima Virgo non recipere, tanquam exempta per priuilegium, quod confert Dominus his, quos sine infirmitate, & mortis dolore dignatus fuerit euocare: qui, vt videtur, non tenentur ad vnctionem extremam cum oleo ad infirmos pro infirmitatibus institutam.* Non vacat hanc nunc euoluere quæstionem, quæ plura expetit enodanda, & fusim disseritur ab Auctoribus. Ex dolore Mariam obiisse vnum tantum ex Patribus inueni Auctorem, Dam. Petrum Damianum opusculo 55. capit.5. Do verba: *At fortassè dicitur, quia Beata Virgo, qua sine dolore vita Auctorem edidit, dolorem moriendo non sensit. Sed qua auctoritate eam quis diuinetur in corpore non doluisse morientem, cuius animam pertransierit gladius adhuc etiam in carne manentem, præsertim cùm & ipse mediator Dei & hominum moriturus dicat: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Ex quo placito subinfert, ideò in vigilia Assumptionis ieiunia celebrari; sicut ieiuniis celebratur natiuitas Præcursoris: *Si rei dignitas vigilanter inspicitur, idcircò vtraque hæc festiuitas dignè premissis est excipienda ieiuniis: quia & Beata Virgo molestiam carnis moriens pertulit, & beatus Ioannes per conditionem nascendi ex maternis visceribus vagiendo, atque plorando processit.*

88. Nullum amore nobilius mortis genus: sauciat suauiter, deliciosè cremat, parentat, dum enecat; sacrificat, dum comburit; & flammis percussam nitidiùs lucere facit, dum extinguit. Non nisi pennatorum hæc nex est, Papilionum nempe, & Phœnicum: nullum est ab igne cadauer: non cadit, sed volat, auis, quæ moritur in flamma. Doceot te Arabiæ aues de resurrectione Tertul. securæ. *Multis passeribus* (inquit Tertullianus) *antistare nos Dominus pronuntiauit: si non & Phœnicibus, nihil magnum.* Sit ergo in nostræ naturæ nobiliore antistite, Maria nempe, quæ Phœnicibus antistet, quæ igne alis amoris concitato rubens crematur, vt redeat, hæresque sui ab ardore, quo interiit, rediuiua sumat fomenta, quibus surgat. Ergo amoris febre occubuisse Mariam excultior iam, & vrbanior sententia est. Forsan hic est dolor, quem Virgini morienti adscripsit Damianus: Dam. Ambros. *Nec enim minorem febrem amoris esse dixerim* (dicebat Ambrosius lib.4. in Lucam cap.4.) *quam caloris.* Non quòd amans dolest ab amore, sed quòd sauciet amor, sicut dolor. Alb Magn. B.Brigit. Dion. Carth. Metaphr. Laur. Massel. Guerr. Suar. Amore defecisse scribit Albertus Magnus in Mariali cap.171. B.Brigitta in reuelat. cap.62. Dionysius Carthusianus lib.4. de laudib. Virgin. art.3. Metaphrast. orat.3. de vita Deip. Laurent. Masselli lib.6.de B. Virg. cap.19. Guerric. serm. 2. de Assumpt. Suarius 2.tom. in 3. part. disput. 21. sect.1. Non iuuat alios aggerere. Nec desunt, qui refragentur, licèt nimium ignauis rationibus. Communem hanc sententiam amamus. Ipse amor impellit: qui, cùm triumphum de Deo egisset, coram orbis spectaculo occidendo; ne cæteras sagittas, quas parauerat, occiso iam Rege, inertes in pharetra reliquisset, in sacrum Reginæ pectus contorsit, sorteque felici erogauit. Ergo huius flagrantis mortis nobilitatem exploremus.

89. Nulla ad immortalitatem viciniοr semita potuit obtigisse Mariæ, quàm amoris ferro occubuisse. Naturæ conditio, quòd moreretur, vindicauit: nostra interfuit humanos eius oculos lethali sopore mortem signauisse, ne extra calculum naturæ humanæ computaretur, & in Deitatis albo recensita supra creaturæ statum conscenderet. Sic Damascenus de dormit. Virgin. Damas. *Sic Dei Matrem cognoscentes hanc Virginem, celebramus eius dormitionem: non hanc Deam appellantes (absit: est enim gentilium nugarum hæc fabulari: nam eius quoque mortem annuntiamus) sed Dei carne induti Matrem cognoscentes, hanc hodie sacris prosequimur canticis.* Perpende illud: *Sed Dei carne induti Matrem.* Si Mater, quia Deum carne induit, carnea est: mortali debuit falci subiacere. Id poposcit humanitas: non diffitemur. Ast Mater, quà Dei, affinitatem cum Deitate contrahens, à fine videbatur extranea, immortalitati propinqua. Quid agat Sapientia; vt mors eius non casus, sed excessus sit; non cadat, sed cedat, & intra ipsius mortis ferrum ambigat acies, si enecuerit, quam iam immortalem veneratur: pereat, dum interit; dum occumbat, non succumbat; sed soluat naturæ debitum vt humana, & cumulatiore fœnore adhoc viuere credatur, vt Dei Mater? Consulatur Tertullianus, Tertul. quid de morte hominis resurrecturi censeat, imò de vniuersa conditione naturæ: libr.de resurrect. carn. cap.12. *Mira ratio! de fraudatrice seruatrix: vt reddat, intercipit: vt custodiat, perdit: vt integret, vitiat: vt etiam ampliet, priùs decoquit: siquidem vberiora, & cultiora restituit, quàm exterminauit. Reuera fœnore interitu, & iniuria vsura, & lucro damno: semel dixerim, vniuersa conditio recidiua est.* Hoc vulgare, publicumque in vniuersæ naturæ foro est. Maria cum Patre diuino in eadem prole coniuncta, immortalitatis, qua pollet ille, aliquale debuit subire commercium, & in ipsa morte mortem eludere; nec elisa decidere, sed in æternitatis imagine decedere. Ergo formetur in Virgine mors, quæ vitalis sit: vt quæ vitam genuit, è vita egrediens, sciat in seipsa habere quod viuat, immortalitatisque prodocat indicia. Certè sic contigit mors. Damascenus suprà Damas. col.2. *Hodie vita thesauras, gratia abyssus vitali morte tegitur, & ad eam sine metu accedit illa, quæ eam peperit, qui ipsam fregit, & dissoluit: si mortem tamen vocari oportet eius sacratissimum, & vitalem è vita excessum. Quæ enim omnibus eam, quæ verè vita est, edidit, quemadmodum morti fuerit obnoxia? Cedit legi latæ ab eo, quem peperit, & tanquam filia quidem veteris Adam paterna soluit debita. Vt quæ autem fuerit Mater Dei viuentis, indignè ad ea adducitur.* En propinquis syllabis eandem falcem, quæ Virginem demessuit, iam mortem, iam vitam nuncupat Damascenus; & stylo ancipiti nec morti vult obnoxiam, nec à morte immunem: vt denotet in ipso vitæ fine vitale exordium inlatuisse, vt à finis degenerare videatur ratione, qui, vt in circulo accidit, cum principio connectitur. Quata æternitas, quæ finis expers est, per circuli emblema designatur. Hinc paruo interuallo subiicit Damascenus: Damas. *Quomodo quæ vitam ipsam accepit, quæ caret principio & fine, quæ nec principij nec finis seruiuit terminus, non viuet in infinitum sæculum?* Idipsum, licet subobscurè significauerat priùs in illis verbis: *Vitali morte tegitur, & ad eam sine metu accedit.* Quid est *sine metu?* Quoniam potius in ipso fine experitur principium. Id explica ex S.Zenone eadem mer S.Zen. fermè phrasi in occasu Solis vtente serm.3. de Pasch. *Sol quotidie nascitur: eademque die, qua nascitur,*

nascitur, moritur: nec tamen instantis finis forte terretur, suos vt repigret cursus, vt horas ac momenta producat, vt saltem paulò diutiùs diei sui demoretur in vita; sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum cognata noctis contendit, sciens in ipso se habere, quod viuit. Cupis in fine principium? Sic sermone 1. de resurrectione: *Seculorum hæres, & paterno cursu procurrens, atque reuertens solemni meta rotatus, in se proferens sibi de fine principium, natalitia infinita de occasu, dies sempiternus illuxit.* En circulus, gyrusque indefessus, quòd occasus sit natalitium; mors, partus; finis principium. Id de Mariæ morte in superioribus exhibuimus expendentes illud Andreæ Cretensis: *Consequuta vitæ finem partui non absimilem.*

Andr.Cret.

90. Ergo vt vitalem in morte, æternitatis more circulum rotet; quo morietur? Amore. Non alius, sed Dei: vt in ipsa cuspide, & vitæ finem inueniat, qua transfixa: & vitæ initium, qua in meliorem lucem translata. Nonnè in Dei amore circulus est ex æternitate perfectus. Si attendas, non diffiteberis. Deus charitas est, amor igneus, qui consumit, & consummat: consumit absumendo in se creaturam; quare consumptio eius consummatio est, summaque perfectio. Ergo si Deum amas, qui amor est, amorem amas; quòd si amorem, huiusmodi feruentissimo motu in infinitum irrequietus abibis: nam amare amorem circulus est: amor enim non est, nisi alicuius obiecti sit; quod si ipsum obiectum amor sit, absque vlla cessationis spe semper amabis amare. Profundè Hugo Victor. de gradibus charitatis: *Desiderium est fames amoris, Deum amans anima, amore non satiatur, quia Deus amor est: quem qui amat, amorem amat: amare autem amorem circulum facit, vt nullus sit finis amoris.* En circulus absque fine amor; in se reproductus regreditur: & mobilis regyratur. Ergo Mariæ vitæ finis amor sit, vt ibi resumat perennitatem viuendi, vbi vitæ finem contingit. Amoris diuini circulum æternitati pulchrè deputauit Sanct. Thomas. in Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus lectione 11. *Quædam circulatio apparet in amore, secundùm quod est ex bono, & ad bonum. Et illa circulatio conuenit æternitati diuini amoris: quia solùm motus circularis potest esse perpetuus. Et hoc est, quod dicit, quod amor est sicut quidam circulus æternus.*

1. Ioan. 4. 16.

Hugo Vict.

S. Thom.

91. Et quidem nulla via satiùs potuit monstrari, aliquantulam æternitatis cum Patre superno communionem Virginem fuisse sortitam, quam si id ipso mortalitatis casu se committeret amori, vt venenata sacro medicamento spicula in cor iaceret, quando nullus mortis satelles, dolor videlicet & morbus audebat percutere. Pluries enim aduertimus non defuisse Auctores, qui æternitatis terminum primatium velint esse duas processiones adintra, diuinosque terminos perfectissimi motus per intellectum & amorem. Attende. Terminus Paternæ intellectionis in Mariæ vtero se includit sub virgineo circulo: terminus amoris Spiritus sanctus cum fluuiis charismatibus se infuderat: qui cùm amor sit, & quasi finis Trinitatis, æternitatis index est, quia circulum constituit, & quasi regyrando conseruat. Gerson tractatu 3. super Mag. Academ. 4. section. 2. expensus: *Considerat hæc fides circulum quemdam intelligibilem triangulo personarum. Pater enim dat se Filio, quem diligit; Filius Patri impendit se per amorem, quo flagrat in Patrem. Hinc autem amor communis est Patri & Filio tanquam nexus amborum.* Attamen nondum perfectè videbatur amoris indolem, Spiritusque sancti proprietatem in Virgine insedisse, donec amoris moreretur incendio: cùm tamen terminum diuinæ intellectionis Verbum Dei adeò in se medullitus traduxerit more intelligentis, vt etiam vsque ad vterum carneum traxisset. Scis discrimen inter intellectum & voluntatem: ille res trahit, ista trahitur à rebus: ille in mentis aulam accersit obiecta, quorum stipatus speciebus, intellectionum peragit exercitia; ista pondere rei amatæ vergit & allicitur, suauiter à se auellitur: animum, in quem amat, declinat; nec postquàm sauciat, sauciatur, nisi à se abscedens, sibi decedat, viuat in dilecto. Ergo Maria, quæ perfectissimè intellectus munus compleuerat in plurimùm extranea regione, nempe in vtero, ad quem diuini intellectus Verbum traxit, non æquè indolem expleret diuini amoris, nisi traheretur in Deum; eà impulsus nouitate, vt ex ipsa carne, quæ traxerat Verbum, anima traheretur in Deum, & suauis ponderis magnitudine, fortique attractu vitalia vincula soluerentur, & quæ Deum adduxerat, in Deum ferretur. Sic vtriusque emanationis diuinos terminos eximiè in se Virgo Mater explicuit, circulumque sacrum peregit à Deo in Deum, in quo æternitatis symbolum elucet. Ergo Maria, quæ vsque ad suam carnem virgineo intellectus more Deum traxit, non vsquequaque perfectissimum circulum impleret, nisi ex carnis vinculo per amoris impulsum animâ denexâ abduceretur in Deum: vt sic in ipso fine, æternitatis adumbraret imaginem; & quæ extra naturæ, mortisque terminos supergressa fuit, in diuinæ fœcunditatis terminorum imitationem adiret. Ex quo capies illud Damasceni: *Quomodò quæ vitam ipsam accepit, quæ caret principio & fine, quæ nec principij nec finis seruiuit terminis, non viuet in infinitum sæculum?*

Gerson.

Dam.

Cupis circulum? Traxerat Virgo ad corpus Filium Dei: & dum moritur, corpus à Filio trahi solicitat, vt tota ad eum veniat, qui totus ad eam venerat; vt ad eum abducatur, quem ad se conduxerat. Completa est intellectus & amoris indoles etiam in carne Mariæ. Allexerat sibi ad carneam vuluam Deum, & caro per amorem emortua ipsimet Filio Dei mandatur, vt ad se vehat. Non discedas à Damasceno. Sic describit Virginem Filium in vestibulo mortis alloquentem: *Meum corpus tibi trado, & non terræ. Custodi saluum, quod tibi placuit habitare, & cùm natus esses, conseruasti Virginem. Tu me ad te transfer, vt vbi tu es fœtus meorum viscerum, ego tecum quoque degam. Ad te enim propero, qui ad me venit, stasti citra vllam spatij distantiam.* En amoris ars: tradit Filio corpus, vt etiam in corpore trahatur à Filio, qui illius amoris obiectum est; non aliâ ratione, nisi quia ipsa prius traxerat eum. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Qualis, Domine, mutatio hæc? Terra te traxit, Pater te tradidit vsque ad Virginei vteri penetralia; vt in medium terræ vergeres, descendisti. Quid est, quòd in patibulo suffixus, omnia ad te tracturum esse glorieris? Profunde vtrobique naturam Verbi intellectualis explicuit. Intellectus trahit res ad se, cuius conditionem ventri Matris impertitus est; & tamen quia post mortem clarè iam se Verbum Patris euulgauit; quid quod ad se traheret cuncta? Sed præcipuè Mariæ corpus ad se traxit, quoniam per amorem decedens, necessum fuit ab

92.

Dam.

Ioan. 12. 32.

amoris obiecto capi. Misero Adam indicitur, quod est puluis; & tamen terræ mandatur: *Reuerteris in terram, de qua sumptus es.* Cur non reuertatur in omnipotentis figuli manus à quibus ambitiosâ maiestate plasmatus? Cur si à Deo venit, ad Deum non vadit, circulumque compleat? Quoniam non amoris sagitta enectus est: potiùs quia non amauit, decessit: quia præuaricatus est, mortis stipendia luit: quid quod non trahatur in opificis manus, à quibus animosum figmentum euaserat; sed vt puluis ante faciem venti euentiletur? Quoniam se homo à Deo per inobedientiam abduxerat, statuit eum Deus contra faciem suam; nec ad manus redire permisit, sed in euanidum puluerem fecit abire. Rupertus: *Vide, quàm terribiliter hominem, qui existimauit iniquè, quòd esset Deo similis, arguat, & statuat eum contra faciem suam dicendo, quod puluis es, & in puluerem reuerteris.* Maria quia amore moritur, in Domini manus artifices à primordio spiritum committit, & carnem. Ea emphasis est in Damasceno suprà: *In manus tuas, Fili, commendo spiritum meum: suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione: meum corpus tibi trado*, &c. Quid est, quòd spiritum & corpus commendet in Filij manus, si spiritus, seu vitæ spiraculum ab inspirantis in faciem protoplasti, ore & spiritu venit, & corpus tantùm è manibus in officina potentis figuli euasit? O qualis per amorem circulus! Inspirauit Dominus in faciem Adami spiraculum vitæ: respirauit ille, vitalesque halitus efflauit; non verò in diuinam faciem: nec illicò restituit, emittens per gratitudinis, repensique amoris retributionem spiraculum, quod hauserat; non intima traxit suspiria, vt à toto corpore spiritum recolligens amoris industria exhalaret animam, vt ibi viueret, à quo exierat. Id amoris vis est: non enecat amantem; & tamen adhuc ligatam in eius corpore animam trahit in amatum. Primigenius, dum primum spiraculum vitæ ebibit, viuere incepit; respirauit, sed non suspirauit: sibi auarus compressit spiritum; nec per gratitudinis guttur restituens, quasi suffocatus expirauit. Pulchrè Rupertus libr. 2. in Genes. cap. 39. *Formante Deo, & inspirante spiraculum vitæ, factus in animam viuentem non suspirauit eodem spiraculo vitæ acceptæ in plastæ sui faciem, vt adoraret, & ei glorificaret, & ei gratias ageret.* Pondera illud *Eodem spiraculo vitæ acceptæ in plastæ sui faciem.* Ingeniosè nimis. Exufflat Deus in figmentum suum, inspirat in faciem Adam; ergo à facie in faciem spiraculum iuit: quomodò si illicò respirauit ille, non in faciem Domini spiraculum rediit? Quàm intortè ingratus halauit; diremit circulum, prodegit spiramen quasi abliguriens. Quid quod Dominus quasi solicitus spiritum quæreret & auram, & post piaculum deambularet ad auram post meridiem? Secus Maria ea impulsus auiditate adhuc expirans, restituit spiritum, & in Domini faciem eructat: vt ex impetus abundantia etiam velit, quòd vsque ad manus opificis sui pertingat, vt non solùm corpore manibus restituto, sed etiam spiritu, formationem corporis rependeret.

Gen. 3.
Psal. 17. 43.
Rupert.
Dam.
Genes. 2. 7.
Rupert.
Genes. 3. 8.

93. Didicit Maria à Filio per amorem circulum conficere. Scis illud: *Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Exiuit per generationem æternam: per amoris illicem, siquidem est, in quo benè Pater complacet, vadit. Ideò in cruce: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et adnotauit Euangelista, quòd *hæc dicens expirauit.* Illud respirare, spiritumque dimittere, expirare fuit: vt edoceret, tunc perfectè circulum compleri, cùm amoris indoles exercetur, & quod traxit spiraculum homo, reddit Deo. Verùm quid est, quòd in extremis verbis Patrem signatè compellet? Attende, quòd prima verba Iesv, quæ scripta sunt, cùm duodennis secessit in templum, de Patre fuerunt. Ergo cùm vitæ, & spiritus indicium loquela sit, & Iesvs Verbum Patris, primum, quòd efformat, verbum Patrem illicò manifestat: *Nesciebatis, quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Iam inde generationem æternam propalauit, vtpote per quam, & quòd Verbum sit, accipit, & quod vita. Ergo vt reddat Patri, vt redeat ad Patrem; vltima verba, dum spiritum exhalat, etiam ad Patrem construit. Acutè Caietanus Luc. 23. *Nec prætereas, quod sicut prima scripta in Euangelico verba Iesv à Patris nomine initium sumpserunt, cùm dixit duodennis in templo: Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? ita vltima Iesv in cruce in Patre finita sunt, dicendo nunc: Pater in manus tuas, &c. Vt intelligamus ab extremis media verba tendere ad declarandam, & propagandam fidem æternæ processionis suæ à Patre.* O qualis imitatio in Virgine! En vltima verba apud Damascenum: *In manus tuas, Fili, &c.* An & prima, quæ scripta sunt Virginis verba de Filio fuerunt? Non diffiteberis. Dixerat Angelus: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius* Iesvm: ast illa: *Quomodo fiet istud?* Quidnè *istud?* Vt totum comprehenderet, compendio dixit, Filium indicauit. Istud est: *Concipies in vtero, & paries Filium*, illustriaque deinde Filij stemmata, nomenclatura, genus, & à Patre summo generosa progenies: hæc enim in vna dictione implicuit, ne aliquid subsileret, sed cogitatum, linguamque in vnius plenitudine dictionis saturaret. Sic emoritur, vltima verba in Filio, in quo & animam deponit.

Ioan. 13. 3.
Matth 17. 3.
Luc. 22.
Luc. 2. 9.
Caiet.
Luc. 1.

Amore mori declarauit. In quonè? Dixi amorem ingeniosiori industria peragere, quod assolet mors, nempe animam aliò transferr, videlicet in amatum: nec tamen dirimit vinculum, vitalemque nexum dissoluit, corpusue extinguit in cineres sed viuidum, strenuumque conseruat. Maria verè moritur, exhalat animam, nexus amputatur: attamen quia enecat amor, breui interuallo corpus resumere parat; instaurare vinculum; vt amoris perduret ingenium, qui non cadauere, sed totius amantis integra vita contentus est. Qualiter hoc Maria decedens explicuit? Præscriptis verbis; quæ sub cruce didicit à Filio: *In manus tuas commendo spiritum meum:* Si enim Græcum consulas, intelliges idem esse; quod *depono*, in quo resurrectionis celeris publicauit indicia. Præstat audire Caietanum: *Dictio Græca significat commendationem depositi resumendi. Et significat ad litteram certitudinem suæ resurrectionis. Nam affirmando quòd deponet (moriendo secundùm corpus) spiritum in Paternis manibus, simul affirmat resumpturum se depositum de Paternis manibus: alioquin vanè deponeret. Humano more diuinam custodiam significat similitudine manuum Solemus enim depositum commendantes charum, in manus proprias amici assignare.* Maria deponit spiritum in manus Filij, vt respiret, & expiret in eo, & quod ab ore spiritum nunquam temeta 94.

Matt. 17. 25.
Caiet.

temeratum exuxit, per amoris osculum, & suspirium in ore deponat. Sic mortuus dicitur Moyses; Deut. 34. Deut. 34. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.* Circumfertur Hebraicè esse, *Mortuus est, Moyses in os Domini,* vel *in osculo Domini.* Profectò sic amore languentem describit Guerricus Mariam in mortis (Guerr.) limine alloquutam, sermone 2. de Assumptione: *Osculetur me osculo oris sui. Quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formauit ipse conditus, & conditor? Deinde Dominus respondit: Flagitasti osculum oris: quinimò tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo, & indissolubili.* Quid pulchrius? En spiritum in faciem Domini spirat ab amoris spiculo transfixa, aduersùs Adami piaculum, qui in suum spiratorem non respirauit. Mirum est autem, quod verba, quæ omnium fermè Patrum calculo Incarnationi deputantur, Mariæque, quando per osculum Diuini oris, qui Spiritus sanctus dicitur, Verbum Patris ab eius intimis visceribus hausit, Mariæ morienti attribuat Guerricus, quin & Bernardus sermone 1. de Assumptione: (Idem. Bernard.) *Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis. Nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris in beata salutatione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ epithalamium canens, & dicens: Osculetur me osculo oris sui?* Et optimè. Compleuit circulum. In osculo duplex nectitur os, & alterno afflatu ex altero in alterum immittitur spiraculum Maria concipiens delicioso suauio suxit à Deo Deum, perfectissimum Spiritum, vt carne tegeret: suxit per osculum Spiritum sanctum, vt charitas vsque ad carnem diffusa foueret ad fœtum. Maria moriens osculum instaurat: figit iterum labra, instillat, quod in se melius est; aliqualiter dependit: quod suxerat: immittit spiritum totaque fugitur intra Filij os per amorem; sic ex impressione labiorum in vnum spiritum transire videtur cum Filio.

95. (Luc. 2. 35.) Iam venustum explicatum accipiat illud Simeonis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quid est *Tuam ipsius animam?* De doloris cuspide, quo sub patibulo cruci transfossa fuit Maria ad dilecti Filij lanienam, accipiunt plures. Impensiùs de amore, quo enecta fuit, expendentem. En Simeonis vaticinium: Gladius amoris te transfiget; ab hoc ferro occumbes, cùm adeò excreueris in amore, vt tota anima tua in totam animam transeat amati; & tua sit, quæ ipsius; ipsius, quæ tua. Id saporis est in illis: *Tuam ipsius* (Hugo.) *animam:* ly enim *ipsius* non ad gladium, sed ad animam refero cum Hugone, qui ait: *Tuam ipsius animam, id est, animam, ipsius Christi, quæ tua est. Tuam ipsius animam, id est, tuam animam, quæ est ipsius Christi.* Hoc emblemate ænigma construxit; ac si clariùs dixerit: Amore morieris: tunc enim amor penitùs trucidat amantem, cùm absque vlla diuisione eius animam in animam amati traducit, vt quasi ex intima penetratione ferruminet, & commisceat. Cur non inquit: Configet gladius, sed pertransibit? Auspicatò adstipulatur. Vt denotaret nullam portionem ab hoc gladio immunem, ab amore futuram esse vacuam. Gladius quidem occidens non omnem corporis vulnerat portionem, nec vsquequaque ferit; sat illi, si vni parti plagam incutiat, cuius ad vulnus totum corpus cadat, amputatoque nexu spiritus haletur. Amor pugnacior est, suauiterque crudelior: ni totum feriat, non enecat; ni totum penetret, & in amatum transuehat, non munere functus est. Ergo Simeon ait: Te pertransibit gladius amoris Filij tui, cùm per omnes animæ tuæ partes transiens, & feriens per affectum tuam ipsius animam efficiet: sic morieris. Venustè Bernardus serm. 1. de Purificat. *Est gladius amor Dei,* (Bernard.) *qui Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore reliquerit.*

Pertransiuit gladius amoris, & amantium more vtrumque sub acie coniunxit. Scis amasiam nimiâ febre languentem ad conspectum dilecti; quem mucro transfodit, in ipsius ferri acumen cadere solere, vt idem feralis gladius cruento nexu, ferreoque harpagone sepeliat, & inter enecta reciproca brachia medio mucrone alter sit sepulchrum alterius. Vide quid sub Mariæ symbolo, Cantic. 2. versiculo 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Septuaginta legunt, *Confirmate me in vnguentis, stipate me in malis, quia vulnerata charitatis ego sum.* Pulchra antonomasia. *Vulnerata charitatis,* inquit, non *à charitate;* quasi tantùm sponsa sit, quæ vulnere amoris occubuit. Quid est, quòd fulciri se floribus efflagitet? Qualia fulcimenta deposcit? Flos absque valido stipite ad breuem auram nutat; etiamsi manus non legat, suimet teneritudine emoritur. Si sponsa cadere timet à morte; mors enim est, quæ cadaueri, id est, cadenti nomen imposuit; quid satagit substratis floribus, tanquam in marmoribus fundari? Sponsa quidem fundamenta petebat; ne iam præ amore moribunda defunctorum caderet more, sed insolito mortis genere adhuc decedens, non caderet, staret validiùs, viueret firmiùs, velut iam cum duplici spiritu, siquidem per amorem in dilecti spiritum transibat: ideò radix Hebraica est apud Delrium: *Fulcite me in fundamentis.* Amanti quale firmius fundamentum, quàm amor? Benè ergo flores & poma postulauit pro fulcro: amoris enim symbola sunt, de quo plena eruditio est. Quæ amoris vulnerata moritur; ne in ipso mortis casu cadat, in ipsomet amore fundari cupit, vel potiùs cadere in amatum, vt ex penetratione vnà cum ipso putetur. Quare iam lætabunda, quòd desiderium nacta, inclamat: *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Considera positionem, intimum intueberis amplexum. Læuam sub capite ponit, vt altius, & firmius osculum figat: ne caput nutet, amplectitur dextera, vt totum tegat, & vnum ex duobus conflatum appareat. Quæ florida amoris fulcra quærebat, inuenit pro perpetuo & stabili fulcimento dilectum ipsum: quare non solùm non labitur; sed cùm cæteri defuncti cadunt, innixa super dilectum ascendit; &, quæ mediâ charitate constratum ferculum expetebat, ascensum purpureum sortita est.

96. (Bernard.) (Cant. 2. 5.) (Septuag.) (Delr.) (Cant. 8. 5.) (Ibi 3. 10.)

97. (Cant. 8. 6.) Puderet in hac suaui ab amore perpetrata cæde silentio sopire illud sponsi ad sponsam, Cantic. 8. versiculo 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Nouâ luce illustremus. Qualis consequutio hæc: *Pone me vt signaculum super cor tuum, quia fortis est vt*

vt mors dilectio? Peroptimè, si sic mediteris, & transferas ad Mariam. Scis pientissimum, etiam cùm ad plectendum accingitur, Dominum signum imposuisse Cain, vt nemo auderet occidere, quem Regio sigillo cælauerat, Genes. 4. Gen. 4. 5. *Posuitque Dominus signum in Cain, vt non eum interficeret omnis, qui inuenisset eum.* Satagit Deus, vt Virgo Mater & Sponsa nullo extero telo tacta decumbat, non intemperie decedat, non morbo intereat; sed amore, vt hoc spiculo transfixa illustriùs ardeat, validiùs duret. Ergo vt non audeat vlla vulgaris mortis manus, nec ad cor, in quod mors sagittam intendere solet, vlla feralis accedat lues; vult, quòd ipsemet vt signaculum super cor Virginis ponatur, imprimatur super brachium vt signum, quoniam vt Maria moriatur, sat est amor, *quia fortis est vt mors dilectio.* Ideò non solùm in corde, sed & in lacerto iubet sigillari, vt intus & foris per signaculum aduersùs extraneam mortem rubricetur. Imò quia signaculum hoc ex vehementi amoris impressione venit; amor autem viuaciùs, & validiùs in rem amatam transformat, & similitudinem imprimit amati; sicut cera in sigilli formam pertransit; ideò tanquam causam signaculi amorem subdidit. Guilh. Bellè Guilhelmus: *Imprimere mihi quasi signaculum per amorem, mihi fortiter adherendo, vt a me quasi signaculo formam accipias, & meam subtili expressione similitudinem trahas. Quanta fuerit impressio amoris, tanta erit expressio similitudinis.* Cur autem non alio mortis genere, sed amore voluit Sponsam occumbere, venustè subindicat inferni & lampadum similitudine. Solicitat, quòd ipsa mors vitalis sit, cineres non agat, non depopuletur corpus, & longa ab anima sequestratione puniens deuastet; sed quòd illicò redux vita viuidam lethi industriam præconetur. Ergo amori committit, vt enecet: amor enim quò magis adultus, & magis vehemens est ardentiorique flammâ animam adurit, vegetiorem reddit, perennitatisque scintillis inflammat; nec corpus denectit, nec denexum absumit. Id gemino confirmat exemplo: primum est: *Dura sicut infernus æmulatio.* Æmulationem pro ipsomet amore accipio. Infernum, non pro busto, sepulchro, tumulo, aut morte; sed pro Orco, in quo damnati plectuntur, accipiendum hic pluribus eruditè probat Delrius. Delr. Qualis est ignis inferni conditio? Insatiabili gutture excedit animas, mandit corpora; & tamen nec in fauillas redigit, nec vnquam consumit; perpetua illi pascua sunt nunquam satis deuorat, quin idipsum suppetat deuorandum: quasi Tityj iecoris fibræ sub volucrum rostris perpetuo supplemento recrescunt. Sic animum depascit amor, vt augeat: sic Virginis corpus diremit à spiritu, vt nec contriuerit in puluerem, nec contempserit in sepulchro, sed viuidum reddiderit, vt in meliore flamma, videlicet in empyreo, viuens arderet. Cant. 8. 6. Secundum exemplum est lampadum. *Lampades eius*, inquit, *lampades ignis, atque flammarum.* Cur non rogo, liberoque, & luxurianti igni, qui per syluam grassatur, flammantem comparat amorem; sed lampadi, in qua potiùs coërcita vis igni quasi sub annulo comprimitur? Quàm appositè! Liber & vagus ignis annosas quercus, procerasque cypressos, dum exedit, reducit in cinerem: nec atrocitati parcit, quousque intra pulueris aggerem iaceat sepultus. Flamma lampadis vix facit cinerem, sensim nutritur; non cadauericeis delectatur reliquiis: & ardet permanentiùs, & mitiùs alitur. Sic amor est. Adsit Guilhelmus suprà: Guilh. *Quantum habet olei, tantùm ardet; & ardendo non minuit sibi oleum, sed auget sic enim hoc oleo ignis iste alitur, vt tamen ab hoc igne oleum istud nihil dispendy patiatur.*

98. En Mariæ mors per amorem depicta. Si refrageris, vrgebit te in hunc cogitatum id, quod de Virginis Assumptione vno agmine Patres accipiunt. Cant. 3. v. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Si vt virgula fumi ascendit, ex igne vtique ascendere probatur, non ex puluere, aut cinere. Demirare Virginei cadaueris prærogatiuam: tam longè à cineribus fuit, vt ignis ipse putetur, etiam postquàm spiritum vt fumum in superos exhalauit. Quare Hailgrinus: Hailg. *Sicut virgula fumi, quia fumus agilis ex calore ignis nascitur, & in sublime euectus humano se subtrahit aspectui.* Annè in his mors per amorem delineatur? Adest Sanctus Hieronymus in Assumptione Virginis: S. Hieron. *Et benè quasi virgula fumi, quia gracilis, & delicata; quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Ascendebat de deserto præsentis sæculi virga de radice Iesse olim exorta: sed mirabantur electorum animæ præ gaudio, quænam esset, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem.* Quòd si dicas non omnino absolutum à puluere gracilis huius virgulæ fumum; meditare ex quibus aromatibus pigmentarij pilo contusis puluis hic euenerit: *Ex aromatibus*, inquit, *myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Non hic puluis mortalitatis est non his granis delectatur mors; potiùs myrrha soliditatem corpori conciliat; potiùs thus pio suffimento immortalis cultui Deitatis spirat odorem. En in ipsa Virginis morte quædam æternitatis per areolam myrrhæ, & thuris vaporant incidia. Fumus ille ab igne amoris excussus, si ab expirante Maria exhalatur, nequit nisi ex myrrha, & thure spirari; non ex puluere terræ, cui addictus Adam post piaculum fuit. Non malè Rupertus: Rupert. *Tu dicis: Puluis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit: & ille dicit: non, sed puluis pigmentarij, puluis myrrhæ, & thuris, qualem pigmentarius Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suauitas mentis; & ex myrrha probatissima, quod est incorruptio carnis.* Quid quòd Spiritus sanctus pigmentarius iste putetur, si ipse vnguentarius fuit, qui in vtero Virginis, vnguenti plenitudine diuinam sobolem vnxit iam inde præsagiens Mariæ corpus ex vnguentorum redundantia delibutum visurum non esse corruptionem; sed in Spiritus sancti velut officina in odora aromata, vnguentaque fuisse transiturum. Quare Andreas Cretens. nomen vnguentarij delegit, cùm ea verba Mariæ in cœlum ascendenti adscribit homil. 1. de dormitione Mariæ: Andr. Cret. *Te Canticorum sanctus liber præscribens, mysticè præsignificauit, quæ est hæc, quæ ascendit ex solitudine tanquam rami fumi suffita myrrha & thure ex omnibus pulueribus vnguentary?*

99. Iam inde immortalitatis pignora præludebant. Superuenit Spiritus sanctus in Virginem, qui amor & ignis est; sed nec in cineres redigit, nec absumit, quem cremat. Maria in vtero totum Deitatis ignem illæsa concepit, vt iam exinde

Damaſ. de addiſceret non incinerari, cùm moreretur ab igne: vipote ah amote, qoi fauillas ignorat. Id ſubiuulit Damaſcenus orat.2. de Aſſumpt. Virg. *Quo pacto ipſe à ſua maieſtate non excedens, ad ſublimitatis parentem exinanisionem benignâ Patris ac Spiritus voluntate deſcenderit. Quo denique pacto Virginis corpus, quod ex materia concretum eſt: atque ad fœni naturam accedit, huius clara Deitatis ignem conſumendi facultate præditum exceperit, atque auri inſtar purum extiterit.* Obſerua contextuiam hanc. Qui ex voluntate Pattis & Spiritus ſancti in Virginis vterum deſcendit, ignis ille non Virginis corpus abſumpſit, ſed Virgineam carnem aſſumpſit. Quid ad hoc profuit ea voluntate Patris & Spiritus deſcendiſſe? Quoniam deſcendens ex amore, ignei amoris debuit indolem obſeruare, ad cuius flammam, etſi ſtipula ſit, fœnumve, amantis caro, non puluis ſit, ſed ex adhæſione ad amatum quaſi duplicato pondere ſolidatur. Quot ignibus cingitur ſupernus Pater; & tamen *ſolus habet im-*
1.ad Timot. 6.16. Ioan. 1. Pſ. 103.2. Exod. 3.2. *mortalitatem*, emanat ab eo Filios, qoi lox eſt, quà Verbum; emanat Spiritus ſanctus, qui ignis, quà amur: ignis in conſpectu eius amicitur lumine ſicut veſtimento. Si ſic inter ignes æternatur, quid quòd eius voluntati deputetur Virginis non combuſſiſſe corpos, ſed potiùs ea congeſta deſuper flamma tubum in ſtabilem humectauiſſe virorem, vt pòſt & ea amore moreretur, & ob amoris ignem à cinerum eximeretur reliquiis. Conſpice poeros intra Babyloniæ fornacis ignes, quos illuſtrat flamma, non cremat, & in duo munera partitus ignis dat lucem, reprimit ardorem. Quid quòd parcat facili, teneroque alimento, & adhuc inter guttora non deglutiat?
Dan.3. Conſule Regem: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Qui ſignatè Filium Dei nuncupauit, noluit à prodigio Patrem eximere, vtrique vnâ dictione miraculum deputauit. Ea Pattis voluntate fuit &
Luc.12.49. Ioan 3.16. Pſ 109.3. Act.2. amore, quòd barbarus ignis fratres non læderet. Mirum ab igne conſeruandi genus! Filius Dei, qui ignem venit mittere in terram, qui ex igneo Patris amore deſcendit, qui flammeum Patris vterum in Sanctorum ſplendoribus incolit, qui igneis Spiritus ſancti linguis prædicatur; vt ignē extinguat in ignis camino ſoperadditur. Benè conſuluit. Ignis ipſe eſt, ſed amoris, qui dum vehementiùs adurit, incorruptibilius conſeruat. Babylonio ſe immiſcuit igni, vt illi documenta præberet, ne vel capillos lamberet puerorum, quos voluntas, amorque Patris & Filij abſque
Iren. incineratione cremabat. Hùc ſpectat Irænens lib.c.5. *Ananias, Azarias, & Miſael, miſſi in caminum ignis ſeptuplum exardentem, neque nociti ſunt aliquid, neque odor ignis inuentus eſt in eis. Quæ igitur affuit illis manus Dei? Quid mirum, ſi in his, qui tranſlati ſunt, efficit aliquid inopinatum, deſeruiens voluntati Patris? Hic eſt autem Filius Dei, quemadmodum Scriptura ait dixiſſe Nabuchodonoſor Regem: Nonne tres viros miſimus*, &c. Coniunge illud *Deſeruiens voluntati Patris* cum illis Damaſceni *Benigna Patris ac Spiritus voluntate deſcenderit.*

100. Nec renuas ab hoc amoris igne occubuiſſe Mariam, vt nulla virgineum corpus inuaderet corruptela; & ipſemet Filius, qui ignis in eius vtero illuxerat, nec combuſſerat, ignis ſit, vt in ſe per amorem abſumat, nec conſumat, ſed ſer-
Auguſt. uet. Auguſt. io ſerm. de aſſumpt. Virg. *Si elegit diuina voluntas ſola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas non ſolùm puerorum corpora, verumetiam veſtimenta ſeruare illæſa: cur abnuat in Matre propria: quod elegit in veſte aliena?* Obſerua tibi emphaſim hanc: *Cur abnuat in Matre propria*, id eſt, non ſolùm quæ propria Mater fuit, ſed quæ & propriè, vtpote quæ in integrum integra genuit, nec viri indiguit comitatu: imò bis Mater propria, & quia naturâ, & quia amore: ea amore enim genuit, vt fusè in ſuperioribus tractauimus, vt perfectiùs eſſet & ſtrictiùs Matris & Filij vna caro, *Quod elegit in veſte aliena*: bis aliena, & quia puerorum propria, & quia impropria, & extranea Iudæis. Vt diſcas qualis ſit huius flammei amoris actiuitas: nec extranea vſquequaque filamenta, extremumque etiam nimis alienæ veſtis limbum cremari permittit, ſi ſemel attingant eorum corpora, quos inuaſerit ille. Pulchrè Tertullian. de re- Tertul.
ſurrect. carn. cap. 58. inde reſurrectionem deuictâ corruptelâ probat: *Quòd Babylonij ignes trium fratrum nec tiaras, nec ſarabara, quamquam Iudæis alienas læſerunt.* Perpende hoc: *Iudæis alienas* & coniunge cum Auguſtino *in veſte aliena.* Quare Damaſcenus orat 1. de dormit. Virgin. ſic Vir- Dam.
ginem alloquitur: *An non te fornax illa deſignauit, quæ ignem ſimul & refrigerantem & inflammantem oſtendebat, diuinique illius ignis in te habitantis typum gerebat;* [illegible]

Si ignis iſte cœleſtis veſtimenta non vſſit, cur 101.
in igneam raptus quadrigam Elias pallium de- 4.Reg.2.
mittit, quaſi veritus, ne pabulum igni præberet? Imò deponit veſtem iam immortalitatis candidatus, quam ex ſententia mortis ob piaculum induit caro, iam ſe inde corruptionis inſimulans, quæ cœpit egere tegumento, vt elementorum arceret iniurias, & corruptelæ abſconderet pudorem. Victor in flammea thedâ per cœleſtem campum ouat Elias: quia corruptionem euaſit, Gen.39.12.
iacit pallium. Sic Ioſeph aduersùs virginitatis hoſtem triumphator pallium in corruptelæ, id eſt inhoneſtæ Ægyptiæ manu reliquit: quaſi per incorruptionem inciperet paradiſum incolere, in quo nuditas pro perenni veſtimento fuit. Quid quòd pallium exoat Elias, ſi intra igneum currum caro non torrebatur; imò aſſurgebat in cœlum, quaſi de ſpiritus dotibus erudita? Forſan ideò ad preces Eliſei: *Obſecro, vt fiat ſpiritus tuus du-* 4.Reg.2.
plex in me, annuit: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.* Vtquid geminum ſpondet ſpiritum, ſi vnus in eo eſt? Rurſus: quid profuit intuitus, vt adimpleretur ſponſio? Flamma cœleſtis, quæ in cœlum vehit, non corpus exedit, non redigit in cineres: ſed in ſpiritualia euocat documenta: tam longè abeſt à ſtrage, vt potiùs reduplicet, quod accepit. Quaſi caro Eliæ in currus fornace colliquata, ſpiritus euaſiſſet, iam quaſi duplex ſpiritus in eo eſt, animus ſcilicet & corpus: ſi proſpectet diſcipulus, exemplar augendi ſpiritum addiſcet per ignes amoris aulam, & fiet illi, quod petiuit. Maria meliore quadrigâ aſcendit in cœlum, currus igneus amor eſt. Vnde Damaſcenus oration. 1. de dormit. Mariæ: *Non enim vt Elias aſcendiſti.* Damaſc.
Ipſa ſibi ſedes eſt, ipſa ſibi nubes: alas habet amor quibus eam, vt volaret, accinxit. Quare Septuaginta Cantic. 8. verſ. 6. legunt; *Quia va-* Sept.
lida vt mors charitas, durus ſicut infernus zelus: alæ eius alæ ignis, flammæ eius. Sicut ad Filium aſcendentem non extranea occurrit quadriga, ſed ipſa

ipsa Paterna nubes: sat est pro curru Virgini amor Filij, quæ & nubes materna est. Non dissimiliter Chrysost. Chrysostom. *Quando seruus vocabatur, currus mittebatur, vt veniret: & quando Filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat: nec tantum Dominica, sed & Paterna. Nam de Patre eius ait Esaias: Ecce Dominus sedet in nube leui.*

102. Genes.24. Denique ab amoris iaculo Virginis transfigitur cor vt per igneum gladium transiret, non exterum & Cherubicum, qualem versat Cherub. ante paradisi valuas, ne colonus eius homo repatriet, nisi per incendium transeat & ferrum. Mariam Angelorum Reginam nobilior decebat gladius, nempe ipsius Filij, qui animam pertransiret: vt quod homini fuit in supplicium, Virgini Matri obsequeretur ad gloriam. Luc.2.35. Amad. Sic expendit Amadeus illud: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius:* & hom.5. fatur: *O Domine Iesu terribilis in consiliis super filios hominum, nec Matri tuæ pepercisti, quin gladius animam suam pertransiret. Hac nobis per ignem gladium atque versatilem transeundum omnibus in communi ad lignum vitæ, quod est in medio paradisi.* Et quidem quod ad hominis è paradiso exilium impulit, lignum vitæ fuit, ne iam doctam in carpendo fructum manum in vitæ lignum mitteret, & ærumnosis annorum circulis perennaret. In Mariam ipsummet vitæ lignum venit, in eiusque benedicta terra se inseruit: non ei opus fuit peruigilem custodem demulcere, vt aditum præberet: adhuc per mortis semitam perennitatem vitæ didicit adipisci. Dam. Damascenus de dorm. Virg. *Si enim dicit Deus, ne si manum extenderit is, qui primus est formatus, & acceperit de ligno vitæ, & gustauerit, viuat in æternum: quomodò quæ vitam ipsam accepit, quæ caret principio & fine, quæ nec principij nec finis seruiuit terminis, non viuet in infinitum sæculum?* Quid, rogo edocetur per Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem? siquidem tam sedulâ operâ dicitur: *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem.* Interl. Glossa Interl. sic explicat: pro Cherubim *plenitudo scientiæ*: pro gladio versatili *plenitudo amoris*. Ergo quàm sapienter hæc pro paradisi muro sistuntur! Intus olim incola Adamus, & ab amore defecit infestus factori suo, à quo secessit per flagitium, & à scientia orbatus non intellexit, comparatus iumentis insipientibus, Ps.48.13. & similis factus illis: quem Diis scientibus Genes.3.6. comparauit serpens, eisque similem, si pranderet, fore promisit. Igitur in paradisi vestibulo, sacro ænigmate describitur, quid intus defecerat homini, videlicet scientia, & amor. Cherubim, in quibus diuinorum stagnat scientia: flammeus gladius, quo ferit & incendit. In quo indicebatur, quòd, donec esset homo plenitudine scientię plenitudineque amoris pollens, non regressus in paradisum patesceret, Verbum Patris, quod sapientia est, Psalm.11. quod ascendit super Cherubim, & volat, per amoris plenitudinem homo fit, & moritur: recluduntur paradisi ostia: ænigmatis conditio completa est: scientia & amor obuiauerunt sibi. En cur Luc.23.43. morti vicinus Latroni spopondit: *Hodie mecum eris in paradiso*: cùm nullum anteà de paradiso verbum protulisset: distulit vsque ad mortem; in qua plenitudo illuxit amoris, cùm nulla sit maior charitas, quàm quòd animam suam ponat quis pro amicis suis. Ioan.15.13. Eapropter è vestigio paradisus spondetur: cedit custos, non cædit gladius, qui versatilis consultò dicebatur, quia tunc erat remouendus. S. Gregorius Magnus lib.12. moral. cap.7. Greg. Magn. *Quoniam homo, qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille, qui sua Incarnationis mysterio, eiusdem nobis paradisi iter aperiret. Vnde & post culpam primi hominis ad paradisi aditum rhomphæa flammea posita esse memoratur, quæ & versatilis dicitur pro eo quòd quandoque veniret tempus, vt etiam remoueri potuisset.*

Si sic in nouo Adamo recapitulatio pristinorũ scientia & amor; nonnè & in noua Eua, in qua 103. Deus, qui scientia est, insedit, plenitudoque amoris inualuit, siquidem animam in amore posuit: cuius animam gladius transiuit; &, vt dicebat Fulgentius, Fulgent. *Animam ponere, dilectionis est proprium: vbi autem dilectio non est, corpus tradi dicitur, anima poni non dicitur?* Igitur flammeus paradisi gladius ad eius conspectum in vagina sepelitur: maior Virginei amoris flamma rhomphæam ardentem extinxit. Imò si Christus iam moriens, & plenitudinis amoris conditionem adimplens, quam ingressus ad paradisum expetebat, vt remoueretur flammeus gladius, paradisum promisit Latroni; Maria quidem sub cruce eodem Filij gladio transfixa, iam inde plenitudinem amoris adimplens, ad conditionis complementum valuit pertinere, & ex vnitate amoris cum Filio, paradisi vectes aperire, vt Latro ingrederetur. Insignis est S. Epiphanij locus in orat. de laud. Virgin. Epiph. *Angeli accusabant Euam, nunc verò Mariam gloriâ prosequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, quæ lapsum Euam erexit, & Adamum è paradiso deiectum in cælos misit, quæ paradisum clausum aperuit, & per Latronem rursum Adamum complantauit.* Quid illustrius? Et tamen in hoc elogio oculus caligabat, cùm non Matris, sed Filij potentia fuerit Adamũ in cœlũ, Latronẽ in paradisũ immitti. An quia *Stabat iuxta crucem Maria*, si forsan & peragendæ redemptioni prodesset, Ioan.19.24. Filij opus illi deputatur? An quia inter Matrem & Latronẽ vltima verba moriens in patibulo diuisit: quasi inter promissionem paradisi, & Mariam, nulla distantia deberet interiici? Benè. Et quia innocentiæ plenitudo albescebat in virgine, amorisque prodigium, quale flammeus paradisi gladius, vt aditum permitteret, expetebat. Nonnè innocentiæ candor illuxit, in qua nec originaria labes conceptionem obscurauit, nec vlla peccati vmbra præcessit? Suffragatur Magister historiæ Scholasticæ: Magist. hist. Schol. *Salue dies veneranda conceptionis, in qua initiatum est Sacramentum nostræ redemptionis, per quam extincta est flamma versatilis, & aperta ianua nostræ salutis.*

De omnipotentia, quæ Patri superno attribuitur, & de proprietate Ingeniti, quæ vernacula Patris est, quatenus in Maria miraculorum officina, & cuius generatio, & Parentes ab Historiographo sacro reticentur, vmbraticè illuxerint, non leuis similitudinis beneficio, commodiùs infrà differemus.

DE

DE DEO FILIO ERGA MARIAM, *ET* INCARNATIONEM SVI.

FILIVS DEI STEMMATA, TITVLOS, ET attributa, quæ ex utero Patris communicata deriuat, ex vtero Mariæ natus ostendit; Humanitas, quā caro tegit: quā ex Virgine, retegit.

ACADEMIA XXX.

Quòd Christus Verbum Dei sit, Maria virgineè Genitrix, virgineè Puerpera declarat.

Omnis proprietas Filij Dei in Mariani vteri speculo illuxit.

SECTIO I.

1. QVot largitionibus creaturæ rationali bonitas diuina cōsuluit! Quot beneficiorū uobibus impinguauit! Quot bonorum ditauit opulentiis! Sed qui largus creaturarū obsequia, omnipotētiæq; prouēctos hominis vsibus addixit, quasi auarus genitale sibi secretū densis caliginis tenebris obserabat, ne si mortalibus oculis obiiceret, cæcitatis pateretur supplicium. Vnigenitus à Patre, omnisq; Vnigeniti proprietas ab intellectus humani elongabatur intoitu: nec inter lagenas Gedeonica lux iulatebat, sed luteis glebis, in quibus animus habitat rationalis, diuini Filij negabatur cognitio. Præfixi venēre dies, temporis accessit plenitudo, & inter dubias vmbras lumen de lumine in corporis emicuit suggestu; ea Sapientiæ diuinæ altissima prouidentia, vt quā à Matre Virgine oriretur, omnem Vnigeniti panderet proprietatem. Pudicam Marianæ virginitatis crystallum Genitor diuinus respexit, & quidquid in arcano absćondebat sinu depinxit in speculo, vt proderet Mater, quod sæculis pristinis Diuinitatis secretum amiciebat. Adest Maria, tacitumque retegit intraneæ Deitatis thesaurum. Ad hoc prædestinata ab initio, ad hoc in tempore procreata, vt cœlebibus latebris lucem spargere: agnitionis, dotesque Filij Dei hominibus præsentaret. Vnigenitus Dei Deus est, Filius Dei Verbum, imago, Sapientia speculum, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Quod expendens S Thomas 1. p. S. Thom.
q. 34. art. 2. ad 3. sic fatur: *Ipsa natiuitas Filij, quæ est proprietas personalis eius, diuersis nominibus significatur: quæ filio attribuuntur ad exprimendum diuersimode perfectionem eius. Nam vt ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius: vt ostendatur coæternus, dicitur splendor: vt ostendatur omninò similis, dicitur imago: vt ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum*, O quot hæreticorum deliria in hæc diuini Filij inuehuntur attributa! Quot euomunt toxica! Quot flagitiosis dentibus lacerant! Non hac lue temeranda nostri instituti salubritas est: non hoc perfido tumultu, huius operis lactea hilaritas offendenda. Operosum esset, & olidum hac spurcitias euoluere. Theodoretum hæret. fabul. lib. 4. Augustinum lib. de hæresib. Epiphan. Coccium, & alios. Theod. August. Epiph. Cocc.

2. Vna Maria & domat hæreticos, & Filij vindicat dignitatem. Mariam Deus mentibus opposuit creatis, ne in tenebris cæcutirent, ne Filij diuini glorias ignorarent. Quotquot Filius insignia ab vtero Patris communicata deriuat, ex vtero Matris natus manifestat, titulosque, & nomina quibus inscrutabilis illi substantia in cœlestibus honoratur, dum nascitur è Virgine, resumit, ex sacrario Matris absconditum in Patre Sacramentum reuelans. Ergonè ex puerpera Virgine exortus se prodit vt Deum, vt Verbum, vt Vnigenitum, vt Sapientiam, vt Splendorem, vt Speculum? Profectò in virginea carne omnia hæc excusa stemmata sortitus est. S. Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 4. in fine: *Virgo igitur, quod sæpè commemorandum, ipsum Deum Verbum secundum hoc quòd in ea caro factum est, & concepit, & peperit, & illum Vnigenitum Deum,* Fulg.
virtutem scilicet, & Sapientiam Dei, candorem lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maie-

statis, & imaginem bonitatis illius splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius, quem sine vllo initio de sua natura sempiternum ac incommutabilem genuit incommutabilis, ac sempiterna Diuinitas Patris; eundem humanâ naturâ, totum, plenumque Deum hominem initialiter concepit, & peperit vterus Virginalis. Virginalis vterus, in quo sapienter conclusit Fulgentius, reclusit nomina quæ Filio Dei ex æterna generatione competebant.

3. Tam longè abfuit, vt intra viscera fœminea consitus splendidam à Patre macularet originem vt potiùs lippientes oculos hominum emacularet, & detergeret, detegeretque in publicum generosam titulorum gloriam, quæ ante Virginem delitebat. Quid causæ? Quoniam inuenit carnem ex pudico sinu decerptam, in cuius virgineis dotibus diuinæ generatione similitudo resplendens, potuit se humanis sensibus, quorum, vtpote corporea, aptum obiectum erat, præsentare. Ambrof. Accipiat lucem difficilis Ambrosij locus lib.4. de Sacramentis capite 3. *Quis est Melchisedec? Sine patre, inquit, sine matre, sine generationis ordine; similis autem Filio Dei. Sine matre natus est Dei Filius generatione cœlesti, quia ex solo Deo Patre natus est. Et iterum sine patre natus est, quando natus ex Virgine est. Non enim ex virili semine generatus est, sed natus de Spiritu sancto, ex Maria Virgine vtero editus est virginali: simili per Dei omnia Filio Dei.* Quæ vltima verba licèt concernant Hebr.7.3. illud Apostoli de Melchisedec agentis: *Assimilatus autem Filio Dei manet, sacerdos in perpetuum:* tamen ex sermonis consequutione ad ipsum Christum referri videntur: qui tamen quomodò possit dici similis Filio Dei, difficilè expedies: siquidem Filius Dei ipsemet est; & similitudo distinctionem extremorum requirit. Duplex natura duplicem generationem induxit: vtrobique virginea inclaruit excellentia, ab altera in alteram promiscui luminis illuxit officium. Ergo Filius quà à Virgine similis est sibi vt Filio quà à Patre, & qui Filius Dei est, quoniam similitudinem retegit, per quam Dei Filius constituitur, similis per Dei omnia, id est per omnia attributa, quæ ei Pater infundit, Filio Dei innotescit. Sic inter crepitantes ignei fornacis globos ex specie, motu, mira- Dan.3.92. culo similem Filio Dei quartum in flammarum pauimento barbarus Rex nuncupauit. Beneuola subueniendi actio, potestas in ardorem, quæ barbari sensibus parere potuerunt, absconditam Deitatis genus claro prodiderunt indicio: quare qui similem Filio Dei vocauit, actiones, in quibus similitudo resplendebat, inspexit, in quibus ille sibimet similis potuit publicari. Sic non insubtiliter capies Ambrosium, nisi de Melchisedec intelligas, Filij diuini proprietates in ipsomet nato ex virgine collucent, eâ expressionis veritate, vt si per impossibile distinctus esset ab illo, efficax eximiæ similitudinis in actione, indole naturaque perfectio per vnitatis fortem distinctionem dirimere posse videretur.

4. Quare proprietatem Filij sui è Virgine orti Gal.4.4. Pater apud Apostolum recognoscit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Cur adiecit *suum?* cuius enim Filius putaretur, si iam præmiserat *Misit Deus Filium?* An solum mulieris filius, ex qua factus dicitur, censeretur? Benè interiecit *suum*, quando extrema Deus Pater, & Virgo Mater constituunt vt generationis æternæ in illo manere proprietatem ostenderet. Adsit Ambrosius lib.1. de fide cap.6. *Filium, inquit, suum, non vnum* Ambrof. *de multis, non communem, sed suum. Suum cùm dicit, generationis æternæ proprietatem signauit. Hunc posteà factum ex muliere asseruit, vt factura non Diuinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur.* Meditor, inter vtrumque extremum medio situ collocauisse dictionem illam *suum*, vt qui suus tantùm, id est, Patris anteà erat, iam Matris esset, & ex situ communis vtriusque ostenderetur. Anselmus de excellentia Virginis capite 3. *Hunc* Anfelm. *igitur sibi tam vnicum, quam dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem non passus est remanere solummodò suum; sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse Beatæ Mariæ vnicum, & dilectissimum, & naturalem Filium.* Filius, qui non alterius, sed solius Patris in cœlestibus est, post Incarnationem Matris esse dignoscitur, eâ emphasi; vt tunc Patris esse appareat, quando humanum ex Matre habitum portat, & figuram. Quid humanius, quam humanitas deoperta in flumine, vt lustralibus aquis tingeretur, nudaque membra, quæ natiuus candor candorem lucis æternæ sibi in vnitate personæ deuinxerant, Iordanicis vndis aspergenda? En exutus Filius hominis, quod ab homine traxit, detexit. Caro hæc de Virgine est: quæ, cùm maculas Adæ non sensit, non, vt abstergatur, detegitur; sed, vt aquas consecret, humectatur, Petrus Damianus sermone de Sancto Ioanne Baptista colum.7. *Caro* Damian. *illa sumpta de Virgine, candidiorique deriuata materia, nudatur in flumine felicibus Baptistæ manibus infundenda.* En inter aquas, Dominicæ carnis solicitantes attactum, respectus ad Virginem est. Quid est illud: *Candidiorique deriuata materia?* O quale indicium, quod candor lucis æternæ, quòd verbum Dei sub hac carne de virgine, dum operitur, deoperitur: siquidem ipsamet caro in ipsius lucis candorem conuersa quod alibi explicatus dixit Damianus, ex virgi- Idem. neæ puritatis excellentia, notissimum signum exhibet, quòd qui lauatur in flumine, Filius Dei est. Si non credis, expecta. Subitò clara nubes inumbrat, & vox Patris audita est; *Hic* Matt.3.17. *est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* In quonè compertum fuit, quòd illa vox Patris esset, cùm potiùs à tota Trinitate, vtpote opus ad extrà, insonuerit? Quoniam Filium nuncupauit, quem tamen carne virgineâ conspiciebat indutum, exutumque humanitus, & in effigie peccatoris conspersum. O Mariæ supereminens celsitudo! Si vox detonat de cœlestibus, quâ Filius nominatur, summo Genitori adscribenda est; non alius auderet suum Filium nuncupare: & tamen hic ipse non solùm Mariæ Filius est, sed, & cùm Filius Patris euulgatur, solius Mariæ naturam repræsentat. Verùm si Pater loquutus est, Hebr.1.1. in quonè nisi in Verbo, qui nouissimè loquutus est nobis in Filio? Ergo vox è nube, quæ pro verbo homine ascendente de fluuio resonans descendit, ab ipso verbo concitata fuit, vt sursum, deorsumque seipsum significaret; in nube, quà à Patre verbum in flumine, quà à Matre homo; & altera natura significaretur ex altera, tumque lucidiùs clareret esse verbum Dei, quando quod de Matre gestabat, denudato corpore ostendit. Suffragetur Cyprianus toto huic Cypr. cogitatui proficuus, de baptist. Christ. expendens

dens illa verba? *Et vox Patris audita est*, &c.
*Hucusque Domine sancte Pater non audiuimus te
loquentem, qui multifariè olim Patribus loquutus
es in Prophetis. Teipsum non ita ante hoc tempus
loquutum audiuimus, vt personaliter tibi assigne-
tur loquutio, quam proferres. Hanc vocem a Pa-
ternitate tua delatam, non est, qui ambigat: non
est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare, non
est in cælestibus agminibus, qui Dominum Iesum
suum audeat Filium nominare.* Benè *in cælestibus
agminibus*, vtpote voce è cœlo delapsa: quo-
niam Maria in terra est, quæ vocans suum, non
audax, sed verax est. Imò annuente Cypriano,
non anteà Patrem personali attributione loquen-
tem audiuimus, quousque Filium in carne ea
virgine in aquis immersum vocauit suum: quasi
per tot sæcula stagnantis silentij tacitum non
potuisset continere refluxum, cùm hominem vi-
dit in carnis veritate insignia Deitatis ferentem,
quem ipse Deum in occulto generabat recessu.
Vox de nube verbum præsignat in fluuio; &
tamen vox illa non è Paterno pectore solueretur,
Psalm.44. nisi Verbum ipsum, quod de corde eructabat, in
eodem corde remaneret. Ideò vox desuper in-
sonuit, ne defecisse Patri in quo loqueretur,
timeres, quando è ripa prospiceres verbum sub
fluuio. Ea dignitas Mariæ est: in cœlis ver-
bum est in Patre, in terris verbum est in car-
ne deriuata ex Matre, vt simul Deitas, & hu-
manitas appareret Saluatoris nostri Dei. Quod
August. dixit Augustinus sermone 20. de Sanctis: *Quod
quidem Verbum de illa sede ita ad nos descendit,
vt in sinu, id est, in profundo Paterni pectoris,
permaneret, terrena visitans, & cælestia non relin-
quens.*

5. Gauisus Pater est proprium hunc sibi Filium
nuncupare, quoniam omnem in illo proprieta-
tem, quam ex Paterno pectore contraxit, clarere
conspiciebat. Non potest vocare suum, imò vo-
cari suum, credique iubet, quem virginalis vteri
pudor eduxit: *Ipsum audito*, ait. Quid est *ipsum*?
Quem ego Filium voco, & cum voce conjicitor.
Audito, inquit: quia si Filius Dei est, verbum esse
debet; nec alius sensus suscipiendo verbo aptior
est, quàm auditus. Ergo omnem Filij proprie-
tatem breui compendio Pater explicuit, vide-
licet quòd Filius erat, & verbum, qualem Geni-
tricis virginitas explicuerat. Ergo non solùm
gaudet, sed & iubet vocari suum, quem virgo Ma-
ter concepit. Hoc pondus est in Iuuenco in præ-
fat. ad histor. Euang. lib. 1. Angelum ad Virginem
loquentem inducit.

Nam tua concipient cælesti viscera iussu
Natum, quem regnare Deus per sæcula cuncta:
Iuuenc. *Et propriam sobolem credi gaudetque iubetque.*

Propriam inquit, non solùm quia sua est; sed quòd
omnem proprietatem ostendat, qualem expli-
cuit Cyprianus libro de idolor. vanitat. *Hic
est virtus Dei, hic Ratio, hic Sapientia eius, &
gloria: hic in Virginem illabitur; carne, Spiri-
tu sancto cooperante, induitur: Deus cum homine
miscetur: hic Deus noster: hic Christus est, qui
mediator duorum hominem induit, quem perducat ad
Patrem.*

6. Igitur ad hos diuinos titulos & insignia, quæ
in Christo ex Virgine genito splendent, omnem-
que hæreticam prauitatem manifestissima luce
castigant, penitiùs examinanda, vnigenito auspi-
ce, cuius causa agitur, Maria opitulatrice, cuius
dignitati consulitur, accingamur. Et quidem
Zerda, Maria effigiet.

in Filio Dei hæc splendent attributa, quatenus
quidquid est, per intellectum hausit Genitoris;
vnde quia verbum Patris est, cætera illi procliui
ratione stemmata messe creduntur. Athanas. epist.
de decret. Nicæn. Synod. *Filius Dei quisnam* Athan.
*fuerit nisi Verbum eius? Quandoquidem vnus est
Deus, necessarium quoque est vnam Dei imagi-
nem esse, quæ ipsius est Filius. Siquidem. Filius
Dei, vt ex Scripturis patet, ipse est Dei Verbum
& Sapientia, & imago.* Quare ordo rectus ex-
postulat, vt priùs edisseramus, quali luce se è
Virgine generante Deus explicuit vt verbum, vt
deinde faciliùs cætera attributa percurramus, &
verum sit, quod Marius Victorinus aduersùs
Arium inclamauit libro 1. *Quòd de Maria Fi-
lius est Dei, & ipse imago, & ipse logos, id est, Ver-* Mar.Vict.
*bum, & ipse ante sæcula, & omnem creaturam, &
quòd omnis creatura per ipsum creata est, & in ipso,
& ex ipso.*

Et verò in hoc totius œconomiæ, seu Incar- 7.
nationis Institutum tetendit, vt ille veniret Re-
demptor, in quem vtraque creatura flagitiosa
superbiæ iacula contorserat. Angelus similitu- Isai.14.14.
dinem Dei appetit: similitudo autem in quo
nisi in verbo resplendet? Basilius homil. 16. in
illud: *In principio erat Verbum. Cur Verbum:* Basil.
*Quoniam imago est Genitoris, totum in se mon-
strans Genitorem.* Serpens scientiæ sapore me-
dicatum venenum propinauit: scientia autem in
verbo est. Cyrillus Alexandrinus libro 1. The-
saur. capite 7. *Intelligendum est sic ex Patre na-* Cyril.Alex.
tum Filium, vt sapientia ex mente. Ideò Cerub, in
quo scientiæ plenitudo elucet, ad paradisi valuas
excubias acturus deligitur, vt scientiæ Angelo Gen.3.24.
strictam thromphæam versante intempestiuus
scientiæ æmulator à deliciosa regione arceretur.
Ergo verbum Dei, in quo thesauri sapientiæ Coloss.2.3.
& scientiæ sunt, redemptionis prouinciam per
multitudinem miserationum eius arripuit, & in
maius amoris miraculum voluit euulgare, quòd
verbum est, in quod irruperant Angelus, & ho-
mo. Huic reuelationi appositissimam aulam,
Mariæ videlicet vterum, elegit, vt ab eius vir-
ginitate procedens, processionem panderet æter-
nam, & iam homo scientiam sortitus para-
disum, Cherub abscedente, reciperet; nec ser-
pens infigeret dentem, nec ficus extenderet
frondes. Irreligio esset subticere Chrysosto-
mum apud Metaphrastem homilia de sancto
Ioanne Baptista. *Non habemus ampliùs suspe-* Chrysost.
*ctam exilij exprobrationem: non extimescimus am-
pliùs flammeam rhomphæam: non timemus am-
pliùs claustra portarum paradisi: non memini-
mus ampliùs morsus serpentum: non ampliùs à
ficu accipimus folia, non ampliùs ad sonum gres-
sus contremiscimus. Quæ enim ex Virgine facta
est, adorauimus processionem: medicum naturæ
aspeximus.* Et paruo interuallo: *Nesciebas ad
homines venire Deum Verbum? Quomodò legisti:
Ecce Virgo in vtero concipiet?* Non te prætereat
illud: *Quæ enim ex Virgine facta est, adoraui-
mus processionem.* Vide, ó Auree, quod *pro-
cessio* vox est diuinis emanationibus addicta,
nullaque sic defæcatior inuenta est, quæ ab-
sque fluxu, sectione, affectioneque denotet,
quomodò verbum oriatur à Patre, & Spiritus
sanctus erumpat ab vtroque. Certè gauisus sum
admodum in Chrysostomo. Mariæ puritas, &
genitricis, & puerperæ, quæ verbi naturam lim-
pidè gignendo, solidè continendo explicuit, eo-

 dem

demmet ſtylo,quo gignens Pater delectaror.Igitur pergamus.

Virginea ex Maria caro quàm apta ad Verbi Dei, ſub pellucido humanitatis tegmine, declarandam naturam.

SECTIO II.

8. STATVIT Deus glorioſus rationali oſtendere creaturæ ſe Filium habere, qui Verbom ſit inſcrutabili generatiune productum, ſic è Patre natum, ac ex mente ſapientiam abſque mentis defluxu, abſque ſectione, & paribilirate. Hoc erar apod Patrem abditi Sacramenti ſecretum, cui ſoboles Verbum. Clemens Roman. [Clem. Rom.] epiſtol.1.ad Iacobum paulò poſt medium. *Deus ergo Pater ſecreti Sacramenti vocabulum eſt, cuius verè Filius eſt Verbum.* [Cyril. Alex.] Cyrillus Alexandrinus libro 1. Theſaur.capite 7. *Intelligendum eſt, ſic ex Patre natum Filium, vt ſapientia ex mente,quæ quodammodò eſſe à mente per expreſſionem ipſius videtur,& in ipſa verè eſt. Nec defluxum mens paſſa eſt aliquem, quia ſapientiam genuit: ſed tota mens in ſua natura conſeruata eſt, & tota in ſapientia depingitur.* In hunc venerabilem diuini conſilij ſcopum ſuperni Creatoris ſapientia collimauit, cùm Mariam decreuit, definitoque tempore produxit vt virgineo pudore manente ſobolem Diuinam progignens, Verbum eſſe peruià panderet deductione.Inſaniunt hæretici,in Verbique agnitione cæcutiunt. Negant æternum Valentiniani [Iren.] quos caſtigat Irenæus lib. 2. cap.1. A Filio Dei Verbum diſſidere blaterant alij,tum ex Valentinianorum ſecta, de quibus Epiphan.hæreſ. 71. [Epiph. Auguſt. Theod. Athan. Philaſtr. Iſidor. Auguſt. Epiph.] Auguſt.lib.de hæreſ.hæreſ.11.Theodoretus lib.1. hæret. fabular. capite 10. tum ex Arrianis,quos plectit Athanaſius oratione 5. Id & plures alij variis delitamentis effutiunt apud Philaſtrium in 2.catal.de hæreſib.num.13.& 17.Iſidorus lib.8. Etymolog.c.5.Auguſt.hæreſ.30.Epiphan.hær.51. Hæc, & alia monſtra Virgo Mater virginea crepidà calcat, vipereáque capita pede conterit ouanti,ſparſaque venena ſalubritate pudici ventris exiccat. Hanc fœminam delegit Deus,vt noſſerit homo, quòd in principio erat Verbum Filius Dei. En inſtitutum.

9. Eructabat Verbum Dei verba vitæ, & inter effuſas Hebræorum copias arduum in ſuggeſtu Patris ſuggerebat arcanum; myſteria à ſæculis abſcondita lacteo ſapientię amne propinabat.Hærebant arrectis auribus Iſraëlitæ; Phariſaica ſupercilia plicabantur, & inuida pectora tacitis collidebantur congreſſibus. Aſt mulier è media turba de cœlo tacta extollit vocem: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* [Luc. 11.] A Matris viſceribus orditur panegyrim, claudit in vberibus, dumque Filium gratâ deuotiona decantat, materno ſolùm obſequio præconia parat. Mira eloquentiæ nouitas in rhetorica fœmina! Verbum Dei, candorem lucis æternæ, mentis Altiſſimi prognatam prolem à Matris gerula vulua præconatur. Noſca, mulier, quem oratione geſtas, Verbum Dei eſſe; lauda à Genitore, lucis arbitro creaturæ opifice, Deitatis fonte: timeas, ne Chriſtus, qui laudatoriæ ſcopus eſt, laudatoriam contempſerit, dum ſe Dei Verbum proclamat: *Quinimmò, beati qui audiunt Verbum Dei.* Sed tu, Domine, cur & Verbum Dei te ſuſpidis auribus, liuidis cordibus, tumultuantibus animis manifeſtas? Deſine Aquilæ volanti, deſine Ioanni tuo poſt pectoris tui eruditum gymnaſium, poſtquam recubans in ſinu myſteriorum aporet fluenta referet: *In principio erat Verbum.* Adhuc te [Ioan. 1.] Filium Patris repetebas, adhuc à Patre didiciſſe reluctantibus perſuadebas Iudæis, nondum Verbum. Quid homuncionibus vix in tellure reptantibus caligine obſeratum reſeras Sacramentum? Quàm doctrix mulier, etiamſi è triuio, etiamſi è plebe! Quam fauſta laus à Virginis aluo! Dum ventrem Matris audiuit baiulum ſui Saluator Dominus, illicò ſe memorat Verbum Dei, adeóque è ventre Matris ad vultum Patris æterni proſilit, vt totus in æternæ generationis raptus myſterium, linguæ dederit, quod euoluebat mente. Meminit ſui, vt Verbi, vt Sapientiæ; ſe vt Verbum explicat, dum viſcera Matris auſcultat. Beatus venter; ergo impollutus, ergo illibatus, ergo Virgo. Virgo venter; ergo quod concepit, Verbum eſt. Se rationis, mentiſque partum oſtendit Verbum Dei, dum Virgineum ſinum pudico tramite peragrauit. Caro de Virgine in Verbi ex Patre ducit agnitionem. Acumen eſt in Petro Cellenſi libro de Panibus capite 21. fermè in principio. [Cellenſ.] *A nobis eſt Virgo; à ſumma Trinitate Spiritus ſancti obumbratio: ab vtroque partium; tam Patris ſcilicet, quàm Virginis, Filij generatio: nam Verbum de Patre; caro de Virgine.* Si Cellenſis prædixerat Filij generationem inter Patrem, & Virginem communem; cur ſtatim, dum acommodâ ſectione diſtribuit, non *Filium* repetit, ſed nuncupat *Verbum*? Subtilis in hoc Abbas. Si caro de Virgine eſt, dum Filium auſcultas, appella Verbum. Quare ſicut Maria Dei genitrix nuncupatur, quære nomen, quod, cuius perſonæ mater ſit, quantáque aptitudine, oſtendat: Inuenit Gerſon tom.3. in Ioſephin. ſic appellans, [Gerſ.] *Virgo Verbigena.* Comptè, & appoſitè: quà Virgo, ſe Verbi genitricem declarat. Nam (vt Nyſſenus de virginit. cap.2.) [Nyſſen.] *Quæ Dei Verbi aduentum demonſtraret, ſola caſtitas idonea eſt.*

Nonuè Angelus poſt ſtabilis virginitatis prodigium, Filium Dei edocuit ex intacta Virgine naſciturum: 10. *Ideoque: & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei?* [Luc. 1.] Cur non vocabitur Verbum Dei? Ad virginitatem Genitricis proclitior in ſobole nomenclatura Verbi eſt, quàm Filij. Do Ambroſium lib.1.de fide ad Gratian.cap.2. [Ambroſ.] *Dicitur Verbum, quia immaculatus; Virtus, quia perfectus; Filius, quia genitus ex Patre; Sapientia, quia vnum cum Patre.* Pudica ergo viſcera potiùs Verbi, quàm Filij perhibent ſplendorem. Benè. Aſt Angelus ſacram Theologiam cum ſapienti Virgine partitus, Filium protulit, Virginem ſpectans, quòd illum Filium, Verbum nominaret. En illa ſtatim: *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum.* [Luc. 1.] Qualanè Verbum? An ex labrorum arbitrio ſolutum, aëriſque verber, auriumque obiectum? Imò ſi Filium Dei vocandum Angelus ſpopondit ex Virgine generandum: cur Verbum hoc illum Filium eſſe non cenſeas; ſiquidè promiſerat Gabriel & concepturam, & parituram, Virginei

clauſtri

claustri præmunito decore? *Ecce concipies, & paries Filium*: id proprium Verbi est, nec mentem pungere, cùm subintrat, nec sigillare, cùm oritur. Et si manis, appositâ amphibologiâ vsa est Maria; si fiat Sacramentum hoc iuxta pacti, fœderisque, quibus subscribo, leges; & secundùm Verbum tuum, quod adhuc sanctione sacrâ protulisti; Filius iste, quem pro assensus fœnore rependis, Verbum esse apparebit. Laurentius Iustin. sermone de Annuntiatione colloc. 6. *Fiat mihi secundùm*
Laur. Iustin. *verbum tuum, videlicet prolatum à te. Fiat, inquit, mihi, vt concipiam sine semine, pariam sine dolore permaneamque virgo absque pudore secundùm illud, per quod Pater cœlum creauit, & terram, dixitque Fiat lux, & facta est: secundùm illud Verbum, dico, quod à principio apud Deum erat Deus.* Quæ non absque argota energia accipias: habent enim ingeniosæ consequutionis pondus. Si fiat, vt Virgo fœcundet sine illecebræ vteri, roseus flos vireat sine tenebris thalami, lux intra viscera radiet; fiet iuxta Verbum, quod erat in principio apud Deum; imò ipsum Verbum fiet caro, sic caro cœlitùs impinguata nesciat fæculentas tori leges, vt germinet.

11\. Digladiaberis in hoc *verbi* significatu, siquidem *secundùm verbum tuum* dixit, non *secundùm Verbum Dei*. Ergo in Angeli verbum collimauit. Benè. Imò Gabriel, qui Spiritus est, tunc Angelus fuit, quà nuntius; & si Dei, Dei verbum baiulauit in ore. Nonnè vides? Quidquid loquutus est à salutationis vestibulo, in Dei Verbum tetendit. Toties ingeminauit dictionem *Dei*: toties syllabas texuit. Coram Maria nec Angelus loqui prætentat, nisi quà Angelus, videlicet nuntius, superni luminis legatione fungens, Verbi Dei vocalia pignota præbens. Quàm acutè Philippus Abb. in
Philip. Abb. Cantic. capite 2. colloc. 2. *Hoc autem fiat secundùm verbum tuum, quod non tuo, sed ore Domini protulisti, dum tu non os tuum, sed os Domini potius extitisti: quia nec tuus Angelus, tuus præco, tuus nuntius reputaris; sed eius, qui per te mihi loquitur: te suum prorsus efficit, vt loquaris.* Quod si perscru-
Luc. 1. teris elucubratiùs, vix Angelus dixit: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*, cùm subdidit Virgo, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*. Nonnè iuxta hoc verbum, quod vicinius protulerat Angelus? Quale non omne verbum est? Sanè in quo semel loquutus est Deus, licèt plura audiantur: cuius verbum vnicum est, & omne: *Omnia enim*
Psal. 61. 12. *per ipsum facta sunt.* Egregiè Albertus Magnus
Ioan. 1. in capit. 1. Luc. expendens illud: *Omne verbum*, sic
Alb. Magn. fatur: *Omnis operatio intellectus diuini est Verbum à quo procedunt facta omnia, & cuius formam induunt: Omnia enim per ipsum facta sunt. Vnde minus diceret, si dixisset: Omne factum; sed totum dicit, cùm dicit: Omne verbum. Verbo enim Domini cœli firmati sunt. Et sic dixit Deus: Fiat, hoc est: Verbum genuit, in quo erat, vt fieret.* Igitur ne paueas Virgo, non est impossibile apud Deum omne verbum. Omne verbum, quod erat apud Deum, non est impossibile, quòd in te caro fiat, cùm ex virginitatis illibatæ decore illi propinqua sis. Laurent. Iustinus sermone de purificatione
Laur. Iust. Mariæ colloc. 2. *Erat corpore Virgo, carne incorrupta, virtute perfecta, moribus composita, sanctitate redimita, corde ignita, animo suspensa, gratiâ plena, sapientia perfusa, Deo coniuncta, Verbo propinqua.* En cur verbo propinqua, quia verbi sibi conduxit stemmata. Hoc ergo verbum, quod omne est, sibi vt fiat, Virgo assen-

Zerda, Mariæ effigies.

titur. Acredit vafer ille dæmon: scopulos vt in
Matth. 4. panem, famescentis inediæ causa, vertat Dominus, subdola efflagitat pietate, vt esse Filium Dei expiscetur. Ast ille: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei.* Quid est *in omni Verbo*? An quisquis omni verbo indiget, vt famem eludat? vitam alat? Imò non cuique omne verbum obuenit, sed quasi dispersum, in diuersaque frusta dissectum effunditur. Quisquis intelligit, non in omni verbo animum nutrit: quisquis epulatur, non omni obsonio infarcit stomachum. O benè! Iam in omni Verbo, quod procedit de ore Dei, pascitur homo,
August. postquam Verbum caro factum est. Augustinus in Psal. 33. *Quomodò de ipso pane pascit nos Sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est.* Si omne verbum Verbum Patris est, quod datur nobis in escam, è cuius sapore in vitam alimur: iam non solùm panis, dapesque corporeæ hominem nutriunt, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, viuit, quale condiuit virgineus vterus. Qua-
Idem. re Augustin. in Psalm. 98. *De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit.* Ambros. in Psalm. 21. *Ma-*
Ambr. *ria velut cœlitus veniens cunctis Ecclesiarum populis, cibum dulciorem melle destillauit: quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit.*

12\. Nec nouum iudices hunc verbi significatum. Patronum habet Ambrosium, quem iam subdo. Vix oritur ex puerpera Filius Dei, & stellantibus cunctis aliis Angelus euolat ad pastores, abluit à somno soporatos, rapitur à mapalibus nox, & Cœlitum greges per aëra ludunt: *Inuenietis* (ait)
Luc. 2. 12. *Infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Rumpunt illi moras, deserunt pecudes, ingrediuntur specum, & ecce Lucas cap. 2. inquit: *Videntes autem, cognouerunt de Verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Mira antithesis! inopinus sensus! Enuntiatur Infans, cognoscitur verbum. Quis vos euocat ad abdita mysterii? Quia *inuenerunt puerum cum Maria Matre eius*. Quis edocuit Matrem esse, quam virgineus rubor suffusus genis purpurauerat? Tenera puella signa nescit Genitricis. A puero cognoscunt Matrem, à Matre cognoscunt verbum. Carnis pudicæ fila, virginitatis characteres loquebatur in Matre, verbum Dei peperisse euocabant in puero à virginea car-
Ambr. ne prognato. Ambrosius in Luc. *Vide, quàm singulariter Scriptura singulorum libret momenta verborum. Etenim cùm caro Domini videtur, videtur & Verbum, quod est Filius Dei.* En ex illibatæ carnis cancellis panditur Diuini Patris progenies. Ecce vocem verbi, quam pastorum simplex pronuntiauit deuotio, ad verbum Patris vindicauit Ambrosius; quippe coram Maria eniente, virginitatisque explicante florem, non aliud significat *Verbi* vocabulum.

13\. Infans teneris pulchræ puellæ vberibus stringitur, & verbum esse cognoscitur. Puerperæ virginitas index fuit: virgineum lac, in quo lambendo labra occupat & linguam, pro verbo sugente verbum fit. Adeò se puerulus prodit infantem: adeò obmutescere satagit, vt linguam, quæ organum est sermonis, in Matris mamillis prendat; vt sileat sugens. Et tamen, dum sic se promit infantem, validiori clamore euulgatur vt verbū. Obseruasti nè?
Luc. 2. Cur Angelus pastores concitat: cur stella Magos: cur militia cœlestis exercitus per aëra concrepat, dum pendulus ex vberibus Matris coticet infans,

Quoniam omnis cœlestis lingua subsilit, dum
ille silet: explicuit esse Verbum, dum Verbum
infans est. Non noscis Angelos nisi sub munere
& specie chori. Qui igitur chorum efformant,
non obmutescunt: ibi cātus ibi lingua. Quid quod
1.Cor.c.13. Apostolus linguas Angelis deputet? Scis & syde-
ribus celebrati concentum, & harmonicis fulgo-
ribus in noct silenti, frigidoque candore cœ-
lum tacitis modulis resonare. Ergo omnis cœ-
lestis lingua loqui incepit, vt cœleste Verbum,
quod in virgineo sinu subticebat, pronunciaret.
Voces istæ eloquia Mariæ sunt: publicant, quod
Virginis Filius, adhuc dum apparet infans, Ver-
bum infantili silentio monstrarum, vtpote ex vir-
August. gine Matre editus. Augustinus tomo 9. libro 4.
ad Cathec. capite 8. *Parit Mater & Virgo, fœta
& intacta. Lambit vbera regens sydera: tacet &
Verbum est. Nec dum per linguam se demonstrabat,
quis esset, & vniuersa creatura suum natum indicat
creatorem Angeli pastoribus annuntiant: stella Ma-
gos inuitat: rusticitas pastorum admonitionem exigit
Angelorum. Curiositas Magorum instructa est lingua
cœlorum.* Benè distribuit. Rudes pastores sub pilis
& velleribus agentes, caprarum & ouium cultui
inculiè studentes, arcanæ sapientiæ mysterium pe-
netrare nequibant, nec Verbum, quod erat apud
Deum, & infantem, qui erat apud Virginem, per-
scrutari. Qualis magister aptior, quàm Angelus,
qui plenus sapientia lucet: qui ex cognitione nu-
tritur? Imò appositè miraculi coniunctionis Ver-
bi & infantis, Sermonis, & muti quædam delinea-
tio fuit coniunctio Angeli cum pastore, omnium
sapientissimæ creaturæ cum omnium stolidissima
& rudi. Curiosos Magos instruit stella, vt qui ex
intellectu victitabat, mentisque radios vsque ad
sydera contorquebant, à cœlesti lumine edocere-
tur de Verbo: Verbum enim lumen intellectus est.
En duplex lingua cœli, Angelus, & stella, pro Ver-
bo infante in Virginei partus præconium. Pascha-
Pasch. sius forsan ex Augustino: *Pastoribus Angelus Ma-
gis verò stella Christum demonstrat: vtrisque loqui-
tur lingua cœlorum.*

14. Nouè id exposcebat virginitas parientis, quæ
qua fœmina, infantem debuit edere, & pusionem;
qua Virgo, Verbum: cuius natura est illibatum, à
quo gignitur, non lædere sinum? Quod adeo gi-
gnenti Mariæ addictum fuit, vt vaticinium de
Virgine concipiente idipsum indicauerit, si cre-
Chrysipp. das Chrysippo de laudibus Virginis col. 4. *Ne
existimaueris te parituram infantem humanum, quo-
niam ipse est Dominus tuus, & adorabis eum: ipse for-
mator tui, ipse etiam infans, ipsum concipies, & cum
cæteris adorabis vt Dominum. Itaque ne diffidat
quis infantem esse Deum. Quòd si Deus est simul &
infans, horum concursus appellationem Emmanuelis
exposcit. Et vocabis nomen eius Emmanuel, hoc est,
Deum, & eundem indiuiduè hominem, Deum, &
hominem ipsum.* Quasi Emmanuel idem sit, quod
Deus & infans, ac proinde Deus ille, qui ex pro-
pria origine Verbum est: id enim extremorum
oppositio exposcit, quoniam infanti extremum
oppositum Verbum est. Quid impulit Chrysip-
pum in huoc cogitatum? Quòd vbi *Emmanuel*
Isai.7.14. spondetur, præmittitur: *Ecce Virgo concipiet*, cuius
soboli statim nomen *Emmanuelis* affigitur. Virgi-
ni autem concipienti nulla propinquior, conue-
nientiorque proles, quàm Verbum, cui adeo insi-
deat Verbi natura, vt etiam dum infans sit, non
fans, sed silens, Verbum appareat, cui puerperæ
virginitas pro voce est. Quare qui *Emmanuel* nun-
cupatur, id est, *nobiscum Deus*, in quo vtraque
natura retegitur, qua synonymo vocabulo Ver-
bum & infans ob vtramque naturam exhibetur.
Hinc Richardus de Sanct. Laurent lib. 4 pag. 256.
Tria in Incarnatione facta sunt mirabilia, Deus homo, Richard. à
Verbum infans, & cor credens: Verbum, quod in S. Laur.
*principio erat apud Deum: Verbum, quo dixit Pater,
& facta sunt omnia: Verbum, quo intonante in iudi-
cio, audient pulueres, & in corpora reuertentur: Ver-
bum, quo in Passione lapides scissi sunt, & monumenta
aperta. Quomodò si Verbum est, infans est? Si enim
infans, non fatur; si non fatur, Verbum non est: quo-
modò ergo & Verbum est, & Verbum non est?* Plura
te possunt acuere in Richardo. Incarnationis
mirabilia commemorat, iunctimque attexit: *Deus
homo, Verbum infans*, in quo succinit Chrysippo:
quasi non aliter *nobiscum Deus*, siue Deus homo,
quin Verbum & infans, Verbum, quà ex Virgine,
infans, quà ex fœmina. Si incarnatio deuincta fuit
virginitati genitricis & puerperæ; quid quòd in
alia persona non fiat, nisi in Verbo: vt quoties
Deum hominem mediteris, lubens se cogitatio in
Verbi agnitionem immittat? Virgo mater edocet
quare Verbum & infans sit. Vtrumque Matris
consulit dignitati. Si oritur ex vulua, cur non
puellus, cur non infans? Si oritur ex Maria vir-
gine, cur non Verbum?

Verùm quid est, quòd inter mirabilia non re- 15.
censet Richardus *Virgo generans*, sicut *homo Deus,* Hugo Vict.
Verbum infans, sicut alias Bernardus alibi datus,
quin & Hugo Vict. in Magnificat: *Magnum fuit?
vt Virgo sine virili semine Filium conciperet? ma-
gnum fuit, vt Dei Patris Verbum carne sua indu-
tum vtero suo gestaret.* B. Thomas Archiepisc. Va- B. Thom.
lentinus concl. 1. in Natal. Dom. col. 5. *Deus nas-* à Vill.
citur, Virgo parit, obmutescit Verbum. Et sermon. de
partu Virginis: *Mater virgo est, Filius puer senerri-
mus, & Deus æternus; infans vnius diei, & Verbum
Dei.* Profectò non opus visum est Richardo cala-
mum diutius erogare. Sat est Deum hominem,
Verbum infans pro miraculis recensuisse, vt inibi
Virginis Matris prodigium sublatere compareat.
Ea cognatio Verbi cum Maria est, vt orietur pa-
gina, si post memoratum Verbum in carne, eni-
tentem Virginem Mariam memorare prætereat.
Sed non subticuit Richardus: imò honorabilius
memorauit, dum duobus mirabilibus attexuit ter-
tium: *& cor credens.* Non pigeat, In corde cre-
denti concipientem Virginem promi, cui vterus
eo floridè, vernáque limpiditate extitit ferax, vt
cum corde, cui fides maritans insidet, compona-
tur. Imò quia præcipua Verbi sedes cor Patris est; Psal. 44.
cui & vterus adscribitur luminosus: idem enim Psal. 109.
Verbum bonum, quod cor Patris eructauit, ex
vtero ante luciferum genuit Pater. Ne ab spiritua-
lis vuluæ denegeret situ, vterum Matris amat cor
nuncupari, cui cum Verbo solet esse commer-
cium. Eximiè Nyssenus in Cantic. homil. 15. Nyssen.
*Genitus enim est inuisibili, & inexplicabili ratione
ex Patre ante sæcula: eratque incognitus tanquam in
anima quadam apud Patrem, quousque tanquam ex
corde quodam ex sacra Virgine sine corruptione,
sine semine secundùm carnem generatus est, mundo-
que se prodidit, nihil ab occulta Dei Genitoris pa-
terna substantia separatus.* In quo non socorditer
& oscitanter prætereas Nysseni acumen. Persona-
tum Diuinitas cogit, ne altera secedat ab altera,
quas sacra vnitas coëgit in vnum. Iugis è mente
Patris emanatio Verbi non finit, quòd vterum
splendentem, secretumque Paternæ maiestatis cor
deserat.

deserat. Indiuisa Deitas in causa est, cur à Patre non discessit, cùm se visceribus Matris concessit. Attamen non infaustè poteris meditari, eò vterum Matris ob excultissimæ puritatis candorem, similem cordi Patris effloruisse, vt ex situs similitudine non deseruisse pristinam regionem Verbum Dei dignoscatur, nec se ab occulta Dei Genitoris segregauisse substantia, cùm vterum Matris, qui illi pro corde fuit, incoluit. Ex quo quasi illationis more copulauit Nyssenus: *tantum ex corde quodam ex sacra Virgine sine corruptione, sine semine secundùm carnem generatus est, nihil ab occulta Dei Genitoris paterna substantia segregatus.*

16. August. Cuncta hæc ingenuè concinnauit Augustinus to.n.10. serm.17. de Natal. Dom. *tecum in corde, tecum in ventre, tecum in auxilio. Ex sinu Patris in vterum dignatur descendere Matris: sed neque regionem suam maiestas infinita deseruit, neque eum virginalis aula, dum accepit, inclusit.* Non mutatur regio, cùm eadem ferme temperies, eadem salubritas aëris adspirat. Vbi Regia est, ibi Regis regio est. Mariani vteri indoles, sacrique climatis benignus influxus, in quo Filius Dei ab vtero Patris editus habitauit, non sinit cogitare mutauisse regionem. Regionis pristinæ qualitas est, non aliam sobolem admittere præter Verbum, non aliqua vitij malignitate temerari, intra virgineam intellectus vuluam progignere. Idipsum Mariana regio pro indole habet. Quare Ildephonsus alibi datus de virginit. Mariæ cap.2. *In hac regione solitudo Deo tantùm & domui: in hac mansione singularitas hospitio tantùm & hospiti: hic locus cum vno tantùm adnectente cohæret.* Si Mariæ vterus regio virginitatis est; quidni sit & regio Verbi? (Ildeph.)

17. Luc.1. Ideò forsan illud: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: quasi sub vmbraculo tuo, salubrique temperie nullis illecebrarum æstibus adusta, nullis appetituum stimulis puncta, nullis vitiorum tempestatibus agitata: sub vmbra refrigerante concipiendus spondetur fœtus. Nequiuit aptiùs Verbi Dei adumbrari natura, quod spiritu concipitur: & quando à corpore concipiendum proponitur; tantum distat à maligna corporis mole, quam sarcina libidinis aggrauat, corpus Mariæ, à quo vera caro Dei decernitur; tantùm ob virginitatem accedit ad spiritum: vt potius corporis vmbra putetur, quæ subtilis solet esse, leuis, & ab omni extenuata crassitie. Ergo virtus Altissimi obumbrat Virginem, quia ex splendente virtute, quæ corpus Mariæ limpidis lucis radiis feriebat, & Mariæ corpore vmbra videbatur resultare virginea, vt more verbi, spiritus ad instar, purissimè Verbum gigneretur. Albertus Magnus in cap.1. Luc. expendens illud: *Obumbrabit tibi*, sic ait: *Refrigerium vmbræ in conceptu Virginali commemoratur, ne aliquid de incendio, vel ardore libidinis ibi esse cogitetur. Ideò enim & Verbum esse & Filius, ille qui concipitur, dicitur; vt dum Verbum, quod non nisi spiritu concipitur, annuntiatur, per spiritum sine libidine facta esse conceptio intelligatur. Dum autem Filius nominatur, expressa & indistans & rationalis Patris similitudo, & æqualitas concepta esse certa fide credatur.* Perpende illud: *quod non nisi spiritu concipitur.* Vtquid sic absolutè tantum spiritalem conceptionem Verbo Dei adstruit, cùm carnee gignatur ex Virgine? Imò quia ex Virgine & spiritalibus dotibus eximia, ob eius generationis nitorem, cùm spiritali contendere non refra- (Alb. Magn.)

gantem, potuit sic Albertus effari. Venusto compendio Hesychius serm.2. de laud. Virg. *Sigillum vteri muniebat, eò quòd is, qui carnem assumebat, esset Deus & verbum, nequaquam opus habens portis, ingrediendi causa, aut egrediendi*, Vtquid erogat syllabas *Deus, & Verbum*? Nonnè sat *Deus*, vt non egeat recludere cardines, infringere vectes, vt intret & exeat? Verbi indolem patefecit Hesychius. In tantum fastigium, Marianæ virginitatis qualitas assurgit, vt non satis sit eam ex Deo à Virgine genito celebrare, nisi & illa persona, cuius origo absque affectione, absque sordis iniuria est, vtpote per intellectum, signata sedulitate explicetur. Id etiam arrisit Athanasio de Incarnat. Verbi col.14. *Id quoque perquàm admirabile, quòd simul & vt homo viuebat, & vt Verbum, Ratioque Patris omnia viuificabat, & Filius Patri aderat. Vnde neque in Virgine pariente partus affectiones sentiebat.* (Hesych.; Athan.)

Quid restium egemus cumulo? Quid Maria splendidius, quam splendor elegit? Quid sapientius, quam Sapientia persuasit? Quid virginius, quam Verbum incoluit? Dionysius Carthus. lib.2. de dignit. Mariæ art.7. *Adhuc autem Pater omnipotens Filiò suo dilectio idoneam, aptamque Matrem parauit. Filius verò eius Verbum est & Veritas, Sapientia & Splendor. Omnino autem talis Filij susceptiua non est nisi Virgo sapientialis & simplex; ne hebetudo sapientiam carnalitasque excludat Splendorem. Erat itaque Virgo illa subtilis & capax, studiosa & prudens.* Quasi possit humani corporis hebetudo, obscuraque carnis caligo Verbum Dei, quod Sapientia est, quod Splendor, obnubilare, & præstringere, electam perhibet Dionysius Mariam à Patre. O quale sublimitatis encomium! Quantis sapientiæ, claritatisque copiis afflueret Virgo, quæ solicito Patri inuestiganda genitrice digna digni, sapiente sapientis, splendida splendoris, pacaret curas: desiderium expleret, velut caueuti, ne sapientia verbi, creaturæ stoliditate, ne gloriæ splendor tenebrosæ carnis fulcaretur attactu. Hæc sic pro superna Mariæ dignitate, quæ omnem ingenij pennam prætervolat, cogitantur: non quia lux illa increata vllis potest tenebris opacari, excultissima illa Sapientia vllis ignorantiæ insultibus præstringi. Non longè distat Ildephonsus serm.3. de Assumpt. virg. *Verùm quia de progenie carnis nulla nobilior Dei Matre refulsit; nulla splendidior ea processit, quam splendor Paternæ gloriæ ineffabiliter diuinitus illustrauit: quam Virtus Altissimi obumbrauit, vt virgo pareret: quam diuina gratia repleuit, vt virgo conciperet: quam Sapientia Dei Patris pro omnibus elegit, vt placeret.* 18. (Carthus.; Anselm.)

Maria Filium, quem virgineè concipit, Dei Patris conceptum, Verbumque esse pronuntiat.

SECTIO III.

Diximus in sectione elapsâ inter Gabrielē & Mariam, alterno choro, Filij Dei attributa insonuisse; Angelus Filiū Altissimi vocauit, vocandumque præscripsit; Maria virginitati innitens verbum procliui argumento 19.

nuncupauit, de quo dati Patres accipiunt illud. *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* Quam appositè à Virgine *Verbi* vox delecta est, vt sub æquiuocu explicatu abditum & inextricabile Verbum ab ore Patris in vterum Virginis illapsum illuxisset. Id non socorditer, ignauéque cenieas cogitatum. Mariana Virginitas Samosatensis discipulos contriuit, qui stolida, petulantique nequitia Filium Dei esse Christum ex Maria genitum asserebant, non verò Verbum. Audi Athanasium oration.5. contra Arrian. col.20. in princip. Præmiserat col.19 in fine: *Itaque non aliud Verbum est, & alius Filius; sed Verbum Vnigenitus Filius habendum est.* Et post subdit: *Quidam ex Discipulis Samosatensis diuidentes Verbum à Filio, dicant Filium quidem esse Christum, Verbum tamen alium: eiusque occasionem arripiant ex Actis Petri dicentis; Verbum emisit filius Israel pacem euangelizans per Iesum Christum. Aiant enim Verbum ita loquutum per Iesum Christum, quemadmodum etiam in Prophetis loqui solet; ac proinde aliud Prophetam esse aliud Dominum.* Quo ariete deturbabis Hæreticum? O hebes stoliditas, quid emolitis? Subrige supercilia, oculosque ne auertas à luce. Maria doctrix est; dum gignit, edocet, & dum parit. Non alio patrono veritas eget, quam Virgine; quia ex Maria oritur, Filium Dei proclamas, cur non & Maria ad verbi agnitionem te lacessit? Angelus ostendit Filium, Maria verbum, & vtraque natura, Angeli scilicet & fœminę in virginitate conciliata Filium & verbum in eadem sobole pronuntiauit. Sic Samosatensis asseclas ferit Athanasius suprà, col. 21. *Manifestius autem & submota omni controuersia, dicta Archangeli ad Deiparam Virginem vnitatem Diuini Verbi, & hominis indicauerint. Ait enim: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te fuerit sanctum, vocabitur Filius Dei. Stolidè igitur Discipuli Samosatensis id seiungunt, quod manifestum demonstrat vnitum fuisse cum homine ex Maria genito.* Non tuta defensio hæc in Angeli dictis apud Athanasium videtur: Angelus etenim non verbum nuncupauit, sed Filium. Deperit ergo vis iaculo; quo percutiendus hæreticus. Omnia virginis subseruiunt obsequio. De stoliditate Samosatensis incusat Athanasius. Sat est ab Angelo nuntiatum, Filium Dei è Maria nasciturum, quando illa virginitatem, à viro obiiciebat abscessum; vt nouerit quisquis mentis non inops est, in eadem significatione Filij, verbi delitere explicatum, quod eò solùm à Filij nomenclatura secernitur, quatenus immaculatum ortum inclamat. Dedi Ambrosium suprà, do Basilium homil. 16. ad illud: *In principio erat verbum. Cur Verbum? Vt quod ex mente procedit, ostendatur. Cur, inquam, Verbum? Quoniam sine motu genitum est.* Si motus exulat, clater virginitas, omnisque næui suspicio relegatur. Ergo scitè intulit Alexandrinus: *Stolidè igitur Discipuli Samosatensis id seiungunt, quod manifestum demonstrat vnigenitum esse cum homine ex Maria genito.*

Athan. — Idem. — Basil.

20. Hinc post Athanasium inuehitur Paulio. Aquil. lib 7. contra Fœlicem, col.3. in medio, in Biblioth. tom.4. p.2. *Quomodo Christum volunt nominari, qui dicant in hominem factum sumentem ex Maria corpus: sed alterum esse Christum, & alteram Dei Verbum, quod ante Mariam, & ante secula Filius existebat Patris. Aut quomodo esse Christiani possunt, qui dicant aliud esse Filium, aliud Dei Verbum.* Christiani etymologia in cognitionem verbi deducit, siquidem Paulinus ex Christi, & Christiani voce verbum non esse distinctum à Filio euincit; non alia quidem ratione, nisi quia *Christus* humanam, Diuinamque naturam concernit, quæ in vnam hypostasim in Virgineo vtero coaluerunt, adeò virgineè, vt verbi natiuitas ex intemerato decore patefiat: nec aliter Diuina natura hanc in Christo compositionem subintrat, nisi ex virginitate Matris manifestans esse naturam verbi Dei. Vnde Athanasius supr. col. 21. post medium: *Qui fieri potest, vt dicant per hominem ex Maria genitum Verbum missum fuisse, aut cum reliquis Apostolis, hoc est, Prophetis, nimirum qui ab ipso missi, legatique fuere adnumerandum putent? Quomodò ergo, inquam, merus homo vocari possit Christus, qui vnitus Verbo rectè appellatur Christus, & Filius Dei.* Et statim: *Vtrumque igitur intelligimus sub nomine Christi, Verbum nimirum condonatum in Maria homini ex Maria oriundo: nam in huius vtero Verbum sibi domum conformauit.* Ex his vltimis verbis, quod prædixerat, confirmat Athanasius. Homo genitus ex Maria Christus est; ergo verbum Dei: nam Christus geminam concernit naturam. Sed cur verbi innotescit proprietas? *Quia in Maria vtero sibi domum conformauit*: id est; quia virgineus vterus Mariæ, verbo conformis est.

Paul. Aquil. — Athan.

21. Nondum adhuc Samosatensium cauillis extricationem obtulimus, qui ex Actis Petri illud obiiciebant: *Verbum emisit Filiis Israel, pacem euangelizans per Iesum Christum.* Quo loci Iesus Christus videtur à verbo seiungi. Respondet Athanasius verbum inibi ipsum esse Christum: *Si igitur dicat Petrus, Verbum per Iesum Christum missum esse filiis Israel, id ita accipiendum est, Verbum incarnatum Filiis Israel apparuisse, vt consonet cum hoc dicto; Verbum caro factum est.* Non igitur repetitionis otium Petri sententiam deformat, sed explicatu puriori immaculatum ortum, quasi verbi Vnigeniti à Patre, Iesu Christi describit. In hoc tamen adhuc Mariana virginitas micat, sibique verbi naturam ex ingenita indole deposcit: verbum emiserat Deus Filiis Israel. Annè quia loquutus erat Dominus in Prophetis, quia sancta Sion corde conceperat, ore pepererat verbi Dei adumbratas effigies, quibus præludebat Diuina proles, vmbrosisque lineis ortum ex virgine in pudica ex ore Prophetarum prolatione prædicebat? Sanè. Audi Esaiam: *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile?* Meritò prodigij nouitatem Vates extollit. Quid est; *antequam parturiret, peperit?* Annè duplex vulua ad vnam sobolem pariendam? Annè iteratò nasci potuit, qui iam præscribitur natus? Si enim peperit, antequam parturiret; peperisse priùs, parturiuisse posteà dignoscitur. Quàm subtili auspicio, verbi Dei natura describitur? verbum Deus duplicem vuluam post incarnationem impleuit, & mentem, & ventrem: mentem quidem Patris ab æterno, ventrem Matris in tempore. In primo se verbum ostendit, cuius proprium est in spiritalibus mentis latebris gigni, & oriri. An & in secundo? Certè; vt & se verbum in vtero Matris prædicaret, eiusdem mentem impleuit, sæculisque pristinis Prophetarum imbuit corda, oraque soluit: vt exinde addisceret homo Filium Dei incarnandum in virgine, verbum Dei esse,

Actor.10. — Athanas. — Esai.66.

cum

cum per organa verbi, instrumentáque spiritus; eius manifestatio increbuit, donec tandem parturiret Virgo, quæ Verbi prærogatiuam illibata conceptione, partuque doceret. Rupert. Profundè Rupert. de Operib. Trinit. in Esai. lib. 1. c. 31. *Quando Sion parturiuit, & peperit masculum? Nimirum quando Virgo Maria, pars magna sancta ciuitatis Sion, peperit Christum filium masculum.* Et paruo interstitio; *Antequam parturiret illic, antequam tempus illud ei veniret, vt Filium visibilem ex ventre Virginis sancta Sion ederet, peperit, & Mater eiusdem Verbi effecta est. Concepit enim corde, & Verbum Dei peperit ore; quotiens ad aliquem Prophetarum, siue Patriarcharum, Verbum Dei factum, est, totiens Sion peperit Verbum Domini, non aliud quam quod beata Virgo concepit, & carnem factum peperit.* Et confestim: *Sic omnis scriptura legalis, & Prophetica condita est, antequam omnis scriptura vniuersitatem, omne Verbum suum Deus in vtero Virginis coadunaret. Ipsa Virgo prius mente, quam carne concepit, priùs ore prophetando, quàm ventre parturiendo peperit.* Quæ cuncta eò tendunt, vt à primordio sapientiam diuinam noueris tetendisse in verbi Dei sub humano limo explicatum, quousque virgo Mater proferret in lucem, illibato sigillo depromens, quod abditum iacerat in sinu Patris. Sic omnia ab exordio eruditio per Vates, per Patriarchas verbi huius vocem efformantes, quasi in mentibus, oribusque se exerceret, vt denique ventrem incoleret virgineum, menti quidem in puritate simillimum.

22. Igitur verbum Dei, quod apud Petrum emisit Deus filiis Israël, prælúdium Iesu Christi fuit, ex Maria generandi: priusque peperit in vmbra mês, quod posteà in veritate vterus parturiuit. Quin & altiùs meditor. Vna periodus non solùm ex mente Prophetarum, & ex ventre virginis genitum verbum copulauit; sed vt vtrobique absque ænigmaria vmbrâ veritas insit, verbum ex Patre genitum, & ex Matre natum, parilibus syllabis ad germanas dictiones coëgit. *Antequam parturiret, peperit:* id est, verbum in Diuinitate progenuit Pater, antequam virgo parturiret in carne. Recole Esaiam. Nonnè ad præfixa verba subdit: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Hirtica videtur & lubrica oratio. Si partum virginis præsagiebat Propheta; quid est, quòd ad generationem Dei Patris calamum arripuerit, & subitâ euagatione in tam arduum fastigium euolarit? Certè vel fallor, vel explicuit ænigma, ne paradoxi suspicionem subiret; acsi diceret: Antequam parturiret, peperit, quia genuit Pater, (cuius fœcunditas ex creatis arguitur fœcunditatibus,) antequam virgo generaret. Ergonè vna dictio copulat vtrumque, & Patrem Deum, & Matrem virginem? Si Mariæ meministi, mirari desinas, quam virginitas fœcunda Patris Diuini fecerit contribulem. Isidor. Cogitatus est Isidori lib. 1. contra Iudæos cap. 1. ad finem: *Antequam parturiret, peperit, & antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quasi apertè diceret, Antequam Christum Virgo parturiret in carne, genuit filium in Diuinitate Pater, & antequam tempus Virginis parturiendi veniret, genuit eum sine tempore Pater. Vnde inferius ait: Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Reuera quia nihil tale in hominibus accidit: aut quippiam simile, & post hæc subiungit? Nunquid qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: & qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus.* O gloriosa, quæ cum Patre Deo vnam periodum componis! Potest ambigere mens, cui *peperit*, cui *parturiret*, attribuat: adeò similis est vterque Parens, vt alternis vicibus possit eadem vox vtrique subseruire. Ideò id prouisum, vt in eâdem ferme dictione vtriusque puritas ostendatur. Itaque & Verbum Dei à Deo Patre progenitum, & per Prophetarum ora obstetrice lingua editum præmittunt, vt appareat verbum esse, quod gignitur ex Maria. Inde exclamat Rupert. Rupert. dicto cap. 31. in fine: *Obmutescat igitur omnis impietas, quia quòd Virgo Maria Verbum parturiuit incarnatum, ipsum fide conceptum dicto & scripto pepererunt priùs anima Patriarcharum & Prophetarum. Ipsum nihilominus peperit ex vtero, id est, ex profunda substantia sua genuit Deus Pater, ante omnia sæcula sæculorum. Adeò non Deus recens est hic Deus noster.*

Sedulus ergo Dominus à primordio, quod ipse, 23. qui loquebatur per Prophetas, adesse dignosceretur ex virgine, quem & venter loqueretur, cum pareret, & natiuitas loquelæ functiones obiret, spiritalisque cognitionis, quæ non dirimit mentem, cum innascitur. Vtquid in libri generationis Christi vestibulo non primus longæuus Abraham, sed nouior appingitur Dauid, purpureâque rubent atria maiestate; & quasi pœniteret Euangelistam errati, iterum ab Abraham restim orditur, cunosque venerabiles Patris gentium resumit? Error non fuit, sed sapientia. Maria libri finis parabatur: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Matth. 1. Opus fuit Iesum è Virgine natum apparere verbum esse Dei per prophetas eloquutum. Ideò in limine non Abraham, sed ordine præpostero Dauid inseritur; purpuratus quidem Vates, qui in maiestatis ostro Psalterij, tibiæque fides acroades pulsans, Deum incarnandum præcinebat iam inde præsagiens verbum Dei corporeis ex Virgine membris induendum. Abraham nec modulis mulcebat aures, nec fidibus fidei mysteria cantabat. Ideò in fastigio eminet Dauid inter omnes Vates sceptrum tenens; in radice Maria adsonâ statione subsidet: ille verbum quasi ore pepererat, hæc vtero concepit pudico: ille omnia Christi mysteria Prophetico tripode recinebat, verbum esse contestans Filium Dei, qui sic mentes imbuebat ad verba; hæc ipsum Filium virgineè parturiens, Rationem esse monstrauit. Quare vt per omnium generationum calliculos Filij Dei incarnati, quatenus verbum est, iret notitia; Dauid in primordio affigitur, posteáque resumitur Abraham, vt generationis series texeretur. Adstipulatur huic cogitatui Rupert. Rupert. qui lib. 2. in Ezechiel. de operib. Trinit. cap. 15. explicans portas, de quibus Ezechiel, orientalem arrogat Dauid, sicque fatur; *Verum etsi Dauid tempore posterior fuit, & ad hunc posteriùs promissio facta est Dei; tamen altera non parua pars dignitatis, propter quam hic potiùs porta dici mereatur orientalis. Cuius enim æquè vt Abraham promissionem accipere meruit; eius mysteria pectore sacro & ore Prophetico cecinit Christi Filij Dei. Hoc Abraham non fecit.* Et statim: *Rectè igitur dicatur hic porta orientalis duplici gratia Pater Christi Filij Dei; altera, quia & ipse repromissionem accepit; altera, quia nascituri post multa tempora fideli corde sacramenta concepit, & ore sacro edidit.* Subtilius nihil, Portam orientalem arrogat Rupertus Dauidi,

Daoidi, vtpore Marię parenti: quasi in illo *ad*-
disceret Verbum Dei vocaliter & corporeè ingre-
di & egredi, non se contioens quin in Mariæ an-
Hieron. tiquo stipite iam se germen prodidisset. Hieron.
lib.3. in Esai. c.7. *Qui anse loquebatur per alios, dicit: Ecce adsum: de quo & Sponsa rogabat: Osculetur me osculo oris sui. Dominus enim virtutum ipse est Rex gloria: ipse descendet in vterum virginalem, & ingredietur & egredietur portam Orientalem, qua semper est clausa.*

24. Prophetæ quidem sacris mentibus Diuini
Verbi aliquales coocepetant scintillas, non ple-
num rogum. Quid cogitationi procliuius, quàm
Verbum? quid menti aptius? Attamen quia infini-
tum, quia abditum, humana mens, dum pupillas
ad ioruitom erudiebat, in lucis pelago caligabat;
nec cogitare valebat, quod omnem Diuioi Patris
cogitatiooisexplet altitodinem. Adest Maria,
quasique huic Verbo incremeota coodncit. Quid
causæ? Prendit in siou, corpotat in vteto; & exin-
de cogitabile teddit. Cogitario ad verbi attioet
speciem, com vernacula verbi, cogitatio sit. Ergo
Verbum Dei succrescete dixeris ex Matia, intta-
que propriam indolem expatiari. O fœmina po-
tens! Ipsam sibi Dei cogitationem atripuit. Erat
Verbum apud Pattem: descensum quemdam, lu-
minis aspersi guttis delibabant Prophetæ: noo-
dum alueo pleno quibat cogitari. Matiana aluus
catne circundedit. En cogitatut, en comptehendi-
tur etiam ab vteto. Quàm sapientet Bernatd. in
Bernard. Natiu. Mariæ serm. de aquæductu col.4. in med.
In principio (inquit) erat Verbum. Iam scatet fons: sed interim tantùm in semetipso. Denique & Verbum erat apud Deum: Lucem profectò habitans inaccessibilem. Et dicebat Dominus ab initio: Ego cogito cogitationes pacis. Sed penes se est cogitatio sua, & quid cogites, nos nescimus. Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis: Verbum caro factum est, & habitat iam in nobis. Et post pauca: *Incomprehensibilis erat, & inaccessibilis; inuisibilis, & inexcogitabilis omnino. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo inquis? Nimirum iacens in præsepio, in virginali gremio cubans.* Non alind gremium, quàm virginale dece-
bat Deum, vt cogitati valeret; quò ex virgine edi-
tus cogitatur, cogitatur vt verbum, cui candot pe-
culium est, poritasque suppellex. Ergooè cogita-
bile & intelligibile Vetbum appatet ex virgine?
Dydim. Potius Didymus enatrat.io epist. 1. Petri cap.1.
apud Biblioth. tom. 4. *Duo aduentus sunt Christi, vnus quidem intelligibilis, secundùm quem recipitur tanquam Deus Verbum: alter verò sensibilis, secundùm quem videtur ex Maria progressus. Sed diuinior intelligibilis, quàm sensibilis, qui etiam prauis hominibus est collatus.* Ast quod caro, quà corporea te-
gebat solumque reddebat seosibile; quà ex Matia
virgine, cogitabile, iuxta Bernatdum, protulit. Sed
multum audea, Betnatde. Nobiles Theologi pos-
sibilem negant speciem creatam Dei, qua intelle-
ctui Beati cognoscibilis fiat: quî ergo cogitabilia
fit ex Matia? Annè quia Virgo adeò in Diuinita-
tis absotbetur ponto, vt quasi non extraneam cē-
sueria; quod exteræ creatæ speciei iure denegatot,
supta crearuratum vulgum atduæ Mariæ dixeria
eoocedendum; nec in dedecus vergere Deitatia,
quod pro virginis decaotatur elogio? Certè etsi
Numen Matia non sit, ipsummet Numen Mariæ
insitum sublimes baa non recusat impartiri do-
tes. Concipit verbum Dei virgo Mater; si efficit
hominem, quid quòd cogitabile efficiat, obtuti-
bosqoe præsentet, è corporeque speculum effor-
met, vt in Deum viuum ossa & caro exultent Non Psal.8.3.3.
sic vllios specici creatæ ingenium verbum Dei
oculis ostenderet intuentibus, quippe eò ipso,
quòd creata, ab æquali reptæseotatione deficeret.
Matia autem, quâ virgineum corpus dat verbo
Dei, quod eius Diuinitatem ex opaca mole abs-
condete timeretur, verbi oatutam retegit virgi-
neam, Deitatisque templum est, vbi colitur Dei-
tas, quæ pellucet. Sanct. Cytillus Alexandt. lib.3. Cyril. Alex.
Gtaphyot. sub tit. de Iudæot. Synag. col.7. ad fin.
Verbum enim erat ex Deo Patre clarificatus, & è Muliere carnem natus, non tamen diuisus. Vnus enim ex vtraque natura Christus est. Propterea dua auicula capiuntur, atque intelliguntur, vt vnum vtraque, sed viua ac munda. Vitam enim & puritatem omnem continens est ipse ex se Verbum, & ex Virgine templum viuum Verbum habens in seipso. Proprium enim illi corpus fuit, & non alienum gestauit.

Explicabat allegoricè Cyrillua illud Leuit. 14. 25. Leu.14.49.
v. 49. *Sacerdos purgabit eam, & sumes ad purificandam domum duas auiculas viuentes mundas.* Id
ad dnas Christi oaturas aduocat Alexandriuus.
Ex quo illico pupugere verba illa: *Propterea dua auicula capiuntur, atque intelliguntur, vt vnum vtraque sed viua, ac munda.* Difficilis sanè senten-
tia: licèt enim Chtistus iu duabua naturis vnus
sit; duę tamen naturæ, non vnum, ne confusio nu-
merom absorbeat, cæcaque commixtio natutas
ipsaa obscurâ transfusione deuastet. Mens tamen
Cyrilli luculentet elucet, dum vnum Christum in
geminâ natura enititur vindicate. Stylus autem
virginei corporis nobilitati inseruiuit, quod adeò
naturæ Verbi accommodum, & aptum visom est
Cytillo, vt saltem per similitudinem parùm affue-
rit, vt in vnum cum natuta verbi confluete cen-
suisset. Vnde componit vtrumque, vitam scilicet
& puritatem verbi, vitamque & virginitatem
Templi. Quare subdit: *Proprium enim illi corpus fuit, & non alienum gestauit.* Quia iu ius vocat de
præda? Quis rapinam atbitratum accusat? Si ho-
mo est, quis alienum dixerit corpus proprium-
que ambigat gestauisse? In eo acumen. Quia vir-
go corpus dedit, bis proprium verbi est; & quia
sui, iure generationis ex Matre; & quia aptum, iu-
re verbi illibati ex Patre. Ideò forsan dicebat:
Corpus autem adaptasti mihi. Commune est, quod Ad Heb.10.
de apto, & pulchro apud Augustinum effertur.
Quin *proprium* pluries pro apto, apposito, & con-
uenienti est. vis addiscere, quàm apta humanitas
ex virgine verbo Dei fuetit? Neutiquam huma-
nitas hæc cognosci valeret, nisi à Dei verbo assu-
meretur. Ergonè ex natura verbi io agnitiooem
humanitatia itur? Do Theodorum Presbyterum Theod.
Rbaithensem de incatnat. Domini col.5. apud Bi-
blioth. tom.1. p.t. Græcolat. *Hac definitio euidenter ostendit, quod nunquam in vniuersum humanitas Christi agens in hypostasi cognita fuisset, nisi natura Diuina Verbi Dei in vterum virginalem ingressa, ex ipsa modo inexplicabili hanc naturam sibi formasset, & fecisset, ita vt nec ipsa prima principia Diuina Incarnationis naturam assumptam sine substantiali, & naturali habitatione natura Verbi Dei eam assumentis habuissent.*

Qui locus eget scholio. Nisi natura verbi Dei 26.
vterum Virgiois oppleret, & saeram visetet aulā,
humanitatē Christi à cognitione sequestat Theo-
dorus. Igitur si per naturam verbi cognoscitur;
grandis inter vtrāque similitudo elaret: nā simile
non

non nisi simili cognosci communis parœmia est.
In quonè hæc conuentionis, & quasi sympathiæ
fœlicitas? An in virginitate? Non sat. An in fœ-
cunditate? Sed Verbum fœcundum non est ad vl-
teriorem filium generandum. Profectò fœcunda
virginitas Patris diuini, quâ fœcunda, Filium con-
cernit; quâ virginitas, verbum: non quia nuda
puritas verbum inferat, siquidem illud non infert
in Spiritu Sancto, nec in ipso Filio; sed quoniam
illa sacra, superque benedicta fœcunditas nitido
virginitatis immaculatæ lumine vestitur, quate-
nus rationem exprimit Verbi. In hoc ergo aptitu-
do humanitatis ex Maria decerptæ ad verbum
Dei: nam quâ humanitas progenita, ad Virginis
fœcunditatem meditandam allectat: quâ ex Ma-
ria, albida, nitida, limpida, & omni effuso cornu
venusta; in lucis æternæ candorem agnoscendum
rapit, qui verbum Dei est. Certum est humanita-
tem absque hypostasi & subsistentiâ, sicut existen-
tiæ impotem, sic agnitione esse extorrem. Quare
non id singulare in humanitate Christi, nusquam
absque personalitate posse cognosci. Verum in eo
solertis Theodori acumen; quòd deneget huma-
nitatem hanc cognosci potuisse, nisi hæc pecu-
liaris Diuini verbi personalitas obtigisset. Nonnè
sat alia? Sanè apposita inter vtramque, conue-
niensque aptitudo Theodorum arripuit, vt à co-
gnitione arceret, sicut ab existentia, humanitatem
ex Virgine desumptam; *ni natura Diuini Verbi in
vterum virginalem ingressa.* Libra stylum, pondera-
que momenta verborum. Quod humanitatem
terminat, non natura est, sed hypostasis: nec com-
munis natura Deitatis humanitatem sibi adfibu-
lauit, sed verbi personalitas sibi intexuit. Cur ver-
bi naturæ id arrogat Theodorus? Meditor non
accipere naturam pro communis essentiæ Deita-
te, sed pro indole, & ratione peculiari ipsius per-
sonalitatis verbi. Sensus sit. Adeò Mariæ caro cum
verbi diuini personalitatis indole, characteristi-
câque proprietate coaptatur, vt nisi hoc verbum
virgineam vuluam irradiasset, nunquam illa com-
pingeretur humanitas; quare agnitioni inuia si-
cut & existentiæ fuisset. Quòd autem natura ali-
quando apud Patres *rationem* hypostasis signifi-
Cyril. Alex. cet: suppetat Cyrillus Alex. lib. 7. Thes. cap. 1. *Vi-
des, quomodò ipsum esse Filij secundum naturam hoc
nomen significat. Deus enim erat Verbum, ait Ioannes.
Quod si non esse Filij secundum naturam, Verbi
vocabulum ostendat, aliud quid certè significabit.
Quare necesse est quære, quid est Filius secundum
naturam, si Verbum non est, nec esse ipsius vocabulo
Verbi significatur?* Cui phrasi addictus est Hila-
Hilarius. rius lib. 6. & 7. de Trinit. Ex hac carnis Virgineæ
& hypostasis Verbi Dei amica sympathia benè di-
gnoscitur, cùm humanitas absque hac sacra perso-
nalitate neutiquam existeret: quin & illud Theo-
logis sancitum, carnis & verbi in vno Christo
Gaius Papa. Deiuirilem fuisse operationem. Gaius Papa epist.
ad Fœlic. tom. 1. con. lib. 3. *Quid sit, quòd caro sine
Verbo non agit; & quid sit, quòd Verbum sine carne
non efficit? Sine Verbi enim potentia nec conciperet
Virgo, nec pareret; & sine veritate carnis obuoluta
pannis infantia non iaceret.* Et statim: *Quamuis ab il-
lo initio, quo in vtero Virginis Verbum caro factum
est, nihil vnquam inter vtramque formam diuisionis
extiterit, quid cuiusque formæ sit ex operum qualitate
sentimus.*

Quam naturam Verbi nuncupauit Theodorus
27. in vterum ingressam, vt agnosceretur humanitas;
S. Leo. virtutem Verbi appellat S. Leo; ita virgineæ hu-
manitati deuinctam, vt veluti si de velocitate co-
tenderet, concito gradu compactam humanitatem
terminaret. Sic serm. 8. Natiuit. Domini: *Celebran-
tes igitur, Dilectissimi, natalem diem Domini Saluato-
ris, partum Beatæ Virginis integre cogitemus, vt
carni, animæque conceptæ virtutem Verbi nullo tem-
poris puncto defuisse credamus; nec prius formatum,
atque animatum templum corporis Christi, quod
sibi superueniens vendicauit habitator, sed ipsum &
in ipso, nouo homini datum esse principium: vt in
vno Dei, atque hominis filio, & sine Matre Dei-
tas, & sine patre esset humanitas.* Grandis empha-
sis in illis est: *Partum Beatæ Virginis integre cogi-
temus.* Nondum enim integer Mariæ partus est, si
ex integra Matre genita proles illicò non cogite-
tur verbum esse Dei. Festina solicitudo calcar ad-
mouit, vt quidquid è Maria genitum, Verbum
Dei confestim assumeret. Id expetebat consona
Matris cum Patre concinnitas, cuius vtriusque
puritas, verbum arguit illicò pro prole. Nonnè
audisti, *vt in vno Dei, atque hominis filio, & sine Ma-
tre Deitas, & sine Patre esset humanitas?* Ergo v-
trobique absque gemino consorte, iugalique ne-
xu impatibilis generatio verbum proclamat;
quod mentem non temerat, cùm concipitur; sed
lumine pingit & illustrat. His S. Leonis verbis ac-
cinit Cosmas Hieros. in Theogoniam, hymn. 2. in Cosm. Hier.
Dei apparit. *Natus sine semine ex Deo & Patre, ex
Virgine sine sorde incarnatur Christus; Cuius lorum
ex nobis Verbi connexionem soluere impossibile docet
Præcursor, terrigenas ex deceptione liberans.* Alludit
ad illud Ioannis Baptistæ, Ioan. 1. *Ipse est, qui post* Ioan. 1.
*me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non
sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.*
Corrigiam sacro metro Cosmas *lorum* nuncupans,
ex nobis Verbi connexionem dixit, vtriusque naturæ
nexum in hypostasi Diuini verbi manifestans.
Prono quidem ad superiora cogitatu: si enim na-
tus est sine semine ex Patre, sine sorde ex Matre,
obuiâ deductione verbum esse infertur, cuius vox
Ioannes impossibile duxit corrigiam hanc solu-
tione Diuinitatis diripere. Quare præmiserat Cos-
mas: *Vox Verbi, lucerna luminis lucifer, Solis præcur-
sor.* Quæ Ioannis insignia præuia sunt ad Diuini
Verbi enuntiationem: nam vox ad verbum, lucer-
na respicit ad mentis lumen.

Quid quòd Ioannes, qui Angeli nomine po- 28.
titur, è Matre virgine indigitauerit ortum; cùm Matt. 11. 10.
forsan hinc edisces, cur mittitur Angelus lega-
tum agens, sacramque puellam salutat? Et quidem
Angelica natura ab initio tot speciebus depictâ,
tot formis variegata, tot scientiarum cumulis opu-
lenta, viuidiori imagine verbi Dei indolem repræ-
sentat, in quo thesauri sapientiæ & scientiæ in-
concussâ securitate renident. In puritate & ima-
gine, in iugi intellectione & sapientia, quæ Filio
Dei attribuitur, Angelus verbi aliquale delibat Colos. 2. 3.
participium. Si enim verbum Dei iuxta Ambro-
sium immaculatam exprimit puritatem, sic An-
gelum describit Dionysius cap. 4. de Diuin. nomi- Dionys.
nibus part. 4. parum ante medium: *Est speculum pu-
rum clarissimum, suscipiens totam, si fas est dicere, pul-
chritudinem Dei.* Si verbum imago est, similitu-
doque Patris: Anselm. in Monolog. cap. 53 *Sicut* Anselm.
*Verbum mox vt consideratur, se prolem esse eius, à quo
est, euidentissime probat, promptam præseferendo
Parentis imaginem*; de Angelo sic docet Sanct. S Thom.
Thomas 1. part. quæstione 56. artic. 3. ad 1. *Quia
enim imago Dei est ipsa natura Angeli impres-
sa per suam essentiam, Angelus Deum cognoscit,*
in

in quantum est similitudo Dei. Igitur si Verbum Dei inseri gestiebat in Virgine puta, clarissima, illibata, quæ eius characterem, & proprietatem ostenderet; qualis deligendus legatus, nisi Angelus; in quo illa, licèt inferiori prælo, attributa cuduntur? Vehiculum Verbi aduenit Angelus ad Verbi Genitricem: verbo fœtam reddit? verbo concipit illa Verbum Dei. Omnia illibatæ Chrysost. hypostasis odoramenta respirant. Setiò S. Chrysostomus in Psalm.9. *Angelus adueniens, qui est vehiculum Verbi, infudit Maria, concepit credens verbo. Hoc Verbum caro factum est, assumens (quod non erat) nostrum, non amittens, quod erat ex Patre; permansit in suo, quod erat in Diuinitate. Ingressus vterum Virginis non violauit integritatem, creatus non abstulit virginitatem.* Scio, te pupugit illud: *Angelus adueniens, qui est vehiculum Verbi.* Curnè vehiculum? An quia Gabriel Verbum incatnaudum baiulabat in nuntio? Benè. Sed naturam respexit Chrysostomus, non officium. Decernitur Angelus ad Mariam: quia totus halat Diuini Verbi excussas per participationem à Diuinitate scintillas, totus mens est, totus sapientia: hæc illi in croceis splendoribus cunabula lucis extitère; decor & scientia operimentum eius: viuidis lineis Verbi similitudinem vehit, vtpote qui nunquam absque verbo torpet otiosus & deses, cùm in perpetua negotietur agnitione sui. Talis decebat ad Mariam nuntius. Ex tunc Virgineus præsagiebatur conceptus, qualis mentis soboli contingit. Vnde sedulus Chrysostomus, vt quod prædixerat, expenderet, virginitatem Mariæ & in generatione, & in partu præcinit: *Ingressus vterum Virginis, non violauit integritatem, creatus non abstulit virginitatem,*

29. Cant.4.4. Nec Angelus quà vehiculum Verbi est, excellit Mariam: cuius non solùm vterus, sed & collum vehiculum Verbi est. Cantic.4.vers.4. *Sicut turris Dauid collum tuum, qua ædificata est cum propugnaculis.* Quid collo cum turri, cùm procera colli eminentia liberalis pulchritudinis deroget statui? Verùm qui Dauidicæ turri comparauit, nobile mysterium indixit. Quàm firmum & eminens collum Dauid, per quod tot reboatunt diuini Verbi præcentiones, tot insonuerunt carmina: quasi aureo gutture non iunceo, & debili, quod sub pondere tantæ vocis gemeret, Rupert. qualiter audisti ex Ruperto: *Nasciturum post multa tempora fideli corde sacramenta concepit, & ore sacro edidit.* Sic Sponsæ Mariæ collum cum turre Dauidica componitur, nunquam nutans, æneum & firmum, vt Verbi è corde Patris eructati vehiculum fieret. Philip.Abb. Venostè Philippus Abb. in Cant. lib.4. cap.13. *Sicut turris Dauid collum tuum. Illud quippe Verbum bonum, quod ipsum cor Dei Patris ineffabiliter eructauit, cùm veniret ad homines, & videri se ab hominibus ordinauit, assumpto quasi vocis vehiculo, huius collum Virginis semitam sibi fecit, per quam habens transitum, non quærentibus & non interrogantibus se obiecit. Ex enim Verbi transitu ipsa eius semita tam magnificè decoratur, tanta fortitudine collum Virginis roboratur, vt ad sufferendum nostra infirmorum onera non insufficiens habeatur, & instar turris valida nos inualidos tueatur.* Insolita nimis delicatæ semitæ conditio: non fatiscit ab onere quod baiulat; sed robustiùs solidatur, dum venit Mariæ collum, verbi vehiculum, ab ipso verbo fortiùs obduratur, rigetque ceu turris. Quid causæ? Quia collum virginis est, verboque, in quo virtus & fortitudo diuina viget, nimis cognatum & simile. Non pondere grauat, quidquid eiusdem naturæ est. Vrceus in alto flumine plenus aquis vel à tenero brachio leuatur: aqua inter aquas manum onerat leuantis. Ergo ex virginitate, qua Maria pollet, non grauatur, licèt grauidetur à verbo. Probemus nunc, in hoc loco virginitatem Sponsæ ab Sponso celebrari sub metaphora virginei colli cum turre Dauidica comparari ob aptitudinem ad verbum Dei concipiendum. Pro virginitatis stemmate pendere dicuntur Cant.4.4. ex Dauidica turre mille clypei: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Solet dici, quòd sub hac clypeorum metaphora intelliguntur baccata monilia ex fulgurantibus gemmis & vnionibus orbiculari figura de collo Sponsæ dependentia. Verum sit. Quod stimulat mentem est, cur omnem sibi prædicet fortium armaturam turris hæc Dauidica, cui collum virginis comparatur, si solùm clypei pendent ex ea. Armarium strenui Ducis ingredere: lanceis, contis, pugionibus, igneis tormentis, armis iam eminus, iam cominus pugnaturis inuenies opimum! parum est, ni paucas, quasi iam ab ære vulneratus, quod è parietibus pendere prospicias Hæc omnis armatura fortium est. Non solùm clypeo vestiendum corpus, casside caput: non solum ictus excutiendi sunt: ferire opus est, confodere: tuetur clypeus, vincat ensis: iners brachium, deses dextera, si absque gladio, quamuis testudine corpus amiciatur. Quoniam virginitatis pingitur simulacrum, rectissimè pro omni armatura solus clypeus suspenditur. Si turris collum virgineum est, sat est clypeus. Tunc virgo vincit, tunc ferit, tunc debellat, cùm clypeo cingitur, cum oculis eripitur, cùm sub regmine ferreo custoditur. Omni fortium armatura pugnat virginitas, cùm prospectantium oculis absconditur. Enecatur hostis non ferro, non iaculo, non igne; sed clypeo. Nulla maior victoria, nondum exerto brachio, adhuc ferro sub vagina superasse. Virginea pulchritudo, ne fascinum sentiat ab oculis dimicat inimici: vix lumina admouit hostis, iam cæcus est in suomet viso sepultus. Quæ fugit ab hoste, fugat hostem. Virgo, quæ virum non cognoscit, fortissima virago est. Ergo in collo sub symbolo turris Dauidicæ mille pendentis clypeis armatæ virginitas Sponsæ apta verbo, quod per collum eructatur, describitur; vt Mariæ vterus quàm conueniens fuit verbo Dei demonstretur.

30. Indecens est, ne vulgaritatis insimulemur, S. Thomam non aduocare in patronum: sanctum subticere Doctorem, ne in loco communi pagina erogetur; cum potiùs absque tanto teste prædictorum auctoritas vacillaret. 3. p. q.28. art.1. S.Thom. vbi versat, cur conceperit Virgo; sic docet: *Hoc fuit conueniens proprietati ipsius Filij, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei: Verbum autem absque omni corruptione concipitur cordis: quinimò cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit à Verbo Dei assumpta, vt esset caro Verbi Dei, conueniens fuit, quòd etiam ipsa sine corruptione Matris conciperetur.* Et art.2. sciscitans, cur virginitas in partu claruit? *Quia hoc competebat proprietati eius, qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam verbum non solùm in corde absque corruptione ex corde procedit. Vnde vt ostenderetur, quòd illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conueniens fuit, vt de*

inter

incorrupto Virginis vtero nasceretur. Ergo Mariæ caro & ostendit verbum Dei, & ostenditur esse verbi. Non sat fuit hominem fieri, in quo discreta remanerent pignora naturarum; sed hypostasis verbi in illud impulit prodigium amoris, quòd altera natura alteram inferret, & argueret. Diuinitas, quà ad Verbum sigillata humanitatem, quà ex virgine prognatam explicabat, reciprocâque manifestatione hæc illam pandebat; & dum tam disiita copulabantur extrema, arbitra virginitas Mariana non solùm vtriusque temperabat distantiam, sed ad appositam aptitudinem alliciebat.

31. Ambros. Præfatis tamen obsistere credideris Ambrosium, qui in Psalm. 118. octonar. 3. col. 4. in med. sic inquit: *An nescimus quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut Verbum aduenit quale in principio erat, quale erat apud Deum; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens?* Non igitur natura verbi ex vtero claruit virgineo, sed celata Diuinitas, sagoque mortalitatis vestita, inuolucro carnis amixit maiestatem. Si Ambrosium introspicias, calculum offert pro adhuc discussis. Certum est primum Domini aduentum non lucis fuisse, sed vmbræ; non ostri maiestatis, sed humilitatis. Id Redemptoris officium, id carnis exigebat assumptio; figi venerat, non nitere, verùm Mariæ caro secretum verbi passa non est, virgineâ lampade illustrauit. Oportebat lucem illam quæ verbi propria est, ne mortales primo intuitu caligarent, sub humanitatis lagena tegi. Attamen quia humanitas illa ex virgine fuit (sicut ex vmbra illisa à luce cognoscitur corpus, corpusque in vmbra amussim, licèt obscuro penicillo, ductis lineis depingitur) id mirabile contigit, quòd ipsius lucis vmbra fieret, Verbumque, quod lux est, per corpus virgineum, quasi per vmbram nosceretur. Licèt ad vmbram efformandam pulsus lucis opus sit; tamen vmbra non lucis, sed corporeis est: nec depingit lucem, sed corpus. In corpore est Maria id singulare, quòd corpus fuit vmbra lucis luminisque è lumine, Verbique Dei, candoris lucis æternæ similitudo ab ipsamet luce depicta, ex qua, quamuis in vmbra, verbum ibi innotesceret delitere. Luc. 1. Ideò Angelus postquàm dixit: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*; adiecit: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Si in vmbra virtus, quomodò Filius Dei in veritate? Id corporis virginei ingenium fuit: ex sui figura in figuram substantiæ Dei, characteremque & sigillum maiestatis, agnitionem nostram euocauit, vt corpus humilitatis nostræ conforme fieret corpori gloriæ suæ. Iam totus Ambrosius. Ambros. *Quomodò non sumus in vmbra, quos crucifixus à malignitate sæculi & corporis ardore defendit? An nescimus, quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut Verbum aduenit quale in principio erat, quale erat apud Deum, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens? Venit in nube leui: & cùm esset virtus Altissimi, obumbrauit Mariæ, vt transfiguraret corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori gloriæ suæ.* Mirum nubis artificium, noua vmbræ ars, quæ dum obnubit lucem, lucis vestigia perarat, transfiguratque corpus, vt conformis sit homo imagini filij Dei, qui verbum est; cuius proprietas lux est, vtpote intellectuale lumen.

32. Vis ex hac vmbra suspicere lumen? Vidisti pluries laternam; quam meritò casulam lucis, ædiculamque nuncupabis. Ea arte conficitur, siue papyracea sit, siue vitrea, siue è vesica fuscior, vt & lumen abscondat, & reddat, sub ipsoque retegat tegumento. In gremio, seu vtero lucernam fert, & tamen lux clausa sub vmbra vmbras illustrat, reliquiisque sui noctis temperat tenebras, eâ arte, vt non tota appareat, & tamen sui exhibeat agnitionem. Pulchrè descripsit Martialis lib. 14. Epig. 56. Mart.

Dux laterna via clausi, feror aurea flammis
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Plautus in Sympos. Plaut.

Cornibus apta canis, tereti perlucida vitro,
Lumen habens intus diuini syderis instar.

Deum nostrum, verbum Patris, lumen de lumine, de monte Vmbroso ad sacram virginei corporis vmbram noueris aduenisse, vt quasi sub laterna lucem sui emitteret temperatam, ne obstringerentur oculi ab ardore, nec à tenebra pedes cæspirarent. Comptè Bernardus totam rem dedit sermon. 1. de Aduentu Domini, colum. 3. post medium: *Ita est fratres, nos magis ad Deum venire dignum fuit; sed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi nostri; ille vero lucem habitat inaccessibilem. Propterea benignissimus Saluator, & Medicus animarum descendit ab altitudine sua, & claritatem suam infirmis oculis temperauit. Induit se laterna quadam, illo vtique glorioso, & ab omni labe purissimo corpore, quod suscepit. Hæc enim illa leuissima planè, & præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum Propheta prædixerat, vt descenderet in Ægyptum.* Præclarè Bernardus ex laternæ similitudine, quod adhuc elucubrauimus, explicuit, in qua dum lux amicitur, lucis vestigia scintillant. Idque virginei corporis arrogat ingenio; quòd, quà corpus, tegebat lumen, Verbique nitorem; quà virgineum, oculis ostendebat. Sic aliàs dicebat Lucretius lib. 6. 2. *Præterea lumen per cornu transit.* Lucret. Nulla aptior huic instituto materia, quàm pellucida caro virginis: in ea nititur Bernardus: *Illo vtique glorioso, & ab omni labe purissimo corpore, quod suscepit.* Quin vt & ad vmbram, quam ex nube suprà coniiciebat Ambrosius, accineret, illud subdit: *Hæc est enim illa leuissima plane & præfulgida nubes, suprà quam ascensurum eum Propheta prædixerat.* Leuissimam, & præfulgidam appellauit, vt totum proderet acumen. Crassi vapores, multaque fæce, & situ sordentes, cum à Sole subriguntur, constipatam, æneamque nubem efformant, quæ Solem tegit fuscâ obsidione, nec simulam luci permitti. Cæterùm si nubes leuis est, nec maligno pondere grauidata, eo ipso Solem reddit, radiosque perpolit, & ex fulgente amictu dispensat. Mira nubes fuit, quia Solem obnupsit; sed dum virginea, leuis: sic Solem dedit, etiam quando texit. De quo sub hac eadem nubis similitudine egimus suprà Academ. 4. num. 19. in fine.



ACADEMIA XXXI.

Verbi Dei natura per omnes Mariæ Virgineos sensus explicata dignoscitur.

Verbum Dei in omni sinu Mariæ, in mente, in ventre, in ore, in aure, in charta.

SECTIO I.

1. INCREBRVIT apud Maiores nostros è verbo creato ad incarnati verbi saltem adumbratam notitiam, accipere disciplinam. Videre licet apud Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 6. & cap. 11. post med. Fulgentium lib. 3. ad Monim. cap. 7. post med. Chrysostomum tom. 5. oration. 9. Lactant. lib. 4. Diuinar. Instit. cap. 29. Longum esset syllabum texere. Vt agam compendio; obseruo, verbi creati plures esse situs: si enim examinas; verbum & est in mente, & in ore, in aure in charta. Tot vuluas, sinusque verbi natura sibi deuouit, vt sit, vt sonet, vt audiatur, vt persistat. Est in mente, editur ab ore, apparet auri, sistit in litera. Cuncta hæc in Diuini verbi, quâ geniti à Patre superno, & à virgine Matre, ducunt agnitionem. Athanasius, tom. 2. quæstione 4. longè post med. *Quemadmodum sermo hominis duas habet generationes, vnam ex anima, & alteram ex labiis; ita etiam Dei sermo duas generationes habet: vnam quidem ex Deo & Patre, quæ & prima generatio dicitur: alteram ex carne, quæ & secunda generatio dicitur.* Cyrillus Alexandrin. Dialog. de Trinit. lib. 2. *Nam & mens humana parit, & emittit à seipsa verbum, & motâ subtili parturitione, profert, quod placet, & discursibus ad superiora, & exteriora substantiali quodammodò natiuitate verbum nobis fingitur, & aliud quiddam esse à prolato videtur, separabitur autem minimè, nec etiam mens antiquior existimabitur esse verbo, quod sursum transilit. Est enim verbum semper ex mente & in mente, insuper etiam mens in verbo.* Cupis verbum in literis incisum? Ausculta Theodorum Episcopum Ancyræ apud Acta Concil. Ephesin. tom. 6. Concil. cap. 10. col. 5. in principio: *Nam & tuum quoque verbum quædam mentis tuæ proles est. At postea quàm verbum istud, quod mens tua peperit, elementis & literis volueris exprimere, & in charta efformare, manu literas describis, & certa quadam ratione verbum tuum per manum denuo eniteris.* Et confestim: *Hîc itaque cernis mentem, ibi Patrem; hîc Verbum ex mente productum agnoscis, ibi Verbum essentiale, subsistensque ex Patre natum vides. Hîc manum per literas verbum parientem conspicaris; ibi Verbum per corpus virgineum generatum. Non quòd ea suo partu aliquod Diuinitati initium subministrarit, absit; sed quòd Deum inhumanatum, humanis aspectibus conspicuum, visibilemque reddiderit.* Sic ille. En conspicabile verbum ex Maria, qua nulla aptior materies, vt omnes, quos incolere solet verbum creatum, sinus cœlesti verbo consonâ capacitate accommodaret.

Augus. Fulg. Chrysost. Lactant. Athan. Cyril. Alex. Theod.

Igitur vt dignoscatur mira inter verbum Dei & virginem Matrem cognatio, quòdque reuelatio verbi Maria sit, procliue est, quòd disseramus, an sacra Mater huic superbenedicto verbo omnigenum deuouerit gremium, quo expatiaretur, eiusque infinitudo non strictis premeretur angustiis, sed laxis potiretur aulis? Fuit itaque in Maria verbum Dei, tanquam in mente, tanquam in ore, tanquam in aure, tanquam in charta. Hæc nostris elucubrationibus consecramus probanda, ne perfidus insultet Hæreticus negans Filium Mariæ esse verbum Dei. Verbi attributa, intellectualisque indolis apparatus, vel rationis tyrunculum in fidei obsequium ad hanc fidelem adigunt agnitionem. 2.

Ne auerseris hanc intimam verbi Dei in totius Mariæ finibus penetrationem. Meministi velleris illius innocui bibulam, spongiosamque naturam, quæ totum hausit rotis stillicidium. Quàm potens attractus pluuiæ! Arescit area, sitientique siccitate dehiscit, totamque sibi tempestatem aurarum vellus arripuit, nec guttulam puluere permisit. Annè absque rore pilus, absque imbre limbus, absque vnda fimbria? Roscidum vtrobique vellus siccum filamentum non patitur: quia vellus typus virginis, ros typus verbi, sicut, eloquium fluens plenitudinem Diuinitatis Mariam hausturam protendebat. Chrysologus sermon. 143. *Vellus cùm sit de corpore, nescit corporis passiones: sic virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat, cælestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota Diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere.* Hæc in figura, iam in opere. Audi Iustum Luc. 2. sic ad Mariam Simeon: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quid est, quòd triste occisionis omen pronuntiauerit senex in recentis natiuitatis tripudiis? Annè martyrio coronandam virginem ariolatur? Sed si non ignorauisti verbum Dei, gladium hunc non poteris ignorare. Consule Apostol. ad Hebr. 4. *Viuus enim est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, atque spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Ergo gladius est verbum Dei. Apocal. 19. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus.* Ecce igitur Simeonis vaticiniū, quod licèt in futurum protulerit, omne tempus copulauit. Verbum Dei nihil in anima, quà ratiocinatur, quà vegetat, quà sentit, in te impertransitum derelinquit; totam te penetrat, patulosque eius acumini sinus peragrat: mentem implet, opplet vterum, aurem incolit, linguam pulsat, manum pungit, brachia stringit, compages etiam & medullas iucundâ vulneris statione cruentat. Quid causæ? Quippè ideò gladius, quia verbum; ideò verbum, quia intellectus lumen, lucisque æternæ candor. Lucis autem arbiter Sol, si illi adsit apta luci sphæra, vsque ad tantillam æthræ portionem radiat splendore; in cœlo fulget, in mari rutilat, feruet in terris. Supra subtilem Ambrosius rem cogitauit in Psalm. 118. octon. 20. ad illud: *Prope es tu Domine, & omnia præcepta tua veritas. Quid non penetret Verbum Dei, splendor æternus, qui etiam occulta mentis illuminat, quæ non potest iste Sol penetrare? Verbum enim Dei gladius spiritalis est vsque ad diuisiones animæ, atque artuum, medullarumque perueniens. De quo dicit Iustus ad Mariam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium* 3.

Iudic. 6. Deut. 32. 2. Chrysol. Luc. 2. Ad Hebr. 4. Apoc. 19. Ambros.

cogita

cogitationes. Penetrat ergo animam, & quasi candor æternæ lucis illustrat. Nihil ab hoc sacro gladio incruentum, nihil non punctum in Virgine: quia omnem Diuini verbi plenitudinem, quasi succido cespite ebibens, sibi deuinxit. Ideò animam dixit Simeon, non corpus, vt omnem complecteretur portionem ab anima viuentem; vtque ostenderet gladium hunc verbum esse spiritale, quo anima imbuta diuinam scientiam mutuatur. Cur enim illud: *Vt reuelentur multorum cordium cogitationes?* Ergo ad sapientiam omnis Simeonis oratio tetendit, Ergo ad verbum respexit, qui cum gladio cogitationes cordium coniunxit. Sibi adstipuletur Ambros. tom.3. in Luc. ad eadem verba: *Nec litera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transuerberatur, & ideò prudentiam Mariæ haud ignaram mysterij cœlestis ostendit. Viuum enim Verbum Dei, & validum, &c. Cogitationes cordis, & secreta scrutatur animorum, quia nuda, & aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientiæ secreta non fallunt.* Nec vacat discussione vox illa *pertransibit.* Si agit de gladio; cur non *configet* inquit? segnis enim illa dictio est, si cum machæræ acumine componatur. Nihil consultius. Non alia vox debebatur, omnia Mariæ virginea penetranti verbo Dei, ob amoremque Matris omnem particulam permeanti: id alibi ex S.Bernardo firmamus.

Ambr. Bernard.

4. Prouerb.8. versicul.22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Septuaginta legunt: *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Quod licèt ad verbum incarnatum accersant, vt liquet apud Basilium in Apolog. ad Cæsarian. *Principium Euangelicarum viarum nominatur, quæ nos deducunt ad regnum. Factus est enim secundùm dispensationem via nostra.* Tamen nullo negotio ad Mariam aptant Patres, quos contexere operosum esset. Pluries huncce locum, prout se offerr occasio, euoluimus. Cur omnium viarum Domini Maria initium? Vt Deus infringeret dæmonis astum, eluderetque versutiam, & eliderer versipellem, qui, omnem creaturam tabifico macularet veneno, omnium creaturarum recapitulationem, compendiumque hominem aggressus est, semitasque in ipso fecit per omnem sensum, per omne latus; vt sic viarum osculis, initiisque obsessis per omnes deinde creaturas grassaretur, tetricumque & dirum imperium exerceret. Meditare primigeniam Euam. Qualisne sensus, qualis latebra à toxico serpentis immunis? Oculi pellicientem conspexere ramum, auris colubri voces hausit, manus contrectauit pomum, lingua post verba palatum dedit, vtque per omnes corporis venas, elicesque iret noxa, in alimentum delegit, stomachoque mandans cæteris portionibus distribuit; dumque viscera crapula saturauit, animum infarsit peccato. Ecce iam homo viarum dæmonis initium fuit. Dedimus non semel huic cogitatui nimium fauentem Ambrosium: non fastidium repetitus gignet: oportet recognoscere: *Serpens, id est, diabolus in auribus Euæ semitam fecit, fecit & in pedibus quibus interdictum fuerat iter ad arborem: fecit & in manibus, quibus contacta sunt poma; fecit & in lateribus, dum ab eis non vt fuerant concessa, celebratæ sunt nuptiæ.* Quę vltima verba alibi elatebramus. Quã peruius homo dæmoni! Quot itinera hosti patefecit! Per verbum irrepsit in fœminam: loquutus est, audiuit illa, & simul cum aure periit. Quin & in Dei verbum iaculum sponsionis contorsit, scientiam Dei promittens, quæ propria Filij Dei est. Ergo fiat fœmina, in qua Deus semitarũ suarum statuat initium, omnem sensum, omnem potentiam præoccupans, verboque Dei fœcundans. Hinc verbum Dei, vt suam Virginem ad omnem creaturarum reparationem plenâ possessione circundet, principiumque viarum tutâ potestate sortiatur, fit in mente, fit in ventre, fit in aure, fit in ore, fit in brachiis; nullaque est portio Virginis, quam nõ imbuat maiestate. Appositè nimis S.Bernard.Senens.tom.2.serm.48.art.2. c.2. *Vt non tantum potuerit Eua in pomi concupiscentia deformare, quantùm Beata Virgo in diuinæ obedientiæ desiderio reformare. Fiat inquam, mihi in corde per fidem, in ore per confessionem, in ventre per incarnationem, in manu per contractionem, in brachiis per ablactationem* Quid pulchrius?

Prou.8.v.22. Septuag. Basil. Ambr. S.Bern.Sen.

5. Imò cum ex latere viri fœminam construebat, & in paradisi fouebat cunabulis, iam inde construere se meditabatur ex vtero nouę fœminę, nedum ex latere, quæ excelleret viraginem illam, in qua semitarum initium per trifidæ caudæ à serpente exaratum sulcum dæmon constituere parabat: vt noua Virgo adeò pristini reparatrix errari excelleret in viarum initio, vt & ipsũmet Deũ qui primæ emanationis in Diuinis absque initio initium est, & in principio erat verbum, producat. Expende Chrysol serm.143. *Quid mirum modò si Virginis habitauit in vtero, qui mulierem hominis sumpsit ex latere? Ipse hominem mulieris resumpsit ex vtero, qui Virginem viri formauit ex corpore. Ac proinde homo, quæ sibi videntur noua Deo habentur antiqua.* En vnde antiquitatem euincat. Ergonè ad Primigenij latus vetustatem virginalis conceptus retorquet? Latebat in latere sacramentum; non solùm in Christo, & in Ecclesia, sed in Christo, & in Maria, quæ semitam quam in lateribus proscidit serpens, virginea fœcunditate oblitteraret. Quin Chrysologi ingenium, dum in ædificatione fœminæ ex latere, Dei hominis in Maria structuram rimatur, parat meditandum, quòd sicut ex costa viri, nullâ exterâ superinductâ materiâ, pristina mulier integrum molimen accepit, vt totum os in omne fœmineum suppeteret ædificium: sic verbum Dei in omnem sinum Mariæ se infuderit, vt ex tota totus homo prodiret, omnemque portionem impleret, vt viarum initium constitisset. Hoc sapore venit illud: *Vnguentum exinanitum est nomen tuum:* & illud: *Exinaniuit semetipsum.* Quasi Virgo omnem diuini verbi suxerit virtutem, & vini meri vas, plenum misto dum effecit funditùs euacuauerit. Epiph. in Anchor. *Quoniam euacuauit seipsum, forma serui assumpta, non plenitudo imminuta est; sed vt ostenderet à cœlo transeuacuatum in humanam naturam; hoc est, in officinam Mariæ.* Et statim: *Principium viarum iustitiæ Euangelij nobis Verbum caro in Maria factum est.* Euacuatum, inquit, in officinam Virginis: quasi se colliquauerit in omnem Mariæ sensum, qui officiis inseruit vitalibus.

Ioan.1. Chrysost. Ad Eph.5. 32. Cant.1.3. Ad Philip. 2 7 Psal.74 9. Epiph.

6. Quàm prodigo munificentiæ fluento auaras antiqui stillicidij guttas in Prophetas sensim cadentes Deus compensauit! Quid est, quòd tot organa, fistulæque Mariani instrumenti verbo Dei affatim imbuantur, dumque laxat linguam humilis virguncula, laxis excursibus in omnem eius portionem verbum se ingerit? *Multifariam, multisque modis olim Deus loquebatur Patribus in Prophetis.* Sed si meditaris, curtè se infundebat:

Hebr.1.1.

non rorum Vatem de cœlo tactum, per omnes sinus implebat. Fit verbum Abdiæ ad aures: *Auditum audiui à Domino.* Esaiæ ad oculos: *Visio Esaia.* Aggeo ad manum: *Verbum Domini factum est in manu Aggei.* Quasi pertæsus Dei verbum strictam, gottatimque stillantem sui exhibitionem, sese ex stagnante pelago exuberans refundit in virginem; nec ad eam, sed ei verbum fit, vt totam infarciat, in aure, in visu, in manu, in brachio, in gremio, in vtero, in vberibus, in mente. Quare illa: *Fiat mihi*, inquit, *secundum verbum tuum*, non verò *fiat ad me.* Venustè Albert. Magn. in cap. 1. Luc. Præmisit, quomodò verbum ad Prophetas factum est: *Sic diuersimodè, diuersisque modis & pro diuersis factum: sed non sibi Beata Virgini Maria fit; ad aurem quidem in oraculo annuntiationis & elogio salutationis: ad visum autem, quòd viderunt oculi sui salutare Dei sui: ad manum etiam fit contrectationis, & ad brachium oblationis, & ad gremium sustentationis, & ad vbera lactationis, & ad viscera incarnationis, & aliis modis infinitis sibi soli notis. Sit ergo: Fiat mihi.* Succinit Senensis tom. 3. sermon. 6. artic. 3. cap. 3. *Mihi dicit, non ad me: quasi dicat: Quod in aure mea factum est per Angelicam salutationem, & in mente mea per fidei conceptionem, fiat mihi, id est, in vtero meo, per diuini Verbi incarnationem.*

Abd. 1. Esai. 1. Agg. 1. 1. Luc. 1. Alb. Magn. Senens.

7. Hinc forsan non ignobiles Patres censuere illa Angeli verba, quæ in vestibulo dixit, *Dominus tecum*, ad ipsum verbum incarnatum alludere. Cur tam præpropetus, & inopinus sensus? In prologo omnem libri consummationem præcoocipete nouum est. Crediderim id sic cogitatum, quia absolutè verba prolata, *Dominus tecum*, nullam peculiarem decernentia portionem, siue mentis, siue ventris; sed totam vniuersim amplexata personam, verbum Dei indigitant, cuius cùm proprium sit mentem incolere, si iam destinabatur ad vterum, omnem sibi virginis suæ deuouerat aulam, siue spiritum, siue corpus. Quare si nouiter Dominus cum Maria esse nontiatur, eiusque ex propria natura præoccupauerat mentem; quis putas ille Dominus censendus, nisi verbum Dei, qui iam vterum ambiat pudicum? Sanctus Bonauentura: *Non solùm ventrem sed etiam mentem Mariæ Diuina sapientia cepit, vt integram domum tantùm Dominus obtineret. Ideò dictum est ad illam: Dominus tecum: tecum in mente, tecum in ventre: nihil sui vacat, omne conclaue impleuit.* Beatus Thomas à Villanoua conc. 2. de annunt. *Dominus tecum. Et quomodò tecum? Non vtique sicut mecum, sed sicut nulli: tecum in corpore, tecum in manu, tecum in animo, tecum in consilio, tecum in vtero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine tecum sine fine.* Laurent. Iustin. sermon. de annunt. col. 2. *Tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in præsidio. Caterùm hoc non habet à te, sed ab illo, qui fecit te, vt nasceretur ex te, pasceretur à te, permaneret in te, atque gratia sua fœcundaret te, Repleuit enim te, vt fieret in te.* Quòd autem illud *Dominus tecum*, Verbi diuini personam indicauerit, vrgebis non illepidè, si sciscitetis, quidnè concernat Virginis proloquium: *Fiat mihi secundum verbum tuum?* Potest enim *ly secundum* ordinale nomen esse: quasi dixerit: Fiat mihi verbum illud, quod in secunda protulisti dictione: Fiat mihi Dominus, quem mecum sistere protulisti, vt magnificet Dominus facere nobiscum: Fiat Emmanuël, id est nobiscum Deus. Adest Alber. Mag. in cap. 1. Luc. *Potest etiam ly secundum, nomen esse ordinale, vt sit sensus: secundum verbum tuum, quod in salutatione positum est. Hoc enim est, Dominus tecum.* Nec absque venustate, cùm apprimè conueniat humillimæ Virginis, quod sibi cecinit, attributo: *Ecce ancilla Domini.* Si se Domini prædicat ancillam: quidni Angelum reuocet ad secundum illud verbum, quod edidit: *Dominus tecum.* Imò qui *tecum* dixit, festina anticipatione subindicauit, iam ex Maria eum prodire, quasi vt priùs esset ex virgine, quàm cum virgine. Sic totam iouasit à primordio. Sanctus Germanus in oratiuit. Beatæ Mariæ: *Dominus tecum, qui priùs ex te, posteà tecum: nunc quidem adaptans vterum tuum, sibi diuersorium, tunc è carne tua magnum conficiens Incarnationis mysterium.* Quomodò illud: *qui priùs ex te, postea tecum:* siquidem priùs prolatum est *Dominus tecum*, quàm Incarnatio peracta? Quare Andreas Hierosolym. in salut. Sanctæ Mariæ: *Aue gratiosa, Dominus tecum. Qui ante te, hodie vna tecum est; & ex te paulò post nascetur. Illud quidem ab æterno, hoc verò ad tempus.* Verum est: ast Germani solertia cucurrit, concitoque impetu exundantem verbo Dei virginem conspicatus est, vt iam per anticipationem crediderit Dominum ex ea genitum, siquidem sic abundanter erat cum ea. Ideò forsan ad illam vocem *Dominus tecum* cogitabunda virgo nutauit, in ruineoque tumultu viscera præsagientia prodigium, quasi per turbinem collisa turbabantur, totaque Mariæ portio concitata est. Iam auspicabantur Diuinitatis ingressum: quare in sermone eius turbata est; Dei enim Sermo, quem in sermone Angelus ferebat, Virginea tremefecit arcana. Chrysologus serm. 143. *Turbata est in sermone eius. Turbata est caro, concussa sunt viscera, mens tremuit, tota cordis obstupuit altitudo, quia in egressu Angeli Virgo sensit Diuinitatis ingressum.*

Ps. 125. 3. Matth. 1. 23. Alb. Magn. S. Bonau. B. Thom. à Villanou. Laur. Iust. S. Germ. Andr. Hier. Chrysost.

8. Aptissimè diuini Verbi proprietati artifex hæc alta in totius Mariæ sinus inuasio. Se Verbum ostendit, dum sic Virgineos recessus peragrauit. Rogas causam? Do. In artificis intellectuali verbo omnis præhabetur opificij ratio, & in exemplari operis lineamenta. Eapropter in Verbo Dei, primigeniaque sobole, omnium creaturarum specimina præextitêre. De quo Athenagoras in legat. pro Christian. col. 7. *Primigenia est Patris progenies, quæ non vt facta, sed vt rerum cunctarum idea, & perfectio foret, progressa est. Hoc enim indigebat informis illa natura, terra, & cætera elementa, quæ diuinitùs digeri, perficique opus erat: orationi nostræ propheticus etiam Spiritus assentitur: Dominus enim, inquit creauit me, initium progressionis ad opera sua.* Filius diuinus quatenus verbum est, dum semina rerum rationesque præcontinet, omnem imbuit creaturam, & vsque ad interiora penetrat, non solùm ex immensitatis attributo, sed & ex personali proprietate, quatenus Artificis Artifex Verbum est; quod sapienter versant Nyssenus oration. catechet. cap. 5. Basil. contra Eunom. lib. 5. tit. 6. & alij. In hoc munus, Filij diuini Deitas defixa est, vt sit initium progressionis ad opera sua. Exinde initium hoc increatum, aliud creatum condidit initium viarum suarum, totiusque gratiæ & regenerationis, à quo & ipse Deus initiaretur homo, & senescentibus sæculis attritus Adam in nouam efflorescet iuuentam. Hoc initium est superbenedicta Maria, à qua Euangelica auspicantur exordia, gratiarumque fluenta decurrunt. Quare initium illud increatum totam

illapsu

Athan. Nyssenus. Basil.

illapsu sacro Mariam permeauit, & traduxit à mente vsque ad ventrem omnia portionum pleni-
Prou. 8. 22. tudine Deitatis perpluens spatia. Ideò *Dominus tecum* dixit Angelus, quia Dominus ipse est Deus; ideò Dominus possedit eam initium viarum suarum, vt ex participatione initij, quod est propriũ Verbi Dei, quatenus præcontinentis opifices rationes, manifestaretur, quòd ille, qui nascebatur
Chrysipp. homo, Deus erat verbum. Iam capio Chrysippum Hierosol. sermon. de laudib. Mariæ fermè in init. *Μετὰ σοῦ ὁ κτίστης τῶν ἁπάντων, μετὰ σοῦ ἵνα γεννηθῇ ἐκ σοῦ· μετὰ σοῦ τῇ συλλήψει, ἵνα καὶ ἀπὸ σοῦ τῷ τόκῳ. μετὰ σοῦ ὡς Θεὸς, ἵνα καὶ ἀπὸ σοῦ ὡς Θεὸς καὶ ἄνθρωπος: Tecum est conditor omnium, tecum inquam, vt ex te gignatur tecum conceptione, vt ex partu tuo generetur: tecum velut Deus, vt ex te sit Deus & homo.* Hæc vltima multo pipere aspersa sunt. Quidnè est illud: *tecum velut Deus?* Censeo, sapiente dictione Deo plenam dicit Mariam Chrysippus, non Deo vtcumque, quod commune est omni creaturæ, immensitatis iure; sed Deo, qua verbum Dei est, qui Mariam delegerat, vt viarum suarum ordiretur initium, & illam vndequaque impleuerat, vt personalis proprietatis luculentam redderet imaginem. Respicit forsan Chrysippus ad Archangelum aduersus superbum Cherub, qui similitudinem Dei arripere tentauerat, quæ propria verbi Dei est, irruentem
Isai. 14. 14. illis verbis; *Quis vt Deus!* In Maria Deus hic, vt Deus est, scilicet vt ille, cuius characterem, originisque intellectualis candorem & sapientiam, quę omnium initium est, sibi concupierat Lucifer ille, qui manè oriens, in cunabilis lucis tenebras inuenit. Tecum igitur, ô Virgo sapiens, hoc Verbum Dei vt Deus est, ea nempe proprietate, iis attributis, quæ verbum Dei docent, *Vt ex te sit Deus, & homo*, non quia Diuinitatis initium à te trahat, sed quia manifestationis à te ducat exordium, cuius caro perspicua eius indicia, & specimina præbet.

9. Opus fuit, mihi crede, hac plena inhabitatione verbi Dei in virgine Matre: nam in illa omnes instaurandæ, reparandæque erant creaturæ, quæ ruente homine, in abrupta se dederant, recentemque & nitidum creationis fuscauerant candorem. Si homo totius creaturę compendium est, reliquique opificij & libri generationis syllabus & elenchus, & ideò in vltimam coronidem eius est protelata creatio; quid quòd illo pereunte, perirent cætera, eiusque toxicum per totius naturæ viscera grassaretur? Nonnè omnis creatura homo, qui intelligit cùm Angelis, cum brutis sentit, vigetque & crescit, dum cum plantis & scopulis vegetatur? Igitur si omni creaturæ lux reparationis affulget, cum hominis genesis instauratur, Mariaque in reparationis aulam eligitur, quidquid in Maria viuit, quidquid sentit, quidquid intelligit, ipso reparatore imbuendum est. Qualisnè reparator? Hîc Diuinitatis ingenium. Ideò aduenit Filius Dei, cui tanquam verbo inest ad omnem creaturam conueniens & apposita conuenientia, quatenus omnium similitudo, & exemplar est. Profundè Sanct.
S.Thom. Thom. 3. part. quæst. 3. artic. 8. *Conuenienter ea, quæ sunt similia, vniantur. Ipsius autem persona Filij, qui est Verbum Dei, attenditur vno quidem modo communis conuenientia ad totam creaturam, quia verbum artificis, id est, conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt. Vnde Verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Et ideò sicut per participationem huius similitudinis creatura sunt in propriis speciebus instituta, sed mobiliter: ita per vnionem Verbi ad creaturam non participatam, sed personalem, conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam, & immobilem perfectionem. Nam & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum, si collapsum fuerit, restaurat.* Quo nihil sublimius, nihil sapientius potuit cogitari. Ecce verbum suopte ingenio appositus totius creaturæ Instaurator est. Ergo si id obtigit per Mariam, totam sibi virginem debuit verbum Dei præoccupare, ne, si partem relinqueret expertem, curtis medela ordiretur auspiciis Ne nures sic contigisse, vt iam probo.

Huic cogitatui faustus Patronus sit S. Ioannes 10.
Dam. Damascenus orat. 1. de Natiuit. Mariæ confestim ad initium: *Omnis creatura vnà epuletur, ac sacra Anna sacerrimum rationale laudibus prosequatur. Bonum enim thesaurum, quique nulla ei eripi possit, mundo peperit. Per eam quippe Creator naturam omnem interiecta humanitatis beneficio, in melius commutauit. Nam cùm homo media quadam inter mentem & materiam sede constitutus, rerum omnium conditarum, tam quæ in aspectum cadunt, quàm quæ oculorum sensum fugiunt, nodus ac vinculum sit, profectò etiam artifex Dei Verbum humana natura copulatum, per eam cum vniuersis rebus conditis vnitum est.* Quia insignis locus est, Græcâ Damasceni fruere opulentiâ. *Πᾶσα κτίσις συνευωχείσθω καὶ ὑμνείτω τὸν ἱερὸν Ἄννης τὸν ἱερώτατον λόγον. ἔτεκε γὰρ τῷ κόσμῳ θησαυρὸν ἀγαθὸν ἀναφαίρετον. δι' αὐτῆς γὰρ ὁ κτίσας πᾶσαν φύσιν, πρὸς τὸ κρεῖττον μετέθηκε χειρῶν διὰ μέσης τῆς ἀνθρωπότητος. εἰ γὰρ ὁ ἄνθρωπος μέσος νοῦ καὶ ὕλης ἱστάμενος, σύνδεσμός ἐστι πάσης ὁρατῆς τε καὶ ἀοράτου κτίσεως, ἑνωθεὶς ὁ δημιουργὸς λόγος τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει τῶν ἀνθρώπων, δι' αὐτῆς ἥνωται τῇ κτίσει πάσῃ.* Attrisit desiderio Damascenus; omnia quæ prælibauimus, sapienti auctoritate firmauit. Tria mira conscrit cognatione; Verbum Dei, in quo omnium creaturarum opifices præ-
S.Thom. existunt rationes: quod docuerat nos Sanct. Thomas; hominem inter mentem & materiam, totius creaturæ recapitulationem & vinculum; denique Mariam, ipsius verbi apta concinnitate Matrem per virginitatem effectam. Vt Verbum instauratoris ex suæ personalitatis officio personam ageret, totius creaturæ semina in tota Mariæ portione sibi debuit copulare, ac proinde omnem Virginis implere naturam, & mentem, & vterum, os, & aurem: quæ non solùm cuiusque verbi receptacula sunt, si vterum excipias, qui verbi diuini singularis est; sed ad eiusdem verbi munus, nouamque creaturæ genesim coniectandam, præuio in Virginem illapsu, ipsi ver-
Bern. Sen. bo subseruisse fuit opus. Pulchrè Bernardinus Senensis suprà tom. 2. dict. sermon. 48. ad illa verba *Fiat mihi*, artic. 2. cap. 11. *Vide autem, quanta potestatis, Virginis desiderium fuerat apud Deum: quia quidquid per plurima fiat, à Domino factum est, ipso dicente Genes. 1 Fiat: nunc in Beata Virgine dicentis vnico verbo Fiat, redditur reformatum. Fiat, inquam, mihi in corde per fidem, in ore per confessionem, in ventre per Incarnationem.* Nonnè sua-
Luc. 1. ue melos auscultas: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes?* Quid à progenie ad progeniem is, castissima puella, omniumque tibi generationũ denones præconia, nec hominum succidanea, successiuaq; prole contenta es, sed omnis creaturæ generationes ad panegyrim lacessis? An quia in te omnis generatio & mentis, & ventris, & oris, & auris, per diuinum obtigit verbum, vt iam nulla sterilitas aridam siccaret creaturam,

ſed per Filium tuum reparata, nouis prouentibus aperiret genitale ſecretum? Id quidem germanum eſt adhuc cogitatis. Quare ſubdit Damaſcenus ſta- Damaſc. tim ad præfata: *Quapropter humanæ ſterilitatis depulſionem celebremus; quandoquidem bonorum ſterilitas, ac velut mutilatio à nobis ſubmota eſt?* Si plores generationes in Maria recuſas, adi Augu- Auguſt. ſtinum lib. vnico de ſancta virginit. tom. 6. col. 3. *Sola ergo Maria & ſpiritu, & corpore & Mater & Virgo, & Mater Chriſti, & Virgo Chriſti. Eccleſia verò in Sanctis regnum Dei poſſeſſuris, ſpiritu quidem tota mater Chriſti eſt: tota virgo Chriſti: corpore autem non tota, ſed in quibuſdam virgo Chriſti, in quibuſdam mater, ſed non Chriſti.* Quod non ea cenſoria fronte accipias, quaſi veram in ſpiritu Verbi è mente concepti Genitricem Mariam aſſeramus, cùm aliò tendat noſtræ diſcuſſionis inſtitutum, ſcilicet ad intimam Verbi Dei in omni Mariæ ſinu inhabitationem. Paulò Idem. antè dixerat Auguſtinus: *Ac per hoc illa vna fœmina non ſolùm ſpiritu, verumetiam corpore & Mater eſt, & Virgo. Et Mater quidem ſpiritu, non capitis noſtri, quod eſt ipſe Saluator, ex quo illa magis ſpiritaliter nata eſt; ſed planè Mater membrorum eius, quod nos ſumus.*

Mens Mariæ ſpiritalis vterus Verbi Dei, vt in vtero carneo conceptus ſe Verbum eſſe propalaret.

Sectio II.

11. Egimus de hoc pluribus Acad. 27. ſect. 4. ſunt tamē quæ huic loco aptè proficiant. Præcipua verbi ſedes mens eſt; cuius ſpiritalis vulua, & illibata concipit, & integra parit. Ideò verbum mentis actione immancote progignitur, eodemque ſinu, à quo naſcitur, retinetur; quamuiſque per vocalia inſtrumenta auribus offeratur alienis, gremium non deſerit, cui debet Cyril. Alex. eſſe genitum. Sectione ſuperiori dedi Cyrillum Alexandr. dialog. de Trinit. lib. 2. *Separabitur autem minimè. Eſt enim verbum ſemper ex mente; inſuper etiam mens in verbo.* Quàm amans patrij vteri proles hæc eſt; nec nata derelinquit, nec prolata. Vt Filius Dei appareat verbum in Maria, mens opus eſt, mentiſve intellectualia pignora. Si in vtero carneo progignitur; quis non à ſpiritalitate verbi deſciſcere iudicabit, degenerique vulua non tantùm perdere quod habebat; ſed nunquam habuiſſe, quod perderet? Verbum enim poſtquàm à mente gignitur; ſi ab ore profertur, licèt per aures auſcultantium ſubintret, vociſque veſtitum inuolucro organum pulſet auditus, non illo carneo obice detinetur; ſed impetu innato tranſuolat ad mentem, ibique ceu in propria reſidet ſtatione. Ergo ſi corporeus Mariæ vterus prole tumet, ſuſpicionis forſan inſidiabitur nota, non illam eſſe verbum Dei. Benè noſcis vteri Mariani nobilem naturā. Virginitas illi pro mente eſt, domque carneum parturit Deum, verbum eſſe decernit. Quin vt innoteſceret verbi Dei in Mariano vtero à verbi non demigrare natura, Regia puella Dauidicæ ſtirpis eligitur, quæ ſacro grauidanda fœtu, priùs conciperet mente, quā corpore.

12. Itaque duo nobis ediſſerenda ſunt quæ potiùs coëunt in vnum; ſcilicet quòd virgineus vterus, Filij Dei gerulus, indolem ſapiat mentis; & quòd Mariæ mens eam cum vtero ſui contraxerit cognationem, vt quaſi reciprocatis dotibus, ſpiritalitas mentis clareret in vtero, fœcunditas vteri floreret in mente, & quaſi conciperet mente Filium quæ verè gigneret vtero verbum; protractiſque, & emarginatis vtriuſque naturæ metis, intellectus, inquam, & ventris, veluti per vnam abſque interiecto pariete aulam verbum Dei in virgine expatiaretur. Si dubitas: Rogo, cur intellectuale habitaculum dicatur Maria, eiuſque vtero omnes mentis dotes irrogentur? Theophanes hymn. in Theoph. Annunt. Deiparæ: *Omnibus irreceptibilis quomodo hic poterit Virginis vterum habitare, quem ipſe formauit? Quomodò autem & concipiam Deum Verbum vnà ſine principio cum Patre & Spiritu?* Confeſtim reſpondet: *Te plenitudinem ſolam elegit intellectuale habitaculum.* Ordinatiſſima ſucceſſione voces connectit. Poſtquàm enim nodum implicuit, quomodò Deus, qui verbum eſt, vterum potuiſſet habitare corporeum? facilè expedit; quia vterus ille, Virgoque tota, intellectuale habitaculum eſt. Ergo non ſolùm verbum Deus, ſed etiam vt verbum, explicataque verbi natura incolit Mariam, vtpote quæ ſi intellectuale habitaculum eſt, conſonum ſuum verbo conſecrauit. Inde cenſeo, ab vtero totam Mariam *intellectualem* nuncupari; quippe cui diuinæ intellectionis terminus inſedit, mentiſque dedit ſupernæ functiones obire. Dedi Acad. 13. n. 4. pulchrum Epiphanij locum Epiph. orat. de laud. virg.

Quis Mariæ virginitatis inſtillauit diſciplinam? 13. Quis edocuit, eò ſtrenuè cuſtodire pudorem, vt aduerſos Angelum vteri pignus offerentem, & turbationis aculeis, & verborum ſeptis armaretur? Certè Apoſtolus, *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſequutus à Domino, vt ſim fidelis.* 1. Cor. 7. Paulus edoctus Domino, poſtquam Dominus ſacris legibus, ſalubribuſque conſiliis Eccleſiam imbuerat, quam erexit. Non anteà virginitatis ſchola. Quid cauſæ tam tardæ diſciplinæ? Quid moras traxit tam nobilis virtutis conſiliū? Expectabat pudica virtus verbum Dei, vtpote primi virginis filium, qui, dum naſcitur in Excelſis, virginitatem pandit generantis; quoniam eò filius, quo verbum; & eò verbum, quò exoritur à mente; mens autem à ſpiritali non temeratur puerperio. Ecce iam quis limpidam virtutem Mariā edocuit, ipſummet verbum Dei. Quomodò, ſi nondum è virgine naſcebatur? Priùs penitus inſeritur menti vt verbum, antequam vtero vt Filius, & in mente virginis præexiſtens ad illa verba, quæ pro virginitate loquuta eſt, inſtruxit, præſagiens ſe ex vtero naſciturum, virginitatem loquuturum in partu, quam loquitur, cùm gignitur apud Patrem. Sic coniector ex Bernardi non modico ſuffragio, Bernard. homil. 4. ſuper Miſſus eſt, col. 3. *O Virgo prudens! ô Virgo deuota! Quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ iuſtitia, quæ pagina veteris Teſtamenti vel præcipit, vel conſulit, vel hortatur, in carne non carnaliter viuere, & terris Angelicam ducere vitam?* Et poſt nonnulla: *Vbi audieras: De virginibus præceptum non habeo; conſilium autem do? Tu vero non dicam præceptum, ſed nec conſilium nec exemplum, niſi quod vnctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei viuus, & efficax antè tibi factus eſt magiſter, quàm Filius; priùs inſtruxerit mentem, quàm indueris carnem.* Præpoſtero gradu à ventre ad mentem Verbum iret: procliuior via

fuit

fuit à mente ad vterum. Hanc ſibi ſemitam natura Verbi conſtrauerat, domeſticiſque, & familiaribus imbuerat diſciplinis, vt non deſciſceret vterus in genitura ab inſtructione mentis in conceptu.

14. Spiritus ſanctus metator Verbi, antequam in vtero verbum caro fieret, præuio chariſmatum cenſu deſcendit, vt aulam ornaret, pararet gremium, ſtromateque gratiarum operiret. Ergo ſi hoc Verbum prius fit in mente, in mentem Virginis debuit ſuperuenire metator, Spiritusque dilabi, id exigente, & verbi maieſtate, & honore puellæ. Certè ſic contigit: quare Angelus, *Inueniſti*, inquit, *gratiam*. Vbi autem gratia, ibi ſpiritus. Sed non ſatis pergit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*. Quid hac loquutione præſentit? Ad carnem Spiritus ſancti deſcenſum pollicetur, qui iam in mente præfuerat. Ideò, *Superueniet*, inquit, quaſi deſuper è mente tua veniet in vterum tuum. Sic ſenſit Bernardus alibi datus hom. 4. ſuper Miſſus eſt. Peruio commeatu ab animo Virginis ad virginis carnem Spiritus ſanct. effunditur. Id expoſcebat myſterium. Nec tantum per communis gratiæ illapſum Spiritus ſanctus in mentem deſcenderat à primordio, ſed tunc ſingulariter, vt totius Incarnationis œconomia per ſuos gradus, ſemitaſque progrederetur, tunc præuius deſcendit in mentẽ, & à mente in carnem, eo præludio manifeſtans, Verbum Dei eſſe, qui in Virginis vtero gignebatur. Stat ab his S. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſerm. 51. art. 3. cap. 2. *In ſecunda verò ſanctificatione, in qua Spiritus ſanctus non tantùm deſcendit in mentem, ſed etiam in ipſam carnem, & è carne operatus mirabiliter eſt, carnem eam ſine macula fabricando:* Ecce ſcopus. Sine macula Genitrix futura, prius addiſcit concipere in mente, Spirituque ſancto inſtrui in ſpiritali ſinu, laxatâ poſt maieſtate, carnea Mater efficienda.

Luc. 1.

Bernard.

Bern. Sen.

15. Ex quo defæcatiorem mentem ſortita Virgo, ex mente, & Spiritu ſancto, ex ſpiritu, & Verbo Dei tota *ſpiritalis mens* prodiit. Damaſcenus in Sentent. in Sanctæ Dei Genitricis enontiat. *Daniel te ſpiritalem mentem vocat; Dei Genitricem Eſaias; Gedeon vt vellus cernit; David ſanctificationem dicit.* Quibuſdam gradibus ſenſim ſublimatur præconium apud Damaſcenum. Quia Dei Genitricem nuncupaturus erat cum Eſaia, ſpiritalem mentem vocat cum Daniele, vtpote cui non alius Filius niſi verbum eſt; cui par eſt vterum, qui ad conceptionem deſtinatur, mentis inſignia præhabere. Et ſi quod carneum, virginitatis induſtriâ in ſpiritum, mentemque eliquatur; quid de cætera Maria meditaberis, niſi quod tota *ſpiritalis mens* ſit? Otium diceres in dictione: quæ; etenim mens non corporeis diſtenditur lineamentis, non grani quantitatis mole dureſcit, nec carnis craſſitie denſatur; ſpiritus eſt: vel ergo voca ſpiritum, vel mẽtem; ne, ſi *ſpiritalem mentem* dixeris, ſuperfluis ſyllabis ſcateat oratio. At non hoc vrget in virgine, cuius mens ſpiritu Sancto, Verboque Dei intima penetratione imbuta, ex illapſu ſortitur & nomen à ſpirituque inhabitante vocatur. Mens ſibi erat; iam ſpiritalis: ſupra mentem à ſacto Spiritu redditur; & ex animo ad corpus, corporis expertis ſubſtantiæ attributa communicantur, vt tota Maria aptum fiat habitaculum Verbo Dei.

Damaſc.

17. Iam capies S. Germanum Archiepiſcop. Conſtant. orat. in Natiu. Virgin. col. 7. in med. *Per mulierem, inquam, cuius animæ pulchritudo inuſitato modo ſine exemplo in tantum eſt ſubuecta, vt & Chriſtum ipſum eius ineſtimabilis ceperit pulchritudo, ex eaque ſecundò generatus ſit, & ſine patre quidem. Sic & corporis decens habitus ad tantum puritatis perductus, vt ad ipſam perueniret corporum expertis, atque incomprehenſibilis ſupernaturalis ſubſtantiæ granditatem per vnam ſanctæ Trinitatis perſonam. Hæc Deipara eſt Maria.* Ex anima ad corpus, obuio tramite permear Germanus, vtramque componens in vnius perſonæ Trinitatis obſequium. Ergo ſi corporis decens habitus ad granditatem incorporeæ ſubſtantiæ ſubuectus eſt, quid ab ſpiritus nomine arcetur in Maria ne tota *ſpiritalis mens* aſſeratur? Videas Germanum adſtipulari præfatis, apud quem Deus Verbum à Mariæ animæ blandiente pulchritudine allectus ſecundam generationem, eamque ſine Patre ſubire cogitauit, vt vuluam fœmineam inueniret, qualem immaculatam obtinebat in Patre. Aſt ab animo confeſtim itur ad vterum: cumque pelliceret Mariana mens Vnigenitum Dei; generatio tamen in carne peragitur. Quid rei? Quia ex virginitatis habitu corporis ſordes, fœculentaque probra caro Mariana non ſenſit, ad corporiſque immunem ſublimata ſubſtantiam, quem animo ceperat, cepit in vtero.

S. German.

17. Ex his lux fit Nazianzeno oratione 35. numero 85. *In principio ſine cauſa erat. Quæ enim Dei cauſa afferri queat? At poſtea quoque certa de cauſa natus eſt: nimirùm vt tu homo contumelioſe ſalutem conſequaris, qui Deitatem idcircò contemnis quia craſſitiem tuam ſuſcepit, per intermediam mentem cum carne coniunctus, atque inferior hic homo Deus effectus, poſteaquam cum Deo coaluit, præſtantiorique parte ſuperante; vnus factus eſt, vt ipſe quoque tantum Deus efficiar, quantum ille homo.* Pendo illud: *Per intermediam mentem cum carne coniunctus.* Qualemnè mentem reſpicit Nazianzenus, quam vocat intermediam? Verbum quidem Dei, quod carni coniunctum eſt, intermedia mens nõ ſcitè nuncupabitur; quippe quod extremum ſit, non medium in nexu. Verbum Dei mediante Virgine caro fit: ergo Maria intermediâ mens eſt. Fauet Bernard. in Natiu. Mariæ ſerm. de aquæductu. col. 4. in med. *Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. Fons ſapientia, Verbum Patris in excelſis: hoc Verbum mediante te caro fiet: vt qui dicit: Ego in Patre, & Pater in me; dicat nihilominus; Quia ego à Deo proceſſi, & veni.* Medium vt nexus & fibula ſit extremorũ, vtriuſque extremi indolem ſapere opus eſt, ne nondum temperatâ diſtantiâ, aſpectu toruo copulentur; auerſenturque vinculum, quod non moderatur differentiam. In Maria Verbum caro fit: vt extenuetur infinita diſparilitas extremorum ſpirituũque apex cum corporia nectatur ſubſtantia; Virgo ſacra diligitur, quę licèt carnea, & humana, nobilitate virtutis ſpatium ſupergreſſa, animi dotes carni præfixerat, virgineoque commercio negotiata erat, totaque mens ſpiritalis effecta, eo ſæculorum negotium, Incarnationem ſcilicet, deduxit vt iam verbum carnis non renueret ſodalitium; vtpote carni per intermediam mentem, quæ Verbi eſt propria, copulatum. Itaque animus, caroque Virginis intermedia mens fit apud Nazianzenum, qui orat. 39. n. 25. ſicut ſupra dixerat: *Intermediam mentem*, appoſuit *Intermediam carnem*. Sic Verbum, qui mens eſt, promptiori vinculo carni virgineæ miſcetur. Audi illum: *Pro ſuo erga homines amore, id, quod non erat, aſſument, vt qui natura ſua comprehendi non poteſt, comprehendatur inter-*

Nazianz.

S. Bernard.

Nazian.

mediâ carne tanquam velo quodam interiecto. Idcircò ea, quæ admixtione aliena erant, miscentur, atque non modò Deus natiuitati, & mens carni, & temporis expers tempori, & id, quod circumscribi non potest, mensura iungitur: sed virginitati quoque procreatio. O septies felix, septiesque beata inter carnem, & verbum Dei mediatrix, quæ in mentis pignore cum Filio cõmunicas! Verbum quidẽ Dei, quia è mente gignitur, sapiensque ex originis indole innascitur, *mens*, solet appellari, vt vidisti in Nazianzeno, *Mens carni, Deus natiuitati.* Eo vocabulo non immeritò pollet Virgo ex mediatricis officio inter carnem & verbum: virgineè enim genuisse quid diuinum est, mentisque dos. Quare ad illa, quæ ex Nazianzeno retulimus, in orat. 35. num. 84. confestim addit: *Natus quidem est, sed etiam genitus erat: ex muliere quidem, cæterùm Virgine. Illud humanum, hoc diuinum: patris expers hic; Matris expers illic. Vtrumque horum Diuinitatis est.* Dixeris in vltimis syllabis nutauisse orationem: si enim vnum è duobus humanum dixerat, cur nullo interstitio, *Vtrumque horum Diuinitatis est*, inquit? Multo quidem sale conspersit Theologus sententiam. Verè Maria humana est. Verè ex Maria Deum nasci hominem, humanum est; sicut nasci ex Deo Patre absque fœmina, diuinũ. Cæterùm, quia fœmina hæc Virgo est, Maria est, cum cœlestique Patre fœcunditatis munere vitet, eiusque verbum in carne conclusit excellentiis animi opulentã; inde vtrumque Diuinitatis esse dixit. In quibus duobus locis Nazianzeni alternâ claritate reciprocatur lux.

Idem.

18. Ast non insubtiliter insurges. Si carnem quærit verbum Dei, vt homo fiat, cur intermedia mens pro mediatrice? Satius erit carneam nuncupauisse Virginem, quàm mentem. Benè. Scias *Medy* naturam. Si ad alterum ex extremis comparatur, videtur alterum extremum sapere. Si frigidum ames tepidoque latice plenus vrceus offeratur tibi, calidum dicis: si calidum sitiebas, vt frigidum auersabetis. Hinc Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 3. non longè à principio, sic Angeli naturam describit: *Angelus est essentia intelligens, perpetuo motu, atque arbitry libertate prædita, corporis expers. Quod autem corpore, ac materia vacare dicitur, hoc nostra ratione intelligendum est. Alioquin enim id omne, quod cum Deo confertur, qui solus præstantior est, quam vt in comparationem cadat crassum, atque materiâ constans reperitur.* Ergonè Angelus apud Deum corporeus est? Ausculta S. Thomam rem extricantem 3. p q. 50. art. 1. ad 1. *Dicendum, quòd substantia incorporea medium sunt inter Deum & Creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad vnum extremum, videtur alterum extremum; sicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum: & hac ratione dicitur, quòd Angeli Deo comparati, sunt materiales, & corporei, non quòd in eis sit quid de natura corporea.* Si ad corpoream creaturam compares Mariam, excellentiæ fastigio, spiritalique dignitate *mens* videtur, cuius caro super spiritum ardua, quod nulli contigit spiritui creato, Deum Verbum sibi adsciuit, puroque receptaculo compressit. Si ad Deum compares, qui corpus inquirebat ad prodigium amoris corporea Maria est: nullum enim corpus Deum decebat, nisi Virginis. Hinc pulchrè Nazianz. dicta orat. 39. num. 25. *Intermediam carnem dixit*, quia cum Deo composuit, quem carni comparatum, mentem appellauit: in orat. tamen 35. *intermediam mentem* apposuit, in qua virginem nostram intelligimus, quia cum hominis crassitie composuit: *Nimirum vt tu homo contumeliose salutem consequaris, qui Deitatem idcircò contemnis, quia crassitiem tuam suscepit, per intermediam mentem cum carne coniunctus*: Quare si dignitatem huius carnis virgineæ addiscere cupis, non cum hominis carne, sed cum hominis mente compone. Petrus Damianus serm. 45. in Natiuit. Virgin. prope finem: *Hinc etiam, dilectissimi, considerandum est, quanta sit dignitas nostra, quantaque nobis sit proportio cum Maria. Concepit Maria Christum in vulua carnis; deferimus & nos in visceribus mentis.*

Damasc.

S Thom.

Nazian.

Idem.

Damian.

Imò Virgo nostra cum Deo Patre ad Vnigenitum concipiendum composita, *mens* meritò nuncupanda. An quia & caro virginis spiritum supergreditur? Nyssenus serm. de ortu Christi, quem alibi expendo: *In aliis omnibus vix anima pura sancti Spiritus aduentum accepit: hic autem fit caro spiritus receptaculum.* Benè, sed nondum affatim. Mens Maria est, quia quasi nata è mente superni Patris nutritia ebibit alimenta, eiusque implicata cũplexu mens illa, quasi effusa per artus spiritum intus aluit, ex intimaque infusione ad verbũ Dei concipiendum erudiuit. Quam nutrit mens, quid putas, nisi mens erit, cùm adsona debeat inter nutrimentum & nutritum esse proportio? Iam recordatis Nazianzenum in Christo patiente, quam tragicomœdiam vocant, col. 3. in fine sic loquentem cum Filio Deiparam inducit. 19.

Nyssen.

Simul atque nata sum Patris sui, vt arbitror
Ex mente summa, me meus nutrit Pater.

Nazianz.

Expende illud: *Simul atque nata sum Patris sui, vt arbitror, ex mente summa.* In quo, quia fusè egimus Acad 8. num. 6. non est nobis iterum volutandum; sat est recoluisse, verbum Dei ex mente Patris oritur. *Cur verbum?* dicebat Basilius homil. 16. *Vt quod ex mente procedit, ostendatur.* Igitur verbi matrix, vuluaque mens est. Cur non Verbi Mater, mens? Et si mens in verbi Dei generationem ordinata, scitè ex mente Patris nata cantatur; vt ex simili origine Filius altissimus, dum humanis fasciis illigatur, à nobili Patris stemmate non degeneret.

Basil.

Quæque sapiunt genus, & patrum indoles per communicatæ substantiæ commercium deriuatur ad filios. Si è mente Patris quasi innascitur Maria, Patrisque mens sapientiam gignit: (*Intelligendum enim*, inquit Cyrillus Alexandr. lib. 1. Thes. cap. 7. *sic ex Patre natum Filium, sicut sapientia ex mente*) quid quòd Maria in sapientiam illam gignendam, vergente pondere, simultaneoque impulsu propendeat, tandemque eam enitatur, quam eàdem mente Pater enititur? Vix concipitur Filius Dei in vtero virginis, cùm irrequieto gradu, concitoque pede, quę sub latebrarũ recessu claudebatur, exurgit puella, festinaque in mõtana perrexit. Pondera cursum Luc. 1. *Et recessit Angelus ab ea. Exurgens autem Maria abiit in Montana cum festinatione.* Quod pupugit calcar; quæ penna circumdedit? Fœmina casta, vel ab ipsis auris sequestrata, quam Angelus inuenerat in claustro pudoris, iam per saltus, iam per montana vagatur? Concepit, & exurgit, vt pergat. Nec censeas casum, cùm sedulus Euangelista id accurato calamo notarit. Tædia ferunt grauidas, acidisque aculeis pungumtur, postquàm genuerunt, & ex voluptatis illecebrosa semente incipiunt assurgere spinæ, quæ cruentant. Rarior gressus est, iugis accubitus, ægrumque corpus moueri nescit, 20.

Cyril. Alex.

Luc. 1.

cùm

cùm didicit generare. Secùs menti contingit, quæ potiùs, dum verbum concipit, hilarescit, ingeniosisque motibus adeò celeritatis iura sortitur, vt quasi præpetibus pennis in longissimas abeat regiones, voletque plagas: & quamuis immota videatur, ocyori cursu in ictu oculi terras peragret. Inde sapientia omnibus mobilibus mobilior esse perhibetur. Id in increata Sapientia,
Sap.7. Verboque Dei pronum est cernere. Sapient.7. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia. Attingit autem vbique propter munditiam suam: vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera; & ideò nihil inquinatum in illam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* En sapientiæ mobilitatem, excursusque celeres ob munditiam & puritatem, qua mentis soboles floret, euenire,
Lyra. vt ibi adnotauit Lyra. Igitur vt ostendat Maria hoc ipsum Verbum Dei in vtero incoinquinato concepisse mobilioremque omnibus Sapientiam, acsi vulua mens fuisset, illico in montana, placidaque alacritate spiritalibus perfuncta signis assurgit in iter: quia quæ sine voluptate concepit, voluptatis asseclam segnitiem non potuit
Bernard. experiri. Bernardus serm. de verbis Apocal. *Signum magnum apparuit in cælo.* col.4. in fine: *Iure enim illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensi, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde & in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimùm cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elizabeth ministraret. Sed & ascendit Bethlehem, imminente iam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leue, portans, à quo portabatur.* Si portat, à quo portabatur; ergo
Heb.1.3. Verbum Dei, quod portat omnia verbo virtutis suæ; vaporque est virtutis Dei, & emanatio claritatis: quæ omnia modum gignendi sa-
Lyra. pientiam produnt: sic enim ibi Lyra: *Vapor autem est quoddam eleuatum procedens ex aqua, à natura aquæ existens: sicut Filius in Dominis, qui dicitur Sapientia Patris, procedit ab eo, & eiusdem est natura cum ipso.* Itaque non deneges Mariæ insignia mentis, quæ, dum concipit, mouetur, & hilaratur, nec torpet ab onere; sed auras anteuolat eundo.

21. Noueris ex discussis, pro iure inconcussâ phrasi Patres *Virginem mente & corpore* præconentur Mariam; ne, si vna ex his virginitas defuisset, truncata maternitas claudicaret, sigillata fœcunditas, & in frusta diuisa frustraretur, sectionemque passa pudoris, dum non integra remaneret, à virginitatis voce desciscerct. Si Mater mente & ventre est, Virginem in vtroque sinu fatebere; ne alterâ mercede euacuetur, cùm filij merces, fructus ventris sit. S. Fulgentius de Incarnat.cap.1. *Deum Dei Filium conceptura, viri coitum nec pertulit omninò, nec voluit; sed virginitatem retinens & mentis & corporis ab eo, quem conceptura, & paritura fuerat, donum incorruptæ fœcunditatis, & fœcundæ integritatis accepit. Ita Deum*
Psal.126.3. *Verbum, secundùm quòd caro factum est, Virgo san-*
Fulgent. *cta concepit.* Fœcundæ virginitatis, quæ in mente & corpore Mariæ viguit: donum attribuit Fulgentius Verbo Dei; quippe quod mentem amet fœcundam, & ex mente ad vterum totam Virginem suam sibi mancipare parauerit. Quare procliui argumentatione, post illam præmissam *virginitatem retinens, & mentis & corporis*, deducit Fulgentius: *ita Deum Verbum secundùm quòd caro factum est Virgo sancta concepit.* Mentis itaque, & carnis mundities sacro ritu in Dei Verbi Genitricem consecrarunt Mariam. Hæc singularitas Vnigenitum Dei arripuit,
& ex originis suæ natura Mariæ deuouit. Damianus serm.40. in Assumpt. col. vlt. iuxta princip. Dam. *Hæc sunt duo, quæ virginalem substantiam totâ circumdedere virtute, continentia scilicet, & deuotio: quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, vt caro mundissima, mens purissima Genitricem Domini singulariùs consecrarent.* Idipsum in serm.1. de Epiph. prosequitur col.5. post med. exponens illud Cant. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Benè ergo hæ duæ species in stella & virga nostra iunguntur: quia in Virgine Maria carnis integritas, & mentis deuotio* Nazian.
semper indiuisa manserunt. Nazianzenus oration.38. num.20. *Atque humana omnia excepto peccato suscepit, conceptus quidem ex Virgine animo & corpore, à Spiritu præpurgata (nam & procreationem honore affici, & virginitatem præferri oportebat) progressus autem Deus cum humanitate vnum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum & spiritu, quorum alterum deificauit, alterum deificatum est.* En quia nouâ mixtione, admirandâque temperatione Spiritus ad carnem agglutinandus erat, caroque in spiritum sublimanda; animus & corpus Virginis deligitur ad aulam Verbi Dei incarnati. Succedat Bernardus in Bern.
sermonibus, qui illi attribuuntur, serm. de B.Maria: *Miraculum fuit, quòd Virgo peperit: mentis clamor, Virginis amor, virtutum zelus, vitiorum fuit occasus.* Quid est illud, *mentis clamor?* Clamor mentis Verbum est, siquidem verbo mens loquitur. Parit Virgo, carneus sinus Saluatorem effundit; sed quia Verbum est, menteque conceperat, idem partus geminæ vuluæ irrogatur? idemque fuit parere ex vtero, quod clamare ex mente.

Vt satiùs fidas his, quæ adhuc elaborauimus, 22.
ne vltrà mireris, cur Virginis Matris ad diuinæ personæ Incarnationem, Angelico ministerio, consensus rogatur, nec qui arbiter, Dominusque naturæ est, imperij vtitur libero dominatu, verum ab inconsulta extorquens puella; sed priùs per nuntium, paranymphumque animum pulsat, mentem solicitat, arbitrium orat, vt lubens permittat vuluam non violentis vrgeatur iniuriis? Si generatio opus naturæ est, quid mentis calculus postulatur? Altissimâ quidem prouidentiâ id effectum, vt clareret prolem illam Verbum esse Dei, non ex concupiscentia carnis, sed ex obedientia mentis progenitum. Mens Virginis arbitra decernitur, è mente auspicatur generationis primordium; ne nutes Verbum esse, qui priùs mentem solicitauit ad ortum. Nequiuit ingeniosiùs virginitas pandi Genitricis, intellectualisque Geniti Diuinitas. Augustinus serm.13. de temp. August.
capit.1. *O miracula, ò prodigia, Fratres mei, naturæ iura mutantur in homine! Deus nascitur, Virgo sine viro grauidatur, viri nesciam sermo Dei maritat. Simul facta est Mater & Virgo: Mater facta, sed incorrupta: Virgo habens filium, nesciens virum. Solus enim sine peccato est natus, quem sine viri complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.* Quibus vltimis verbis adeò delinitus est Augustinus, vt eadem repetat lib.1.

lib.1. contra Pelagian. cap.29. in fine. Subtili textura, mentis obedientiam aduocat ad conceptum; tum, quia præmiserat *Viri nesciam sermo Dei maritat*; tum, quia concupiscentiæ carnis abnegabat vestigium. Vtrumque mentis munus est,& maritari verbo,& generare virgineè. Mens Patris olim non ex obedientia gignebat, sed ex natura. Basil. Quare Basilius homil. 28. contra Sabellian. ante med. dixit: *Ex Patre Filius, non mandato factus, sed ex illius natura genitus est.* Si non mandato, sed naturâ gigneret Maria, virgineus pudor in suspicionis aleam verteretur; nec omnis conceptionis exerceretur modus erga Verbum Dei,quod vtpote infinitum, omni conceptionis genere lætatur. Quare cùm Pater non mandato, sed naturâ ex mente genuisset, obedientia mentis à Virgine exposcitur, vt iam supernus Parens fruatur Filio, & sine mandato,& ex obedientia mentis genito. Sic Augustinum calluisti. Nec defuit vrgens ad id occasio à primordio. Per inobedientiam in Verbum Dei insultauerant Primigenij, scientiam, mentemque appetentes diuinam, quasi gignere tentassent Verbum illud, in quo sunt omnes thesauri scientiæ Dei. Ideò Virgini quidem Verbi indicitur genitura, vt ex obedientia mentis concipiat Verbum. Dedimus Damascenum suprà; recognoscere oportet orat.1. de Assumpt. Mariæ: Damasc. *Ac quidem olim Deus eos, qui humanum genus auspicati fuerant, & inobedientia mero sese ingurgitauerant, è paradiso Edem exterminauit. Nunc verò eam, quæ vitij omnis impetum discussit, ac propulsauit, ac Dei Patris obedientia germen produxit, an non paradisus excipiet?*

Quale sit proloquium à Patribus decantatum: Virginem per aurem concepisse? *Vt soboles Verbum indicetur.*

SECTIO III.

23. VERBVM, postquàm è mente gignitur, & è labris editur, in auscultantium auribus promptâ successione recipitur: hoc organum sibi trames est: hanc illi natura semitam præscripsit,vt refundatur in mentem: quam nisi obturet arbitrium,eripere loquenti non præualet. Ne vllus verbi situs in Matre Virgine ad Verbi diuini conceptaculum deficiat, quod cepit in mente, quod hausit in ventre, quali putares semita,pro calliculo permeauisse,nisi per aurem? Apud Patres nimis decantatum proloquium est, per aurem Virginem concepisse. Vt eorum sacram segetem secuto,benignoque cœlo legamus, præmoneo neutiquam per aures,aliumve corporeum sensum diuini Verbi substantiam in Virgineum vterum traiecisse: id secretissimo,& spiritali immensæ Deitatis derogaret illapsui. Quare Alb.Mag. Albertus Magnus seuerà fronte castigat, quotquot absque lenimine, & analogiæ alicuius licentia, tropoque sic efferunt, quòd Virgo per aurem fœta fuerit: sic in cap.1. Luc. *Si autem quæratur, vnde Virgo concepit, vtrùm verbo Angeli, vel de quo? Dicendum, quòd non verbo Angeli, quia verbum Angeli in aëre sonuit, & non permansit: & ideò sanguinem eius nec distinxit separando, nec conuertit, nec formauit. Id autem, de quo concipitur, & separat sanguinem, & format, & figurat. Et ideò condemnatum est, quod cantatur: Concipies per aurem; sed cantetur: Concipies & paries Deum pariter & hominem.* Non sufferet Mariæ dignitas, virginitasque fœcunda ab alio, quàm à superno Numine grauidari: clarior & feracior est Angelo, super quem & clauum tenet, & explicat vbertatem. Angelus sterilis est, non prole gaudet: verbum, quod eius intellectus spiritali parturit sinu, accidens est, non substantia: Deo paret vt administratorius spiritus, non Deum parit. Heb.1.14.

24. Ergo infertilis est,nimiùmque humilis, & deiecta Angeli vox, vt in Virgineum vterum agat, vel Verbum Dei in Virginis aures immittat. Ait Maria: *Fiat mihi secundùm verbum tuum,* & subdit statim Euangelista: *Et discessit ab illa Angelus.* Luc.1.38. Cur pennas tam citò explicat, & inurbanus & incomptus gratitudinis non rependit officia? Assensum expetierat, assensum audit; & oppignerata fide subscripsit Virgo iam Sponsa verbi Dei,iam Mater: & tamen Gabriel silet, euolat, fugit; nec cum grauida virgine linguam pascit gratulabundam.Opus fuit præproperus discessus, mihi crede. Dixerat virgo; *Fiat mihi secundum verbum tuum:* ne putaret fatuus hæreticus verbum Angeli per Aures virginis immissum,incarnatum fuisse;ideò terga dat Angelus,resumit cursum, moras rumpit; vt scias nec Angelum, nec vocem Angeli in virginis vtero coaluisse pro fœtu. Altior Maria est: non ingreditur per aures, quo illa impregnetur; non sat illi Angelus,non expletur eius fœcunditas,nisi Deo grauidetur, & à Deo S.Athanasius in homil. de sanctiss. Deip. Athan. *Fiat mihi secundùm verbum tuum. Et abiit ab illa Angelus. Nam hoc significat Euangelista, Angelum ab ea digressum esse, ne occasionem relinqueret dicere volentibus eum ipsum Angelum incolam Virginis incarnatum fuisse; aut verbum, quod ille insonuit, hominis naturam condidisse: sed quòd abscedente Angelo superuenerit in Virginem Spiritus sanctus, obumbraueritque illam virtus Altissimi. Atque ita postmodùm consummatus est salutaris ille conceptus.* Singularia sunt ista, cùm communis Patrum censio sit, concepisse Virginem protinus ac dixit: *Ecce ancilla Domini.* Euthym. Vnde Euthymius Luc.1. *Discessit Angelus ab ea, simul ac iam per verbum suum conceperat.* Damas.lib.3.de fid.c.3.August.serm.2.de Annunt. Dam. August. Anastas. Papa in epist. quæ est in 2. tom. Concil. Anast. ante Conc.Albern.Id etiam & Athan. sensit. Athan. Sed quia debellare gestiebat autumantes virginem ab Angelo concepisse, satius ei visum est quasi retardare conceptum, Angelique abscessum expectare, quàm fœcunditatem ad fœtum Angelo adscribere: parum præstolatur, dum Angelus abeat, & statim ab Spiritu sancto fœtam fuisse virginem docet. Eâ enim tempestate ille error inualuerat, Angeli vocem per virginis aurem in eius vterum descendisse. Dedi Athanasij verba Idem. suprà Academ.16. sect.5. num.53. *Etiam hic animaduertimus vocem illam salutationis Angeli esse vocem, quæ pro sono suo, quo efferebatur, significationem habuit: verùm ipsam nequaquam fuisse Filij hypostasim, aut carnem esse factam; sed pro suo sono, loquendique ratione diuersam fuisse à verbo Dei, quod in vterum Virginis pariter descendit: prorsusque blasphemias dicunt, qui autumant vocem Angeli fuisse materiam, substantiamque Verbi.*

Quid

25\. Quid est ergo, quòd fermè communi phrasi apud Patres circumfertur Virginem concepisse per aurem, eâque semitâ Verbum Dei traxisse ad vuluam? Damascenus lib.4. fidei cap.15. ad fin. Gaudent. tract.13. de Natal. Dom. Ambros. in lib. de Salom. cap. vlt. Bernard. sermon.2. in die Pentecost. Eleuther. sermon. in Annunt. Richard. à S. Laurent. lib.2. de laudib. Virg. cap.3. Bruno sermon.4. in Annunt. Bernardin. Senens. tom.3. sermon.6. artic.3. cap.3. Fulgent. sermon. de duplici Christi natura Gotffrid. serm.8. in festiuit. B. Mariæ. Ennod. lib.1. carm. lib.10. In actibus Concil. Ephes. cap.7. tom.1. Concilior. August. tom.10. sermon.10. de Natal. Dom. & serm.22. & serm.24. Proloquium hoc accuratè expendendum est in nostræ virginis obsequium. Maritus sermo, vxor auricula perpetuo circumfertur stylo, & alia id genus depromuntur ex ingenioso Patrum penu; non in solidæ veritatis dispendium, sed in elegans explicandæ puritatis compendium.

Damasc. Gaud. Ambr. Bernard. Eleuth. Richard. à S. Laur. Bruno. Bernardin. Senens. Fulg. Gotffr. Ennod. Aug.

26\. Igitur ante dicitur virginem concepisse, Angelico maritante sermone: quoniam ad vocem Angeli auris virginis arrecta hausit nuntium, subdidit assensum, concepit Verbum; non quale per aurem insonuit, vocalique verbere increpuit, corporeâ leuitate auribus infixum; sed spiritale & increatum. Cæterùm quia non alius sensus defæcatior, & spiritali subtilitati cóceptus vicinior, quàm auris est; hoc organum huic sacro deputatur conceptui. Amica societas, affinitasque propinqua inter aurem & Verbum est. Mariani corporis organa sensilia eò cum spiritali puritate contendunt, vt quæ in vtero carneo gignere verbũ meruit, carneos sensus administratorios huic sacræ conceptioni per aptam potuerit trahere analogiam, vt virginitati subseruirent, & vterum prærogatiua mentis gauisum fuisse præsignarent. Auris humana, rationalis intellectus ministra est: verbum, quod capit, in eum traiicit; cuius signum est, quod statim intelligit mens auscultantis. Ergo si dum audiuit virgo, concepit in vtero auris illa contestata est, vterum ob virginitatem subtilibus mentis dotibus eminere, Probe S. Bruno serm.4. in Annunt. *Vide ergo, & intellige, & suscipe Verbum in corde, & in vtero tuo: Virgo concipies, & Virgo paries: quia per aurem ingredietur in te, qui nascetur ex te. Verbum enim est, & via verbi auris est. Non enim aliter concepit Beata Maria, nisi audiendo, & credendo.*

S. Brun.

27\. Congestum est quidquid purius, quidquid nobilius ob venerabilem Mariæ maiestatem, quidquid cum verbo; quod intellectus proles est, conuenientius, Angelus, auris, cor & vterus virginis. Quàm nitens, quàm innoxius spiritus Angelus est, qui totus lingua; non carnis, sed mentis. Vt Mariæ auris ob puritatem simile sibi inueniret obiectum, Angelus ad eam loquitur, vocem construit. Hæc sola vox digna huius semitæ est: hoc organum ab hoc aptè imbuitur sono. Quæ omnino clausa est, cui pudor pro armato milite claustrum vuluæ custodit, renueret aurem nisi ab Angelo aperiri. Ergo ab aure dicitur concepisse, quia nihil apertum fuit in virgineo corpore ad concipiendum, nisi auris, & hæc ab Angelo. Athanasius suprà: *Cùm igitur diuersa sit à voce Archangeli hypostasis Verbi & Filij Dei, simul ac aperirentur aures Virginis per Angelicum sonum, introgressa est in eam diuini Filij essentia; adeò, vt nec ipsa Virgo hac cognouerit; cognouerit autem Dei Filius, quo pacto introierit.* Omnia verba cumulata sunt, Angeli, hominis, & Dei vt Verbum Dei vterus Virginis exciperet: & vna auris, quæ, quia Mariæ fuit, affatim toti mysterio ministrauit. Non insubtilis quæstio hæc: Si Deus consensum solùm expectabat virginis, vt illicò è Patris sinu verbum eius insereretur in vtero; cur sensilia verba præuia ad conceptum desiderantur? Cur Angelus voces efformat? Cur non discedit, quousque virgo per labra depromat assensum, cùm præuius sit voluntatis & intellectus actus ad structuram verborum, ad linguæ percussionem? Si priusquam loqueretur, consensit; cur loquitur, vt concipiat? Eruditè sensit P. Suarez tom.2. in 3. p. disp.9. sect.4. protelatam fuisse conceptionem, donec per vocalia signa innotesceret Angelo consensus Virginis: quoniam humano modo, sub humanaque specie expetebat assensum. Benè. Ast huius prouidentiæ cupio rationem. Profectò vocale verbum pulchrum symbolum est Verbi Dei incarnati, vt pluribus suprà confecimus: sic soluitur ab ore, quin deserat mentem: sic inditur in aurem, quin temeret: sic in auscultantis transmigrat intellectum, & iterum inibi gignitur, quin decrescat, excrescatque. Ergo vt in ipsomet Incarnationis feruore hoc eximium Incarnationis præluderet specimen negotium sæculorum per verba negotiantia peragitur; auris & lingua ministrat, vocalia verba personant: & quia Mariæ verbum vicinius erat verbo concipiendo, vtpote virginius, nobilius, & feracius; non sat est vox Angeli, non sat futuræ Genitricis assensus. Virginis exquiritur verbum, vt aptiùs & concinniùs generatio verbi contingat. Præualet virginis vox & auris, vt pinguescat vterus: cedit minister Angelus, abscedit, cui vox infertilis est. Ideò postquàm Maria loquuta est, refugus remeat è vestigio; quia ex verbo oris ad verbi ventris mysteria virgo transmigrat, nec debebat ei vlteriùs aliquid loqui, quoniam post verbum tam efficax virginis non decens erat in sterilibus verbis linguam laxare. Simon de Cassia lib.2. de B. Maria cap.11. *Et miranda conceptio, vbi per auriculam ingresso verbo Angelico, per os emisso verbo Virgineo, Spiritu sancto insensibiliter operante, Verbo Dei æterno non per sensus ingresso, ipsa supercastissimè facta est & inseparabilis vnio naturarum.* Et statim: *Nondum discesserat Angelus repetiturus superna, & hæc ineffabilis conceptio ex toto perfecta est. At vbi omnis eius est completa legatio, discessit ab illa Angelus, non relationem acturus (omnia enim nouerat, qui illum legauerat) sed discessit, quia cognouerat effectum superuenientis & obumbrantis virtutis, & completam conceptionem, & totius Deitatis adesse promptuarium. Quid amplius facturus erat, vbi sciebat Virginem ex omni se in mysteria diuina migrasse?* Perbellè hoc: *Ex omni se in mysteria diuina migrasse:*

Athan. P. Suar. Sim. de Cas.

Quid est *ex omni se*? Quòd nihil sensus virginis remaneret in virgine, quin transiret & transmigraret in corporeæ generationis verbi mysterium. Ea est intellectualis verbi, mentisque natura: rapit ad se & trahit, vt in se absumat, spiritalemque suam conditionem obiectis communicet. In Verbum, dum gignit, absorbetur virgo pudica: ideo quidquid verbi est, mouet, linguam, aurem, cor, vt per verbi creati elices & caliculos ad verbum perueniat increatum. En cur ab aure concepisse perhibetur. Probè explicuit 28.

Guerri

Guerr. Guerricus serm. 2. in Annunciationem : *Si Verbo Dei apta est, tum demum non modò clausa, sed, & signata est. Sis ergo, ô Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum, & mens tua ad credendum : auribus percipe verbum Angeli, & corde suscipe Verbum Altissimi, corpore concipe Filium Dei.* Rectè distribuit. Auris solius Angeli verbo officiosa seruiuit : cur conceptaculum erat profundum, & latum ; expleri nequibat, nisi Verbo Altissimi.

Ioan. 1. Luc. 1. Quali ; Quod in principio erat apud Deum, ob quod virtus Altissimi obumbratura incumbebat. Quid est ergo, quòd vtero non adscribit Verbum Guerricus, sed Filium Dei : Strenuè progressus est. Quia vterus, generationis officina, in Filium tendit, cor verbi sinus est. Vtrumque in Maria cui cor, & vterus alterno commercio gauisa, Verbo Dei, Filioque pariter fruebatur. Id quia ex auditu traxit exordium, conceptio deputatur per aurem. Concipiendi celeritas hac loquendi formulâ commendatur. Tam velox coaluit sanguis in vulua, fœtus ex sanguine, postquàm auditis ab Angelo Virgo subiecit assensum, vt ad omnem intercapedinis, segnisque tarditatis suspicionem abigendam, in ipsamet aure & ab aure conceptio peracta recinatur. Principium auris Virginea fuit ; hunc priùs sensum exercuit, cùm ad Angeli sermonem cogitabunda expauit : quid quòd huic organo officiosâ gratitudine conceptionis mysterium arrogemus? Sic velox Pater

Ioan. 1. concipit in supernis : quare *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum* ; scribit Ioannes. Quid est *In principio?* Si placet, æterna celsitas diuinæ generationis graphicè depingitur Quodcunque principiū mediteris, siue durationis, siue originis, iā verbum erat apud Deum : quoniam diuina intellectio omni prioritate verbum sibi vendicat. Quod ex organis corporeis priùs intellectualibus functionib. seruit, auris est. Ergo quæ verbum genuit : vt sibi de velocitate blandiatur, ab aure dicatur grauidata ; & mentis ancillis linguâ & aure, suffulta, ad Verbum Patris Genitrix religiosa perueniat. Chrysologus ser-

Chrysol. mone 142. *Quæ credit verbo, meritò concipit Verbum. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et ad totam rem perueniet, quæ secretum fidei consentis auditu.*

29. Quia Paranymphus & pronubus extitit Angelus, humanâ vestitus specie, interpresque arcani Sacramenti, sensibilibus signis opus fuit prodi, quod intus in virginalis aulæ agebatur secreto. Verbum Dei sensibili carnis tegebatur amictu, & sub corporea mole supremum spiritum solidabat. Ergo interpres & intercessor mysterij eundem insectetur stylum. Spiritus est, quà Angelus : denset corpus, constipata baiulet membra, trutinetur vocem, syllabas libret humanas : ne tamen in repræsentatione spectaculoque vel hilum à veritate puritateque Sacramenti peragendi discordet, solùm cum aure maritetur, ibi delineatur conceptio. Si sensibus res adumbranda erat, nequibat puriùs. Gotffridus serm. 8.

Gotffr. in festiuitat. Mariæ : *Mirum coniugium, sed fide & pietate mirandum! Vbi Virgo Mater extitit, virginitas vxor, maritus Spiritus sanctus : per aurem conceptio : conceptionis interpres Angelus : semen Christus : proles Virginis Filius Dei.* En sensilis, & corporea delineatio. Petis, quid intus agebatur in vtero ; Si Angelus, si auris, si Virgo interceduut ; quid nisi Sapientia, quid nisi Verbum? Pergit : *In hac vtique sacrosancta coniunctione non caro carnem carnaliter tetigit ; sed Deus Pater Sapientiam suam visceribus Virginis infudit, quæ & in Virgine Matre carnem assumpsit, & suam Beatissimam Matrem incorruptam seruauit, & per Virgineum corpus egrediens Verbum, quod Maria verbo concepit Angelico, verus Deus in vero homine apparuit.* Deuenit tandem Gotffridus ad Sapientiam, vt omnis, quem præmiserat, genialis apparatus tot insolitis conferri mysteriis concinnitas appareret. Corporando spiritui, Sapientiæ carne cingendæ non aptior ministra, quàm auris ; quæ cùm carnea sit in spiritalibus mentis negotiatur officiis. Compte En-

Ennod. nodius carm. lib. 10.

Cùm sola Virgo degeret,
Concepit aure Filium :
Stupente factum corpore,
Turgescit aluus spiritu.

Aluum spiritu turgescere cecinit in conceptionis ab aure explicatum, quamuis tumor vteri à carne prolis ; non ab spiritu fuerit. Obserua solertiam : *Cùm sola Virgo degeret, concepit aure Filium* : id est, cùm solitaria, & absque comite. Nonnè ibi Angelus? Nonnè auris vocali exercebatur impulsu. Sanè in sola, solitudineque ægrè potest auricula exerceri. Ne putares ab Angelo concepisse, etiamsi ab aure, vtrumque copulauit, & quòd ab aure, & quòd sola Virgo concepisset : vt pruciliuis crederetur, quod aluus turgesceret ab spiritu. Vbi spiritu in aluo est, virginitas est, quæ solitudinem amat, non sodalem. Sic sibi solitaria solet mens intellectualibus operari discursibus : habet intra se, quidquid opus est ad spiritalem sobolem concipiendam.

Mariæ auris conceptui Verbi Dei subseruiens, Primigeniæ corrigit erratum.

SECTIO IV.

NON otiosè per aurem concepisse effertur Virgo. Primi errati innuitur medela, læditur hostis, vnde læserat : corrigitur infida fœmina, & suamet artis callidis irretitur laqueis inimicus. Consono quidem, & proprio calle itur ad mentem per aurem : huc iter est ; cæterùm ad ventrem inturta semita, absonaque fistula aoris est. Aliunde grauidatur vulua non audit natura cùm gignit. Id verum, quia corporea viscera nunquam verbum gignere didicerant. Carneus vêter ad tam subtilem hebes torpet prolem ; viliori subseruit. Adest Maria, cuius beatus venter virginitatis disciplina in spiritales mentis dotes assurgit : qui virum nescit, nouit concipere Verbum. Igitur per aurem commercium fiat ad vterum ; concinnetur via cum eunte. Si Verbum it, qualis semita pararetur, nisi auris? Vt quid sic prouisum? Ad contumeliam tuam, ô superbe. Primus ille meditatus est semitam illam ad ventrem, dum sicum instillauit per aurem, toxicumque per hoc organum infudit audienti. Edocuit ab aure stomachum ali, verbisque conditis fercula famelico propinari. Cuius iouenti nouitate duo prodigiorum commenta machinatus est ; & quòd homo per aurem Verbi Dei similitudinem

tudinem ebiberet, & ſimul cum verbo corporeum pomum ingrederetur ad ventrem. Si id credere renuis, conſidera, quid dœmon pollicetur: Gen 3. *Comedite, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.* Pluries audiſti, in hac ſponſione, Verbi Dei, in quo ſcientiæ theſaurus per attributionem ſtatuitur, ſimilitudinem inlatuiſſe. Quare Bernardus Bernard. ſermone 1. ſuper Miſſus eſt, col. 2. in princ. *Quid enim polliceris, quid promittis, miſer? Cùm Filius Altiſſimi ſcientiæ clauem habeat; imò & ipſe ſit clauis Dauid qui claudit, & nemo aperit? In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi: tu nè eos, vt homini præſtes, iniquè furaberis?* Igitur Verbum Dei cum re corporea, ſcilicet cum pomo, in ventrem per aurem infundere geſtiuit, vt, dum manderet homo, in Filium Dei euaderet per corpus. O infelix aſtutia! Ecce tibi præripuit Deus noſter inuentum. Si colubrum miſiſti, qui ſic per aures inſpiraret venenum; miſſus eſt iam Gabriel Angelus, vt melioris puellæ aures inſtruat, & verbum Dei non ſolùm in mentem, ſed & in ventrem eructetur, verbumque caro fiat, vt corpus & verbum ſicut ſpopondiſti, in ventre fœminæ Idem. inueniatur. Bernard. ſerm. 2. in die Pentecoſt. *Miſſus eſt coluber tortuoſus à diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipſius mentem transfunderet, & ſic refunderet in totius poſteritatis originem. Miſſus eſt interim Gabriel Angelus à Deo, vt Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem, & mentem ipſius eructaret, vt eadem viâ intraret, & antidotum, qua venenum intrauerat.* Ideò miſſus Angelus, ſtatim altiſſimæ Sapientiæ explicuit arcanum, quaſi dœmoni priſtino irridens, qui primus cogitauit, per rem corpoream, videlicet pomum, in vterum ſeu viſcera fœminæ illapſurum eſſe Deũ, qui ex propria origine ſciens eſt: prodit, inquam: Luc. 1. *Ecce concipies in vtero.* Curnè in vtero otioſâ dictione? Pluries obſeruauimus. Non otioſus Angelus, ſed prudens. Vt illicò ſerpentis ſponſionem vero confutaret promiſſo, & mendacium in veritatem inuerteret; addit *in vtero*, vt eiſdem greſſibus antidotus procederet, queis venenum: ne verbum ad mentem, ſed ad ventrem illicò crederetur iturum, *in vtero* dixit, vt verbum eſſet in vtero caro; ſiquidem ſerpens in ſtomachum Deum per eſcam carneam iturum eſſe promiſerat, vitę ſponſione mortem inducens. S. Fulgentius: S. Fulg. *Et quoniam diabolus per ſerpentem Euæ loquutus, per Euæ aures mundo intulit mortem: Deus per Angelum ad Mariam pertulit verbum, & cunctis ſæculis vitam effudit. Angelus ſermonem eiecit, & Chriſtum Virgo concepit.*

31. Exulat Eua è paradiſo: naſcitur illi Cain, ſanguinis primus inſidiator, naturæ peſtis, ſecundum toxicum poſt ficum; & in ipſo puerperio: Gen. 4. 1. *Poſſedi, ait, hominem per Deum.* Quid loqueris fœmina? Sententiæ, quę adhuc reſonat in auribus, experiris flagra: doloribus inexperta fatiſcis, denſo natans ſãguine, abſque obſtetrice infœlix eniteris, & adhuc ſupereſt in diro puerperio vox gutturi, quod exaſperauit pomum. Si patrem habet Cainus iſte cur te poſſidere iactitas? Sanè filius non eſt in poteſta e matris: & adeò quaſi propriam ſupellectilem ſibi arrogat Eua, quem peperat, vt nomen ipſius poſſeſſionis impoſuerit. Audi Oleaſtrum Oleaſt. ibi: *Cain ſonat poſſeſſionem, aut emptionem: nam Canaph, à quo Cain, ſignificat propriè emere: & quia emptores poſſident, quæ emunt, ſignificat etiam poſſidere, vt infra cap. 25. & Pſalm. 139. Quoniam tu Canita, id eſt, poſſediſti renes meos.* Indidem annè Zerda, Maria effigies,

iurat, cùm ait *per Deum*? O infracta mulier inſueto partu! Equidem licèt gnatus ille Adami proles fuerit, ſatus à dœmone viſus eſt. Meritò mater poſſediſſe clamat, quaſi ſine patre filium, ſed ſi dœmonis, vbi genitus? Annè verbum ſerpentis ſemen fuit? Sic meditabatur Tertull. licèt non veritati literæ addictus, de carne Chriſti c. 17. Tertul. *Sed Eua nihil tunc concepit in vtero ex diaboli verbo. Imò concepit. Nam exinde abiecta vt pareret, & in doloribus pareret; verbum diaboli ſemen illi fuit. Enixa eſt denique diabolum fratricidam.* Pamelius Pamel. ſuadet hæc cautè legenda. Attamen oratoriè, non ſeueritate Theologicâ loquutum eſſe Africanum quis non videat? Certè pro pudicitia cenſor eſt: adeò tener eſt pudor, vt vel ad verbum marceſcat concipiat vterus per aurem. Diſcite, puellæ, non ſerere cum adoleſcẽtibus fabellas; nam, etſi virgines incipitis, finieris matres. Si ergo verbum diaboli ſemen eius fuit, quale fuit verbum? Gen. 3. *Eritis ſicut dij.* Si verbum, quod & ſemen à Tertulliano dicitur (vnaquæque enim ſoboles iuxta ſatum ſemen exoritur) Diuinitatem ſonabat; putaret mulier id, quod conceptura, fore Deum. Parit: videt hominem pelle inuolutum fœtidâ, quem lachrymæ etiam profuſæ non abſtergebant, & querula vociferatur: *Poſſedi hominem per Deum.* Sic non inuenuſtè, conniuente ſtylo, explicarem *per Deum*; id eſt, *loco Dei.* Cùm Deum cenſebam parituram, hominis mater videor; imò non hominis, ſed diaboli fratricidæ. En adeò auribus ſcortata eſt, vt potuerit adhuc, verbo per aures immiſſo, ſimilem prolem ſe parituram cogitare.

Sed reparat corrigens primigeniam Maria. Sic 32. prorupit Damaſcenus ſerm. de Natiu. Virg Dam. *O Deo digna Filia, primigenæ matris Euæ correctio.* In quo corrigit? Dixerat illa: *Poſſedi hominem per Deum:* aſt Maria: *Poſſedi Deum per hominem.* Illa ſuperbiens procaci luxu Diuinitatem fœtui ſperare viſa eſt. Hæc, dum ſponſionem partus audit *Quomodò fiet iſtud:* inquit, Luc. 1. 34. *quoniam virum non cognoſco?* O Virgo, virginitas non parit hominem ſed Deum. Verè poſſidebis Deum pro homine, ſi mulier illa poſſedit hominem pro Deo. Pergat Tertullian. Tertull. *Concepit igitur Virgo, & peperit Emmanuelem nobiſcum Deum. Hæc eſt natiuitas noua, dum homo naſcitur in Deo.* Et infrà: *In vuluam ergo Deus Verbum ſuum detulit bonum fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet.* Fauſta poſſeſſio, diues theſaurus! Poſſidet Deum Maria, & ideò in ipſa, memoria mali fratris eraditur. Sed quomodò eraditur? Quia Cainus primus fuit, in quem peccatum originarium inuaſit. Priùs ſanguineam illam prolem momordit ſerpens; vt ideò iam impudens exarſerit in fratrẽ, & Orco ſe deuouerit, quia propinquior ipſi fonti ſeſe in originaria labe ingurgitauerat. Quo impetu eomittitur torrens per originarium oſtium! Quantumuis adiicias ſcopulos quos vicinos inuenit, rapido, ſonoroque verbere contundit. Infauſtus Cain iuxta primi criminis oſtium, iuxta originariam peccati venam natus, totũ noxæ impetũ hauſit, & vſq; ad necem fratris abundauit in culpa. Quò fortè reſpexit Damian. Damian. in ſerm. de S. Ioan. Bapt. col. 4. poſt med. *Tu feciſti, vt fratricida Cain, qui priùs natus eſt pollutus, & obuolutus exiret, & originalis peccati reſpergeretur infamia. Hunc excepit orbis exterritus, & humani generis ſubſequuta natiuitas ad infinita triſtitia cumulum tranſmigrauit.* In Maria & eius Filio memoria mali fratris eraditur: quoniam nec ad illum, nec ad illam acceſſit malum. Concepit

Virgo ex fidelibus auribus Verbum;& in situ,quo Cain genitus piaculum ex scelesto serpẽtis verbo contraxit,Verbum Dei genui, quod pristini,noxiique verbi memoriam erasit. Quibus feliciter fauet Proclus Episc. Cyzicen. in hom. habita in Conc.Ephes. de qua tom.1. Concil. *Natus salu-*
Procl. *tis ostium id esse ostendit, quod peccati quondam introitus extiterat. Nam vbi serpens per inobedientiam virus suum infuderat, ibi Verbum per obedientia ingressum, viuum sibi templum exadificauit: vnde peccator Cain primus emersit, inde generis nostri assertor Christus sine semine prodiit.* Quid aptius? En in recapitulatione concinnitas. Dixerat Tertullianus, *Verbum diaboli semen eius fuit* per aures intrusum. Verbum Dei per obedientiam virginis ingreditur,vt sine semine antiquo Christus prodeat,vnde peccator Cain primus emersit. Nec deficit similitudo. Ennodius enim verbum Angeli semen dixit libr. 1. carmin. hymne 10.

Ennod. *Turgescit aluus spiritu.*
Quod lingua iecit, semen est.
In carne Verbum stringitur.

Non putarem agere Ennodium de lingua Angeli vt Angeli,sed diuini legati: quare ipsum verbum Dei,de quo Angelus loquebatur, semen in vtero virgini è lingua Patris proiectum perhibetur, vt tumentis diaboli contereres supercilium humilis Virgo,qui verbum suum putauit efficax ad infidam metamorphosim in Deum, Augustin. to.10.
August. serm.22.in Natal.Dom. *Fecit grauidam Virginem ipse,qui erat nasciturus ex Virgine. Expauit in partu suo Mater. Deus per Angelum loquebatur,& Virgo auribus impragnabatur.*

33. Certè si accurate mentem intendas,prima fœmina multum verbo Dei infesta fuit: prima etenim aduersùs Deum verbum procacibus fœmineæ lenitatis irrupit impulsibus. In verbo thesauri sunt sapientię & scientię Dei: in verbo vita erat
Collos 3.2. Ioan.1. & vita erat lux hominum. Ast illa lubricè flagitiosa pruritu scientiæ, similitudinisque verbi Dei vellicata admouit ori fructum,qui verbo Dei prohibitus erat; deditque viro suo, vt in posteros tabificus mortis sapor abiret. Prima fœmina vitiauit organa, quibus verbũ mentis dispensatur; linguam, loquuta; aures, audiens. Qualis medela? Adest Maria,quæ verbi organa pudica,fideliaque custodiens, sacro lenocinio Verbum Dei sibi alliciat; dum aures linguamque exercet,vt ad vterum traiiciat,sicut Eua pomum. Nequiuit solidiùs fœmina cum verbo Dei reconciliari. Ingeniosè Ru-
Rupert. pertus de operib. Spirit. sancti lib.1.c.9. *Hæc autem Virgo non vtcumque aspectui eius præsentabatur, sed de secretis Paternis totum se inserebat illi Verbum Dei, Verbum Deus. Opportunè igitur obumbrantis illi virtus Altissimi, virtus miraculorum potens, fœmineam substantiam Deo Verbo conciliare valens.* Reconciliationis fœdus solet expetere,quod aliquid erogetur ab eo,qui inimicitiarũ auctor fuit. Quid ampliùs Maria dat verbo, vt reconciliatio fœmineæ substantiæ cũ verbo fiat? Peristi ab aure,malesuada & infida fœmina: quia non paruisti Deo tuo, fratricidam dœmonem peperisti. Virgo sacra & paret,vt pariat; & credit, vt gignat, Nimiùm fisa serpentis cauillis,tensisque; dolis Primigenia aures non obtudit, sed aparuit verbo Dei non credidit, sed dœmonis. Audiuit ab ore sibilantis: exercuit linguam in vtroque officio scilicet & palato, & organo vocis: ore comedit, quod os diaboli propinauit; & vtroque sensu,qui verbi officiis destinatur, infando peccauit flagitio. Corrigit Maria, aurique & ori nobilitatem pristinam restituit. Audit Angelum fidens Deo: quippe fides ex auditu. Subiicit linguam, sermonemque metitur; vt obediat. Quid vltrà, vt Ad Rom. 10.17.
reconciliationem sortiatur, impendit? Nouum verbo sinum offert, scilicet vterum carneum, qui nunquam verbi organum fuit,& sinus. Vt iacturam verbum reparet, quod geminum sensorium in Eua viriatum perdiderat, iam tertius illi sinus succrescit: aurem,os & vterum præbet Virgo: ore consentit,credit ab aure,vtero gignit. Sic explica Rupertum: *Fœmineam substantiam Deo Verbo conciliare valens.*

Quomodò primæ fœminæ contagium reconciliatricem fœmineæ substantię polluerer? Immò dũ gignitur Virgo,amico iam pacis fœdere emollitum Verbum Dei eam adamauit,eâ celeritate, vt illico appareret plurimo fœnore restituisse Mariã quod abstulerat Eua; siquidem illam non inquinabat flagitium; nec verbum Dei habebat infestam, sed impensè adamabat. Adest Laurentius 34
Iustin. serm. de Natiu. Virg. col.3. *Illam profectò adhuc in matris vtero decubantem adamauit Verbum, sibique in Genitricem elegit, vtpote superabundanti iam benedictione præuentam, iamque Spiritu sancti magisterio deputatam. Ipsam idem Spiritus custodiuit à carnis colluuione immunem, à libidinis delectatione expertem, à sæculi amore alienam, atque vniuersorum criminum contagione immaculatam.* Vide quàm festiuus verbi Dei incursus in virginem. Idem fuit esse fœminam,& verbo Dei adamore imbutam. Laur. Iustin.
Vix fœminea substantia contracta fuit in Maria, & iam contraxerat Verbum Dei illibati sensus, auris, lingua, vterus, conciliationem vindicarunt. Subtiliter illud: *Iamque Spiritu sancti magisterio deputatam.* Quis doctior magister, quàm verbum, in quo Paternæ plenitudinis sapientia instagnat? Cui Spiritui sancto, qui amor est, magisterium Sap. 1. 7.
virginis confertur? An quia scientiam habet Act. 2.
vocis igneasque linguas moderari nouit, sacroque spiramine & afflatu obtusas aperit aures, & vterus in quo virginea erat generatio peragenda, eius munere imbuẽdus parabatur? Benè. Hæc sibi propria verbum Dei taxauerat in virgine, vterum, linguã, aurem, pædagogo Spiritui sancto, magistroq; deputantur ab exordio, vt confestim hæc fore Matrẽ Dei agnosceretur, cuius signum futurum erat Spiritus sancti superuentus. Quare & ipsum verbum in animum virginis dicitur inspiratum, quasi Spiritu sancto intercedente, vt iam inde maternitatis pignora præirent. Guerricus serm.4. Guerr.
de Assumption. Virgin. *Eundem Filium, quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum. Inspiratum* dixit. Recole spiraculum vitæ, quod afflauit Deus in suum plasma. Qualenè spiraculum? Quo viueret, quo intelligeret, rationisque officia ancillantibus sensibus exerceret. *Inspirauit*, inquit, *in faciem.* Cur signatè *in fa-* Gen. 2. 7.
ciem apposuit? Crederem, quoniam in facie sunt sensus & organa, quæ rationi subseruiunt, intellectualique conceptui, verboque mentis, lingua videlicet & auris. Fictile simulacrum spiraculum vitæ euomens, absque spiritu cecidit exanime, contritum in puluerem rationale decus amisit. En quid fœmina demolita fuit, dum diabolo astitit, verbo Dei suum signaculum, rationalem hominem abstulit. Adest Maria, cui adhuc in animo rationali ipsum met Verbum Dei iuxta Guerricum, inspiratur, vt deiectum plasma spiritum

recipa

reciperet, & in cœleſtem rationis rediret vſuram. Cyrillus Alexand. homil. Epheſi habita, de
Cyrill. Alex. qua 1. tom. Concil. Epheſ. tom. 6. cap. 6. *Salue Virgo, per quam tentator diabolus cœlo decidit: per quam prolapſum plaſma in cœlum denuò ſubnebitur.*

35. Audiuit Eua, ſed è ſerpente, verbum; & ab ſponſione ſcientiæ delinita, quod irrationale animal inſpirabat, abſque matura diſcretione ſuſcepit. Demirare ſtolidam fœminæ ſocordiam. Quid longiùs à ſcientia, quæ in ratione eſt, quàm irrationale reptile? Et tamen credit ſe rationem, ſcientiamque Deitatis nacturam ab ore ſerpentis. Non diiudicauit quantum ſponſio ab ſpondente diſcordabat. Quid inſipiens brutum niſi inſipientem ſibi ſimilem redderet? Subdolis ergo
Pſ. 48. 13. aonuit ioſidus, & comparata eſt iumentis inſipientibus. In noua fœmina concordat cum promittente promiſſum. Angelus Dei eſt, qui magnum illi conſilij Angelum, Verbum Dei pollicetur, ſi aſſentiat. Angelus qui totus ſapientia, incarnandæ Sapientiæ mittitur interpres; & tamen præſtolatur Virgo, mordicus ſcrutatur, vt accuratæ mentis officio Angeli verbum ſuſcipiat verbumque Dei concipiat. Opportunè S. Gregorius
Thaumat. Thaumat. ſermon. 1. de Annunciatione colloc. 3. *Non ſicut antea virgo Eua ſola in paradiſo chorum agens, atque tripudians, relaxatâ mente per incuriam ab auctore omnis mali ſerpente verbum ſuſcepit, & ſic ſenſu mentis corrupta eſt, ac per ipſam fraudulentum venenum effundens, mortemque admiſcens in omnem mundum introduxit: veriùm in ſola ſancta Virgine eius lapſus reparatus eſt. Nec priùs ſanctiſſima Virgo donum admiſit, quam quis illud mitteret, & quodnam donum eſſet, ac quis ferret, addidiciſſet.* Vide, quantum vocis trutinetur momenta. Quia Angeli vox erat, & licèt humanæ ſimilis, non humana; in ſtatera diſcretionis appendebat: quoniam cum ſola fœmina agebatur, non coram viro, ſicut olim cum ſola Eua fabellam Angelus neqeam procul à viro conſeruit. Virgo, non tibi opus eſt Ioſeph: quem virum non cognoſcis, præſentiâ; tu ſoboli ſat eris: ſuppetit auris, ſuppetit ſermo pro marito. Pulchrè
Antip. Antipater in ſermone de Sancto Ioanne Baptiſt. colloc. 4. *Illa cùm audiſſet latiliam, non porrexit aures, ſed vocem examinauit dicens; Qualis eſt hæc ſalutatio? Ex voce coniicio hanc eſſe nouam & alienam ſalutationem. Non adeſt Ioſeph: voci non aſſentior. Cùm ſola prima parente, vt aiunt, loquutus eſt ille, qui fuit primus auctor malorum. Ei autem dixit Angelus: Inueniſti gratiam, quam perdidit, quæ primùm fuit creata fœmina. Illa ſola ſuſcepit deceptionem, tu autem ſola attuliſti ſolutionem deceptionis.* Peroptime. Si ſola deceptionis ſolutionem adducit, non eget, vt concipiat comite Ioſeph: eodem pretio, quo iniecta, debet ſolui deceptio; ac proinde per aurem; vbi autem ſufficit auris, vt ſobule turgeat vterus, mariti præſentia otiatetur. Recognoſce Academ. 25. ſectione 4.

* **

Zerda, Mariæ effigies.

Per Mariæ fidem (quæ ex auditu *eſt*, Rom. 10. 17.
argumentum non apparentium) Hebr. 11. 1.
Diuinitas Verbi, & humanitas Saluatoris noſtri ex Virgineo vtero apparuit.

Sectio V.

VT fides, & obedientia Virginis commendetur, per aurem concepiſſe ob promptâ fidem non ſine ſapienti ſubtilitate profertur. Fides ex auditu eſt, quoniam in auriculæ nititur obedientia. Celebrant prodigium hoc Patres, quòd, concipiẽte Maria, fides & cor ſocias ſibi dexteras iunxerunt: & inter tria miracula recenſent, videlicet quod coniuncta ſint Deus & homo Mater & Virgo, fides & cor. Nondum fides tutò ſe cordi crediderat; nec pacatâ ſecuritate hominem ſibi captiuauerat in obſequium. In aure Mariæ auſpicata eſt regnum. Quàm diſſita à corde fides ſucceſſerat! Quam difficile fœdus! Nonnè inter Deum & hominem infinita diſtantia eſt? Nonnè inter matrem, & virginem, niſi omnipotentia ſuos expediat lacertos, ſpatioſa nimis longitudo intercedit? Hæc tam diſſita extrema vna Virgo coëgit; imò non inuita, ſed lubentia collegit ſtrictiſſimo omnium nexu. Ergo ſi fides & cor humanum illis duabus diſtantiis ob profuſam diſcordiam comparabantur, eadem Virgo liget: &, vt funiculo triplici triplex vinculum ab vna Maria initiatur, aure concipiat, quæ organum fidei eſt; & inde tres illæ colligationes illicò texentur: nam quæ non eget viro, ſed aure, vt concipiat, Mater & Virgo eſſe probatur: qui non thalamo, ſed aſſenſu, aurisque obedientia concipitur, Deus & homo eſſe conuincitur: quòd ſi auris minìſtra eſt, per quam fidei commercium tranſmigrat ad cor, fidei & cordis mirabilis miſtio comparet. Profunde Bernardus ſermon. 3. in vigil. Natiuit. colloc. 6. iuxta princ. *Tria opera, tres miſturas fecit om-* Bernard. *nipotens illa maieſtas in aſſumptione noſtra carnis, ita ſingulariter mirabilia, vt talia nec facta ſint, nec facienda ſint ampliùs ſuper terram. Coniuncta quippe ſunt ad inuicem Deus, & homo, Mater & Virgo, fides, & cor humanum. Admirabiles iſta miſtura, & omni miraculo mirabilius, quomodò tam diuerſa, tamque diuiſa ab inuicem, inuicem potuerunt coniungi.* Tria quidem hæc ſe arguunt per gradus, Si Deus homo fit, quam putas genitricem niſi virginem. Si virgo concipit Verbum, ab ante fœtam credas. Vnum eſt & fide concepiſſe, & virgineè. Do iterum Bernardum in vigil. Natiuit. ſermone 1. ad princ. *Fratres, generationem iſtam quis* Idem. *enarrabit? Angelus nuntiat; virtus obumbrat Altiſſimi, ſuperuenit Spiritus, Virgo credit, fide concipit, Virgo parturit, virgo permanet.* Eodem ordine argue: Quia virgo credit, fide concipit: quia fide concipit, virgo parturit.

Non potuit ampliùs exaggerari cordis, & fidei vetuſta, hoſtiliſque diſtantia. Aduenit Deus Verbum, & in ipſomet aduentus veſtibulo in verbi 37.
Genitrice cor & fides illicò colligantur. Si fides ex Pſ. 44. 1.
auditu eſt, quid quòd adueniente, perſonanteque verbo, in verbi Matre auſpicetur? Si verbum ex Patris corde placidâ ſcaturigine procedit, ibique delicioſo fouetur amplexu; cur tam difficile

Xx 2 eſt

est fidei Verbi cum corde vinculum? Cur illa superna soboles non innatâ propensione in similem Paterno gremio sinū se immittat? Quoniam fides, sicut Verbum, mentis est opus, & à mente decidit homo per piaculum, irrationalis serpentis, vt superiori sectione dicebamus, callidis cauillis deceptus: ideò tam longè distabat fides, donec Virgo eluceret, quam diuinæ Rationi propinquam alibi datus nuncupat Rupertus; & à corde Patris abducens verbum, rationabile præberet obsequium.

Alb.Magn. Sapienter Albertus Magn. in c.1. Luc. *Quæ altiora possunt esse his, quæ hic conueniunt? Mater, & Virgo illibata vniuntur ad inuicem: ima & summa, vltima & prima; & quod omnibus altius est, cum corde humano ista mirabilia. Mater & Virgo per incompossibilitatem distabant hactenus. Ima & summa per infinitatem à se inuicem discedebant. Cor humanum ab his per irrationabilitatem.* Quare idem fuit ingredi verbum, quod Sapientia & Ratio est, ad vterum virginis; quod fidem verbi per aurem.

August. Augustinus serm.17. de Nat. Dom. *Cùm igitur seruilem casam per ostium fidei speratus quondam Dominator intraret, rubuit inuiolata virginitas; nec pessulum pudoris infregit, & in sacris visceribus radius æternæ claritatis effulsit.*

38. Nondum Marianæ fidei plenè enucleauimus prodigium. Fides, sicut & cæteræ virtutes, accidens est, quod intellectum afficit, vt in officiosos actus prorumpat, seque diuinæ veracitati deuoueat: cæterùm actus isti etiam accidentia sunt. In Maria per fidem ad substantiam generandam deuentum est. Supremam efficaciam Virgo pudica contulit virtuti. Quod per aurem ingreditur, accidens est. Marianæ auris officium substantiæ ministrauit. Si forsan hoc inlatet in illo proloquio, quo erga Virginem generantem Patres vtuntur: Maritus sermo, vxor auricula. August. sermon.24. in Natal. Dom.

Idem. *O coniunctio sine sordibus facta, vbi maritus sermo est, vxor auricula! Hoc splendore conspicitur Dei Filius, hac munditie.* S. Eleuther. sermon. in Annunt. Virg.

Eleuth. *O Virgo benedicta! O Virgo à Conditore mundi praelecta! Illum, qui ante omnia sæcula genitus est absque matre ab æterno Patre, concipies Mater effecta absque alicuius viri copulatione. Ibi enim auricula vxor fuit, Angelicus autem sermo maritus extitit.* Quàm sine noxa concubitus! quàm cum luce iugalis amplexus! Sermo maritatur auriculæ, & per organa defæcata subterlapsus, cùm ad mentem crederes ire, deflectit iter, decliuisq; in ventrem, non casu, non præcipitio, sed excelsiori arduitate descēdit, ibiq; proles congmētata est. Subtilius aliud. Mariti & vxoris stylo sermo & auricula in Virgine proferuntur: quoniam mariti & vxoris coniunctio in substantiam gignendam destinatur; & sermo maritus extitit, vxor auricula; substantia in vtero soboles fuit, ideò ex aure, sermoneque progenita, quia virginitas substantiam ministrauit. Verba sunt S. Leonis serm.2. in Nat. Dom.

S.Leo. *Quò enim paterni seminis transfusio non peruenit, peccati se illic origo non miscuit. Inuiolata virginitas concupiscentiam nesciuit, substantiam ministrauit.* Nouus stylus! Virginitas accidens est, nec in reconditorio, penuque compos est substantiæ, quam ministret. Benè capis Mariana supellectilia, calculumque diuitiarum supputas virginis. Quod in aliis accidens inops; & fragile nequit in substantialia officia prodire, nempe sermo, auditus, virginitas, fides & obedientia; in Maria ad substantiam procurandam valet, Auris ad conceptum virginis deligitur, vt virginea manifestetur generatio. Si auris monstrauit substantiam, quidni virginitas ministrauerit? Sed si fides ex auditu; quæ aure concepit, fide concepisse fateberis. Fides autem sperandarum rerum substantia est. Ergo fides, auris & virginitas Verbo Dei humanam ministrauêre substantiam. Heb.11.1. Stat ab his Richardus à S. Laurent. lib.1. de laud. Virg. cap. 3. *Per fidem concepit. Vnde & per aurem dicitur concepisse, id est, per fidem dictorum, quia fides ex auditu. Ideò dicitur ei Luc. 1. Beata, quæ credidisti.* Rich. à S.Laurent. Quam ferax fides, ex qua diuino Verbo gignitur substantia! *Fides ex auditu: auditus autem per Verbum Dei.* Ast in Maria ex fide & auditu Verbum Dei, vteri fœminei proles. *Desponsabo te mihi in fide.* Rom.10.17. Oseæ 2. Nimiùm sterilis est fides, Domine quousque hyems transeat, imber abeat, & recedat: amat thalamum Sponsa, amplexuum flagrat ardore. Quæ nubit, non præstolatur, quod credit: iam tenet sponsum, quem amat; videre appetit, non credere. Benè id cæteris puellis, quibus curta fides & exilis est. Mariæ sponsalia, & torus in fide sunt: dum credit, possidet, tanto fœnore, vt desponsa per fidem vterum gestet ipsomet Sponso grauidatum. Paschasius lib.2. in Matth.

Pasch. *Quid enim aliud est dicere: Desponsabo te mihi in fide, nisi monstrare, quòd Maria per fidem de Spiritu sancto Christum conceperit?*

Qui maritatam sermone Virginem ex Augustino & Eleutherio perhibuimus, pronū est, quòd fidei maritatam proferamus. 39. Faustus Rhegiens. Episcop. Galliar. epist.3. ad G. Diacon. col.3. fermè ad princip. in Biblioth. Patr. tom.3.

Faust. *Accipe Filium Dei in extrema parte sæculorum ex innupta Matre natura ignorante, & fide maritante progenitum, superueniente in Virginem sancto Spiritu.* Cur quasi sexum confundit Faustus, maritumque nuncupat fidē, cùm potiùs apud præfatos Patres vox sit auricula, sermo maritus? Tam cita fuit ad sermonem Mariana fides, vt sermo, & auris ad verbum in vtero conserendum commixtis credentes obsequiis cucurrisse, fidemque cum sermone copulatam, & mixtam, iam nuncupari sermonem, iam auriculam, id est, iam maritum, iam vxorem. Imò, quod magis est, ex aure ad vterum tam strictus, germanusque extitit commeatus, vt, velut si auriculæ situs vterus esset; quæ verè in vtero concepit, aure recinatur concepisse: vt celerem fidei disceres nexum, conatumque velocem ad assensum. Vnde quod sermonis, & auriculæ est, fidei virginis attribuitur. Ea fuit à sermone & aure velocitas efficax fidei, vt vbertas & impinguatio, quæ ex maritali sermonis & auris coniunctione prouenisse concinitur, iam ipsimet fidei adscribatur, quasi ab vtroque ob celeritatem non distinctæ. Venantius lib.8. hymn.5.

Virgo intacta manens, fidei vbertate marita Venant.
Inscia coniugio fœta, negante viro.

Marita dicitur per fidem, quasi fides mariti munus obisset.

Ne autem vlla huic tam vberi fidei feracitas 40. deficiat: quæ mariti nomen arripuit, nuncupatur & vxor; non alius, nisi cuius summa fœcūditas est, videlicet Spiritus sancti. Rich. lib.4. de laud. Virg. p.259.

Rich. *In conceptione Filij Dei fides Mariæ vxor extitit Spiritus sancti. Maria credula verbis Angeli fide concepit Saluatorem? & ideò per aurem dicitur concepisse.* Quasi ex exuberantis plenitudine fidei Maria tota transiret in fidem, velut ab igne penetrata; quod Mariæ fuit, fidei deputatur. Nonnè Spiritus sancti coniux Virgo est, super quam

quam & pallium extendit mariti, superuenientesque implicuit amplexus? Et tamen fides vxor adstruitur: nam vltimum exercitium vxoris, nempe concepisse, feruentis fidei actiuitati in Dei genitrice confertur. Cupis auctorem, qui fidem concepisse testetur? Venantius suprà. *Venant.*

Quæque Creatorem meruisti ventre tenere,
Et generare Deum concipiente fide.

Fulg. Fulgentius ser. de Epiph. *Deum hominem concipit fides Virginis, & Deum hominem peperit fœcunditas virginalis.* In obsequium fidei distribuisse reor: fœcunditatis enim est concipere: nam puerperiū tam sobolem generatam, adultamque intra vteri sinus supponit. Fidem concepisse perhibuit, vt omnem illi fœcunditatis arrogaret prouentum. Quare eadem fuit in Virgine fœcunditas ad fidem & ad prolem. *Ildeph.* Ildeph. lib. de virginit. Mariæ cap. 8. *Vno enim spiritu & ad fidem fœcundata & ad prolem.* Parum hoc: vt eius feracitas explicetur, compendium sit: Fides in Virgine concepit, sed Virgo ipsius fidei concepit seminatorem: quare fertilitatem fidei exuperauit. *Chrys.* Chrysostomus homil. de Susanna: *Vterus quidem fœtu tumuerat, & virginitatis integritas manserat. Seminatorem fidei fide conceperat.* Parum adhuc. Non sat est, vt frugiferæ fidei Virginis alacris fertilitas innotescat, quod iam vt maritus, iam vt vxor fungatur, vt concipiat opificem naturæ, quando Maria fidelem subiecit assensum. Vberius est, si efficax illius fidei abundantia etiam in præteritum propagata subseruiat, vt ex præsenti fide Mariæ iam de præterito conceptus Filius perhibeatur, sicut alibi de feruenti impetu Mariani amoris protulimus. *Ildeph.* S. Ildeph. serm. 1. de Natiu. Virg. *Angelus ei placido vultu respondit: Non expauescas partum Virgo. Tantum crede, & concepisti; ama, & peperisti.* Demirare. Non inquit: *crede, & concipies;* sed *crede, & concepisti:* quasi suppeteret fidei præsenti ex redundanti vbertate, quid ad præteritum conceptum infunderet: quo nihil potest cogitari actiuius.

41. Et quidem quid Spiritu sancto fructuosius? Quid ad gratiæ germina fœcundius? & humectat vt pluuia? & fouet vt calor: ignis & vnda est, vt flamma viuificet, nutriat humore; & tamen fides Virginis, pro Spiritu sancto accepto quasi plena retributio est; & dum desponsationis feritur fœdus, arrha ex parte Virginis fides est. *S. Ephræm.* S. Ephræm. de Marg. pret. *Pro arrhabone fidem accepit puella: & non amplius propendens erat gratia, sed dum iure optimo incorruptionis illi vim præbet, fides naturam adduxit, & hanc excipiens gratia, non amplius corruptibilem passa est:* Qualis arrha ex parte Dei Patris, qua fatis rependat? Spiritus sanctus. *Epiph.* Habes Epiphanium serm. de laud. Virg: *Aue gratia plena, subiunxit Gabriel, & Pater arrhabonem misit Spiritum sanctum.* Quid pro Mariæ fidei pretio sublimius? Imò fides, quæ arrha est, vt connubium celebretur, Patrique præstatur à Virgine Spiritum sanctum remuneratorio iure recipiente, nondum retributione contenta, adhucque in Maria perseuerans, pro ipsamet prole, quæ illicò connubij fructus fuit, pretium extitit. *Franco.* Franco Abb. de gratia noui testam. tract. 6. sic voce Angeli fatur: *Accommoda fidem, & suscipe prolem, & beata Mater eris: quia Deum & hominem generabis.* Quæ omnia præsentissimam fidei virgineæ, efficaciam describunt. Non perendinatur conceptus coram ipsomet Angelo, qui nuntiabat: illicò peragitur in vtero soboles; cùm tamen tam segni, tardigradaq; vertentium sæculorum successione prolapsa procrastinaretur Incarnationis sacramētū. Tot lustra, tot sæcula sydereique circuli voluebantur; nondū stillabant cœli, iustumq; pluebant: *Esai 45.8.* præstolabatur orbis, & desideratus cunctis gentibus subænea tarditate morabatur. Quasi in æternitatē eius expectatio transisset, desiderium collium æternorū *Gen. 49.26.* non sine profundo tarditatis vocabatur mysterio. Quid igitur est, quòd vix appulit Angelus ad virginem, nuntiū retulit, assensum tulit; & iam protulit terra Saluatorem, virginis vterus Filium Dei? *Luc. 1.* Certè Angelus non dixit: *Ecce concipies,* vel *Ecce concipies illicò;* sed absolutè de futuro: *Ecce concipies, & paries:* quæ verba non festinum, præcocemque cōceptum spopondisse videntur. Quid est ergo, quod è vestigio prolifico sanguine rubuit virginitas, coaluit in fœtum, perfectéq; Deus homo in vulua proles fuit? Scis Incarnationis celeritati multum profuisse Mariam, quæ antelucanis virtutibus, matutinisque & velocibus meritorum lucibus Solem conduxit ad gremium. Eò fides inualuit, vt quod Angelus pollicebatur, licet futuritionis stylo illicò credēs euenturū, præsentissimi cōplementi subitum fructū sortita fuerit, auiditateq; obsequendi diuinæ voluntati verbum Angeli ad præsentis instantis intelligentiam adduxerit. Nonnè vides? *Quomodò fiet istud, quoniam virum nō cognosco?* Aduertimus alibi sat esse, si postea aliquando cognouisset, ne ex præsentis thalami negatione causaretur. Verùm quæ feruentiùs animū intendit, per fidem citissimè coagmentandam fuisse in visceribus prolem apprehendit; ideoque opportunè præsentem cognitionis viri defectum obiecit. *Athan.* Patronus sit Athan. hom. de Deip. *Et quandoquidem dixerat: O Angele, virum non cognosco. Tu autem per hoc aduerbium, Ecce, quod demonstrandi vim habet, Ecce, inquis, concipies; quasi de tempore iam instanti mihi loqueris. Quomodò istud fiet, ignoro. Sed dic mihi Angele, atque interpretare.* Inuenit ingeniosa fides inter syllabas ab Angelo prolatas dictionem vnam *Ecce,* qua animosè confideret ocyssimo conceptu mox vterum grauidandum. 42.

Si sic fides cucurrit, quid quod Incarnatio tardos olim maturauisset gressus? Scis, quod Elisabeth matrem virginem nuncupauit: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* *Luc. 1.* Profectò grauida fœmina nondum mater dicitur, quousque in lucis vsuram emittat infantem. Nūc genuit Maria: præpropera nimis *Matris* nomenclātura est. Sed quæ tam subita festinatione ob egregiam fidem concepit, quid quod ex eadem fidei efficacitate præripuit nomen, quod euenit post puerperium. Vides. Subtexuit rationem Elisabeth: *Beata, quæ credidisti.* Quam canore acumen hoc insonuit Iuuencus lib. 1. Hist. Euang. *Iuuenc.*

Vnde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illustrare domum, quam Mater Numinis alti
Visceret? Ecce meo gaudens in viscere proles
Exultat, Maria cùm prima affamina sensit.
Fœlix, quæ confisa fidem mox affore verbo,
Quod Deus ad famulos (magnum dignando) loquutus.

Obserua illud: *Felix, quæ confisa fidem mox affore verbo.* Illi canitur beatitudo, quia credidit mox Angelici nuncij sortem cōplementum fuisse accepturam: ideò mox accepit, moxque concepit, quia sic credidit. Ideò ex aure ad vterum tam strictus germanusque extitit commeatus, vt, velut si auriculæ sinus vterus esset, quæ verè in vtero concepit, aure dicatur concepisse: vt celeris fidei agnoscas nexum cum prole, conatumque velocem, vt

vt, quæ fides implebat aurem, mox impleret, & vterum. Quare fides, quæ in aure est, in vtero cum prole fuit. Sic enoda Sedulij carmen. lib. 2. sub tit. de conceptu Mariæ.

Sedul.
Hæc ventura senes postquam dixere Prophetæ,
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ.
Et dictum comitata fides, vterumque puellæ,
Sydereum mox implet onus, rerumque Creator
Nascendi sub lege fuit.

En habes cuncta, quæ præmisimus. Quæ diutius ventura longè senes Prophetæ ariolabantur, iam in Virgine properata obtingere; ea velocitate, vt simul fides & proles vterum puellæ impleuissent: quasi fides, & filius ex celeri vicinitate in vulua coniungi viderentur, peractamque fuisse simul in vtero conceptionem fidei & sobolis. Quod nobilis & sacri Poëtæ Sedulij hæc sit mens, sit interpres Sedulius ipse, qui laxis syllabis, nec metri lege illigatis, sic præfata carmina diluit lib. 2. oper. Idem. Pasch. cap. 2. *Hæc postquam Prophetica sæpius vox prædixit, & Gabriel Angelus Mariæ iam præsenti annuntiauit; mox puella credentis in vtero fidelis verbi mansit aspirata conceptio, prolesque syderea nascendi sub lege destituit, quæ cuncta suo nasci nutu concessit.* Quid est: *Mariæ iam præsenti?* Quoniam ea vnica fœmina sperabatur, qua præsente, iam fides & cor, iam vterus carneus, & Filius Dei præsentissima velocitate iungebantur. Æstima consonantiam istam. Maria apud Iuuencum: *Confisa fidem mox afore verbo*: & vt fidei vestigia sequeretur diuina soboles, apud Sedulium, *vterum puellæ syderium mox implet onus.* Vtrobique dictio *mox* est.

43. Nec Virgineæ fidei cessauit actiuitas: perfectum fœtum illicò concepit, tardaque molimina, consuetaque spatia naturæ supergressa est, subitóque puellum peregit. Suppetebatnè aliud fidei, quod ageret? Adoleuit infans in vtero, corpusculique membra indolis humanæ sequuta tenorem, vt mos est fœtibus, excreuere: & tamen quod adoleuit caro, quòd pateret Virgo, annuntiationis fidei adscribitur. Audisti ex Elisabeth: *Beata, quæ credidisti: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* (Luc. 1.) Quid vltra dixit Dominus per Angelum, quæ propria Mariæ fuere, præter conceptum? Partus quidem. *Ecce concipies*, inquit, *& paries.* Si ex fide conceperat; quid supererat perficiendum nisi partus. Non recessit fides nuntij ab vtero: eius afflatibus caro adoleuit infantis, donec puerpera funderet in lucem. Sic acciperem, quod dixit Idacius Hisp. libr. aduersus Varimand. apud Bibliot. veter. Idacius. Patr. tom. 4. *Deus impassibilis est, quia corporeus non est: sola caro assumpta pertulit passionem, quæ Angelica annunciatione contenta adoleuit in Virgine?* Quasi diceret: Non opus habuit extero attactu, vt adoleret: sat illi fuit annunciatio, quæ in Virginis fide manens persistebat, & quasi obstetrix susceptum partum expectabat.

44. Si sciscitaris, quomodò fides virginis sic adoleuit, & inualuit, vt in tam mirabiles exuberaret effectus? Placet. Omnium Patrum antiquorum congestæ fidei cumulus in vna Maria coaluit, grandéque suggestum construxit, vt super illo eleuata Virgo, Altissimi virtutem contingere potuisset, figuramque substantiæ eius, non in figura & ænigmate, sicut fidei stylus erat, sed in ipsamet substantia, vt substantiam gigneret, sortiretur. Non (Heb. 1. 3. 1. Cor 13. 12. August.) enim casu dixit Augustinus tom. 10. serm. 17 de Natal. Dom. *Fides à terra in cœlum erecta est: huic Christus insenit, & per ipsam in templum pudoris intrauit.* Quales fidei diuitias congessit Virgo, & supergressa vniuersas, cacumen cœlestis sinus altitudine potuit attingere? Omnium gestorum, qui antè præcesserant. Ex quorum cumulata fide, superni Patris gremium potuit sacra Virgo attrahere, eiusque concipere Vnigenitum. Rupertus in libr. Reg. lib. 3. cap. 11. *Igitur malleus, siue securis, atque omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur: quia nullum affuit opus humanum, vt Christus conciperetur. Foris dedolati sunt lapides, quibus hæc domus ædificata: quia priùs Patres, vel iusti omnes, more naturæ, vel opere humano generati sunt; quorum fide in Beata Virgine coadunata, Christus conceptus est.* (Prou. 31. 31. Rupert.) Si quod in virgineo vtero concipitur, domus est, & Sapientiæ, domus, quam sibi exædificauit, excisis columnis, non hominis stylo, securique: quid quòd fieri virginis conceptio deputetur? Si fides fundamentum eius est ædificium. Hinc quod supra meditabamur lucem venatur. Mariæ fides substantiam ministrauit; nec accidentibus contenta fuit, si semel eius actui diuini verbi adscribitur generatio. Fidem diffiniuit Apostolus: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* (Hebr. 11. 1.) Quid est *substantia?* Digladientur hæretici: Fixum, stabileque fulcrum. Dionysius Areop. c. 7. de diuin. nomine. (Areop.) *Stabile, fixumque fundamentum eorum, qui crediderunt, eos in veritate defigens, ac veritatem in ipsis* Ergo Mariæ fides egregiam sibi nobilitatem comparauit, vt esset substantia, fundamentumque sperati, desideratique à cunctis gentibus, Domusque Sapientiæ, argumentumque apparentis, per quam apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei. (Agg. 2. 8. Prou. 9. 1. Tit. 3. 4. Potho.) Potho Presb. lib. de magna domo Sapien. apud Bibl. vet. Patr. to. 12. *Domus fide fundatur, cùm fide Virginis Verbum concipitur; paries domus leuatur, cùm Deus homo per fidem natus proficit ætate & sapientia: tectum consummat domum, cùm peracta carnis dispensatione Filius Dei ascendit ad cælos.* Obseruare non pigeat, quod apud Apostolum in definitione fidei pro *substantia*, Græcè est ὑπόστασις *hypostasis*, siue *subsistentia*: vt sensus sit, per fidem ea, quæ nondum apparent, adeò medullitùs nobis infigi & insinuari, vt iam apud nos firmiter subsistant, vt explicuit ibi S. Thomas & Chrysostomus. (S. Thom. Chrysost.) Si gradum facias ad Virginem, quàm illustrem fidem inuenies, per quam substantia, subsistentia & eadem Græca dictione hypostasis diuini verbi vsque ad vterum, vt gigneretur homo, infixa est; infixusque in limo profundi Filius Dei venit in altitudinem maris (Psal. 68. 3.) Mariæ, & non est substantia, id est, non noua illi subsistentia fuit, sed hypostasis æterna corpus assumpsit. Quid pro dignitate virgineæ fidei splendidius, quæ, dum sperandarum rerum subsistentia fuit, subsistentiam & hypostasim diuinam in humanum vterum inuexit?

* * *

Maria

Mariæ totum corpus auris *fuit ad suscipiendum concipiendumque Verbum, in celeris obedientiæ symbolum; ex qua Filius & Verbum est, & auris, & obedientiæ nomen assumpsit.*

Sectio VI.

45. Adhuc auris virginea nostras studiosas vellicat aures ad suæ fidei & obedientiæ auscultanda prodigia. Cùm stylus Patrum sit aure Mariam concepisse, video vnum Ephræm Syrum de Marg. pret. col. 10. circa med. sic fantem: *Cochleæ ostendant, atque declarent non per fœmineum morem concepisse Virginem, nam illæ duabus explicatis commissuris non carneam constitutionem prabent, sed diuisim solutum habentes corpus, repentè fulgetro replentur. Ita quoque beatissima Virgo Deum Verbum toto suscepit corpore simplicitateque naturæ, & non curioso ac redundanti motu, Deitate impleta est.* Si toto corpore verbum suscepit virgo Mater, cur per aures concepisse recitatur, vocisque sonantis semita taxatur, cui totum corpus pro semita fuit? Benè Syrus virginitati Matris consuluit. Propter emblema pudoris, exquisitæque puritatis, aures ad conceptum virginis designantur, ne alia corporis pars in minus sanctam suspicionem inducat. Ast apud Ephræm non opus visum est corporis vndequaque virginei signare portionem: nulla ob impudicitiæ metum fraudatur, quominus toto corpore Deum excipiat. Verùm subtilius rem introspexit Ephræm. Totum corpus virgo diuini verbi conceptioni deuouit; & tamen adhuc per aures concepisse profertur. Adeò præ verbi Dei desiderio, fidei & obedientiæ impulsu se obtulit verbo generando, vt, velut si omne corpus perforaret in aures, verum sit concepisse per aures, cùm pro toto corpore concepit in vtero. Quasi scateret auribus corpus, idem fuit toto corpore, quod auribus concepisse.

Ephrem.

46. Per aurium semitam in vtrumque parentem introiuit flagitium: & quia per præuaricationem Adami vniuersa progenies inquinata contabuit, adnotare est, quòd cùm ad plectendum Adamum, ferendumque iudicium accedit Dominus, nullum alium sensum priùs de transgressionis piaculo insimulat, quam aures: *Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo tibi præceperam, ne comederes*, &c. Quid est, quòd priùs ob vitiatam aurem castiget, cùm tamen, si recolas, nulla vxoris vox insonuisse dicatur, cùm viro propinauit escam? *Et tulit de fructu eius & comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Vbi verborum blanditiæ, vbi per fractas fœminæ voculas lenocinia? Si vox fœminæ non refertur, cur auriculæ viri castigatur auditus? Traxit exordium ab aure flagitium, hoc organo priùs mandata nequitia fuit: serpentis verba falsæ promissionis fuco condita per aurem mulieris ad aurem viri peruenere; quo putas commercio, nisi per fœminæ linguam? Duo in carne vna coniuges, quasi communibus auribus hausere delictum. Ergo sedulus Dominus, vt aurem sanet, priùs de scelere infamem accusat. Imò vt semitam hanc à maligna lethalis sonitus qualitate repurget, vide, quid agat: ad auram post meridiem deambulat, sonorámque vocem laxat: *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Quid est, quod vocem efformet humanæ similem: Hilarius enim lib. 12. de Trinit. *Putasnè deambulantis incessum, nisi in specie assumpta creationis auditum, vt in aliqua creatione consisteret, qui inambulat, fuerit auditus.* Meditor, pientissimum Deum ab scabiosa, quam contraxerant, nequitia aures primorum parentum quam primùm detergere studentem, vocem emisisse, quæ ingressa per aures, reliquias serpentis venenatæ vocis dilueret, Deiq; memoriam iniiciens, ad salubrem pœnitentiam molliret. Hugo de Sanct. Victorin. ad illa verba: *Et cùm audissent vocem Domini*, adstipulatur: *Ecce quanta est misericordia Dei: non vult eos subito conuenire de culpa sua. Sed dat eis locum pœnitentiæ & consilij: vnde deambulat, vt audiant, & sic fiant ipsius Dei memores.* Annè exinde medela, & à perpetrato flagitio per doloris censuram leuamen? Sed verò quid agant Primigenij, attende: *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Quo aculeo adacti sic fugiunt, & inter frondosas, ramorumque nexibus implicatas latebras se obdunt? Non inquit *in medio paradisi*, sed *in medio ligni paradisi. Quod medium habet vnum lignum* (inquit Rupertus) *in quo abscondi valeant corpora duorum hominum?* Meministi lignum scientiæ boni & mali, è quo præuaricatio fluxit, satum in medio paradisi fuisse. Ergo accusati de crimine, ad ipsius criminis vmbram confugere? Caietan. *Absconderunt se in medio ligni paradisi, id est, sub ligno scientiæ boni & mali, quod est in medio paradisi in quo etiam deliquerant.* Et tamen fugæ ad præuaricationis lignum non aliam causam subdidit, nisi *vocem tuam audiui in paradiso, & abscondi me.* Igitur vt obturaret aures, magistri serpentis ad instar, ne sapiens veneficus incantans aperiret; vocem refugit veritatis, & in pristinæ diabolicæ cantilenæ sapore præstringit auriculam inter patulas ficus frondes, ne ibi Dominica vox accedat, flagitiosæque vocis serpentis adhuc persistens tinnitus diluatur. Breuiter Bernardus in Allegor. Tilmani. ad illa verba: *Vocem tuam audiui: Quidnè timeat sermonem veritatis, qui latari vult, cùm male fecerit, & in rebus pessimis ambulare?*

Genes. 3. 7.

Genes. 3. 6.

Gen. 2. 24.

Ibi 3. 8.

Hilar.

Hugo de S. Vict.

Genes. 3. 8.

Rupert.

Caiet.

Bernard.

Quorsum hæc? Vt auritam Mariæ sedulitatem ad verbum Dei auscultandum, iam non mireris. Vetusti errati vulnus conata in cicatricem deducere, totum corpus pro auribus concipiendo verbo subiecit, quasi se integram in obedientes aures fodicaret, quibus & vocem Domini exciperet, & vocem suam, qua consensit Angelico nuntio, iubilationisque canticum ob hominis redemptionem insonuit. Rem totam debeas Ruperto libr. 2. in Cant. ad illa verba: *Sonet vox in auribus meis. Corrige, quod Eua peccauit, & abscondit à me faciem suam. Vbi abscondit? In medio ligni paradisi, videlicet in eodem, in quo peccauit. Comedit, & cùm audisset vocem Domini Dei; abscondit se in medio ligni paradisi. Ergo in quo peccauit, in eodem se abscondit, vtpote quæ in peccato suo sibi complacuit. Non sonuit vox eius in auribus meis.* Deinde vertit se ad Mariam, cuius vocem, aurem q; concelebrat vtpote Verbi Dei genitricis, ex aurita, promptaq; obedientia, de qua Damascenus alibi datus ad pristinum delictum alludens, quod sic in paradiso 47.

Rupert.

Dam. percrebruit ex aurium obturatione & inobedientiæ ebrietate: oration. 2. de Assumptione Virg. inquit: *Non verò eam, quæ vitij omnis impetum discussit ac propulsauit, ac Dei Patris obedientia germen produxit, an non paradisus excipiet?* Cur signatè *Dei Patris obedientiæ* ait? Quoniam qui verbum eructauit, vt audiretur, emissæque vocis obedientiam sibi vindicabat, quis alius nisi Pater, verbi genitor, aptiùs valet cogitari? Quàm efficax auditus, quam tenax obedientia Mariæ: quæ adeò sibi mordicus illud verbum in corpore, velut in auribus, infixit, vt intimam radicem ageret, & vt germen erumperet. Ex quo iam familiaritas cum Patre superno hominibus increbruit. Olim enim vocem Dei, tanquam terriculamentum, cœlestemque concussæ nubis fragorem, horrebat, non capiebat homo, indurabat aures; familiaritatem pascere, ignorato diuino idiomate, non valebat. Adfuit Maria: inclinauit aurem, Deitatis intellexit stylum, verbum Dei accepit; & cùm concepit, proprium effecit: vt iam velut vernaculâ linguâ loquatur homo cœlesti dictione, Patrisque dialecto, & cum eo societatis conuersatione congaudeat.
Thaum. Thaumaturgus sermon. 2. de Annunt. col. 2. *Nam quoniam sancta Maria, in carne dum esset, purissimam vitam, omnique genere virtutum excultam, optimamque supra humana natura consuetudinem gerebat: ideo æterni Patris Verbum carnem ex ea suscipere dignatus est, vt vita æterna in mundo versetur, ac Dei Patris cum hominibus societas contrahatur.*

48. Hinc iam Verbum Dei ob virginis, quã assumpsit, carnem ex sacro corpore, quod in crebras ob promptam obedientiæ auditionem aures dicitur aperuisse, iam *Auditus* nominatur. Actiuitas auriculæ Marianæ Verbo nomen impressit. Habac. 3.
Habac 3. *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Septua-
Sept. ginta: *Auditum tuum.* Agere Vatem de opere Incarnationis, nullus est, qui renuat. Cur extra stylum agit, cùm non auditus, sed vox audiatur? Postquam verbum carnem accepit virgineam postquã audiuit Virgo, Verbum in aure iam *Auditus* nomen accepit. Ea fuit auris virgineæ cum Verbo Dei amica connexio, cum carneque auribus fodicata commistio, vt ab aurita carne subtiliter nuncupetur *Auditus* Verbum, quod quondam vt non audire, Adamus, in latibulum execrabile ficus se
Ildeph. collegit. Quibus fauet Ildeph. lib. contra eos, qui disputant de Virginitat. Mariæ: *Quid audisti sanctissime Vates? Quæso, indica nobis, quid audieris, quod cum tanto stupore miraris. Non enim loqueris ex vsu ineffabilia, quæ cernis: quia dicis: Auditum tuum audiui. Non puto, quod consuetè loqueris. Vocem enim nos alicuius audiuimus & non auditum, quia auditus alterius non est, nisi eius, cuius & in quo est. Et ideò fortè auditus tuus potiùs res est, quàm sonus: imò vox, quam conuersus Ioannes vidit. Cernis Verbum consubstantiale, pro quo sic pauescis, ac per hoc, vnum est, quod audis, & quod conspicis.*

49. Vidisti, quali fructu corpus Mariæ, quo Verbũ Dei concepit, in obedientiæ & fidei signum auribus vndique variatum asseratur. Mediteris vlteriùs id apprimè verbi Dei carneæ generationi conuenire, vt assumpta caro aptam indolem traheret ex matre, idoneamq; qualitatem, Verbi Dei vsus decentem. Qui enim obediens veniebat vsque ad mortem, qui virgo, qui verbum ab auribus corporis materni bene ducebat originem, in quibus & obedientia, & virginitas, & ad verbum affinitas describitur. Quid germanius verbo, quàm auris? Quid virginius, quàm sermonis & auriculæ maritalis amplexu? Quale aptius organum obedientiæ? Vlteriùs: cùm miseriam pauperum descendisset auditurus; ne Verbum aliquali interstitio dissitum esset ab aure, omne corpus auris fuit, ac proinde oportuit per Mariæ aures perhiberi conceptum. Sic Verbum ad pietatis opus arctiori nexum est vinculo, dum auris, verbum & opus simul illigabantur, sicut illigata fuerant in Virgine, quæ ad verbum aurem applicuit, & absque intercapedine opus Incarnationis peractum est. Quid igitur? Aurem assumpsit verbum pro corpore? Adi Paulum: tritus locus est, & à nobis suprà Acad. 5. sect. 5. libatus: *Corpus adaptasti mihi:* Ad Hebr. 10.
quod deduxit ex Psal. 89. vbi tamen iuxta Vulgatam: *Aures autem perfecisti mihi,* Hebr. *perforasti,* Psalm. 89. Hebr.
fodisti, incidisti. Si aures apud Prophetam, cur apud Apostolum corpus? Corpus quidem assumpsit verbum Dei, dolauit organa, distendit neruos solidauit ossa, librauit carnem: adeò tamen sibi officióque, in quòd venerat, aptum effinxit, vt quasi totum in aures incidisse censeatur ad exaudiendas petitiones pauperum, & Patris imperia capessenda, & virginitatem conceptionis monstrandam. Quidquid corporis audis, auris est. Vt nulla mora in subueniendo retardet, sedula Deitas, caua in auriculas spatia perfodit, vt vix efflagitantis submurmuraret accentus, cùm iam in toto Christi corpore exaudiretur, vt in aure. O quantus amor! Quia qui carnem sibi in vnitate personæ vinciebat, verbum erat, scopus autem Incarnationis leuamen hominis misselli; corpus figulatur, quasi auribus fodicatum, vt similitudo seruaretur inter verbum adeo efficax ad medelam, & corpus adeo incisum & patens ad auditum Caiet. in Psalm. 58. Caiet.
vers. 7. *Quo ad ipsum Christi aduentum ait: Aures fodisti mihi: loco cuius Apostolus iuxta translationem Septuaginta allegat corpus perfecisti mihi. Sed eadem est sententia, Septuaginta totum posuerunt pro parte, aures pro corpore, & fossio aurium, quæ est aptatio aurium pro aptatione corporis. Significatur itaque Incarnationis mysterium. Neque enim solas aures fossas sine reliquo corpore dedit. Nec caret mysterio, quod Christus ab aurium fossione describit suum corpus: quoniam in hoc significat se hominem perfectè edoctum à Deo de diuina voluntate.* Mirè sanè adstipulatur vox Hebræa כרה *Charah,* quæ non solùm fodere significat, sed ex argilla fingere ad modulum figulorum. Figulum egit Deus, dum primũ Adam ex argilla, rubroq; limo figulauit in corpus. Eadem metaphora, dum aures Christo perfodiuntur, sacer Spiritus vtitur: vt eandem massam, quæ obturata & contusa, haberi, rigetiq; spissitudine in corpus, non docilem, & peruiam se exhibuit ad diuinum præceptum exaudiendum, resumeret figulus, & totã in aures acueret, & effingeret, ostia crebra perforans, vt diuinis iussis, hominumq; mancipraretur obsequiis. Cui cogitatui suffragatur, quod ex Paraphraste Chaldæo dedimus: *Aures autẽ ad auscultanda præcepta tua formasti mihi.* Imò mirus ver- Chald.
borum delectus in Vulgata. *Aures autem perfecisti mihi.* Nam ex Hebræa, & Græca componitur. Vulg. Hebr.
Hebræa etenim, *aures fodisti;* Græca, *corpus perfecisti:* Vulgata ab Hebræa *aures,* à Græca *perfecisti* Græca.
mutuauit: vt in vtraque eundem latere sensum subtiliter denotaret; nempe aures idem esse, quod corpus: corpus idem esse, quod aures, apud eum, qui vt omnium esset exauditor, omnium adiutor, verbum auribus deuinxit, aures verbo pro corpore

corpore perforauit. Hinc Iansenius in Psalm. 39.
Iansen. *Itaque nostra lectio in eo quòd habet, aures, non cor-*
pus, sequuta est Hebræos: in eo autem, quod habet,
perfecisti, non fodisti, sequuta est Græcos. Quid quòd
Filij corporis perforatæ aures dicantur, si ab obe-
dientis auris foramine vterum Matris impleuit?
Rich. à S. Laur. Richard. à S. Laur. lib. 4. pag. 259. *Per aurem dici-*
tur concepisse: in conceptione enim Filij misit dile-
ctus eius, id est Deus Pater, manum suam, id est,
Filium in eam per formam auris sua.

50. Ne autem dubites id pientissimi miraculi in-
genitum à Matre ortum, quæ aures pro toto cor-
pore, totumque corpus pro auribus infusioni
Verbi Dei obtulerit, vt corpus quod efforma-
batur in vtero, vsibus hominum, Patrisque ne-
gotiis mancipatum, totum auribus seateret in
obedientiæ signum, & celeris exauditionis mise-
rorum: Ne, inquam, hoc dubites, videas auditu au-
sis obedientem Virginem Matrem, illicóque ea
Luc. 1. verba plena succi, pietatis, & gaudij protulisse.
Fiat mihi secundum verbum tuum. Singulis syl-
labis & *Verbum* esse, quod gignebatur, ostendit?
& se ab auribus grauidatam, in appositum obe-
dientiæ stylum monstrauit, nomenque prolis in
generationis instanti, ineffabili sapientiæ altitu-
Prou. 40. 4. dine geminauit. Quale nomen Filij Dei in carne
si nosti? Dicerem, quòd nomen eius *Fiat* est, &
Verbum. Vtrumque ex aurita Mariæ obedientiâ,
consonoque cum Verbi natura virgineo sinu, Fi-
lio Dei competere, præfixis illis verbis Virgo
Esai. 8. Mater edocuit. Scio olim nomenclaturam Filij
celeritatem esse Esai. 8. *Voca nomen eius, accelera,*
festina prædare. Omnium Patrum factio suadet,
ad ideò, vt velocitas redemptoris panderetur; siqui-
dem quoties nominis adiras vocabulum, toties
aculeis vrgeretur ad cursum; & qui ventos an-
teuolat ad iuuandum, dum se audiret ex nomi-
ne, iteratâ celeritate accenderetur. Attamen quia
ad locum euolare, non est ipsum locum tetigisse
sed adhuc dissitum esse enuntiat: videtur non
medullitùs huic nomini Filium attrisisse, sed no-
men nouum miro amoris ingenio sibi præ cele-
ritatis & obedientiæ indidisse desiderio ob Ma-
riam. Quale si putas? *Fiat.* Citissimæ obedientiæ,
efficacisque potestatis ad opus, dictio est. In orbis
cunabulis, vt ocyssimo obsequio creatura erum-
Genes. 1. peret ad lucem, vox *Fiat* intercessit; veluti, *Fiat*
lux, & facta est lux. Quàm celer obedientia! Si
fiat dixit, cur non sequitur de præsenti *& fiat lux;*
sed de præterito *& facta est lux?* An præ operis
velocitate ex imperatiuo transitus fuit ad præte-
ritum, absque interiectiuo præsenti? Benè Am-
brosius: *Non ideò dixit, vt sequeretur operatio; sed*
Euch. *dicto absoluit negotium, quia dictum impleuit ef-*
fectus. Indulget Eucherius in cap. 1. Genes. *Vel*
dixit pro fecit posuit scriptor, vt celeritatem, vel
facilitatem operis Dei ostenderet; acsi diceret: Tam
facilè lucem fecit, sicut quis loquitur. Cur prima
creatura, quæ Verbo Dei, vt erumperet, depina-
tur, lux est? Meditarer, vt faciliùs velocitas arti-
ficis, operisque obedientia monstraretur: lux enim
momento totum orbem illustrat, absque spatio
Basil. temporis vniuersi nitore complet spatia. Basil.
inibi: *Talis est enim ipsius natura, tam perennis*
atque perspicua, vt lumen transiens; spatio nullo
prorsus temporis egeat. Ergo hoc sibi Filius Dei
præripuit nomen, vt *Fiat* nuncuparetur, velo-
citatisque & obedientiæ prodigium homo factus
exhiberet.

51 Ergo hoc sibi nomine, videlicet *Fiat*, blandi-
tur Filius Dei, postquàm humanæ carni in vte-
ro Virgineo se deuouit. Probabimusne hoc illi
præ omnibus amicum competiisse vocabulum?
Fulcrumne inuenero huic cogitato? Certè. Nam
in 3. Apocal. sic lego: *Hæc dicit Amen, testis* Apocal. 3.
fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei. Interl.
Vbi Interlinealis, *Creationis & recreationis.* En
ex creationis voce assumptum vocabulum. He-
braicè etenim *Amen*, idem est, quod *Fiat.* Hoc
sibi nomen ad recreationem indidit Verbum, vt
sicut in creatione vox *Fiat* eduxit absque relu-
ctantiæ tarditate quidquid omnipotentia con-
struxit: sic ab eadem voce ostenderetur eadem in
redemptione celeritas. Hinc ex Iustino Marty-
re, Apolog. 2. Glossa in Apocal. 3. *Amen vox He-* Iustin. Mart.
braica lingua significat idem, quod fiat. Sic Psalm. Glossa.
105. vbi Vulgata; *Et dicet omnis populus fiat.* He- Psal. 105.
bræus *Amen, Amen.* Si igitur quod principium Vulg.
est, *fiat* nuncupatur, quale medium oberit inter
potentiam & opus? Ex quo (quod miraberis)
vt Verbum Dei à Patre, Spiritu sancto distin-
guatur, dum homo fit, Deus fit, Deus *Amen* Esai. 65.
appellitatur: vbi *Amen* substantiuum est. Auscul-
ta Esaiam cap. 65. *In quo qui benedictus est super* Ambr.
terram, benedicitur in Deo Amen; & qui iurat in Cypr.
terra, iurabit in Deo Amen. In quibus verbis Hilar.
Ambrosius 1. de fide cap. 7. Cyprianus 2. aduer- Prim. Beda.
sus Iudæos c. 12. Hilarius 5. de Trinit. Primasius
& Beda ibi mordicus asserunt id esse Christi no-
men. Quod autem ad modum substantiui con-
struendum sit, Hebraizantibus obuium est, &
apud illos ratio: *Quia nomen Dei est in regimine,*
vt necesse sit Amen nominaliter accipi. Nec me
latet, *Amen* pro veritate verti, pluribus sic an-
nuentibus. Veritas autem cum Verbo mentis co-
gnata est, idemque veritas Dei, & Verbum Dei
sonat. Sic eadem dictione se promit & Verbum,
& ab auribus ad opus obedientem. Non enim in
vocabulo *Amen* speculatiuam solùm accipio ve- Sanctes
ritatem, sed practicam; quasi assensum ad opus, Pagn.
duce Sancte Pagnino in radice *Aman*, vbi sic fa-
tur: *Ex Esaia apparet substantiuum esse, vbi bis*
ponitur per Deum veritatis, id est, verum, transit
in assentientis, & approbantis particulam. Græci
reddiderunt γένοιτο *fiat*: ratum sit, quod dictum,
vel auditum est. 52.

Non iam diffitebeʀis à Matre ex auribus con-
cipiente, vtramque nomenclaturam mutuatum, Luc. 1. 38.
quæ in momento generationis dixit, *Fiat mihi*
secundum verbum tuum, quasi hoc duplici no-
mine diuinam in vtero prolem nuncuparet, scili-
cet *Verbum & fiat.* Imò à linguâ Matris eamdem
vocem arripuisse Filius videtur: nam statim apud
Vatem Psal. 39. *Tunc dixit: Ecce venio.* Vbi vox Psal. 39.
dixi idem est in radice ac *affirmaui, consensi, fiat.*
Ex quo Caietanus: *Dixi, id est, affirmaui, cùm* Caiet.
aures fodisti mihi. Imò si vt Verbum Deus, seruus
enasceretur, Mater in conceptionis momento se
protulit ancillam; nam partus sequitur ventrem:
id alibi datus B. Thomas à Villanoua conc. 1. de B. Thom. à
Annunt. dedit: *Benè ancilla, ex qua qui nascitur* Vill.
seruus est: nam secundùm leges filius non patris,
sed matris conditionem sequitur: quid miraberis,
quòd ex *fiat* Matris vocabulum transisset ad Fi-
lium, siquidem illa despicatissimæ humilitatis
verba in generationem influxisse pro semine, de-
notè excogitauerat Bernard. de laud. Virg. hom. 1. Bernard.
Ex humilitate concepit. Ergo dictio *fiat* à Matre
prolata nomen Filij est, obedientiam, festinam-
que ad hominum medelam velocitatem signifi-
cans.

cans. Ne autem quæ diximus suffragio careant: Nomen *Amen* est, quod inter omnia Dei nomina nobilissimum esse fusè tractat Vrbanus Papa Quartus in Psal. 50. apud Biblior. veter. Patr. tom. 1. Accipe nonnulla: *Deus scire me voluisti, quòd Amen nec Græcum est, nec Latinum, sed Hebræum; & propter sui excellentiam translatum non fuit ab Interpretibus, vel mutatum, vt nomen tuum, quod est mirabile & immutabile, designaret. Vnde tres significationes hoc vocabulum habere voluisti. Nam quandoque Amen accipitur nominaliter, & est nomen & significat sanctum & terribile nomen tuum, vt cùm in Apocal. cap. 3. legitur, hæc dicit Amen testis fidelis & verus, principium creaturæ Dei.* Et tandem: *Amen accipitur verbaliter & est verbum, vt cùm in orationibus optatiuis Amen, hoc est, fiat, ab optantibus & desiderantibus petitur, & respondetur, fiat, fiat.* Sic ille. Vrban.

Maria charta, liberque, vt Verbum Dei legendum, diligendumque exhibeat.

Sectio III.

53. NVLLA feracior fœcunditas, quàm quæ mentis est. Absque mora in plures laxatur conceptus: nec parturiginis labore, nec tædio fœtus, nec partuum multitudine lassescit: nec pluuiarum longas, dubiasque expectat tempestates, vt germinet; sed diues & opima secum habet semina quibus recenti iugiter vernet genitura. Sed felicior Marianæ virginitatis fertilitas, quæ, mentis adinstar, verbum gignit, non breue, non fragile, non alterius conceptus germanitate indigens, nec aliorum verborum repetitas conceptiones exoptans; sed vnum æternum, infinitum. Ergo vt nulla ei ad Filium Deum concipiendum deficiat aptitudo, Maria cum verbo Dei eam habet cognationem, qualem inscripta charta cum verbo mentis. Exarat literas stylus, albidæque papyro calamus insinuatur, animique sensa trãsfundit: vt quidquid in mente fit, in charta sit. Annè Maria charta? Sanè nihil aptius, vt ostendat verbum Dei esse sobolem, quam gestauit in vtero. Sic nuncupat. S. Ephr. serm. de laud. Mar. *Charta diuinissima, princeps omnium prudentissima, & lucifera Virgo.* Non otiosè luciferam virginem attexit post diuinissimæ chartæ nomenclaturam. Virgo enim lucem ferens, id est, gignens, Genitrix verbi est ex ratione progenitæ lucis, cùm quoduis verbum, mentis lux sit. Quare apposité charta diuinissima nuncupatur, cui verbum inest intus natum, non extero atramento transcriptum. Isai. 8. apud Patres Græcos sic effertur: *Accipe volumen nouum chartæ magnæ, & scribe in eo stylo hominis.* Et confestim: *Accessit ad Prophetissam: & concepit & peperit filium.* Post quæ verba Nyssen. in testim. vet. est. aduer. Iud. de S. Trinit. colum. 7. in fin. adiicit: *Per volumen igitur nouum Virginem intelligimus. Quemadmodum enim noua charta pura est, cum sine scriptura est: ita etiam sancta Virgo viri consuetudinis expers.* Sed si solùm pura est, cùm sine scriptura est: ergo iam non pura, cùm per scripturam imbuitur. Non præiuit vlla virginitas adeò pura, adeò illibata, quæ Marianam virginitatem penitus exprimeret, & quasi depingeret in tabula. Nondum purior virginitas priscis sæculis poterat cogitari, quam ea, quæ similis chartæ est; quæ antequam literis inscribatur, albet; literarum incisione percutitur, atramento nigrescit. Quare solùm hæc in Mariæ typum deligi potuit. Cæterùm virgo Mater superat allegoriam. Quid causæ? Quia purior post scripturam remansit: nam litera pullulauit ab intus; ipsamet litera conceptus fuit, nec solùm baiula conceptus.

S. Ephr.

Isai. 8.

Nyssen.

Ideò charta noua est. Sic legitur apud Epiph. lib. 1. de hæres. pag. 130. *Accipe tibi fructum chartæ nouæ magnæ*: quod versans ille fatur: *Per librum & fructum, Mariæ vterus significatur. Et non dixit: Sume tibiipsi chartam; sed fructum, ob proprietatem propter hominum consuetudinem: charta, propter aptitudinem vteri ad hoc, vt inscribatur: noua, propter nouitatem Virginis, & impollutam integritatem, magna, magna enim reuera est Maria sancta Virgo coram Domino, & hominibus.* Si charta vterus est, dum fœcundus: cur nouitas chartæ, virginitatis nouitas nuncupatur? Adeò vterus generationis minister in virginitatem transiuit: adeò virginitas in vteri remeauit officia, vt nouitas virginis ob vterum sit, & vteri nouitas ob virginitatem. Apprimè autem chartæ vterum comparauit, vtpote non aliter fœcundandum nisi inscriptionis notis, & baiulo verbi intellectualis charactere. Aluus hæc non solùm in cortice literæ, sed in interiori virgineæ arboris libro alba papyrus est, soli diuinæ literaturæ excipiendæ nata, vt Patris verbum, dum ebibat, manifestet. Nequiuit aptiori methodo verbum Dei humanis sensibus explicari: cuius natura est, summum non deserere Genitorem, cum carni inseritur. Ergo Maria charta sit: chartæ etenim inscriptum verbum coram prospectantium quidem oculis exprimitur, sed dicentis intellectum non orbat, nec spoliari sinit conceptu, quem liberalis inscribit. Basil. Seleuc. serm. de Annunt. col. 8. *Dei Verbum omnia complens, dum in ipsa incarnatur, cælesti adoratione non caret. Vt enim Verbum chartæ inscriptum, in charta totum inest, & totum in mente generante, & totum in legentibus: sic Deus Verbum totus proprio corpore & totus in Deo & Pater, & implens cælum, & terram ambiens.* 54. Epiph. Seleuc.

Non prætereundum, quòd apud Epiphanium nouitas huius chartæ virginitas sit. Scio, quòd *charta virgo* solet dici, quæ nondum transcripta est. Martialis: 55. Mart.

Custodit ipse virginis pater chartæ.

Igitur Maria charta virgo nuncupatur: quoniam verbum Dei in virgineo eius vtero inscriptum in nullo vlterius vtero transcribendum. En virginitas noua. Excipit absque graphij tractu, absque cauis à calamo puncturis, literas chartas hæc: legendas exhibet, & non aperitur. Qui absque incisione, sigillique violatione latentem perlegeret inscriptionem, nonnè chartam, virginem ostendisset? Inscripsit Deus verbum suum in Maria, nec sensit calami vestigia papyrus: legit & ipse, in quem reduce remeat sacramento inscriptum verbum, & adhuc clausa obseratur. Cur causæ? Quoniam ipsemet, qui scripsit, scriptus fuit, nouitque legere, quod scripserat: non alij in hoc vtero cõmercium est. Gigni, inscribi fuit; parere, legi: si papyrum inscripta litera non nigrauit, minus obscurare poterat lecta. Verbum peperit ipsi

Ver

verbo, quæ virtute verbi verbum genuerat, Charta hæc solo verbo inscripta solius verbi vsibus est, ipsi, à quo electa, lecta, non alij cum alij commissa. Do Geomet. hym. 2. de Deip.

Geomet. *Χαίρε λόγω λόγον ἄμβροτον ἄσπορος, ἀνδρωπ@, ἁγνὴ Μητρὸς ἄνδιθι ἀεὶ σοῦ πατρὸς ἄνευθε ἀπὸ σοῦ.*

Morel. Quæ carmina sic vertit Federic. Morellus:

Salue, quæ Verbum æternum paris, integra, casta,
Abs te patre carens, te sine matre prius.

Minus fideliter transcripsit: si etenim Græca consulas, sic efferenda:

Salue, quæ Verbo Verbum paris, integra, casta,

Quod sic accipio, vt pariat verbum ipsi verbo. Nouus cogitatus! Nonnè & nobis? Imò si rem explores: quæ puerperij cruenta non sensit indicia, nec habuit vestigia, nec fracta, sed integra enixa est, non potuit nisi per ipsum verbum, quod natum fuit, peperisse dignosci. Ipsi soli gnato peperisse probatur, cuius totum puerperium fuit, nullumque signum in carne reliquit, nisi sigillum pudoris. Quin', quod miraberis, adeò sigillata fuit ipsi verbo genito charta hæc, etiam dum legendum se verbum edidit: adeò puerperium istud ipsi verbo deputatur, vt hoc virginitatis sigillum, quod chartæ fuit, quod Mariæ, ipsius verbi inscripti esse dicatur, quasi ab vtero transisset ad fœtum. Nonnè verbum Dei homo sub libro signato sigillis septem circunfertur? Explora, quale primum præcipuumque sigillum sit. Certè virginitas Mariæ. Adsit Sanct. Bonauen- Bonauent. tur. sermon. 2. Domin. in Passion. *Ecce Filius à Patre signatus est, signatus est autem septem sigillis. Si vno sigillo creditur, quanto plus septem. Primum ergo sigillum virginitatem Mariæ potest significare.* Et post pauca: *Consuetudo in epistolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo signata erant, nemo audebat contradicere. Digitus Dei Spiritus sanctus dicitur. Annulus ergo huius digiti donum est Spiritus sancti, quo impressa est virginitas Mariæ.* Quis sic crederet? Si Filius liber est: si virginitas, Mariæ; quomodò libri sigillum virginitas Matris est? O benè! Quoniam ex intima insinuatione Verbi in charta promiscuè vtriusque attributa censentur, alternisque vicibus, quæ membranæ sunt, de litera perhibentur; quæ literæ, de membrana. Quoniam membrana hæc inscripto verbo membra dedit; quid quòd in membris, virginitatis pignora reliquisset? Natus ergo inscriptus in vtero sermo & Matris virginitatem non abstulit, & pignus virginitatis tulit; siquidem & foris apparuit, & chartæ sigillum non aperuit.

56. Voluit ob Matris reuerentiam quasi virium impos non præualere tituli membranam corrumpere, ne, qui absque pugillaris aele inscriptus fuerat, cum iniuria papyri legeretur. Imò id supremæ fortitudinis fuit. Velim expendere Rupertum in Deuter. lib. 1. cap. 15. *Cùm sit fortissimus spirituum Deus fragilem Virginei ventris substantiam non dissoluit, Matrem quidem efficiens, sed virginem incorruptam custodiens.* En miratur Dei fortitudinem ad perfringendum æneum virginitatis vterum non valuisse, virgineaque cera insculptum sigillum non turbauisse pudoris. Sed quidem miror, quòd Tuitiensis Abbas Dei fortitudinis segnitiem incuset, victoriamque tribuat vtero, qui infractus omnipotentis vires elusit. Non ea Ruperti mens: potius fortitudinem Dei extollit, quia absque eo quòd perfureret vterum, repagulaque diuelleret pudoris, vterum subintrauit, vt Matrem efficeret, & virginem custodiret. Vnde sic Rupertum construerem: *Quoniam fortissimus est spirituum Deus, fragilem virginei ventris substantiam non dissoluit.* Cogita tormentarium globum, ignito pondere grauidum, per aëra rotatum: vt teneram non commoueat herbam, nec floridas prati delicias fatiget; nonnè opus est viribus, vt concitum cohibeat onus, iamque cadentem scopulum contineat? Ergo quod non læsit vterum spirituum fortissimus, adscribe fortitudini: chartæ folium mansit imperterritum; & tamen feruido igne diuinitatis concepto fructum edidit salutarem. Ergo folium sic mansit illibatum, acsi nullam inscriptionem suscepisset. Sic enodarem, quod dixit S German. oration. S.Germ. in natiu. Mariæ: *Salue typus virginitatis, non scriptum sanctimoniæ folium, manifestorum rationale.* Si verbum hausit, cur folium non scriptum? Benè contexuit. Quoniam *manifestorum rationale* fuit, manifestaque luce abditum Patris verbum exhibuit legendum, diligendumque; & tamen nullius inscriptorij atramenti fuligine conspersum fuit.

Hæc lex assensus Mariæ in illis: *Ecce ancilla* 57.
Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Id est: Luc. 1.
Fiat mysterium hoc, siquidem verbi est, & in me, quæ limpida, virgineaque charta sum; moræ chartæ, virgineæque membranæ; attamen fiat secundùm naturam verbi, non alio interiecto exteri atramenti ministerio: sed tantum secundum verbum, vt verbum ipsum semet inscribat in charta. Quò respexisse puto Titum Bostrens. Tit. Bost. alibi datum in cap. 1. Luc. ad præfata verba: *Ecce ancilla: Hæc sacratissimæ Virginis oratio huc tendit: En tabula sum, quamuis scripturam excipere idonea: scribat in me Scriba ille, quodcumque visum fuerit.* En aptitudo chartæ, vt verbum sine adscititiis pigmentis scribatur in ipsa. Quasi diceret: Solum assensum subdo, vt secundum verbum, non alterius virtutis ope, virique subsidio conceptio fiat. Accinit Damascenus oration 1. de Damasc. Assumpt. B. Mariæ colum. 8. in med. *Vbi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit: vbi nouus liber, in* Dan. 3. 34. *quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam inscriptum est.* Benè absque manua opera, sicut labis sine manibus de vertice montis volubili concitatione puluerem statuæ vestigans; descendit potius, quam cecidit. Vtrobique extera manus abnegatur. Cur sic? Quoniam verbum Domini manus est, & dicitur; pluries monuimus: scis Psal. 143. 7. illud: *Emitte manum tuam de alto, & eripe me.* Et tamen flagitanti manum missum est verbum: *Mi-* Psal. 106. 29. *sit Verbum suum, & sanauit eos.* En totum est in virgine, qui in virgine generatur. Si generatio inscriptio est, & qui gignitur, manus & verbum: affatim virtutis intra virginem est, vernalibus non eget officiis.

Luculentius rem dedit Damascen. oration. 1. 58.
de natiu. Beatæ Mariæ colum. 6. ad finem: forsan Damasc. suprà dedimus locum: *Hodierna die is, qui omnia effecit Deus Verbum, quod Pater de pectore eructauit, librum nouum condidit, Dei lingua à Spiritu tanquam calamo quodam in ipso scribendum; qui quidem homini literarum perito datus est; nec tamen ab eo legitur. Nec enim Ioseph Mariam cognouit, nec ipsius mysterij potentiam.* Explora hæc. Non legisse librum hunc Ioseph, non cognouisse fuit: non cognouisse, non potentem effecisse ad fœtum. Quàm aptè! Si liber, vulua; si fœtus Verbum: quid quòd generandi virtus cognitio, le-

ctione nuncupetur? Forsan ideò Virgo dixerat:
Luc.1.34. *Quoniam virum non cognosco.* Diuini Patris cognitio hæc, lectiovè, annuente Damasceno, profertur, vtpote cuius ad generationem Verbi potentia fit. Vnde profundè illud: *Neque enim Ioseph Mariam cognouit, nec ipsius mysterij potentiam.* Quî potentiam cognosceret, si à cognitione superna, quà potens & fœcundus est Pater, procul abscedebat, & solum ab illo, qui potens est, generationis sacræ potens redditur Maria? Hinc il-
Luc.1.49. Esai.29. Thaumat. lud Esaiæ: *Dabitur liber obsignatus viro scienti literas, & dicet: Non possum legere.* Post quæ S. Gregor. Thaumat. serm. 3. de Annunt. *Cur non potes legere, ô Ioseph? Non possum, inquit, legere, nam liber obsignatus est. Cuinam seruatur? Rerum omnium Creatori pro domicilio custoditur.* Qui librum nuper dixerat, iam nuncupat domicilium. Et benè. Vbi etenim inscriptum verbum inhabitat nisi in libro? Scit literas vir, & tamen non potest legere. Vbi innuitur impotentia, de generatione tractatur. Quid quòd lectionis impotens sit vir, si Virgo liber est, & lectio fœcunditas? Ideò Damascenus hunc librum nouum adscribit Patri, vt solùm inscribat Verbum, qui Verbum eructat. O sacrum vterum diuino consimilem, in quo legi, cognoscivè, gigni fuit! Si forsan ideò liber nouus nuncupatur, quasi generationis antiquæ, quæ erat apud Deum, diuinus vterus, priscus liber fuerit. Illud pungit: *Deus*
Psal.44. *Verbum, Dei lingua à Spiritu tanquam calamo quodam in ipso scribendum.* Si lingua calamus est Scribæ velociter scribentis, cur calamus à lingua distinguitur, Deique lingua à Spiritu Dei? Certè adeò virgineus liber est: adeò à carnis vocabulis eximitur, vt in inscribente calamo vocem Spiritus amet, quæ vtrumque indicat, & incarnationis celerè volatum, & virginitatis spiritalem decorem. Si Spiritus calamus fuit, non mireris virum literas non nouisse. Si Spiritus penna fuit, ne stupeas ad velocem in vtero inscriptionem. Quare fideliùs ad Græcū sic Latinè do Damascenum. *Lingua Dei tanquam calamo Spiritu in ipso scribendum.* Quibus liquet Spiritum & linguæ & calami obisse munus. Nullus velocior calamus, quàm qui confestim dat papyro, quod lingua soluit. Vis velociorem? Ipsa lingua calamus fit. Sed si hebes, tardaque torpet? Sit lingua Spiritus, & quà lingua, clausa sub ore ob virginitatem; quà
Ioan.3.8. Spiritus, qui vbi vult spirat, velox. Celeritas generati, perfectique fœtus, & virginitas gignentis
Act.2.3. in calamo, qui Spiritus & lingua fit, sapienter innuitur. Quid quòd exinde in linguis igneis Spiritus sanctus apparere delegerit, vt enuntiaret Verbum Dei hominem factum, postquam in cœlum remeauit, qui corpus illi in vtero virginis compegerat, linguæque & calami more in virgineo
S. Bernard. libro conscripserat? S. Bonauent. ser. 3. in Domin. 2. aduent. *Spiritus sanctus in linguis igneis apparet super Apostolos. Linguam ergo & calamum intellige Spiritum sanctum. Hac enim lingua Verbum Patris per incarnationem in mundum prolatum est. Hoc calamo Verbum Patris pelli humanitatis vnitum est. Velociter iste calamus inscripsit, quia in instanti conceptionis liber iste consummatus fuit.*
B. Thom. à Vill. De hoc venustè tractat B. Thomas à Villanoua serm. de natiuit. Virg.

59. Si altius præfata insideant, iam non anxius percontaberis, cur totus liber, in quo tota Incarnationis œconomia, Christique gesta euangelicè recensentur, liber generationis appellatur? Chrysostomus homil. 2. in cap. 1. Matth. *Cuius vero rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat,* Chrysost.
vbi non sola vtique generatio; sed tota prorsus ipsius mysterij continetur dispensatio? Quia totius scilicet dispensationis caput & radix atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Non discedens à Chrysostomo, meditarer, illicò in Euangelij fronte, Verbi Dei personam non modicis scintillare luminibus, sacramque originem Incarnati depromi. Si enim eius generatio tanquam in libro est, liberque vocatur, Verbum esse conspicua luce profertur. Ergo quia Maria virgineè gignens, quasi pro rubro in libri capite conscribenda erat, ab ea totum scriptum accepit nomen, liberque generationis vocatur, quoniam sacra Virgo liber generationis erat. Quare adsonè ad Chrysostomum Andr. Hierosol. in salut. S. Mariæ col. 8. *Benedicta tu* Andr. Hier.
in mulieribus, quam Isaias propheticis oculis conspicatus, prophetissam & virginem nuncupauit, visionemque & libri caput, idque sigillo consignatum manifestè appellauit.



ACADEMIA XXXII.

Ioannes Baptista, Verbi clamantis *Vox*, quid à Verbi Genitrice, reuelatriceque acceperit?

Vterque Joannes, alter Verbi clamantis Vox, *alter Verbi in principio apud Deum Scrutator, Mariæ, vt Verbi Genitrici, in sacra Filiationis iura deputatur.*

Sectio I.

Mariam virgineæ conceptionis miraculo, & excultioribus suprà Angelicas pennas intellectualium documentorum calamis, Verbi Dei, quod erat in principio apud Deum, per illibatæ, infractæque vuluæ ministerium explicuisse naturam, hucusque non sine delectu congesta testimonia signarunt. Operæpretium est, vt quos phalerata delectant, fortia corroborant, aspirans amœnioris eruditionis aura demulceat, omni exceptione maiora exhibeamus, quæ Verbo Dei exarato in Virgine, nobili, securoque subscribant signaculo. Vacat humanus sermo, silet prædicatio tractatoris, cùm desuper diuina virtus, quod persuadere nititur, ascitis testibus, validisque solidat fulcimentis. Duplex Ioannes geminus testis est, digito & calamo Verbum Dei è Maria Virgine apparuisse contestans. 1. Ioan.1.

2. In ore duorum vel trium stat omne verbum. Stat quidem, nec cadere trepidabit. Quale omne verbum? Deflecte parumper, & fruere dictione. Monui non semel Verbum Dei esse omne Verbum; quippe vnum est, omneque, quidquid est, incircumscripta exprimit veritate. Verba creata plura sunt, quia exigua, & dissecta: supplet numerus cognitionis creatæ defectū. August. 2. Cor.13.1.
lib.

Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Tanquam seipsum dicens Pater, genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso. Ideò Verbum hoc veritas est, quidquid in ea scientia, de qua genitus est, & in ipso est.* Hoc ergo Verbum, quod omne est, in ore duorum vel trium est. Ioan. 1. 23. Ibi. 2. 1. Quinam duo? Baptista & Euangelista. Vterque perhibet testimonium, oreque digitoque subsignat: nam alter Vox clamantis est, alter Verbum in principio apud Deum & aquilino disquisiuit obtutu & exquisitâ plumâ, qua volauerat, in fidei albo conscripsit. Ergo consonum vtriusque testimonium. Vides? De Verbo præmiserat: per quod *omnia facta sunt:* quasi nuncupauisset omne Verbum: & illicò subdit de Baptista: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Deuinitate consonantiam. An & Euangelista, vt testimonium perhiberet? Intellectuale verbum lumen est, quod disciplina hic illuminatæ mentis officio elucidans, humanis mentibus præsentauit. Quare cùm in Euangelij exordio dictum sit de Baptista: *Vt testimonium perhiberet de lumine*; in Euangelij coronide idipsum de se Euangelista Ioan. 19. 35. confirmat: *Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus, quia verum est testimonium eius?* Vt ex principio & fine contestante in ore duorum stet omne Verbum. Probè Rupert. Rupert. prolog. in Euangel. Ioann. *Textus talis omnino est, qualem legitimi postulat ordo testimonij. Nam ascito secum teste alio non minus idoneo, scilicet Ioanne Baptista, vt sint testes duo (non enim minus in ore duorum testium stabit omne verbum) ascito ergo Ioanne, qui venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, dicta tam illius; quam sua frequenter appellat testimonium, dicens de semetipso in fine omnium: Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus, quia verum est testimonium eius.* Quid pulchrius? Cur sic singulariter vtrique testimonium Verbi Dei deputatur? Quoniam alter vox Verbi, alter huius Verbi ac sempiterni principij contemplator excelsus; qui natalibus Regis nostri per Hæreticos violenter oppressis, repentè prosiliuit in medium, & magno vocis Euangelicæ tonitru, Verbique coruscantis fulmine concilium vanitatis exsufflauit: quæ fermè verba sunt Ruperti. Vis iam in ore trium stare omne Verbum? Adi Mariam & adde; à qua vterq; testis Verbum, quod in eius stetit vtero, traxit. Quid pro Virgine clarius? Ergo vterque ad Mariam spectat: nec solum ab eius aula, cœlestium sacramentorum hausit disciplinam, sed quasi ab eius vulua, diuinæ sapientiæ lycæo, progeniti, ne errarent ab vtero, & loquerentur falsa, eruditionem accepere. Cur enim sic libera fronte, nec à proprio laudis testimonio perfrictâ, sibi blanditur Ioannes, vt dicat: *Et scimus, quia verum est testimonium eius?* Sat fuit, ne à verberantis gloriæ timeat flagello, nec arundineo flexu nutet, in virgineæ Matris stipite solidari. Si Mater Verbi illi pro matre est, quid quòd verum Chrys. de Verbo testimonium perhibeat? Chrysostom. hom. 87. in Ioann. *Occultè insinuans causam, ex qua ad scribendum processit, & fide dignum faciens hunc sermonem ex sua dignitate. Omnibus enim aderat, & neque, cum crucifigeretur, defuit, & Mater ei commissa est; quæ sunt signa amoris, & quòd cum certitudine sciat omnia.* Si ex virginis didicit sinu, quale certius certitudinis signum?

3. Ea ab initio cura fuit, vt in exordio & in fine

Zerda, Mariæ effigies.

illius Euangelij, in quo Dei Verbi arcanum pennatâ sublimitate ex sacris latebris resignabatur, illustri concinnitate duo testes assiderent, qui essent quasi Verbi Dei appendices, sonoræque & animatæ portiones, Euangelista videlicet & Baptista. Qui, quoniã ad Verbum Dei attinebant, non aliter eius præcones assignati sunt, nisi quatenus sub virginis Matris familia asserti, & ab eius vtero discerent, & lactea documẽta ab eius sugerent vberibus. Nonnè in exordio Præcursor? Vix concipit Maria, & in montana pergit festina, vt genitum Verbũ per montium caua, deserrique silẽtiũ Luc. 1. voce Ioannis resonaret, testimoniũque perhiberet de Verbo à Verbi genitrice eruditus. Nonnè in fine Euãgelista? In vestibulo mortis iamiam spiritũ afflaturus mandauit Iesus Discipulo Matrẽ in matrẽ; & post paruum interstitium ille, percusso la- Ioan. 19. 26. tere, geminóque latice fluente, in ea verba prorupit: *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.* Quid quòd de veritate testimo- Ibi. 35. nij conclamet, cui præstò aderat, iam beneficio Matris propinquior, aula cœlestium sacramentorũ? Quid est, quòd inter sanguinem & aquam lynceus trutinator discreuit? Quoniam cõsanguineor esse incipiebat, postquam in filium virginis asserebatur, propiùsque & propriùs (siquidem iam ad illũ Christi sãguis ex fraternitatis iure attinebat, cui ex Matris sanguine corpus constiterat) inter sanguinẽ & aquã valuit iudicare. En quantũ consonet vterque Verbi testis ex Verbi Matris magisterio: quæ ideò ad Baptistã pertexit in ipsius verbi generationis exordio, & in vitæ fine Euangelistæ sociata est, vt ab eius afflatu in principio & in fine, Euangelici Verbi tuba sonaret. Quò forsan respexit Ambr. alibi expẽsus lib. de instit. virg. c. Ambr. 7. *Visitauit Ioannem Baptistam, qui in vtero Matris, priusquam nasceretur, exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obsequutus, antequam genitus. Nec immeritè mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ & integritatis vnguento Domini Mater exercuit. Eademque postea Ioanni Euangelistæ est tradita, coniugium nescienti. Vnde non miror præ cæteris loquutum mysteria diuina, cui præstò erat aula cœlestium sacramentorum.* Non casu coniunxit vtrumque, sub vniusque Matris disciplina coëgit; sed, vt sacrum circulum in æterni Verbi construeret præconibus, principium cum fine, virginitatis fibulâ sub vno Mariæ sinu colligauit.

Nullum initium manifestationis verbi, nullus 4.
finis est, cui nõ ab altero ex his testibus, virgineo & candido atramento ex Mariæ instinctu, doctrinaq; eliquato subscribatur. Triclinium ingredere, nuptiarũ apparatu perstrepens in Canâ Galilææ, vbi deficiẽtia vina geniale epulum contristabant. Opportunè libidinis feruor defecit, & cõcupiscẽ- Ioan. 2. 3. tiæ flamma sopita est, vbi aderat Maria: cuius vbera pietatis meliora vino connubialem Bacchi po- Cantic. 1. 1. tionẽ ex virginis aquæ frigiditate in vinũ germi- Zach. 9. 17. nãs virgines conuertere gestiebant. Architriclini suscepit officium, curãque gerens de amphorarum liquore, Filium rogat: *Vinum non habent.* Censuere plures Ioannẽ Euangelistã sponsum fuisse à nuptiisque reuocatum. Beda in præfat Euang. Ioann. Beda. Rupert. lib. 2. in Ioan. Qualisnè impetus semoue- Rupert. re potuit sponsum à iã calentib. per feruorem cõuiuij nuptiis? An quia ex verbis Mariæ nouũ vinum paratum est; non quod ebrium thalamum sopit ad libidinẽ secundum Apostolum, sed quod Ad Ephes. 5. 18. ad virginitatem secundum Prophetam accendit?

Zach. 9. Vide, quid agat Virgo: *Implete hydrias aqua*, ait. Quæ ex virgineo latice, humoreque vitreo & frigido vinum gestit educi, virginitatem, commutato vino, præ nuptiis sponsum amare solicitat, & ex aquis ortum genus Aquilam egregiam leuare, Ioannem scilicet, qui vsque in Dei Verbum, plaudentibus virginitatis pennis eleuaret volatum. Ioan. 2. 11. *Hoc fecit initium signorum Iesus, & manifestauit* Hebr. 1. 3. *gloriam suam.* Qualemnè, nisi Verbi, quod splendor est gloriæ: in quo Verbi Diuinitatem explicuit: quid quòd intercedens Mater illius Verbi præconem iam exinde virgineè inciperet generare, donec sub cruce pateret, sicut in generationis Verbi exordio sanctificationi vocis, videlicet Senens. Ioannis Baptistæ, interfuit. Bernard. Senens. tom. 3. sermon. 9. artic. 3. capit. 2. *Porrò tam fuit mira efficacia & virtutis hoc breue verbum: Vinum non habent, apud dilectum Filium suum Iesum, tantumque impetrauit dilecto suo Ioanni Euangelistæ, quòd de nuptiis ad continentiam virginalem & ad summa contemplationis apicem est perductus; ita quod sicut in tertio verbo Ioannes Baptista mirabiliter in matris vtero sanctificatus est sic in his verbis ad Christi spirituales nuptias Ioannes Euangelista perductus fuit.*

5. Igitur Verbi Dei intellectualis proprietas in Virgine genitrice, perspicuá luce resplēdet; siquidē illi duos Verbi sonoros præcones, maternitatis iure arrogari fas est. Ne aliquid, quod ad Verbum attinet, genitrici Verbi deficiat, hæc duo germina Virgini, genitricis iura decernunt. Quòd Ioan. 19. 27. Euangelista filius Virgini fuerit accitus, Dominica verba in confinio mortis inclamant. Quin antiquius à Virgine genus illius nūc asserebamus inter nuptiarum epulas, vt qui spōsus parabatur, nouiter ex virginitate gigneretur coram miraculo; quod, quia Deitatis, Verbique naturæ deputari, non humanæ cognationi Dominus curabat, repulit seueriori stylo maternæ reuerentiæ suspi-Ioan 2. 4. cionem illis verbis: *Qui mihi & tibi est mulier?* vt ostenderet se non tanquam mulieris filium, sed vt August. Verbum Patris patrare miracula, vt voluere Aug. Gregor. tract. 119. in Ioan. Greg. lib 8. Reg. c. 42. Gaudent. Gaud. tract. 9. Euthym. & alij. Quàm accommoda Euan-Euth. gelistæ contigere cunabula! Vt ob virginitatem recens gigni putaretur, à Maria implente hydrias aqua in vini melioris vsum reuocatur. Qui sapor Galfr. videtur esse in Galfrido apud Tilman. super illa verba: *Mulier ecce filius tuus: Quodammodò Ioannes Virginis Matris in virginitate filius fuit: cuius illa si non carnem, carnis tamen integritatem edidit; & illum si non hominem, tamen virginem genuit.* Si hæc ita sunt, & coram Verbi miraculo genitus recēsetur; quid quòd innato pondere in Verbi Dei excultiorem indaginem, clarioremque clamorem impenderet? Ergo idem fuit, quòd filius Virgini arrogaretur, & quòd ad Verbi initiaretur præco-Ioan. 21. 20. nium. Cur in sinu Domini recumbit ad cœnam, & epularum saporē in placidum, strato pro culcitra Dominico pectore, soporem conuertit? Meditor, quia iam tempus mortis appropinquabat, in quo Matri Virgini pro filio in Filij supplementū erat committendus. Oportuit priùs ebibisse, assuetum cordi Patris, è corde Iesu Verbū, quod posteà eru-Ioan 1. ctauit dicens: *In principio erat Verbum*, vt sic in possessorē sapientiæ, & Verbi, genitrix ipsius Verbi transiret, ageretque vices pro filio, dū ille cla-Ioan 12. 32. more valido decedens, omniaq; more intellectus Matt. 27. 50. trahens ad seipsum, exaltatus à terra, Patremque eo fermè momento compellans, se Verbum esse Patris euicit. Ernaldus in Allegor. Tilm. *Positus* Ernald. *est fidelis aditus ad tanti thesauri custodiam. Dis-* Luc. 2. v. 46. *cipulus, qui in cœna Dominica, ceruical sibi in pectore Magistri aptauerat, ecce iterum alio priuilegio honoratur, & post illud reclinatorium, in quo viderat: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; officina illa, in qua Verbum caro factum est, diligenter ei à Filio commendatur.* Iure Mariæ adscribitur in filiū inter clamantis Verbi Deitatē 1. Ioan. 1. contestantia miracula, Verbi Matri Verbi tractator; qui non solū audiuit & cōtrectauit de Verbo vitæ, sed & traxit in mentem & tractauit scripto. Nullus profectò sic ageret erga Mariam pro filio deserente. Probat id Ernaldus, quia de Dominico pectore recubās didicit humano intellectu, Verbi Dei penetrare recessus. In quo ingenium est. Quasi diceret: Vt in filium Virginis pro filio iam halante spiritū, qui Verbū Dei eat, assereretur; opus fuit, vt prius vnum cū Verbo fieret; ne longo discrimine à pignore, pro quo ponebatur, discordaret. Ergo ars fuit, quòd præuiè Verbū in sinu Patris, illuminatæ mentis faculâ dignosceret, & in intellectū à Christi sinu transcriberet: & quoniam ex re intellecta & intellectu fit vnū (quin, vt plu- Caiet. 1. p. q. 12. res volunt cum Philosopho, magis vnum, quam ex materia & forma) ex intima penetratione transiret in Verbum, & quod in mente conceperat, virginea voce repentè parturiret: *In principio erat Verbum*; vt socium & aptum eum Maria contuber- Ioan. 1. nium iniret. Rupert. prolog. in Ioann. *Hanc anima-* Rupert. *rum verus amator Deus dilecta Ioannis anima pro monumento dilectionis præcipuæ fixit in pectore. Vt Verbum, quod Maria Virgo sola protulit in carne, ipsum huius socia virginitatis præ omnibus Sanctis viua mortalibus promeret voce.*

Iam gradum ad Baptistam facias, an Virginis 6. filius merito asserēdus? Profectò quisquis ab vtero fœminæ accipit, proles eius non nisi proterua lingua negabitur. Quid vulua potest dare fœminea, nisi sobolem? Ioānes intra matris obscura volumina sepius viscerumque nexibus irretitus, vitā ab vtero Mariæ capessit: siquidem motū, vitæ indicem, concitat è vestigio, quia Maria vterum gestans, ex vtero loquuta est, verbumque contorsit, quod per cognatæ aures meliorem vitam inspiraret infanti. Quam inopina nouitas! Alieni vteri fœtus ab alterius matris vtero viuit. Si sic ex vtero vita conspersit, etsi in extraneo vtero manentem, quis de noua generationis industria non gaudeat? Quis detrectet filium Virginis confiteri; quem, vt virgineè gigneret, ex vtero per Spiritum sanctum viuente luce perfudit? Nosce mysterium. Vaticinatur Angelus: *Spiritu sancto replebitur ad-* Luc. 1. 15. *huc ex vtero matris suæ.* Si ly *ex vtero* aliquem possit influxum denotare, prouocat animū, quòd vterus Elisabethæ fœtum suum Spiritu sancto non perfudit, imò repletus infans repleuit & matrem. Ex quonè matris vtero, Gabriel sancte, replebitur infans? Profectò ex vtero Virginis Matris. Hinc vocem audit Elisabeth, gratiam ille sentit, exilit, exultat: flamine baptizatur. Spiritu sancto imbuitur. Ergo filius Virginis effectus. Id pulchrè Chrysostom. apud Bernardinum de Bustos, part. 7. ser- Chrysost. mon. 4. sic ait: *Ioannes Baptista fuit Virginis filius* Bustos. *per spiritualem baptismi regenerationem. Ipsa enim eum baptizauit, non baptismo fluminis, sed flaminis, sicut dicit Chrysostomus: cùm enim beata Virgo Maria salutauit Elisabeth, vox salutationis per aures eius ingrediens, ad puerum descendit; virtute cuius salutationis puer Spiritum sanctum accepit,*

accepit, sicut prædixerat Angelus Zachariæ, Luc.1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Hæc ille. Baptismo flaminis, Spiritusque sancti afflatu conspersus ab vtero Mariæ in vtero Elisabethæ satus infans regeneratusque vitam orsus, non iniuria propriæ vuluæ, Virgini genitrici incepit adscribi.

7. Ex hac per Virginē regeneratione omnia Ioannis stemmata, generosaque insignia deuenere. Repletur Spiritu sancto, vita plenitudinem orditur, Baptistæ capessit munus, Vocis non inane, sed viuidum venatur vocabulum, Præcursoris auspicatur officium, Ioannis nomen induit, cæteraque sacrorum charismatum ornamenta desumit. Si sic Virginis Matris vtero debet, cur non eius filius censeatur, vt vuluæ, cuius est verbū, deputetur & Vox? Nonnè qui recens in vulua gignitur matris, statim per momenta proficit, & inutritus suscipit incrementum? Ioannes in vtero, postquam primum vixit è virgine, sensim eodem Spiritu alitus profecit. Cur enim tribus mensibus noua Mater in visitatione duraret, nisi vt filio, quem regenerauit, incrementa tribueret? Origen. Origen. hom. 9. in c.1. Luc. *Si in vna hora tantos profectus habuit, nostra coniectura relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecit, assistente Maria Elisabeth.* Tractabimus hæc liberiori calamo pro Mariæ famulatu, vt Vox Matri Verbi famuletur: simile enim simili congaudet. Damasc. orat. 1. de Natiuit. Virg. Damasc. *Quidnam igitur aliud Verbi Matri, quam sermonem offeremus?* Cuius rationem dat ser. 2. de Assumpt. Virg. *Simile enim simili gaudet.* Ergo Virginem non decet Ioannis silentium, vtpote qui vox Ambr. verbi est. Quare Ambros. serm. 65. *Nam nuncupatio vocabuli ipsius, pectoris nostri vrget secreta, silentij nostri resoluit arcana; & quod dissimulatione reticetur, admiratione compellitur.* Et statim: *Ipse enim Ioannes vox clamantis dicitur. Quis igitur, qui vocem laudet, & taceat; clamorem admiretur, & mutus sit?*

8. Ergo Ioannes Baptista Præco, Præcursor, & Vox, ad virgineum Mariæ pertinet censum; eius pignus est. In cuius signum in veterano, annosoq; maternorum viscerū latibulo abditus, adhuc alias Luc. 1. 24. latebras affectauit; nec tumentem vterum oculis credidit vicinis, donec adstaret Maria: quasi ab illa traxisset vitā vtrumque inciperet implere. *Concepit Elisabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobriū meum inter homines.* Inopportuna ratio. Si genito pignore opprobriū sterilitatis euasit, senilisque inanitas viscerum sato germine in viridem pubertatem effloruit; cur tenebras amat, & insolescentem vterum premit, obscuritatisq; fasciā constringit? Obserua, quòd mensibus quinque delitéat. Fœtus concepti generosiori nobilitati cōsuluit: nobiliorē illi matrem expectabat, nempe Mariam, quæ sexto mense concipiens, montana erat calcatura, vt delitenti Luc. 1. fœtui claram vitæ lucem infunderet. Origen. Orig. hom. 6. in Luc. *Et ideò dicit mensibus quinque, id est, donec Maria conciperet, & fœtus eius exultans cum gaudio prophetaret.* Visente Maria, senilis vterus cū germine adultæ prolis inclaret, hilarisque vulua se iactat, quasi ex voce virginis concepisset Prophetā, nec iam erubesceret de onere parentis, & thalami etiam in senectute feruentis indicio, postquam ob Mariæ præsentiā fœtum noscit esse prophetā. Ambr. in c. 1. Luc. tit. de concept. Ioan. Ambr. *Rubebat ergo eam propter ætatem: hac tamen erubescit onus parentis, quandiù nescit mysterium religionis. Sed quæ occultabat se, quia conceperat filium, iactare se cœpit, quia generabat prophetam.* Quid quod tunc non solùm Elisabeth occultatum vterum, abeunte pudoris causâ, demonstraret; sed & fœtus ipse ex vtero, intempestiuo ortu exilire gestiens, saltibus insolitis ageretur, iam inde vitam hausisse manifestans per motum, quam Mariana vox inspirauerat?

Zerda, Maria effigies.

Fictili simulacro afflauit Deus spiraculum vitæ. 9.
Vtquid afflauisse describitur, quasi compressum, Genes. 2. 7.
stagnantéque halitū euacuatis faucibus egessisset? Benè per organū vocis vitales spiritus impertitur: vt à tacitis, mutisque animantibus secerneret hominem, de loquela, famineque in ipso erudiuit afflatu. Verbi, in quo vita erat, & loquutio, similitudinem suggerebat, quam ob nauseam, stomachūque ex fico, euomuit homo. Ioannes gignitur, vt vox Verbi sit: vitæ spiraculum per vocem indit Maria, (quæ ad serpentis halitum innocens candoris speculum non perstrinxit) vt vitam simul cū voce, Verbique Dei similitudine fœtus sacer capesseret, & Adami lutum, non iā ex luctu peccati fluidum, sed cum exultatione compactum stabilem vitam indueret. Benè Antipater Bostror. Episcop. oration. de S. Ioann. Baptist. col. 1. in princip. *Licebat autem videre lutum salutari à figulo, excipi* Antip. *Regem in tabernaculo militis. Quem cum ex matrice in matrice aspexisset Ioannes, exiliens, naturæ terminos conatus est transilire. Video Dominum, qui imponit naturæ terminos. Non expecto tempus, quo solet fœtus gestari in vtero: tempus nouem mensium non est mihi necessarium. Quonam mater Deum Verbum persuasit ad nos apertè venire?* Terminos naturæ dicitur transilire, dum exilit: quoniam cum voce Virginis eâ abundantiâ vitam ebiberat, vt consueta gestationis, statáque naturæ momenta, quibus fœtus in matrice ad vitalis lucis vsuram accipiendā instruitur, superuacuè sibi præfixa putaret, vtpote qui iam vox Verbi erat, iam motibus insultabat; quod vtrumque perfectæ vitæ signum est, vox scilicet, & motus. Imò eò vitæ sacræ impetus inualuit in fœtu, vt in se æternitatis, quæ perfecta vita est, sortem tenere videretur. Verba illa transcripsit Antipater à Chrysostom. qui post ea addit homil. 2. in natiuit. Baptistæ: *Nouem* Chrysost. *mensium tempus in vtero non est mihi necessarium. In me est enim, qui est æternus. Sum tuba, proferam Filij Dei in carne œconomiam. Tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Venit Verbum, vt omnia constituat, & ego adhuc maneo detentus.* Non potuit abundantius vita significari. Obserua illud: *In me est enim, qui est æternus.* Æternitas est, de- Boëtius. finiente Boëtio, *tota simul & perfecta vita possessio*: & tamen fœtus est in naturæ officina, vt elaboraretur, insistens, qui sic de vita loqui perhiberet. Non mireris: ex voce Virginis Verbum præsensit: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Ioan. 1. Et quidem viuere non dicitur infans, donec ex Ioan. 4. 14. vteri clausula erumpat. Gratia fons saliens est in vitam æternam. Vt ergo hunc puello æternitatem Maria impertiretur, gratia perfundit, Spiritu replet, vt spiritus gratiæ ocyor sit spiritu vitæ. Pulchrè Ambrosius in capite 1. Luc. ad illa verba: *Et Spiritu sancto replebitur. Ecce vt facta est* Ambr. *salutatio, &c. Nondum enim erat illi spiritus vitæ, sed spiritus gratiæ. Denique & alibi viuendi substantiæ procurrere sanctificandi gratiam potuimus aduertere, cùm dicit Dominus: Prophetam in gentibus dedi te.*

10. Chrys. His adstipulatur Chrysologus serm. 91. *Ante cœpit viuere Deo, quam sibi: imò ante vixit ille Deo, quam Deus viueret illi.* Difficilia sanè verba, Deus artifex vitæ vitam dat: prius ergo viuit Deus homini, quam homo Deo: vel saltem non prius homo Deo, quam Deus homini. Tam antelucanus ipsomet vtero præcurrit Ioannes ad Deũ, antequam illi Deus vitales lucis auras præstitisset, vt ante vixisse illum Deo, totomque in Dei vsibus sese erogauisse censeatur, quã Deus illi per natiuitatis & vitæ extra vterum largitionem vixisset. Vita enim hominis non à generationis, sed à natiuitatis tempore computatur. Quamuis dum infans est in vtero, non aliam vitam, quàm matris, viuere putetur, quasi pars viscerum; Ioannes tamẽ ipsum sui anteuolans ortum, etiam intra viscera Deo vixit, non expectans quòd Deus viueret ipsi per natiuitatis munus. Adeo spiritus excreuit in vitum, vt moræ impatiens non artus expectauerit, non tempora: omne spiritus peregit officium. Spiritus sanctus, qui superuenit in virginem corpus Dominicum efformaturus, ita præpropera sanctificatione, Ioannis spiritum imbuit, vt ope gratiæ corporis suppleretur defectus. Pergit Chrysologus: *Ipse sine visceribus viscera matris exuscitat, & quia tardabat corpus, solo spiritu implet euangelizantis officium. Ioannes antequam Christum praecederet, se praecessit. Patris, matris, filij vnus atque idem Spiritus sanctus implet, vt vno sanctitatis organo resonet natiuitatis Dominicæ cantilena.* (Idem.) Subtilis est Chrysologus. Vt resonaret natiuitatis Dominicæ cantilena, supra spiraculum vitæ Spiritu sancto Ioannes per virgineæ vocis fistulam imbuitur, præproperoque vitæ motu, & antelucanis impulsibus ipse sibi & psaltes est & saltans; salit, & non silet; canit, & exultat. Quid bilares hæ gesticulationes, spirantesque concitati infantis choreæ ad Dominicam natiuitatem? Quasi pars natiuitatis Dominicæ Ioannes esse inciperet, ex quo ab vtero Mariæ vitalem impetum accipit, omnes corpusculi sẽsus agitatâ inquietudine ciet. Non potuit meliùs vitæ, quam hauriebat, explicare abundantiam, quàm volubiles motus eligens, quibus omnia membra gestientia irrequietam vitæ scaturiginem ostenderet. Si fons saliens in vitam æternam, nedum irrigauit, sed absorbuit: quid quòd saliret, sursumque per geminatos saltus subigi conaretur, vt anteà cœlum incoleret, quàm terram? Quod fortè ingenium est in Chrysologo (Chrys.) dicto serm. 91. *Videtis, quemadmodum Ioannes antè perueniat ad cælum, quam taugeret terram: antè accepit diuinum Spiritum, quàm haberet humanum: antè suscepit diuina munera, quàm corporis membra.*

11. En quam pleno gurgite vita inundauerit Ioannem, cum adhuc tres menses superessent vsque ad puerperium. Quid si verbum vitæ per os Mariæ spiraculum insufflauit, vt sicut ipse recenter in vtero virgineo genitus perfectâ vitâ fruebatur, nec tarda expectabat naturæ molimina, cui cœlũ & mundus, latiorque aula intra viscera Matris contigerat? Ergo conceptus id voluit voci suæ cõmunicare: vox enim conceptus viuentis corporeus index est. Et quidem conceptus mentis, qui verbum dicitur, primus intellectualis vitæ interpres est & signũ: quem postea explicat vox, ad aures, auresque vehit, vt sentiatur, corpusque induisse putetur. Itaque vix conceptum Patris, verbum Dei concipit Maria, cum satagit prouidentia, quòd eius in gignente & genito nobilitatem spiritalem pronuntiet; nec degenerauisse ab vtero Paterno, in quo conceptus vitu erat, postquam carnem induebat in virgine. Vtromque explicandum erat, & quòd recens Mariæ proles conceptus erat Patris, semper viuens, virginitate famulante; & quod corporeus incipiebat esse. Igitur vix concepit virgo, cùm ad montana festinat. Quid ad præpetem, inopinumque in clausa puella impulit cursum? Cucurrit, vt conceptum tunc temporis, cùm conceptus in vtero incepit esse, voci suæ præsentaret verbum Dei iam corporeum voci corporeæ: vt simul ostenderetur, quod corporeum erat, siquidem iam inuoluebatur in voce, & quòd conceptus vitalis, vitæque verbum erat, siquidem vitam habere, vitamque suæ voci largiri declarabat. Albert. Magn. in c. 1. Luc. (Alb. Magn.) *Dignum fuit, vt Virgo præsentaret Ioanni suum conceptum, vt vbique perageret sua præcursionis officium. Et ideò nuntiatur Ioannis ætas in vtero, qui iam posset præcurrere Saluatoris conceptum.* Perpende illud: *Ioannis ætas in vtero.* Et tamen viuentis ætas à luce, non ab vtero computatur. Ea vitæ velocitas in hoc puello fuit, quia conceptum Dei, quem virgo præsentabat, baiula Vox viuidè sonare incipiebat. Ausculta Zachariam: (Luc. 1. 68.) *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* Vt quid de præterito construit vaticinium, cùm nondum visitatio sit quousque perueniatur ad visitationis locum; nec viscerum fœtus visisse dicatur lucidum orbem, quousque ex tenebroso matris orbe procedat? Audiendus est Origenes in Catena S. Thomæ Luc. 1. (Origen.) *Plenus autem Spiritu sancto Zacharias duas prophetias generaliter nuntiat, primam de Christo, alteram de Ioanne: quod manifesto de verbis illius probatur, in quibus quasi de præsenti, & quasi iam versaremur in mundo, loquitur de Ioanne, & de Saluatore.* Appositè. Non opus est extera luce luci in Mariæ sinu splendenti, vt iam venisse, visitauisseque putetur: non opus est & Ioanni, qui testimonium perhibebat de lumine. (Ioan. 1. 7.) Viuit intra secreta conceptus mentis, vitamque suæ voci communicat.

12. Eo vita, quam halauit virgo, momento succreuit in Ioanne, vt quasi iam veteranus in annis, emeritus in ætate, natiuitas eius quasi vitæ meta, terminusque potuerit supputari, & ex plenitudine peracti temporis, seniique vetusti iam decedere, vitaque defungi, cùm per natiuitatem procedebat ad vitam. (Luc. 1. 57.) *Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Quid est, quòd singulariter impletum fuisse tempus asseratur in ortu, cùm id post vitæ curriculum percrebruerit dici in interitu? De illo, qui decessit ephebus, vixque iuuẽtutis flore vestitus, profertur: (Sap. 4. 13.) *Consummatus in breui, expleuit tempora multa.* Ergonè vita Ioannis egredientis ab vtero adeò consummata vita fuit, vt vitæ consumptæ perhibeatur stylo. Si perstitit Maria tribus illis mensibus vsque ad puerperiũ, & in primo visitationis momento sic vitâ cõspersit infantem, vt rapido commotionis torrente redundaret in artus, tremulâque vertigine, & hilarĩ agitatione concuteret, quantum vitæ pondus successione dierũ impenderet vsque ad partum? Benè ergo impletum dicitur tempus, vt, vitæ plenitudine iam relictâ, posset discedere Maria; quæ inanitatem odit, hydriasque gratiæ miraculis implere solicitat, vtpote gratiâ plena. Fauet Ambrosius in c. 1. Luc. ad illa verba: (Ioan. 1. 5. Ambros.) *Elizabeth impletum est tempus pariendi, &c. Tandiu mansit Maria, quandiu Elizabeth pariendi tempus impleret. Impletum*

tempus,

tempus, vt pareret Elizabeth: impletum est vitæ tempus, cùm sancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarent. Plenitudinem iusti vita habet; inanes autem dies sunt impiorum. Ergo Mariæ præsentia, quæ vitam infudit, tempus impleuit, spatiosaque sæcula semestri infanti impertita est, & quæ non nisi plenitudine gaudet, ex naturæ recessu traxit ad lucem. Omnia hæc probè concinnauit Theodorus Studit. Studita orat. de natal. Præc. apud Metaphr. col. 4. in med. *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius. O Ioannes felix infans, fœtus, qui sopiri non potes. Qui es in vtero, quomodò es in mundo? Qui nondum es perfectus, quomodò es plenissimus? Qui es semestris, quomodò multum habes tempus? Qui loqui non potes, quomodò benè loqueris?*

13. Si forsan ideò natiuitatem Baptistæ solenni festo Ecclesia concelebret, cùm tamen venerabilis Ecclesiastica disciplina Sanctorum obitum pro natalitio iubilis festiuis prosequatur? Agnouit multum iam vitæ, in natiuitate transegisse Ioannem, quem Euangelica auctoritas adhuc in vtero matris irretitum officia vitæ peregisse testatur. Maturauit vitam, qui semestris in vulua vixit ad gratiam. Si ex vitæ plenitudine oritur, consummata vita in natalitio illud festum iure sibi vendicauit ab Ecclesia, quod cæteris Sanctis in vitali morte confertur. Quò absque iniuria deflectere valebis Damian. in serm. de S. Ioan. Bapt. col. 4. Damasc. in fine: *Nullius hominis natiuitatem præter solius Dei, eiusque Matris, in auctoritatis arcem recepit Ecclesia, istius exceptione seruata. Nouit enim, quia melior est dies mortis die natiuitatis. Inde est, quod Martyrum mortes, non natiuitates solemnizat Ecclesia, mortem eorum, natalitiorum nomine nominans, quibus factus est de morte natalis. Huius verò natiuitatem Sponsa Christi tanto securius beneuolentissima dignatione suscipit, quanto singularius eam veritatis Euangelicæ irrefragabilis commendat auctoritas.*

A Mariæ salutantis voce Ioannes Baptista Verbi vox.

SECTIO II.

14. BAPTISTAM præcedens sectio materno Virginis gremio arrogauit: à Matre Verbi hæreditaria munera in nouum hunc filium iam deuenisse probemus. Et quidē si à Virginis salutantis voce hæc faustæ generationis absque thalamo cum pudicitiæ flore contigit sors; ordo rectus efflagitat, vt de vocis titulo prior elucubratio disceptet, cum in hoc attributum præcipuè tendat calamus noster, qui de Verbi Genitrice scribit. Quid priùs Mariæ vox cōferret infāti in extraneo climate, quò vocales species, aurā non deferente, peruenire non præualent, degenti, nisi titulum *Vocis* eiusdem Verbi, à quo Mariæ vox fuerat euoluta. Spiritu oris Virginei August. repletus est infans ex vtero matris suæ: saltibus loquitur, qui linguā non potest. Dixit August. serm. 21. de Sanctis: *Vox erat, quia Verbi Dei spiritu replebatur, Sicut sermo, vocis quodāmodò ministerio, ac vehiculo ad audiētē, à loquēte trāsmittitur: ita Ioannes Christū sonans, Verbi erat minister, portitor.* Quid est, quod signatè dicat: *Quia Verbi Dei spiritu replebatur?* Recole, quod Angelus in altaris incensi sacrario vaticinium sacerdoti suggessit: *Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Luc. 1. Ergo idem fuit spiritu repleri ex commercio vocis Virgineæ ab eius vtero concitatæ, quàm Vocis insigne capessere. Repletus Spiritu sancto saliit, quasi ad linguam matris gestiēs peruenire, vt vocis perageret ministerium: ideò mouit linguam, eodem spiritu flectens & dirigens, vt per repletam spiritu matrem infans ipse sonaret vt vox.

15. Ergo ex Mariæ lingua insigne *Vocis* Ioannes venatus est. Diu phrasis illa Elisabeth me stimulabat: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Ibid. Vox non in aure fit, sed in ore, aëris verberatione sonat: concitatione percussus aër defert ad aurem. *Sonet vox tua in auribus meis*, dicebat illa non *fiat*. Cant. 2. 14. Sed quam scitè! *Ego vox clamantis in deserto*, ad Hebræorum legatos Ioannes. Ioan. 1. 23. Ex quo *Vox* nuncuparis, ô Beate? Ex vtero: ibi *Vocis* nomenclatura præfixa. Salutatio virginis & salutare fuit, & vox: vtrumque Ioānes, in auribus Elisabeth salutatio facta est vox, vt vtrumque sortiretur infans, & salutare, & vocem. Etiam in aure matris vox perseuerat, non lubrico lapsu euanuit, quasi in aure factæ ideò exilit puer, vt vocem induat, vt vocale nomē accipiat. Chrysost. Chrysostomus apud Metaphrast. mense Iulio: *Dic Ioannes, cùm adhuc in tenebroso matris vtero contineatis, quomodò intueris, & audis? Quomodo exilis & exultas? Video, etsi adhuc in vtero sum, quoniam in vtero gestari video Solem iustitiæ: auribus percipio quoniam nascor Vox magni Verbi.* Sic construo: *Ab auribus percipio, quoniam nascor vox magni Verbi*, vt pulchrè accinat illis: *Facta est vox salutationis tuæ in auribus meis.* Verbum Dei, quia substantiale, fit homo in vtero virginis vox magni verbi fit in vtero Elisabeth. Luc. 1. Eximia dignitas! *Fiat mihi secundùm verbum tuum* ait Maria ad Angelum: & ad Mariam Elisabeth: *Facta est vox salutationis tuæ in auribus meis*: & ecce in vtriusque vtero. Verbum Christus, vox Ioannes. Verbum caro factum in Maria, statim appellere gestiuit ad linguam, vt vox proferret vteri conceptum. Prima vox virginis post conceptum verbum Dei, fuit salutatio Elisabethæ: vocem hanc quasi obtemperans arripuit Ioannes. Quàm aptè igitur vox verbi Dei est ab vtero in linguam virginis à lingua in Elisabeth aurem, ab aure in Ioannem continuā successione delapsa. Hic scopus erat, scilicet vt Ioannes voci obsequeretur factus ipse vox. Ambr. Præclarè Ambrosius de instit. virg. cap. 7. *Ad vocem Mariæ exultauit infans obsequutus, antequam genitus.* Perpende hoc *obsequutus*. Annè in festina grataque salutatione aliqua iussionis asperitas? Vt quid obsequitur Ioannes, quasi verso poplite imperātis arridens, quando solùm Maria salutat consanguineam. Bellè quidem obsequutus ad vocem: huc vox pergebat, huc peruenire conabatur tota in Ioannis studiosa suffragiis, vt vocem apprehenderet nondum natus, & cum verbo, quod in vtero virginis erat, per linguæ Mariæ & Elisabeth aurium commercium adnecteretur. Origen. Origenes tom. 9. in Ioan. *Obseruandum est, quòd illic per vocem salutationis Mariæ, quæ peruenit ad aures Elisabeth exilit infans Ioannes in vtero matris profectò adiuuari Ioannem ad formationem à Domino, qui adhuc cùm formaretur, perrexit in matre ad Elizabetham; ei perspicuum erit, qui tenuerit Ioannem esse vocem, Iesum verò Sermonem: magna enim vox fit in Elisabeth repleta Spiritu sancto ob Mariæ salutationem.*

17. Vis hunc vocis & verbi nexum subtili vestigatione cognoscere? Sic ad Mariam Elisabeth: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Ex quo Matrem Dei noscis, quam prospectas virgine? Quo lumine ad inopinos raperis sensus? Quale signum Matrem prodidit, quam nuper Angelus reliquit? A te primùm Matrem audit, vnde nosti? Virgo est, quomodo vuluam odoratis fœcundã? Luc. 1. *Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo:* quasi dicat: Ideò agnoui Dei matrem, quia ad vocem exiliuit in vtero meo meus infans. Mira ratio, & quæ merito Theologum prouocet! Quod in vtero exultet infans, signum est in altero vtero, qui ex aduerso est, inesse Deum? Quia ad vocem fœminæ concitatur fœtus, præsagit Mater esse Dei, quæ loquuta? Præsagit equidem. Præclara Ioannis laus, qua sublimior nulla est. Hæc est natura conceptus; quem intellectus gignit, vox externa baiulat, & auri præsentat. Quamuis sensilis vox ad auris facultatem pertineat, & in auditus organo subsideat; tamen conceptus ipse, quem significat, tendit ad potentiam similem eius, à qua ortus est. Ortus est ab intellectu loquentis; ad intellectum audientis pergit, ibique subsidere gestit, non in aure, quæ, vtpote corporea, rationem, cogitationemque nescit; tinnientem recipit fragorem vocemque cum sonitu verberante præsentit. Id noueris in magistro, qui scientiam discipulis instillat, conceptusque, quos in intellectu efformat, in audientium intellectibus, transcribere satagit. Ergo quo verbum, seu conceptus mentis in voce circumuolutus manere pergit, locus similis est eius, à quo egreditur. Iam scies, quò pergam. Loquitur Maria, audit Elisabeth vocem; sed conceptum vocis priùs sentit in vtero infans: ergo conceptus ille ab vtero loquentis egressus est; siquidem sinus, ad quem peruenit, vterus est audientis, Cognouit ergo Elisabeth, quòd conceptus vocis, quam Maria protulit, ab eius vtero venit. Sed Verbum, seu conceptus in vtero fœmineo satus solùm potest esse Deus. Merito igitur Matrem Dei cognouit, scitè inferens in vtero Virgineo Deum, quia in suo vtero vocem loquentis præsensit infans. Ibid. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Quare Elisabeth edocta est, ibi adstare Matrem Dei ex Ioannis exultatione? Nam puer, in quo conceptus ille vocis subsedit, Domini sensisset aduentum. Potest huic fauere cogitatui non inuitus Guerricus serm. 1. de natiuit. Guerr. Bapt. *Vox Mariæ dum auribus Elisabeth intonat, ad cor Ioannis penetrat: qui abstrusus intra materna latebat viscera, & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeò vt etiam de plenitudine filij copiosè videatur in matrem refundi. Verè gratia plena Maria; manifestè Deus totius gratiæ in ea erat: de cuius munificentia tam copiosè, tam magnificè principaliter in matrem, de matre in Ioannem, de Ioanne in parentes, gratiæ largitas profluebat.* Meditare gradus. Quàm sinuosa semita! Quàm flexuosus gressus! A Mariæ vtero itur in linguam, solutaque vox vibratur in Ioannem in aduerso vtero delitentem: & tandem gratiæ fons ascendit in parentes eo impetu, vt ferretur in altum: quoniam in alto, nempe in Maria, ducebat originem. Ea fontium industria est: si fortè vitreo latici in sublimi rupe contigit originis vterus, etsi per scopulos lapsus & fractus in imis vallibus serpat; facilè artis documento addiscit in primam altitudinem eleuari, promptàque scaturigine salire, sursumque emitti, & subrigi per aërem grato spectaculo. Quo proculdubio respexit Guerricus, si- Idem. quidem post data verba subdit: *Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ & gratiæ oriebatur de medio paradisi ad irriganda ligna paradisi.*

18. Ambr. Hanc ex vtero in vterum consonantiam conceptus & vocis nullus clariùs Ambrosio explicuit trito loco: *Vocem priùs mater audiuit; sed gratiam priùs sensit ille: illa naturæ ordine audiuit; iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum: istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu paruulorum.* Ecce vtrique matri vterus dedit loqui, Mariæ Verbum Deus, Elisabethæ Vox Ioannes: it ab vtero in vterum conceptus; & quia ab vtero exiuit, sistit in vtero, sicut inter intellectum loquentis & audientis euenit. Egregia sanè, & supra miraculum Ioannis laus: etsi in tam difficta, ineptaque regione, vocem efformatam à conceptu Dei per promptam sympathiam audit & responsat. Ergonè Ioannes loquutus est? Certè siluit ore proprio, sed exiliuit, vt vox, quam efformatura erat mater, ipsius esset: quoniam vox, quam laxauerat Maria, ab vtero ad linguam ascẽderat. Audisti, quòd cùm igne diuino desuper incalescere Propheta paratur, vt verbum Domini agitata lingua pronuntiet, priùs aliqua impressione concutitur, intraneoque motu feritur. Cur crebris saltibus repentè in ergastulo ventris Ioannes cietur? Quoniam per os matris prophetare gestiebat: & quia proles in vtero pars matris est, ex matre & Ioanne quasi vnus conflaretur Propheta, ille agitatur diuinam patiens sacræ vertiginis inquietudinem, illa loquitur. Planè rem totam dedit Theophylactus in cap. 1. Luc. *Vox* Theoph. *itaque Virginis vox erat incarnati in illa Dei, & idcircò etiam præcursorem in vtero gratia prosequutus est, & Prophetam fecit. Quæcumque enim dixit Elisabeth propheticè ad Mariam, non verba fuerunt Elisabeth, sed infantis: os autem Elisabeth tantùm ministrauit, sicut & os Mariæ ministrauit Filio Dei, qui in vtero eius erat. Nisi enim puer exultasset, non prophetasset illa. Itaque sicut dicunt, Prophetas primum mente excedere, & diuinam quid pati, ac tum denique prophetizare: ita & Ioannes fortè priùs saltauit, vt diuinum quiddam patiens, postea per os Matris prophetaret.* Quid venustius?

18. Quod Elisabethæ verba in exultationis impetu spiritus à Ioanne prosiliens inspirauit, ipsa, si attendas, verba testantur: *Vnde hoc mihi, vt veniat* Luc. 1. *Mater Domini mei ad me? Domini mei*, id est, *Dei mei*, stylo Hebraico. Qualisnè *Domini*? nam *Dixit* Ps. 109. 1. *Dominus Domino meo: Sede à dextris meis?* Obseruaui non semel inter diuinas personas Verbum Dei *Deum nostrum* seu *Deum meum* specialiter appellari, vt ex præfato Dauidis loco liquet, & ex Ps. 66. Psal. 66. & ex illo Thomæ: *Dominus meus & Deus* Ioan. 20. 28. *meus.* Ergo sensit Filiũ Dei esse, qui in vtero Virginis insitus aderat, carnemque sumpsisse præsciuit, ea mirabili contextura verborum: *Benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Fructum ventris nuncupans, naturalia materni vteri officia in humano corpore pangendo fassus est: Deum meum dicens, Verbum

Verbum Dei explicuit. Sapienter Caietan.in c.1. Luc. *Cognouit etiam, cuius esset mater. Didicit à Spiritu sancto, quod erat Mater Dei, & hominis: propter naturam eius humanam dixit: Fructus ventris tui; propter diuinam: Domini mei.* Quis nisi Ioannes, Verbi Vox, Verbi concepti in vtero Virgineo percalleret naturas? Cur *Fructus ventris* inquit? Cur *Mater Domini mei?* O virgineè! Quàm pudica, quàm florens prima vox Ioannis! Olebat lilium, spirabat fragrantiam, quæ à voce Virginis vaporauit. Si effectus est vox à voce virginis salutantis; quid quòd in prima eius voce supra pigmentarij aromata, castitatis odoramenta fragrarent? Quid igitur puritatis hæc Elisabethæ vox emisit? Quòd Maria virgineè concepisset, & Verbum Dei, quod non nisi virginitatis est soboles. Cur *fructum ventris* appellauit, & *benedictum* dixit? Vt totum fructum solius ventris, non serentis viri esse indicaret; & verbi boni, quod Pater absque coniuge dicens generat, absque homine patre genitricem esse monstraret. En argumentum, quod hæc verba in organo materno spiritus Ioannis posuisset. Andreas Cretens. oratione de amput. cap. Bapt. parum ante finem: *Hic est, qui priùs exultauit, & priusquam prodiret in lucem agnouit suum Dominum in vtero. Hic instrumento vtens linguæ suæ matris fœtum sine patre, cùm adhuc in vtero gestaretur, priùs est allocutus: Vnde hoc mihi, dicens, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Si solùm infans in vtero exultauisse profertur, cur absq; vlla cantione, materni oris verba Cretensis adscribit infanti? Quoniam quæ sic totum Incarnationis Sacramentū in breui dictione congessit, & explicuit Verbique & Virginis genitricis tam exculto compendio virgineam naturam declarauit; non nisi à voce verbi instrui potuisse dignoscitur, & ex intimis visceribus profunda verba profundere, quæ eò aptiora erat; quòd Incarnationem intimè in visceribus virginis peractam consona affinitate monstrabant. Adstipulatur Bernardin. Senens. tom. 3. sermone 6. articul. 1. capit. 3. *In tertio Virginis verbo, quo salutauit Elisabeth, statim talis impressio subsequuta est, quod Ioannem in vtero matris sanctificauit, & in Christum præ gaudio exultare fecit; atque matrem in tantum Spiritu sancto repleuit, vt intimè sentiret conceptum, & Incarnationem Filij Dei paulò ante factam, ita vt exultans diceret Matri Christi: Benedictus fructus ventris tui.* Quidni sentiret intimè Elisabeth conceptum & Incarnationem Filij Dei, si à concepto in intimis naturæ recessibus filio didicit Sacramentum?

Caiet. · Andr. Cret. · Senens.

19. Nimis effusa licentia vocem infanti intra maternam clausulam mutescenti tribuere videbimur cùm imò Chrysostomus exultationem Ioannis cum Zachariæ silentio cōparans sic ludat hom. 2. in Luc. quæ est apud Metaphr. *Zacharias silet, & Ioannes exilit.* Verum est, non corporeum gutturis organum, linguamque ad loquelam temperauisse puellum. Solùm motibus insultauit, vt mater in verba prodiret: sed illud vocalior est Ioannis laus. Cui vox accidens est, eget volubili lingua, aëris verbere, oris impulsu, vt articulum vocis efformet. Qui, cùm de substantia interrogatur, genere & munere, se vocem esse clamantis enuntiat, quidquid est, vox est: adhuc tenella membra, cùm mouentur, sonant; cùm exultant, loquuntur: omnis eius portio absque flexibilis linguæ agitatione, cùm impellitur, loquitur; vociferatur, cùm fertur; dicit, cùm exilit: substātia

Chrysost. · Ioan. 1. 23.

transiuit in vocem, quæ conceptum baiulat; nec vni loquitur, cùm mouetur, sed omnibus. Ergo exultauisse in vtero, dixisse fuit; nec intermitteret saltus, nisi Elisabeth gesticulationem illā, loquente lingua, sedaret: id enim vellicātibus, citantibusque saltibus interpellabat, quod mater verba illa loqueretur, quæ Verbi Dei aduenientis in carne mysterium resonarent. Peracutè Antipater dicta oratione de S. Ioan. Bapt. col. vlt. *Eam salutauit, infans autem intus respondit. Infanti enim auditio extitit auditio matris. Et quoniam Ioannes, qui intra naturæ fines coërcebatur, loqui non poterat, saliens dicebat cum propria matre loquens per exultationes; Matri autem Seruatoris respondens per linguam maternam. Cum autem Elisabeth non ferret saltus filij; Spiritu sancto repleta exclamauit dicens Virgini: Benedictus fructus ventris tui.* En Ioannes vtrique loquitur matri, non contentus ab vna audiri. Vox est: concitatis membris articulatū sonitum emittit ad aures. Non te acuit illud: *Cùm autem Elisabeth non ferret saltus filij.* Quasi ariete viscera contunderet infans, matrem prouocans ad vocem, & ab vtero ad collum feruidos impulsus eiaculans, vt illa loqueretur pro illo, & vocem, quam in vtero gestabat, eniteretur per linguam, vt quam conceperat Ioannes de verbo Dei abundantiam, ore matris aperto aliquantulum vaporaret.

Antip.

Nonnè obstupuisti ad subitum veteranæ fœminæ ex soluta voce fragorem? *Et exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, &c.* Qualis hic clamor, quem frigida senecta, rugisque attrita, contusisque spirituū meatibus annosa mulier emittit? An quia Spiritu sancto repleta est, factus est repente de vtero sonus tanquam spiritus vehementis ascendentis ad linguam? Profectò sic clamor iste insolitus percussit Caietanum, vt admoneat expendens illa verba: *Et exclamauit voce magna. Intellige tamen, modestia seruata, quoniam Spiritus sanctus nullius immoderationis causa est.* Verùm quid mouetis? Vox clamantis erat; qui sic linguam animosis insultibus impulit matris: magnus erat, quo maior non surrexit: quid quod voce magna clamaret sic ab vteri pignore concitata? Beda homilia in Luc. *Exclamauit voce magna. Rectè voce magna, quia Dei dona cognouit: rectè voce magna, quia illum, quem vbique præsentem nouerat, etiam corporaliter adesse sentiebat. Magna etenim voce, non tam clamosa, quàm deuota intelligendum est. Neque enim modicæ vocis deuotione Dominum laudare valebat; quæ Spiritu sancto plena flagrabat: quæ & illum in vtero gestabat, quo in natis mulierum maior nemo est; & eum aduenisse gaudebat, qui conceptus ex carne Matris Virginis Filius Altissimi vocaretur, & esset.* Cogito, vocis clamorem maiori sonitu inclaruisse, quoniam originem à salutantis Virginis voce trahebat; quæ senilis vteri abrupta, cauaque percutiens, quasi responsantem collem resona solutione vocis obtinuit. Si verbi Dei ex vtero per Mariæ linguam sonantis Echo fuit, quid quod vocis clamor reuerberante Elisabethæ vtero per eius linguam resonaret? Id Gerson efficaciæ vocis Virginis tribuit. tractatu 2. super Magnif. colloc. 4. *Intrasti domum Zachariæ, & salutasti Elisabeth cum tanta vocis efficacia, quod repleta mox Spiritu sancto exclamauit voce magna, quia affectu magno: Benedicta tu in mulieribus, &c.*

20. · Luc. 1. · Caiet. · Matt. 11. 11. · Beda. · Gerson.

Nec pigebit hunc Ioannis titulum: *Vox clamantis in deserto*, conniuente analogia, aliqualiter 21. · Matth. 3. 3.

ad sterilis, effœtæque Elisabeth vterum deflectere. Quid est, quòd se in deserto vocem clamantis ex antiquo vaticinio nuncupet Ioannes, si statim addit: *Parate viam Domini: rectas facite semitas eius?* In deserto, horridaque eremo nulla semita est, non pedibus arata, via non plantis signata vestigia. Via & semita crebris pedum conculcationibus fit: vox linguæ ministerio formatur. Qualis voci cum pedibus conuentio? Qui intra desertam senilis matris vuluam, nullo ante cæspite comitatam, nullius prolis habitatam frequentiâ, nec vsu elaboratam coloni, semestris fœtus agebat, inopinisque motibus, exultantibusque tripudiis præsentiam aduentantis Verbi Dei in carne clamauit; cur non *Vox clamantis in deserto* dicetur, id est, in sterili vtero quem frigidum clima olim asperauerat, gelidæque qualitatis pruina decoxerat: in quo singulariter viam & semitam infans ille fecisse non illepidè dici valebit, qui saltibus inopinis, insolitisque gressibus aridam illam terram calcabat. Vox ergo in deserto fuit, quoniam intra viscera matris miris modis Sacramentum verbi hominis intonuit.

Clem. Alex. Clemens Alexandrin. admonit. ad gent. col. 8. *Rectas facite vias Domini. Præcursor Ioannes & Vox Verbum præcurrit: Vox adhortatoria præparans ad salutem: Vox adhortans ad hæreditatem cælorum, per quam sterilis & deserta non est infœcunda ampliùs. Hanc mihi fœtus conceptionem prædixit vox Angeli: illa quoque vox præcurrebat Dominum, sterilem annuntians mulierem, vt Ioannes desertam. Per hanc ergo Verbi vocem sterilis multos habet filios, & deserta fert fructum.* Non

Antip. dissimili sensu desertum huius vocis voluit Antipater fuisse matricem Elisabeth: sic in orat. de S. Ioann. prope finem, *Postquàm verò ex deserta matrice processit ciuis deserti, pater petitis pugillaribus ea gratè scripsit, quæ non credens audierat: & cùm filio reddidisset appellationem, vocem recepit.*

22\. Vt hæc consonantia, & sympathia inter virgineum vterum & sterilem, inter Christum & Ioannem, Verbum & Vocem mordicùs insideat, non omittenda est, licèt ex communi officina, geminæ lyræ comparatio. Dicunt è duabus citharis, vnâ & alterâ chordâ æquali metro temperata, alterâ ex pulsu sonante, alteram absque impulsu digiti tremiscere subitò, & assonare harmonico concentu: quasi hæc inter neruos pactio fit, vt qui alter ab altero in musica temperie non discrepat, crepet altero crepitante. Idipsum de hoc sacro

B. Thom. à Vill. puerorum concentu, quia venustè descripsit B. Thomas Archiepiscopus Valentinus, non omittendum duximus. Sic ille sermon. de visit. *Prophetant matres spiritu paruulorum, & intus distantibus pueris, sono resonant præsagientes ameno. Solet hoc naturali quodam prodigio in consonantibus citharis euenire, vt vnius chordâ pulsatâ, alterius, quæ eodem puncto concinis est chorda, & nulla alia contremiscat. Cuius causam, cùm sæpissime perquirerem, inuenire non potui. Quis enim non miretur, quòd sola consonantia motum faciat? Quid enim agit concentus ad motum? Ita omninò contigit in proposito. Concines erant citharædorum cælestium lyræ: vna Verbum, altera vocem gestat. Et quid Verbo consonantius sua voce? Personat vna, contremiscit altera. Vt facta est (inquit) vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Quidni exultaret, quidni contremisceret lyra, etsi non pari puncto, simili tamen temperata concentu.* Quid est: *Etsi non pari puncto, simili tamen temperata concentu.* En vterque puer ad alterutrius similitudinem temperatus? Id sequens sectio demonstrabit.

Vocis cum *Verbo*, Ioannis cum Christo arctæ similitudinis, excellentia.

Sectio III.

Habemus ex præiactis ex Maria salutante *Vocis* traxisse vocabulum inter matris volumina festiuum, festinumque Ioannem. Series tractationis expostulat, vt similitudinem huius Vocis cum Verbo conditis coloribus depingamus, quam quidem grandem esse, pondus amoris, qui ad similitudinis incrementum augescit, non difficulter euincit. Quòd si naturalis est amor, non ab arbitrio, sed ab ingenita supra libertatis placidam gratitudinem violentia, vinidior similitudo spirat. Naturale autem pondus, quo innatus deprehenditur appetitus, in prima ostenditur actione. Ignis in altum, flammâ stipante, sustollitur; altitudinis illice effertur, ardoris virgulâ ascendit, sursum euocat desiderium. Vix Verbum caro factum, cùm celer assurgit Mater, scandit montana, Ioannem quærit nuper satus in vtero Deus. Fuitnè electio virginis, cupidovè recenter grauidæ? Fuitnè prolis nouæ impulsus? Ast pueruli citò fastidiunt, quòd cupiebant. Innata fuit verbi Dei propensio ad Ioannē. Præconem suum quærit, vocem desiderat, Ioannem ambit: innatam inclinationem inter hos sacros pueros ex perseuerantia dignosces in viris. Iesus excrescit, adhuc totus vergit ad Ioannem: parat euulgari, totus pellicitur in vocem: Baptistam petit, accedit ad Iordanem: inclinatio hæc non extera, sed ingenita apparet. Pondus est Ioannes? illuc fertur, quocumque fertur. Petrus Damianus: *Verbum caro factum, & in perfectum egrediens virum, relictâ hominum vniuersitate, Ioannem quærit, Ioannem desiderat, ad Ioannem vadit.* Vide festinum, vide serium impulsum. Dum caro factum est, dum vir, Ioanni annectitur Verbum Dei 23. Dam.

24\. Vnde tantus ardor calcaria mouet, tantus amor nectit vtrumque? Audisti non semel in Philosophia fœtum similem exoriri rei, quam in generationis æstu mater cogitabat. Sic Iacobeæ oues decorticatis virgulis, in aquarum pellucido speculo repercussis similes euaserunt, & variegata vellera pastoris causam ditauerunt. Tempore, quo Verbum Dei in vtero Virginis erat concipiendum, Angelus Ioannem Virgini repræsentat. *Elisabeth cognata tua, ipsa concepit Filium in senectute sua.* Species Ioannis in mente Virginis perertabat, in ventre peragebatur infans. O quanta contigit similitudo vtriusque fœtus! Idem Angeli ingenium videas, cùm concipiendus Ioannes enuntiatur: Verbum Dei Zachariæ in carne venturum ostendit, vt illâ effigie in mente excusâ filium Verbo similem gignat. Sic Angelus ad Zachariam: *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum ipsorum, & ipse præcedet ante illum.* Alternatur in vtroque conceptu alterutra Gen. 30. 38. Luc. 1. Ibid.

rutra repræsentatio, vt amussim excudatur similitudo, quæ amorem parit, amantium fibula est: arctat vtrumque amica societas, Christum, & Ioannem, Verbum & vocem. Quid est, quod dicat Angelus: *Et ipse precedet ante illum?* Ante quemnè? nondum enim dixerat aliquid de venturo Messia. Sensit Caietanus: *Ecce officium Præcursoris: Ante illum. Non dicit ante Messiam sed ante illum: vt intelligamus Angelum respondere Zacharia, qui preces fuderat pro aduentu Messiæ, ante illum, pro cuius aduentu precatus est.* Nimium sic torquentur verba imò *ante illum* dixit, quia præcesserat: *Et multos filiorum conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Qualis fuit Deus? Pluries docuimus intelligi Verbum Dei, quod *Deus noster* nuncupatur. Baruch.3. *Hic est Deus noster, & non est alius absque eo, qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo.* Insurgit Chrysologus serm.88. *Attentus esto auditor, vt scias, quis est hic Deus noster, absque quo alius non est. Quis est? Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quis est alius visus in terra, nisi Christus, qui nostra est conuersatus in carne?* Igitur non amplior explicatus opus fuit Angelo, vt panderetur in generandi Ioannis promissione, verbi Dei vicinum aduentum promptâ consequutione sponderi, sat fuit dixisse: *Et ipse precedet ante illum*, ex vocis & Verbi nexu. Chrysologus suprà: *Et ipse precedet ante illum. Ante quem? Ante Christum, qui est Deus ipsorum, Deus noster, Deus omnium, Deus absque quo alius non est.*

Gaiet. · Baruch.3. · Chrysol. · Idem.

25. Iam inde Gabriel librare videtur verba, meditarique qualia post breue tempus in nuntio ad Virginem erat prolaturus, vt ex specierum similitudine similitudo conceptuum probaretur: *Ipse precedet*, inquit, *ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Miraberis, si adeas Chrysostomum in homil. de S.Ioann.Baptist. quæ est apud Metaphrast. quale præstet commentum. *Ante quem precedet? Ante Dominum Christum. Cur ergo in spiritu & virtute Eliæ dixit Gabriel precedere Ioannem? Audi prudenter. Elias Deus exponitur. Quoniam ergo Ioannes Deum habebat in seipso, impletus est Spiritu sancto ab vtero matris; Spiritus autem Deus est: ea de causa in spiritu, & virtute Eliæ Ioannes precedit Dominum.* Annè ex contrario sensu possumus dicere de Chrysostomo, quod aliàs dixit Hieronymus ad illa verba Matth.27. *Cæteri verò dicebant: Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum*, postquam Iesus clamauit: *Eli, Eli, hoc est, Deus meus, Deus meus*, sic inquit: *Non omnes, sed quidam, quos arbitror milites fuisse Romanos non intelligentes Hebraici sermonis proprietatem: sed ex eo quod dixit Eli Eli, putant Eliam ab eo vocatum.* Sic Chrysostomus pro Elia Deum intelligit. Verùm Chrysostomus Ioannem nulli nisi Domino cupiens similem affirmari (quippe quo inter natos mulierum non surrexit maior) non abutitur Hebraici sermonis charactere, sed fruitus, nactusque ex comparibus syllabis occasionem, sibi in æquiuoco vocabulo blanditur, *Eli*, id est, *Deum* intelligens pro Elia: vt illum in virtute & spiritu Dei venire compareat, quem in vtero matris Spiritus sancti plenitudo inundauit, & manus Domini, id est, virtus erat cum illo. Ergo, si attendas, non dissimilia, Gabriel annuntiat ad Virginem. Si Ioannes ex existimatione Chrysostomi præcedere spondetur ante illum in virtute & spiritu Dei; ecce spiritus & virtus Dei Virgini concipienti promittitur, vt ex concurrente ad conceptum Deitate, Filius Dei virgineus fœtus euadat: *Spiritus sanctus*, inquit, *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Excellentia in Filio Virginis, quia Deus: sed licèt declinis, & humilis; similitudo tamen in Ioanne, qualem verbi cum sua voce natura permittit.

Chrysost. · Hieron. · Matth.27. · Matt.11.11. · Luc.1.66. · Ibi.1.35.

26. Vox enim non vtcumque sonus est, aëris ministerio strepens, non tinnientis auræ susurrus; non fatiscentis nubis fragor, non strepitus pedum, non fremitus maris; sed articulata quædam soluta per linguam expressio, ita secum mentis verbum portans, vt verbum vocale dicatur. Quare Heracleon discrimen assignabat inter Ioannem & cæteros Prophetas, quale est inter vocem & sonum. Reprehendit Origenes: quoniam Prophetica vox supra sonum significat, & verbum conceptum immittit. Audi in c.1. Ioan. *Contumeliosus autem Heracleon de Ioanne, & Prophetis disserens loquitur. Ait enim Seruatorem quidem esse Verbum, vocem autem, quæ est in solitudine, eam, quæ per Ioannem intelligatur: sonum verò omnem Prophetarum ordinem, ac seriem. Cui respondendum est, quemadmodum si incertum, & obscurum sonum tuba edat, non se ad prælium comparant: & qui detractâ charitate habet mysteriorum scientiam aut prophetiam, is æs resonans, vel cymbalum tinniens factus est: sic si nihil aliud est, quàm sonus, Prophetica vox, cur nos remittens ad eam, Seruator ait: Scrutamini Scripturas*; &c. In voce itaque, & sonus est, qui ferit aures, qui reboat per auras; sed & significatio est, quia secum intellectualis verbi fert explicatum. In quo sensu iam vsus obtinet, quod significatiua vox verbum dicatur: si autem nihil significet, nihil differt à sonitu, licèt latè vox nominetur. Hinc capies, quid sibi voluerit incertus ille auctor, qui circumfertur sub nomine Eusebij Emiss. in cap.1. Ioan. ad illa verba: *Ego vox clamantis in deserto. Vox Ioannes, Verbum Christus. Sicut enim Ioannes precedit Christum, ita & vox precedit verbum. Statim enim vt ore loquentis sonus qualiscumque procedit, vox est, verbum autem nondum est, quia omne verbum significat aliquid. Precedit igitur vox, sequitur verbum. Merito igitur Vox Ioannes, & Verbum Christus vocatur: quoniam & nascendo, & prædicando, & moriendo, & ipsâ sui nominis significatione Christum precessit.* Ergo Ioannes non tinniens tantùm cymbalum est, non æs sonans, sed articulatè significans vox: vt meritò vocale verbum sapiat, quod, vt prosequitur Auctor ille, sonituum omne genus perstrepente quondam præsignabat tumultu, qui non vocem, sed tinnitum, inanimemque sonum emittebant. Ioannem murmure resono recitabant aurea tintinnabula ad Pontificalis vestis limbum assuta, & omnia genera musicorum, atque tubarum, vt à nudo sono ad vocale verbum, quod Verbum Dei præcederet, & nuntiaret, gradus fieret.

Orig. · Euf. Emiss. · 1.Cor.13.

27. Si parumper à literæ rigore dequiescas, non iniucunda te meditatio delectet. Vt aliquali exemplo Verbum Dei in Virginis vtero corporandum Gabriel confirmet, Elisabeth sterilis iam fertilem vuluam, Ioannemque in vtero semestrem esse pronuntiat, & illicò subtexit: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quot sunt verba Gabriel? Semel loquutus est Deus. Verbum vnum est, quod à Virgine gignendum enuntias, benè. Sed medium interiecerat Ioanem, qui

Luc.1.

qui vox est, seu vocale verbum, tam difficilis ortui ex excellentiæ prodigio, vt necessum sit, quòd omnipotentiæ adscribatur. Ergo post Christi & Ioannis explicatam conceptionem, opportunè subiecit: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quasi duplex Verbum hoc, alterum propriè Verbum, quia conceptus Altissimi; alterum quasi verbum, quia Vox illius Verbi est, apud Deum non erit impossibile, vt gignatur. Crede Virgo, Verbum gignes; iam sterilis genuit Vocem. Si faueat Andreas Cretens. de laud.
Andr. Cret. Beatæ Mariæ. *Quò verò manifestius, certiùsque ei Sermonis huius vim declararet, Elisabetha quoque conceptionem introduxit, ac si dicat: Quoniam qui matricem præter omnem spem prolificam in senectute reddere potest, nimirum Virginem quoque grauidam præter rationem exhibebit palàm: vnde infert: Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et ne aliqua deficiat huius cogitatus occasio, eadem verba Gabriel, dum à dextris altaris incensi Zachariæ Ioannem spondet, apud
Chrysost. Chrysostomum dixit: *Ne timeas Zacharia, nec conturberis cogitationibus, sum enim Angelus lucis.* Et post aliqua, quæ interserit, concludit: *Non est impossibile apud Deum omne Verbum.* Visa est Chrysostomo nimium apta dictio illa *Omne verbum* in vtraque legatione; ideò eam traduxit ad promissionem Ioannis nascituri: quoniam ea fuit industria Gabrielis, vt alterno nuntio vtrumque conceptum copularet? Christum, cùm Ioannis nuntiabat ortum; Ioannem, cùm Christum nasciturum spondebat. Amant coniungi Verbum & Vox.

28. Nonnè Filius Dei natura Verbum est, non arbitrio, non artificis ingenij volubili electione formatum; sed innatum proprietate naturæ: & ideò quidquid est, Verbum est? Ioannes Vox est Verbi, quod est secundùm naturam: ergo non pro libito impulsu linguæ, non pro aëris verbere, euanidoque sonitu Vox est; sed quasi natura Vocis in Ioannis transiuit naturam. Andreas Cre-
Andr. tens. oratione de amputat. capit. Ioannes Baptist. *Verbi, quod fuit ante sæcula, Vocem laudare aggrediens, illud propemodum amplectitur silentium, quod Zacharias sustinuit, donec ipsa nostrum præueniens sermonem soluit & silentium, vt quæ verè sit Vox Verbi, quod est secundum naturam.* Ea emphasis est: Vox Verbi, quod est secundum naturam, propemodùm secundùm naturam debet esse, non tremulo fluxu, lubrica, non illicò in vento occidua, non contingentis labri percussione sonans, sed stabilis, naturalisque, vt solùm Vox sit; & tamen in rationali natura subsistat.
Origen. Origenes in capit. 1. Ioannis ad illa verba: *Ego vox clamantis in deserto, Quemadmodum is, qui propriè Dei est Filius, quoniam non aliud est, quam Verbum, verbo vtitur; sic Ioannes Verbi illius minister, quoniam non differt à voce, quæ verbum declarat, ea vtitur.* Nihil potuit dici significantius, & pugnantius pro Ioanne. Rigorem tempera, molliter tantùm hac similitudine fruere. Ergonè nihil differt à voce non quacumque, sed quæ verbum declarat, sicut Dei Filius non aliud est, quàm Verbum? Certè Ioannes homo est, naturâ constat præter vocis officium: adeò tamen diuinæ prouidentiæ instituto in ministerium vocis, Verbi diuini baiulæ venit, vt nihil videatur à voce differre, humanamque naturam in vocis organum conuertisse. Quare, quis sit, interrogatus, non respondet ex quo genere, quaue substantia, nec munus explicat, dicens: Ego prædico, seu clamo; sed inquit: Ego sum; vt saltem aliquam essentiam habere signaret; sed *Ego Vox clamantis in deserto.* Nullus pleniùs & planiùs explicuit, quàm Glos. in cap. 1. Ioann. *Non* Glos.
dixit: Ego sum homo, vel Ioannes, vel filius Zachariæ. Non considerat humanam subsistentiam, vel generationem; sed vltra hæc omnia exaltatus præcursor Verbi deserit omnia, quæ intra mundum continentur. Ascendit in altum factus Vox Verbi. Nullam in se substantiam fatetur præter abundantiam gratiæ; quæ excedit omnem creaturam, vt sit vox Verbi. Vox est interpres animi: animus autem, id est, intellectus omnium est Filius Dei. Quid grandius?

Facilè credes, si vestiges, quid de Ioanne sacra 29.
monimenta testentur. Cur de eius infantia nulla memoratio est, sed post exultationem in vtero, quæ nona loquutio fuit, tacita apud Euangelistam transeunt lustra, annisq; vertentibus factum est Verbum Domini super Ioannem, & statim, Vox clamantis in deserto? Si infans est, qui non fatur, quæ infantia Ioannis calamum detineret, qui Vox Verbi est, nesciteque referri, quin vocis, verbique resono tumultu geminentur dictiones? Obuius est Ambrosij locus: *Et ideò in Euange-* Ambr.
lio nihil super eo legimus, nisi ortum eius, & oraculum, exultationem in vtero, vocem in deserto. Neque enim vllam infantiæ sensit ætatem, qui supra naturam, supra ætatem in vtero situs matris à mensura perfectæ cœpit ætatis claritudinis Christi. Tam grandi voce opus fuit, quæ inciperet ab ætatis perfectæ mensura, vt ex spatiosa capacitate sola hæc vox grande Dei Verbum continere potuisset, & testimonium perhiberet de lumine. Id sapienter obseruauit Origenes suprà: *Quoniam* Origen.
Ioannes venit testimonij causa, homo missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine: hoc intelligendum est, Ioannem vocem esse solam, quæ pro dignitate verbum, quod nuntiatur, capere possit. Quàm fixa, & non fluxa Vox, non pendula ab aure, non refuga; sed vt possit continere Verbum, iugiter stat, non labat: *Ego vox clamantis in deserto*, inquit. Cur non vox clamans? Mira in hac phrasi studiositas fuit. Quoniam vox sonitum suâmet agitatione labentem significat, & quantumuis excrescat, clamor esse potest, clamans esse non potest, id est, persona subsistens, quæ in clamando persistat; se vocem clamantis esse pronuntiat, vt quasi vocem subsistentem veluti subsistentis Verbi se promat. Ne discedas ab Origene. *Is igitur, qui prophetiam ab Esaia de se dictam esse intelligeret, ait se vocem esse non clamantem in deserto, sed clamantis in deserto, stantis, & vociferantis.*

Nec prætereundum est, vt nexum hunc Verbi 30.
& Vocis, Christi & Ioannis ob similitudinis ex- Luc. 3. 2.
cellentiam penitiùs percalleas, quali stylo ordiatur Euangelista: *Factum est verbum Domini su-* Ioan. 1.
per Ioannem Zachariæ filium in deserto. Nonnè eisdem fermè verbis Incarnatio decantatur: *Verbum caro factum est?* Quale verbum factum super Ioannem? Annè id ipsum, quod factum in Maria caro? Sanè sic Rupertus fatur lib. 2. de glor. Rupert.
Fil. homil. in capit. 2. Matth. *Quod aliud verbum Domini factum fuerat, vt Lucas meminit, super Ioannem Zachariæ filium in deserto, nisi ipsum, quod caro factum fuerat ex Maria Virginis vtero?* Ergonè iterum factum super Ioannem, quod nisi in carne fieri non valuit? Absit. Quid ergo dicis his terminis inopinis? Quod Verbum in Maria

factum

factum caro, vt quod factum fuerat, ostenderetur, super Ioannis deuenit officium; iamque prompta elucidatione ostensum fuit, velut si super Ioannem fuisset effectum. Pergit Rupertus: Idem. *Ergonè Verbum, quod factum fuerat super eum, vt veniret, & assumptum hominem, siue carnem, quam assumpserat, manifestaret ille in Israel, non ostenderet illi citò, quem quærebat, & propter quem, vt manifestaretur, obediens Verbo aduenerat?* Vt quid autem ad manifestationem hanc singulariter super Ioannem verbum Domini fieri dicitur? Attende. Ex tribus Deitatis personis, Filius, qui & Verbum Dei est, carnem assumere tentat, hominem induere aggreditur. Ardens vis amoris, quod Vnigenitus, qui in molli sinu Patris recubabat, limo humili circumdetur! Non Pater, non Spiritus sanctus homo fit. Bernardus rationem dedit. Nempe quia peculiariter aduersus personam Filij Angelus & homo deliquerat, dum vterque Altissimi similitudinem, scientiamque Filij Dei, quæ generationi arrogatur, superbienti fastu expetierat. Grandis pietas! Homo fit, vt reparet ipsa persona, quæ iniuriæ, quæ æmulationis impetum & arietum perpessa est. Audi Bernardum Bernard. serm.1. super Missus est. *Ecce occasione mei creaturas suas Pater amittit, Angelos perdidit multos, homines vniuersos: ergo vt sciant omnes, quòd ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodo per me amisisse videtur. Ecce venio.* Verbum ergo Dei peculiari pietatis sacramento homo fit. Ne amoris prodigium lateat, noscant homines non solùm Deum, sed Verbum Dei, aduersùs quod irrupit creatura, hominem, vt repararet, effectum. Vnde noscent? Discant ingenium. Verbum quod naturam assumens, caro in Virgine fit, fit non naturâ, sed virtute; non Incarnatione, sed expressione super Ioannem: nam Ioannes vox est; Vox conceptum, seu Verbum suopte more portat. O eximia præludia! Quàm iuxtà Verbi Dei Incarnatio præsignatur! Verbum Dei absconditum per vocis officium inclarescit: caro tegit, retegit vox: super Ioannem fit, vt quasi æmulâ concertatione celet humanitas, vox demonstret. Sic Haymo in cap.1. Ioan. explicuit Haym. illud *Vox clamantis in deserto. Cuius clamantis? Christi. Quia Christus loquebatur per os Ioannis, iuxta quod Lucas dicit: Factum est Verbum Domini super Ioannem filium Zachariæ: Verbum Dei, Patris filius est.* Compendiosè egit, & subtiliter. Non aliud Verbum, nisi Dei Patris, quod Filius eius est, super Ioannem factum intelligi contendit Haymo: vt manifestaret Christum Redemptorem personam esse Filij, Verbumque sapiens, in quo Angelus nequam, & homo præuaricator irrupit. August. Toti huic cogitaui patronus sit Augustinus sermone 20. de Sanctis: *Vox sonus est index cogitationis; verbum verò ipsa cogitatio. Sicut enim, quando verbum corde concipimus, necessaria est vox quasi quoddam vehiculum verbi; & quamlibet verbum ipsum per oris sonum ad alium transferamus; tamen illud integrum etiam intra nos, id est, clausum à loquente transfertur, vt tamen in sua sede teneatur: ita & omnipotens Pater innotescere nobis Sapientiam, & Verbum illud, quod in principio erat Deus apud Deum, sicut ipse testatur: Eructauit cor meum verbum bonum; beatum Ioannem quasi vocem, per quam ad nos verbum suum proferret, assumpsit.* Pondera stylum: *Beatum Ioannem, quasi vocem assumpsit*; & tamen cùm assumptio de Verbo profertur, scis, quòd ad Incarnationem attineat. Ne in luce Ioannis errans obscureris. Qui quasi Incarnationis pars est, stylo Incarnationis delectatur: cum tamen solum sit minister, & portitor, & assumi dicitur, & Verbum Dei fieri super illum, quoniam explicuit Vocis officio Verbum, quod in carne prius baiulauit Virgo portans à quo portabatur. Augustinus ipse sermon. 22. de Sanct. superà datus: Idem. *Vox erat, quia Verbi Dei spiritu replebatur. Sicut sermo, vocis quodammodò ministerio ac vehiculo ad audientem à loquente transmittitur: ita Ioannes Christum sonans, Verbi erat minister & portitor.*

31. Ex hac perfecta Verbi & Vocis coniugatione & similitudine prouenit, tum quòd opus sit aliqua tesserâ Ioannem consignari, ne putetur Christus; tum quòd primas ille, etiam coram sancta Trinitate, erga Christi manifestationis officium obtineat. Iordanis vndæ Christum tangere appetunt confluentes: intingitur Christus Ioannes baptizat, strepitu dehiscit cœlum, nubes elabitur, vox Patris insonat, *Hic est Filius meus dilectus.* Matt.3.17. Meditor cur in Thabore similis in nube lingua eloquuta, præter illa verba: *Hic est Filius meus* Ibi.17.5. *dilectus*, addit: *Ipsum audite*; in Iordane hæc verba subiicentur? Inter effusas turbas infidam Iudæorum plebem maiori suasione opus erat: in monte solum tres adstant, & fideles, & discipuli, & consanguinei, & Apostoli: non egent, vt audiant, delapso è nubibus imperio; eget ad ripas Iordanis incredula circumfusa gens. Cur amputata periodus in Christi magisterij dispendium? Latet hîc & Christi nobilitata gloria, & Ioannis eximius honos. Nubes solùm eloquuta est, non indigitauit personam, quam dilectum nuncupat Filium. Duo sunt in flumine, indifferens vox sonat, Ioannes sublimior adest in munere, in opinione, in aura populi; Christus adhuc obscuritatis non euaserat secreta, adhuc deiectus baptizantis sub manu. Vox illa nubis Ioannem præsignare timeri poterat. Ioannes Vox est: quasi Patris diuini proles nubis testimonio infidè censeretur. Ideò seriò non additur: *Ipsum audite*: nam quod auditur, vox est, facilè deluderetur mens, verba nubis ad Ioannem directa credens. Et ne pericliteretur fides, quem Dei prolem appellet, ignorans; blandè in Christi vertice subsidet columba, alarum plausu, rostri volubilitate ipsum esse, quem vox enuntiauerat, pronuntians; pennas induit Spiritus sanctus, & quasi chrismate baptizatum inungit. Sed iterum meditor, cur non in lingua descendit, vt Iesum Verbum Patris edoceat, sicut Apostolorum ora igneis linguis inflammauit? Singularis cura pro Ioannis gloria! Eadem impulit causa, quæ illa verba *Ipsum audite* Act.2.4. silere effecit. Ioannes Vox Verbi Dei est: ipsemet Spiritus quasi obmutescit: ne Ioanni præoccupet munus, non in lingua descendit vocis organo, sed in alite inter animâlia omnino vocis ignara, nempe in columba, organi ad vocis modulum impote, murmureque inarticulato contenta, quod inaperto rostro intus efformat. Chrysost. hom. 16. in Ioan. *Cùm alter baptizaret alter baptizaretur,* Chrysost. *ne quis de Ioanne id verbum dictum arbitraretur; venit Spiritus, qui huiuscemodi amouet dubitationem.* Sed quomodò amouet, nisi quia non solùm venit, sed in specie columbæ? Vt sic Christum Verbum & Filium Patris ostenderet, & Ioannem ipsius Filij Vocem: quia columba muta Ioannem de Filio Dei audiendum fore præsignauit.

Plura,

Pluta, quæ Verbi Dei insignia sunt benigno
descensu in Ioannem deuoluta considera. Quàm
velox generatio diuina in excelsis! Quàm festina
Altissimi proles! Nunquam absque Filio Deus.
Pater simul est persona, & genitor: æqualis vtrō-
que duratio metitur. Quid causæ? Quippe per in-
tellectum concipitur soboles, quæ Verbum est.
Otiñ sui, intellectualis natura non finir: Deus, dū
intelligit, gignit. Ast vt hoc Verbum caro fiat, &
appareat humo; quot sæcula effluunt? quàm æneo
pede tempora gradiuntur? Quoties io preces rū-
Esai 64.1. pebantur Patres! *Vtinam disrumperes cœlos, & de-*
Ibi 45 8. *scenderes:* & tamen riget cœlum; in tupemque du-
Deut.32.2. ratur. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum:* &
Ad Gal.44. tamensurdæ nubes obmutescunt, nec fluit vt ros
Luc.2 6. eloquium Dei. *Veni Domine, noli tardare:* ille tameo
Psal.109. procrastinabat aduentum. Eheu quam peroix ad
generationē æteroam, quàm tatdus ad temporalē!
Venit tandē plenitudo temporis, dū sæcula senes-
cebant; misit Deus Filium suum; dies impleri sunt
Mariæ, peperit Filium. Absque plenitudine non
nascitur apud Matrem, qui in diluculo ante luci-
ferum apud Patrem genitus, ibi gignitur Verbum:
hîc homo. Similia in Ioanue perlustra. Quà vox,
Luc.1.57. celer concipitur, quà homo, serò: *Elisabeth impletū*
est tempus pariendi, & peperit Filium. Mira Euange-
listæ cura in recenseoda temporis plenitudine!
Quid prodegit verba, vt dierum plenitudinem
suadeat? Annè imperfectus timeatur infans; noo
debitâ membrorū compage decornatus, mutilus
in aliquo: vt partos absque dierum complemento
putandus? Absit. Tantus est Ioannes, vt quasi
natura elaborare plurimis sæculis videatur, vt ef-
figiet, vt tam sublimem structuram ditiori conflet
metallo, vitibûs imbuat, poliat virtutibus, & om-
ni ditet ornamento. Nisi temporis accedat pleni-
tudo, quam vicina sequatur Verbi Dei Incarna-
tio, Ioannes noo oriturus. Ast quàm citùs ad
Verbi modum exoritur! Vix nascitur, & iam ori-
tur, iam nascitur, iam auditur. Supra prodigium
est verborum Euangelistæ contextura: *Elisabeth*
impletum est tempus pariendi, & peperi filium.
Quid inde? *Et audierunt vicini eius.* Tam illicò
auditus? Auris natiuitatem non sentit, sed vocem:
manus obstetricis attrectat, oculus infaotem vi-
det erumpere. Alienum obiectum auribus affigit
Euangelista: *Peperit filium, & audierunt.* O benè.
Si Ioannes Vox est, procliui semitâ per natiuita-
teio itur ad aurem, Sat est oasci Ioannem: sen-
sus, qui primus exercētur, auris est. Ideò Dominus
postquam perorauit de Ioanne, eiusque muous
Matt.11.14. elogiis explicuit egregiis, concludit: *Omnes Pro-*
pheta & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt: & si
vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est: Qui ha-
bet aures audiendi, audiat. Cur sic tot præconia fi-
niuit? Quonism qui vox est, nullum aptius sibi ob-
sequium exposcit, quàm aurem. Parit Elisabeth, &
è vestigio audiunt vicini. Sed tamen iam priùs
agnouerant fœcunditatis in senili, defessaque vul-
ua miraculum. Elatus victus vicinorum iam &
cognatorum congratulationem acceperat. Quid
est, quòd nunc audire dicantur? Quippe cùm iona-
scitur, soluitur vox.

33. Parum est, quòd audiatur. Vox Verbi est: debet
statim linguam concitare, non in aore quiescere.
Ea huius vocis natora est: nascitnt, audiunt, loquū-
Luc.1. tur. Considera gradus: *Peperit filium, & audierunt*
vicini, & congratulabantur. Organa, quæ admini-
stratoria sunt conceptus mentis, Ioanni prompto
famulatu subseruiunt. Verbi Dei naturam sapit
proles ista: tam facilis intellectui, auriculæ, linguæ
exoritur, iam carni difficilis. Quare Nazianzenus
expendens illud Luc.1. *Apertum est autem illicò* Nazianz.
os eius. apud Catēn. S. Thom. inquit: *Editus ergo*
Ioannes Zacharia soluit silentium: absurdum enim
erat, vt cùm Vox Verbi progressa fuisset, pater ma-
neret elinguis. Diuinus Pater generat, dum dicit:
idem est edere Filium, & loquelam. Zacharias
mutus est: nascitur puer, loquitur mutus; oris &
auris frangitur pessulum: idem fuit suscipere pro-
lem, & loquelam. Quasi generauisset ab ore, cu-
nabulaque dedisset in aure, filius oritur: auris &
lingua patris aperitur; Filius io vlnis Vox est io
ore, sonus in aure. Ambrosius serm.65. *Priùs erat* Ambr.
tacens lingua, sterilis filio, priuatus officio: at vbi
Ioannes nascitur, fit repentè pater Propheta, lo-
quela vsum recipit, prolem affectio suscipit. Cùm
ergo tanta vis sit eius vocabuli; dicturi de eo, etsi
tacere volumus, silere non possumus: ipse enim Ioan-
nes Vox clamantis dicitur. Tene illud: *Loquela*
vsum recipit, prolem affectio suscepit, & generatio-
ois æternæ meministi. Diuinus Pater loquitur,
cùm Filius diuinus enascitur; ipse proles est, &
Verbum. Hinc, si tacere volumus, silere non pos-
sumus: quia Ioannes Vox est. Percussus aër, etsi
tellutis cauis damnetur, irrequieto murmure, Pa-
nicu motu, per terræ viscera voluratur; donec vel
rimas faciat, vel inueoiat, & impetu sonora eru-
ctetur. Si Vox Ioannes; si solùm quia nascitur,
vox illa per aurem ingressa est, egredi per labra
necesse est; & si tacere velis, silere non poteris: re-
plet orbem terrarum, scientiam habet vocis. Ideò
nulla gens est (siue Samata sanguine pascatur
equino, siue Saraceous Fidei Sacramenta deri- Sap.1.7.
deat, siue nudus Solis æstu torreatur Indus) quæ
in Ioanois natiuitate effusis linguis festiua con-
sortia non celebret. Non mutuatæ vocis eget cen-
su laudatio: ipse enim Ioannes Vox clamantis di-
citur; si nascitur, opus est, resonet vniuersus orbis.
Damianus serm. de S.Iuann.Baptist. *Natiuitas ho-* Damian.
minis istius in gaudio est, & in solemnitatem præcla-
ram. Lætatur orbis, & quatuor mundi climata circum-
sonat gloriosa festiuitatis instantia, ipsis etiam cœlis
celebris & famosa.

Aliam accipe huios sacræ vocis cum Verbo 34.
similitudinis sortē. *Fuit homo missus à Deo,* Ioānes Ioan.1.
Euangelista in sacri Euāgelij fronte, dum texebat
Verbi generationis historiā, pronūtiat. Si alarum
calamo; diuinę prolis æteroū describebas exordiū
cur puri hominis intercapedine detineris? Cur
stylū deprimis ad creaturā, qui cœlos peragrabas?
Ioannes homo est, fateris; cur interiicis missum
hominem, cui nomen erat Ioaones? S.Aug.ser.21.
de Sanctis: *Hominem concepit Elisabeth, hominem, &* August.
Maria; sed Elisabeth solum hominem. Maria Deum
& hominem. Quid sibi ergo vult Ioannes? Vnde in-
terpositus, vnde præmissus? Corporandus Deos est,
caro Verbum prodiit: vult fidem Euangelista mu-
nire, stylo securiori excudere conatur; opus est in-
teriecisse Ioannem: inter æternam & temporalem
generatiooē Ioānes medius obiicitur; qui præulus
extitit præcursor, præuius scribendus est Paren-
thesis periodi generationis æternæ & temporalis
Ioannes est: non phrasim inuertit, qui de Verbo
agens, declinauit ad Ioannem. Verbum illud
voce baiulatur. Vtraque Verbi gerula est, & vox
& humanitas: calamus, qui ad cacumen Diui-
oitatis perrexerat, quasi in medio montis de-
scensu quieuit: *Fuit homo missus à Deo.* Ergo
quia Incarnatiooem tractare ordiebatur, tecto
auspi

auspicio incipit à Ioanne. Benè id obseruauit Caietanus. *Fuit homo. De Ioanne Baptista loquitur. Descriptis siquidem ijs, quæ ad Diuinitatem Verbi spectant, descendit ad describendum Incarnationis mysterium.* Caiet.

35. Diu meum animum agitauit hic stylus Euangelistæ agentis de hoc homine singulari: *Fuit homo missus à Deo.* Diuina mihi cogitatio arrisit in prædictis verbis de productione, natiuitate, seu existentia Ioannis agi; & tamen communior opinio est, Patrum nobilium calculo confirmata, solùm à prædicatione historiam Ioannis texere Euangelistam, ad quam missus dicitur, vt commentatur Euthymius, iuxta illud apud Lucam: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium.* Imò Chrysostomus hom. 5. in Ioan. inquit: *Fuit autem hoc in loco non transitus adesse, sed ipsius Apostolatus est significatiuū. Fuit missus pro missus est.* Fusè id explicuit Origenes tom. 1. in Ioan. Qui cum præmitteret: *Fortassis dicet, Quemadmodum de Adam scriptum est: Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram: sic Ioannem missum esse aut ex cœlo, aut ex paradiso, aut ex alio quouis loco ad hunc terræ locum.* Respondet tandem: *Quemadmodum Isaias missus est non ab alio loco, quàm sit hic mundus; sed postquam Dominum in solio excelso sedentem vidit, venit ad populum: sic Ioannem misit.* Ast quòd de conceptione Ioannis agatur, meum desiderium demulsit Theoph qui ad illa verba: *Fuit homo missus à Deo,* inquit: *Quia de Incarnatione Verbi dicturus est, sermonem de præcursore interserit. Et quis alius, quàm Ioannes Præcursor, haberet sermonem de sua natiuitate, qui præcurrit & ante natiuitatem Domini?* Et quidem nobilissimum Ioanni est, quòd inter generationem æternam & temporalem, eius productio & natiuitas inseratur, ad cuius generationem ex sterili promittendam Angelus Gabriel missus fuit. Et, nisi desipio, clarè suffragatur, quod sequitur: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Et tamen venire hoc loci, concipi, seu produci est: non renues, si paulum vlteriùs legas: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Post hæc sic expensa propemodum gauisus sum incidisse in Ioannem Maldonatum, grauem & acrem Auctorem, qui hunc cogitatum expressè propugnat: *Missus* inquit, *à Deo Ioannes est, cùm primum est in vtero conceptus.* Fulcit ex Græco ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεςαλμένος παρὰ θεοῦ; id est *Extitit homo quidam missus à Deo,* videlicet, cuius existentia non ob communem fuit propagationem, sed ex miraculo sterilis fœcundatæ, ob singularemque Dei missionem. Si his annuas, ecce tibi non facilis nodus. Ioannes, qui nondum erat, mitti perhibetur; non sicut Angelus, qui, cùm mittitur, iam præexistit, & qui naturâ spiritus est, Angelus fit officio. Ergo nondum genitus, ipsam mittitur generatione: non enim missus, antequam esset, cùm id repugnet; nec missus, postquam fuit, cui ante conceptionem esse non fuit. Ergo ipsa conceptio Ioannis missio est. Generatio autem, quæ per missionem explicatur, solet esse æterna Ergo generatio Ioannis saltem, si benè mediteris, plurimùm de diuinæ generationis trahit attributo. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Non apta videbitur compositio. Sic legendum putares: *Sicut generauit me Pater, & ego viuo propter Patrem:* nam per generationem vitam habet Filius. Sed perito Theologo idem est, *Sicut misit me Pater,* ac *Sicut genuit,* sicut Ioann. 7. *Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.* Missio enim æternam supponit processionem. Hilarius lib. 6. de Trinit. *Natum ex Deo Filium, missumque confitemur. Natiuitas itaque eius, & aduentus ostenditur, cum absolutissima significandæ proprietatis veritate.*

Euthym. Luc 32. Chrysol. Orig. Theop. Ioan. 1. 7. Ibi. vers 9. Mald. Ioan. 6. Ioan. 7. Hilar.

36. Igitur si idem Ioanni est mitti & gigni, quid gloriosius pro aliquali eum Verbo Dei similitudine? Non erat ille vtique lux, non erat Verbum, sed lucerna ab ea luce accensa, sed Vox ab eo Verbo animata: sic credo, ne per elogiorum excessum in fucata subtilitatum luce caliges. Sed negari non debet in hoc stylo Euangelistam multùm de Baptista meruisse, qui sic phrasim missionis Verbi aliquantulum voci Verbi applicuit Hinc à Patre audio missum. Mirum est, cùm operationes ad extra communes sint Trinitati, & Ioannes Filij præcursor, non filius, totius Trinitatis opus sit: quod forsan præmonens Haymo dixit: *Missus est. A quo? A Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* Ast quia origo vocis & verbi eidem solet arrogari personæ? Ioannes Verbi Vox à Patre missus perhibetur apud Augustinum sermon. 23. de Sanctis: *Magna, quantum aduertit sanctitas vestra, apparere, & eminere causa cœpit, qua fuit Christus à Patre mittendus, & Ioannes à Patre præmittendus.* Breui periodo, quidquid diximus, confirmat Augustinus: si tamen sapienti discretionis censurâ, qualis in Baptistæ elogiis, ne per ascensum cadant, semper debet intendi, inter vtramque missionem diiudices. Misit Deus Filium suum, sed quem æternus gignebat æternum, Deus Deum? præmisit Ioannem, sed quem in tempore annosa mulier generauit. Sedulò id peteauit Euangelista, sic tertio quoque verbo progrediens, ne in gressu cæspitet, ne Ioannem eum Verbo Dei confundas. Ait: *Fuit homo missus à Deo.* Indicem temporis vocem emisit. *Fuit:* cùm tamen voce æternitatis vsus fuerit in Verbo: *In principio erat Verbum.* Obseruauit Cyrillus Alexandrin. *Aduertendum arbitror, quomodò idonea, secura, ac rerum naturæ accommodatâ vtitur oratione. Nam cum de Verbo Dei diceret, Erat, consequenter subiunxit, vt & æternitatem eius ostenderet, & vltra omne temporis principium esse Creatorem, non creaturam esse significaret. De beato verò Baptista congruè nimirum vt de mortali homine ac creato, Fuit, exclamat.*

Haym. Aug. Gal. 4. 4. Cyril. Alex.

37. Plura ex similitudine cum Verbo, Vox hæc subsistens mutuatur elogia, quæ & reddere debes Auctori, & prudenti districtione, ne excedant, in statera rationis appendere. Ioannes *Arcanum Patris* dicitur à Chrysologo, quod & in August. inuenio sermon. 22. de Sanct. *Vbi tota corporis sedata est querela, vox sterilitatis fugit, reuiuiscit senectus, fides concipit, parit castitas, nascitur maior homine, par Angelis, tuba cœli, præco Christi, arcanum Patris, Filij nuntius, Signifer superni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium.* Pondera illud *Arcanum Patris.* Nonne hic titulus Filij Dei est apud Patres, de quibus suprà sparsim? Sed si Arcanum Verbum est, quidni eius Verbi Vox, quæ ex arcano pectoris recessu solet emitti? Ideò præcauetur, quod non erat ille Filius, siquidem statim attexitur. *Filij nuntius.* Quid? Quòd *Ioānis* numen *Filius* sit, vnus mihi singulariter dixit Andreas Cret. or. de amput. cap. Bapt. col. 11. *Atque prima quidem est eius appellatio Filius. Ne timeas,*

Chrysol. Aug. Andr. Cret.

inquit, Zacharia: Ecce Elisabeth pariet tibi filium. Ergonè nomen imposuit, cùm filium dixit: cùm nomen *Filij* sic absolutè prolatũ potiùs Filio Dei deputetur, sicut nomen *Patris* supero Genitori. Cyrill. Cyrillus lib. 10. Thes. c. 6. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes.* Quod enim nomen Filij eius, si nosti? Respondebis, si sapias: nomen Filij eius *Filius* est. Prou. 30 4. Athan. Rationem vestiga in Athanasio orat. contra Arrian. qui sic concludit: *Quapropter in sola Deitate Pater propriè Pater est, & Filius propriè Filius est; & illis solis consistit, vt Pater semper sit Pater, & Filius semper sit Filius.* Causam præmiserat: quoniam in creatis *qui filius est, pater efficitur; filius quidem eius, qui ipsum genuit: pater autem illius, qui ex ipso genitus est. Verùm id in Diuinitate ita non habet, nec Pater ex Patre originem traxit: vnde fit, vt gignat non progeniturum.* Si fortassis ex Athanasio coniectabis, cur aliqua proportione ad Filium Dei, cuius Vox est, Ioannes *Filius* nuncupetur? Quoniam quidquid est, ob illum est, qui Filius est: nec vt pater aliquando sit, progenitus est; sed Filij Dei causâ natus, & ideò voce Virginis virginitatem imprimentis sigillatus, ne vnquam pater, sed tantùm filius esset: sicut vox, quidquid est, loquentis est. Et ideò vocis organo amputato moritur, qui vocem Sacerdoti nascẽs impertitur: vt Verbo, cui tantùm natus fuit, in ministerio vocis moreretur, & ex initio, & termino, cuius causâ fuisset innotesceret. Ambr. Ambrosius ser. 64. *Ergo Ioannes per omnia voluntatem Domini fecit, quia propter opus Domini, & natus est, & defunctus.* Nec oscitanter communem putes aliis Sanctis hanc Ambrosij sententiam, qui in Domini opus, & nascuntur, & occumbunt: Ioannis enim non in aliud existentia tetendit, nisi in resonantis vocis officium, vt contestaretur de lumine. Caiet. Iuuat erudiri à Caiet. in cap. 1 Ioan. ad illud: *Hic venit in testimonium: Describit, quòd ex intentione specialis officij venit ad testandum. Et hoc ad differentiam aliorum Sanctorum: qui quamuis vitâ, operibus, scripturâ & verbo testimonium reddant diuinæ luci, vt glorificetur Deus; non tamen spiritualiter missi sunt à Deo, vt proprium eorum officium sit testari; sed ad hoc, vt benè viuant, & doceant, communi ratione electi sunt à Deo: Ioannes autem ad hoc missus significatur à Deo, vt veniat testis.* Igitur sicut seruis, qui quod sunt, Domini sunt, vitæque & necis potestas sub herili manu decumbit, domini nomen solet imponi: sic Ioannes, qui oritur, & interit, vt in Filij Dei ministeria erogetur, quid quòd *Filij* nomine apud Cretensem insigniatur: *Filij* quidem, quia singularis futurus erat, in quo exurgens ex sterilitate parentum fœcunditas pensaretur, quando in vno nascebatur numerositas congesta virtutum. Luc. 1. *Et non erat illius filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Cur non inquit: Et non erat illis soboles, seu filij, vt vtrumque comprehenderet sexum? Benè Chrysologus serm. 91. Chrysol. *Non dixit: Non erant illis filij; sed Non erat illis filius, quia singularis futurus erat, qui erat de talibus nasciturus. Audi Dominum dicentem: Non surrexit maior in natis mulierum Ioanne Baptista:* Ergo in *Filij* nomine apud Chrysologum iam Ioannes adumbrabatur.

Discrimen in Vocem, & Verbum, lucernam & lumen, Regem & Nuntium, Ioannem & Christum.

SECTIO IV.

PVGNAX similitudinis inter Ioannem, & Christum argumentum est, tã perpetua in vtroq; Ioanne cautio, ne putetur Christus qui administratorius præcursor est. Et quidem, si animum intendas, attributa, quæ non tribui Ioanni præcauetur, tantùm sunt ea, quæ Christo cõueniunt, quà Verbum est, ac proinde quà Deus videlicet quòd non sit Verbum, sed vox; quòd nõ sit ille lux, sed testimonium perhibẽs de lumine. Grãdis excellentia, non in iis, quæ hominis sunt, sed quæ Dei, promiscuæ confusionis inter Christum & Ioannem occasionem auertit. Primum ipse Baptista præmonuit dicens, *Quia non sum ego Christus. Ego vox clamantis in deserto.* Vbi obserua, quòd ad primam interrogationem: *Tu quis es?* cùm neutiquam palàm sciscitarentur, vtrùm Christus esset, sicut quæsiuerunt posteà: *Elias es tu? Propheta es tu?* eâ ingeminatione verborum, quasi ab ignito iaculo tactus excussit à se suspicionem, ne Christus crederetur, quòd multus sit Euangelista, dum refert: *Et confessus est, & non negauit. Et confessus est: Quia non sum ego Christus.* Quid præcaues tam præcoci negatione, cum illi Christi nomen tacuerint? Ne similitudo obcæcaret, quasi nulla magis obuia posset obuenire suspicio: quippe non alij tam similis, quàm Christo erat. His subsignat Theophylactus: *Non interrogant eum statim: Tu ne es Christus; sed: Tu quis es? Verùm ille, cognitâ eorum malignitate, non dicit, quis sit, sed confitetur: Non sum Christus.* Vocem se dicit, ne Verbum esse censeatur. Alterum Euangelista suadet, dum edocet: *Non erat ille lux.* Vtrumque coniunxit Glossa Ioan. 1. ad illud: *Ego vox clamantis: In qua Verbum sonat, id est prophetia, & ostensio, & lucerna Verbi præsentis.* 38. Ioan. 1. 20. Theod. Glossa.

39. Iam ergo qui inter Vocem & Verbum similitudinem qualemcumq; depinximus, eisdẽmet vmbris vmbrã esse Christi, ex discrimine vocis à verbo subiiciamus. Corporis lineas imitatur vmbra, sed in vmbræ pallore. Quandoque grandior apparet. Vox vmbra est animi conceptus, sensibus grandior sonat, qui non virtutem metiuntur, sed molem. Cur grandior Christo apud Iudæos Ioannes? Quia illi sensibus immersi, iste vox. Pontificali genere, claraq; maiestate splendentẽ amant Redemptorem: deponunt Hebraica supercilia, blandoq; lenocinio Ioannem adorant. Christus Verbũ Dei, humilis, obscurus inter turbas agebat. Sonabat vox conceptu delitente. Ast ille: Quid effusa, inquit, turba meis iacet aduoluta vestigiis? Quid oculis & osculis ambior, famâque vehor? Vox sum; ideò grandior appareo: auriculæ carneæ sono sibi blandiuntur, sed ad mentis conceptum obdurescunt. *Medius autem vestrùm stetit, quem vos nescitis. Nescitis,* inquit, quia diuini Patris conceptus est. Me auditis, quia vox sum, & inter cauas cordium vestrorum rupes resono. Hilarius hom. 1. in natiu. Ioan. *Ego vox clamantis in deserto. Hoc est dicere: Non sum ego Verbum, quod erat in principio, Deus apud Deum; sed Vox potiùs: id est, minister* Ioan. 1. 26. Hilar.

ministerium Verbi, vt per me ad auditus hominum, sensumque perueniat. Vis lucem, sonitumque appetiuisse? Bernard. Bernardus in natiu. Ioann. *Iudæi voluerunt exultare in luce eius; ipse vero potiùs gaudebat in feruore deuotionis.* Chrysost. Chrysostomus in Ioann. *Audi quomodò beatus Ioannes non verbis, sed animo, quo illi percontabantur, respondit. Mundi gloriam affectantes Ioanne Christum inferiorem indignum arbitrabantur: multa namque Ioannis generositatem ostendebant.* Ecce vmbra maior corpore: ecce vox conceptu grandior putabatur. Nonnè vmbra Ioannes? Nuntium peragit Gabriel, vt Verbum Dei concipiatur; peragit, & vt Ioannes: Luc. 1. *Ne timeas*, ait Mariæ, *Ne timeas*, & Sacerdoti. Baptizat Christus; sed & Ioannes: discipuli Christum circumdant, sed & Ioannem. Herodes Christum affigit, nec collo Ioannis deficit Herodes. Vides tremulam vmbram motus corporis docili mobilitate repetere; sed semper in vmbra. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et statim; *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Quid vlteriora firmitatis pignora quæris, Gabriel sancte? Sat est virtutem Altissimi obumbraturam, vt se fœtam credat Virgo Verbo Dei. Quid opus est Ioanne? Bellè. Luc. 1. 66. Manus Domini virtus Dei est: de Ioanne canitur: *Manus Domini erat cum illo.* Conceptum crede, quem iam vtero corporabis: fide corpori, iam præcessit vmbra. Virtus Altissimi tibi obumbrabit, quia iam Elisabeth concepit filium; qui tui conceptus vmbra futurus. Iam in vtero Vox est. Quid quòd sit in vtero Verbum: Incipit in vmbra finietur in corpore: primum Ioannes, qui vox; deinde Iesus, qui Verbum: priùs exauditur vox, quàm conceptus sentiatur. Origen. Hùc compello Origenem hom. 2. in Cant. *Ego puto, ideò & natiuitatem Iesu ab vmbra cœpisse; sed non in vmbra, sed in veritate finitam.*

40. Vmbra solet præcedere corpus, in cuius cognitionem deuenitur per vmbram. Sic resonãtis vocis clamor longissimè distantes ferire solet, qui sonitu percussi, donec sensim accedant, non significationem, conceptumque percallent; qui tamen post sonitus impressionem illis appropinquantibus infunditur. En discrimen inter Ioannem, & Christum. Epiph. Maturè Epiphanius hæres. 69. *Vox est preparatiua auditus hominum. Primùm enim inarticulatam vocem sonantem, reddere solent clamantes è longinquo, vocantes eos, qui ab ipsis aliquid audire debent. Et vbi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum conuerterint, auresque preparauerint; tunc is, qui sonantem vocem emisit, de cætero distinguis sermonem, quem dicere voluit; Sic etiam Ioannes Vox fuit, aures hominum preparans: non enim ipse Verbum, sed post ipsum venit Verbum.* Igitur vox hæc solùm ad aures aperiendas insonuit. Intelliges iam illud: Matt. 3. 3. *Ego vox clamantis dirigite viam Domini, rectas facite semitas eius.* Quid voci cum semita & via? Quàm consonè! Semita verbi, quæ ad instruendum intellectum procedat, auris est: hanc obturabat homo, aggestisque incantationum maleficiis obstruens, Rom. 10. 17. fidei quæ ex auditu est, occludebat viam, postquam serpens per aures semitam fecit, & in earum ostiis draco ille remansit insultans; peruigili tyrannide Verbo vitæ impediens ingressum. Quare in baptismate prior præparatio est aurium apertio, consputo dæmone, per orisque, quo vox efformatur, halitum, & spumam exufflato. Ideò fortè vt ad hoc aperiendarum aurium munus Ioannes initiaretur, Mariæ vox in auribus Elisabeth facta præscribitur Luc. 1. 41. non intellectum ingressa; sed deflectens in vterum: vt auspicium esset officij præcursoris, qui ad semitas Dei nostri, id est, aures Verbo Dei parandas instituebatur. S. Maxim. S. Maximus homil. 1. in natiu. Ioan. *Hic est, charissimi, de quo prophetica annuntiatione prædictum est: Vox clamantis in deserto parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Clamaturus erat enim, sicut & clamauit, vt vociferante salutis pracone obturatas diu aures mortalium prædicatio cœlestis aperiret.*

41. Habeo quid insigne de Ioanne subiicere. Rom. 10. 14. Fides ex auditu est. Quis audit, nisi vox sonet? quomodò autem audient sine prædicante? Non accedit sanctitas, nisi fides viam præparet. Ergonè quoties sanctificaris, vox Ioannis insonat, virtus Ioannis fidem accendit, disponit semitas, ne per anfractus & mæandros mens lubrica irretita ruat? Si credidisti: ergo Ioannes eloquutus est, Ioannes te edocuit: Non solùm audierunt vicini & cognati, sed grandis vox venientibus sæculis præsentatur. Quoties credimus, mysterium Ioannis in hac vita nostra celebratur. Sic nouo cogitatu progreditur Ambrosius Luc. 1. non auderem: nisi ferret ille ducatum. Ambr. *Fortassè hoc mysterium* (id est, quòd Ioannes, qui Vox est, paret viam Domini) *in hac vita nostra, hodieque celebratur, præcurrit enim anima nostra quadam virtus Ioannis, cùm credere paramus in Christum, vt paret ad fidem anima nostra vias, & vita istius tramite tortuoso rectas semitas nostri faciat commeatus, ne anfractu labamur erroris.* Forsan timuit ab excellentia encomij Ambrosius, ideò *fortassè* addidit. Ne Theologus in oratoria laude elidaris, nec qualitatem aliquam à Ioanne affluentem, quoties credimus sentias ab Ambrosio assertam, sicut à Domino virtus exibat, Luc. 6. 19. dum sanaret. Adeò Ioannis præcursoris munus proprium est, adeò adscitus, vt *Vocis* obeat officium, vt fides, quæ ex auditu est, indicis videatur, audito Ioanne succrescere, Ioannisque munere humanis cordibus affigi, vt quisquis audiat, ab illa voce audite censeatur. Subsignat Origenes, à Origen. S. Thoma in Catena relatus ad illa verba: *Parare Domino plebem perfectam. Sacramentum autem Ioannis vsque nunc expletur in mundo. Quicumque enim crediturus est in Iesum Christum, anteà spiritus, & virtus Ioannis ad animam illius venit, & præparauit Domino populum perfectum.* Quem locum eodem sale aspergere debes: solùm etenim approbandum, fidem, quæ innititur testimonio, plurimum ex testimonio Ioannis traxisse: & qui mirabili vitâ, virtutumq; & gratiarum abundantiâ tunc præsentibus testimonium perhibuit de lumine, etiam futuris tutissimam reliquisse, vt crederent testimonij diuinitùs inspirati firmitatem. Ex præfata Ambrosij & Origenis sententia facilis elucerer explicatus difficili loco: Ioan. 1. *Vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum:* Caiet. vbi timet Caietanus, ne ly *per illum* ad Ioannem referatur, vtpote per quem non omnes crediderint: *Nec nos etiam*, inquit, *credimus propter Ioannis testimonium: quoniam, vt ipse Iesus inferiùs dicit: Ego habeo testimonium maius Ioannis:* Quare quia Græcè est δι' αὐτοῦ ambiguum ad genus masculinum & neutrum, & referri valet ad lumen & ad Ioannem; de lumine, id est, Christo intelligendum asseuerat. Nos minus meticulosè progrediendum putamus licèt enim nec Ioánes omnibus prædicauerit, nec nobis inspiret, virtusvè

virtusvè ab illo descendat, quasi ille sit, per quem efficienter fides inditur: negari non potest in Euangelij fronte, vestibuloque fidei Ioannem prælucere adeò assutum & contextum Incarnationis sacramento, vt ea vox illicò audiatur, blandaque instigatione demulceat vocaliq; silentio ad Christum capessendum alliciat. Nec tamen interest, quòd omnes crediderint: nam vt sapienter Theophylactus. *Quantum in illo erat, propterea testificabatur, vt omnes trahat. Quamuis autem quidam discredant, non tamen ideo ille reprehendendus: quoniam & Sol in hoc lucet, vt omnes illuminet, at si quis in caliginosa quadam domo se incluserit, & iubare non fruatur, quid hoc ad Solem?* Theoph.

42. Eâ, vt meditor, industriâ vox nuncupatur, non interpres, non loquens. Ea enim est formarum natura à concretione abstrahentium, vt in se sint vniuersales, nullis coarctatæ limitibus: nec intersit, an pluribus, vel paucis communicentur. Non vniuersitatis formæ defectus, sed materiæ susceptiuæ est. Lux ex se liberum omnibus gratumque sparsit splendorem. Da formam, quæ vox sit, quotquot habent aures audiendi, audient. Ne obtusa, parumque sonans videatur, vox clamantis dicitur. Et obseruabis toties de Christo clamorem memorari, vtpote cuius vox Ioannes est. Rupertus lib. 2. de gloria & honore Filij hominis in cap. 2. Matth. *Magnum hoc est praeconium Ioannis, quia est Vox. Non dicitur vocalis, siue vocem habens, sed Vox, sicut ipse confessus est dicens; Ego Vox clamantis in deserto. Et vox vtique alterius vox est. Cuius ergo Ioannes est vox? Vtique clamantis. Et quis est clamans, nisi ille, cuius omnis vita, omne tempus, quo hic in carne degnit, clamor, siue inclamatio fuit? Hinc enim Apostolus dicit: Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum à morte saluum facere, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Huius ita clamantis Ioannes prima vox fuit. Humilitas quippe vocem non habebat, sed in ciuitate Nazareth secum habitabat, & annus ætatis eius iam tricesimus incipiebat.* Rupert.

43. Deueniamus ad lucem. Cur qui *Vox* stylo abstractæ formæ dicitur, tam curiosa sedulitate præcauetur, ne vocetur *lux*, sed *lucerna*: lucerna enim concretionis nomen est, accensa nempe lampas, quæ, cùm lucem ferat, differt à luce: aliud est, quod fert, & quod fertur. *Non erat ille lux* & statim: *Erat lux vera.* Quisnè *lux vera?* Cur sic truncata oratio? Quam Theologica solertia! Ex stylo nosces, de quo agat. *Erat*, inquit. En tessera Verbi Dei, de quo præmiserat: *In principio erat Verbum.* Quid Verbum est, nisi intellectualis lux? Cur *vera* inquit? Si semel lux est, quæ falsa est? Acutè Caietanus: *Non ideo addit vera, vt excluderet suspicionem falsitatis; aut defectum aliquem: sed ad explicandum apertiùs, quòd de summa luce intelligibili loquitur. Verum enim proprium est obiectum intellectus, proindeque dictum est, quòd lux à Ioanne testata, erat illa lux vera; acsi dictum fuisset, quòd erat summa lux summè intelligibilis.* Ergo Idem est: *Erat lux vera*, ac quod dixerat: *In principio erat Verbum.* Obseruant omnes cum Cyrillo, quòd cùm agitur de luce, quæ Christus est, accuratè additur Græcus articulus, qui antonomasticè singularitatẽ quãdã significat ἐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, id est, *Non erat ille lumen illud, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Impensè stylum hunc contemplare. Censet Maldonatus subintelligendum esse, *venit Ioannes*, vt plena sit oratio, & absoluta sententia; videlicet: Venit vt testimonium perhiberet de lumine. Omninò dissentio. Vberior & viuidior sensus est, si nihil subintelligas. Nimiùm emphatica sententia est. Ioannes, quidquid erat, ex suomet existentiæ fine totum erat, vt testimonium ferret de lumine, vt esset *lucerna ardens & lucens*, sicut Christus contestatur Ioann. 5. vers. 35. Curnè ardens & lucens, id est, non vtcumque lampas, sed accensa? Quoniam non erat ille illa lux; sed erat, id est, totum sui esse in id tendebat, vt testimonium perhiberet de lumine, sicut videre est in lucerna lucente. Ioan. 1. Caiet. Maid. Ioan. 5. v. 35.

In quo adhuc ingeniosè aduertas, quanta elegantia & gratia sermonis discrimen Ioannis à Christo, & simul vtriusque indiuidua coniunctio explicetur. Non erat, ille illa lux; & tamen erat, vt illam lucem ferret: ideò signatè *illa lux*, veluti si tibi intuenti lucernam diceretur: Lucerna illa nõ est illa lux, sed vt ferat illam lucem. Omnis hæc cautio opus fuit. Nam Ioannes ab vtero ignita fax illuxit & intra vterũ mentis, si aliqua lux est, verbum est. Inde concluditur. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De illuminationis genere solet disceptari. De spiritali lumine, nempe gratia, solidior sententia est ex Augustino lib. 4. de Trinit. cap. 2. Cypriano lib. 1. contra Iud. Si sic; quid erit illud: *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Vnde homo venit in mundum? An vt innuatur, vbi gratiæ illuminatio subsideat, videlicet in anima, quæ non ex traduce gignitur, sed à Deo venit? Nõ renuo, nec etiam exprobro, quòd venire in mundum, nasci aut concipi sit. In quo tamen stylum Hebraicum non video; nec adstipulor Maldonato, qui iuxta sacræ linguæ phrasim de natiuitate commentatur. Syncere dixerim, quòd veniens in mundum homo, nihil significatur toto tempore, quod à conceptione ad partum intercedit: nam qui nascitur, iam appulit & tetigit mundum, id est, lucis vsuram; qui concipitur, nondum cursum incepit: alter præparatur, vt veniat; alter iam aduenit: neuter veniens est. Si his subsignes, ecce difficultas, quã nullus aduertit. Si lume gratia est, & homo veniẽs, qui in vtero quasi successiuis motibus appropinquat: quomodo veniẽs homo illuminatur, qui potiùs in culpæ nocte tenebrescit? Sanus explicatus sit, ad veritatem sententiæ sat esse, quòd omnem hominem, licèt nondum venit, & intra vterum est; tamen qui veniens fuit & per generationis propaginem natus est, lux illa vera, quantum est de se, illuminet. Præter hæc aliquid permittendũ est subtilitati elaborãti pro Ioãne. Intenditur, ne putetur lux & Verbum, quãuis adhuc ex vtero matris suæ Spiritu sancto repletus illuxerit. Quare præmonetur, quod Ioannis illuminatio ab illa luce vera cõtigit, dum ille intra vterum veniebat in mundum, & iã semestris appropinquabat. Quasi diceret: Ioannes non erat illa lux, sed vt illam ferret: nam illa erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, etiã illum hominem, qui veniens in hunc mundum, id est, dum in vtero esset, illuminatus est. Vt enim se verum lumen non adscitum, sed innatum, Dei Verbum ostenderet; & ex vtero Patris in splendoribus ante luciferum genitum, nec solùm vt Filium, sed vt Verbum, quod lumen intellectuale est; adhuc in vtero Virgineo existens, Ioannẽ etiam in vtero existentem illuminat, medio virginis ore, vt in omnibus Verbum Dei innotescat. Per linguam Virginis lux verbi communicatur voci, & 44. August. Cypr. Psal. 109.

per

per aurem Elisabeth statim *deflectitur ad Ioannem. Hinc Ioannes *non erat illa lux*, sed *lucerna*; quia lux à se, lucerna alieni olei solet elucere dispendiis. Bernard. in serm. S. Ioann. Bapt. *Nimirum nonus ille ignis, qui recens elapsus è cœlo, per os Gabrielis in aurem intrauerat Virginis, & per matris aurem introiuit ad paruulum, vt ab ea hora vas electionis suæ Spiritus sanctus impleret, & lucernam Domino pararet.* Rimare huius ignis sancti meatus. Quà Verbum, solùm per conceptus & vocis organa perlabitur: ab ore Gabrielis ad aurem Mariæ; ab aure Mariæ ad vterum, ab vtero ad linguam, à lingua ad aurem Elisabeth. At illi iter immutauit, deflexit viam; & cùm immediatè ad intellectũ pergere debebat, vbi propria intellectualis ignis sedes est, inflexè ad Elisabeth vterum perrexit, insolitoque mæandro, & intorto itinere in infantulo, qui erat intra viscera, quieuit: *Et per matris aurem introiuit ad paruulum.* Cur sic detorsit semitam? Sursum effertur ignis: ab ore ad verticẽ vbi mens residet, peruium iter erat; & tamen descendit ad vterum. Quàm consonè! Quia mentis ignis est, quia Verbum, vocem quærit, vocem ambit; illius ignis hæc lucerna est: ignitus Ioannes, ardet, & Verbi præco fit. Eodem iure, quo vox est Verbi, lucis lucerna est.

Bernard.

45. Suauiter ferit animum, quomodo de luce vera, quæ increato feruore & igneo pelago, dominante maiestate resplendet, possit, qui non erat illa lux, testimonium perhibere: cùm lucis natura sit non alia luce mõstrari; quę, si minor sit, ab splendidiori sopitur, sicut stellarũ faces, Sole micãte, cadunt à nitore: si maior sit, sepelit aliã? Pallet nimiùm accẽsa lampas in die, quam natiua lux de audacia coram se lucendi castigat. Et tamen quod Ioannes non vtcumq; testimonium de luce perhibuit, sed lucens, constat: Tum, quoniam si non erat ille lux, id est, quæ articulo singulari signatur, nempe *illa lux*, aliqua saltem lux erat: Tum ex Saluatore ipso attestante, dum lucernam ardentem, lucentemque nuncupauit. Si nodum explicet August. ser. 20. de Sanct. *Ille erat lucerna ardens, id est, Spiritus sancti igne succensus, vt mundo, ignorantiæ nocte possesso lumen salutis ostenderet & quasi inter densissimas delictorum tenebras splendidissimum iustitiæ Solem lucis suæ radio demonstraret.* Manet adhuc difficultas. Insolita enim est hæc demonstrationis Solis disciplina. Luminare maius qui potest à luminari monstrari minori: quod ideò nocti præest, nec sydera ignes obnubilat, quia luminare minus est? Annè digitus Ioannis radius fuit, qui dum agnum indicauit, monstrauit Solem? Certè illa lux vera in tenebris luxit, & tenebræ eam non comprehenderunt. Quid est non comprehendisse? Variè solet explicari. Sic nos cogitamus. Nisi Sol arduus in cœlo ad nostra climata radios emitteret, illosque, nulla resistente tenebrarum dẽsitate, obscuritatisq; mole: hęc inferiora reciperent, ille quidem luceret in tenebris, sed tenebræ constipatæ, & cõdensæ non illum comprehendissent, vtpote cuius nullum radium apprehẽderent: radius enim demonstratiuum argumẽtum Solis est; & si placet stylus Academicus, demonstratio, seu argumẽtum demonstratiuum comprehensiuæ cognitioni subseruit. Ergo quòd lux luceret in tenebris, & tenebrę eã non comprehendissent, idem est, ac obrusis & constipatis sensibus carneisque inuolutis sarcinis nullum eius lucis radium cepisse, qui lucẽ illam demonstraret: quare demonstrationem, cogitionemuè illius diuinæ lucis non habuerunt. Ideò Sol ille antelucana diligentia radium suum emisit, id est, Ioannem, vt iam diẽ esse, Solemque enitescere demonstraret. Sol enim, licèt alieno non possit, suo tamen radio monstratur, sicut lux à suamet lampade, in qua fertur; imò radius eiaculatus à Sole, qui Sol non est, sed Solis est, propria demonstratio Solis est. Quid esset, si ipsummet Ioannis nomen demonstrationẽ significaret. Singularis est Orig. in Cat. S. Thom. Luc. 1. *Ioannes significat demonstrantem. Debebat non memoriam Dei vt absentis exprimere; imo digito demonstrare præsentem.* Hoc, ni fallimur, acumen est August. *Quasi inter densissimas delictorum tenebras splendidissimum iustitiæ Solem lucis suæ radio demonstraret.* Quòd si libet Grammaticis, sic construerem: demonstraret iustitiæ Solem lucis suæ radio, id est, ipsiusmet Solis radio: sicut enim Ioannes vox Verbi est, sic radius Solis est, lucernaque lucis. Quare subiexit Augustin. *lucis suæ radio demonstraret, de seipso dicens: Ego Vox clamantis in deserto.* Beati quidem lumen conspiciunt increatum. Egentnè lumine, vt lumen videant? Sanè intueri nequirent, nisi creatum lumen ab increato lumine delibarent: & quia lumen hoc, quo animatus seruet intellectus, non externum & fucatum est, sed quasi increati luminis radius, in lumine vident lumen. Id mirè explicuit Vates dicens: *In lumine tuo videbimus lumen.* Id est: Nisi tuum lumen esse, stolidè lumen, quo videreris, quæreretur. Innuit id D. Thomas 1. p. q. 12. art. 5. dum sic arguit: *Illud, quod est per se lucidum in rebus sensibilibus, alio lumine non indiget, vt videatur; ergo nec in intelligibilibus: sed Deus est lux intelligibilis; ergo non videtur per aliquod lumen creatum.* Et respondet exigi, vt confortetur potentia, & à lumine increato deriuari. *Vnde lumen gloriæ* (inquit in resp. ad 3.) *non potest esse naturalè creaturæ, nisi creatura esset natura diuina, quod est impossibile.* Non ex creatura, sed ex Creatore lumen illud venit, vt increatum lumen videatur: sicut radius à Sole vibratur, vt diaphanum feriens in Solis demonstrationem accendat. Si simile mediteris in Ioanne, congruè procedes. Emissum à Sole lumen fuit, vt in lumine eius, videlicet ipsius Solis, cuius totus Ioannes fuit, lumen videremus. Appositè Bernardus serm. in natiuit. Ioann. *Ardebat enim sibi, nobis autem lucebat. Gaudeamus in feruore eius ad imitationem. Gaudeamus in lumine non tamen ibi manentes, sed vt in lumine eius videamus lumen, lumen vtique verum, quod non est ipse, sed cui testimonium perhibet ipse.* Quo nihil explicatius desidera.

Ioan. 5.

August.

Ioan. 1. 29. & 36.

Origen.

August.

Ps. 35. 10.

S. Thom.

Bernard.

46. Alia apud Patres non inuenusta explicatio est erga hanc Ioannis de vero lumine demonstratiodem. Qui è tenebris repẽtè egtedirur, tenebrosius in luce caligat; & à nouitate luminis perculsus, in nimio lucis feruore odium experitur, & pœnam. Nisi sensim refusa fuerit lux, inimica fit oculis: paulatim stillare debet, ne à radiorum flagello tenerę vapulent pupillæ. Ergo vt, qui sedebãt in tenebris & vmbra mortis, sensim promouerentur ad lucis vsum, non subitò lux illa vera resplendruit; sed accendit lucernam, quæ noctis solet esse fax, vt eius lumine degustato in plenum Solis fontem oculos erudiret. Vidisti Magos fauentis syderis ducatu ad Solem, qui Christus est, perduci. Insolitum stellæ munus! Nocturna est, & Solem ostendit. Ea fuit suauis industria prouidentiæ. Magi noctis erant incolæ. Curnè noctis? Quoniam metiẽdis, explorandisque syderum cursibus

Luc. 1. 79.

Matth. 2.

* Zerda, Mariæ effigies.

& qualitatibus insistebant. Quàm illis amica nox quàm grata obscuritas, quos nocturnum studium occupabat! Qui sic nocti malè assueti iacebant, ad subitum Solis ortum Sole monstrato cæcutirent. Ergo vt paulatim prouocarentur ad lucem, benè consultum fuit, vt amicam stellam intuentes ad Chrysol. maiorem claritatem instruerentur. Chrysologus sermone 87. *Probet oculos hominum nocti malè assuetos, obscuratos, promotos, sensim reuocatos ad lucem. In Ioanne Dominus accendit sui luminis, & præmisit lucernam, vt degustato lumine, in se iam diuini Solis iubar ipsum perferrent, ipsam Deitatis caperent claritatem. Iuxta illud, quod dictum est de Ioanne: Ille erat lucerna ardens & lucens. Hinc est, quod & Magos adhuc noctis incolas, & totis obstupescentes oculis, tenuiter micans stella assuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis & dierum.* In quo tamen obseruare licet, quid lateat in illis: *In Ioanne Dominus accendit sui luminis, & præmisit lucernam, vt degustato lumine in se iam diuini Solis iubar ipsum perferrent.* Qualis excellentia in lumine Ioannis, vt eo hausto, continuò iam & facilè Deitatis iubar perferatur! Et tamen lumen gloriæ esse supernaturale probatur, & ex Deitate delibatum: S. Thom. *Quoniam* (vt inquit S.Thom.1.p.12 art.5.) *omne, quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quòd disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam. Et istud est lumen, de quo* Apocal.21. *dicitur Apocalyp. 21. quòd claritas Dei illuminauit eam scilicet societatem Beatorum Deum videntium.* Ergo si Ioannes, qui lumen est, iuuat & illustrat oculos, vt ipsam Deitatis capiant claritatem claritas ipsius Dei debet censeri, lumenque ab ipso deriuatum. Sic, quod aduertas, Magi non qualem- Math.2. cumque stellam vidisse professi sunt, sed *vidimus stellam eius.* Vtquid eius? Quoniam nisi eius & ab eo singulare lumen illuxisset, non poterant ad ipsum fontem luminis pertrahi: vt semper maneat Ps.35.10. illud: *In lumine tuo videbimus lumen.* Hæc illustrior omnibus nobilitas Ioannis, quòd radius sit Solis, quòd de fonte luminis lumen sit. Nec id Chrysologum fugit: qui, vt suam illam rationem construeret, stabiliendum putauit, quod in Ioanne Dominus *accendit sui luminis, & præmisit lucernam.*

47. Hæc igitur à Ioanne lucida demonstratio est, Ideò in digito, demonstrationis signum fert. Demonstratio autem, si Dialecticis annuas, scientiam Luc.1.77. parit. *Praibis enim ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Quèm partitè singula! Ioannes non ad dandam salutem præit, sed ad dandã salutis scientiam. Magna Verbi Dei dignatio! Cum Ioãne partitur officia: & Verbum Dei est & Saluator: scien- Gen.3. tia, qua verbum, Saluator, quà Deus homo. Scientiam appetierat Adamus: cecidit exauctoratus, & non intellexit. Humana progenies, scientię impos exoritur: non erat, qui salutis inderet scientiã: homines errauerũt ab vtero, loquuti sunt falsa. Qui docet hominem scientiam, homo fit, vt hominem sanet: & tamen à se salutem, à Ioanne salutis sciẽtiam vult accipiendam. Bernardus in ser. S. Ioann. Ps.37.4. Luc.1.77. Bernard. Bapt. *Ad dandam, inquit, non salutem (nec enim ille lux) sed scientiam salutis, vt testimonium perhiberet de lumine. Scientiam, inquit, salutis in remissionem peccatorum. Ponamus tamen nec dum venisse Ioannem necdum significasse de Christo: vbi ad salutem quæremus?* Ergonè salutis auctor absque Ioanne salutis scientiam non inspirauit? Voluit huic syderi alligari matutinus Solis aduentus, huic lampadi lux, huic Voci Verbum, huic scientiæ salus. Ioannes anteloquiũ est, libri signati sigillis septem præludium. & totius incarnationis vestibulum. Noua sacra peruolue, Euangeliorum frontes perlustra; pro rubro primus exaratur Ioannes. Euangelium, quod bonum nuntium sonat, nescit nisi à voce Ioannis exordiri. *Initium* Ioan.1. *Euangelij Christi*, & statim, *Fuit Ioannes.* Perlege Marcum, Lucam & Ioannem. Lucerna suspenditur in atrio, faustis auspiciis ingressus consectatur. Guerr. Abbas serm.3. de S.Ioan.Baptist. *Propterea* Guerr. *Marcus quoque, Lucas, & Ioannes initia librorum praconiis eius dedicauerunt, vt videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte prolati, totum deinceps commendabilius redderet Euangelium, & lucerna in ipso ingressu ac vestibulo ardens & lucens perduceret ad lucem, quæ lucebat in tenebris.* Solùs Matthæus Christi natiuitati Euangelij primordia sacrat: attamen illicò deflectit, & quasi vestigia repetito tramite tenens, calamum ad Baptistam reducit: nesciuit progredi sine comite Ioanne stylus sacer. Accinit Guerricus suprà: *Matthæus enim,* Idem. *quia eum natiuitas Domini in initiis occupatum tenuit, mox vt puerum nutriendum Nazareth commendauit, ad præcursorem & Baptistam eius stylum conuertit, arbitrans imperfectum fore, quidquid de Sponso diceret, si de indiuiduo amico Sponsi reticeret.* Quin & Incarnationis ætas numeratur à Ioanne apud Angelum: *Et hic mensis est sextus illi, qua* Luc.1. *vocatur sterilis.* Vis aliud? Cœlum ipsum sua sæcula à diebus Ioannis Baptistæ recenset: *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur.* Matt.11.12. Ioannis dies in cœli numismatibus excuduntur, quasi in ære census, Regis annus.

Cur sic, qui minister est, honoratur, vt & cœlis computationis præbeat initium, & ante Domini 48. faciem, non post terga, præcurrat: quasi vestigia imprimens, quæ retro sequens Dominus pedibus reproducat? Imò in honorẽ Dominici aduentus sic comparatum est, vt securus, vicinusque redderetur, nec iam à tot Prophetis promissus procrastinaret accessum, præit Ioannes, Vox insonat, lux albicat: sic Verbum, sic Sol tutissimo pignore de præsentia securitatem præmittit. Ea vtriusque adhæsio est, vt velut si pars esset, incipiat Dominus aduenire, cùm Ioannes aduenit. Curnè exultauit in vtero? Quia præcursor currentis, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, Gigantis motum tenellus didicit infãs, inde præcursor, cùm de cursu Psal.18.6. Orig. eruditus in vtero. Origenes hom.7. in Luc. *Statim vt Maria loquuta est verbum, quod Filius Dei in ventre Matris suggesserat, exultauit infans in gaudio, & tunc primum præcursorem suum prophetam fecit Iesus* Quidnè fecit: prophetam, an præcursorem? Vtrumque. Nam propheta, quoniam matri, quod loqueretur, indixit: præcursor, quoniam festinis saltibus præcucurrit. Satisnè quod sic præcucurrisset in ortu? Imò & in morte præcucurrit. Nonnè audisti? *Et ipse precedet ante illum?* Ast ille, id est, Verbum Dei, & nascens & moriens idem ipse est, adhuc mortuus, *ille* est: ergo Ioannes sicut nascens nascentem, mortuus præcurret mortuum? Ambrosius: *Benè præcedet ante illum, qui prænuntius natus, & prænuntius mortuus est.* Vtquid enim Ambr. antè moreretur, si in morte cessauisset à munere? O qualis in omnibus singularitas! Nõ solùm moriens martyr est, sed & mortuus; nec in sanguine suffocauit officium, sed Vox in sanguine, post sanguinemque fuit. Si apud inferos Dominici cucurrit testis aduentus; quidni post mortem martyr, id est testis, nũcupetur? Aduoco Guerricum ser.3.

Quod

Quòd ad mortem pro veritate certauit, & vt etiam Guerr. *ad inferos Christum præcurreret, ante passionem Christi martyr Christi fuit.* Subridet Theodorus Studit. Studita in orat. de natal. Bapt. in fine: *Qui Herodis libidinis liber fuisti reprehensor, qui iis, qui erant apud inferos, viuum præsignificasti: qui Deum significans fuisti subu orbis terrarum.*

49. Siquidem Theodorus Herodis meminit, à quo eruentam, ferali spiculatore collum amputante, necem Ioannes passus est; præstat sciscitari, cur impudens ille Rex sic debacchatus in Prophetam? Cur sic eum saltantis pellicis impudentia pellexit? Putauit iugulatâ voce iudicem effugere, quasi qui condemnare non potuisset, si ad vocis necem obmutesceret. Ea est Ioannis cum Christo connexio, Vocis cum Verbo, vt ille stultissimus, scelestusque Rex iudicaret, quòd si de medio tolleretur Ioannes, Iudex non esset venturus, vtpote qui non nisi hoc præcursore parat aduentum. Sic cogitabat. Fulgent. Fulgent. in decollat. S. Ioan. *O humana dementia: vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes! Numquid prophetam suo te terruit merito, & non diuino iudicio? Res est extremæ dementiæ, odisse loquentem, nec metuere iudicantem, quasi idcircò iam non timeas Iudicem reticendum si præconem possis necare clamantem, de quo Esaias: Hic est vox clamãtis in eremo: parate vias Domini.* Censuit ergo, quanta huius validæ Vocis cum venturo iudice esset connexio, qui, vt silentiũ indicaret iudicanti, Vocẽ strangulare gestiuit, vt elinguem redderet iudicem, cùm consumeret præcursorem: quasi post inde liceret, quod flagitiosa illecebra persuadebat; iudicis enim per præcursoris cædem desperato aduentu, non putauit iniustum, quod putabat non esse iudicandum. Ea quibus lux aderit verbis Haymonis Haym. Episcopi Halberst. Marc. 6. ad illa verba: *Da mihi in disco caput Ioãnis Baptistæ. Metuens Herodias, ne illicitæ nuptiæ soluerentur prædicatione Ioannis, & Herodes monitis illius acquiesceret, petiuit, vt illa linguasua suis manibus traderetur, quæ scelus illicitum prohibebat, sciens se licitè optato coniugio postmodum frui.* Si scelus illicitum erat, quid intererat linguam Ioannis impudentibus Herodiadis manibus traditam fuisse, vt eaiode sciret se licitè optata coniugio posse frui? An quasi deficeret iudex, enecta lingua, & occumbente Ioanne, tutò posset in scortatione succumbere: velut si efficaciam iotis iugulauisset obtruncato præconis capite, nec maneret, quo iudicare potuisset, dissecto collo, per quod ad iudicem vox erat ituta? Benè. quid est illud: *Vt illa lingua sua suis manibus traderetur?* Si Grammatici annuant, dici debuisset: *vt illa lingua eius*: non enim cuius fuerunt manus, fuit & lingua, siquidem lingua Ioannis, manus autem Herodiadis, sicut vox Iacob, manus autem Gen. 27. 22. Esau. Sed si puella saltatrix dissectum caput dedit matri, iam cœpit eius esse lingua, cuius & caput: vt non timeret à lingua, vtpote sua, dicens: *Labia* Ps. 11. 5. *nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Vbi Dominus, vbi iudex, si Domini labia, si iudicis vox à nobis sunt, & in nostris manibus recentis cruoris imbrem effundunt.

50. Quæ dicta maneant, vt noueris, quantum adhæreat Christus præcursori suo: quàm naturalis eius sit vox, siquidem hac voce in iudicio clamaturum esse iudicem indicatur. Obuium est, quod Greg. Mag. Gregorius Mag. sensit. Hieronymúsque ad illa verba: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Hieron. de descensu ad inferos: *Vnde non ait, Tu es, qui venisti*, inquit Hieronymus; *sed tu es, qui venturus es: & est sensus, Manda mihi, quia ad inferna descensurus sum, vtrum te etiam inferis debeam nuntiare, an alium ad hæc sacramenta missurus es.* Quò pergat Christus, ex Ioannis præsentia discendum est. Sed vtquid ad inferos enuntiaturus aduentum, quasi ibi redemptionis locus perduret? Verbum incarnatum solicita fatigatione Patres intra telluris detenti penetralia expectabant, vt valuas perfringeret, eriperet prædam. Si Ioannem videant de vicino Christi aduentu securi redduntur spei ferme compotes iam effecti. Scitè Glossa: Gloss. *Considerandum autem est, quod non ideò Hieronymus & Gregorius dixerunt, quòd Ioannes aduentum Christi in infernum prænuntiaturus esset, quia eius prædicatione aliqui non credentes conuerterentur ad fidem: sed vt istis in expectatione Christi manentibus ex vicino aduentu consolationem afferret.* Non tibi arridet verbum illud pro Ioannis nobilitate aureum *ex vicino aduentu*? Adeò assecla Christus post Ioannem, vt si Ioannes ad inferna descendat, de Christi vicino aduentu gaudeant captiui.

Adeò Ioannes præcursoris exercet officium, vt non solùm Christum, sed & seipsum præcedat. 51. Ideò exultat in vtero, vitam, motum, sensum, rationem ocyssima anticipatione præcedens, vt ex velocitate præcurrendi ante volandique naturam signum daret notissimum potuisse Christi præcursoris officium peragere. Lepidè August. ser. 22. August. de Sanct. In fine: *Feruens nuntius, qui antè gestiuit nuntiare, quàm viuere; antè rapuit arma, quàm membra; antè aciem petit, quàm lucem: & vt vinceret mundum, vicit ante naturam. Quid dicam, fratres: Ioannes, antequam Christum præcederet, seipsum præcessit.* Inde Titus Bostror. Episcop. Luc. 1. Tit. Bostr. ad illa verba: *vocabitur Ioannes*, Ioannem appellat Christi *prodromum*. Et Chrysologus sermo. 91. Chrysol. Christi *metatorem. Mundabatur longo tempore meatus metatoris Christi*: id est: vulua Elisabeth, qua transiturus erat Christi metator. Sic alias ipse Chrysologus nuncupat Gabrielem, *quem nuntium audiuit, inuenit metatorem.* Metator est, qui præuiè locum aduenturo præfigit. Metatoria pagina potest nuncupari aduentus nuntia & præuia. Sic Sidon. enim aliàs Sidonius lib 8. epist. 11. *Huic quodam tempore Burdogalum inuisens, metatoriam paginam quasi cum musa præuiam misi.* Et *metatus* locus separatus est, vbi hospitalitas & domicilium figitur, apud S. Gregorium Turon. lib. 10. cap. 2. & Flodoardum lib. 2. cap 3 Quin & *metatorium* dictus est locus extra Basilicam, vbi peregrini ab Episcopo excipiebatur. Sic Cedrenus ait: *Per dextram partem iuit in metatorium.* S. Greg. Tulon. Flodoar. Cedr.



ACADEMIA XXXIII.

Ioannis Baptistæ supereminens gratia ex Maria visitante.

Maria statim ac Verbi Genitrix, in peccatum originis, quod aduersus Verbum Dei fuit, insurgit.

SECTIO I.

QVo pergis concito gradu, ô Beata? Quò 1. pernici cursu festinas? *Ad montana cum* Luc. 1. 39. *festinatione.* Puella, quam via prægustauerat

ſtauerat Sol, perflauerat zephyrus, iam per ſaltus, iam per abrupta montium peragrat? Vix concipit Verbum Dei, linquit domum, velox accingitur, & præpropera concitatione Iudææ montana fatigat. Septam Gabriel inuenerat ſolam in penetralibus, ſolam ſine teſte: ſuſcipit nuntium, ſubiicit aſſenſum, concipit Deum, & illicò feſtina cucurrit, quaſi feſtinationis & conceptus inſtans ſit idem. Lucas etenim ſic ait: *Et diſceſſit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana.* Signa myſterium, pondera ly *autem*, quod cum ſuperioribus ligat. Quare Ambroſius: *Vbi audiuit hæc Maria, feſtinans in montana perrexit.* (Ambr.) Anne quem concepit, infans in mobilitatem adigit, igniis calcaribus vrget? Sanè ſapientia eſt, quæ omnibus mobilibus eſt mobilior. (Sap. 7. 24.) Sanè deſidiam, torporemque nō nouit fœtus nouus, quem Mariæ claudit vterus, dicente Tertulliano: (Tertul.) *Otium ſui natura non nouit: hinc cenſetur, ſi agat, vt ſit; ceſſaret, vt non ſit.* Actio irrequieta pro natura eſt. Neſcit tarda molimina virtus Spiritus ſancti. Benè ſunt hæc: ſed nondum plenè. E cœlo Verbum Dei bellator aduenerat, vt redimeret: vix Matris ſinum tetigerat, cùm partus moras, cùm ætatis ventura luſtra non patitur. Qui bellaturus venerat poſt natiuitatem, imò & in morte, vix fœtus eſt in vtero Mariano, & iam geſtit debellare. Ioannes ſub iugo diaboli eſt. Vt incarnatione peracta, propulſetur tyrannis, & Virgini geſtanti vterum decantetur triumphus, appareatque benignitas Saluatoris noſtri Dei, antequam pariat Virgo, & appareat humanitas; (Ad Tit. 3. 4. Luc. 1. 78.) dum vterum Virginis viſitauit Oriens ex alto, in montana ſubrigit Matrē, vt viſitaret Eliſabeth, & dæmone victo, vexillum gratiæ intra ſterilis viſcera erigeretur. Hæc nobis maturiùs verſanda ſunt.

2. Vide dignationem. In celeritate Deus creaturam æmulatur: velociùs nititur ad medelam, quam illa ad vulnus. (Iſai 14. 12. Pſ 36. 36.) Quàm abrupta, quàm intempeſta feſtinatio ad culpam! Conſidera vtramque creaturam, Angelicam ſcilicet & humanam: Angelus vix ad lucem cum luce erumpit, & in inſtanti capaci culpæ cadit. Forſan antè peccaret; ſi in primo inſtanti potuiſſet: nequiuit celeriùs. Vix eſt, iam trāſit; & ecce non erat, nec eſt inuētus, locus eius. Ergo bone Deus manum molimini redde, veni ad limum, arripe teſtam, aliam conſla creaturam, ſi forſan perdurabit tui. (Gen. 2. 7. Ibi. 3.) Detornatur homo è figlina, ſpiraculo imbuitur in animā viuentē. Sta homo, vide ne cadas; ſub Creatoris imperio docilis perſiſte. Eheu! Vix figmentum viuit, cùm inhibitæ arbori oculos figit, cùm transfigitur, cùm interit. (Pſ. 49. 8.) Vah vtraque creatura, quæ recens templum Dei deſtruxiſti: vah Angele, vah homo: cum adulteris portionem tuā ponebas; vidiſti furem, cucurriſti cùm eo: velox ad culpā, vix formatus; ſatus à Creatore Creatorē deſeris. Ergonè & Angelus & plaſma inſurgit in opificem, nec ſaltem primæuos arbitrij fructus Creatori impendunt? Hæreditariam patimur iniquitatis indolem ab Adamo: cum vix ad arbitrij peruenimus vſum, iā cadimus, & illecebris ludibūdæ vitæ ineſcati per abrupta vitiorū imus, auctore derelicto. Quis, dum primæ rationis tetigit vſurā, non ſe illaqueatū tranſitoriia ſenſit, vitio humanarū rerum allectum, ſenſilibus addictum, & totum cum ſęculi dote damnatū? Ergonè tam citus ardor in deſerendo Deo, à quo viuimus? Quid faciet miſericordia Dei noſtri? Velociornè erit ad ſolutionem, quam ad vinculum creatura? Velocior ſanè. Quî poterit? Si expectat naſci, vt repatet, nō citior erit liberatio. Angelus enim vix creatus cecidit, vix plaſmatus homo. Quomodò citò anticipet nos miſericordia eius? (Pſ. 78. 8.) O præpetis amoris ingenium! Angelus cucurrit ad ſuperbiā, homo ad eſcam: ſed poſtquàm ad lucem venerāt, poſtquàm per creationem acceperant, quod infās per natiuitatem ſortitur. Antecellere geſtit Deus; ocyor pietas in miſerendo: adhuc intra viſcera Virginis, inter vteri clauſtra, nondum deguſtata luce, ad reparandum Ioannem accingitur; & idem efficit incarnationis, & procinctus ad liberationē inſtans. Concipit Maria, & tunc exurgens abiit in montana cum feſtinatione. Gratia celerior iniquitatem anteuolat: ſegniora hæc ſub luce creaturam expectauit; illa nondum natum effuſo largitatis imbre ſuffundit: ideò in vtero Deus infans infantem in vtero geſtit liberare. Origenes homil. 7. in Luc. (Orig.) *Ieſus, qui in vtero illius erat, feſtinabat adhuc in ventre matris Ioannem poſitum ſanctificare.* Eadem verba habentur in Concil. Baſil. ſeſ 43. to. 4. Concilior. Quàm compta eloquutio! Vide vtrūque nondum natum. (Concil. Baſil.) Vt pro gratiæ feſtinatione ſuffragium feras, ibi mentem fige: *Ieſus qui in vtero Ioannem adhuc in ventre.* Bone Deus, cur tam citus inſudas pro puerulo? Naſcere, tunc medeberis; naſcatur ille, tunc ſanabitur. O ſæcula amanti! Imò in hoc gratia elaborat, vt qui redimitur, nōdum natus ſit; qui redimit, nondum natus. Sic vberior aduerſus iniquitatem victoria. Sat eſſet Domine, te ante lucis hauſtum ſanctificaſſe creaturam, ſiquidem Angelus & homo poſt captam lucem deliquere. Tres menſes expecta: nunc eſt ſextus menſis illi, quæ vocatur ſterilis; inuenies natum, & ſubuenies. Abſit non ex integro victoria, ſi antè ſub luce Ioannes, quàm ſub gratia. Claudicaret amoris ingenium, non geminā anteuolaret alā iniquitatem. Ieſus in vtero, Ioannem adhuc in vtero ſanctificat. Sic anticipat miſericordiam; & vbi abundans cucurrit iniquitas, ſuperabundans præcucurrit gratia.

Si tam feſtinam gratiæ largitatem ab vtero didicit Virgineo? Concepit & illicò ſurrexit Virgo, in ipſo cōceptu exurgere edocta. Virgo concipitur in Annæ vulua, & in ipſo conceptu exurgit. Nondum ceciderat eliſa in Adamo: idem fuit inſtans, concipitur & erigitur; maculas Adæ non ſenſit, primæuo pede ſerpentis caput calceata contriuit. Ideò quæ in conceptionis inſtanti concepta exurrexerat, in conceptionis inſtanti concipiens exurgit, vt originariam labem, à qua virgo immunia, Ioānes in vtero ſubterfugiat. Quàm illico aſcēdit in altū, dum cōcipit, quæ cōcepta didicit in conceptionis inſtanti ſuſtolli! Diſceſſit Angelus ab ea, è veſtigio exurgit in montem. Vterq; aduerſus flagitium deſertoris Angeli & præuaricatoris hominis, in prima Dei conceptione aſſurgit in altum. Ille Cherub protegens in montem aſcendere tētauit; (Eſai. 18.) non vt exurgeret, ſed vt caderet, nō vt ſtaret humilis & miniſter, ſed vt ſederet clarus & ſuperbus. Ergo Gabriel cùm miniſterium impleuiſſet, volatum repetit, vt in cœleſtibus ſtet coram Domino. Maria in montana ſurgit, vt à flagitio ſuperbiæ nondum natum abluat infantē. Indicauit Beda in Luc. (Beda.) *Accepto Virginis conſenſu, mox Angelus cœleſtia repetit, illa repetit montana. Feſtinat inuiſere Eliſabeth, non quaſi incredula de oraculo vel dubia de exemplo, ſed vt læta pro voto, religioſa pro officio.* Quæ vltima accepit ab Ambroſio lib. 2. comment. in Luc. (Ambr.) vbi pluries hoc Virginis officium memorat. *Non à publico*, inquit, *virginitatis*

pudor

pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana Virgo cum festinatione, virgo officij memor. Ex quibus innuitur ad virginis officium attinuisse, sic concepto Deo, quasi tormentario puluere agerent, ad superiora conscendere, vt illic quasi sedentem in monte in lateribus Aquilonis illum procacem spiritum detruderet, nouumque Angelum Ioannem ab eius captiuitate deneсteret.

4. Ergoné hoc Mariæ munus, originariam labem emacularet? Profectò sic competebat, si misericors gratiæ velocitas velocitatem culpæ præcellere destinabat. Huc reuoco pristinas illas inimicitias, quas inter semen mulieris & serpentis semen conserendas prædixerat Deus. (Gen. 3.) Intra viscera Ioannes est, Deus homo intra viscera. Originaria labes semen est serpentis: & qui adhuc in vtero est, quasi semen venit nuncupandus Maria mulier est, quæ inimica serpenti. Caput, cùm ille calcaneo adreperet, amputauit. Accersendus est Alcuinus, qui interrogat. 75. in Genes. sic ait: (Alcuin.) *Semen serpentis, originalis peccati primordium est.* Nusquam aptius, quàm in hoc conflictu, inter semen mulieris & serpentis semen peractas inuenies inimicitias. Sanguis, ex quo formandus fuit fœtus, aduenerat ad Virginis sacratum penetrale; illicò Deus homo factus est, ideò aduersus serpentis semen duellum. Ab vtero in vterum dimicatur: quasi naualis pugna ex alterna naui compingitur, & spiritus Domini ferebatur super aquas. (Gen. 1. 2.) Vtraque mater baiula fœtus est: bellum intra viscera peragitur; medius paries vteri est, & qui medius obstructionis erat, inimicitias dissoluit. Sic capio S. Epiphanium Episcop. Constant. de laud. B. Virg. (Epiph. Const.) *Per te medius obstructionis paries inimicitias dissoluit: per te crux resplenduit per vniuersam terram, in qua quidem cruce resplenduit Filius tuus Christus Deus noster.* Illud me pungit in Epiphanio: *Per te crux resplenduit per vniuersam terram.* Memini Bernardum medium terræ, vterum Virginis appellauisse in illud Psal. (Bernard. Psal. 73. 12.) *Operatus est salutem in medio terræ.* Qui intra viscera est, nondum crucis fructum sentit; nondum ad vniuersam terram aduenit crux, cum fœtus infans intra terrena viscera non gustauerit. Per Mariam in vniuersam terram crux resplenduit, quia etiam ad Ioannem nondum extra lucem, adhuc intra sinum fructum crucis attulit. Ad hoc in montana perrexit, quasi Filij mortem præoccupans, & moras erga Ioannis redemptionem sedula festinatione præueniens, vt in vniuersa terra crux splenderet. Ioannem à Christo baptismatis suscepisse sacramentum, sunt, qui asserant, vt omnis consummationis videant veritatem & finem verba ipsius Ioannis, quæ accedente Domino loquutus est: (Matt. 3. 14.) *Ego à te debeo baptizari.* Sic sensere Euthymius & Theophylactus ibi, Auctor imperf. homil. 4. (Euthymius. Theophyl. Auct. imperf. Rupert.) Ne quid, quod fieri debuit, non adimpleretur in Ioanne, sat fuit ipsum dixisse se à Domino intingi debere, vt credatur intinctus. Quid quòd non debuit Vox veritatis incassum præterire, si Verbum veritatis, cuius illa vox, manet in æternum. Rupertus de gloria & honore Filij hominis lib. 2. in cap. 2. Matth. *Vbi verò factum est eidem Ioanni, quod dixit: Ego à te debeo baptizari? Oportet namque verum & statera rationis esse ponderatum, quod tali tempore, talem ob causam, tali tantoque Filio hominis dixit Propheta veritatis, homo tanti meriti, Angelus tam magni præconij.* Sed censet Rupertus in cruce baptizatum fuisse, vbi occisus agnus, quem ille digito monstrauerat, in redemptionem & lauacrum sanguinem perpluit. (Ioan. 1. 29. Luc. 1. 15.) Vtquid si sanctitatem in vtero, plenumque Spiritus sancti imbrem ab ore virginis salutantis ebibit! Quoniam nisi sanguis agni ruberet, sacroque cruore crux purpurasceret, licèt antiquior; illa gratia infantem in aluo non perfudisset. Pergit Rupertus: (Rupert.) *Et quidem scire oportet, quòd ex vtero matris suæ sanctus esset, quippe qui Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ repletus est. Sed quia de propè sciebat, quòd Dominus solus sine peccato esset de Virgine natus; ipse autem, quamuis magno munere sacratus, tamen de commistione maris & fœminæ fuisset procreatus: sanctitatem illam quasi nescire voluit, nec sibi sufficere indicauit, nisi pro eo funderetur sanguis illius agni, quem videbat.* Et dixerat paulo ante: *Vbi traduxit illum palam confidenter affigens cruci, & mare rubrum scilicet sanguinem & aquam de latere suo, lancea percussus emisit; ibi factum est Ioanni, quod sperabat & sciebat: Ego à te debeo baptizari.* Ergo per Mariam resplenduit crux in vtero Elisabeth, & è ligno nondum stipitem in terra figente maturus fructus præcoci anticipatione illuc fuit illatus. Ex quo virginitatem Ioanni insinuatam fuisse adhuc intra viscera latenti, quoniam Spiritu sancto repletus crucis fructum accipit, forsan voluit Hilar. hom. 1. de S. Ioann. Bapt. (Hilar.) *Zona erat pellicea circa lumbos eius, quia in eo nihil carnale remanserat: quia in lumbis eius luxuria blandimenta rigida crucis contritio castigabat. Meritò in eo locum contagio mundana non habuit, de quo Angelus contestatur: Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.*

5. Diximus, nullibi clarius inimicitias inter semen mulieris & serpentis semen ostendi, quam in hoc ab vtero in vterum conflictu. Tunc enim proprius virginis semen Christus nuncupari valuit postquam breue interstitium inter generationem & visitationem fuit. De semine, quod est Christus communis Patrum explicatus est. Epiphan. lib. 3. aduers. hæres. (Epiph.) *Nusquam autem reperitur semen solius mulieris, nisi in Maria: proinde non potest totum in Eua impleri.* Rupert inibi: (Rupert.) *Certissimè hic illius semen mulieris promittitur, quod est Christus: per quod sexus idem, qui deceptus est, deceptionis caput omne contriuit, quando ad destructionem peccati beata Virgo sine peccato nouum hunc & cœlestem hominem mundo edidit.* Sic varietatem inesse lectionum in illis: (Gen. 3.) *Ipsa conteret caput tuum.* Cui lectioni subscribunt sacra conspiratione Patres. excepto S. Leone, qui mauult legere: (S. Leo.) *Ipsum conteret caput tuum.* Eruditè tractat Cornelius, qui obseruat non à lectione communi nos deturbari debere ex Hebræo: (Corn.) tum quia licèt sit *ipsum*, alia tamen lectio, alia scriptio est, vt adnotatur in margine: quare *ipsa* legendum est: tum, nam licèt *ipsum* legatur, ad fœminam referendum; quippe emphasis est, masculique roboris dignum de fœmina facinus virile profertur: ideò masculina eligitur terminatio. Quare etiam verbum *conteret*, Hebraicè masculinum est, vt in ipsis syllabis, virginis huius de serpente victoria masculo stylo decantetur. Ecce tamen difficultas. Si Christus est, qui vincit, & pulsa tyrannide expeditos à ferrea compede captiuos in regnum libertatis inducit: cur mulieri canitur triumphus? Hæc causa, me iudice, impulit Moysem, vt pronomen adiiceret, quod promiscuè

verum

vtrumque concerneret, & Filium & Matrem. Ab exordio sic misericors Sapientia constituit, non vtcumque Deum hominem aduersus hostilem veteratorem confligere, caputque ouanti pede conterere, nisi qua è fœmina genitum: vt eodem instrumento, quo serpens vicerat, vinceretur. Ideò signatissimè dictio *seminis* ponitur, vt in vna voce respectus sit ad Matrem, & Filium, sicque ad generationem & vterum Virginis absque viro grauidæ relatio fiat. Inde, quando triumphum Filius agit: quia, quà semen mulieris, virgineaque progenies, detriumphauit, facinus victrici fœminæ deputatur; sicut vides in antelucana, nimiûmque matutina Ioannis intra vterum à serpentis vinculo solutione, quæ salutantis Virginis voci, ab eius semine, filio videlicet, vterique fructu commotæ, tribuitur. Nullibi faustius Hesychij mens sortem habet, qui alibi datus oration. 2. de laudib. Virgin. sic inquit: *Vides, qualis est Deipara Virginis dignitas? Vnigenitus enim Dei Filius velut infans gestabatur ab ea, & Adamum reformabat, Euamque sanctificabat, excludebat draconem, & paradisum aperiebat, sigillum vteri muniens.* Infans in vtero Virgineo gestatus, in tacito latibulo recumbebat; nec redemptionis per mortem in publico peragendæ intra materna viscera, sanguine rubebant exordia: quomodò iam tunc Draconis exclusio, paradisi reseratio, reformatio parentum? Opportunè satis, si referas ad partum de tyranno trophæum, qui semestrem fœtum hæreditario fune intra maternum carcerem illigabat. *Vides*, inquit, *qualis est Deiparæ Virginis dignitas.* Mariæ dignitati defertur victoria: & tamen vicit infans, contriuit Draconem, exuuias reportauit. Quoniam vt semen Virginis vicit, qui vix conceptus à Virgine fertur, vt vincat. Ideò forsan pede vipereum caput contriuisse describitur, quia cum festinatione iter arripuit, mòtiumque iuga calcauit, celerisque pedis euangelizantis pacem sacris motibus, vt debellaret, accessit. Vnde exurrexisse dicitur, postquàm Verbum Dei concepit ex fide, vt corruentis Euæ casum leuaret, & infidi flagitij originarium caput pessundaret. Amadeus homil. 7. de laudibus Virgin. *Eua infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros; Maria infusa vitali antidoto, quod fidelis transmisit ad vniuersos. Corruit illa malè credula serpenti; surrexit ista, & iuxta verbum, quod dixerat Deus in Genesi, contriuit caput serpentis.* Nonnè surrexit, quando in montana exurrexit?

Hesych. — Amad.

6. Igitur attende victoriam, quali sapientiæ victricem Virginem virgineâ lauro redimiuit. Loquitur, & iam herbam porrigit hostis; veterator anguis sub herba latitans viridi, mollique tenelli infantis malè pastus sanguine, caput intra Virgineam crepidam contritum sparsit, tabo fluens, quo se saturauerat, vt pugnaret. Quid quòd voce fœminæ pereat, qui voce fœminam interemit; & qui suggestione supplantauit incautam, salutantis vocis suggestione incantatus sub fœminæ planta periret? Ex quonè perisse dignosces à voce? Consule Elisabeth: *Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tua in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* Quid est, quòd pedum motus, hilarisque saltatio, deuicti serpentis in signum fit? Annè quia serpens blandiente cauda semitam fecerat in pedibus, quibus ad interdictam arborem accessus fuit, vt non semel datus dixit Ambrosius: Benè. Sed & pedes priùs à colubro illigari in origi-

Luc. 1. 41.

natio scelere, non dubium erit cogitanti, primos ingressus obseruare serpentem, conceptionem scilicet, qua proles primum gradum in vtero matris figit ad vitam. Id non fugit Hieronymum apud Lippom. *Ipse conteret caput tuum, & tu conteres eius calcaneum: quia & nostri gressus prepediuntur à colubro, & Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter.* Nisi enim ipse pedes liuidis orbibus & circulis illaqueare gestiret, calcaneoque obreperet, vt morsum figeret; non per calcatum caput pergeret fœmina. Puto ergo vtrumque pulchrè continuari: quasi diceret: Ne causeris, quòd mulier caput tuum victrici conterat planta: tu enim prius prouocabis, primis gressibus te satagens implicare, vt flexuoso trunco vincula iniicias, & post in initio formationis, scilicet sub pede, capite adrepas, dentemque figas venenatum. Originarium peccatum mirè descripsit, & illius victricem ex semine sancto mulierem. Itaque benè exilit & exultat infans, quem serpens, qui caudâ intricierat pedes, attritus capite dereliquit. Mirus est Sanct. Gregor. Thaumat. sermon. 1. de annunt. Virgin. *Conuenienter sanctam Mariam ex omnibus generationibus sola gratia elegit. Nam prudens reuera ac sapiens in cunctis erat: nec similis ei ex vniuersis generationibus vlla vnquam est reperta. Non sicut antea virgo Eua sola in paradiso chorum agens atque tripudians relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali serpente verbum suscepit, ac per ipsam fraudulentus venenum effundens, mortemque admiscens in omnem mundum, introduxit: verum in sola sancta Virgine eius lapsus reparatus est.* Quid est, quòd choreas agentem, tripudiantemque inducit Euam, cum tripudium ad numerum motis pedibus terere & ferire terram sit? An quia quæ tam subitò cecidit, grauiterque vulnerata interiit ex casu, saltauisse censenda est; nec enim, nisi citatis saltibus se in altum erigere illecebrosè gestiret, tantum præcipitium poterat experiri? Saltauit, quæ vsque ad similitudinem Dei scientis intortis modis membra subleuare gliscebat. Saltauit, quæ de inhibita arbore vt fructum arriperet, quem non poterat breui contingere lacerto, saltu decerpsit. Denique iure dixerim saltauisse, lasciuientibusque tripudiis torsisse corpus, quod Dei manus detornauerant, siquidem tunc primùm mutationem fecit. Fauet Hispana vox, qua saltatores dicuntur, *mudanzas* facere. Ergo ad tympanistriæ Virginis vocem exultans salit Ioannes in vtero, statum culpæ in gratiam mutauisse præsignans. Hæc fuit mutatio dexteræ excelsi. Salit, qui claudus: ingeminat saltus, vt pluribus ictibus caput serpentis retundat; qui salire fecit primam fœminam saltatricem, vt postea circumuolueretur in gressibus, vipereaque catena captiuam traheret in exilium. Fortassis qui exultauit vt gigas ad currendam viam, saliens in montibus, transiliensque colles venisse suadetur, sic celeres saltus ingeminans, vt placuit Gregorio M. quoniam saltatricis fœminæ lapsum reparare veniebat; ideò primum reparationis experimentum illicò in Ioanne fuit, qui exultauit ad præparandam viam, & in odorem vnguentorum eius currens exiliit.

Hieron. — Thaumat. — Psal. 76. 11. — Psal. 18. 6. — Cant. 2. 8. — Greg. M.

Ergo saltante Ioanne caput serpentis atteritur à fœmina. Quid quòd inuidus serpens caput eius à fœmina saltante amputari solicitet? Quàm ferale inter lasciuientes digitos, volubilesque procacis puellæ pedes tripudium! Cur saltatricis præmium Baptistæ caput est? An quia bis ex peccato 7.

cato concepta, ex adulterio scilicet, & ex communi generis piaculo, iã inde à serpente in saltatricem initiata est, vt Ioanni, qui in vtero saltans caput eius concusserat, caput ob saltatricem scinderetur? Certè iam à natiuitate impudicis choreis, impudentisque saltatricis officio deuinctam Marc.6.25. fuisse illam scelestam adulterij filiam non sine August. pipere innuit Augustin. sermon. 10. in nou. sermonib. *Mulier detestabilis odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret. Quando autem par-* Luc.3.7. *turiebat, peperit filiam, filiam saltantem.* Quasi saltans nasceretur, tripudiansque cum Eua, per contortos circulos à coryphæo serpente erudita si serpentis germen esset, & caput peteret hominis, qui genimina viperarum voce enecuerat, sicut saliens in vtero, serpentis caput. Arridet Petr. Chry- Chryf. solog. sermon. 173. ad illa verba: *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis* inquit: *Serpentis germen caput hominis petit, cui suum caput sententia principali sciebat addictum, dicente Deo: Ipse seruabit caput tuum, & tu illius obseruabis calcaneum.* Et statim: *Sine causa cucurrit serpens: nam tota germina serpentis antiqui iste Ioannes interemit, & effusione sui sanguinis extinxit occisus.* Ergonè sic lasciua puella rotatur in orbes, frangitur in gressus, ex arteque fluitantes motus disiunctà membrorum compage recolligit, vt tandem tripudij merces Baptistæ caput sit? Circulos in fœmina gyrabat serpens, & adrepens cruribus pedes regebat, saltu caput Ioannis impetens, vt caudæ fune ligaret, & funesto fine è Idem. sacro collo denecteret. Adsit Chrysologus serm. 174. *Serpens tunc latebat in fœmina, quæ reptans gressibus flexuosis lethale toto corpore virus effudit: vt discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret, homines verterentur in bestias; nec vino iam tales, sed sanguine potarentur; nec pane rabidi,* Theodor. *sed carnibus vescerentur humanis.* Sic Theodoretus in Cat. S. Thom. Marc. 6. *Dum conuiuium fit, Satanas per puellam saltat, & iusiurandum perficitur sce-* Theoph. *leratum.* Theophylactus: *Mira collusio. Saltat per puellam diabolus: fit iusiurandum impium & nefarium.*

8. Cur tali conspiratione saltatio puellæ dæmoni tribuitur, nisi quia serpens in pedibus, iam non calcaneo Ioannis, sed capiti insidiabatur: vt contriti in vtero capitis vicem rependeret, & quem ob Virginis cantum perdiderat ex vita gratiæ, per illecebrosæ fœminæ saltum perdat in mortem? Elegit per saltatricem impetere: quia nullum aptius simulachrum colubri se in orbes plicantis, se tortuosis nodis stringentis, iam lubrica conuoluentis terga, iam caudam extendentis, quam varius saltantis motus est. In hanc artem filiam Herodiadis corripuit dæmon. Sanct. Andreas Andr. Cret. Cretens. oration. de amput. capit. Baptist. colum. 6. ante med. *Quid eorum, quæ ad voluptatem pertinent, non habet saltatio Chorybantica? Qua autem non est plenum turpitudine corpus, quod celeriter mouetur; & membra, quæ tanquam turbo rotantur? Quæ sunt reuera simulacra eorum, qui sunt correpti à dæmone.* Vsque ad caput Ioannis saltum dare serpens gestiuit, ex quò saltum dedit Ioannes vsque ad caput & aures Elisabeth, in quibus facta fuerat vox salutationis Mariæ. Ideò assueto sibi organo, molli videlicet & prostituta puella vtitur, vt salaci illecebra saliens, præcursoris sanguinem B.Fulgent. portaret in pedibus. Eleganter Sanct. Fulgent. in decollat. Bapt. *Producitur lasciua carnifex fœmina, quæ Prophetam non gladio, sed saltatione prosternat. Molli puella gressu procedit in medium, homicidium petitura & adultero placitura, alienum in pedibus portans sanguinem & sceleris postulatura mercedem. Sic saltat, vt placeat; sic placet, vt occidat.* Ergo sic saltat, vt occidat. Obserua illud: *Alienum in pedibus portans sanguinem.* Quomodò salit velox vt hinnulus cerui, si pedes præter proprium sanguinem alieno protuberant? An quæ ex libidinis sanguine, adulteroque spermate; nec solùm ex voluntate carnis & ex voluntate viri, sed ex incestis, corruptisque sanguinibus nata erat, sanguinum lasciuientium luxuriem propter libidinis abundantiam vsque ad pedes currentem portabat? non malè: ideò enim, *producitur*, inquit, *lasciua carnifex fœmina, quæ Prophetam non gladio, sed saltatione prosternat.* Et Chrysolog. sermon. 174. *Titillante luxuria &* Chryf. *non tam laudante, quàm illudente lasciuia promitteret, quidquid turpitudo peteret, se daturum. Quid peteret luxuria nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem?* Verùm alia est Fulgentij mens. Alienum in pedibus sanguinem portabat, quæ sanguinem Ioannis certam habebat pro saltatione mercedem. Hic erat illius choreæ, plaudentibus petulcæ libidinis tibiis, scopus; mors Baptistæ. Imò alienum in pedibus portabat sanguinem, quia lethale virus serpens effuderat in plantis, vt tremulâ vertigine corpus circumageret, & funambuli more rotaret: vt qui in vtero matris suæ, cùm recens ex sanguine formatus erat, præ gaudio saltans exultauit; sanguinem ob carnificis fœminæ exultationem effunderet.

Ast nihil proficis, serpentina sæuitia. Qui sal- 9. tando in vtero, vocem exultationis, *Vocisque cla-* Ioan.1. *mantis* arripuit vocabulum quamuis ex theatralis conuiuij nouo tribunali, misso spiculatore, organum vocis amputetur, & repentibus adhuc execti capitis venis per lasciuos saltatricis digitos feruidus sanguinis emergat; adhuc in sanguine vocem habet, non eget gutturis organo, qui gratiæ beneficio Vox est. Si vox *clamantis in deserto* Luc.1. dicitur; si hæc illi natura, postquàm facta fuit vox salutationis Mariæ, quæ Verbi Dei sonus erat, & tunc hæc animata vox Domini confringentis ce- Psal.28. dros sub pedibus confregit serpentem; dum angustias corporeas ei amputasti, dum sceleri incumbebas, seruisti voci, & nescisti. Si magis sonat vox Abel, dum eius sanguine rubet ager, quam per colli elicem eliquata: quantò magis Genes.4.10. sonabit non Ioannis vox, sed Ioannes, *Vox est*, postquam ab arctis corporis liberatur angustiis? Pulchrè Chrysolog. sermon. 174. *Gratis cucurristis* Chryf. *Herodes & Herodias (nomina non affectione sociata, sed crimine) quæ vocem intercipi posse stultissimè credidistis. Ego sum, inquit, Vox clamantis in deserto. Vox occidi non potest, sed magis clamat angustiis corporeis absoluta. Si vox Abel in suo iam effusa sanguine magis sonat, magis penetrat, magis pertendit ad cœlum.* Benè Chrysologus à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem, non iam Zachariæ, sed filij Zachariæ; non iam inter templum & altare, sed inter Regis aulam lauto conuiuio fumantem, & carcerem occisi procedit. Abel innocentiæ symbolum est, cuius candorem lacteus sanguis, non tam rubricauit, quàm extersit. Ioannes antiquior in innocentia fuit, licèt iunior in sæculo, vtpotè qui post sex vteri menses iam paradisi candidatus, innocens ambulabat in vtero. Ideò ab inuidia serpentis enectus, qui calcaneo, id est morti eius, insidiatus est, vt sanguinem

funde

funderet, qui intra sanguinea viscera ex communis generis sanguinea occisione surrexit. Vide, quàm absque sanguine puer ille innocens candebat! Nudis pedibus saltat in terra sterili, quam tribulis & spinis ex Domini sententia propter originale piaculum malignitas asperabat: & tamen non pungitur; imò salit & exultat, quia liberè agit, & à peccati vepribus solutus triumphat inermis. Antipat. in orat. de S. Ioan. Bap. *Quis dicet ab ea, quæ fuerat olim condemnata, intus, in ventre scilicet, habitum fuisse indicem atque præcursorem; quæque audiuit: In doloribus paries filios tuos, eam venisse illum portantem, qui nobis annuntiauit doloris solutionem? Quam execratus est terram, eam calcauit, diuino gressu latam infirmans sententiam, spinam peccati conterens impollutis vestigiis. Hæ erant exultationes Ioannis, vel verba potius. Verba enim erant pueri nondum nati saltationes.* Optimè illud: *spinam peccati conterens impollutis vestigiis*, id est, incruentis. Aderat illa Virginea terra, quam originarij vepres vt lilium armabant, non pungebant: quid quòd saliat Ioannes, & non positis, nec depositis, sed non habitis calceamentis, nudus in vtero, maternaque carne vestitus appropiuquare ad rubum igneum præsumeret, qui sanctus à terræ sanctæ non tam contactu, quàm odore iam erat.

Gen.3. Antip. Exod.3.

Mariæ salutantis Vox nomine Ioannis vocauit infantem, quem Spiritus sancti exundante gratia repleuit.

SECTIO II.

10. MARIA salutat cognatam, & infans in senili vtero exultat. Cogita, qualis erat ista salutatio, quæ sic concitauit infantem. Si sic exultat, qui peccati catenâ tenebatur, qualem putas salutationem fuisse, nisi gratiæ? Vnde probabimus? Vix Angelus recedit à Virgine, cùm cursũ dirigit in montana: ergo adhuc in auribus species Angelicæ salutationis insonabant; quid nisi, quod alte ebiberant, eructaret? *Aue gratia plena*, dixerat ille. In quo duo sunt, exultatio, gaudiumq; in *Aue*, & aduersus originale peccatum, gratiæ plenitudo. De primo communis conspiratio Patrum est: cõstat ex pluribus, quos dedimus Acad. 18. sec. 2. Hũc significatum vox Græca χαῖρε exoptat. Quare Euthymius: *Gaudium hoc, Eua soluit maledictionem illa siquidem iussa est habere mœrorem; hoc autem gaudium, quod mœrori contrarium est.* Quod gratiæ plenitudo primæ sententiæ aduersus piaculum condemnationem exclusit, dixit Fulgentius in serm. de laud. Virg. *Aue gratia plena. Cum dixit Aue, salutationem illi cœlestem exhibuit: cum dixit, gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Ergo Virgo salutans Elisabeth, salutationis Angelicæ videtur illi traxisse reliquias, & quam nuper audierat, fuisse in visitatione loquutam: vt infanti in quem salutationis voce dirigebat, & exultationem præstaret in vtero, & ab originaria noxa libertatem. Gratiæ vocem emisit, & quæ gratia plena & spiritu superplena, redundantia per labra gratiæ fluenta transfudit.

Luc.1. Euth. Fulg.

11. Voce gratiæ salutat, vt salutem impertiatur infanti. Anne salutem tantum? Imò hæc nos cogitatio cepit, quòd quem flamine spiritus baptizabat, & sacra regeneratione asserebat in filium, vernaculo nomine insigniuit: vocauitque nomen eius *Ioannes*, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Si non credis, consule, quotquot huius sancti vocabuli significationem expendunt. Nullus dissentit à gratiæ significato. Quam valida Virgineæ vocis efficacia! Tam vberi gratia irrigauit infantem, vt salutationis vox transiret in vocabulum, & gratiæ fluuius in nomen. *Iochanan*, docente Beda, Hebraicè *gratiosum*, seu *gratiam* significat. Si ergo Ioannes est nomen eius, vocatur ex gratia quam gratiâ plena e torrente voluptatis effudit. Guerricus serm. 1. de S. Ioan. Bapt. *Denique si alia cessarent omnia, solius gratia nominis eius; quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur, satis, abundéque singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Dignum quippe erat, vt gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratia prædicaret, & gratia non mediocrò emineret, qui gratia tempus à tempore legis velut medius limes disterminaret.* Perpende illud: *vt gratiam Dei, quam gratia plena profudit.* Ergo Maria nomen dedit, quod eius intuitu Angelus præmiserat imponendum. Et, si mediteris; tanquam filio, ex regeneratricis matris nomine vocabulum præstitit, in salutatione nomenclaturam ei præbens, quam sibi salutando Angelus indiderat. Nonnè salutatio Angeli fuit: *Aue gratia plena?* Hoc Mariæ nomen est, ex quo portionem detraxit, cuius appellatione regeneratus infans inbueretur, quem Spiritu sancto replebat. Albert. Magn. in Mariali: *Angelus dignissimè salutando, nouo nomine dignitatis salutauit, vt permutationem nominis permutatio status significaret, & eminentia dignitatis: vnde nouum nomen imposuit, scilicet gratia plena. Quod circumloquutio tantum est proprij nominis beatæ Virginis & personæ ipsius, quod nulli alij propriè conuenit; nec Deo, nec creaturis.* Probat id fusè, & concludit: *Vnde ei hoc ita proprium fuit, quòd ei Angelus illud pro proprio nomine, hoc est, plena gratia, imposuit.* En gratiæ plenitudo cò Virginem inuasit, vt in vocabulum redundauerit, & in nominis stemma transiret, ne vox discordaret à causa. Sic à Maria saltante *Ioannes*, id est, *gratia* nuncupatur, nomen cum salute sortitus: sicut quæ exultabat in salutati suo, dedit, quòd exultaret infans in salute sua.

Luc.1.13. Beda. Guerr. Alb. Magn. Luc.1.47.

12. Quare non iam sciscitari solicites, à quonè didicerit Elisabeth *Ioannis* vocabulum, quod nondum laxata lingua mutus Zacharias reuelare non potuit. Si spiritu & gratia repletus à Virgine infans repleuit, & matrem, eundem suum matri nomen suggessisse, in promptu est, dignoscas. Quare meritò, etsi non interrogata prosiliuit: *Nequaquã, sed vocabitur Ioannes.* Theophilactus: *Fortassis autem Ioannes sibiipsi indidit nomen, matrique suæ communicauit donum propheticum.* Quomodò *sibiipsi indidit?* Quoniam idem fuit spiritu impleri ex Virginis voce, ac in spiritu, infuso gratiæ nomine insigniri. Ambrosius in Luc. *Vt aduertas matri non nomen alicuius displicuisse de genere, sed id sancto infusum Spiritu, quod ab Angelo ante Zachariæ fuerat prænuntiatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed per prophetiam Elisabeth didicit, quod non didicerat à marito.* Nec iam officiosa cogna

Luc.1. Theophyl. Ambr. Luc.1.61.

gnatorum turba gentilitia cupiens vocabula continuari, dicat: *Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Imò si Elisabeth cognata Virginis est, iam in cognatione est, quæ vocetur *gratia plena*: quid quod infans *Ioannes*, id est, *gratia* vocetur? Malè cognatorũ frequentia librat momenta verborum: si putaret, quis puer iste erit? agnosceret non ei nomen generis, sed vatis obuenire debuisse. Hinc Interlinealis super illa verba ex Ambrosio & Beda inquit: *Aduerte non nomen esse generis, sed vatis.* Ex quo dignosces, cur vix salutationis vocem soluit Maria, & illicò intra matris ergastulum infans solutus exiliit. Patuule, non tecum loquela consetta est; cum Elisabeth agit Maria: *Et salutauit Elisabeth.* Quid respon- sas? Audiuit nomen, dum præsensit gratiã: sic insolitis motibus tenellum corpus euoluit: sicut qui à tergo, etsi cum alio agatur, proprium nomen auscultet, inuertit caput quasi accitus, totoque corpore conatur aduertere. Vocem, quia sensilis est, capere non potuit infans nondum extra lucẽ: gratiam prægustauit: gratia verò nomen eius est: sic concitatus tenellis membris propendit. Notũ est illud Ambrosij: *Vocem prius mater audiuit, sed gratiam prius Ioannes sensit.* Censuit Euthymius ad illa verba: *Et salutauit Elisabeth*, quòd salutatio fuit nuncupatio nominis Elisabeth; & ait: *Compellauit, vt moris erat.* Verùm si salutatio tota ob infantem directa est, ex eodem principio deduces, in ea, licèt sub ænigmate, compellationem Ioannis inesse. Quare Antipater in orat. de Bapt. pulchrè dixit: *Virgo venit ad ædes Zachariæ, & cum Elisabeth inuenisset concepisse, eam salutauit; infans autem intus respondit: infanti enim auditio extitit auditio matris.* Respondit quidem, quia salutatio, in qua gratia ferebatur, eius compellatio fuit.

Interl.

Ambr.

Euth.

Antipat.

13. Meritò rogabis. Cur ergo non *gratia plenus* Ioannis nomen sit, siquidem illud à noua matre, Virgine scilicet gratia plena, euenit? Nonnè qui Spiritu sancto repletur adhuc ex vtero matris suæ, plenus gratiæ potest appellari? Audi Albert. Mag. in Mariali pag. 26. *Spiritus sanctus tantum, nominat tantum gratiam spiritualem: gratia autem commune est ad gratiam corporalem & spiritualem. Vnde cùm ista plenitudo contineat gratias spirituales & corporales, plus dicitur gratia plena, quam Spiritu sancto plena.* Quibus si attideas, nominis Mariani excellentiam cur non hæreditauerit Ioannes, fateberis, licèt aliàs Spiritu sancto plenus asseratur. Adeò tamen fefellit aliquos plenitudo hæc, vbi Euangelista inquit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*, cum sequentibus adnectant: *Erat Ioannes.* Quasi nulla gratiæ contingat plenitudo, quæ Ioannis non sit. Ioannis obtutu deluditur oculus, nisi collyrio purgetur: quod Verbi Dei est, Ioannis censui deputat adscribendum. Quid potuit inducere, quòd plenitudo hæc Christi, conniuentibus aliqualiter syllabis, Ioanni deputetur? Gratiæ plenitudo inundauerat Mariam, deinde Spiritus supernenit: largitatem ab hoc fonte propinquius Ioannes ebibit, & quasi ab vtero in vterum nobili commercio nundinata est vbertas gratiæ. Hinc transmissa gratia Ioannem irrigauit, & nisi accurata & fidelis mens doctâ discretione rimetur, eadem apparet. Guerricus ser. 1. in natiuit. S. Ioann. Bapt. *Verè gratia plena Maria: manifestè Deus totius gratiæ in ea erat, de cuius munificentia tam copiosè, tam magnificè*

Alber. Mag.

Ioan. 1. 14.

Guer.

principaliter in Matrem, de Matre in Ioannem, de Ioanne in parentes, gratiæ largitas profluebat. Quasi communi calliculo, gratiæ fluentum per organa sacra dispenditur, vbique copiosum, magnificum vbique.

Vnde talis tibi gratia, ô puer, vt Spiritu sancto repleatis, qui nõ solùm emundet, sed inundet; non solùm abstergat, sed & mergat: & cùm in aliis sanctificatio emundationem (verba sunt Damiani) hîc repletia inundationem significet? Ex quo Maria loquuta est. Ex Mariæ voce Spiritus sanctus dispensatur, & quæ Ioannem Verbi Vocem effecit, Spiritu sancto repleuit. Vide consonantiam. In voce Virginis quasi obuolutus Spiritus, illa salutante, intima Ioannis imbuit penetralia, & ipse cum scientia vocis exultauit. Similia sibi cecinit Maria: salutare, spiritum, exultationem & vocem: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Pulchrè Rupert. lib. 2. in Cant. *Sonet vox tua in auribus meis, & audiam ego, audiant & amici: quorum vnus vel primus audiuit, cum adhuc clausus esset in vtero matris suæ, & exultauit ad vocem tuam, quæ hoc modo sonuit in auribus meis: Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Ibi ad vocem meam & vocem tuam audire atque auscultare cœpit.* Hæc vltima expende: *Ibi ad vocem meam & ad vocem tuam.* Si orsus est: *Sonet vox tua in auribus meis:* cur iam vtrique communem vocem, quæ Mariæ fuit, appellat? Quoniam & Verbi fuit ab vtero spirantis in linguam, de quo plura supra. En cur in voce Spiritus sanctus præstatur? Quam Theologicè! Per humanæ inspirationis simulacrum, quæ ab ore cum vocali verbo halatur, & quasi baiula verbi est, edocente Basilio lib. 5. contra Eunom. in Spiritus sancti, qui spiritus oris Dei dicitur, cognitionem deuenimus: sicut Christus, qui Verbum Dei est, per insufflationem in discipulos Spiritus sancti donum indicauit. Vnde Origenes homil. 2. in varios ad illud Ioan. *In principio erat Verbum.* col. 3. *Vt enim qui loquitur, in verbo, quod loquitur, necessariò spiritum proflat: ita Deus Pater & Filium suum gignit, & Spiritum suum per genitum filium producit.* Quid diuinius, si gradum feceris ad Mariam? Cum verbo salutationis non solum spiritum suum proflauit & halitum, sed & Spiritum oris Dei, siquidem repletus Spiritu sancto est infans. O quale cum Deitate commercium! Quid? Verbi Dei ab vtero loquentis vox illa fuit, vt per Mariæ organum declararet Spiritum sanctum à se emergere, sicut ex insufflatione in discipulos: de qua similia dixit Anastasius Sinaita lib. 1. de rect. fidei dogm. Multum esset, si ipsi adstipularetur Origenes sic tom. 9. in Ioan. *Obiter obseruandum est, quòd illic per vocem salutationis Mariæ, quæ peruenit ad aures Elisabeth, exilit Ioannes infans in vtero matris tum veluti à sancta Maria sumentis Spiritum sanctum:* quoniam dixerat hom. 7. in Luc. *Statim vt Maria loquuta est verbum, quod Filius Dei in ventre Matris suggesserat, exultauit infans in gaudio; & tunc primùm præcursorem suum prophetam fecit Iesus.* Ergo spiritum cum verbo dimisit: quẽ in munere Vocis voluit initiare, non potuit aptiùs, quam cum voce Spiritu perfundere. Vnde ex quo facta est vox salutationis, Spiritu sancto repletur infans: quoniam & Spiritus sancti missio post Verbi missionem innotuit, & Spiritus sanctus Verbum consequitur. Gregorius Nyssen. orat catechet. cap. 2. *Spiritus Verbum consequi*

14.

Dam.

Luc. 1.

Rupert.

Basil.

Psal. 32. 6.

Origen.

Sinait.

Origen.

Nyssen.

sequitur, & eius declarat operationem.

15. Oportebat in virginea aula Mariæ hæc præhaberi documenta, & qui in sancta Trinitate est, ineffabilem stylum obseruati: vt quæ charismatũ esset apotheca, diuinæ doctrinæ magisterium esset. Scis, quòd Spiritus sanctus repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet, omnia, scientiam habet vocis. Curnè *scientiam*, si non ab intellectu, Sap.1.7. sed à voluntate procedit; nec ex vi originis sapientia, sed amor est? An quoniam afflatur à Verbo, & eodem ore, ex quo illa æterna vox, eructatur, sciẽtiam vocis hausit, & huius scientiæ organa amans, artifices vocis linguas elegit, verbis vt essent profflui, quos amoris igne incendebat. Benè! Sed forAct.2.3. tasse linguæ & vocis scientiam & symbolum amauit, ex quo repleuit, non tantùm terrarum orbem, sed orbem vteri materni, & ex Mariæ salutantis voce repleuit infantem: adeóque scientiam vocis experimento monstrauit, vt & voce magna exclamaret Elisabeth, & vocem reciperet Zacharias. Demirare quàm sonora disciplina scientiam vocis Spiritus sanctus ostendit: Vox Mariæ non solùm in lingua, sed & in auribus fit; & ab vtero venit, & ad vterum vadit: Ad dandã scientiam puer propheta Altissimi vocatur; & qui voLuc.1.77. catur, Vox est: Exclamat, voce magna Elisabeth; & Zacharias, soluta linguæ compede, nata voce, laxatur in voces. Quàm validus scientiæ vocis doctor Spiritus sanctus! quem replet, statim de voce instruit. Cur Zacharias non spiritu repletur, repleto filio, matreque? Quoniam nondum oportebat laxari silentium, linguæque vinculum denecti, quousque filius nasceretur, & ex impositione vocabuli vocem reciperet. Spiritus autem sanctus, qui ex voce Virginis inceperat dispensari, noluit nisi cum vocis beneficio replere parentem. Vnde statim ac loquuturus erat, repleuit, vt vna periodo absque intercapedine vox & spiritus copulaLuc.1.67. retur. Sic habes: *Et Zacharias pater eius repletus* Beda. *est Spiritu sancto, & prophetauit.* Beda ibi: *Ecce loquela, quæ sola est ablata diffidenti, cum spiritu prophetiæ est restituta credenti.*

16. Obseruauimus Academia 1. Rupertum totis neruis incumbere, vt probet *Spiritus sancti* vocabulum primùm fuisse auditum, cùm Angelus loquutus est ad Mariã. Si meministi, verba hæc sunt Rupert. in cap.1.Matth. *In ceteris scripturis legalibus & in propheticis nusquam absolutè Spiritus sanctus, sed relatiuè scribitur, vt iam dictum est. Spiritus Dei siue Spiritus Domini. Ab hoc loco primum insonuit in auribus nostris hoc reuerendum insigne vocabulũ, proprium, atque absolutum, Spiritus sanctus, ait, superueniet in te; & ad Ioseph: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Nolim tanto Patri reluctari, permittat suppliciter subiicere, quòd nomen *Spiritus Sancti* sex ante mensibus exauditum, quando inter adyta altaris incensi Angelus Luc.1,15. Sacerdoti Ioannem promittens dixit: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Ecce reuerendum *Spiritus sancti vocabulum* Sed Mariæ salutantis vox pro Ruperto propugnat. Adhuc enim verum est, quòd ob Mariam *Spiritus sancti* nomen insonuit: siquidem ex Virginis voce repletus est infans: quare Angelum eam respexisse opus fuit, cum dixit: *Spiritu sancto replebitur* Rupert. *adhuc ex vtero matris suæ.* Gauisus sum suimet patronum inuenisse Rupertũ duobus ferme colũnis post data verba, *Ioannes amicus Sponsi vtroq; eiusdem Spiritus dato meruit participare ex vtero matris suæ, sicut prædixerat idem Angelus, qui ad beatam Mariam loquutus est: Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Quod videlicet tunc mater eius præsensit, quando exclamans voce magna & ipsa Spiritu sancto repleta: Ecce enim, inquit, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. De plenitudine gratiæ, qua dictum est: Aue gratia plena, primus ille accepit, & de eodem spiritu sanctificati sunt & hæc Mater Domini, & ille amicus Domini. Et ex tunc qui prius dicebatur Spiritus Dei, vel Spiritus Domini, Spiritus sanctus cœpit altius enuntiari: primum ex ore Angeli, & deinde ex omni Euangelio Christi.* Oportuit fusiùs verba scribere, in quibus qualis sanctitatis officina Maria sit, innotescit: siquidem & ipse Spiritus sanctus nobilius sibi vocabulum sileri sustinet, donec ex ordine ad Mariam, si non sibi sanctitas eueniat, saltem sanctitatis insonet nomen. Et tamen, quid adhuc pungat. Incidimus enim casu in Ecclesiasticum c.1. vbi legimus: *Ipse creauit illam* Eccl.1. (id est sapientiã) *in Spiritu sancto: & vidit & dinumerauit & mensus est.* Ecce *Spiritus sancti* nomen ante Virginem. Forsan ideò non sine consilio dixit *ferè* Rupertus: *Ab hoc loco ferè insonuit in auribus nostris.* Sed nec est, quòd turbet; siquidem de Sapientia ibi sermo est in Spiritu sancto creata, ac proinde de increata Sapientia & Verbo Dei concepto de Spiritu sancto in vtero Virginis: nec potuit se continere ipsemet Spiritus, qui in scriptura sacra loquebatur, quin *Spiritus sancti* vocabulum proderet, cùm de Sapientia incarnanda in vtero Virginis agebat; siquidem & ipsa Virgo vix Verbum in Spiritu sancto concepit, & iam alacris in regionem montanam assurgit, vt beneuolo affatu & afflatu liberali, Spiritu sancto repleret infantem.

Quàm effusa Virginis largitas! Concipit Ver- 17.
bum Dei: nequit illicò hominum vsibus præsentare; nouem mensium curricula manent, deses sublabetur tempus. Serua tibi, fruere vtero: enitetis post, dabis illicò præsepio quasi cruci, bruto quasi fœnum: nec tã cito prodigere cupias; genuisti, tene. Non patitur pietas sacrum sibi retinere peculium; communi profectui cupit erogandum. Quid faciet impatiens charitas? Spiritum sanctum superuenientem accepit, simul quando Verbum Dei indutum carne: non præualet vsque ad partum Deum hominem elargiri; accingitur ergo illicò, vt sanctum elargiatur Spiritum. Ideò cita currit ad Ioannem, quasi ad id in Incarnatione superueniret Spiritus, vt à supereffluente charismate respergeretur creatura. Adsit auctoritas S.Bernard. Senens.tom.1.serm.52.art.1.cap.2. *A tempore, quo* Senens. *concepit Virgo Deum in vtero suo, quandam, vt sic dicam, iurisdictionem, seu auctoritatem habet in omni temporali missione Spiritus sancti: quia non vult ipse Spiritus sanctus, nisi per eam communicari. Sicut & Filius, à quo Spiritus sanctus procedit, per ipsam datus est nobis.* Obseruo illud: *A tempore, quo concepit Virgo Deum.* Quæ gustum mouent suauem, si coniungas cum festinæ visitationis descriptione apud Euangelistam: nam postquàm dixit: *Ecce ancilla Domini*, è vestigio adiicitur: *Exurgens autem Maria, abyt in montana.* Ad quid sic velox abiret, nisi vt vnum cũ Filio per inuisceratam carnis propinquitatem effecta, in Spiritus sancti missione, socia communione polleret? Et quidem eâ ordinis maturâ seueritate Spiritus sanctus datus est, vt procul dubio illa qualisqualis, pio potiùs stylo, quã vero, iurisdictio

in

in Spiritus sancti largitione non ob eam, sed ob
Verbum, quod gestabat in vtero, Virgini com-
petiuisse videatur apud Bernardinum. Ordo si-
gnificauit: quoniam priùs repletus est infans, dein-
de mater; sicut à Verbo infante, quod erat in vnl-
ua, in Virginem Matrem assurgebat Spiritus. Be-
Caiet. nè Caietanus. *Postquàm repletus est Ioannes Spi-
ritu sancto, repleta quoque est Elizabeth, vt or-
dine quodam distributus intelligatur Spiritus san-
ctus ex voce Mariæ.* Quid amplius cupis? Qui
tribuit singulis, prout vult: qui charismatum
dator, donorumque largitor est, ex voce Mariæ
dicitur distributus.

18. Hinc Ioannes, in quem proximius impetuosus
torrens influxit, vberiori exuberauit fluento; nec
à culpa solum ablutus, sed in sanctitatis plenitu-
Luc.1. dinem assertus est. Dixerat Angelus Virgini: *Spi-
Bernard. ritus sanctus superueniet in te:* & statim Bernard.
ser. 2. de Assumpt. *Ad quid putas, superuenit, nisi
vt etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi vt adue-
niente iam Spiritu, plena sibi, eodem superuenien-
te, nobis quoque superplena & supereffluens fiat?*
Ergo gratia quasi per saltus incrementa suscepit.
Dam. Adi Damian. in serm. de S. Ioan. Bapt. *Attende di-
ligenter, quàm ordinata dispositione Spiritus ille
multiplex Hieremiam sanctificat, implet Ioannem,
superuenit in Mariam.* Nolumus nunc quæstionem
agitare de Baptistæ in gratia primatu, an illi com-
petiuerit: agimus solùm de primæ gratiæ excel-
lentia, quam Maria salutante sortitus est: de qua
non desunt, qui intelligant illud Domini suffra-
Matt.11.1. gium: *Inter natos mulierum non surrexit maior
Ioanne Baptista.* Iuuat stylus ille *surrexit*, in quo
rediuiua erecti per culpam hæreditariam sors
designatur. Ergo si apud Damianum ordinata
dispositio est: *Sanctificat Hieremiā*, in quo & cæ-
teros iudico intellexisse Prophetas: *Superuenit in
Mariam, & implet Ioannem:* quasi quòd Ioannem
impleuisset, signum fuerit in Virginem superue-
nisse. Cur sic? Vt iam inde, ne ex plenitudine, simi-
litudinisque perfectione, quæ inter Christum &
Ioannem interetat, fidelis mens laberetur, præuen-
ta fuisset dissimilitudinis admonitio, ex quo au-
Luc.1. diuit Virgo: *Spiritus Sanctus superueniet in te.*
Duo etenim, nisi nimium fallimur, indicantur.
Vnum est, Christum in conceptionis instanti eâ
abundantia perungi, vt è vertice non solùm in
Psal.132.2. barbam Aaron, sed in omnia mēbra circumfluens
descenderet vnguentum. Eâ industriâ Spiritus
superuenit in Virginem concipientē, vt in con-
Luc.4.18. ceptū superuenire credidisses. Vnde idē, qui in Ma-
Ioann.1.33. tre, vbique stylus est in Filio. *Spiritus Domini su-
Matth.16. per me, propter quòd vnxit me:* sic & Ioanni dictum:
Super quem videris Spiritum, ipse est, qui baptizat.
Hinc Spiritus sanctus subsedit in capite, quasi per
vasis labra iam liquor efflueret, & per verticem
plenæ phialæ refunderetur vnguentū. Alterū est,
ex hac supereffluentia plenitudinem in Ioanne
côuinci, qui vicinior ad superuenientis in Mariam
Spiritus redundantiam, non sensim suxit, quod
supereffluebat vnguenti; sed ore pleno ebibens
totum receptaculum impinguauit. En iam dis-
similitudo. Plenus Ioannes, superplenus Christus;
& vtrumque, quoniam Spiritus superuenit in
Virginem: quasi præter redundantiam, quia re-
demptor non est, Spiritus sancti plenitudinem,
cùm exultauit præ gaudio, oleo iam delibutus cō-
Damian. tinuit. Iam Damianus suprà: *In Hieremia mirares
hominem conceptum in peccato sine peccato nasci.
Ioannem verò longior virtus impleuit: quia & san-
ctificatus est à peccato, & ita dominante Spiritu su-
perfusus, vt & purgatus exeat, & repletus. Ineffabi-
liori modo superuenit in Virginem, quam tota Diui-
nitatis plenitudo sine mensura discretione perfudit:
vt totam caperet, qui fecit totum: vt non solùm à pec-
catis abluta, repleta Spiritu; sed de Spiritu sancto
concepisse credatur.*

Et hoc Spiritus sancti à Maria in Ioannem cō- 19.
mercio Spiritus sanctus adeò Ioannem adamauit,
vt prærogatiuæ, quam singulariter Maria sortita
est, aliquale ei impertitus fuerit participium. Su-
peruenit quidem in Mariam. Cur superuenisse
dicatur, si quæras, in quo quasi corporeus desu-
per amplexus & ambitus vsquequaque à capite
vsque ad sinum circumdans innuitur? Dicā, quod
modò audisti ex Damiano: quoniā eam tota Di-
uinitatis plenitudo vsque ad vterum carneum
perfudit, vt de Spiritu conciperet in corpore. An
in Ioannis corpus aliqua superuentus sancti Spi-
ritus vmbra est; siquidē recens superuenerat Spi-
ritus in Virginem, quando, vt Ioannem asperge-
ret, perrexit? Inficiari non debes gratiam Ioannis
per os Mariæ deriuatam, Marianæ gratiæ traxisse
saporem. Ergo Spiritus sanctus superuenit in Ioā- Matth.3.16.
nis corpus? Si non vt sederet, saltem vt volaret su-
per caput eius. Adi Iordanem: plaudentibus pen-
nis si columba in vertice sisidet Christi desu-
per lapsa, prius volitare fuit opus super Ioannis
caput. Crederes venire super illum, cùm auem alas
explicantē, aërem findere prospiciebas; siquidem
sub eius manibus Christus erat, in quem colum-
bæ tetenderat volatus. Subscribat Andr. Cret. in Andr.Cret.
or. de amput. cap. Bapt. col. 8. in med. *Quid dicis?
Das caput, quod velipsi reuerentur Angeli? Das
illud caput, super quod, cum Verbum baptizaretur
Spiritus in specie columbæ sedens volauit?* Quid
est *sedens volauit*, cùm contrarius sit sedi volatus?
Benè. Sedens volauit, quoniā quæ in capite Chri-
sti sub Ioannis dextera tincti insedit, priùs super
verticem Ioannis volauisse dignoscitur. Ideò il-
lud *cum Verbum baptizaretur:* in quo ea empha-
sis est: Non debuit deficere Voci Verbi Spiritus,
qui recumbebat in Verbo, eā tamen signatissima
differentiæ ratione, quòd in Verbi capite sederet,
super Ioannis caput volaret: siquidem ob Christū
alarum columbæ sonitum & incursum participa-
bat Baptista, qui, licèt baptismate Christum asper-
gebat, hic tamen est, qui baptizat, super quem il-
le vidit Spiritum sanctum descendentem. Vltra Ioann.1.33.
quod meditari est, ab hac Spiritus sancti singula-
ri in Ioanne plenitudine è Virginis ore mutuatâ
euenire, quod Petrus Damianus aureo verborum Dam.
flumine contēdit, primam de Trinitate, perspicuâ
solennitate, reuelationem Ioannem accepisse: *A
creatione cœli & terræ vsque ad hunc locum* (agit
de Ioanne Dominum baptizante ser. de S. Ioann.
Bapt.) *nunquam Trinitas hominibus manifestè ap-
paruit, sed rerum & verborum inuolucris inuoluta
fuit tantæ claritatis æternitas.* Postquam fusè dis-
seruit, quā æneis inuolucris sanctæ Triados clau-
debatur mysterium, concludit: *Pater auditur in
voce, Filius baptizatur in flumine, Spiritus san-
ctus in columbæ specie demonstratur, Adest Ioan-
nes totius medius Trinitatis, gloriosumque Bap-
tistam sanctificant indiuisa substantia, personata
vocabula, & nomen Trinitatis prioribus sæculis
obuelatum absque totius velaminis obumbratione
relucet.* Cur sic in abyssum Trinitatis medius in-
greditur, qui creatura est? Benè *medius*, quia
in Trinitate medium tenet Verbum; & Verbi

Vox ſocietatem in ſitu cum Verbo deſiderat, Magis pungor, non meminiſſe Damianum, indiuiſæ ſubſtantiæ, ſanctæ Trinitatis perſonata vo- Luc.1. cabula primum apud Mariam, Angelo nunciante, inſonuiſſe, eique reuolutum velamen, vt exinde à ſæculi abſconditum innoteſceret ſacramentum: quod non inopibus momentis Acad. 1. conteſtati ſumus. Verum quæ Ioanni decantantur elogia, Mariæ non derogant priuilegiis, à qua ſalutante totius ſalutis & auſpicium traxit & incrementum. Imò quaſi continuata reuelatio, me iudice, aſſerenda eſt; ſiquidem ideò Mariam primã perſpicuum myſterij Triadis accepiſſe notitiã, ibi probauimus: Rupert. quoniam Spiritus ſancti vocabulum vt Ruperto placuit, primò declaratum auſcultauit; quod tamen in generationis Ioannis vaticinio iam auditum fuiſſe non abſque ordine ad Virginem nuper præmonuimus.

20. Si hanc Spiritus ſancti abundantiam in Ioanne non neges, inficiandum non eſt, ex plenitudine Ioannis, quæ vſque ad corpuſculi membra aſperginem quamdam eiecit, ſiquidem in ſacros motus adegit, ſupereffuſam eſſe Spiritus ſancti largitatem ſaltem in parentes. An & in cognatos? Luc.1.58. Non audeo. Scriptum eſt: *Peperit filium & audierunt vicini eius, & congratulabantur ei.* Si hanc congratulationem quaſi communionẽ gratiæ non nemo intelligat ex voto potius, quam ex rigore? Hoc ſolum ſcio non tã citò potuiſſe indolem perdere, deſueſcereque à ſapore, quem ex Mariano fonte gratia Ioannis contraxerat; videlicet vt adhuc fontis eſſet, beneuolumque fluxum amaret, appropinquanteſque, nedum ex natura propinquos, aſpergere concupiſceret. Certè Ioannis nomen, quod, vt diximus, quia *gratiam* ſignificat, Maria impoſuit, non in aura manet, non in intellectu; ſed in ipſa anima imprimi videtur, ac proinde ſanctificationem ſapere. Subiectũ enim gratiæ animus eſt. Ioannis ergo vox vix ab ore ſoluta, vix auri incuſſa, vix intellectui propinqua, in animum tendit, in quo gratiæ ſedes eſt. Sic capies Studit. S.Theod. Studit. apud Metaph. in or. de natali Præcurſ. *Seruile reddentes debitum, & iuſſum implentes ſpiritale, & tanquam qui ſimus ſanctificandi ex ſola Præcurſoris cõmemoratione, noſtram oſtendimus audaciam.* Paradoxum crederes, quaſi aſſereret, quòd ſola de Ioanne commemoratio ſanctificet. Non ſic cenſoriè accipiendus. Sanè poſtquàm vicini & cognati, Ioannis nomen audierunt. Luc.1.66. *Et poſuerunt*, inquit, *omnes, qui audierant, in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit?* Quidnè *poſuerunt?* Vides, quòd nomen illicò tendit ad cor. Si Ioannes *gratiam* ſignificat, nec quis loquitur, niſi quod concipit in corde: qui *Ioannem* pronuntiat, de gratia loquitur, quaſi gratiã concepiſſe videtur, & ad ſanctitatem à Deo accipiendam prouocari.

21. Si Ioannes gratia eſt, quaſi nobile dixeris eſſe ſacramentũ. Et gratiam ſonat, & à voce impoſitum Luc.1.13. eſt: ab Angelo videlicet vaticinante: *Vocabis nomen eius Ioannem*, & à voce Virginis ſalutantis. Accedit Verbum ad elementum, & fit ſacramentũ. Quid ſi ſubſtantialis vox non ad elementũ, ſed ad hominem ex elementis compactum accedat? Magnum Sacramentum Ioannes eſt. Quid hæres? Inter fumantes aras, inter altaria incenſis aromatibus ardentia conceditur: Ibi.1.11. *Apparuit Angelus in medio altaris incenſi.* Non alius locus voci gratiæ Chryſ. debebatur. Pulchrè Chryſologus: *Vt fieret ſacramenti filius, inter ſacraria delatus, inter ſacramenta conceſſus, eſſet Antiſtes de venerando generatus Antiſtite, eſſet Angelus ore Angeli ſancta dilatatus in viſcera, eſſet vox Chriſti.* In ſacrario conceditur natiuitas, in hora incenſi denſo nubilo ſuffitus peragebantur; omnis ardebat incenſi apparatus; vox & gratia enuntiatur in aris; procuratur inter ſacra, adſtat Angelus, ſacerdos antiſtat, cuncta ſacramenti ſigna loquuntur. Chryſologus ſerm. 87. *In hora incenſi per Angelum aperitur* Idem. *ſterilitas, conceptus iubetur, promittitur partus, & inter ſacraria natiuitas ſacra procuratur.* Quid Matt.5.15. vltra? Non accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Lux ſub modio, Chriſtus eſt ſub triticeo Sacramento. Panis accidentia circumſtant: modius eſt, ſub quo lumen de lumine Chriſtus latitat. Vide lucernam eluxiſſe ſub modio: *Erat Ioannes lucerna ardens, & lucens.* An ſolum Ioan.5.35. in ſuggeſtu, an in cacumine, lucis diuitias perpetua illuminatione perfudit? Etiam ſub vteri modio igniti luminis radios excuſſit. Ecce magnum pietatis Sacramentum. Bernardus in ſerm. de S. Ioann. Bapt. *Illuminauit ergo iam tunc modium ſuum, ſub* Bernard. *quo latebat, ſoli interim lucere matri, magnum eſſe pietatis ſacramentum reuelans ipſo motu noua exultationis.*

Gratia Ioannis ex voce Virginis refluens, quaſi originalis ob exuberantem refluxum apparet.

SECTIO III.

22. VBERIS gratiæ largitatem, flumenque & flumen Spiritus ſancti, quod Maria effudit in Præcurſorem abundè, præcedens ſectio monſtrauit. Non ſatis copioſa hæc expenditur inundatio, niſi ad originalem ſanctitatem, quo poſcit, proportionis greſſu decurrat. Ieſus, qui in vtero conſitus ad ſalutarem ſalutationis vocem inſtruxit, peccatum originis contrahere nequiuit, vtpote cui origo ex Virgine de Spiritu ſancto grauida, nulloque criminis grauata contagio. Virgo, quæ vocem emiſerat, originariæ noxæ non ſuccubuit, vtpote ſacrarium illud, in quo impollutum Dei Verbum purpuream carnis ſuſceptutum erat libertatem. Si vox gratiæ ab his organis inſonuit, quali putas pondere in originalem ſanctitatem ferretur, vt calliculum ſaperet, per quem venerat? Non potuit tamen: nam *hic* Luc.1.36. *menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.* Cuius ſterilitas, licèt plurimum gratiæ debuit, vt laxaretur in fœtum; tamen per concubitum venit ad fœtũ. Quid ſic ergo nam oportet, quòd vox ſimilis ſit Verbo, Sponſi amicus Sponſo, Ioannes Chriſto: & peccatum originis, infauſtæ diſſimilitudinis teſſera eſt. Voce Virginis ſanctificetur in vtero, vt gratia, quæ ſuam originem ſapiat, quaſi originalis ſit: quoniam adeò adulta & grandis fuit, vt veluti aggere oppoſito detentus amnis, ſi expediatur ab iniecto fræno, impetu ſolet exgurgitari maiori; ſic quaſi terga refuſo torrente impleuiſſe, otioſaque dierum curricula, quibus Ioannes abſque gratia extiterat, ex granditatis compenſatione irrigauiſſe videatur, ita vt gratia illa quaſi originalis appareat. Do Guerricum ſerm. 3. de S. Ioan Bapt.

Omni

Omnino Salvatori proximus erat, qui non solùm copula sanguinis coniunctus, sed etiam gloria annuntiationis, novitate nativitatis, sanctitate penè originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales alios & propiùs accedebat. Aduerte illud *Sanctitate penè originali.* Singularis loquutio hæc. Sex menses transierant, adhucque sub iugo diaboli tenebatur captiuus: nondum illum charisma illuxerat spiritale: nondum sanctitas affecerat; & tamen pene originalem sanctitatem appellat Guerricus sanctitatem, quæ, inuisente Maria, Ioannem inuasit. Tot habuit post sex menses infusa sanctitas incrementa, vt in præterita mensium cucurrisse spatia videtur, & ad originarium generationis instans tetigisse, pene originalis effecta.

23. Originalis sanctitas perfecta ad Deum similitudo est, qualem cum spiraculo hausit homo. Ideò ex similitudine cum Christo sanctitatem pene originalem probat in Ioanne Guerricus. Fruamur iterum subtili Abbate. Dum similitudinis lineæ animosiùs spirant, viuidiùs conspirat amor, qui inter similes & gignitur, & vegetatur: *Ego dilecto meo*
Cant.2.16. *& dilectus meus mihi.* Hiulca oratio, sed multo gratiæ lepore conspersa. Quidnè dilecto dilectos est? Vt esse alterutrius alterutrum significaret, conticuit: alterius in alterum transmigratio currere non finit periodum, quodcumque adiiceretur, minus esset. Ioannes quasi ingenita propietate amicus appellatur Sponsi. Ergo nomen illi
Ioan.1.29.
dilectus est. Dilectus non solùm fertur, sed &
Ioan.1.20. transfertur in dilectum. Ideò rogatur Ioannes, an Christus sit: similitudo confudit errantes. Nectit amor, æquat, & amantes vna linea metitur; itque, reditque vias, vt reciproco igne combustos agat in vnum. Si sic amor, sic similitudo intercessit: qualem putaueris sanctitatis indolem in Ioanne aduersus dissimilitudinem, quæ ex pro peccato est, contendisse? Iam Guerricus serm. 4. de S. Ioann.
Guerr. Bapt. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi, Ioannes Iesu, & Iesus Ioanni, Ioannes Iesum prædicat, & Ioannem Iesus commendat. Par pari redditur, & tam amica quam iusta vicissitudine charitas invicem prouocatur & remuneratur.* Quid sic audes? *Par pari redditur:* & tamen Iesus est è duobus alter: & tamen Ioannes est è duobus vnus: *Amica & iusta vicissitudine charitas inuicem remuneratur.* Ergo si Iesus Ioannem diligit & à Ioanne diligitur, amoris vtriusque debitum iuxta mensurante vicissitudinis trutina compensatur? O quanta Ioannis charitas! Nisi in excessum laudaueris, non laudasti: Censeas hæc per hyperbolem dicta, ne censoria virgula carpas Prosunt, vt discas, qualem cum Christo similitudinem nactus sit Ioannes, vt etiam antequam natus, pene ad originariæ iustitiæ similitudinem accesserit.

24. Vt exploremus, quantus gratiæ torrens, semestrem infantem tapido gurgite absorbens, vsque ad originariæ iustitiæ terminos quasi retrogrado excursu ire contenderit; sit operæpretium eius conceptionis appendere momenta: quæ, cùm verè in peccato fuisset, exteriora tamen signa, quæ gratiam redolerent exhibuit. Quid est, quod Pontificalibus infulis Zacharias splendibus, intra sacrarium adolens incensum, de generatione sterilis erudiatur, & in sacro suffitu, fœcundæ flammæ agnoscat incendium? *Factum est, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum secundum consuetudinem sacerdotis, sorte exijt, vt incensum poneret, ingressus in templum Domini: &*
Luc.1.8.
omnis multitudo populi erat foris hora incensi. Vix se continet Euangelista, quin fluido excurrat stylo vt sacerdotalem describat apparatum, sacriq; thymiamatis ex ipsomet scripto fragrantiam spiret. Toties ingeminat incensi memoriam, toties officij Pontificalis insignia. Quorsum hæc? Vt tandem promissa Ioannis generatio credatur Ergonè tunc thura cremantur, tùc sacra flamma & luce & odore perfundit aras, cùm sterilitas aperitur? Idemnè Ioannem gigni fuit, ac thus in hora incensi in Deum adolere? Thoris quidem crematio cultus Dei est, fideiq; & obedientiæ religiosa exhibitio. Peccatum originis infidæ idololatriæ origo fuit, & contra religionem, obedientiamque flagitium, quod serpentis vox inspirauit. Ergo Angeli vox in hora incensi Ioãnis generationem indixit, vt peccatum, quo concipiendus erat, solum quia ex concubitu, tegeret, & originalis iustitiæ velut simulatâ specie operiret. Ideò ad vocem Mariæ infans exultat, quasi Angelicæ vocis, qua inter sacra promissus fuit meminisset, & ad originis suæ captam libertatem salliret. Quod pondus est in Chrysol. Chrysol.
serm. 87. *Meritò Ioannes in vtero exultat, qui originis suæ libertatem ante nosse, quàm esse meruit; antè meruit sentire, quàm viuere. In hora incensi per Angelum aperitur sterilitas, conceptus iubetur, promittitur partus, & inter sacraria natiuitas sacra procuratur. Hinc est, quod adhuc in vtero cum membrorum compage pene concepta in Ioanne est prophetia: antè nutu Dei loquitur, quam perueniat ad vocis officium.* Preme illud: *qui originis suæ libertatem.* Si eius origo in iniquitate fuis, & passus est communem dedititij generis seruitutem, qui potuit originis suæ noscere libertatem? Quoniam à captiuitate solutus, anteqam sub luce catenam traheret eiusis, ea abũdãtia libertatem obtinuit, vt eius reliquiis videri potuisset originis aspersisse primordia ex pene originali sanctitate. Quod probat Chrysologus, quia in hora incensi ab Angeli voce inter sacraria fuit procurata natiuitas, & sterilitas relaxata. Ac proinde exultationem in vtero & intempestiuum vocis officium ad vocem qua promissus est, & ad locum, in qdo promissus, reducit; ne detrectes, in ipsa generatione iam gratiæ specimina præusisse.

Et verò Ioannes in thalamo conceptus fuit geniali more, & quantumuis ab annosis, minimeque lasciuientibus parentibus, tamen ex concubitu, in quo ex cadentium amplexu, quos generationis consuetudo constetnit, in casu, lapsuque pristinæ labis necessario concipitur fœtus. Christus non ex toto gignitur, sed ex Virgine. Et tamen conceptio Ioannis in sacrario, quasi iam inde inciperet, spondetur: conceptio Christi in cubiculo. Quid caosæ? Amici opinioni consuluit Sponsus. Christus non eget loco, qui ab iniqua suspicione defendat: nequiuit in iniquitate concipi, quem virgo generabat. Otiosè affectaretur templum ad nuntium; fat est, quod genitrix templum sit, quæ simul recipiat nuntium & concipiat. Futura Ioannis gratia hac præuia indiguit cautione: vt quæ originalis non erat, saltem originalis videretur, & qui in thalamo concipiendus, in templi spondetur sacratio. Sic percipere Petrum Damianum in serm. de S. Ioann. Bapt. *Salua reuerentia Redemptoris, quia non derogamus Regi, si Regis militem honoramus: dignior præmonstratione Ioannes nuntiatur, quam Christus. Christus fortassis in thalamo, Ioannes in templo, & non solùm in templo, sed etiam ante sancta sanctorum* 25.
Damian.

in insigni die solemnitatis eorum. Ioannes ab eodem Archangelo, in loco digniori, tempore sacratiori, apertiori miraculo prædicatur. Quis ais, ô Purpuratè? *Christus fortassis in thalamo, Ioannes in templo.* Si in ipsa annunciatione Virginis, conceptio fuit, cur insolito cogitatu thalami situm elegisti, cùm suspicinsa nimis conceptio in thalamo sit? Cant.1.16. An quia supra omnem suspicionem *lectulus noster floridus*, nec alienis speciebus sacratioris loci Virginis indigebat opinio: quæ virum non cognoscens, non in nocturno thalamo, sed ipsamet virginalis thalamus fuit; quæ sacrarium simul, sacerdos, & ara? Dam. His non refragabitur Damian. qui paruo interuallo subdit: *Quicumque de massa peccatrice mundum ingredimur, longam vestem originalis peccati trahimus nobiscum. Solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem virginalis thalamus, ignorante viro, terris effudit.* Et statim, vt à peccato originis Virginem asserat immunem, appellat: *Sacrarium illud, in quo Deus Dei Filius carnem fuerat suscepturus.* Quæ si recolligas, elicies exteriorem significationis gratiæ apparatum perstrepuisse, dum Ioannes gignendus nuntiabatur in sacrario, vt nunciationis locus thalamum operiret, ex quo iniquitas erat transmittenda: quod in Christo concipiendo opus non fuit; vbi thalamus Altissimi potestas, vt aliàs dixit Nyssenus. Nyssen. Saltem longææ sterilitatis laxatio è gratia veniebat, ne ad minus id generationi deficeret, & sanctitatem illicò auspicaretur vaticinio securo, quòd à templo ad thalamum, ab sterili ad fœcundam, à præcepto ad obedientiam, à senectute ad concubitum efficacia generationis non iret, nisi citò sanctitas fœtum imbueret, propulso originis peccato: quod malè, & fermè inuitè, & quasi torpore quodam se viderit in genitum immisisse, vtpote quem poterat ignorare ex tam extremis, alienisque semitis in vuluam ingressum, videlicet ex promissione in templo, ea senibus in thalamo, ex sterilitate in senectute. Guerr. Adsit Guerricus serm. 3. in natiuitat. S. Ioann. *Mirentur igitur alij, quod à Prophetis pronunciatus, quòd ab Archangelo promissus, & eodem, quo Christus, cùm tamen Christus in cubiculo; Ioannes in oraculo: quòd de tam sanctis ac nobilibus parentibus, quod de senibus & sterilibus contra debitum naturæ, dono gratiæ, quòd antè sanctus quàm natus.*

26. In quo adhuc est, quod mediteris. Non sat fuit, quòd ab Archangelo nunciaretur, quod in tanta diei reuerentia inter feruentes aras: imò nutanti Zachariæ *respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto antè Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.* Luc.1.19. Quid est, quòd nomen aperiat, naturam, officium? Considera delectum verborum: *Qui asto ante Deum*, inquit, & tamen, *& missus sum loqui ad te.* Si missus est, quomodò astat nunc? Satius videretur, qui stare soleo, seu qui astiti, sicut Iob.2. capite 1. scribitur *venisse die quadam filios Dei*, id est Angelos, *& stetisse coram illo.* Iob.2.1. Vide solertiam Angeli in abigendo à Sacerdote timorem. Ad generationem Ioannis ex sterilitate instruebat: ne in meticuloso senc existimatio subreperet, si esset Angelus nequam qui loquebatur, & dæmonis circumcursarent species in eo, qui paulò post generaturus erat, generatioque illudente dæmonis imagine turparetur; exhibuit infallibile signum, quòd esset Angelus probus, jugiter in beatitudine diuinæ intuitionis persistens: quippe quæ non intermittatur, quantumuis Angeli mittantur, qui simul dum missi sunt, ex intuitionis beneficio astant. Secus qui per superbiam corruit dæmon: ille enim à facie Dei eiectus est. In cuius ruinam Gabriel dicitur *fortitudo Dei*; ideoque se compellat ex nomine, ne aliqua dæmonis in Ioannem generante seue vmbra peretret. Ingeniosè Caietanus: Caiet. *Certificat Zachariam Angelus ex auctoritate propriæ personæ, explicans seipsum ex nomine, quo significatur fortitudo Dei. Qui asto ante Deum. Simul sum hic, & asto ante Deum: non sum Angelus eiectus à facie Dei, sed qui semper asto videndo, fruendoque ipso. Missio Angeli non impedit visionem, fruitionemque continuam, quam habet de Deo.*

27. Attexit Angelus: *missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare.* Ergonè tunc euangelium ortum est, cum tamen qui promittitur, concipiendus est in peccato? Si Ioannes præcursor fuit, quidquòd euangelij proœmium aliquomodò dicatur nuntium de eo, vtpote quem euangelica gratia, antequam nasceretur, erat inuasura. Se euangelizare dicit, cùm Ioannem spondet: quoniam in fronte euangelij, si quatuor Euangelistas adeas, vt suprà iam notauimus, Ioannes affigitur. Euangelizare dicit, ne à persuadendo cesset geminatis rationibus, se Angelum esse, qui in cœlestis beatitatis frequentia stat ante Dominum administratorius spiritus eius, qui facit ministros suos ignem vrentem. Psal.10.3.4. Sic inter incensi flammas apparet, non à se loqui manifestans, sicut spiritus nequam, qui mendax est & pater eius; Ioan.8.44. sed à Deo, à quo mittitur: quare non fatur, nisi quo diuinitus, sicut sonora fistula, inflatur. Id promissio Ioannis, (qui Vox est Verbo Dei imbuta, & quidquid est, eius est, nihil præter corpus humanum habens) expetebat. Fauet Chrysostomus in Caten. S. Thomæ in cap.1. Luc. Chrysost. ad eadem verba: *Vt cùm audias me à Deo missum fuisse, nihil humanum æstimes ex his, quæ tibi dicuntur. Nec enim ex me loquor, sed mittentis relata denuntio: hæc est enim nuntij bonitas, vt nihil ex se referat.* Nec minus subtiliter poteris contemplari, omnem Angeli conatum situm fuisse, vt persuaderet Sacerdoti iam aduentare tempus, in quo Verbum Dei se carne præcingeret humana, vt hominem redimeret, & impudentis luciferi illuderet audaciæ: qui aduersus similitudinem Dei, quæ Verbum Dei est, effero volatu se immittere præsumpsit, & in monte testamenti sedere; Isai.14.13. non iam vt administratorius spiritus stans, sed principalis maiestatis more in elato cacumine cum Deitate consessurus, & exinde cadens humanam vitiauit originem. Ergo Gabriel se procaci dæmonis petulantiæ contraponens inquit: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum*: Luc.1.19. id est, qui non sedere præsumpsi, sed sedenti in throno ministro. Iam pro Verbo Dei eriguntur vexilla: veniet, & non tardabit, vt propulsa tyrannide, humanas in cœlum portet exuuias. *Vox* eius præmittitur, qui Ioannes est. En in ipso nuntio quædam aduersus peccati originalis causam coniecturæ subsiliunt. siquidem casus Luciferi innuitur, & reparatio hominis indicatur. Ne dubites, qualis sanctitas præparatur, quando proximè in peccato concipiendus cùm nuntiatur, originariæ notæ medela profertur.

28. Nec minùs eruditis cogitationibus subseruit, quòd in signum concipiendi fœtus & in non credentis supplicium, vox eripitur Sacerdoti: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant.* Communis censio est plus de signo, quàm de damnatione habuisse silentium. Quare

Caieta

Caiet. Caietanos: Petisti signum? ecce signum pœnale in promptu. In promptu perpidit promptæ modulos loquelæ. Quid est *in promptu?* An casu, & quod prius se obtulit? nihil enim propinquius, quam lingua, quæ signum petierat, vt in illa signum reciperetur? Imò in promptu signum fuit taciturnitas indictio. Qui enim non credebat tam seriò vociferanti nuntio, quando quidquid aderat, vocale fuit; vocalis locus, siquidem oraculum erat, & sacrarium prophetiæ; vocalis Angelus, qui non cessauit clamare ex monere; vocalis ipse, imò *Vox*, filius promissus; ipse sibi silentij supplicium imposuit: qui diffidit generandæ *Voci*, se semouet à voce: Ergo prompta illatio à misso Angelo, à promisso pignore ad amissionem vocis fuit. Origen. Hinc Origenes in cap. 1. Ioann. ad illa verba: *Ego Vox clamantis in deserto. Admodum conuenienter non alio supplicio afficitur Zacharias, quàm vocis priuatione, propter incredulitatem ortus vocis.* Verùm subtiliùs adhuc hæc prompta sequela examinanda est; siquidem tam facilis consequutio erat, dum gigni parabatur Chryso. *Vox*, vocis ereptio, vt Chrysologus serm. 86. dicat *Zacharias, ipse quod tacet, non est pœna, sed signum, non est terrena debilitas, sed cœleste secretum.* Et serm. 99. *Cui Angelus venerabiliter non credenti, pœnam signi tantùm dedit, non perfidiæ.* Igitur benè scio, impensè solicitabis addiscere, ad quid inter tot vocalia documenta in lingua plectitur Zacharias, cùm absonum videatur quòd pater *Vocis* elinguis sit?

29. An silere iubetur, vt omnem vocis congestam efficaciam in filio generando consumat: & quia Verbum Dei ab ore Patris progignitur limpidè & virgineè, sic aliqualis eluceat similitudinis proportio, & *Vox* Verbi à sui genitoris lingua, quamuis per concubitum, produci videatur? Attende. Hoc signo non solùm fides animatur, vt credat; sed & virtus parentis adiuuatur, vt gignat. Gestit gratis, quod sterilis natura filium emittat, qui *Vox* sit, & vocis ministerio resonet vniuersitas. Quoties virtus generandi validior est & potentior; robustior similiorq; proles exoritur. Quando in viuente aliqua potentia deses est, vel omninò euanuit; vliuidiores sunt potentiæ reliquæ, quasi virtus deperdita secesserit ad vicinas: sic curtatus in manibus, brachiis pro manu mirè vtitur: claudus fortiùs cætero corpore enititur: cæcus auditactùs, odoratur firmiùs, memoriaque viget grandior. Luc. 1. 20. *Eris tacens* ait Angelus genituro Vocem; organum vocis obturat, vt vberior vox quasi in ergastulo præpedita, auido refluxu in virtutem genitricem redundet. Vocis obsidetur fons, vt vberiori scaturigine profluat; otiosa quiescat, vt irrequietior erumpat; auara subsideat vt ditior euadat: generatiua virtus cum lingua paciscitur, ad linguam sterilitas ascendit; linguæ fœcunditas descendit ad naturam. Ideò tanta Vox ab Elisabeth vtero prodiit. Ingeniosè Antipater apud Metaph. de S. Ioan. Antip. *Sed quoniam tibi est cordi signum accipere, mutus eris, & voce carebis, & hoc erit signum filij procreationis; ex generandi instrumentis ad vocis instrumenta transeant vincula sterilitatis. Voce impeditus vocem mihi concipe.* O quanto pipere acumen hoc conditur! Signum practicum vocis abscissio est; & enuntiat & efficit. Perdit vocem, vt vocem concipiat: non aliud organum gignendo Ioanni debebatur, nisi lingua. Ab ore Patris procedit Verbum Dei Filius: Ioannes homo nascituros, sed illius Verbi Vox: non ergo enascatur ab ore, quia Deus non est, attamen, vt eximiam similitudinem nanciscatur, simulque Vox & homo gignatur, ex generandi instrumentis ad vocis instrumenta transeant vincula sterilitatis, & vocis instrumenta generandi instrumentis copulentur. *Voce impeditus vocem mihi concipe:* quasi vox in pectore circumclusa genitricem viam inuenerit, per quam effluat. Qui vberi linguâ, infertili natura ingressus fuerat sacrarium, iam sterilis exit in lingua, in natura ferax: & quasi voce retro per pectus refusa, in pectore conceptionis figuram ferebat, donec impedita vox exire per linguam, per thalamum transiret in prolem. Chrysol. Lepidè & profundè Chrysologus ser. 90. ad finem, ad illa verba: *Et erat plebs expectans Zachariam. Egreditur Pontifex, gestans in ore sterilitatis indicium, portans in pectore conceptionis figuram: vt cùm mater pareret filium, daret filius vocem, tunc verbi pater ederet sacramentum.* Non credam, te quid elegantius audiuisse. Quid dicis, ô Auree? Sterilitatis indicium lingua mutescens est? Sterilitas, quæ tot annis arida frigiditate inualuerat, nunc cùm iam calori prolifico proxima, indicatur in lingua? O acute! Si à sacrario vsque ad fores templi iam vxor, quæ accidebat ad linguam, retrosa per intima corporis se reducens tam velox perueniebat ad pectus, vbi iam conceptionis prolis, quæ *Vox* futura erat, delineabat figuram; eodem impetu sterilitas commutato situ ascendisset ad linguam: vt qui antea sterilis erat sed loquens; iam ex vicissitudine mutus esset, sed fœcundus. Euseb. Emiss. Nec id fugit Euseb. Emissen. vel quisquis ille auctor sit: *Ecce eris tacens, donec ex te genita Vox oriatur. Et quia Vocem generaturus es, non te pœniteat aliquanto tempore tacuisse.* Refusa voce portabat in corde conceptionis figuram. Demirare: sic Deus Pater concipit & Verbum, & corde, & figuram substantiæ eius.

Ex quibus non sine venustate probatum habes, nimiâ curâ prouisum esse, vt circumquaque appareret, in generatione Ioannis, licèt hæreditarij piaculi vitiosa tyrannis irreperet, multum de gratiæ ornamentis in exterioribus signis fuisse erogatum: quoniam gratia citò perfundere parabatur infantem, ea plenitudine, vt sex mensium vacuam posset supplere tarditatem. Ideò vox eripitur parenti, vt *Vocem* gignens, multum de limpida vocis ab ore conceptione traxisset; & quo magis recederet ab illecebra, citiùs peccatum, quod ex concubitu transit ad prolem, propulsaretur per gratiam. Quin vt se magis innocuum, sanctumque ab alienarum vocum auditu parens custodiret, non solùm lingua coërceretur ab vsu, sed & auris. Quid est illud: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui!* Tam seruius pœnale signum infligit, vt posses timere, ne tautologica sit loquutio, idemque bis significet. Censent sic loquutum Angelum, vt fore mutum ostenderet; vnde posteà sequitur: *Et permansit mutus:* mutus autem etiam surdus est, qualem mansisse Zachariam communis & vera sententia est ex Euthymio & Ambrosio. Ego quidem assentior: in verbis autem Angeli nullam esse tautologiam, quod ægrè aliqui & minùs venustè contendunt, absque vllo negotio conuincitur: dixit enim priùs absolutè: *Et ecce eris tacens;* & deinde, vt taciturnitatis tempus præsignaret, adiecit: *& non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant.* Hæc clara sunt. Ast non contemnenda emphasis latet. Vtrumque silentium illi indixit, & ab arbitrio, & ab impotentia; acsi diceret: Vox tibi generanda est: adeò à sensilibus manebis arreptus 30. Luc. 1. 20. Euth. Ambros.

& huiusmodi oracolo in cœlestia transmissus, vt
nolis euoluere linguam, auriculasque implere lu-
bricis vocibus: quin, etsi volueris oris laxare licen-
tiam, aurimque foramina non obstruere, impo-
tens eris: vt natura concurrat & voluntas, & to-
tum te voci generandæ referurs. Theodorus Stu-
Theod. dita orat. de natal. Præcurs. *Accipit signum Zacha-
rias rei conuenìens, nempe sermone soluto silentium,
quod viuum sermonem, & qui consistit, est ei pa-
riendum. Et permansit mutus, vt qui quodammodò
excessisset ex sensibus, & totus seipsum conuerters
ad id, quod visum fuerat, mutus esset manibus, &
aerem temerè verberantibus sermonibus.* Expende
illud: *quod viuum sermonem, & qui consistit.* id est,
occiduis vocibus, fluxuque pereuntibus & exitus
clauditur & ingressus: quoniam sermo pariendus
erat, qui viuus, qui subsistens, vtpote homo. En
quanta diligentia præcessit, vt ab vlla iniquitatis
sorde parentes Ioannis mundi persisterent, vt citò
imbueret gratia conceptum, quem naturæ gene-
rantium, non personarum, successiuum peccatum
maculaìet.

31. Hinc agitur, vt vtrumque organum voci sub-
seruiens, lingua videlicet & auris nullis terre-
strium vaporum incursibus haberetur, nullis vo-
cum sordibus pateat, vt quæ sint ostia cordis: &
sicut verbum è corde eructatum, sic Ioannes *Vox*
per cordis semitam ad generationis tenderet com-
mercium. Præmisit Euangelista de parentibus
Luc. 1. Ioannis: *Erant iusti ambo ante Deum.* Quidnè ante
Deum? Corde. Deus enim intuetur cor, homines
1.Reg.17.7 autem ea, quæ patent. Non fucum iustitia præ-
tenderat, noo beneuolos oculos adulterinæ lucis
splendore captabat, intus in corde tribunal erexe-
rat, quod Deus solus intueretur. Parum hoc. Quo-
niam Ioannes nasciturus, quæ carnis sunt, spiritali
districtione extenuauit, vt quasi membra colliqua-
uerit in spiritum, supra quidquid humanum est,
virtutum cumulis se extollens: ideò priùs de pa-
rentum cordis iustitia differitur, quasi à corde gi-
gnendus esset, qui *Vox clamantis* futurus supra car-
Chrysol. nem erat. Chrysologus ser. 89. *Erant iusti ambo an-
te Deum. Placere iudiciis humanis, coram homini-
bus esse iustum, est virtutis humanæ: ante Deum, qui
scrutatur corda, cogitationes discutit, esse iustum,
humani laboris non est, muneris est diuini. Si ma-
gnus est, qui non peccat in carne, quantus est, qui cor-
de non peccat? Ioannes ergo supra carnem est natus
de istis, qui ante Deum nec corde, nec corpore pec-
cauerunt.* Pondera illud: *Ioannes ergo supra carnem
est* natus. Velut si cui cordis parentum munditia
in generatione profuit, ioiqua carnis moles non
læserit, nec hac sarcina depressus corruerit in imū,
qui sic ex cordis munditia agebatur in altum.
Quid profuit, si tandem communi casu lapsus in-
teriit, & cum generationis sorte, labiis infortu-
nium accepit? Quomodò supra carnem est, qua à
iustis corde parentibus progignitur, si qua carnis
more seminatur, malignitatem seminis ebibit in
carne? Imò vt citò deponeret hæreditariam carnis
vetustatem, nec corde, nec corpore peccauisse di-
cuntur parentes: vt quem communis naturæ ser-
uitus necessario peccati vinculo præocuparet, pa-
rum duraret in illo, vtpote, quod ex desuetudine,
eiusque reliquiarum in parentibus amissione, qua-
si valde diminutum in fœtum inuasisse videretur.
Quare qui de peccato agebat, data opera dixit
Chrysologus? *Ioannes ergo supra carnem est natus:*
vt innueret, quod qui parum de carnè traxisset, pa-
rum in originis noxa, quæ carnem genitam inse-
ctatur, debuisset persistere. Quòd enim tradux pia-
culi per generatæ carnis successionem in polluen-
dam animam tendat, non verò per animam in car-
nem incipiat ire, pluries ex S. Thoma docuimus. S.Thom.
32. Ex quo non insuauiter coniectabis, cur ad vo-
cem Mariæ salutantis hilari corpusculi commotio-
ne responderit infans. Vt præsignauerit gratiam?
Ast gratia non ad corporis, sed ad animi motus
est; insidet in spiritu, non in membris. Opportu-
nè satis actuio est. Vox salutantis ad emundandū
ab originali tenenderat puellum: vt quà ingressum
est, ibi admoueretur impulsus; caro exultat, mem-
brorum teneritudo subsilit, & de carne trium-
phus celebratur in carne: vt iam supra carnem sit
Ioannes, qui intra carnis officinam, nempe vte-
rum, vbi vitiatæ carnis transfusum regnat pecca-
tum, gratiâ pollebat. Quæ energia est in Angeli Luc. 1.
vaticinio: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero
matris suæ?* velut si exultauisset in corpore, quo-
niam ex spiritus intra animam abundantia artua
corporei aspergerentur. Ea propter miratur Da-
mianus, hispida veste (si vestem dicas pungentes
pilorum aculeos) membra Ioannem castigauisse,
quæ antea Spiritus perfuderat, nulliusque delicti
mollierat licentia. In natiu. Ioann. col. 5. sic inquit:
Carnemque tenerrimam immatura districtie disci- Matth 3.4.
plinæ seritate coarctat: teneros artus & sacratiori Dam.
*Spiritu superfusos continui quassat longitudo mar-
tyrij.* Qui sacratior Spiritus, nisi Sanctus est?
Respexit, puto, ad vterum, in quo Spiritus sancti,
quo in anima replebatur, ad tenellos artus cum
exultationis motibus reliquias emisit. En cur
exultauerit. Fœlicior ratio hæc est, quàm ea, quæ
ab impudentibus Nouatoribus iosipidè circum-
fertur: qui stolidissima hæresi contendunt nullum
infantem originalem labem diluere, nisi propriæ
fidei certos quosdam motus eliciat; qui licèt no-
bis incogniti, tamen à Spiritu sancto sint: *Etsi nos* Synod.
(inquiunt, io actis Synodi Vvitenberg.) *non in-* Vvitenb.
*telligimus, qualis sit Dei actio in infantibus, tamen
certum est in iis nouos & sanctos motus effici, sicut
& in Ioanne noui motus fiebant.* Erudito flagello
percutit hos Canisius lib. 1. de corrupt. Verbi Dei Canis.
cap. 1. Hic error suamet stoliditate, & torpore de-
cidit. Vt Ioannem minuant, quousque infantes
ad miraculi communionem intruduot; cùm po-
tiùs propterea exultatio illa mirabilis in Ioanne
fuerit, quia in aliis non est. Quæ ab impetuoso
Spiritus sancti incursu, veluti per ripas corporis
cum agitatione exundantis, singularis illa euenit
exultatio, vt originarij piaculi celerior, quàm in
aliis, expulsio crederetur; non nisi stultè nimis ad
exemplum trahitur cęterorum. Prȩstat in re graui
audire Augustinum epist. 59. ad Dardan. *Quan-* August.
*quam etiamsi vsque adeo est in illo puero acceleratus
vsus rationis & voluntatis, vt intra viscera materna
iam posset cognoscere, credere & consentire: quod in
aliis paruulis ætas expectatur, vt possint, etiam hoc
miraculis habendum diuina potentia, non ad huma-
na trahendum est exemplum naturæ.* Et statim:
*Quocirca nec quod factum est in Ioanne, contemno;
nec inde regulam, quid sentiendum sit de paruulis,
figo. Imò id in illo propterea mirabiliter prædico, quia
in aliis non inuenio.*

Meliùs esset, si scioli isti mala gramina pasti, 33.
& à serpente inter herbam benè ce superbia eru-
diti, humilitatem addiscerent, quam Ioannes in
aula vteris edocuit. En cur exultat, quia à superbo
originis peccato dirimitur. Cur dirimitur? nisi quo-
niam spiritus humilitatis repleuit illum? Quale

pharma

pharmacum aduersùs serpentis venenum: qualis aduersus tabifici fici succum herba, nisi humilitas? Quale fuit primum verbum, quod post exultationem in vtero Elisabeth protulit? *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Cur sic loqueris, te deprimens, extollens cognatam? Luc. 1. 43. *Ecce enim ex quo facta est*, &c. quasi diceret: Quoniam exultauit infans in vtero meo, non solùm te Domini mei Matrem agnosco; sed me nimis despicabilem, & coram te humilem tibi venerabili deuotione subiicio. Ergo spiritus humilitatis fuit, qui, repleto infante, repleuit & matrem. Quid causæ? Quoniam aduersus peccatum originis agebatur, quod suggessit superbus, superbus admisit, & posteris superbiente præuaricatione superbia commisit. Ergo considera humilitatis gradus. Virgo paulò antè dixerat: *Ecce ancilla Domini*, vt ex humilitatis verbo Verbum Altissimi conciperet: hic sapor adhuc in ore erat, quando vocem salutationis emisit; quid quòd humilitatis spiritum transfunderet in infantem, vt emundaretur à crimine; & ex infante ad Elisabethæ linguam ascenderet, vt peracto opere, iterum per aures regrederetur ad Virginem? Prodest Caietanus ad illa verba: *Et vnde hoc mihi? Vbique apparet Spiritus sanctus, spiritus humilis cordis: In beata Virgine apparuit in Ecce ancilla, & posteà in submissione ad visitandam Elizabeth; & modo apparet in ipsa Elisabeth præcognoscente se indignam, vt ad eam veniat beata Virgo.* Accinit Beda, in Comment. in Luc. qui, cùm anteà de Maria dixisset: *Postquam se cælesti onustandam partu didicit, nequaquam se de donis cælestibus, quasi à se hæc essent, extulit; sed vt magis magisque donis esset apta diuinis, in custodia humilitatis, gressum mentis fixit respondens: Ecce ancilla Domini:* posteà ad ea verba: *Vnde hoc mihi*, sic de Elisabeth fatur; *Quia nimirum ipse spiritus, qui ei prophetiæ donum contulit, munus pariter humilitatis præstitit, Prophetico repleta spiritu genitricem ad se aduentasse Saluatoris intellexit: sed humilitatis spiritu circumspectæ minùs dignam se eius aduentu deprehendit.* Spiritus idem, qui suggerit prophetiam, simultaneo dono incutit humilitatem: veniens enim à Virgine, transiens per Ioannem non poterat altum sapere, ex quo vetus in paradiso error fuit, sed ad humilem sapere sobrietatem: ne erraret ab vtero infans, nec illi veniret per superbiæ; sed potiùs se deprimens in humilitate, quia exaltabatur, exultaret liber à culpa.

Caiet.

Beda.

Rom. 12. 3. Psal. 57. 4. Psal. 35. 12. Matt. 23. 12.

34. Credere, infantem, qui repleuit spiritu matrem, si spiritus humilitatis fuit, humilitate repleuisse. Profectò suggessit ea verba: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Sapiunt enim stylum Ioannis, qui cùm primùm ad se venientem vidit Iesum, dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quàm præpropera anticipatione mater didicit à filio, qui ad dandam scientiam salutis veniebat. Euthym. in Luc. ad ea verba: *Et vnde hoc mihi? Sicut enim postmodum filius Elisabeth, veniente ad ipsum Christo indignum se tali Domini accessu dicebat: ita quoque nunc mater ipsius indignam sese fatetur tali Dominæ accessu.* Ioannes Domino, Elisabeth Dominæ fert obsequium. Imò quia se declinem, officiosam & humilem exhibuit Elisabeth Virgini, accepisse spiritum prophetiæ, muneris loco, est qui sentiat pius Abbas Franco de grat. Dei tract. 7. apud Biblioth. vet. Pat. tom. 12. *Et quia Matri Domini* *sui se humiliter sternit, pro honore matri delato à filio spiritum prophetiæ dono accipit. Nec paruulus in vtero cessat ab officio, sed & ipse Dominum suum adesse sentiens, tripudiat gaudio.* Considera, quàm velox præmij cum merito illigatio: inter duas syllabas vicinas vtrumque est: *Vnde hoc mihi, vt veniat*; en humilitatis meritum: *Mater Domini mei ad me*; ecce prophetia. Non tardauit reddere mercedem pientissimus pro matri impensis obsequiis remunerator. Velox est Spiritus sancti opus: in puncto, nedum in syllabis currit. Per vocem mundatur infans à superbæ vetustatis piaculo, & per humilitatis vocem propheticum spiritum sortitur mater. Quid velocius, quam quod ad vocem fit? Ex his puto traxisse Augustinum id, quod dixit serm. 22. de Sanct. *Vt humiliaretur homo, hodie natus est Ioannes, quo incipiunt decrescere dies: vt exaltetur Deus, eo die natus est Christus, quo incipiunt crescere dies. Ideò celebramus natalem Ioannis, sicut & Christi, quia ipsa natiuitas plena est mysterio. Quo misterio nisi humilitatis nostræ sicut natiuitas Christi plena est mysterio altitudinis nostræ? Ergo in nobis humiliemur, vt in illo exaltemur.* Quæque seruant appetitum innatum, qui benigni illicis violentiâ trahit appetentem: nec delitere potest, sed more naturæ in prima se prodit actione. Cur Ioannes semper humilis, nec nisi humilitatis dictionibus delectatur: vt si eius vel mediocriter verba consideres, facilè fateberis? Cur subtus corrigiam Dominici calceamenti situm reputat sibi altum? Hausit hanc indolem ab spiritu humilitatis, quem in exufflationem originalis delicti Maria salutans infudit: quem è vestigio, qua potuit, corpusculi inflexione monstrauit, & deinde quoad vixit, quasi ingenitam proprietatem iugiter explicuit. Et vt nouissima prioribus iungeret, qui in vtero poplite verso se arctauerat, membraque depresserat, in morte ipsummet corpus amputato capite diminuit. Quod delectat Augustinum, cùm post data verba adiicit: *Vt minuatur homo, caput Ioannis abscinditur: vt exaltetur Deus, Christus in ligno suspenditur.*

Ioan. 1. 27.

August.

August.

35. Vidisti iam, quàm veraciter dixit Guerricus, sanctitatem Ioannis pene originalem fuisse: siquidem gratiæ præsentis affluentia sic vsquequaque cucurrit, vt elapsum, quod fuit originalis lapsus tempus suis vndis humectauisse videretur. Ea propter lux eniteat Augustini loco serm. 20. de Sanct. *Adhuc in vtero matris suæ Spiritu sancto est repletus, & suam ipsius natiuitatem prophetando præuenit. Ad similitudinem Domini sanctificatus antequam natus intra viscera exultans, & Saluatoris aduentum materno ore protestans.* Qualis similitudo hæc, siquidem Dominus absque peccato venit, vt veniam daret peccatorum; qui ex Virgine qui de Spiritu sancto conceptus. Ioannes, licèt de sterilitatis thalamo, de thalamo tamen; ex quo traducis vitium non voluit effugere, nisi semestris? In natiuitate mens figitur Augustini, antequam quidem vterque sanctus fuit, licèt iunior sanctitas in Ioanne, quæ tamen cum Christo concepta erat. Verùm iniustè negabis, in Spiritus sancti plenitudine, qua in vtero Ioannes exultauit immersus, attonitum sanctum Doctorem præ miraculo non attendisse, in iniquitatibus fuisse conceptum, quem sanctitate videbat vsquequaque perfusum.

August.

36. Nulla peccati memoria exultationem Ioannis funestare debet, nec oculis obiici, nisi vt sanctus.

Matt. 3. 14. Luc. 1. 77. Euth.

Franco.

Cur

Cur Elizabeth, postquàm se grauidam ex prodigio fœcunditatis agnouit, se occultabat mensibus quinque? Pudorem annosæ prægnantis, & oblitæ thalamum ex frigida senectute, iam thalami fructu onustæ, in causa fuisse diximus suprà ex Ambrosio, & Beda. Nec inferiorem ex Maria sexto mense visitante, rationem adiecimus ex Origene. Nunc aliam in Ioannis obsequium meditamur. Latet Elisabeth vterus, ne fœtus, dum sub peccato est, indicetur: absconditur mater, ne pignus sub iugo diaboli irretitum appareat. Solùm, se reuelat Matri Domini visitanti, vt deposito peccato, exultet infans, & ingeminatis incursibus, vt sentiatur, qui iam sanctus & absque peccato est, impellat! Puderet eum, quem largo Spiritus imbre irrigauit, aliquo tempore adhuc sub vteri cortina, antequam emundaretur, agnosci. Pigeret sanctitatem pene originalem, non simul vtrumque humanæ cognitioni exhiberi, sanctitatem videlicet & conceptum. Non manifestatur tumens vterus, antequam ipsa manifestatione sanctus fiat: vt non in cognitionem deueniat gestatio infantis, priusquam infans dilutus à peccato sanctus appareat.

Luc. 1. 24.

37\. Ergo sanctitas pene originalis est, quæ in prima declaratione conceptus persuasit infantem: quasi tunc generatio inciperet, quando incepit genitus agnosci. Quid quòd tunc ad Mariæ vocem & genitus & sanctus credatur, si etiam natiuitas eius, generationis voce possit gaudere? Cupio, nimis æstimes locum Chrysostomi, quem subiicio in natiuit. Ioann. apud Metaph. quod secundùm nostram Vulgatam est: *Elisabeth impletum est tempus pariendi & peperit filium*, legit: *Impletum est tempus pariendi, & genuit filium.* Dubitat Aureus Doctor, cur *gignere* dictum sit pro *parere*, cùm præcesserit *Impletum est tempus pariendi*: & venustè respondet, id ideò, quia, in enitente puerpera gaudium, ex gratia, fuit; & lætitia addita solet esse gignenti. Coogratulor nimiùm, quoniam supra Academ. 21. section. 1. pluribus ostendimus natiuitatem Domini ex vtero virgineo generationem stylo Patrum nuncupati, vtpote quam non ærumna pupugit, sed sacra voluptas Hilarauit, nec percussit stimulus puerperij, sed ridens festiuitas impinguauit. Cupio, quòd illis, quæ ibi meditati sumus, patronum adiicias Chrysostomum: ecce verba: *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & genuit filium. Cur autem perit & gennit? Quòd illud quidem est opus naturæ, hoc verò supra naturam: quandoquidem peperit quidem vt mulier; sed superuenit gratia sancti Spiritus, & gennit supra naturam. Aliud enim est natura opus, aliud gratia. Erat enim miraculum, quod fiebat à Ioanne & non tantum habebat paterni generis, quantum Dei Verbi.* Et post pauca: *Ea de causa dicitur parere & gignere illud quidem propter naturam, hoc verò propter fidem. Qui enim gignit, gignit cum lætitia? quæ autem parit, parit in doloribus. Quænam verò tristitia fuit in Elisabeth, vbi aderat sanctus Spiritus: non erat autem obstetricis circumcursaria, nec gratia tumor* (puto legendum *nec grauida timor*) *onus extendens, miserabilem efficiebat laborem, si conferatur cum lætitia?* Quid nobis pro iis, quæ in citato loco præscripsimus, benignius & opulentius? Expende illud: *Non tantum habebat paterni generis, quantum Dei Verbi.* Quid est. *Quantum Dei Verbi?* Præclara nobilitas Ioannis io similitudine ad Verbum Dei innuitur. In vtero Patris superni idem est generatio & natiuitas: Verbum eadem emanatione & generatur & oritur. Ab vtero matris Verbum gigni dicitur, etiam cùm nascitur, ob lætum, gaudiorumque vnguentis delibutum puerperium. Eodem stylum in Verbi Voce, quæ Ioannes est, gratiam obseruauisse contendit Chrysostomus, vt lætia charismatibus perfusum asserat puerperium, quando nascebatur ille, quem Spiritus sanctus ab vtero matris replebat.

Chrys.

Idem.

Vide, si gratis originalem sapist, siquidem generationem dicitur perfudisse saltem in vocabulo, 38.
licèt natiuitatem significet. Id hausit à Virgine cuius voce respersa est: non enim ob aliud sacris lætitiæ organis natiuitas Ioannis concrepuit, nisi vt Virginis fœcunditatem, lætumque partum, & omni generatione iucundiorem ostenderet. Suffragetur S. Maximus homil. 2. in natiuit. Ioann. Maxim.
Nullus ignorat omnem paruulum materno ab vtero prodeuntem inter ipsa lucis exordia mœstis concrepare vagitibus: solus Baptista Domini vltra legem nascentium natiuitatem suam lætitia exultatione prauenit, qui fœcunditatem Virginis reuelabat, quatenus mirabilem partum mirabiliter natus ostenderet. Maximo accinit Petr. Damian. serm. de Dam.
S. Ioann. Bapt. col. 4. Ab exultatione in vtero, quæ ex Virgine salutante concitata est torrens exultationis vsque ad natiuitatem exundauit. Scis illud Angeli ad Zachariam: *Et erit gaudium* Luc. c. 41.
tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Singularis ista natiuitas est, quæ super gaudium exultationem veterano attulit Sacerdoti. Exultatio quidem exilientis, gestientisque nimis, insultantisque corporis motibus ex nimia hilaritate citatis lætitia est. Cur ergo hic animi, corporisque excursus seuero, seoique Pontifici in natiuitate filij promittitur? Meditor quòd exultatio filij in vtero exilientis ex gratiæ vbertate, postquam natus est, deuenit in patrem: siquidem & ipse Spiritu repletus detentas fuit solutus in voces, prophetamsgens, quoniam generauerat prophetam. Tam abundans fuit gratiæ fons ab exultatione in vtero ad ortum præcursoris, vt sursum ascenderit vsque ad patrem.

Si hæc causa sit, quòd natiuitas Ioannis singulari cultu ecclesiasticis celebretur officiis? Quid 39.
ad nouam solennitatem vrget? Gratia nascentis? Sed iam io visitationis Mariæ festo impetum gratiæ, quo exiliit infans, celebrauit Ecclesia. Consolamus Augustinum sermon. 23. de Sanct. *Re-* August.
cordemur Prophetas, recolamus Patriarchas, nati sunt homines; atatis accessu pleni Spiritu sancto Christum prophetarunt: nati sunt, vt postea prophetarent; Ioannis autem Dominum Christum ipsa natiuitas prophetauit, quem conceptum ex vtero salutauit. Obserua rationem. Verba difficilia sic explicat: Natiuitas ipsa prophetat, non solùm qui nascitur: quoniam quando intra vterum erat semestris, Christum conceptum in vtero salutauit ex vtero: id est, Ioannes Dominum in omni statu nuntiare, prophetareque debuit ex munere, conceptum scilicet & nasciturum. Quoniam in iniquitatibus conceptus fuit, tunc prophetare non potuit, quousque intra vterum sexto mense emaculatus, prophetauit exultans: regeneratio io gratia illi pro generatione fuit. Suppetebat alium, videlicet quòd nascens prophetaret nasciturum. En distincta solennitas, sicut distinxit Angelus ad Virginem: *Ecce concipies in* Luc. c. 31.
vtero, & paries Filium. Gratiæ torrens, qui infantem

intra

intra viscera circumagebat, quasi cum tunc agens & gignens, vt genitum Dominum nunciaret, viderut in lucem pepulisse, vt prædiceret nasciturum. Si prima gratia, quando abdita, celebratur, quid quòd celebretur ostensa? Illud Zachariæ
Luc.1.76. non omittas: *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini.* Ego sic construo: non, tu puer vocaberis propheta; sed tu vocaberis puer propheta: siquidem & infans in vtero, & nascens ante faciem Domini prophetasti præcurrens, non ætatem expectans, non vocem: sicut Christus infans Verbum est, sic tu puer propheta. Hinc Antipater orat. de
Antip. Baprist. in fine: *Saliens in ventre, ea dicebas, quæ Moysi, cùm consenuisset, Deus significauit. Qua de causa te maiorem prophetis vocauit Sponsus Ecclesiæ. Quis enim ex prophetis ex vtero matris narrauit mysterium?*

Quale elogium sit Ioannis, quòd Angelus nuncupetur.

SECTIO VI.

40. NON defuere, qui humanæ naturæ inuidi, illi dignitatem hanc eripere tentauerint, quòd Ioannem non naturâ hominem sed figurâ; non Angelum solo munere, sed natura affirmauerint. Absit hoc iniuriosum nimis in humanam speciem probrum. Qui facit
Psal. 103.4. Angelos suos spiritus, id est, spiritus natura, officio constituit in nuntios, Angelosvè; fecit Ioannem naturâ hominem, exercitio & virtute destinauit in Angelum. Perspicuè explicuit Euangeli-
Ioan.1.6. sta compendio: *Fuit homo missus à Deo.* Et *missum* dixit & *hominem*, vt officium proderet & naturam. Hæc si fixè teneas, subiiciendis securè frueris.
41. Marc 11.10. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Cur peculiari voce *Angelus meus* nuncupatur? Quis ex Angelis eius non est? Quis mittere præualet Angelos, nisi qui facit Angelos suos spiritus, & ministros
Psal 63.4. suos vrentem ignem? Ex sequentibus solues: *ante faciem tuam.* Dei Patris vox ista est loquentis ad Filium in carne venturum, illique Angelum præparantis nouiter conflatum, vt adsonè instituto deseruiat: quare signatè *meum* dixit. Angelorum myriades stipant Deum: ast Angeli, qui spiritus sunt absque humanis membris, non sic Dei hominis consonant statui. Angelus homo fiat, qui Dei hominis iussa discat, votis obtemperet, cubicularium agat, obsequiis mancipetur. Sit qui simul Angelus & homo, licèt hoc naturâ, illud officio. Hic quasi proprius consona attributione Dei hominis Angelus erit. Cætera Cœlitum cohors totius Trinitatis communis est: ex terris Ioannes Angelus exoritur, quia Deus veritas de
Chrysol. terra ortus est. Ad hæc Chrysologus sermon.89. *Cùm Christus Deus nasceretur in carne, Ioannes Angelus est generatus in terris: vt ita officia terrena officiis se cœlestibus miscerent, sicut humanis se diuina miscebant; & in terra Deo Angelus, Domino ordo cœlestis obsequi non deesset.* Passim acuminibus Chrysologi ferimur. Deesserne famulatus Angelicus in terris Deo homini, si Ioannes non nasceretur? Crebris coruscationibus, dum vagit ad præsepe cœlum Angelica turba fatigat? pastorum mapalia luce replet cœlitum exercitus: dum tentator è pugna victus resiliuit, Angeli ministrabant: ei legiones Angelorum sonitum vocis tremulæ expectant, vt aduersus Hebræorum acies in Dominum apud horum irruentes irrumpant. Mœret in Gethsemani, sanguineo innatans rubore; adest Angelus à cœlo lapsus: vix fugit rediuiuus è lapide, albicant Angeli sub sepulchro: officiis non parcunt irrequieris cœlites, dum omnis Incarnationis œconomia peragitur. Cur natum Ioannem perhibet Chrysologus, *Vt Domino ordo cœlestis obsequi non deesset?* Quàm lepidè! Non illi Angeli è terra generati. Si in carne Dominus veniet, ex carne genitum Angelum præmittat, vt aptus famulatus non desit, vt adsonet Deo homini dominanti Angelicus ex homine famulatus. *Cùm Chrystus Deus nasceretur in carne, Ioannes est generatus Angelus in terris.* Vide rationem: *Vt officia terrena officiis se cœlestibus miscerent, sicut humanis se diuina miscebant*; id est: sicut Deus homo nascebatur, sic aliqualiter, non tamen tota similitudine Angelus homo ad obsequia nasceretur. Luc.2.9. Matt.4.3. Mat.24.53. Luc.22.43. Ioan.20.12.

Hinc lucem Damiano affulgere cupio: sic fatur in sermon. de S. Ioanne: *Lætantur Angeli & vtriusque naturæ numerositas admiratur hominem, sic ingressum abyssum luminis, & in æterna Diuinitatis pelagus absorptum, vt ipsam reuerberet Angelicæ puritatis originem.* Angelus est superior homine, vtpote spiritus. Cur ergo perfracti iubaris quasi obcæcatus fulgoribus mutauisti voces, ô Beate? Non ait, lucem Angeli ab excelsis vibratam, in Ioannis claro monte percussam redisse; sed Ioannis lumen in Angelica reuerberauisse puritate. Mira res! Vt radius, quem Sol emittit, refracto redeat collisus fulgore, opus est densum corpus percutiat: in diaphano etenim totius iubaris bibulo, pellucido, & peruio dominans lux absque impedimento dispenditur. Ioannes homo est compactus ex corpore, Angelus spiritus est. Quomodò ergo poterit Ioannis lux Angelicum spiritum feriens resilire, reuerberarique refusa? Sic explico. Quid est nobilius, Angelica puritas in Angelo, an angelica puritas in homine? Excellit hæc, quantum corpus carneâ malignitate spiritali simplicitati obsistit. In quo omnipotentia magis ostenditur, efformans Angelum, qui non fit homo, an efformans hominem naturâ, qui Angelus virtute? Si puritatem consulas, elucet magis in homine construendo, qui Angelico decore fruatur. Lux igitur è Ioannis puritate eiaculata, si cum Angelica comparata percutiat Angelicam, necessum est, quòd repercussa redeat ad Ioannem, reducique meatu in Ioannis puritate ab Angelo reuerberata reuideat, cùm illius puritatis impos sit Angelus, sicut & ab humano corpore alienus. Cùm igitur superior in Ioanne puritas effulserit, nec in Angelo possit talis inueniri; scitè Damianus inquit: *Vt ipsam reuerberet Angelicæ puritatis originem.* Id admodum potest illustrari ex Chrysostomo in imperfect. in Matth. homil.27. *Puto, quòd gloriosior est Ioannes, quia homo fuit & propter virtutis meritum Angelus est vocatus, quàm si nomine Angelus & naturâ fuisset. Angelus enim, hoc ipso quòd Angelus, non est virtutis præmium, sed naturæ proprietas. Iste autem mirabilis est, qui in humana natura Angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quòd non habet natura, per gratiam.* Nec vacat illud Damiani: *Sic ingressum abyssum luminis, & in æterna Diuinitatis pelagus absorptum.* 42. D.m. Chrysost.

Non

Non agere de Ioanne iam beato dignoscitur; & tamen in Diuinitatis pelagus absorptum canit. Ergo inter Angelos, etiam dum in terra est, suppuratur, pascuisque saginatur cœlestibus: cùm tamen beati Angeli, Deitatis intuitione fruantur; Ioannes autem adhuc tendebat per viam, nec metam tetigerat gloriolam, à visione, quæ beatos efficit, extorris.

43. Ioan. 1. 6. Quid quòd *homo missus à Deo* muneribus Angelicis insignitur, si in eius auspiciis iam incipit Angelus hominum innecti consortiis, & cœlestis spirituum principatus cum terrigenis adoriri commercium? Apparet Angelus sacrarium ingresso Pontifici, vt instruat de nascituro filio; & tamen se Angelum esse ex nomine, natura, & officio fassus est. Quod vix inuenies contigisse, tametsi recolas alios filios, Angelorum ministerio promissos. Nunquam se Angelos tam seria explicatione dixerunt; licèt Angelici status perspicua aliàs indicia præbuissent. Verùm dum Ioannes Luc. 1, 19. generandus spondetur: *Ego sum Gabriel*, inquit Angelus, *qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te.* Cur sic officiosus se pandit? Vt eadem ferme insignia si in filio, quem spondebat, agnoscerent, facilè ex comparatione Angelus esse crederetur, qui tamen homo nuntiabatur oriundus. Mittitur Gabriel, qui astat ante Deum. En simile: Mat 11. 10. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Quid quòd Angelus se dilucidè manifestet, si Angeli generationi ministrat, quasi contendens, quòd agnoscatur vt Angelus, dum ad tantum supra naturam miraculum innititur? Angelus spiritus est, sed infœcundus: creatus spiritus prole non gaudet simili: parturire satagit per intellectum; sed tandem accidens est, non filius, quod concipit. Sic nixu toto videntur Angeli conari administratorium obire munus erga generationem Angeli, qui quamuis homo sit, adeò defæcatam in puritatis candorem naturam habet, vt humana membrorum compage exhaustâ, totus videatur in Angelum transfluxisse. Hinc generationi Verbi Dei sub humanis artubus Angelus ministraturus descendit, à quo procul abest vir: Spiritus ope peragitur, hominis ministerium ablegatur; Deus est, qui gignitur, & qui incumbit. Hinc & Ioannis generationi diligens insistit, vbi parentum arida sterilitas, vberis gratiæ fœcunditati subridet, humana languent officia, exucca, geluque constricta natura repente virtute laxatur, vt discat in Deum generandum excrescere. Ideò Angelus, etsi humana specie, vt ab oculis sentiretur humanis, virilem simulabat figuram; se diligens à suspicione, quod homo sit, defendit: vt iam deficere credatur homo, cùm Angelus ad Angeli generationem mittitur enuntiandam, sensimque & per gradus via in vtero præparetur Ad Deum concipiendum. Chrys. Chrysologus serm. 87. *Apparuit ei Angelus, cùm iam defecerat totus homo, vt antè Ioannes nasceretur ex sterili, quàm Christus nasceretur ex Virgine. Dictum est de Ioanne: Ecce ego mitto Angelum meum. Fœlix, quæ sterilitatis damna, virginea fœcunditate mutauit. Fœlix, quæ vt in Deum cresceret, in senibus sic defecit natura.*

44. Ne hæc vltima obliuiscaris: *vt in Deum cresceret, in senibus sic defecit natura.* In Zacharia & Elisabeth, quos defessa senectus atterebat, solùm natura excreuit in Ioannem; non sublimiùs in Deum euecta est, nisi in Virgine. Scitè per gradus Sap 8. 1. Chrysologus incrementa metitur. Suauis gubernatio Sapientiæ est: attingit à fine vsque in finem fortiter. Annè strenua fortitudine incumbit, vt finis fini absque temperante medio copuletur, & extremum in extremum veniat non pertransito spatio, quod intercipitur in vtroque? Imò ea fortitudo est, vt se contineat omnipotentis efficacia virtutis; nec distitos fines sine interiectitiis mediis attingat, sed paulatim temperando distantiam disponat omnia suauiter. Ergo vt carneæ naturæ obesa, saginataque moles in Deum posset excrescere, & sibi totius naturæ finem copulare, priùs debuit quasi asciâ quadam detenuari, perpoliri-que, & in homine Angelo qui supra carnem in carne ex sterili nasceretur, erudiri, & sic tandem in Deum crescere corporandum. Genito Ioanne secuta in Deum incrementa proueniunt. Si in sterili se cum prole conspicatur natura, citò ferax erit in Virgine. Præparauit carnem, vt Deo apta maneret, qui in carne genitus viam Domino præparaturos aduenit. Si homo Ioannes est, glorietur caro, corpus adaptabitur Filio Dei. Hebr. 10. 5. Si id diligens Euangelista obseruauit? Agit de Verbo Dei, quod erat in principio apud Deum, Solaresque radios increatæ maiestatis sublimi calamo pectit, & inopinò deprimens volatum inquit: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes:* Ioan. 1. Cur sic detorsit, quem ferebat, ascensum? An, ne à fine vsque ad finem absque intercedente medio, in quo paulò declinis, requiesceret, calamum transuectaret? Et quia dicturus erat, *Et Verbum caro factum est*, quod quantum distat ab illo: *Et Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum:* ne quis simulatam carnem, nugatoriamque & apparentem cogitaret ob infinitam extremorum distantiam, carnisque dedecus iniuriosum, Ioannem interiicit, veréque hominem fuisse pronuntiat: facilè enim assentietur mens, naturam quæ in Ioanne est, Deum sibi corporare potuisse. Ingeniũ est Ambros. serm. Ambros. de S. Ioan. Baptist. *Ideò autem cum Ioannis natiuitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videretur esse conditionis humanæ.* Quæ verba adeò demulserunt Augustinum, vt August. transcripserit serm. 21. de Sanct. *Hominem concepit Elisabeth, hominem & Maria; sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum & hominem. Quid sibi ergo vult Ioannes? Vnde interpositus, vnde præmissus?* Quibus vt respondeat, adiicit data verba: *Ne Dominus extra veritatem videatur conditionis humanæ, si comparetur hominibus.*

Sciscitaberis adhuc quomodò per intermedium Ioannem apta reddita natura, vt dignè assumeretur à Verbo, hominis caro, si quidquid humanum est priùs defecisse videtur, vt Ioannes Angelus nasceretur? Si non meministi Chrysologi, 45. audi iterum dicto serm. 89. *Ergo in Zacharia & Elisabeth stupet sexus, frigescit caro, membra sopiuntur, tempus præterit, ætas transit, antiquescit totum, quidquid est humani ordinis, & negotij coniugalis, vt diuino munere, non partu, ex hominibus Angelus nasceretur.* Chrysol. Sed verò, quoniam sic carnea defecerunt, incepit caro de idoneitate, vt assumeretur à Verbo, instrui, & posteà in Virginis vtero colliquata Deum apto circumdaret indumento. Vide, quantum Chrysologus persistat, vt Angelicæ dignitati Ioannem associet: *Diuino munere, non partu ex hominibus Angelus nasceretur.* Angelus non ex generatione erumpit in lucem, creationis opus est, non partus. Verè enixa est Elisabeth, sicut verè genuit Zacharias, verè Baptista natus, sicut & testatur Chrysologus; *ex hominibus Angelus nasceretur.* Ego in breui periodo contraria sunt,

quo

quomodò enim non partu produrus, si ex hominibus natus? Et satus quidem, & natus: attamem quia ex veteranis parentibus & effœtis, soliusque Dei munere impinguatis, partus ipsa, generatio, & natiuitas munus Dei fuit. Quà homo ex natura, natus; quà Angelus ex virtute & officio, absque partu censetur. Vel si mauis, *diuino munere, non partu:* id est, non partu diuino, quia Christus non est, & tamen tantus, vt cauenda sit erroris occasio. Nec te prætereat illud: *tempus præterit, ætas transit.* Stylus est obseruandus in Patribus, qui à generatione Ioannis benigna conspiratione tempus excludunt.

August. Augustinus serm. 22. de Sanct. *Erat quidem sterilis corpore, sed fœcunda virtutibus. Non germine clausa, sed tempore: non negata pignoribus sed seruata mysterio.* Quoniam Angelicæ durationis mensura tempus non est, sed æuum; tempus caruis præteriisse venuste dicitur, vt Ioannes Angelus nasceretur. Quin in Angelis actiones pro tempore sunt, quibus prius & posterius successiuis instantibus computatur. Sic mores, actusq; virtutis in parentibus Ioannis ad gignendum filium pro tempore habebantur, vtpote qui veniebat Angelus nuncupandus.

Antip. Antipater in orat. de S. Ioann. Bapt. *Ambo autem processerant in diebus suis. Et cùm procreandorum filiorum tempus definitum consumpsissent, non spe, sed lege amissa, mores habuerunt pro secundo tempore.* Vbi gignitur Ioannes, mores pro tempore sunt; non fluit inanis durationis tẽpestas; non decurrit instabilis vacuitas instantium: nobilior duratio moribus æternatur: sic æuiterna persistunt. Non tempore viuit, sed mente, qui Angeli genitor præparatur.

46. Horum si tenax fueris, iam libenter fateberis, quàm adsonè, antequam Deus homo nasceretur, fuerit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioãnes, naturâ homo, Angelus excercitio, nomine gratia. Si per elementa sensim natura in suum auctorem recipiendum edocta est, & ex sterilitate fœcunda ad virginitatem cum sobole, ex Ioanne peruenit ad Christum, non intercepto itinere, sed continuo vestigio & quasi necessaria latione, illationeque.

Mat. 11. 3. Dabis explicatum diffitili loco Matth. 11. Rogatus Dominus à discipulis Ioannis; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* ille responsum non linguæ, sed manui remittit; miraculis, nõ verbis: nec se clarè exhibet, sed occultat stylo; parcus,

Marc. 7. 35. dum dicit; largus, dum facit. Qui benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui, ad cæcorum, olimque languentium variis naturæ pestibus confertissimum gregem sanatum se confert; & qui interrogatur de propriis, omnem sermonem erogat in alienis. Ioannis accumulat elogia, quasi de venturo Ioanne quæreretur. *Hic est,* inquit, *de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Domine, si es, *qui venturus es,* quærunt; cur non quæstioni decisio cohæreat? Non potuit subtiliùs ingenioso inuolucro ad vnguem respondere quæ-

Malach. 3. sitis. Ex Malachia verba sunt, post quæ immediatè sequitur: *Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Ecce igitur validissimum argumentum. Quærunt, si sit, qui venturus est? Dicit Ioannem esse Angelum Malachiæ: ergo prompta illatio est, quod ipse, qui venturus est, sit: siquidem absque vlla distantiâ adiicitur in vaticinio, *Et statim veniet,* &c. En qualis huius Angeli cum Deo homine coniugatio; sapiens ab vno ad alterum illatio est: imò quia Ioannes Angelus vocabatur, ne vel in dictionibus esset dissensio, Dominus Angelum testamenti se amat appellari. Argumentum hoc in schola Ruperti edisces, lib. 11. de gloria & honore Filij hominis in cap. 9. Matth. Rupert.

fusè expendit: do aliqua: *Nunc igitur syllogismum amabilem perficiamus: Proponit ipse Christus: Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam, Assumamus nos: Sequitur autem protinus in eodem Propheta: Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Concludant omnes turba Christianorum: Igitur iam non est expectandus alius: certissimè enim iam venit, qui expectabatur venturus dominator, quem vos quærebatis. Statim quippe illum venire oportuit, vbi missus est iste Angelus ad hoc destinatus, vt pararet viam ante faciem eius.* Quid pugnacius & feruentius?

Hæc si attentè versabimus, iam nodum explicabimus, quem arctius implicant, qui post Patrum vestigia non semper ire auent. Quid est, quod deprecabatur Zacharias in hora incensi, cùm Angelum à dextris alteris audiuit: *Exaudita est deprecatio tua?* Conspirant Patres, pro aduentu Messiæ, pro diluendis populi peccatis tunc solicitum esse Sacerdotem. Cur ergo sterilitatis laxatione præmissa, deprecationem exauditam fuisse Angelus pronuntiauit? Non petebat filium, qui Pontificem agens, publicis, non domesticis curis hærere debebat: imò in sponsione nutabundus, scientiæque de filio modum vestigans, modulos perdidit loquelæ; nec credere reluctaretur, quod supplex oraret, Est, qui ab hac verissima sententia iniusto, paruoque sumptu deflectit. Orauisse pro filio, qui filium imperauit, concedit: siquidem hùc solùm Angelus in toto sermone collimauit, nec verbum vnum de Christi aduentu, peccatorũvè remissione egit. Certè non faustè, cùm tot deuotet, hoc culica suffocatur. Nõ meminit illorum: *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Et tamen ipse auctor commentatur bis de Christo. Crede ergo Patribus, qui multis conficiunt, non pro obtinenda sobole rogauisse, vniuersita is oblitum, & de conceptu veteranæ coniugis non tam desperantem, quam haud cogitantem. Incensùmne totius plebis in solum desiderium proprij pignoris addiceret longæuus Antistes? Absit. Quæ transcripsimus ex Chrysologo. Cur ergo petitâ redemptione non solùm efflagitanti conceditur Ioannes, sed eo pignore de exaudita deprecatione admonetur? Quoniam hæc series Incarnationis erat. Si proœmium Ioannes est, si Vox, si Angelus, qui accensâ faculâ ante Domini faciem minister aduenit? diminutè ageret Incarnationis legatus, qui non inciperet ab Incarnationis exordio. Si hic ordo redemptionis fuit, vt præiret Angelus, illicoque Seruator succederet; cur ab ordine nuntius deflecteret? Pulchrè Beda: *Deprecationem dicens exauditam partum continuò promittit vxoris. Non quòd ille, qui pro populo oblaturus intrauerat, relictis publicis votis, pro accipiendis filijs orare potuerit: præsertim quia nemo orat, quod se accepturum desperat. Exaudita est deprecatio tua, pro populi redemptione significat. Quod verò adiungit: Et vxor tua pariet tibi filium, eiusdem redemptionis ordinem pandit.* In his plurimũ gustus est. Hæc est enim ductilis, & diuinitus continuata Euangelistæ contextura: qui, quo ordine

nunciatum fuit de Domini aduentu, eodemmet texit historiam. Incipit à Gabriele de Ioanne nuntiante, vt recto filo computet mensem, in quo nuntiauit Mariæ. Et quod ea fuit in primo nuntio, Gabrielis intentio, perspicuè liquet ex nexu illo apud Lucam: qui postquam grauidam iam manifistè Elisabeth memorat, continuò subiungit: *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo,*&c. trahens à conceptione Ioannis numerum Euth. mensium: quod doctè obseruauit Euthymius. Confecit igitur Gabriel idem argumentum, quod Dominus ex Malachiæ verbis apud Rupertum. Non otiosè veniret homo, qui Angelus nuncupatur. Qui lucerna ardens & lucens est, dum ante faciem Domini præit, è vestigio Dominum appropinquare & ministerio clamat, & luce demonstrat. Nobilis Angelus, qui non tantùm à Deo, sed ad Deum mittitur.

48. Hinc non pudet Angelum Gabrielem priuatis Ioannis obsequiis ministrare, quasi in munere illi deferret, qui ad ipsum Christum Angelus mittebatur. Quare vix nascitur Ioannes, & iam se Gabriele aliquomodo efficaciorem insinuat: in quo tamen non Gabrieli derogamus; sat est, quòd Angelo parem Angelũ, nempe Ioannẽ, reddamus. Qualis Angelus expeditior ad officia? Qui virtute eminet potentiori. Quis inter Angelos altero validior? Qui & alium illigare valet, & ab eo illigata resoluere. Audi. Angelus Zachariæ labra silentij pessulo claudit, vinculis linguam stringit: potuit irretire, quia Angelus est. Vix nascitur Ioãnes, & ipsa natiuitate illigata resoluit, reserat clausa, & Antistiti patri infringit compedes vocis, quas Gabriel, qui virtus Dei nuncupatur, iniecerat. Ambrof. Cense, quis ex Angelis fortior est? Ambrosius sermon. 65. *Videte sancti Ioannis Baptistæ meritum: os, quod Angelus alligauerat, Ioannes absoluit; quod Gabriel obstruxerat, paruulus reserauit. Quanquam & ipse sit Angelus, sicut scriptum est de eo: Ecce ego mitto Angelum meum.* In illa dictione *quanquam* rationem dedit grandis facinoris: quasi admiratio cessauerit, dum Ioannem etiã Angelum extitisse dignoscas. Et si Angelus est, qui & homo, Angelo plus est, qui solùm spiritus est. Quid quòd potentiori strenuitate ab Angelo fibulata disrumpat?

49. A soluta Zachariæ lingua statim in vaticinium laxatã non discedam; quin miratus fuero tum huius Angeli celerem efficaciam, tum Euangelistæ Luc. 1. verba: sic lego: *Et postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Apertum est autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur.* Cùm octo transiere luces post Ioannis natiuitatem, & Zacharias adhuc mutus est, nondum liberum os: vix stylum figit, cùm refringit silentium: dum manu *Ioannes* scribit, lingua explicatur. Vt discas Ioannis manum oris perfregisse repagula: vox *Ioannis,* quam manus exarabat, manus fuit ori Sacerdotis admota, quæ vincula soluit. Sed vtquid scribit, si illicò loquuturus? Inanis conatus est scribere, quod illicò te loquuturum audient. *Scripsit dicens: Apertum est autem illicò os eius.* Dum adest lingua, calamus otiatur. Vt omnia Ioannem instrumenta loquantur, calamus nempe & lingua, & scribit & dicit: stylus, qui ceram, labra rumpit. Conceptus duplici panditur ministerio, vel per loquelam, vel per literas: ne alterum deficeret Ioanni, non antè loquitur mutus, quàm scribat; sed scribens, illicò loquitur, vt nullum sit instrumentum, quod Ioannis manifestationi non subseruiat, vtpote qui conceptus pars est, scilicet vox. Bis loquutus est Zacharias, vnum audiui: *Ioannes est nomen eius.* Semitam in lingua, sicut in cera, impressit pugillaris. Velox nostri Angeli virtus: nescio, quæ prior styli patuit obedientiæ, cera, an lingua? Festiuè S. Ambrosius ser. 65. *Tunc* Ambr. *mirum in modum acceptis pugillaribus, vt stylum figeret, linguam resoluit, ac litteras sermone præuenit; & Ioannem non relatus est, sed loquutus.* Euangelista priùs scripsisse, deinde loquutum esse scribit. Singularis est Ambrosius, ordinem inuertens: *literas sermone præuenit.* Non incuses Doctorem. Ioannis actiuitas pro causa fuit, vt vtrique cursori; linguæ & calamo victoria alternis vicibus pangeretur. Ad styli tactum effusa est vox: nihil aliud expectabat, nisi vt Ioannes scriberetur: adeoque, dum manum admouet, cucurrit ad linguam, vt Ambrosius anteà se Zachariæ vocem exaudiuisse, quàm Zachariæ literas perlegisse, lepidissimo ludo fateatur.

Linguam æmulo gressu cucurrisse, vt graphio 50. præriperet vicem, Iuuencus sentire videtur: ne tamen Euangelistæ contrarius sit, cogita vtrumque pari gradu ad exercitium iuisse, labium & stylum. Sic. lib. 2. Hist. Euang. *Sed proh mira fides! tabulis* Iuuen. *cum scribere tentat, Implicitam soluit per verba sonantia linguam.* Nec dissidet Chrysostomus homil. 2. in natiuit. S. Ioan. Bapt. apud Metaph. *O no-* Chryf. *uum & alienum miraculum! Nomen scribitur; & os patris, quod loqui non poterat, aperitur. Ioannes vocatur, & eius, qui vocat, lingua componitur ac concinnatur.* Nonnè vides æquam in vocalis muneris expeditione vtriusque instrumenti celeritatem? *Et scripsit dicens: Ioannes est nomen eius.* Ergonè scriptionem dictio comitata, artemque natura præuenit: labra soluta, cùm resoluta sera per pugillaris officium? Refragatur Caietanus, qui peregrinè commentatur illud. *Scripsit dicens.* Audi: *Mutus erat, & scribere quidem poterat; dicere* Caiet. *autem non: & propterea, dicens, casus est accusatiui. Et est sensus: Scripsit scripturam dicentem: Ioannes est nomen eius.* Non benè. Si *Ioannes* nomen est, nomen non patitur silentium: vox est; etsi per crenas, graphijque aciem tacitè videtur diffluere, sonitum amat, organumque vocis eâdem expedit velocitate, qua ad aurem appellere desiderat. Nonnè Ioannis notio *Vox clamantis* est? Quid quòd è muto fecerit clamantem; nec potuerit è manu effundi, quin oris retia extricauisset? Eleganter Chrysostomus suprà: *Ecce enim* Chryf. *ipsum Iusti nomen & os aperit silentij, & excitat linguam ad mouendum difficilem. Sic enim ostenditur Vox clamans Ioannis, quoniam ipsum quoque nomen fit vocis operatio: Ego enim, inquit sum Vox clamantis in deserto.* Et optimè. Æstima illud: *Ipsum quoque nomen fit vocis operatio.* Noua res! Vox quidem fit: vocem tamen facere quis dixerit, nisi per caua montium crebris percussionibus fracta resultet; & quo magis se frangat, magis se fingat. Sed quia Ioannes Vox subsistens est, quidni vocem efformet; non sibi, qua non eget, sed aliis? Ideò per pulchrè *Vox clamantis,* id est, Vox, quæ non solum clamorem excitat, sed & clamantem constituit.

Hinc enodabis, cur tam diutino silentij fræno 51. obriguit lingua Zachariæ, nec saltem inducias supplicij metuit, nascente Ioanne? Expectabat pœnæ censura nominis expressionem, vt plurima vocalis refluxus portio ablueret linguam Sacerdotis ex efficacis nominis abundantia. Vt validior

Ioannis virtus appareret, non cùm paritur, parentis vinculum reſignatur, ſed à nudi nominis tacitam inſcriptionem. Quin ſubrilitate non vacat, nundum pro nato Ioannem haberi quouſque nomẽ accipiat: quippe ſi gratia, quam ſignificat; vox, quam amat, ſileſcat; ægrè lucis vſuram cepiſſe videtur, qui ideò natus, vt notus ex gratia & voce fuiſſet. Quid quod nundum peſſulum linguæ parens diremiſſet, ſiquidem Angelus vſque ad vocalem pueri natiuitatem, promiſſorumque complementum diſtrictionem ſilentij protelauit? Id ſubtilem Caietanum non fugit: *Tunc enim completa ſunt, quæ dicta ſunt per Angelum de natiuitate Ioannis. Ante diem ſiquidẽ octauum, quo in circumciſione nominabatur infans, quia anonimus erat, ferè vt non natus habebatur.* Ex quo capies Auctorem illum ſub nomine Euſebij Emiſſeni, qui verbis Angeli ſic inquit, Luc. 1. *Quia verbis meis credere noluiſti, vel ſigno crede. Ecce eris tacens, donec ex te genita vox oriatur. Et quia vocem generaturus es, non te pœniteat aliquanto tempore tacuiſſe.* Cur natiuitati expeditionem oris adſcribit? Non diſcordat. Tunc vt nota voa intelligitur Ioãnes cum vocabulum recipit, vocem rependit. Ex miraculo filius genitus miraculum amat pro natalitio: tunc illi natalia pangenda, cùm naturam prodit vocis miraculorum effectricis. Non illi amica lucis vſura eſt, quouſque miraculoſæ vocis vſura ſit: tunc incipit homo cenſeri, cùm ſupra humanam genitori vocem impertit. Annè humana vox, quæ à vocabulo *Ioannis* contigit genitori? Si incepit eſſe Prophetæ, cur non diuinam nuncupaueris? Origenes hom. 9. in Luc. *Statim vt ſoluta eſt, humana eſſe deſiuit, & loquebatur benedicens Deum, & prophetans.* O quam adulta vox! etiam dum incipit, ſpatium inter naturam & gratiam ocyſſimâ feſtinatione cucurrit: organũ, quod naturæ inuium, imbuit gratiâ; & cùm ſufficeret miraculo, è muto reddidiſſe loquentem; edidit prophetam à ſummo orſa eſt vox, quaſi celitùs, deſcenderet, quæ aſcendebat puello, Guerricus ſerm. 2. de natiu. Bapt. *Nec ſine fœnore magno rediſt intercepta facultas loquendi, cui ſimul acceſſit gratia prophetandi: vt videlicet vterque parens aliquid ſibi gauderet erogatam de prærogatiua filij.* Ex quo lux Antipat. orat. de S. Ioann Bapt. in fine: *Quis ex iuſtis in ipſo orta patri vocem attulit hoſpitalem? Tu autem ſimul eum, qui te genuerat, à vocis priuatione liberaſti, & dignatus fuiſti prophetia.* Quid eſt *vocem attulit hoſpitalem?* Cenſeo liberalem & facilem. Meliùs: volubilem & expeditam linguam, voci habitabilem, ſemitis docilem: non incultam & inhoſpitalem, vt antea. Denique diuinam, vtpote propheticam: hoſpitalis enim, Iouis Deorum maximi attributum eſt. Vel ſi mauis, hoſpitalis fuit vox, quaſi hoſpitij pretium & ſolutio: eo ingenio quod Zacharias nomen in ſacrario auditum ab Angelo quaſi in theca pectoris obdens, geſtantis vteri ſpatio continuit iniectâ ſerâ taciturnitatis in lingua, non reſignaturus, quouſque vocem reciperet pro pretio. Igitur vterque ſoluit; pater vocabulum, filius vocem: Prodeſt ipſemet Antipater: *Cùm filio rediddiſſet appellationem, vocem recepit.*

Caiet. — Euſ. Emiſſ. — Origen. — Guerr. — Antip. — Antip.

52. Ecce tibi huius noui Angeli in dirimendo vinculum oris ſtrenuitas, quod Angelus iniecerat in ſacrario. Quid quòd aliquomodò Angelicas acies exceſſiſſe proferatur? Cur agnoſcit intra latibulum ventris in beato Virginis ventre Incarnationis ſacramentum, quod olim Angelis non innotuerat, licèt beatis in cœlo, ad quos totius beatitatis attinere videbantur arcana? Theodorus Studita orat. de natal. Bapt. fermè ad fin. *numquid ergo, ô Ioannes, ſuper terrena aſcendiſti, ad cœleſtia prouectus es, Angelicos & primo operantes ornatus traſcendiſti? Quomodo ergo eorum ac fortius ordinem & dignitatem, & quod eis eſt à ſæculis obſcurum, & quod minimè didicerunt; ſtatim, tanquam poſt Deum, traiecisti, & nobis annunciaſti; idque cùm adhuc eſſes in maternis viſceribus?* Aſt facilè dirime quæſtionem. Huius nouæ beatitudinis ſacramentique à ſæculis abſconditi non Empyreum, in quo ſunt Angeli, aula eſt, ſed cœlum nouum, nempe Mariæ vterus: ideò nuncupatur beatus, in quem puer Angelus, puerque Propheta, licèt non miſſus, admiſſus, vt intueretur; quaſi in tertium cœlum raptus, nedum audiuit arcana verba, ſed arcanum Patris & Verbum. Pergit ille: *Qui eſt ſuper omnia & in ſinu Patris neſcientibus alijs igneis eius miniſtris, tanquam aliud cœlum ingreſſus, in vtero ſemper Virginis Mariæ ſeipſum patefecit, & hæc mihi talia expoſuit myſteria.* Studit.

Non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.

SECTIO V.

53. AGNOMAN Filij Dei *Magnus* eſt. Ab Angelo didicimus: *Hic erit magnus.* Luc. 1. Agnomen Ioannis *Maior* eſt: quod non ſurrexiſſe maiorem, Dominicum teſtimonium Matt. 11. 11. ſignauit. Et ſi ſcruteris, idemmet Angelus, dum Ioannem compellauit *Magnum, Maximi,* nedum Luc 1. 19. *Maioris,* ſubdit notam: *Eris magnus coram Domino,* Gen. 10. 9. Notiſſimus eſt Hebraiſſimi lepor: ſic *robuſtus* Ioan. 1. 27. *coram Domino*, robuſtiſſimus explicatur. Cur ſic incrementum dictio *Ioannis* ſolicitat, qui nequiuit vſque ad Chriſti calceamẽti corrigiam in humilem famulatum ſuſtolli? Mariæ propinquitas Maiorem, Maximum non Dòmino, ſed coram Domino effecit. Quid cauſæ? Vitreo latice ſublabitur amnis: humilem myricam videas in aquæ ſpeculo apparere grandiorem. Quid ſi cedrus iata in margine creuerit, truncumque & vmbram tingat in aqua, validoque ſucco in viridem turrim aſſurgat? Quantum in vicino flumine apparebit elatior! Aquæ fauent, vt maior cenſeatur. Magnus eſt Ioannes: ſed quia iuxta Virginea flumina ſatus, maior conſpicitur, quem toto gurgite, Mariæ fluenta abluerunt. Sciitè Guerr. ſuprà datus ſerm. 1. de nat. Bapt. *Flumina prorſus de ventre Mariæ fluebant, &c. Proxima erat fonti cedrus iſta nobilis,* Guerr. *Ioannem loquor conſobrinum & amicum Sponſi, Præcurſorem, Baptiſtam & martyrem Domini. Ideóque nimirum vberiùs irrigata in tantam excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa ſublimius poſſet inueniri.* Fauſtè granditatem cedri depinxit à flumine, talibus excreuit ſubſidiis, aquis ſalubribus humecta & repreſentata ſemper ſublimis. Hinc & inter Iordanis vndas grandior Ioannes appa- Matth. 3. ret tingens lymphâ Chriſtum. Didicit à Virgineo flumine augeſcere.

54. Naſcitur Ioannes. Audierunt è veſtigio vicini. Quid è natiuitate quaſi prolatione vocis auſcul- Luc. 1. 58. tant? Quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam. Quis tam inſolita eloquutus? Natiuitas ipſa. Deum creatura magnificat. Concipitur Verbum

Dei: non Dominus magnificat, sed anima Mariæ Dominum. Cur nato Ioanne, scilicet creatura, magnificat Deus? pristinis sæculis misericordia angusto præpediebatur ergastulo, potens gradiebatur iustitia, erectâ virgâ, purpurâ & à maiestate tincta & à sanguine. Patres misericordiæ vultum efflagitabant, vt carnem assumeret, detegeret faciem. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, &c. Si misericordia descenderet, qualis priscis innotuit, breuis veniret. Quid fiet, vt in Maria appareat magna benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei: Prius in Ioanne quasi taxetur quantitas, receptaculum efformetur, edatur vox conceptu replenda Magnificat Deus, pietatem in magno: venit Ioannes: cœlum recluditur pœnitentibus, lachrymisque declinibus inclinatur, regnum Dei clamante præcone, appropinquat. Dam. Damianus serm. de S. Ioan. Bapt. *Ioannes natus ostendit peccati pœnitentiam, veniam iniquitati. Hæc est prima vox, quam Vox clamantis in deserto proposuit. Ex tunc superexaltatur misericordia iudicio, regnat pietas, iustitia dissimulatur, & miserendi, non feriendi, quærit occasionem misericors & miserator Dominus.* Vnde tibi tam spatiosa industria ad misericordiam Dei propagandam, ô beate? Innata pietatis indoles non potuit amitti: quæ in generatione bibuntur, nullis possunt temporis rebellionibus auelli. Cur Angelus nuntiaturus Luc. 1. 11. Ioannem, à Dextris altaris incensi describitur? Mat. 25. 33. Ioan. 1. 29. *Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.* Quoniam dextera misericordiæ locus est: ibi sistuntur agni, hædis ad lænam eiectis. Ergo cui agnum erat digito monstraturus, & per pœnitentiæ disciplinam hædorum gregem reuocaturus ad dexteram, benè in misericordiæ situ ab Angelo promittitur generandus: vt iam inde misericordiæ viscera indueret, cùm in matris visceribus sereretur. Scolium est Ambrosij: Ambr. *Apparuit autem à dextris altaris incensi, quia diuina insigne misericordia deferebat.*

55. Antequam hinc abscindamus, explorandum est Mat. 11. 12. illud: *A diebus Ioannis Baptistæ vim patitur regnum cœlorum.* Quali valuæ Empyrei verbere quatiuntur? Quo turbine ænei cœlorum tunduntur muri? Quo ariete turrita mœnia cœlestis arcis franguntur à diebus Ioannis Baptistæ? Satius esset à Christi natiuitate, qua inclinauit cælos & descendit; Psal. 17. 10. qua deprecatio Patrum exaudita: Esai. 64. 1. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Quid est violentiam pati? Ab extero aduersus innatam inclinationem sufferre. Ante dies Ioannis qualis erat cœli indoles & innata cupido? Quod nullus, qui aliquando cecidisset, in cœlo permaneret. Superbiit Esai. 14. Lucifer ille, qui manè oriebatur, diluculumque sui omni distinctum ignitorum lapidum iubare præfeusit: sed vix deliquit, cum cœlum pro barathro commutauit, & verberante cauda tertiâ stellarum partem euertit. Naturalis inclinatio in prima actione monstratur. Pepulit cœlum vix dudū peccantes Angelos, ceu fulmina vibrauit in orcū. Innocentes amabat in ciues. Nascitur Ioannes, Matth. 3. 2. præco laxis vocibus inclamat. *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Cœlum cum pœnitentia coniunxit, gloriam cum patrata culpa, etsi per pœnitentiam deletâ: nec solùm spopondit hominem post dolorem ad cœlum ascensurum, sed ipsummet cœlorum regnum descensurum ad dolentes. En qualis violentia cœlo. Vix ab albicantium innocentium choro tenebatur; iam à pœnitentibus eripitur. Ad hæc Guerricus Abbas Guer. serm. 2. *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur. Tanta fœlicitate mutatus est temporum status, vt regnum Dei, quod antea nulla innocentium obtinebat iustitia, nunc pœnitentium inuadat & possideat violentia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia in regnum cælorum? An non violentia est rapere virtute quod non erat concessum natura, vt qui naturâ erant filij iræ & gehennæ labore improbo, qui omnia vincit, intrudant se in hæreditatem Sanctorum & consortium gloriæ?* Apoc. 7. 14. Esai. 1. 18. Quam inopina sors! Cœlum pœnitentium cilicinis vestibus pallet, ex sanguineis stolis eliquato albicat candore; & quorum peccata fuêre sicut coccinum, dealbentur vt nix. En vis cœlis iniecta. Quo iam percallebis Dam. Damianum serm. de S. Ioann. *Hominem video violentiam ipsis cælis inferre.* Non vacet illud. Esai 64. 1. Psal. 71. 6. Esai. 45. 8. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Si descendet sicut pluuia in vellus, quæ blanda irrigatione suffunditur, quam bibula capit tellus, placidaque quiete cum viridi germine maritatur: si nubes pluunt iustum, quasi tenero rore stillatum, cur cœli rumpendi? Cur infrigendum adamantinum Empyreum? Quia licèt sicut stilla descendat super gramina, descendit redempturus, vt det veniam peccatoribus, cœlorum regnum pœnitentibus impleat. Hinc pœnitentiam Ioannes indicens quasi sacerdos pœnitenti mundo absolutionem annuntiat. Pro hoc cogitatu adest S. Maxim. S. Maxim. hom. 1. *Quam mirabile est vniuersum eius præconium, de cuius ore primus absolutionem suam mundus audiuit.* Difficilia sunt hæc verba, nec vulgari captu accipienda. Ioannes enim solùm prædicauit pœnitentiam, absolutionem autem non potuit propria authoritate impertiri: imò ante institutum sacramentum pœnitentiæ decessit. Non dixit S. Maximus mundum à Ioanne absolutionem accepisse, sed audiuisse: audiuit enim pœnitentiæ edictum, nuntium Christi, Redemptoris præconem. Absolutionis dedit vaticinia, qui pœnitentiam & sacerdotem monstrauit.

56. Ad magnitudinem redeamus. Mirum est pro Mat. 11. 11. suo præcone illud à Christo præcantatum præconium. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Commune est Christum à natorū ex mulieribus sensu seiunctum, vtpote qui non mulieris, quæ ex thalamo mollem sonat, sed Filius Virginis est. Auctor fuit Ambros. *Nunquid maior est Saluatore? Absit: Ioannes enim natus mulieris,* Ambr. *Christus autem Virginis natus est.* An maior Euangelista, qui Mariæ filius nuncupatur? Non de primatu litem cieamus. Scias, quòd cùm Euangelista in Mariæ filium adscitus, dictum fuit Virgini: Ioan. 19. 26. *Mulier ecce filius tuus.* Non ergo vt Virgo sed vt mulier audit, quando adoptione sacra Euangelistam concipit: sub natis ergo mulierum Ioannes Euangelista, quantumuis Mariæ filius, perhibetur: forsan ob hoc non inter natos virorum, sed mulierum dicitur, vt vniuersalior protenderetur propositio. Difficilem Ambrosij locum euoluamus: serm. 65. sic fatur: Ambros. *Debemus diligenter inquirere, cur Dominus dixerit: Inter natos mulierum, & non potius inter filios virorum, non est maior Ioanne, cum vtique mulieres natos sine viris habere non possint? Hoc autem dixit, quia numerosior est proles mulierum, quàm virorum: est enim mulieris filius, qui viri filius non est. Denique sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet: ergo in laudem Ioannis fœcundioris sexus generatio ponitur, vt nullius ab eo natiuitas separetur.* Igitur non inter

inter filios virorum dictum est, vt etiam intelligerentur filij ex viris, non nati, sed solùm ex mulieribus, vtpote ex vberiori sexu: ergo & qui ex virgine natus; mulier etenim sine viro concipiens, virgo est. Ambrosius sanè sibi & veritati videtur aduersari: nam, cùm de Christo ageret, an in supputatione communis comparationis censendus; inquit *Absit: Christus Virginis natus est.* De quibus verbis egimus suprà Acad. 26. n. 5. Compila, si poteris, hæc verba, cùm in præfatis vniuersaliorem asserat propositionem. *Est enim mulieris filius, qui filius viri non est. Sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet.* Solum Christus ex Virgine natus est: seipsam perimit sententia. Si etenim non intelligendus sub propositione Filius Virginis, vt quid vberioris sexus generatio ponitur. Annè quia Ioannes Euangelista etiam virginis absque viro filius est? Sanè si his mysticis applaudas, Ambrosij nodum explicasti: attamen non sic literæ arridet. Aliter ergo explica. Nimia est Præcursoris dignitas; Christus maior est Ioanne, qui filius Virginis est: & tamen vt maior laudationis campus in Ioannis expatietur elogiis, vberioris sexus adscribitur generatio; vt ipsa vniuersaliora verba, Ioannis spatiosiori præconio adstipulentur; quantumuis Virginis filius, vtpote qui Deus sit, Ioanne sit maior.

57. Attamen forsan subrepat infidus (periculum est) ex Christi verbis, Christum de inferioritate incursans. Ioanni geniculantur Hebræi, Messiam putant: si ipsemet Christus sublimiorem inter omnes homines præconatur, non sarctatecta Redemptoris dignitas remanebit; nutabit inter ancipitem populorum nutum auctoritas. Imò in hoc Diuinitatis ingenium pro Diuinitate calculum tulit. Hoc elogio Christus non se hominem solùm, sed Deum Redemptorem esse conclusit. Non Deum, sed purum hominem redempturum Israël, vano censebatur errore. Quomodò fiet, vt Deus credatur Redemptor? Sit Ioannes omnium virtutum cumulis onustus, homo purus; ast quo nullus hominum sublimior. Interrogatus, se non esse Christum fateatur: sic innotescet Christum non purum hominem futurum sed & Deum. Si etenim purus homo redimeret, quid Ioannis defuerit maiestati? Perbellè August. hom. 44. *Breuiter commendo charitati vestræ magnum sacramentum: quoniam multi futuri erant, qui putarent Christum non esse nisi hominem: ideò magnus homo, quo maior in hominibus non fuit, perhibuit ei testimonium subditus, inclinatus, humiliatus.* O quantùm ardet amor, vt agnoscas Diuinitatem in paribulo tuis censibus erogatam, solam ad pretium profuisse, solam ad leuamen. Quid defuit Ioanni, ne redemptorem obiret? Annuntiatus fuit ab Angelo, exultauit in vtero, ab arida vulua exoritur, discipulis stipatur, regnum cœlorum euulgat, lymphis intingit, Herodis ense iugulatur. Quòd Deus non sit. Deuincta est diuinitati redemptio. Ideò forsan non Christi discipulus efficitur, sed discipulis circumagitur quasi disiunctus, vt maiorem inter homines agnoscens Ioannem, Christo Deo pro Redemptoris & Messiæ munere suffragium ferat Iudæus. Accinit sibi August. serm. 23. de Sanct. *Si in natis mulierum, hoc est, in hominibus, nemo exurrexit maior Ioanne Baptista, quisquis Ioanne plus est, non tantùm homo, sed Deus est. Debuit ergo tantus iste & discipulos proprios habere, & cum discipulis suis magistrum omnium Christum agnoscere. Quod enim est maius testimonium veritatis, quam se humiliando eum agnoscere, cui æmulando potuit inuidere? Putari Christus potuit, & noluit.*

August.

Idem.

58. Granditas hæc suffragium pro Deitate in Christo fert, si videris, quam arduum se nobilium virtutum pennis Ioannes extulerit; & tamen fassum esse, neutiquam ad calceamenti Christi explicandum lorum valuisse pertingere: quasi elatior esset Dominica planta, & reperet ille, humilivè socco per imam exilitatis vallem graderetur: *Cuius non sum dignus*, inquit, *corrigiam calceamenti soluere.* Certè commune proloquium est, quòd supremum infimi attingit infimum supremi. Quidnè in Deo infimum? Sanè quidquid sibi est, supremum est, vtpote vnum. Ast si fræna laxes cogitatui, impunè & subtiliter meditari valebis, postquam se Deus carne præcinxit Virginea, humanumque limum in suppositi vnitate deuinxit, quasi carne in Deitatem translata, Deitatis infimum esse carnem: cur si Ioannes supremus, seu inter supremos hominum est, ad illius carnis calcem, inferioremvè calceum non attingat? Quid pro Christi sublimitate euectius? Adeò Deus homo super Libani cedros erigitur, vt elatior arbor nec ad eius stipitis primam radicem, frondosæ comæ vertice valeat assurgere. Carnis virgineæ ex Maria priuilegium est: quo maior inter homines natus non est, eius crepidam quæ sub pede est, ex altitudinis excellentia humili manu pertractare non valet. Liceat frui Guerrico serm. 3. Bapt. *Cùm enim maximus inter natos mulierum natum Virginis testabatur, tam longè magnitudinem suam vincere, vt indignum se confiteretur eius calceamenta portare: quid aliud dabatur intelligi, nisi quia ille erat magnus Dominus, cuius magnitudinis non est finis.* Ergo dum Christus in sydera sustulit nobilem Ioannis magnitudinem, sibi contulit supremæ magnitudinis excellentiam: nec timuit à planta pedis vsque ad verticem capitis subleuare, cuius sciebat incrementa propriis Dei hominis granditatis applaudere famulatibus. Obserua, quàm dispar situs. Ioannes nec vsque ad calceamenta porrigere, se præsumit, humilitatis densitudinem amans, ne, si eliquata flueret, perderetur: & tamen super caput Domini, non tam eleuata manu, sed toto vertice superior, lustralem effundens aquam, eminuit. Sic oportuit; sic impleuit omnem iustitiam, qui semetipsum exinanivit, non ab statu Deitatis periculo timens, sed sub stante Ioanne sartum tectum custodiens; siquidem adhuc sub manu baptizantis, baptizante maior manebat, quo maior nullus natus ad lucis venerat functionem.

Ioan. 1. 27.

Guerr.

Matth. 3.

59. Nullum aptius magisterium Deitatis. Quid quod illicò quasi disruptis cœlis, nube delapsa, tonans Pater, Deitatis in Christo ex generationis fonte plenitudinem testaretur? Cur sic; dum Ioannes effusæ plebis calculis in sublime magnitudinis asserebatur fastigium? Quoniam tunc Christi conspicuè Diuinitas inclarescit, cùm Ioannis altitudo monstratur: quò magis excrescit, Diuinitatis agnoscendæ magister fit. Hùc, non detrectes, si flecto Damianum sermon. de Sanct. Ioan. Baptista: *Totus adstupeo baptizanti, hominemque Dei magistrum reuereor, dignitatem admiror, veneror dignationem.* Quid est, quòd Dei magistrum appellet, cùm potiùs sententia Domini sit: *Nullus vocetur inter vos magister: vnus est enim magister vester, qui in cœlis est?* Profectò Apostoli, nedum discipuli, sed & discentes appellantur: vnde illud Tertulliani lib. de patientia:

Dami.

Matth. 23. 10.

Tertull. *Ne vnius quidem discentis gladium in vlterem probauit.* Mirum elogium, nisi à paradoxo timeat! dicerem baptizantis munus suspexisse Damianum. Qui baptizat, magister fit baptizati; & dum sacra lympha humectat, chrismate linit; ecclesiastica illi instillat elementa, & erudit de lege. Ergonè Chrystus eruditur à Ioanne? Non Sed qui intiocti, discentis effigiem portauit. Et tamen qui sapientia, donumque Patris est, sub Ioannis aula non inhonoratur, sed à semetipso dignoscitur edoceri. Ioan 7.16. Dicebat: *Mea doctrina non est mea.* Vtrumque: quoniam suum est quidquid ipse est; & Patris est, quoniam à Patre est. Si Ioannes Hierony. Vox Verbi est, Verbum Dei semet audit, dum Ioannnem audit. Sic Christus conuiua & conuiuium, si credis Hieronymo, vbi semet accipit in cœna. Hæc non insubtiliter, si tamen non deseras, quæ præmonui, magistrum Dei Ioannem nuncupari, quoniam Deitatis Christi digito, verboque edocuit sacramentum.

60. A præfata Vocis cum conceptu vnitate, Ioannis probatur fastigium. Vnde Eucharistiæ Sacramentum verticem inter cætera attollit? Quia gratia in ipso fonte potatur. Ibi Christusmet, iugi scaturigine viuus emanat: cætera mediis calliculis, intercisitiis venis gratiam venantur. Sanctus quisquis est, solet exteris, non vernaculis edoceri instrumentis: per vocem doctrina suggeritur, auris baiulat, fugit intellectus; forsan ab itinere defessa, per ipsamet instrumenta elisa, non sic perfecta animo insidet. Non in ipso fonte intellectus epotat præcepta: exteris solent mandari meatibus, aliquando scopulosis obicibus infringuntur, ipsa collisione minuuntur, ad animam attrita perueniunt; semper vberiorem desiderant accessum. Ast Ioannes non extera voce eget, non auris emendicat suffragium: Vox Verbi Dei tam propinqua Deo, quàm vox conceptui, plenitudinem Spiritus Bernard. in ipso fonte potauit. S. Bern. in serm. de S. Ioan. *Cæterùm singulariter Apostolis & Apostolicis viris dicitur: Luceat lux vestra coram hominibus. Dictum est Ioanni: sed illi in aure audiunt, Ioannes in spiritu tanquam Angelus eruditur, nimirum tanto propinquior Deo, quanto vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris sonet, oporteat intimari: nec enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit Spiritus in vtero matris suæ.*

61. Matth. 11.11. Ne quid prætermittamus. Adhuc inlatet, quid eruatur ex illo Ioannis elogio: *Non surrexit maior Ioanne Baptista.* Quid est *surrexit?* Extra vox instituto videtur. Imò quàm propria, si Verbi Dei? Luc. 7.16. Quin non solùm proprie prolata à Christo, sed & Christi propria; de quo dictum: *Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* Cur non propria Vocis vox, si & Verbi est? Cæterùm exploranda. Qui erigitur post casum, resurgere dicitur: qui semper erectus, non surgit, sed stat. Surrectio iteratæ vitæ pronuntiat auspicia: resurget post cineres, post busta, qui quondam homo nunc puluis est. Nulla est vox, quæ Ioannis oratoriæ non incumbat. Quotquot nascuntur, non resurgunt ex gratia, quia nunquam adhuc ex gratia viui. Ioannes, qui nascitur, quasi secundam vitam sortitur; primam in vtero vixit, dum vitali gratiæ flumine innatauit. Resurrectio autem secunda vita est: sic aliquali luce Ioannes surgere, seu resurgere dicitur. Vlteriùs S. Thom. 3. p. q. 27. S. Thom. art. 6. in corp. sic ait de Ioanne in vtero exultante: *Ad illud momentum datus ei fuit rationis vsus, qui postea fuit ei subtractus.* Vitam igitur rationalem, exultationis tempore nactus fuit: si amisit, dum iterum post lucem adeptus, verè resurgere censendus est. Vlteriùs quasi resurgentium vitam natiuitatem Ioannis censeo. Resurgit ex fauillis beandus homo, vt perpetuum ineat cum Diuinitate consortium. Ad hoc natus Ioannes: sæpiùs id concinit Damianus. Resurgit in termino, qui mortem eluit, & gloriæ regni cœlestis sistitur æternandus. Adeò Spiritus sancti plenitudo Ioannem inuasit, vt ferme crederes gratiæ terigisse metam. Resurgit cœlo, qui è cinere venit rediuiuus. Ioannes dum viuus, quasi cœlorum strata perorrat. Apprimè igitur etiam dum nascitur, resurgere censendus est. D. Petr. Dam. serm. de S. Ioan. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Et licet Spiritus sanctus largiori tunc* Dam. *munere credentium cordare pleuerit, hoc tamen Ioannes in vtero legitur assequutus, quod Apostolica celsitudo tandem largiori promissione meruit obtinere. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Fœlix homo, qui feliciter cœlorum perambulans officinas cursu velocissimo sequitur Redemptorem: nec alicuius intercluditur fastigio dignitatis, quem summa fœlicitatis immensitas largius irrorauit.* Nemo grandior surgit, quàm cecidit: redit resurgenti status, qui ante casum. Cecidimus in Adam ex innocentiæ culmine, præcipitio elisi superbiæ; traduce casu, voluitamur: resurgimus, dum intingimur infantes, ad æqualem quidem gratiæ gradum. Quomodò Ioannes resurgit maior? Prædestinati quidem ad ordines Angelorum assumuntur, Angelis inania loca replent. Surgit quisque in definitum locum: Ioannis tamen nullus transcendit ascensum, quia homo Angelus adhuc in terra dicebatur: quare choris Angelicis singulari prærogatiua intexitur. Hinc cùm maior homine resurgat, nullus maior Ioanne resurgit. Gaudeat hoc explicatu Damianus suprà: *Vnus est, & secundum* Idem. *non habet, qui choris intertextus Angelicis, sublimioris corona titulis, vniuersitatis humanæ transcendit ascensum. Denique inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

ACADEMIA XXXIV.

De Ioanne Euangelista, qua Verbi Dei persecutore, Virginis filio.

Ioannes Euangelista in virginis Matris officina ex Discipulo amato Amor effectus, vt cum Iesu filius vnus euaderet.

Sectio I.



EXAGITAT ordo, Euangelistæ Ioannis insistere præconiis, quæ & materno iure testuant in Mariam, & vela contrahant in placidiori portu, cùm ille remigio alatum è Mariano mari, ceu spiritus super aquas latus, vsque ad sinum Patris, vbi beata consummatio est, peruenit. Fausta coronis sit virginea hæc in Apostolico vertice corona: auspicata nimis consummatio, coram quo, *consummatum est* protulit Ioan. 19.30. 1.

Ver

Verbum Dei. Id signatè prodidit Ioannes, quod cæteri Euangelistæ tacuerunt, obseruante Arnol.
Arnol. Carnor. tract. de sept. verb. Dom. *Quod à Matthæo & Marco & Luca fuerat prætermissum, Ioannes non tacuit; quod Christus intulerit: Consummatum est; ac deinde in manus Patris spiritu commendato, inclinans caput, quasi gratias agens potestatiuè emiserit animam, consummans omnem legalium rationē hostiarum.* Si finis legis dilectio est, quidni consummatio sit: & vbi maior amoris feruor exarsit, scilicet dum poneret animam amicus, dilectus discipulus amoris vocabulo subsignaret, suisque monimentis insereret; nec ali *consummationis* vox ab amore crederetur, quam amoris viro, cui vocabulū & insigne ab amore est, & cui ab amore laus in Euangelio? Ergo ab amore calamum arripiamus, vt scriptum hoc consummemus in Ioanne Vide, si consummatio deputetur amori. Paruo interuallo post *consummatum est*, spiritum, cui amor adscribi-
Ioan. 19. 30. tur, emisit: *Et inclinato capite tradidit spiritum.*

2. Noua morientis indoles! Cur dum expirare æger halitus, protuberans pectus, membraque crebris vulneribus fluentia pro cruentę tempestatis quiete solicitant, non cadit caput quasi inuitum ad vitæ secessum; sed flectitur ex arbitrio, ex libentique electione inclinatur; cum potiùs spiritus sursum satagens excuti, erectum verticem cōcupisceret? Si subtus cruce Ioannes est, cui nuper tradiderat Matrem; quid quòd mox libens caput inclinet, vt & ipsi tradat spiritum? Non potuit hæreditas diuidi, nec portio dirimi à portione: it spiritus, quò Maria; in quam superueniens Spiritus, totam absumpsit: quid quòd spiritu oris Domini circumuolutam dilecto præstaret discipulo? Quare subditur:
Ioan. 19. 27. *Et accepit eam discipulus in sua.* Quod iam ex Ambrosio & Augustino suprà notauimus intelligi
Ioan. 20. 22. in spiritum sanctū, qui per oris Dominici insufflationem proprius Discipulorum fuit: nec enim Mater Domini migraret, nisi ad possessionem gratiæ: Ecce hæreditas Domini filij merces, fructus
Psal. 126. 3. ventris. Faueat Hieron. epist. 16 ad Princip. *Staret*
Hieron. *solus Apostolorum ante crucem, Matremque Saluatoris in sua reciperet, vt hæreditatem virginis Domini Virginem Matrem filius virgo susciperet.* Inde cùm mulierem Sole amictam videre parabatur in cœlo: *Fui*, inquit, *in spiritu in dominica die.*
Apoc. 1. 9. Rupert. In quonè spiritu? Adsit Rupert. *Si in suo tātum fuit spiritu, indignitus visionis consequitur.* Et statim: *Absit hoc ab illo discipulo, quem diligebat Iesus. Igitur cùm dicit: Fui in spiritu, sancto subintelligamus Spiritu, quemadmodum & illic: ductus est Iesus in desertum à Spiritu, sanctum vtique Spiritum.* Non infe-
Carth. riori sapore Dionysius Carth. lib. 2. de dign. Mariæ art. 8. *Ioannes Theologorū altissimus, vbertimque in spiritu consistens.* Quasi subsistentia Ioannis sit Spiritus sanctus, vtpote qui nouiter genitus à Maria, nequiuit alio spiraculo nouæ vitæ animari, nisi Spiritu sancto: ea enim consuetudo Mariæ fuit, non nisi superueniente Spiritu gignere.

3. Hinc Ioannis stemma amor est, hac tessera dignoscitur? *Discipulus, quem diligebat Iesus.* Et subtilitate non modica Spiritus sanctus vtpote amor, à Patre, Filioque procedit. Vnde nosces? Quia Filius Verbum est, & in verbo spiritus assi...tur. Orig.
Origen. homil. 2. in varios ad illud: *In principio erat Verbum. Vt enim qui loquitur, in verbo, quod loquitur, necessariò spiritum proflat: ita Deus Pater & Filium suum gignit, & Spiritum suum per genitum filium producit.* Sic decebat amorem. Quid ad Euangelistam? Amori Dominici stabile pignus est. In cruce ardentior amor etiam post mortem ex transacto igne sanguinem sudat & aquam. Ergo feruentiùs ebulliret in dilectum. Quid agat? Non sat, quod nuncupet amatum: plus erit, quod nuncupet amorem, & ex dilecto in dilectionem ipsam traiectet. Ergo filium Mariæ constituit, nescit enim Mariæ vterus, nisi ad prolem, quæ amor sit, & nisi amoris igne, foueri. Imò *Filius* amor est: ipsa vocabuli deductio ex Græco sonat amorem. Studet, quod è Matre & Filio procedat, & amor sit. Inde iamiam efflans spiritum, dimittensq; cum verbo, nouiter ex Maria, vtpote amoris officina, discipulum in amorem producit. Faueat Bernar.
Senens. to. 1. ser. 65. art. 1. c. 3. ad illa. *Mulier ecce* Senens.
filius tuus. Filius in Græco nomen amoris est. Omnis enim Christi amor in amorem Virginis transit, vt merito filius, id est, amor Virginis nuncupetur, magisque Virginem habeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccata damnatum mundo, suscepto semine, generauit. Ergo dilectus sacra metamorphosi in amorem transformatus, Spiritus sancti capessiuit insigne. Nec pœnitus huius cogitatus Senensem, qui ser. 45. p. 3. inquit: *Tertiū verbum, quod fuit ex* Idem.
ore Christi prolatū in cruce, est amor trāsformatus: quia videns eius beatissimā genitricem transformatam, inquit humili voce sua: Mulier ecce filius tuus.

Quare ne quid diuini amoris, Spiritusvè sancti vmbræ deficiat, hæc noua sub cruce Mariæ generatio signatissima, ingeniosaq; dictione nuncupatur processio. Habeo pium patronum Sim. de Cas. 4.
lib. 2. de B. Maria, c. 27. *Quam Christus in cruce pendens, ipsam Virginem virgini discipulo commendauit, indicendo nouam filiationem atque maternitatem, non alterando naturam, sed præferendo gratiam, cuius noua processio agebatur sub cruce.* Vide Beate, quòd *processionis* dictio Spiritus sancti origini deputatur. Chrysost. hom. 3. de Spiritu sancto: Simon. de Cassia.
Quā autem vis nominis procedit? Vt nomen natiuitatis prætereat scriptura, ne Filium ipsum dicas, dicit, Spiritum sanctum, qui à Patre procedit. Impunè trahitur vocabulum ad dilecti discipuli notionem ex syllabo amoris, cui pudica ex Verbi Dei verbo per Mariæ amorem origo fuit. Chrysost.

Cur autem discipulum, què consecrat in amorem, Matris irrogat vtero, quasi non alia vulua huic sacræ processioni feracior, nulla ex amoris igne flagrantior? Sciscitaberis iterum, cur amico discipulo, quem blanda signa dilectionis mulcebant, primatum Ecclesiæ, cœlorumq; non præstitit claues, vt ibi ferretur thesaurus, quò pondus ferebat amoris? Singularem accipe Ruperti cogitatum 5.
lib. 4. de operib. Spirit. S. c. 10. *Nec illud prætereundum, quia cùm tali amoris priuilegio diligeret eum, non tamen huic, sed Petro specialiter dixit: Tu es Petrus, &c.* Lepidam dirimit quęstionem. *Dominus noster, cum omnes discipulos & præcipuè Petrum amore spiritus, vel mentis diligeret, hunc Ioannem quodam cordis amore velut hominem diligens non tamen cæteris in Apostolatu præferre voluit, quippe qui in omnibus diuinam voluntatem attendens, quodam loco dicit: Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Quid venustiùs, & pro Ioanne sublimius? Amoris teneritudine, cordisque blanditiis humani præter spiritalem dilectionem, qua in cæteros discipulos afficiebatur, prosequebatur dilectum, eo flammæ feruore, vt audeat subtilis Abbas meditari voluntatē Christi, qua hominis, adeò in Ioannem ferri, vt & ei facilè committeret Ecclesiæ principatum, nisi voluntati, qua Dei, se subiiceret, nollet- Rupert.

que carnei cordis placidis impulsibus indulgere. Eò deliniebatur dilecto. Expende illud: *Ioannem quodam cordis amore velut hominē diligens,* Quod non nisi exterso accipias iudicio, & discretionis lance perpendas: cùm omnis Christi amor iuxta spiritus, rationisque moderamen feruuerit. Ex quo Ruperti icumine innotescit, adsonè nimium dilectum hunc humani cordis, Matri adscripsisse pro filio, vt à qua carneus ille processerat & humanus, dilectum sibi hominem tanquam nouū dilectionis fœtum educeret. Quælibet carnei affectus hac industria potuit abigi suspicio: siquidē vterus Mariæ quantumuis affatim pro muliebri natura carneus, spirituali districtione ex defæcata virginitate corporeum generat Deum: quare si eidem met vtero, non ex generationis sorte, sed amoris commercio discipulus ille adsciturin filium, præcipuè inclatet, quàm spiritalis, & virginea dilectio fuit homini Deo, qua in hominem Ioannem trahebatur.

6. Accedit, quòd ob virginitatē in Virginis filium delegit, vt concors Patrum sententia est: nec putauit à virginitatis feracissima planta hunc sacrum surculum viduare; sed radici Iesse curauit inseri, è quâ flos Christus ascenderat. Noua filiationis natura non proscindere vomere glebam, non subigere aratro, sed benedictæ terræ in ligno suffixum dicere, quòd producat; & mox pomiferum lignum vberiori germine pullulare. Hic mos Verbi Dei fuit ab exordio in arborū genesi. Hic mos Mariæ erat, coram qua tantum dic verbo Domine, & puer nouus, filiusque gignetur. Non alio concitatur vterus ad fœtum, aluusque Virginea tumescit, quā Verbi inspiramine: è tenuis spiraculo vocis vitam dat, nedum accipit. Si Mariæ virginitas sic sub cruce suscipit filium, fortitus est Christi amor, quod cupierat: Ioannem hominem diligebat, sed spiritaliter carneum, vtpote in virginitatis eliquatum officio: virginitas autem Mariæ vtrumque coniunxit, & quòd carnis fuerit, & quod spiritus dotibus emineret; nec pondere vergeret corporea moles; sed dum fœcundior carnis generandę leuior absque sarcina, exultior absq; onere leuaretur. Non potuit aptiùs & spiritalis in carne amor erga Ioannem depromi, & Mariæ Ioannisque virginitatis similitudo monstrari. Quo capies Hieron. serm. de Assumpt. Mar. *Non enim pudicissima virginitas alicui discipulorum rectiùs, quàm Virgini commendaretur, vt esset ad inuicem gratia societas & floridus aspectus. Vna siquidem virtus virginitatis in ambobus; sed altera probatio in Maria: altera quidem quia fœcundior, sed ipsa, eademque incorruptio, tamen fœcunditas integritatis longè gloriosior, quàm virginitas.* Venustè & floridè. Obstupesce tamen in Euangelistæ gloria, dum recolas illud: *vna siquidem virtus virginitatis in ambobus:* & tamen ipso Doctore maximo adiiciente, virginitas in Maria fœcūnditatem sibi concilians, omnem supergreditur virgineæ florem speciei. Profectò eadem virginitas est, & altera: siquidem & per Ioannem tanquam per virginitatis illius fœtum virgineè conceptum ostenditur, & quæ ex stipite germina sunt, virtutem ex traduce succo demonstrant, vnaq; natura est germinis & radicis. O generatio pudica, arboris ad instar, cuius semen in ipsa est, vtpote sub crucis arbore contingens, cuius quasi tollones Maria & Ioannes! Obserua illud: *Mulier ecce filius tuus.* Quid est *ecce* & *tuus?* Signum virginei conceptus, vt totus appareat matris, quæ gignit ex Verbo. Idem stylus, dum gignitur Christus: *Ecce concipies & paries.* Et statim: *Quod nascetur ex te,* id est, sola absque viri sodalicio. Suffragatur Rich. à S. Laur. lib. 4. pag. 271. *Hoc idem figuratum est per hoc pronomen te, quod est discretiuum: vbi sequitur: quod nascetur ex te, id est; ex te sola, non ex te & Ioseph, id est, ex te & viro. Ad hoc innuendum dixit ei Filius: Mulier ecce Filius tuus. Totus tuus, quia tuus pronomen est discretiuum.* Alterum euincit ex altero: & vt prodat Mariam Virgineè concepisse Christum, è confinio mortis verba ipsius ad generationem venatur; quæ licet Ioannis propria, propriè virginea Christi explicant conceptionem.

Efai. 11.

Gen. 1. 11.

Hier.

Ioan 19. 26.

Luc. 1. 31.

Rich. à S. Laur.

Efficacia fuisse huiusmodi verba ad veræ filiationis, maternitatisque sortem quasi rigore originis, non tropologico, figuratoque sensu, nonnulli sibi infixere. Reluctemur omnino. Sed præstat ex communi officina trahere Damian. serm. 64. c. 3. *Non enim illa verba, quæ Saluator noster in cruce positus protulit; Mulier ecce filius tuus,* &c. *sic simpliciter sunt accipienda, vt humano tantùm videantur more prolata; sed prorsus efficacia sunt & diuinis virtutibus fulta, atque ineuitabili veritatis auctore subnixa.* Et statim: *Sicut enim dixit Matri: Hic est filius tuus: sic ita dixit discipulis: Hoc est corpus meum. Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt illicò panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus.* Dolemus quidem, sic sapientis Damiani, rudi Minerua, aliquos obtudisse acumen, vt putauerint similitudinem Eucharistici sacramenti ad lineam vsque in compatem efficaciam traxisse, vt amussim similitudo inter vtramque verborum virtutem texeretur. Id socordis & pigri ingenij est, cum ipse è vestigio subdat: *Ex quadam itaque similitudine, si dicere audeamus, & beatus Ioannes non solum filij potius est nomine, sed propter verba Dominica quoddam maius necessitudinis sacramentum apud beatam Virginem meruit obtinere.* Et parum post: *Quanta gloria magnus vir iste credendus est, qui per quoddam adoptionis arcanæ mysterium & filius Virginis, & frater est Saluatoris.* En non aliud filiationis genus quàm mysticæ adoptionis agnoscit, vt quod iuris simulatio naturam æmulantis argutis ritibus efficit, efficacius verba Dominica patrauissent. In quo tantum similitudo ad Dominici corporis sacramentum sita est. 7.

Dam.

Nec id fortè, casuque. Huc tetenderat emorientis iam Christi sedulitas, vt ex pectoris rogo quem frigida mors extinguebat, scintillas excuteret viuidiores, splendidioraque in occasu, amoris indicia in Ioannem, quem hominem adamabat & virginem. Eucharisticus autem panis sacramētum amoris est; in quo, licèt caro & sanguis, non carnaliter & quantitatis expenso pondere grauescit corpus, sed spiritus ad instar vbique sub speciebus est. Ergo si Ioannes maternitati Virginis imponitur; sic humanus Dei hominis amor exprimitur, vt tamen supra spiritum sit, nulloque carnis vitio contabescat. Ideo forsan, vt spiritalior & ab omni suspicione altior innotesceret, fermè cum spiritu expirantis inuoluitur, & illicò in sacro cadauere ad mucronis impulsum responsat latus, sanguine pluens & aqua, quasi in consanguineum Ioannem ampliori necessitudine post maternitatem Mariæ, vt è vestigio consanguinei fratris aspergeretur indiciis, guttasque libans sacri cruoris, in maiorem consanguinitatis sortem augesceret: & formata ex latere dormientis coniuge, iste prior filius gigneretur, ex sanguine quidem, sed virgineo; sed aquâ virgine comite, sed tingente stolas in candorem; non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex 8.

Apocal. 22. 14.

Ioan.1. ex voluntate viri: vt qui antè fuerat corruptæ
matris filius, iam Virginis esset. Quò respexit
Senens. Bernard. Sen.to.1.serm.53. art.1. cap.3. *Non definit esse Ioannes filius corruptæ matris, quia imperio Christi filius factus est Virginis: nec potest non esse filius Virginis, quia fuit ante filius corruptæ matris.*

9. Nec vacant præfata illa apud Damianum: *filius Virginis & frater est Saluatoris:* & tamen vt verè quis frater fiat, opus est vel ex communis matris vtero, vel ex vno genitore venisse. Vterus autem non ex lingua gignit; sed muliebre officium saltem opus est in vulua. Ast vteri Virginei sacramentum hoc symbolo innotuit. Quidni frater Verbi sit, qui verbo concipitur à Matre, edoctâ iam semel in vtero, quod difficilius est, verbo concepisse? Quantum ad candorem puritatis attinuit, idem fuit vtero Christum concepisse, quam mente: ideò Ioannes, qui ex mente Virginis gignitur, meritò Christi frater nuncupatur: vt sic aliquomodò plus quam homo sit, vtpote qui non solùm à vulua genitus, sed ab spiritalis Matris intellectu. Cur enim Christus plus quàm homo est?
Ioan.1. Quoniam etiam gignitur ab intellectu Parentis. En cur Verbum in principio apud Deum singulari volatu percellnit habebat in se symbola Verbi, postquàm è Virginis mente processit. Alij in-
Origen. stituto Origenes solet conduci; prodest nimiùm nostro: *Non ergo Ioannes erat homo, sed plus quam homo, quando & seipsum, & omnia, quæ sunt, superauit. Non enim aliter potuit ascendere in*
Areop. *Deum, nisi & ipse fieret Deus.* Similia ferme de Christo protulit Dionys. Arop. epist.4. ad Caiũ Monach. *Nam vt summatim dicamus, ne homo quidem erat: non quòd non esset homo, sed quòd ex hominibus natus homines longè superaret, & supra hominem verè homo factus est.* Quorum enodationem pete ex Acad. 16. n.5. Hinc expiscor, cur Ioannes pro illustri stemmate frater nun-
Apoc.1. cupetur. Apoc.1. *Ego Ioannes frater vester & particeps in tribulatione & regno & patiẽtia in Christo Iesu.* Profectò Paulus non fratrem, sed seruum
Rupert. se nuncupabat. Rupertus sic expendit in cap.1. Apoc. *Ego Ioannes frater vester. Quòd si causa poposcisset, nimirum non dubitamus eum dicere potuisse, quod maius, imò quod humilius est: Ego Ioannes seruus. Nam & hoc dicere non dubitauit alius, videlicet vas electionis Paulus eiusdem Iesu Christi Apostolus.* Dicerem, suum insigne protulisse. Si gloria eius à filij necessitudine cum Maria, quidni fratris nomenclationem deperdat, vtpote qui singulari iure frater eius sit, qui primogenitus est in multis fratribus?

Rom 8.29.
10. Imò quem *fratris* vox distinctum à Christo pronuntiat, vna mater, sed virgo vnum fuisse cum Christo desiderat: vbi enim virginitas & amor est, tota progenies illigatur in vnum. Considera
Ioan.19.26. vocum delectum: *Mulier ecce filius tuus.* Digito demonstrare nequibat, de quo ageret: ferrum suffixerat manus; vepres ad capitis motum pungebant collum, diris aculeis facultatem vertendi se eripuerant; vix oculis indicandi manebat arbitrium, ab spineri fluento non solum irrigatis, sed immersis. Quis non putaret, quòd de seme-
Gen.22.13. tipso ageret cum parente? Ecce mulier, hic filius tuus est; aspice, si noscas inter dumeta agnum hunc ex virginea petra progenitum. Et tamen de Ioanne intellexisse, sequentia verba demonstrant, cui dixerit continuò: *Ecce mater tua.* Quid opus erogare verba iamiam spiritum halanti, librantique voces ad numerum? Si iam dixerat, quod mulieris huius filius est, certum est, quòd mulier mater sit: relatiuorum natura hoc verborum non indigebat excursu. Cur reciproco stylo Discipulo inquit: Ecce mater tua. Non benè nosti amoris industriam: similitudinem, quam amat, in vnitatem constringit. Si dilectus discipulus hic est, quid quòd similis, quid quòd putetur & vnus? Ergo operæpretium fuit, vberiori explicatu inter nouum filium & matrem verba protendi; ne non Ioannes, sed ipse Christus censeretur, qui mulieris filius dicebatur. Et tamen, licet Ioannes alter filius Virginis sit, vnus tantùm filius Virginis est. Lux sit Greg. Naz. in carm. de Christ. patr col.19. Greg Naz.

Tu natus alter es mihi, ô castissime,
Vt ipse dixit, qui mihi vnus filius.

Si vnicus filius est Virginis, nempe Christus quomodò natus alter Ioannes? Cense, quid egent amator. Vnus est, & alter vterque, quia qui nouus filius fit, ex amore gignitur, iam tamen in amore adultus. Præcipuè quoniam qui ob alium est, idem ipse censetur, Ioannes autem in filium adscitur, vt Christus filius Virginis innotescat. Ad- Chrysost.
sit Chrysologus serm.48. *Virgini virginem tradis, vt inter tales eum sola sacramenti, sola societas religionis haberetur: nec mundanæ solicitudini discipulus iste tantus seruiret, sed prædicaturus virginientis partum, domi haberet, vnde hoc dubitantibus approbaret.* Si filius ob partum Virginis fit, quid quòd ex vtroque quasi vnicus filius consletur?

E moriente Sole à cadentibus, nunquam ta- 11.
men occiduis flammis, hæc pennata auis quasi ex amoris busto succedit, & ex vitali funere surgit Aquila Ioannes; qui licèt alius à Christo sit, *alius idem* censetur: quod de Phœnice egregiè
Tertull. de resurr. carn. cap.13. *Vbi iam nemo, ite- Tertull.
rum ipse: quia non iam, alius idem.* Ideò æqui-
uoca dictione: *Ecce filius tuus:* vt saltem parum- Ioan.19.5.
per ambigeret animus inter vtrumque, & reciproco assensu ex altero traheretur ad alterum, nec discordaret iudicium, cùm ex altero & altero ope dilectionis vnum cogitaret. Quo iam notus
Origenis locus suauius arridet præfar. in Euangel. Origen.
Ioan. *Cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui super pectus Iesu recubuerit, vel acceperit à Iesu Mariam; quæ etiam ipsius mater fiat, adeò talem, tantumque esse necesse est, qui Ioannes alius sit futurus, vt quemadmodum Ioannes, itidem etiam & iste à Iesu Iesus existere ostendatur. Nam si nullus est Mariæ Filius, indicio eorum, qui de ipsa sanè senserunt, præterquam Iesus: Dicitque Iesus Matri; Mulier ecce filius, & non ecce etiam hic est filius tuus; perinde est, ac si dixisset, Ecce hic est Iesus, quem genuisti.* Per perinde illud: *quemadmodum Ioannes à Iesu Iesus existere ostendatur.* Ergonè Ioannes Iesus dicitur, sicut Maria Iesu ab Ignatio? Id Mariæ virginitati debuit ex Origenis argumento: cui enim ex pudoris signaculo non nisi vnus Filius est, expostulat sacræ castitatis assertum, quòd quisquis filius eius sit, non agat numerum, non multiplicet auctarium; sed ex virginitatis vulua conceptus in vno Iesu coagulentur in vnum. Eadem venusta amphibologia in altera dictione est. *Ecce mater tua:* ac si diceret *Ecce Mater*, id est, quæ Mater mea est, *tua* est. Sic Matris suaue nomen sibi, Discipuloque compendio protulit.

Hinc meditabar, qualis amoris industria inter- 12.
cessisset,

cessisset, vt vnicus filius putaretur, qui in extremis à Filio perenni, licèt moriente, sufficiebatur in filium. Curnè *tuus* ad Matrem dixit ille, qui pro nobis natus tulit esse tuus? Curnè *mater tua* ad discipulum, vt solidius imprimeretur alternæ possessionis vicissitudo in vtroque? Vt innotesceret non in aliud hanc nouæ generationis sortem tetendisse institutum, nisi vt proles hæc esset matris. Nascuntur cæteri, natura opitulante, in plura naturæ officia: non quidem tantùm vt filij sint, sed vt propagine propagetur species, & vertentibus annis perpetua progenies inolescat. At generatio hæc, vtpote gratiæ, non ob filium, non ob vitales, lucisque functiones; tota ob matrem est, vt filius eius nuncupetur & sit. Id inlatet in Arnoldo de septem verbis Domini: *Loco filij positus es, & vt vicem in matre suppleat, ordinaris.* Preme hoc: *vt vicem in matre suppleat.* Huc perrexit hæc insolita sobolis origo: vt vicem suppleat in matre, totusque in matrem sit; non solùm ex relationis natura, sed ex fundamenti proprietate. Quid inde? Quòd pro filio decedente ordinetur. Benè delecta vox. De charitate dicitur ordinari: *Ordinauit in me charitatem.* Si ordo facit vnum, quidni charitas? Nulla aptiori semitâ progrederetur amor, qui dilectum discipulum præ omnibus singulariter trahebat ad Verbum Dei exaltatum à terra; & tamen alterno æmulationis impulsu trahi faciebat ad Ioannem: vt quoquouersus inspiceres, vnum intuereris in altero. Ergo ars fuit hunc amoris nixum auspicatò perfici in Maria, in quam tanquam ad medium hæc flagrantia extrema confluebant, placidoque nexu in vno maternitatis titulo ligabantur. Prona innataque inter Mariam & Ioannem ad maternæ necessitudinis vinculum ex suprema virginitate inclinatio, quos coniunxit ad crucis stipitem Filij Dei amor, in sobolis, matrisque vnitatem deuinxit. Quare non illepidè meditaberis, huc verba Dominica tetendisse: *Mulier ecce filius tuus: & discipulo: Ecce mater tua:* quasi alterum non suppeteret, cùm alterum in altero includeretur. Cur alterna vicissitudine repetit? Vt appositam in vtroque aptitudinem indicaret, & ex virginitatis pondere quasi naturaliter appetitum illectum. Matth. 22. ait Dominus: *In resurrectione enim non nubent, neque nubentur.* Periti agnoscunt Græcismum in dictione *nubentur*: id est, *neque vxores ducent.* Nundum eos erogata dictio, tautologiaque pupugit. Si non est, quæ nubat; quomodò erit, qui ducat vxorem? alterutrum in alterutro continetur. Explicuit humanum ad fœminæ, virique contubernium impulsum: sic in vtróque extremo reciprocum eleganter præsignauit affectum. Id, si Philosophus, non abnues; siquidem non indoctis artisit, in composito naturali geminam asserendam vnionem, vt materiæ, formæque sua competat vnio, & perfectè alterum prendat extremum: cum tamen otiari altera videatur, vtpote non vtroque prenso vnio non sit. Sic cogita inter Mariam & Ioannem. Vt perfectiùs alter traheretur in alterum, quasi geminus nexus indicitur, sic Virgini, quòd mater est; discipulo, quòd filius. Cur deinde: *Et accepit eam discipulus in sua?* Imò mitor non reciprocè dictum de Maria; Et accepit eum mater in sua: vt vicissitudo studiosi panderetur amoris. Sat fuit id de discipulo proferri, qui in intellectuali possessione illustris, more intellectus ad se quidquid intelligit, trahentis, Verbum Dei traxit: quidni cum Verbo Verbi traheret genitricem: in quam tamen aduersâ semitâ, amoris nempe illice trahebatur. Quare quod apud nos dicitur in sua, Epiphanius hæres. 78. dixit πρὸς ἑαυτὸν *ad se*: sicut & Syrus transtulit. Græcè est εἰς τὰ ἴδια, id est, *in propria.* An inter supellectilia ceria lia, quæ pauper piscator habebat? Imò in propriam dixeris, sicut suam, id est, in propriam matrem: eò enim Virgo virgini, Theotocos Theologo, Verbi genitrix Verbi explicatori conueniebat, vt maternitatis sacræ proprietas illicò prædicetur, ne de impropr ietate nouæ huius generationis lis illi moueatur. Profectò bis propria mater est; & quia propriè apta, & quia sua. Non longè ita Sixtus Papa in lib. de diuitiis apud Biblioth. to. 5. *Qualiter intelligendum est, suscepit eam discipulus in sua? In sua, vt matrem scilicet, non in sua bona: vt matrem vtique non in possessione, quia non de habitationis necessitate, sed de pietatis solatio agebatur.*

Et quidem in his peroptimè consultum est amori. Sed & vt vnus putaretur filius, cauit dilectio non dissimilem apparere sacræ generationis apparatum illi, qui Angelo enunciante in Iesu gignendo contigerat, nisi, si fas est dicere, non desint hîc tituli nobiliores. Virtus Altissimi obumbrat illic, hîc Altissimi lignum, cuius sub vmbra stat genitrix, quæ sederat olim: illic nuntiat Angelus, hîc & loquitur & perficit Christus: illic *ecce*, conceptionis vox fuit, sed in ore Virginis: *Ecce ancilla*; hîc *ecce*, sed in ore Domini: *Ecce filius tuus*: illic pro pignore concipiendo consensus expetitur genitricis, hic sat sensus est os & auris; non rogatur arbitrium, sed vitæ arbiter hanc inserit genitrici prolem. Amoris fuit non consuluisse voluntatem: si enim filius gignēdus, qui olim amatus, iam amor fiebat; incassum exquireretur, quòd annueret voluntas, cum amor non alio voluntatis actu ex voluntate procedat. Illic mater sub *virginis* voce prolata est, hîc sub *mulieris*: nec enim timendum erat à minùs securo vocabulo; siquidem nullum cum vero intercedebat officium: quare nec suspicionis vllius insidias corporeo sponso opinatoque thalamo indiguit: viduata viro hunc suscipit mater filium; & tamen virginitatis candor nullis scrupulosæ inuidiæ obscuratur iniuriis.

Forsan ideò, dum transcriptam in cœlum, Solari peplo contectam, matrem suspiciebat; non virginem nuncupabat, sed mulierem: vocem; qua genitus, obseruauit, & in vniuersali vocabulo proprietatem matris suspexit. Mulier vocatur, cùm sub cruce Ioannem educit in filium parum post cecidit Sol, non paruamque diei portionem amisit: vt commoreretur auctori, noluit in lucibus commorari. Quid inde? Maria in cœlo Sole vestitur. Ergonè diei præses, communis luminis dispensator à publicis se sequestrat officiis, & in pallio fœminæ detinetur? Imò fœmina lumen illi rependit, quod Domini mortalis casus extinxerat: sic ex incremento lucis affatim illi suppetit, quid in vniuersitatis erogет officiis, quid in fœminæ dispendat amictu. Igitur benè Ioannes, qui vtrumque senserat, aute *mulieris* nomenclaturam, visu properum Solaris lampadis interitum, apto stylo, quod postea viderat, pronuntiauit: *Signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole.* Nec satis sed, subdit: *Et in vtero habens clamabat.* Benè noscebat mulieris vterum, qui filius mulieris appellatus: & quæ non cognoue-

tat

Marginalia (left column): Arnol. — Cant. 2. 4. — Ioann. 12. 32. — Ioann. 19. — Matth. 22. 30.

Marginalia (right column): Epiph. — Syrus. — Sixtus. — 13. — Luc. 1. — Cant. 2. 3. — Luc. 1. — Ioann. 19. — 14. — Apoc. 12. 1. — Apoc. 12. 1.

rat vitum, Verbi Dei cognitori sumptuose dedit in cœlo nosci, vtpote cui clamor ab vtero, quoniam in eo erat Verbū Dei, quod in principio apud Deum Patrem agnouerat Ioannes; quid postea agnosceret apud matrem: Fœcunda *Mulieris* vox erga Ioannem in Virgine fuit, quam tanti cœlum æstimauit, vt intra Solis arcana, radiorū stylo transcri-
Psal. 111.6. psERIT, vterumque illi statim applicuerit, gaudens
Luc. 10.20. in memoria natiuitatis Ioannis ex muliere: sicut in memoria æterna stat iustus, quoniam iustorum nomina scripta sunt in cœlis

Ioannis Euangelistæ arcta cum Iesu vnio ex amoris ingenio ob Mariam.

Sectio II.

15. VIDISTI, quali fructu amor incubuerit, dum in maiore charitate Ioannem Mariæ visceribus arrogauit. Non aptiori tempore potuit. Nulla maior charitas, quàm pro amicis animam ponere. Pro amicis animam ponebat, qui paruo interstitio tradidit spiritum: vbi Græca vox *deponere* sonat. Ardentiorem hunc rogum expectauit, vt amatum discipulum transfigeret in amorem. Quid quòd charitate vsquequaque postea ferueret, cui genus & natiuitas à maioris charitatis obuenit incendio? Ne tam miretur Da-
Dam. mianus serm. 64. *Vnde diuinitus illi concessum est, vt tanta cor eius etiam circa fratres charitatis gratia repleretur, vt sacrosanctum pectoris eius templum, velut caminus quidam diuini videretur incendij. Quod in scripturis eius patenter agnoscitur, in quibus vtique per omnem fere paginam, quasi per rimas, charitatis vapores effundere, charitatis videtur ardoribus æstuare.* Sic oportuit, ne & à noua per gratiam genitrice degeneriret, nec filiationis singularia iura turbaret. Virgo, enecto, ascendenteque Filio, longam traheret per vitalis lucis tempora mortem, & pignore desolata per æstuantis desiderij excursus continua sectione dimmereretur ab intus, animo in amatum traiecto, ibique morante, quò Filius absens trahebat, & quia nondum, iugiter moriente. Quid fiet, ne cor Virginis continua discussione, quoniam non decedit, discedat; in vinculumque, quod non rumpitur, perpetuâ solicitudine mortis irrumpat? Accedat filius, non decedat mater; descendat vteri pignus ad sinum. Quî fiet, si à dextris residet Patris? Ioannes illi pro filio deputetur, cuius munus est, per cognitionem Verbum, quod erat apud Deum, trahere. Sed quis enarrabit? Vnigenitus ipse, qui in sinu Patris est, in
Ioan. 1.18. cuius ipse sinu recubuit. Verùm qualis aptior sacramentorum aula, quàm Maria? Illa ergo edoceat, ille per intellectum, cuius munus est, trahere res ad se, trahat: vt inter matrem & discipulum respiret amor in amato: nec suspiriis exhalatū cor longius abscedat; sed inueniat ocyssimè, quem desiderat. Fauet huic cogitatui Guerr. ser.
Guerr. 4. de Assumpt. Virg. *Decebat, vt Matri Domini non alius obsequeretur, quam dilectus Filij, quatenus & Mater semper suspirans filium, in dilectum Filij suauius respiraret; & discipulus magistrum sibi conquerens nimis cito subtractum, magistram totius veritatis se recepisse gauderet.* Amor & intellectus filiali, maternoque se fœdere iunxerunt: vt, dum alter traheret dilectum, & alter à dilecto traheretur, filij falleretur absentia; & viuens mater, quem concupierat, mortis sortiretur prouentum.

Profuit præterea, quòd Ioannes & esset & nuncuparetur *dilectus*. Saltem Sponsi audito nomine 16.
reproduceretur species, & expressione viuidiori coram luderet simulacrum. Nonnè Sponsi nomen *dilectus* est? En Ioannis insigne: *Discipulus, quem diligebat Iesus.* Imò si altius mediteris, Verbi Dei quasi gentilitium stemma dilectus hæreditauit discipulus, & dum Trinitatis subintrauit abyssum, cum Verbo rapuit & vocabulum. Qualis nomenclatio suauis & tenera Verbi, dum è corde Patris, pharetratoque amoris sinu prorumpit? Profectò *dilectus ex dilecto* vocatur. Adolescentulæ te edocebunt: consule Sionides: *Qua-* Cant. 5.9.
lis est dilectus tuus ex dilecto? Cur id bis ingeminant breui interuallo? Duplicem generationem pandunt, æternam, qua à dilecto Patre, temporalem, qua à dilecta Matre procedit. Gilebert. Gilleb.
serm. 47. in Cant. *In natiuitate diuina est dilectus ex dilecto, in natiuitate humana factus est dilectus ex dilecta: nisi quod non tam est ipse dilectus ex Matre, quam ipsa effecta est dilecta per ipsum.* Quàm innatus amor! Qui natus per intellectum est Genitoris, amoris titulum pro nomenclatura solicitat, & quasi sagitta electa ex sagittario Pa- Esai. 49.2.
rentis corde vt calamus egredi auet, qui è lingua Psal 44.
velociter scribentis per intellectionem emanat. Nec id casu in Canticis dictum. Voces dilectionis ingeminat, non vna contentus. Qui dilectus canitur ex dilecto in epithalamio amorum, *dilectus dilecti* appellatur à Vate. *Rex virtutum dilecti dilecti.* Dilectus dilecti nominatur Psal 67.
à Patre. Quid aliud est illud, *Hic est filius meus* Math 3.17.
dilectus, in quo complacui? Ergo cum generatione sub cruce vocabulum transiuit in Ioannem. Ille quidem dilectus erat: effectum, vt dilectus ex dilecta, sacrâ origine gratiæ, inciperet esse. Fauet Thomas à Villanoua serm. de Ioannes Euan- Thom. à
gelista. *Ioannes ergo dilectus simpliciter, Christus* Villan.
autem dilectus ex dilecto. Vide, quantum dignitatis Ioanni accrescat, quòd Vnigeniti Filij Dei titulum quodammodò meruit obtinere. Sponsus enim in Canticis dilectus sæpissimè nuncupatur: est enim Pater diligens, Filius dilectus, Spiritus sanctus vtriusque dilectio. Imò deuoti Præsulis beneuolo nutu, iam dilectus ex dilecta Ioannes, quin ex dilecto, vtpote non solum à dilecto Filio Dei dilectus, sed & delectus fuit, vt vsque ad Patrem per Verbum ascenderet, & vtriusque generationis sa- Cant. 3.10.
cramenta teneret, ferculumque media charitate constratum per purpureum ascensum perficeret. Ideò illi committitur Maria, vt per eam ad Filium scanderet, per Filium ad Patrem. Perbellè Arnoldus de septem verbis Dom. agens de Euangelista: *Intueor quadrigam, qua currendum est ad Pa-*
trem, sic debere distingui: vt per te ad matrem, Arnol.
per matrem ad Filium, per Filium verò attingere possit affectus ad Patrem. Et in hoc ferculo tu sis columna argentea, mater ascensus purpureus, Filius media charitas, reclinatorium aureum visio Patris in decore suo, & æterna pacis iucunda tranquillitas.

En in ferculo diuite primus gradus in Ioanne 17.
est. Cur argentea columna? Optimè. Quoniam & virgo, & eloquium Dei, vtpote superni Verbi prolator, & amoris igne probatus, eloquia autem Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.

Psal.11.7. minatum. Benè columna argentea, qui immobilis stetit sub cruce, & orbe concusso, concluso die discissis scopulis, cæli Domini intuitu constitit infractus. Cur sic stat, quem tumultuantium tempestas horrida non deturbat, flagitiosi exercitus arma non pungunt, non friget ad metum, non fugit ab acie; sed inter confertissimos hostes iuxta patibuli radicem constans sibi figitur & impu-
Ioann.18. nis? Mirum est, quòd in Petrum tot cientur insidiæ, nec in foco securus est, nedum in foro; vel à vernula impetitur, & ni exiret foras, gallo suadente, plures quaererent. Ioannem nullus interrogat de magistro, non litem mouet, non accersit ut ad iudicem; columis vbique. Quid cau-
Ioan.18.15. sæ? Quod notus esset Pontifici? Parum. Alij hostes cum satellitio suppetebant, nec militea parcerent, nec effosa confusaque plebs Iudæorum; præcipuè cum non solum insignitetur no-
Cant.8.6. mine discipuli, sed & quem diligebat Iesus. En ob
Ibi.1.7. quid seruabatur immunis. Consouit amor: signaculum inerat super cor, adiurauit dilectus, ne quis suscitaret dilectum: potuit amor custodire quia amor est, omniaque vincit. Vlterius. Amor in amatum transformat, suauique raptu depredatur animum in dilectum. Si in Iesum effera turba effeuebat, phalanxque inuidentium exasperat, otiosè irrumperet in Ioannem, actum ageret: actum de Ioanne est, cùm de Iesu actum est. Si in Iesu per amorem erat, ibi pungebatur, in quo erat.
Thom à Villan. Fruamur Præsule Valentino supra: *Petrum toties ministri Satana quaerendo infestant, Ioannem verò nullus interrogat. Astat in palatio, astitit in pratorio, adest in patibulo, lachrymatur, dolet, gemit; & nullus eum interrogat: quid ploras? nullus criminatur dicens: Discipulus es, amicus es. Si dixeris: quia notus erat Pontifici; & nunquid hoc omnibus constabat? Mira vtique amoris dispensatio fuit, vt terribilibus Domini sui cruciatib. dilectus adesset, & calicem cum dilecto potaret.* Incassum quæreretur discipulus, qui tanto magistro tenebatur, qui fossixus erat in ligno per spiritum, qui sub ligno per corpus. Tam arcta vnio non passa est à patiente diuelli, quem amoris passio figebat; nec solum compatiebatur ad aliena vulnera, sed patiebatur ad propria.

18. Si forsan ideò in sinu Iesu in extrema cœna recubuit præoccupans amoris situm, vt per cordis latebras è numero redigeretur in vnum? Ingeniosa sedulitas. Ne in Magistri casu cruento alter à Magistro appareret, se diligens insinuat in cor, non disparem lectum à Christo in triclinio componens, sed lectum in dilecto; quasi vnus tantùm accumberet, vt postea in Caluariæ loco occumberet vnus. Explora Euangelistæ verba.
Ioann.13. Dixerat Dominus: *Vnus ex vobis tradet me?* Quid inde? *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat. Iesus Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est?* Aduerte mutauisse situm: è sinu ascendit ad pectus; non gremio contentus, scrutatus est cor, ibique recubuit. Quid impulit ad mortem? Quasi per aulam sic perambulat Iesu, & in thalamo familiari huc illuc ver-
Chrysost. titur ad nutum. Amoris res agebatur. Benè Chrysostomus homil.71. *Si huiusmodi familiaritatis causam quaeris amoris res erat.* Quid hic volubilitate è sinu ad pectus agebat amor? Quòd intimius dilectus discipulus, altiusque immitteretur in Christum, & fieret vnus, amore negotiante. Incepit Dominicæ passionis sentire iudicium; tunc primùm insonuit de traditore prædictio. Ergo vt discipulus commoriatur morienti, è sinu sursum attepit ad pectus, ne discerneretur ab eo, in cuius intima præcordia per illicem amoris abibat. Ideò Dominus illi detegit traditorem, vtpote tanquam ad passurum traditoris pertineret agnitio. Ideò vt interroget, afflagitat Petrus: ideò medullitus se reconditi in corde Magistri, vt ex abundantiori gratia, ardentiorique amore Dominicum Augusti.
referaret secretum. August. tract. 61. in Ioan. *Primò quidē iacens in sinu Iesu, superascendit & incubuit supra pectus: quia si non incubuisset in pectore, sed remansisset iacens in sinu, nequaquam Dominus ei tradidisset verbum, quod Petrus scire cupiebat. Per hoc ergo, quòd vltimo supra pectus incubuit, exprimitur tanquam per maiorem & abundantiorem gratiam specialis Iesu discipulus esset.* Quod autem ascensus celeris ad pectus causa fuit mysterium Dominicæ traditionis, quod non nisi ascendenti ad pectus Ioanni detegeretur, prodidit Origenes inibi: *Volebat enim fortassis mysterium,* Origen.
quod erat in proditione: qua Iesum Iudas prodidit, nosse; quod vt discat Petrus, Ioannes, qui prius recubuerat in sinu Iesu, superascendit & recubuit super pectus: & fortassis non recumbenti super pectus, sed perseueranti in sinu recumbere, haud quaquā reddidisset Iesus, quem Petrus & Ioannes de- siderabant sermonem. Non sat est amori finus: Ioan.1.18. Psal.44.
appetit cor, nisi in sinu cor inueniat: sicut Vnigenitus & in sinu recubat Patris, & è corde Verbum eructatur.

Appulit ad pectus Ioannes, vt inibi esset, & alteretur ex corde; & à quo viueret indiuisè, cum eo indiuisus obiret. Non alios ei iam situs esse: desertuit sinum, se pectori inseruit. Cut post resurrectionē 19.
non se gloriatur in sinu incubuisse, imò non memorat; sed illicò rapitur ad cordis quod incoluerat, accubitum i Noscis illud: *Conuersus Petrus, vidit discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Cur non Ioan.21.20.
qui recubuit in sinu? Adest Origenes supra: *Quamuis igitur antea recumberet in sinu Iesu, deinde verò recubuerit supra pectus Iesu, notatur tamen germanus Iesu discipulus in fine Euangelij, non quia in sinu, sed quia supra pectus recubuerit, quasi hoc vltimum excellentius sit ac præstantius.* Perseuerat in pectore resurgentis, qui in cœna pectus arripuit, vt cum suffixo cruci in cruce figeretur. Quare in Dominico pectore Verbi Dei exploratorem & amantem ibi cubabat in nocte sæculi sicut Deum Verbū quæris in corde Patris, vbi in æternæ beatitudinis meridie cubat. Pharetra est pendens è Cantic.1.7. corde Iesu, è cuios calamis & fideles sagittat, vt ament, & hæreticos ferit, vt pereant. Vis nosceré, quòd semper recubans, semper pendens è pe- ctore Domini mansit? Expende contextum illum Ioan.21.20.
Ioan.21. *Conuersus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius,* &c. De quo postquam quæsiuisset Petrus, respondit Dominus: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Quid est *sic?* Meditari non erit absonum, id est, in situ, in quo præcessetat recubuisse. Ac si diceret: Hic illi sinus erit amore transfigetur, non tyranni iaculo: oleo dilectionis ardebit; & cùm in domo Patris mei mansiones Ioan.14.2.
multæ sint, huius mansio sic erit, nempe in sinu meo, donec veniam. Ingenium est Ruperti lib. 11. in Ioan. *Sciendum est, quia sicut tunc in sinu diligen-* Rupert.
tis Domini discipulus iste familiarissimè recumbebat;

bat ; sic deinceps in eiusdem teneri amoris diligentissima seruatus est custodia : quam & postmodum insinuans Dominus, cum dixisset Petro : Sequere me ; de isto dixit : Sic eum volo manere, donec veniam. Verè enim ter beatus vsque ad finem suum in sinu amantis Domini suauissimè recubuit.

20. Fœlix accubitus, vbi amor accumbit ! Certè amantes Seraphim, dilectionisque flammis arden-
Cant.3.19. tes, hunc sinum Dominici pectoris, quem media charitas constrauit, accubitu tegere non valuerũt, nec aliis contingere volitantibus : igneis pennis, mediis inter senas, iugem volatum producunt, cũ
Esai.6.2. tamen alis aliis caput & pedes amiciant : extrema velant, volant in medio, quasi non quiescerent, donec conuolutis plumis ibi recumbere sortirẽtur, in quo volantium inquietudine tremuli fatigantur. Alij pennato aliti locus ille, qui amoris erat, parabatur implendus, Aquilæ scilicet, Solis soboli, quæ inter medias eius flammas scit non comburi, sed soporem carpere dilectionis. Mira res ! Amoris Angeli sunt ; & tamen in amoris loco mouentur.
Bernard. Quòd autẽ ille charitatis fuisset situs, edocet Ber. serm.5. de verbis Esaiæ: *Sanè mediam quasi quandam longitudinem nudam, visibilemque relinquunt ; longanimitatem dico, & benignitatem Dei, Hac nimirum charitate verus ille Salomon quasi quadam media sua constrauit.* Ioannes tam longè à motu est, vt potius ibi dormiat securus. Insolitus sopor iste fuit: non post cœnam dormit, epulis incutientibus somnum, vaporanteque crapula, capitis densante meatus : sed in cœna. In sinu est, & in sinu dormit. Hoc nè fuit Dominicam cœnam man-
Ioan 21.18. ducare ? Aduotauimus Ac.3.n.48. illud *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*, posse explicari : Vnigenitus, qui comest in sinu Patris, vtpote cui ex sinu Patris diuina sapientia cibus est. Id non inuenustè ad Ioannem deducas. Cœnaturus in sinu est Vnigeniti : comest, inquam, vt simul *sit, comedat, & dormiat.* Sic oportuit Verbi Dei generationem proditurum, vt more Verbi aleretur ex corde saporẽque caperet & soporem ; & quod altè ebiberat, postea euigilans eructaret. Thomas à Villanoua
Thom. à Villan. suprà: *In illo namque ecstatico somno, quando supra pectus eius in cœna recubuit, mira de illius Diuinitate secreta cognouit : à quo euigilans stupendum illud Euangelij sui exordium: In principio erat Verbum, mirabiliter eructauit.*

21. Ergo accubitus sopor fuit. Recole soporatum
Gen.2.21. Adamum, vt coniux ex latere fingeretur: & veni ad crucem, vbi defuncto Domino latus feritur, vt ex dormiente nouo Adamo in sponsam dolaretur Ecclesia: qui communis Patrum cogitatus est. Vestigemus, quid ad hanc ex dormientis Domini sinu molitionem attinuerit Ioannes, qui pridie, quam Dominus pateretur, dormit in sinu, quasi lanceæ præsignans portionem, quam pungat: sicut priùs phlebotomus digito pulsat venam, indicans, quà puncturus. Posuit eum amor quasi sagittam
Esai.49.2. electam, vt locum futuro vulneri præpararet. Certè dilectus discipulus pungendũ latus prius possidet, vt præuiè indicet, inibi dilectionis prodigium fore peragendum, portionemque illam amorem præripuisse, & sui vicarium, custodemq; illic apposuisse discipulum, quem diligebat Iesus. Ideò & discipulus illic dormit, vt figuram præmitteret futuri, dormituri que magistri ageret simulacrum: siquidem eidem ipsi sub cruce efformanda mater erat, non solùm Ecclesia vt cæteris, sed & Maria, è cuius latere, si è Filij Ecclesiam constitutam fateatis. Venustè suffragetur Pet. ıs Damian. serm.1. de Zerda, *Maria effigies.*

S. Ioann. Euang. qui est 64. *Commisit Dominus Pe-* Damian.
tro claues Ecclesiæ, voluit & beato Ioanni custodiam Mariæ delegare. Traxit ex altera, quòd pro altera moreretur. Magna igitur & fœlix mater est beata Virgo Maria, ex cuius visceribus caro Christi de sumpta est, ex qua rursus per aquam & sanguinem profluxit Ecclesia. Hoc itaque modo & ex Maria prodisse videtur Ecclesia. Argutè probauit Ecclesiæ virgineum genus, originemque impollutam. Ergo si latus, ex quo puncto in aqua & sanguine Ecclesia defluxit, Mariæ adscribitur ; quidni prius possideat Ioannes recumbens & dormiens, vtpote cui Maria asserenda veniebat in matrem ? Benè scrutator mysteriorum Verbi Dei, nouæque matris viuentium nouus filius ad peruigilem accumbit soporem in melioris latere Adami, vt aduersus Euæ pristinæ flagitium, quæ è latere erupit, è latere præsagiat medelam, memoriamque Mariæ prætendat, & in Dei scientis, id est, Verbi Dei errantes Primigenios agnitionem inducat. Similem causam subiicit Ambr. cur è latere Domini sanguis emergeret, lib.5. de Sacrament. c.1. *Quare* Ambros.
de latere ? Quia vnde culpa, inde gratia : culpa per fœminam, gratia per Dominum Iesum Christum.

Ex quo noueris, cur nullus Euangelista præter 22.
Ioannem, sanguinis & aquæ ex lateris ostio memoret fontes ? Latus illud portio Ioannis fuit, sicat & Maria, Verbique Dei æterna generatio. Nec iam mireris inter aquam & sanguinem lynceis oculis discreuisse, & qui pariter erumpebant, dispares agnouisse, nec aquam diluere cruorem, nec cruoris purpuram innato coccino aqueum imbrem inficere potuisse. Sciebat benè præcordiorum latebras, & vtriusque fontis amorem artificem : nec potuit in altero fluente confundi, qui perfundebatur vtroque. Profectò in aqua regeneratio est. Lateret aqua, quem Christus regenerabat ex matre ? Sanguis Dominicum alimentum monstrauit: non illum potuit, eius fugere scientia, qui nuper Dominico sanguine in cœna alitus obdormiuit. Benè Euthy. in Ioan.19: *Nam duos scaturi-* Euth.
re facit fontes: si quidem per aquam renascimur, per sanguinem autem & carnem pascimur : quæ diuina sunt ac mystica. Ergo in aqua natiuitas, alimentum in sanguine. Deus homo quam proficuus post mortem est ! & generat, & enutrit.

Sanguis eius super nos & super filios nostros, di- 23.
cebant perfidi Iudæi: regenerationem nolebant ex Matth.27.
sanguine & aqua, qui, cum sanguine petebant in- 25.
tingi, se filiorum genitores volebant, non gratiam. O vasa iniquitatis, cur non petitis aquam, vt mũdemini; sed sanguinem, vt cruentemini, qui sanguinei, quà fordidi, in sanguine agni dealbari nescitis ? Vasa virginea Maria & Ioannes: huic desuper Apoc.7.14.
effluenti sanguinei stant, vt bibant; qui adeò virgineus est, indolemq; sapit genitricis, vt ad virginem Ioannem non efflat, nisi priùs sub Virginis genitricis facta renascatur origine. Sanguis Ioannis fit, quoniam, quà Mariæ filius, Mariæ sanguis inceperat esse. Quàm fœlix natiuitas hæc ! Quasi omnis fœcunditas ad generandum Ioannem concurreret, aqua regeneratrix, sanguis ferax, Virgo genitrix. Sanè Ioannis Baptistæ supremum elogiũ est, quòd super caput Domini baptismi lympham effuderit. Annè nobilius, quòd Christus super Euangelistæ caput, baptismi, quo ipse cupiebat baptizari, eiecerit imbres ? Certè filiorum Zebedæi matre postulante, dixerat Christus : *Potestis bi-* Matth.20.
bere calicem, quem ego bibiturus sum, aut bap- 22.
tismo, quo ego baptizor, baptizari ? Responderunt

illicò filij : *Possumus.* Quod ibi Ioannes ausus est appetere, hausit sub cruce; & baptismate tinctus & calice potatus euasit. Imò vtrumque in vno sortitus est, qui ex Dominico latere calicem sanguinis & aquæ ebibit, in quo Dominicum erat baptisma. Nobilior tinctio, quàm quæ è Ioannis Baptistæ manu veniebat: in qua non calix sanguinis propinabatur, sed aqua vidua, nudaque, nec cruoris murice purpurata. Fauet Rupert. qui
Rup rt. post illa verba enocleata: *Potestis bibere calicem,* &c. lib. 14. in Ioann. inquit: *Cum igitur videmus Dominum Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, & à nostris, quæ ipse portauerat, peccatis ablutum, rectè in vno accipimus suo baptismo in morte sua baptizatum, atque vt eumdem suum ad nos transfunderet baptismum, sanguinem & aquam de latere suo profudisse iam mortuum. Baptismum, quo à Ioanne baptizatus est, non ad eamdem pertinuisse virtutem, iam alias dictum est.* Eâdem potione Ioannes gignitur, & nutritur: cui nouum regenerationis baptisma in sanguineo, aqueoque calice ex vase lateris propinatum est; vini meri plenum mixto. Si mixtum, quomodò
Psal 74. 9. merum? Quoniam sanguis & aqua, licèt mixto cursu, non mixtâ fluxere natura. Constitit sua qualitas vtrique, merumque cruoris ab aqua comite nec ruborem remisit, nec amisit, essentiam. Hic calix Ioanni parabatur, vtpote qui à sacra Dominici corporis & sanguinis crapula, tanquam crapulatus à vino, dormierat, & à lateris succo victitabat. Si in latere, sinuque recubans calicem Domini bibere meruit, vbi passionis cruentæ incruenta simulacra fiebant: quid quòd eumdem potum ex percussa Domini costa familiaris conuiua sortiretur? Obuium est, quod dixit Chryso-
Chrysost. stomus homil. 84. in Ioann. *Hinc mysteria ortum habent, vt quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas.*

24. Et quidem hæ ex percusso latere vndæ vnde nisi ab amore manarunt? Gelida mors nescit sanguinis scaturigine feruere, nescit aqueis humoribus irrigari; exucca sibi est, quæ exiccat ossa, purpuream que corporis vitam, videlicet cruorem, extinguit. Amor igneus est: & quia grandis præcesserat, scintillarum reliquias, quas ad pulsum cuspidis excuteret, custodiuit. Dura fuit sicut infernus æmulatio, nedum fortis vt mors dilectio.
Cantic. 8. 6. Quomodò dura? Quoniam institit, vt vita ei dotare videretur ex viuidi amoris abundantia, cui amor absciderat vitam vt amanti. Nouus conflictus, & qui contrariis extremis sese perimere videatur! Si sedulus institerat, vi ex amore, vitæ
Es. 53. 7. Dominus interiret, amansque obiuit, qui mortuus est, quia ipse voluit. id est, quia voluntatis actui se tradidit occidendum: cur tam præproperè satagat, vt vitalia post mortem præbeat indicia. & ab incendio, in quo vsque ad spiritus amissionem exarsit, illicò sicut ex vitali sine, animosoque busto prodiret? Quid anxius amoris exploras negotia? Hæc indoles amoris est, reciduâ sorte necare, reciduo fœnore vitam dirimere, censumque lucis sub abundantioris lucis vsura mutuari. Hic inferni mors est; mors, etsi non vitalis, viuens: vt semper occidat, nunquam occidit: vt æternetur mors, vita perennat.

25. Non potuit aptius amor vitalem Christi amorem ostendisse, quam à demortuo latere, aquæ & sanguinis latices excitans vitales. Nonnè meministi, quòd pridie calicem sumpsit in cœna, postquam sapientia mensam posuit, miscuitque vinū, ibique se eliquescere fecit in poculo, vinumque Prou. 9. 2.
sanguinem cum corpore fluere; eo amoris ingenio, vt incruento cruoris pignore & mortem præriperet, & vitam mortalibus conuestiret indiciis? Eamdem in horto amor industriam, qua inceperat, consectauit; eamdem in patibulo ad dirum Dominici cadaueris ictum. Mirare, quàm consonent omnia! Calix in cœna mistus antea ex aqua Matth. 26. 27.
& vino, mox totus sanguine rubuit, vt vitalem sanguineę mortis præse ferret effigiem. Calix in horto, vbi in agone strenuus ille athleta cum mortis simulacro luctatus, aqueo, sanguineoque sudore mortis suffocauit imaginem, & in ipsis mortis spoliis, in sanguinis flumine vitæ abundantiam ostendit. Calix fuit in cruce post mortem, vbi in Luc. 22. 44.
sanguine & aqua vitalem, fœcundumque fluuium constituit, vt ex aqua & sanguine ortum genus partim remitteret gurgiti, pisces nempe sub Petri piscatoris annulo captos; partim leuaret in aëra sub Aquilæ Ioannis alis elatos.

En vnus & triplex calix amoris, mortis auidi, 26.
vt vitam æternet. Nonnè in triplici hoc, amoris discipulus, princepsque amoris astitit singularius, Ioan. 21. 20.
ne sibi gutta periret; sed vsque ad fundum sacra venena potaret? In cœna ad calicis venam incubuit, in lacteo pectore posuit os, vt bis biberet, & ab origine calicis, & à calice. Si ad ostium amoris erat, quomodò non omnem absorberet tor- Matth. 26.
rentem? Adest in horto, vbi Dominus sanguineo 37.
ad pectus pondere granatus, (quod, vt præcordia munimine vitæ defenderet, se collegerat) fususq; Matth. 26.
in terra preces effundit ad Patrem: *Si possibile est,* 39.
transeat à me calix iste. Obsecro, rogo. Quisnè calix iste? Mors? Imò quæ nondum accesserat, cur quòd transiret, peteretur? *Iste,* inquit: illic ergo calix erat, quem à se flagitat pertransire. Vide, parum antea quid egisset. Accepit calicem, statimq; protulit: *Hic calix nouum testamentum est in meo san-* Luc. 22. 20.
guine. Bibit ipse, bibendumque conuiuis porrexit. Ergo calix hic nondum decoctus, in sinu fluebat. Si forsan calix iste est, quem pertransire deposcit, exireq; per subtiles corporis meatus, vtpote quasi geminato per eum sanguine haberet amor, quid in singulari agone profunderet; & tamen qui à Iudæis per cuspides spinarum, clauorum, & lanceæ excutiendus erat, tam pleno gurgite manente non minueretur? Imò quòd calicem istum, qui amoris fuit, & ex amore ebiberat; sic ad discipulos remeare efflagitat, vt in eis pignus perseueret amoris, nullusque mortis metus irrepat, sed in ipsa mortis imaginibus vitâ fœliciori perennent. Aderat illic Ioannes & Iacobus, qui calicem Domini auido gutture sitientes ebibere posse dixere. Ergo quòd in eos transisset calix, qui singulariter amoris fuit, Dominum poposcisse non detrectabis, si cernas discipulum dilectum post Magistri mortem, calicis ad se transitum sub cruce meruisse, vbi sanguine & aqua fluente ex latere respersus, aduersùs mortem strenuus inualuit, sicque permansit, vt Domini verbum maneret, quod dixit: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Diu huic instituto locum Hilarij, quem alij, quos postea vidimus, non sic exactè discutiunt, obseruauimus, can. 31. in Matth. *Non ait: transeat à me calix* Hilar.
iste: iam enim esset pro se timentis oratio; sed vt in alterum illud, quod ad se transit, accidat. Transeat calix à me, id est, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.

Ioan

Ioannis in Verbum Dei, quod erat in principio apud Patris sinum, ex materno Mariæ sinu propensio.

Sectio III.

27. EGIMVS de amore, supperit de intellectu. Si quà Maria concipiens Deum in Spiritus sancti, qui amor est, flammeo incanduit incursu, Ioannes eius filius, & Domini nuncupatur dilectus; quà Verbum genuit, oportuit discipulum hunc in superni intellectus verticem sustolli, Verbumque concipere mente, quod ventre conceperat Mater. Ergo ab Spiritu sancto donum intellectus sortitus est, vt in vno munere potiretur vtroque: intellectu pro dono, amore pro donante. En Diuinitatis diuitiæ, en Patris thesaurus, in quo duæ gemmæ stylo Dionysij Areopagitæ, sunt, Filius ex intellectu, Spiritus sanctus ex amore. Quod pondus æstimo in Ruperto lib. 4. de oper. Spirit. S. c. 10. in fine. *Hic autem* Rupert. *discipulus, velut ille dilectus Ioseph, partem non paruam extra fratres suos consequutus est de thesauro Patris, de Spiritu intellectus, qui verè iucunditatem & exultationem super eum thesaurizauit.*

28. Guer. Vnde tot gazæ tibi, ô beate? Ob Mariam, quæ Diuinitatis complexa thesaurum, & Spiritum accepit, & Filium concepit. Attende Guerr. serm. 4. de Assump. Virg. *Qui etiam quia fidelis probatus est, in obsequio incorruptæ Matris; mysteria quoque Diuinitatis & arcana Verbi incorruptibilis sibi cordepromeruit.* Matth. 17. Insolita beneficij ratio! Verbi Dei Ib 26. 36. assiduus comes non solum vestigia sequebatur, & Ioan. 19. latus ambiebat; sed è sinu ad pectus tanquam in molli culcitra recubans mouebatur ad nutum. Vix vnquam segregatum inueniens, seu in Thabore ad gloriam, seu in horto ad angorem, seu sub cruce ad mortem: & tamen Verbi fidissimus assecla, suique pectoris incola & accubitor. Verbum in principio apud Deum explorauisse dicitur à Guerrico; quoniam incorruptæ Matris astitit obsequiis. Et quidem non ratio fugit: quoniam Verbum Dei, quod caro tegebat, genitricis virginitas explicuit; & quò magis sacra eius innotescere dabatur pudicitia, amplior incorrupti Verbi spirabatur agnitio. Quà à Virgine aditus est ad Verbum Patris, à Virginis custode apertissimè Verbum aperitur.

29. Damasc. Suffragatur Dam. ser. 64. *Nec mirum, si Redemptor noster beato Ioanni vicem suam ad declarandum Diuinitatis suæ mysterium delegauit, quem & ad custodiendam venerabilem Matrem suam, perpetuam videlicet Virginem, quasi alterum filium sui loco supposuit.* Expende illud: *vicem suam ad declarandum diuinitatis suæ mysterium.* Quasi idem fuisset eum sufficere pro Filio, quem pro Diuinitatis Doctore. Imò exargutiæ est. Christus nunquam sic de sua Deitate fassus, nec se Verbum apud Deũ tam perspicua verborum claritate mõstrauit, ac ipsum Ioannes detexit: & tamen hanc sortem nactũ fuisse cogitat Damianus, quoniam Mariæ suppositus est pro filio, non vtcumque, sed Dei. Ergo prius Christo competeret, vtpote naturali Virginis filio, ingenitæ Deitatis medullitus reuelare secretum. Mirum est! Eadem Mariæ maternitas Ioanni Diuinitatis claustra resignat, absconditiq; Verbi vectes recludit, Christo autẽ potius vicem suã Ioanni delegare constituit, vt vice Christi Christum Euangelista declaret. Quid causæ? Quoniam Ioannem non carne, non hominẽ, sed mente, sed virginem virgo produxit: sic Pater Verbum progignit Vnigenitum. Ergo dũ Ioannes Virginis filius fit, generationis Dei verbi præbet simulacrũ. Nec diffitebitur Damianus, qui eodem sermone sic audet: *Quid mirum, si Ioannem de Diuinitate loquentem* Damasc. *beato Petro præferimus, cùm illud Euangelij sui singulare principium ipsa etiã verba Dominica (si dici liceat) excedere videamus? Nec iniuria fit Redemptori nostro, si dicatur ipse sublimius aliquid depromere per discipulum, quàm per semetipsum, & per illius linguam manifestè proferre, quod per semetipsum liquidò noluit aperire.* Quòd autem prærogatiuam hanc singularem ex virginitatis Marianæ traxerit participio, dilucidiùs Hieron. nullus dixit ser. de de Assumpt. B. Mariæ: dixerat: *Vna siquidem virtus* Hieronym. *virginitatis in ambobus:* subdit post aliqua: *Verumtamen etsi magnificẽtior multũ virginitas in Maria propter gratiæ excellentiam, vna tamen integritas carnis & vna virtus, quæ ad in vicem quasi cognata sociatur. Hinc quoque Ioannes, quidquid est, quod Maria genuit, euangelizando suo commendat eloquio, dicens: In principio erat Verbum. Hoc quippe Verbum genuit beata Virgo Maria.*

30. Ex quo obserua, Ioannem in Verbi Dei explicatu stylũ Virginis tenuisse. Dixerat Esaias: *Ecce* Esai. 7. *virgo concipiet.* Adnotauimus aliquando, vt perfidiæ pudeat Iudæos, in Græco emphaticè articulũ addi, qui demonstrat singularis Virginis vaticinium. Eũdem articulum Ioannes Verbo apud Deũ apposuit, vt pari phrasi & virgineam aulam, in qua didicerat, & Virginis cum Verbo familiarem vsque ad characteres communionem depromeret. Chrysost. Chrys. in c. 7. Esai. *Ad id consignandum etiam Ioãnes exorsus Euangelium non dicebat: In principio erat λόγος Verbum: sed ὁ λόγος illud singulare Verbum. Etiam hîc eadem loquendi formula seruata, Non dixit; Ecce virgo, sed, Ecce hæc virgo.* Oportuit Theologum inter Verbum Dei & Virginem dictionem librare momenta, & vtriusque commercium, vocum vnitate depingere. Ea causa fuit, quòd Ioannes in filium Virginis asseretetur; vt Theologos Theotoco inseruiret, vt alibi adnotauimus & pondus est in Damasceno de dormit. B. Mariæ orat. 1. *Quocirca te Prophetæ prædicant, tibi Angeli ministrant, inseruiunt Apostoli,* Damasc. *virgo nimirum ac Theologus Virgini & Dei genitrici.*

31. Benè ad Dei genitricem singularis Theologus associatur, vt addisceret, nedum corde concipere, sed virginei ventris aliquantulùm capessere documenta, vt eo frueretur in corpore, quem generabat in corde. Quòd mente conceperit Verbum Dei, non eget opere: imò qui Verbũ rapuit à Patre, verba Patris rapuisse videtur, annuente Damiano ser. 64. Damasc. *Theotocos Maria, quia, Deum veraciter genuit: Theologus Ioannes, quia Dei Verbum ante sæcula apud Patrem esse, & Deum esse non solum inenarrabiliter vidit, sed & profunda sublimitate descripsit. Vnde non immeritò potest dicere cum Propheta: Eructauit cor meum Verbum bonum.* An saltem Verbi similitudinem etiam in ventre concepit? Apoc. 3. Apoc. 3. *Vade, accipe librum.* Et statim: *Dixit mihi: Accipe & deuora illum. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui eum, & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus.* Si Verbum Dei corde concepit Ioannes, quoniam primoribus labris in sacri

qui scripti protulit exordio, & vsque ad ventrem liber ille deuoratus traiecit(de quo Rupert. lib.4. Rupert. de operib.Spirit.Sic.11. *Liber iste sancta Scriptura est)* non contemnenda analogia Verbum Dei, quod scribebat, in virgineo ventre deglutitum inseruisse, videtur: vt in Verbum Dei viui cor eius & caro exultarent, & ex virginitatis industria corpus in spiritum extenuauisse probetur. Prodest Alcuinus lib.7.Comment.in Ioann.ad fi-Psalm.83.3. nem: *Hoc virgini Ioanni priuilegium rectè reser-* Alcuin. *uabatur, & ad scrutanda Verbi incorruptibilis sacramenta incorruptio ipsa non solùm corde, sed & corpore procederet.* Ego quidem sic capio, non solùm quòd incorruptio corpus & cor Ioannis inuasit,& ignea excoxit puritate,sed & quòd corde & corpore, vtpote virgineo, in Verbum Dei scrutator processit,corporeque contigit,quò nondum humana mens appulerat.

32. Certè si corpore in Dominico pectore iacuit, caputque ad incarnatæ Sapientiæ pectus admouit, non iniustè dixeris carne virgineâ abyssum irrupisse Deitatis: cuius organum in collo, & linguâ fuit,quod Spiritus S.inflauit. Equidem id placuit Dam. Damiano ser. 64. *Redemptor noster dilectum sibi speciali prærogatiua discipulum ad declarandam suæ Diuinitatis essentiam, quoddam quasi organum fecit.* Mira dignatio! Diuinitas non actus corporis est, non organicis distenditur sensoriis, nullis intercluditur ad officia carnis ambagibus: id animæ proprium est,quæ actus corporis organici diffinitur. Ergonè Deitas, quod suprema natura recusat, corporeum Ioannis organum imbuit? Profectò hoc sibi conceptaculum, vt sonoro concentu caneretur, amauit; acsi pro anima, organici corporis actu,Deitas Ioanni esset. Non inficieris. Et animæ suæ in virgineum corpus effusione Verbum Dei apud Patrem Euangelista rimatus est. Aug.to. August. 9.tract.20.in Ioan. *Ioannes Euangelista transcendit carnem, transcendit omnes spiritus, qui non vi-denter, transcendit mentem suam ipsa ratione animi sui. Transcendens ista omnia, super se fundens animam suam,quò peruenit? Quid vidit? In principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deũ.* Quid nobilius. Ergo quoniam animam in se effudit, in Verbũ Dei abiuit ille ctus: quasi ipsi pro anima Deitas, quæ organici corporis virginitatem adamans, in dilecto discipulo inuenit organum,quod ad hominũ aures,sonoris verbis concrepans perueniret.

33. His Deitatis vsibus animus Euangelistæ, corpusque patebat;hæc illi natura & indoles. Quidquid Verbi Dei est, innata propensione solicitat: fertur illuc, quò ab innato pondere rapitur: nec aliam sui fatetur originem,nisi eã,quæ Verbo Dei explorando ab ingenito propendeat impulsu. Cur Mariæ iam adolescens arrogatur in filium, vt vitæ nouum auspicaretur exordium, nouæque naturæ lucem ordiri pararet? Sanè illuc singularis eius virginitas,& ad Verbũ Dei propensio ducebat.Nonnè filius tonitrui fuerat antea nũcupatus à Domino: *Et vocauit eos Boanerges, quod est filij tonitrui.* Marc 3.17. Qualis hic vterus humanæ soboli? Tonitrus è nube solutus sonante verbere totius orbis climata percutit; audiri solicitat, qui sic inclamat: vox illi inclinatio est, qui sic frangitur per conuexa, reboãsq; discurrit,vt integer audiatur.Si hæc Ioãni competit generatio,quomodò in Verbum illice naturę non erat? Indolem genere capit progenies: nescit obliuisci.quod est. Elias Cret. in orat. 24. Elias Cret. Nazianz. n.20. *Ob Theologiæ cœlestem quandam sublimitatem, tonitrui filium in Euangelio nominauit, cum quo scilicet hunc, vt tonet, adhortatur, nihil humile de Deo sonans, sed altum ac sublime, Deum nempe ac Deum verum ex vero Patre Verbum illud agnoscens.* Quod & fassus est Nyssenus Nyssenus. or.12. Si hæc tibi figas,videas quam aptè tonitrui filius, Mariæ visceribus ad prolis sortem insinuatur. Quem tonitrus filium genuit Verbi tonantem, quæ pareter nisi Verbi genitrix, nubesque virginea? Equidem duplex soboles vtero grauidæ nubis debetur, & fulmen, & fulminis index tonitruum:quod coruscationibus discedente cœlo, ignesque hiatibus fulgurante intonat vt præco, ne absque cœlesti tuba, nubis splendida gloria pariatur. Nubes leuis Maria est, cui terrei vaporis parum,plurimum spiritus adhęsit.Si Dominus super Esai.19.1. hanc nubem leuem ascendit, geminâ prole debet grauidari; & igne, quo splendeat;& tonitruo,quo sonet;Verbo scilicet Dei,quod lux & splendor Patris est; & vocali sonitu,nempe Ioanne, qui Verbum illud mentis per vniuersum orbem euulget. Non alium patrem Euangelistæ vestiges:suppetit nubes pro vtroque parente, cui parere sonare est: & quæ vnum fulmen concipit silenter,geminum, cùm parit;fœtum educit: ignem videlicet & fragorem, Non dubito, quin arrideat Ambr.tract.de adhortat.ad virg. *Nubem Mariam dixit,quia car-nem gerebat; leuem, quia virgo erat, nullis oneri-* Ambros. *bus grauata coniugij. Ideò illam Dominus de cruce discipulo suo dilectissimo sibi tradidit sancto Ioanni,qui dixit patri & matri suæ: Non noui vos. Denique vocatus à Christo reliquit patrem, Verbum sequutus.* Compendio egit,paruoque somptu,quidquid cupimus, deprompsit. Quia Maria nubes erat,Verboque Dei,lumineque de lumine grauida, Ioannem sortitur in filium, qui nulla voluit agnoscere vincula naturæ, parentum immemor se in sinu Virginis inseuit,vbi Verum inueniret,quod tonans clamaret.

Hæc Ioanni singularitas debebatur.Sicut vnius fulminis è nube nascentis pro vagitu,suspirioque 34. tantum vnus fragor est,qui indicet ortũ, nec plurib. tonitruis vnus fulgor indigeat,sic Filius Dei, quà Verbũ,in sonitum sui,quasi tantũ vnũ Ioannis tonitruum emisit,qui primo clamore Verbum in principio apud Deum sonaret.Certè quod Petrus de cœlo tactus,ab altoq; loquutus protulit.*Tu* Math.16. *es Filius Dei viui,qui in hunc mundum venisti*; an- Ioan.11. nè Apostolicæ petræ propriũ fuit? Imò & Marthæ cõmune, quæ dixit: *Quia tu es Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Cæterum quod protulit Ioann. *In principio erat Verbum*, nullius vnquam linguæ commissum.Ad hæc Damian.suprà: *Planè* Dam. *quod vterq; Discipulus protulit de sacramẽto Dominicæ fidei,quanquã profundissimũ sit,atque omnino diuinum,nec videatur in excellentia dignitate diuersum,quod eodẽ est spiritu dictante prolatum: illud tamen beati Ioannis singularitas locum sibi vẽdicare conspicitur, quia nec ante illum,nec post illũ, hoc idem scripsisse aliquis inuenitur. Nam illã beati Petri Apostoli sententiam & Martham sororem Lazari eisdem ferè verbis legimus protulisse.* Ea tamen non insubtilis in Damiani cogitatum impellit dubitatio:nam annuente August.Apud Deum, August. eò Filius,quò Verbum.Qui ergo Filium Dei viui fassus fuit,Verbũ agnouisse necesse est.Sit ita. Ast non refragaberis,licèt eiusdem rei expressionẽ esse diuersã. Multoties docuimus ex S.Thoma,& Basilio, notionem Verbi virginitatem pandere Genitoris,conceptusq; illibati paritatem.Hæc igitur expressio Ioanni,non alteri seruabatur: qui virgo, Virgi

Virginisquefilius virginei Verbi possessor dignoscitur,vtpote sapientiæ, quæ pudica est. Id adnotauit Ambrosius supra,qui post illa verba: *reliquit patrem, Verbum sequutus*, attexit: *Huic traditur Virgo, qui de pectore Christi hauriat sapientiam.* Quare signate Verbum nuncupatur Christus, quando virginem Ioannem materno Virginis delegat obsequio, parique dictione Verbum Dei, Maria virgo, virgoque Ioannes sub vna periodo copulantur.Sic canit Nonnus Panopol. in Euan. Ioan.19.

abr.

Matri Verbum dixit: Mulier amans virginitatis mater.

Ecce virginem filium. Et iterum dixit discipulo:

Ecce virgo,studiosa virginitatis tua mater

Sine partu.

35. Voluit Deus homo Diuinitatem, humanitatemque inter discipulorum duos vertices,Petrũ & Ioannem,grata donatione partiri singularirarisque gemino priuilegio ditare.Quidnè singulare in Petro? Quod eius vmbra tacti morbos deponerent, sanitatemque cum fœnore reproducerent, salubribusque qualitatibus sua aspersione iacentia corpora leuarentur. Quam proficua veritas in vmbra! O in euacuo corporis simulacro potestas stabilis! Quid ageret corpore, quid imagine colorum spiritu animata,qui sic in vmbræ pallore potens?Ergo Dominus corporis sui virtutem, quam non exercuerat, Apostolorum principi contulit: quod in generationis exordio eius hauserat caro, sed compresserat;in Petro,vt ostenderetur, deposuit. Nonnè Christi corpus incepit ab vmbra, quod sub vmbra Mater cõcepit?Virtus Altissimi obumbrauit. Ergo cur vmbra Dominicæ carnis non sanat?Vult ingenitam sui naturalis corporis ex generatione indolem, sui corporis mystici vicario capiti reseruare, vt corporibus vmbra medeatur, qui militantis in corpore Ecclesiæ Summus Pontifex initiatur;& qui succedebat in capite,membra reliqua tanquam Dominici capitis vmbra curaret. Ioanni Diuinitas legata est,non vmbræ virtus,sed virtus obumbrantis,nempe Verbi Patris possessio, quod diuina vmbra vtpote imago, figuraque substãtiæ est.En qualia spolia dux ille è crucis triumpho pendentia duplici discipulo dereliquit, dumqua milites chlamydem diuidebant, Ecclesiæ ducibus naturalem diuisit hęreditatem. Frueretiam Damiano dicto ser.64. *Nam vt & hic quadam adhuc inter eosdem Apostolos comparatio videatur, hoc beato Ioanni Dominus concessit in verbis, quod & Petro contulit in mirabilis. Quod Dominum fecisse nusquam legimus, vt per vmbram videlicet sui corporis remedium sanitatis alicui attulerit.* Quod subtexit ingeniosus Pater, postquam immediatè præmiserat, singulariter fuisse datum Ioanni, vt Diuinitatis organum esset. & vsque ad Verbum Dei mentis ascenderet excessu. Quare Ildephonsus serm.5. de Assumpt. Virg. *Dilectum Domini Ioannem Theologum de humanis & corporalibus actibus pauca dixisse,& multa de natura Diuinitatis eius potentia & maiestate dixisse & scripsisse cognoscimus.* Ergo corpus Petro, Deitas Euangelistæ legatur;sic in illo actiua vita,in hoc contemplatiua describitur, vt August.& Rupert.disserunt.

Act.5.

Hebr.1.3. Marc.15.24.

Dam.

Ildeph.

August. Rupert.

36. Verum cur *Aquila* pro glorioso illi stemmate affigitur; siquidem *vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ?* Id promiraculo Ioannis ad Diuinitatem volatus,propensionisque dicitur:quoniam adhuc in carne non in corpus,sed,in spirituum aciem subtilissimos oculos intendit. Aquilæque pennas,inoffensaque solaribus radiis lumina, imitans, corpus, quod illa pro alimento vorax insequitur, Deitatem sibi omni carnis depressa sarcina putauit. Rupert.lib. 4. de operibus Spirit.S.cap.12. *Hic aquila rectè dicitur, qui Diuinitatem illam, quæ in cœlum homo Christus ascendere potuit, irreuerberatis oculis altius contemplari meruit:scriptum est enim: Vbicumque fuerit corpus,illuc congregabuntur & aquilæ. Si ergo illos dixit aquilas,qui illuc assumuntur, quanto magis iste rectè Aquila dicitur, qui adhuc in carne positus potuit in illum Solem apertos oculos figere?* Eò supra corpus ascendit, vt etiam in corpore Dominico,quæ spiritus sunt, carnemque non redolent, elegerit. Obserua illud: *Et inclinato capite tradidit spiritum*,ingeniumque Caietani consule:*Dicit spiritum, quia spiritus nomen est rei ita corporeæ, quod etiam independens est à corpore iuxta id quod superius dictum est: Spiritus est Deus. Quare significat rem in statu sine corpore, & sic sumitur in proposito. Et propterea non dicit: tradidit animam (quia non tradidit illam in statu animæ) sed dicit: tradidit spiritum, quia tradidit illam in statu spiritus.* Nimiùm subtiliter. Quoniam anima significat corporis actum;spiritus, Deitatisq; amans Euangelista,maluit *spiritum* protulisse. Et tamem qui sic Deitati addictus est,carnis,quã ex Virgine, amat recensere mysteria, alasque aliquando reprimere,vt è vertice Solis non fessis oculis, sed reductis, Aquila ista ad escam carnis descendat: *Et Verbum caro factum est.* Damianus: *Ecce Aquila Dei ad cæli verticem sublimiter euolat: sed ad escam carnis necesse est, vt repressis alis aliquando in imum submissa descendat. Vnde & paulo post quid subdat, audite: & Verbum caro factum est.* Et tamen non à carne & sanguine didicit, sed licèt Aquila,filius columbæ, spiritusque progenies efficitur: ne integer Christus dilectum discipulum non integrè compleat,& cui matrem humanitatis concesserat,humanitatis mysteria denegaret. Integra Mater non diuisum peperit Iesum, cur non integrum integer,& virgo discipulus mente conciperet,calamique ederet puerperio?Nos nundum integrè dedimus,quod habemus: expecta parumper,iam typi,nondum exiccato sudore,iterum tomo secundo insistunt,vt hoc opus omnis consummationis videat finem in Christo Iesu, qui finis est:cui laus, & gloria sit gloria & laude Virginis Matris.

Matth.24. 28.

Rupert.

Ioan.19.30. Caiet.

Ioan.1. Dam.

Sit dictum in vtriusque Matris, Mariæ scilicet, & Ecclesiæ obsequium: nec illi honorem deputamus, nisi quod huic placitum sanctumque sit; cui omne verbum seu dicentes seu cogitantes subiicimus.



INDEX

Locorum sacræ Scripturæ, quæ aliqua luce asperguntur.

A, *seu* ac. *Academiam præsignat: quam immediatus numerus indicat: sequens numerus marginalem ostendit.*

Ex Genesi.

Cap. 6.

Index locorum sacræ Scripturæ.

Ex Exodo.

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex Iosue.

Ex lib. 2. Regum.

Ex 3. Regum.

Ex 4. Regum.

Ex 1. Paralip.

Ex 2. Paralip.

Index locorum sacræ Scripturæ.

Ex Tobia.

Ex Iudith.

Ex Iob.

Ex Psalmis.

Ex Prouerbiis.

Cap.30.

Ex Canticis.

Ex Sapientia.

Ex Ecclesiastico.

Ex Isaia.

Ante

Cap.6.

Index locorum sacræ Scripturæ.

Ex Malachia.

Ex Testamento nouo.

Et Matthæo.

Ex Marco.

Ex Luca.

Et

Index locorum facræ Scripturæ.

Ex Ioanne.

Ex Actis Apost.

Ex Epistola Pauli ad Rom.

Ad Corinth. 1.

Ad Corinth. 2.

Ad Galat.

Ad Ephes.

Al Philipp.

In



INDEX LOCVPLETISSIMVS

In diuitem Concionatorum vſum.

FRVERE CONCIONATOR CONFERTISSIMIS cogitatuum diuitiis erga omnia fermè Feſtiuitatum Mariæ, Ieſu, Trinitatis, Spiritus ſancti, Ioſeph, & vtriuſque Ioannis Euangeliſtæ, ea vbertate, vt quæque feſtiuitas plurimis Concionibus ditetur: ſic vertentibus annis nouam habebis. A ſyllabo generali huc, quidquid ad præfata pertinet, auocauimus, ne repetitio innumeris chartis egeret.

Numerus poſt A, *ſeu* ac. *Academiam taxat: quotquot alij numeri, ſunt marginales, quibus Academia conſtat.*

Concio 1. De Nomine Mariæ.

Con

Concio 2. De Nomine Mariæ.

Concio 3. De Nomine Mariæ.

Concio 4. De Nomine Mariæ.

Concio 5. De Nomine Mariæ.

Concio 6. De Nomine Mariæ.

Concio 7. De Nomine Mariæ.

De Immaculata conceptione Virginis, Concio 1.

Cur

De Conceptione, Concio 2.

De Conceptione, Concio 3.

21 Cur

De Conceptione, Concio 4.

De Conceptione, Concio 5.

De Conceptione, Concio 6.

De Conceptione, Concio 7.

De Conceptione, Concio 8.

 Eua

Index in Concionatorum vſum.

De Conceptione, Concio 9.

Ideò

Index in Concionatorum vſum.

De Conceptione, Concio 10.

De Conceptione, Concio 11.

De Conceptione, Concio 12.

De Conceptione, Concio 13.

In Festiuitate Natiuitatis Beatæ Mariæ, Concio 1.

De Natiu. B. Virg. Concio 2.

De Natiu. B.Virg. Concio 3.

De Natiu. B.Virg. Concio 4.

In feſto Præſentationis, Concio 1.

De Præſentatione, Virginis, Conc 2

An

De Præſentatione, Concio 3.

De Præſentatione, Concio 4.

De Præſentatione, Concio 5.

Mariæ

De Præsentatione, Concio 6.

Cuius

Index in Concionatorum vſum.

Totum hoc Opus, Incarnationis ſpirat ſacramentum. In immenſum iret cogitatuum ad Conciones electio, niſi aliquâ methodo premeretur. Aptiſſima viſa eſt Euangelij ſingula fermè verba confertiſſimis copiis locupletare.

De Annuntiatione Virginis, Concio 1.

Miſſus eſt Angelus Gabriel.

De Annuntiatione, Conc. 2.

Ad Virginem deſponſatam viro. Quomodo fiet iſtud? &c.

Quare

Index in Concionatorum vsum.

De Annuntiatione, Conc.2.

Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue.

Ergo

De Annuntiatione, Conc. 3.

Aue gratia plena.

De Annuntiatione, Concio 4.

Gratia plena: Dominus tecum.

ceret Maria, nisi cum ea Dominus quasi compar. ibidem.

Si Dominus tecum: ergo ex duobus vnio ex: ergo amor. Quis Dominus erga Mariam, qui totam sibi subiugeet, nisi Amor? ergo Spiritus sanctus hîc Dominus est, qui se Dominum explicat in Maria. ibidem.

En illicò explicata Incarnatio, quæ ex amore fuit, & trium personarum, & Virginis, ac. 15.

Cur statim in vestibulo *Dominus tecum* ait, cùm hæc sit totius sacramenti recapitulatio? Quoniam primùm Dominus fuit cum Maria diuinè, ex illa fieret œconomicè homo, id est, per Incarnationem acad. 6. 18.

Ideò Maria Dei genitrix comprobatur. ibid. & tota, ac. 6.

Qui censuerint in his verbis *Dominus tecum* Incarnationem peractam, & cur? acad. 16. 50. seqq.

Cur *Dominus tecum* ex gratiæ plenitudine si postea potiùs Maria apud Deum ex illis: *Inuenisti gratiam apud Deum?* Vt reciprocè alter cum altero, & in altero esse monstretur. ac. 16 48.

Quare circumsessio adumbratur in Maria respectu Filij? acad. 4 14.

Circumsessio inter Mariam & Filium vtrique communicat attributa. ibid. 29.

Cur *Dominus tecum* illicò profertur? Vt appareret, verba, quæ loquutura erat Virgo, à Domino, qui cum ipsa erat, efformanda, & apta ad Verbum concipiendum in vtero crederetur, quæ sic concipiebat in mente ac. 19. 5.

Sic Verbum fuit in omni sinu Mariæ, tota ac. 21.

Nõ potuit aptiùs Incarnationẽ præsagire. *Dominus tecum*, inquit: quoniam si ex gratiæ plenitudine sic iam cum tota Maria Deus erat, quod spatium implendum suppetebat, nisi vterus? acad. 27. 38.

Ergo Deus & homo innotescit, qui sic ex plenitudine gratiæ iuit ad vterum. ibid. 37.

Quare *Dominus tecum*? Quoniam totam vt Dominus possidebat ac. 31. 8.

Ideò Maria: *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*, dũ gignit, id est, iuxta verbũ, quòd secũdò prolatũ fuit ab Angelo, scilicet *Dominus tecum*. ibid. 7.

Cur autem sic promiscuè dictum *Dominus tecum*? Non signauit personam, vt tota Trinitas recumbens in Virgine compareret. acad. 28. 10.

Cur *Dominus tecum*, potiùs quàm *in te*? Quoniam hoc præsignat illapsum, illud sodalitium; & grandis Mariæ excellentia, quòd tanta sit, vt Dei sit sodalis. ac. 5. 3.

Nunquam Maria, nisi voce Incarnationis alloquenda, etiam cùm nondum Incarnatio peracta: ideò illicò *Dominus tecum*. ac. 28. 26.

De Annunciatione, Conc. 5.

Benedicta tu in mulieribus.

69 CVr iore mulieres benedicta? Nonnè satius inter virgines, qualem Euangelista parum ante prædixit, & ipsamet Virgo parum post contestatur? Quoniam *mulieris* vox in Maria pro eius virginitate est; non à corruptela, sed à sexu. ac. 26. sect. 1.

Quoniã hæc vox in Maria virgineã matris fœcunditatem enuntiet: ergo iam mysteriũ generationis præsagiuit, qui sic nuncupauit. ac 26. sect. 3.

Quoniam desponsatam, sed virginẽ ad significat, Filius Dei factus ex muliere Incarnationis sacramentũ compendio pronuntiat., ac. 26. sect. 2.

Quoniam Maria *mulier* & *homo* dicitur vniuersitatis vocabulis, vtpotè in vniuersi generis medelam. acad. 26 sect. 4.

Quoniam curatum, vt Maria mulier credatur, cuius insignia speciem Deitatis præseferunt. academ. 26. 28 seqq.

Ne Maria Deus putetur, opos est cautione. academ. 5. 39.

Quoniam conceptura parabatur, ac proinde ad quandam quasi æqualitatem diuinam videbatur ascendere; *mulier* dicitur, vt eius naturam recorderis. ac. 16. 3. 10.

Oportuit voce vniuersali naturæ humanæ proferri, quoniam ex ea Filius generandus filius hominis dictitabitur: in quo sacramenti Incarnationis compendium. acad. 26. 30. seqq.

Mariam non corruptio, sed partus *mulierem* effecit. ac. 26. 18.

Mulier dicta à Filio, vt Incarnationis institutum ostenderet. ibid. 46.

Dum à Filio *mulier* dicitur, Mater nuncupatur. ac. 24 33. acad. 27. 7. ac. 26. 23.

Mulier dicta à Filio, vtpotè *mulier* facta à Patre. ac. 9. 13.

In *mulieris* voce maior Mariæ beatitudo. ibid. academ. 26. 23.

Mulier dicitur propter partum. ibid. 21.

Dum *mulier* dicitur, sublimior efficitur. ac. 7. 27.

Cur sub voce *mulieris* in cruce, cùm & aliæ essent ante crucem, agnita est Maria? acad. 3. 36.

Erga Euangelistam, quà *mulier*, mater. ac. 21. 49.

Quà *mulier*, nullius est, nisi Filij. ac 24. 33.

In diuinos vsus transiuit, postquam genuit, quasi vltrà non fœmina. ac. 21. 54.

Mater esse potuit post partum, *mulier* esse non potuit; quo ingenio? ibid. 55.

Cur nõ carnea, non fœmina, nõ mulier dicatur? ib.

Desponsata, vt *mulier* crederetur. ibid. 45.

Patres, qui non *mulieris*, sed virginis appellant vocabulo. ac. 26. 3. seqq.

Non passa vt *mulier*, quo sensu? ibid. 6.

Per generationem facta est non iam *mulier*, sed Virgo; quo sensu? ibid. 7.

Virgo propter mulierem, Maria propter Euam. ac. 26. 8.

Vel eius nomen à *mulieris* vocabulo denudat. ib.

Non *mulier* quin virgo. ibid. 9. seq.

Supra sexum virgo. ac. 26. 20.

Peperit vt *mulier*, non vt *mulier* passa; quo sensu? ibid. 19.

Vilior partus mulieris, quàm virginis, quo acumine? ibid. 20.

Maria totum quod Virgo, non totum quod *mulier*. ibid. 24.

Virgo sine addito; *mulier* cum addito. ac. 26. 22.

Apud Prophetas cur iam virgo, iam mulier. ibid.

Christus ex muliere secundùm carnem, per mulierem secundùm spiritum. ibid. 25.

Maria *mulier*, sicut Christus vir. ibid. 26.

In ea bonum mulierum, & virginum. ac. 26. 21.

De Annuntiatione, Conc. 6.

Inuenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero.

70 QValisnè gratia hæc nouiter inuẽta à fœmina? Nõne vides? *Ecce cõcipies in vtero.* Ergo gratia inuẽta generatio est Filij Dei. a. 16. 40.

Grandis

De Annunciatione, Conc.7.

Ecce concipies in vtero, & paries Filium.

De Annuntatione, Conc. 8.

Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?

Quia

De Annuntiatione, Concio 9.

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & Virtus Altiſſimi, &c.

De Annuntiatione, Conc.2.

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & Virtus Altiſſimi, &c.

De Annuntiatione, Concio 11.

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.

84 Quid

De Annuntiatione, Concio 12.

Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

Index in Concionatorum vſum.

Vmbra

De Annuntiatione, Concio 13.

Virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Etiam

De Annuntiatione, Concio. 14.

Virtus Altissimi obumbrabit tibi.

De Annuntiatione , Concio 15.

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.

Certè

De Annuntiatione, Conc. 16.

Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

De Annuntiatione, Concio. 17.

Ecce ancilla Domini; Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

De Annuntiatione, Concio 18.

Ecce ancilla Domini.

De Annuntiatione, Concio 19.

Fiat mihi secundum verbum tuum.

De Annuntiatione, Conc.20.

Secundum verbum tuum.

De Annuntiatione, Concio 21.

Ecce ancilla, &c.

De Annuntiatione, Concio 22.

Fiat mihi secundum verbum tuum.

Ama Mariæ vocem, eius filius fies,& nomen aſſumes : ſic Ioannes Virginis filius.ac.32.6.acad. 33.11.

In Feſto Expectationis B. Virg. Concio 1.

21 n *ECce concipies & paries filiũ.* Quid celebrat celebritas hæc? Spem Virginis de puerperio Partum hoc. Nulla ſpes à timore viuit immunis. *Expectationem* dicas: quoniam iam non ſpes, ſed ſecuritas; non ambiguitas in euentu, vbi ſolùm temporis expectatur acceſſus. O quàm ingenioſa feſtiuitas! Securitaté partus concelebrat, cùm ſolùm fœtum inſpiciat. Quid cauſæ? Quoniam in Maria conceptio & partus quaſi vna actio videtur. Sat eſt genitricem conſpici, vt ſecurè puerpera credatur: ideò *concipies & paries*, inquit. Sic in ſupero genitore conceptio & partus idem eſt. Habes de hoc plenè.ac.21.ſect.1.ſeq.

Cur Euangeliũ Incarnationis hodie canitur? Quaſi idem fuiſſet parere ac generare. ibid.

Ideò non parturiuit Maria, ſed peperit: quia ſciebat ex ſe Dominum generandum, quo ingenio dictum?ac.21.7.

Adeò partus generationi nectitur, vt iam mater nuncupetur, cùm gignit.ac.1.42.

Curnè Mater? Quoniam genitrix eſt ex potentia Patris, qui ſimul gignens & pariens eſt.ac.5.56.

Quare illico Virgo ſe matrem oſcebat.ac.12.32.

Ita præcucurrit, quaſi iam ex præcedenti puerperio, maternitas: vt quàm ſalutat Angelus nondum genitricem, matrem nuncupet, & de natiuitate, partuque tractet: *Paries, & quod naſcetur ex te.*ac.5.54.

Sic & mater apud Eliſabeth ibid.

O qualis celeritas! Vix ſalutat Angelus, & iam *Ecce concipies & paries.* Ly *ecce* velocitatem ſubindicat. Aſt partus non vſque ad conſueta tépora vuluis ſtatuta. Verum eſt Attamen ex fidei efficacitate quaſi puerperium præripuit.ac.31.41.

Vnde illicò mater nuncupatur, natiuitaſque canitur fœtui. ibid.32.ſeqq.

Ecce concipies & paries. Id proprium verbi: paritur, dum concipitur.ac.30.10.

Scis illud: *Antequam parturiret, peperit:* quaſi ante puerperium puerperium; vbi quædam innuitur puerperij æternitas.ac.27.42.

Hinc celeritatem in partu edocuit Maria ſepulchrum & aquam luſtralem.ac.18.21.

Quidni pareret ante parturiginem, ſi iam diu conceperat & pepererat in mente?ac.30.21.

Vt cõmunionem cum Deo Patre ſortiretur.ib.22.

De Expectatione, B. Virg. Conc. 2.

x11 *ECce concipies & paries.* Vide Angele Dei, quòd virum fœmina hæc non cognoſcit; ſe integrã amat: & in puerperio clarius noſcitur fœdæ fractionis iniuria. Ideò Angelus nõ tam de cõceptionis virginitate tam ſedulò pertractat, quàm de partus. Nõnè vides? *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,* &c. Et ſtatim: *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum.* Quid ſic præproperè de puerpera agit? Quaſi obumbratio virtutis & Spiritus ſancti ſuperuentus in virginitatem partus collimet.ac.23.22.

Hinc vt Eſaias proferat: *Ecce cõcipies & paries* labia polluta Seraphicus carbo paſſus non eſt. ib.23.

Ergo fœliciter ſolennitas hæc ex Ildephonſo ob partus virginitatem celebratur; & tamen ex annunciationis Euangelio: quoniam in primo ſalutationis verbo *Aue*, puerperij virginitas enunciata eſt,ac.18.26.

Maria enim ex ſacro gaudio concipiens, non ea illecebra, gaudiũ cum gaudio parit.ac.18.ſect.3.

Cur ad partum virgineum præconandum de prole naſcenda Angelus agit? *Quid enim ex te naſcetur ſanctum,* &c. Quoniam Mariæ virginitas in puerperio glorioſior, vtpote quæ ipſius Filij Dei virginitas fuerit.ac.21.ſect.3.

Ideò dum parit, diuinæ virginitatis eſt index.ibid.

In ſe & extra ſe peperit Filium Dei.ad 4.71.

Cur in generatione æterna & temporali ex Maria nulla parturigo?ac.18.12.

Virginitas quomodo in partu non amitti dicatur acad 18.31.

Virginitas & parturigo non ſociantur. ibid.28.

Virginitas concipientis virginitatem probat puerperæ & gaudium.ac.18.27.ſeqq.

Quale delirium fateri Mariã virginem genitricem, & non virginem puerperam?ac.18.31.

Pariens mater eſſe potuit, mulier eſſe non potuit. ac.26.24.

Quia ſanctificata in conceptu, integra in partu.ac. 18.30.

Parturientium dolores quomodo ex Virgine puerpera mitigantur.ibi.33.ſeqq.

Dolor puerperij in Maria ius ſuum amiſit. ac.18. 26.ſeqq.

In eius partu non carnis voluptas, quo ſenſu?acad. 19.3.

Origenes an Mariæ puerperium temerare præſumpſerit?ac.21.11.

Virginis cœleſte puerperium, quo acumine? Acad. 21.39.

Puerperij tempus agnouit.ac.21.8.

Eius partus, quà nouus, etiam nouitate vocabuli gaudet.ibi.4.

Teſtis ſui partus extitit.ac.25.59.

Eius elogium, quod conſcia fuit ſui partus. ibid.

Mariæ puerperæ incorruptio vtpote incorruptibilem parientis.ac.21.40.

Eius partus abſque vteri laxatione.ibid.6.

Diuinus, quo ſenſu?ac.21.38.

Paradoxum Tertulliani Virginem in partu nupſiſſe.ac.2.42.

Eius puerperium memoriam emundat ab aliorum partuum ſordibus.ac.23.3.

21 a O quam te memorem Virgo! Dum partui proxima es, ſingulari ſolennitate tua virginitas celebratur. Ergo creuit in partu, quæ ſic ſignate prope partum extollitur? Certe creuit. Quare? vide ac.22.ſect.3.ſeq.

Virginitas Mariæ in partu; Verbi Dei indolem explicat.ac.21.31.ſeqq.

In conceptione & partu ſolidior.ac.4.54.

Eius caro virginea & creuit in prolem & in partu non fracta.ac.22.25.

Pariens virginitatem duplicauit.ib.42.ſeq.

Eius virginitas in partu corona virginitatis. acad. 21.43.

Pariens terminos mortalium excedit. ibid.33.ſeq.

Maria in partu virgo ſanctior.ac.21.42.

Eius virginitas in partu omne aliud virginitatis tempus demonſtrat.ac.21.43.

Fortior, quia plus vicit.ac.21.42.

In puerperio glorioſior.ibid.tota ſect.3.

Cur ſanior in partu?ac.22.40.

De Expectatione, Concio 3.

De Expectatione, Concio 4.

Eius

In Feſto Purificationis B. Virginis. *Concio* I.

De

Index in Concionatorum vſum.

Clariùs

Index in Concionatorum vsum.

De Assumptione, Concio 3.

De Assumptione, Concio 4.

De Assumptione, Concio 5.

De Aſſumptione B. Virg. Conc. 6.

130 D*Omine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam? Maria optimam partem elegit.* En inter duas ſorores duplex Mariæ portio, anima ſcilicet & corpus, adumbratur. Si Martha pro corpore eſt, & ſe ſolam relictam eiulat; cur tam citò cum ſorore iuxta veſtigia Domini copulatur? Vt celerem vtriuſque partis nexum deſcribat; velocemq; reſurrectionem in ſepulchro. Ergo non relinquit ſola, ſed ſtatim aſſumitur: de quo habes plura.ac.29.ſect.5.

In Feſto B. Mariæ ad Niues.
Concio 1.

In Feſto B. Mariæ ad Niues.
Concio 2.

Qui

Concio 3.

In Festo B. Mariæ ad Niues.

Concio 1.

In Festo Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.

In Natiuitate Domini, Concio 2.

In Natiuitate Domini, Concio 3.

Cur

In Festo Circumcisionis.

In Epiphania Domini.

In Transfiguratione Domini.

In Festo Pentecostes.

In Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.

In Feſto Sancti Ioſeph Sponſi B. Virginis.

Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph.

Cur

Index in Concionatorum vsum.

Antequam conuenirent.

Si

In Festo Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ.

Habes ad eius elogia integras Ac. 32. & ac. 33. ex quibus plura etiam pete ad festum decollationis.

In Feſto S. Ioannis Euangeliſtæ.

Habes integram Acad.34.

INDEX



INDEX
RERVM ET VERBORVM, præcedenti, qui Concionatorum fuit, nimium amicus.

Ad quem solet rem seu verbum remittere sub hac littera C, cui statim numerus adijcitur, vt statim inuenias.

Index Rerum & Verborum.

Aurora.

Index Rerum & Verborum.

Colo.

Con

In

Index Rerum & Verborum.

Ad

G.

Gaudium.

Generatio.

Gladius.

Gloria.

Zerda, Maria effigies.

Gratia.

G.

H.

Herodias.

Homo.

Incor-

M.

Malum

Ve

O.

P.

Primum

Ob

Vitta



V

Vere

Index Rerum & Verborum.

FINIS.

